11.1.243
6.G.1 15.R.1
Digitized by Google

Digitized by Google

CHA-
RI-
TAS.

TRACTATVS
DE
FIDE THEOLOGICA:

IN 2. 2. DIV. THOM.

AD ILLVSTRISSIMVM D. D. IOANNEM de Isla, olim Gaditanum Epiſcopum, & in præſenti Burgenſis Eccleſię emeritum Archiepiſcopum.

Anno  1701

AVCTORE

R. P. FR. *FRANCISCO PALANCO*
Campo-Regalenſi.

SACRI MINIMORVM ORDINIS S. Theologię Lectore Iubilato, & Supremi S. Inquiſitionis Senatus Cenſore ex munere.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO, AC PRÆCLARISSIMO Domino, ac ſemper Domino meo.

D. IOANNI DE ISLA.

OLIM GADITANO PRÆSVLI, ET IAM diù Burgenſi Emeritiſsimo Archiepiſcopo, à Conſilijs Catholicæ Maieſtatis, &c.

DVOBVS præſertim titulis opera Litteraria ſui Authores Viris illuſtribus ſacrare conſueverunt; vt nempè grati animi ſpecimen darent, & vt emeritum ſibi Patronum adſcirent. Vtroquè ex capite, Illuſtriſsime Princeps, Tractatum iſtum de Fide Theologica tibi duxi merito ſacrum iri; ex primo, vt pro impenſis me gratum exhiberem; ex ſecundo, vt novum ex Te amcirem officium protectionis. Cum de hoc ſecundo meditarer, occurrit & arriſit illud Auſonij documentum: *Elige ad tui voluminis protectionem Virum Nobilem, Sanctam, Benignum, Munificum.* Virum imprimis *Nobilem* eligendum præſcribit. Talem Te proprij Nominis nuncupatio, & Tuorum perantiqua demonſtrat progenies; ſed ſcio magnos Heroes non nimium his delectari præconijs, nec quid ex maioribus nominis hauſerint, ſed quid ſuprà maiores geſſerint, attendi velle. Ea propter aptimè Te decere arbitratus ſum illud Ennodij, *in Vit. Anton. Præm.* diſertum effatum: *Fulgorem ſtipitis morum radijs obumbraſti, vincens decorem Sanguinis vita claritate, dùm coruſcantem generis Tui lampadem actuum ſerenitate tranſcendis, & factus es ſtematis victor tui, per quod pleroſque mortalium naſcendo ſuperaſti.* Exigit deinde Auſonius Protectorem *Sanc-*

tum. Sed hoc, ni fallor, elogium illud Divinæ Sapientię interdicit monitum: *Ne laudes Hominem in vita ſua, lauda poſt mortem*; interdixit quidem nobis, ſed non Tuis operibus, inquit enim: *Laudent eum in portis opera eius*; hæc ſanè Te Sanctum deprædicant, velis, nolis; nec enim ſancta opera, niſi Sanctum declamare poſſunt factorem ſuum. *Benignum* item Patronum quærebat Auſonius, & merito, nam, *quis*, ait ipſe, *niſi Divorum numero aptatus, poterit libellum ab obtrectatorum linguis, calamiſque incolumen adſtruere*: Benignitatis autem, & humanitatis virtutem appellavit Themiſtius, *cæterarum omnium Principem, cuius vnius beneficio Proceres ad Dei ſimilitudinem accedunt*. Id ſanè verum ipſe demonſtras, nam adeò hæc in Te virtus emicuit, vt tanquam divinizatæ humanitatis ęmulator ſtrenuus, manſuetudine, & lenitate cunctorum animos attrahas, non in vinculis ferreis, ſed in funiculis Adam, non tibi, ſed ipſi Deo. *Munificum* inſuper requirit Auſonius. Quis hanc animi dotem pro meritis in Te exponere queat? Propria ſanè Paſtoris eximij eſt Munificētiæ largitas. Quidni ergò dicā, Summi Paſtoris meritum, & apicem attigiſſe, quandoquidem in Te ſumma hæc virtus rutilat, quia ſine ſumma: Quis enim calculo comprehendat, quot in egenorum inopiam ſublevandam expenderis facultates? Sed quid maius in Te mirandum cenſeo, nempè, quot Tuę, Tuorumque ſubſtuleris indigentię, vt pauperum egeſtati ſubvenias? Teſtatur calamitas illa, ac pennuria, quę Vniverſam vexavit Hiſpaniam ad finem præcedentis ſæculi; *Vniverſam* dixi, ſed cum exceptione Almæ Provincię, & Diœceſis Burgenſis, quę tàm Munifico Paſtore dotata, & ditata, pennuriā nō agnovit, quia Præſulis ſui pennuria abūdās extitit. Sed quid mirū, ſi propter Oves Tuas pauper factus es, vt Oves Tuę Tua ditarentur inopia. Domeſticam ſupellectilem, quin & ipſius Dignitatis precioſum ornatum, vel vendidiſti, vel pignoraſti, vt qui Tuus eſſe non noveras, nihil Tuum habere contingeret, & placeret. Prædicant hoc Burgenſes. Sed Munificentiam Tuam extollere ſingulariter noſtri iuris eſt, quibus recentius ipſius monimentum altè cordibus inſidet. Piè enim erga Minimorum puſillum Gregem affectus, vna ſolum largitione, pro habitatione ip-

ſis

ſis conſtruēda, duodecim millia regalia paterna providētia exhibuiſti, præter plures, quas longum eſſet recenſere in idem noſtrum Cœnobium expenſas. Atque hinc iam alterum caput ſacrandi Litteraria opera, gratitudinis ius, nos obſtrinxit, vt ſingulariter opus hoc in Tui Sacrum prodiret obſequium. Fateor ſane imparitatem muneris Minificentię tantę, præſertim, ſi Authoris non occultetur exilitas, verumtamen dicam, quod Niſænus in ſimili occaſione, licèt diſimili merito: *Adfero ad Te praclarum, Deoque acceptum munus, non illud quidem, ex Authore, Te Dignum, mea tamen facultate propè maius*: Æquat enim huius muneris oblatio, vel potius ſuperat ingeniolum meum, licèt valdè impar & Tuo Nomini, & meis votis; ſed non propterèa vitio noſtro verti poteſt, quod præſumam Tibi forè acceptum, nam, vt aiebat Plinius: *Nec vlli fuit vitio Deos, & Patres colere quomodo poſſet*; quandoquidem, conteſtatur Nazianzenus, *Deum exiguæ oblationes honorant, quibus exultat, modo non deſit prompta Clientis voluntas*, hæc ſanè promptiſsima comittatur hoc munus, vt ſaltèm ex illa acceptabile fiat Benefactori tanto.

Movit inſuper nos amor ille innatus Authoritatem proprio huic operi conciliandi, nam, vt aiebat repetitus Auſonius: *Qui Mæcenatem deſiderat, vt ſuo operi Authoritatem concilies, virum magnæ Authoritatis inquirat.* Vbi autem invenire fas eſſet alium maiori Authoritate pollentem? Quandoquidem, vt ex ipſo didici Auſonio, *Authoritas ex generis nobilitate, ex propria Sapientia, præclariſque geſtis aſſolet comparari.* Ex his enim fontibus talem, ac tantam hauſiſti, vt Te ad ſummum venerationis faſtigium gradatim evectum omnes reverenter ſuſpiciant. In primis enim Salmantinę Academiæ, cum ingenio vberi Sacrarum Litterarum peritia, & morum ſplendore illuſceceres, perantiqui, & verè Maioris D. Bartholomeo Sacri Collegij, licèt præclariſsimam Togam ornaſti potuis, quam ornareris ab ea: In illo deinde celeberrimo Sapientię Muſæo Sacrę Theologię ſuggeſtum, vt lux Tua non iam ſub modio deliteſceret, ſed ex tunc in Cādelabro locata, ſtudioſę Iubentuti præluceret, merito aſcendiſ-

diſti, non brachijs, ſed pennis, nec illis adiectitijs, vt Icarus ille tandem præceps, ſed innatis, quibus deindè creſcentibus, vt Aquila magnarum alarum tuliſti medulam cedri, id eſt, Sapientię, & portaſti eam in Excelſam illam Sion, Toletanę, inquam, & Primatis Hiſpaniarum Eccleſię, à qua evocatus, Cætum illum toto Orbi conſpicuum mire colluſtraſti. Sed numquid ibi ſiſteret huius magnę Aquilę volatus ſublimis? Non ſanè, nam indè ad Inſulas Sacras Paſtoris Eccleſię evectus, Gaditanę Diœceſi deſtinaris Epiſcopus, in cuius munere ita præfulſiſti, vt tanto Sapientię Soli minor illa Sphæra, & anguſta foret: Eaque propter Sol iſte pennatus maiori Orbi Diœceſis Burgenſis deligitur Archipræſul, vt Gregis numeroſioris Oves, & luce Doctrinæ perfunderet, & probitatis exemplo paſceret, & curaret; nec mirum, nam ſanitas in pennis eius. Huius Sideris benignum influxum, quis continuò non perſenſit? Quis hodie non gratulatur? Quid ergò mirum, ſi ſub tàm benignæ influentiæ radijs hoc opus in lucem prodire delegerit, vt Authoritatem ſibi conciliet. Namque, vt aiebat Archidamus, *Filium intellectus, id eſt, perpolitum volumen, non tàm agnata pulchritudo exornat, quam ſub propitio Sidere fuiſſe exortum.* Sideris namque huius, & propitia influentia, & ſplendida claritas, ita cunctis vniversè effulget, vt omnium in ſui laudem affectus, & linguas evocarit; adeò, vt cum Nazianzeno, *in D. Baſilij fun.* dicere liceat: *Adeſte ia m, & me circumſiſtite, tàm qui Sacrarij eſtis, quam qui inferioris ordinis, tàm qui ex noſtris, quam qui ex exteris, encomium mecum conficite, alius aliam virtutem exponentes, & conquirentes. Qui Thronis inſidetis, Legislatorem; qui Rempublicam gubernatis, Civitatis Principem; Plebæi, Moderatorem; Litterarum ſtudioſi, Præceptorem; Calamitoſi, Solatium; Senes, Baculum; Iuvenes, Pædagogum; Pauperes, Largitorem; Locupletes, Diſpenſatorem. Quin mihi quoque videntur, & viduæ Patronum ſuum laudaturæ, & Orphani, Patrem, & Pauperes, pauperum Amatorem, & ægrotantes Medicum cuiuſcumque volueris morbi, & medicinæ, ſani ſanitatis Cuſtodem, & Peregrini Hoſpitem, omnes denique eum, qui omnibus omnia*

fac-

factus eſt, vt omnes, vel certè quam plurimos lucriſaceret. Adeò benigna, & vniverſalis eſt huius Sideris influentia; quidni opus hoc magis exornet ſub tàm propitio Sidere fuiſſe exortum, quàm agnata illius pulchritudo? Præſertim cum Sidera activiora ſint in ſymbolis, quam in disſymbolis ſublunaribus; ſymbolizat namque opus hoc Protectori tanto, vt potè, qui Sacræ Theologiæ inter Magiſtros hac tempeſtate celebres facilè Princeps, Opus Theologicum haud facilè ſpernere queat; arrident enim vnicuique ſimilia. Nec diſcordat materia; quid enim gratius Patri, Columnæ, & Firmamento fidei, quorum nominum Dignitatem, & veritatem affatim imples, quam de ipſa fide diſſertatio? Atque hæc alia cauſa, vt huius qualitatis munere noſtræ gratitudinis affectum exprimerem, vt potè, qui eius pretium apprimè noveris, & facilè detegere queas, & corrigere lapſus. Igitur vt Diſcipulus ex Te Magiſtro Cenſuram requiro, vt Cliens Patrocinium, vt gratulabundus obſequiolum iſtud exhibeo.

Illuſtr. Dominationis Tuæ

Humillimus ſervus.

Fr. Franciſcus Palanco.

APROBATIO EX COMMISSIONE

Supremi Caſtellæ Senatus lata à RR. P. M. Fr. Ioanne de Moltalvàn, Ordinis Prædicatorum Magiſtro, ac Veſpertinæ D. Thomæ Cathedræ in Salmantina Academia Moderatore.

IUBENTE Supremo Caſtellę Senatu, diligentèr evolvi egregium iſtum de Fide Theologica Tractatum, editum à SS. P. M. Fr. Franciſco Palanco, in Minimorum S. Franciſci de Paula Sodalicio adſcripto, in eademque Religione Iubilato Lectore, & quondam Provintiali ex munere Aſsiſtenti: Viro equidem non minus integritate vitę, ac modeſta converſatione ſpectando, quàm eruditione ac Sapientia inſtructo. Sacram Theologiam, tùm Salmanticę, tùm alijs in locis, ſumma cum laude tradiderat: Et hinc jam evulgatis præclariſsimis Operibus Philoſophicis, ac Theologicis, Scholaſticis, ac Moralibus, præclarum ſibi nomen, optimo iure acquiſierat. At nunc; dùm à ſtudio emeritus videbatur dimiſſus, dùm quieti, à conflictu; fruebatur iucunda, inexplebilis diſcendi, ac docendi aviditas in novos, & tàm præclaros ſe prodit fœtus, vt nunc demùm, ad ſeria ſtudia videatur vocatus: *Verè* equidem *Sapientis huius viri otium pulchrum eſt negotium.* Pulcherrimum namque opus iſtud omnibus ingenuam veritatem amantibus apparebit, ſivè à methodo; clara, & perſpicua, in re difficillima; vberi, ac abundanti, in re, vt plurimum ſterili, ac ſicca; modeſta ſuprà modum, inter acerbiſsimos Diſputationis conflictus, & in omnibus ad docendum oportuna; à Sententijs, certis equidem in rebus valdè ambiguis; ſecuris, etiam in periculoſis, & omninodè Doctori Angelico conſonis. Memini SS. ſtum Doctorem *MINIMI* nomenclaturam inter Fratres Prædicatores ſibi vſurpaſſe, *Opuscul. 41. in Prologo*: At, qui pro ſua humilitete *MIMIMUS* inter ſuos eſſe volebat, inter Maxima Eccleſię Luminaria, Victoriosiſsimam Sapientię palmam reportavit. Inter *MINIMOS*, etiam huius Sacratiſsimę Religionis *MINIMUM*, & huius operis Authorem lego; ſed re verà inter Victores lucidiſsimam Minervę Palmam, qua non tantum Sodales eius, ſed & Thomiſtica Schola triumphare, ac coronari poſsit, in perpetuum reportavit. Sic ſentio, ita exopto: In hoc Sancti Stephani Protho-Martyris Cœnobio, Salmanticę, die 12. Februarij, Anno Domini 1701.

Fr. Ioannes de Montalvàn.

EL REY.

POR quanto por parte de Vos Fr. Franciſco Palanco, del Orden de los Minimos de San Franciſco de Paula, Lector de Theologia, en el Convento de Nueſtra Señora de la Vitoria deſta Corte, ſe nos hà repreſentado, aviades compueſto vn Libro, intitulado: *Tractatus de Fide Theologica.* Y para que pudieſſedes darle à la Eſtampa, ſe Nos ſuplico, os concedieſſemos Licencia, y Privilegio, para que lo pudieſſedes hazer por tiempo de diez Años, en la forma ordinaria. Y viſto por los del nueſtro Conſejo, y como por ſu mandado ſe hizieron las diligencias, que diſponèn las Pragmaticas, vltimamente hechas, ſobre la Impreſsion de los Libros, ſe acordò dar eſta nueſtra Cedula. Por la qual os concedèmos Licencia, y Facultad, para que por tiempo de diez Años, que han de empezar à correr, y contarſe deſde el dia de la Fecha de eſta nueſtra Cedula, Vos, ò la Perſona que vueſtro Poder tuviere, y no otra alguna, podais imprimir, y vender el dicho Libro, de

que

que à hecha mencion, por los Originales, que en el nueſtro Conſejo ſe vieron, que vàn rubricados, y firmados de Don Tomàs de Suaço, y Areſti, nueſtro Secretario, Eſcrivano de Camara de los que reſiden en èl, con que antes que ſe venda, lo traygais ante los de èl, juntamente con los dichos Originales, para que ſe vea, ſi la dicha Impreſsion eſtà conforme à èl, trayendo aſsimiſmo Feè, en publica forma, como por el Corrector por Nos nombrado, ſe viò, y corrigiò la dicha Impreſsion por el Original, para que ſe taſſe el precio à que ſe hà de vender. Y mandamos al Impreſſor, que imprimiere el dicho Libro, no imprima el Principio, y primer Pliego de cada vno, ni entriegue mas que vn ſolo Libro, con ſu Original, al Autor, ò Perſona a cuya coſta ſe imprimiere, para efecto de la dicha Correccion, haſta que primero eſtè corregido, y taſſado por los del nueſtro Conſejo; y eſtando aſsi, y no de otra manera, pueda imprimir el dicho Principio, y primer Pliego, en el qual, ſeguidamente, ſe ponga eſta Licencia, y la Aprobacion, Taſſa, y Erratas, pena de caër, è incurrir en las penas contenidas en la Pragmatica, y Leyes de eſtos Reynos, y mas incurra en pena de cinquenta mil maravedis; y ſea la tercia parte dello para la nueſtra Camara; la otra tercera parte para el Juez, que lo ſentencia; y la otra, para el Denunciador. Y mandamos à los del nueſtro Conſejo, Preſidente, y Oydores de las nueſtras Audiencias, Alcaldes, y Alguaziles de la nueſtra Caſa, Corte, y Chancillerias, y à todos los Corregidores, Aſsiſtente, Governadores, Alcaldes Mayores, y Ordinarios, y otros Juezes, y Juſticias qualeſquier, de las Ciudades, Villas, y Lugares de eſtos nueſtros Reynos, y Señorios; y à cada vno, y qualquier dellos en ſu Juriſdicion, vean, guarden, cumplan, y executen, y hagan guardar, cumplir, y executar eſta nueſtra Cedula, y todo lo en ella contenido; y contra ſu tenor, y forma no vayan, ni paſſen, ni conſientan ir, ni paſſar, en manera alguna, pena de la nueſtra Merced, y dè cada vno cinquenta mil maravedis, para la nueſtra Camara. Dada en el Buen-Retiro, à ocho dias del Mes de Febrero de mil ſetecientos y vn Años. YO EL REY. Por mandado del Rey nueſtro ſeñor. Don Juan de Corral.

CENSURA EX COMISSIONE ORDINARIJ, *lata à Rmo. P. M. Gabriele Salinas, Clericorum Minorum Regularium Iubilato, Sacr. Theologiæ Lectorem, Aſsiſtente Provinciali, & Supremi S. Inquiſitionis Senatus ex munere Cenſore.*

IUSSU Dñi D. Ildephonſi Cardos, & Portillo, huius Curię Matritenſis Dignisſimi Vicarij, &c. Examinandum, & reviſendum ſuſcepi: *Tractatum de Fide Theologica in 2. 2. Div. Thomę*, iuxta miram ipſius Angelici Præceptoris mentem, elaboratum à Rmo. P. M. Fr. Franciſco Palanco, ex Præclara, Religioſisſima, & Doctiſsima Minimorum Sancti Franciſci de Paula Familia. Olim in ſuo Collegio Salmantino Primario Theologię Profeſſore, & Dignisſimo Studiorum, Regente; nunc autem Lectore Iubilato, & Supremi Sanctę Inquiſitionis Senatus Meritiſsimo Cenſore, & à Secretioribus Conſilijs illius; & licèt munus Cenſoris (cuius adhùc nomen non ſine rubore audivi) mihi ſemper viſum fuit locum habere non poſſe in opere, quod ſatis probandum, & communi plauſu vbique

excipiendum, iudicabam, vel ex ſolo Nomine Authoris; quippè, qui in alijs voluminibus in lucem editis, quibus Scholas, & præcipuè Thomiſticam illuſtravit teſtimonia perhibuit minimè obſcura eximię pietatis, præclarę eruditionis, præſtantiſsimi ingenij, dextitatis ſingularis, & (quod mihi maius) prudentię ſenilis, & maturi iudicij in ſeligendis opinionibus; ob idque poſſem cum Ovidio dicere: *Credita res Authore ſuo eſt.* Conſulens tamen nòn tàm Cenſoris muneri, quàm proprię vtilitati, & addiſcendi deſiderio, ea animi attentione, & voluptate totum hoc opus evolvi, vt verè cum Seneca dicere poſsim Epiſtol. 46. *Tanta dulcedine me tenuit, vt illud ſine vlla dilatatione perlegerem.*

Senec. de Volum. Luc. Epiſt. 46.

D. Ambr. lib. 1. Examer. cap. 9.

Opuſc. adverſ. hæreſ. capit. 37.

Cum præclarum hoc opus perlegiſſem illico menti ſe obtulit illud D. Ambroſij: *Plùs in eo eſt, quod probetur aſpectu, quàm quod ſermone laudari poteſt; ſuò enim vtitur teſtimonio, non ſufragio alieno.* In illo enim inveni difficultates Theologicas inter Scholaſticas obſcuriores, & difficiliores, ita ſubtilitèr, & acutè, ita clarè, & dilucidè diſcuſſas, vt iam non appareant de materia adeò obſcura, & difficili, ſed quod magna ex parte difficultatem, & obſcuritatem exuiſſe videantur; vndè quàm optimè adaptati poteſt Authori, quod Vincentius Lirin. ait: *Intelligitur, te exponente, illuſtrius, quod ante obſcurius credebatur, per te poſteritas gratuletur, quod ante vetuſtas non intellectum venerabatur, eadem enim quę didiciſti, ita doces, vt cum dicas novè, non dicas nova.* In hoc etiam præſtantiſsimo opere Sap. Author ita mentem Angelici Præceptoris calamo, velut penicillo, depingit, vt in totius huius operis faciem ſuę Cœleſtis Doctrinę ſpiraculum Doctor Angelicus videatur inſpiraſſe; immò, ſi pulchram, ſplendidam, & ditiſsimam copiam Locorum Sacrę Scripturę, Conciliorum, & Sanctorum Patrum, quos fidelitèr, piè, eruditè, & reverentèr explicat, & interpretatur; ſi claritatem, ſubtilitatem, ſoliditatem, & profunditatem rationum, quibus quaſi firmiſsimis præſidijs Concluſiones mentem Angelicam exprimentes nervosè munit, ſtrenuè, & fœliciter propugnat; ſi dexteritatem, & facilitatem, quà rationibus in contrarium obſtantibus plenè ſatisfacit, & fallaces argumentationes detegit, & in nihilum redigit, ſi methodum, ordinem, ſtilum, & præcipuè modeſtiam attentè inſpiciat, ita in his omnibus Doctrina, mens, ingenium, & genium Angelici Præceptoris ad vivum exarata apparent, vt eodem animo, & ſpiritu informari, & quamdam cum ipſius Scriptis identitatem habere videatur.

§. patt. Hiſtor. titul. 23. cap. 7. §. 9.

Div. Thom. Opuſc. de Erudit. Princip. cap. 31.

Div. Anguſt. Epiſt. 66. ad Dioſcorum.

Sed licèt hoc valdè mirandum videtur, verè mirandum non eſt, ſi naturam, & conditionem Doctrinę Angelicę rectè conſideres; hæc enim tamquam ex vnica radice ortum ducit ex abyſo profundiſsimo humilitatis, vt enim de Angelico Magiſtro ait Div. Anton: *Non potuiſſet in tàm ſublimè erexiſſe animum ad Divina, niſi in fundamento humilitatis ſuę depoſuiſſet humana.* Vndè de eius Doctrina præcipuè verificatur, quod ipſe Angel. Præcept. ex Tholomæo refert: *Inter Sapientes ſapientior erit, qui humilior exiſtit.* Via enim ad veritatem capiendam ſecundum D. Aguſt. alia non eſt, niſi humilitas, qui ait: *Nec aliam tibi ad capeſcendam, & obtinendam veritatem, viam munias, quam quæ munita eſt ab illo, qui greſſorum noſtrorum tamquàm*

Deus

Deus vidit infirmitatem, ea eſt autem prima, humilitas, ſecunda humilitas, tertia humilitas. Et quoties interrogares, hoc dicerem. Quis ergò humilior, quam qui pluſquam magnus cum ſit virtute Sapientia, & ingenio, ſe *MINIMUM* profitetur. In quo quidem Sapientiſsimus hic Author etiam Angelicum Magiſtrum imitatur, qui de ſe ita loquitur: *Ego MINIMUS in Ordine Fratrum Prædicatorum.* Nec prædictus Author verbo ſolum ſuam profundam humilitatem oſtendit, ſed etiam opere: ipſe enim præter quàm, quod viva voce experimento comprobavi in publicis congreſsibus, paleſtriſque Litterarijs Vrbaniſsimum, & Modeſtiſsimum, in alijs ſcriptis in lucem editis, & præcipuè in hoc volumine talem ſe refert. (Secùs ac in aliquibus merito dolemus.). Suam ſiquidem mentem, (vel potius Angelicam) ita communit, & propugnat, vt adverſarios iniurijs, dicterijs, oprobrijs, vel cõtumelijs nec in minimo offendat. Si autem, teſtãte Spiritu Sancto: *Vbi fuerit ſuperbia, ibi erit contumelia*, vbi nulla eſt contumelia, nulla erit ſuperbia, ſed maxima humilitas; quid ergò mirum, quod in hoc opere ita ſplendeat Doctrina Angelici Præcept. ex eius Angelica mente mirincè ebibita, ſi in eius Authore miramur humilitatem Angelicam, in qua illa fundatur, perfectè hauſtam. Rectè ergò congruit Doctrinę huius operis, quod de Doctrina Angelici Magiſtri Eminent. Card. Caietan. aſſeruit: *Eſt enim hæc Doctrina* (ait) *ex abyſſo Sapientiæ ſalutaris hauſta, adeò profunda, vt doctiſsimus quiſque, & ſummo ingenio præditus, ad intima eius pervenire cupiens, videat ſemper ſibi immenſum quoddam pellagus ſubtilitatis reſtare, quo conari poſsit adeò lata, & abundans, vt nihil, quod ad fidei confirmationem, errorum confutationem, morumque ædificationem, & inſtructionem ſit neceſſarium, in ea deſiderari poſsit; ita vera, & ſolida, vt quiſquis in ea ſedulo ſe exercuerit, ab ea non declinans, omni careat erroris ſuſpitione.* Hoc eſt meum de hoc opere tale, quale indicium; vndè illud dignisſimum cenſeo, vt in lucem prodeat, in vniverſę Theologorum, & præcipuè Thomiſtarum Scholę vtilitatem, in publicum Scholaſticorum commodum, in Magiſtrorum Eruditionem, in denique totius Eccleſię Catholicę ſplendorem; immò vrgendum eſſe Sapientiſsimum Magiſtrum à ſuis Superioribus ad alia volumina evulganda, vt vniverſam Sapientiam, *ſine fictione didicit*, hoc eſt, vt explicat Card. Hugo: *Non ob aliud niſi amore ipſius quæſivit, & inveſtigavit; ſine fictione communicet*: Id eſt, vt prædictus Author interpretatur, illam exprimat *in Dei Gloriam, & proximi vtilitatem.* Sic, cenſeo. Salvo meliori. In hac Clericorum Minorum Matritenſi Domo Spiritus Sancti, die 16. Menſis Februarij Anno 1701.

Div. Thom. Prolog. ad Opuſcul. de Erud. Princ.

Proverb. 11. num. 2.

Epiſt. ad Vniverſit. Heydelverg. quę habetur, Initio 1. 2. Contr.

Hug. ſup. Sapient. 7. num. 13.

Gabriel Salinas
Clericorum Minorum.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS el Licenciado Don Alonſo Portillo, y Cardos, Dignidad de Chantre de la Igleſia Colegial de la Villa de Talabera, y Vicario de eſta Villa de Madrid, y ſu Partido, por la preſente, y por lo que à Nos toca, damos Licencia para que ſe pueda imprimir, è imprima el Libro, intitulado: *Tractatus de Fide Theologica*, compueſto por el Reverendiſsimo Padre Fray Franciſco Palanco, Lector Jubilado, y Calificador del Santo Oficio, del Orden de los Minimos de San Franciſco de Paula de eſta Corte; atento, por la Cenſura dada por el Reverendiſsimo Padre Maeſtro Gabriel de Salinas, de los Clerigos Menores de eſta Corte, conſta no tiene coſa que contradiga à Nueſtra Santa Fè Catolica, y buenas Coſtumbres. Fecho en Madrid, à veinte y dos de Febrero de mil ſetecientos y vno.

Lic. D. Alonſo Portillo y Cardos.

Por ſu mandado,

Juan Felipe de Lara.
Notario.

APPROBATIO ORDINIS.

OPUS de Fide Theologica, à R. P. Fr. Franciſco Palanco, noſtrę Minimitanę Familię iam Iubilato Lectore, nec non Supremi Fidei Senatus Cenſore, elaboratum, ex mandato. R. admodum P. N. Fr. Ioannis Laſſo, Iubilati Lectoris, Sanctę Inquiſitionis Qualificatoris, ac huius noſtrę Provincię Caſtellę Provincialis, attentè vidimus, & legimus, non tamen ſine accumine Doctrinę, omnibus in hoc opere perceptibilis perpendimus, ſicut antiquitatem Thomiſticam innovatam, & novitatem antiquitate non deſtitutam invenimus. Novè loquitur non nova: Quę aliena ſunt, nova luce facit propria: Vt ad impletum videatur, quod Tertulianus de Carthaginenſibus dixit: *Vetuſtate nobilis, novitate fœlix: Et ita fœlix, vt neque à novitate novator ordine, neque à vetuſtate veterator*: Quarè ſine nota contra fidem, ſanamque Doctrinam invenientes, dignum, vt in lucem prodeat iudicamus. Salvo meliori. In hoc noſtro Minimorum D. Marię Victricis Conventu. Die 1. Menſis Martij. Anni 1701.

Fr. Mathias de Burgos.
Lector Iub. Ex-Provincialis, & Supr. Inq. Cenſor.

Fr. Ioannes de Alarcòn.
Lector Iubil. & Colleg. Provinc.

FR. Ioannes Laſſo, Sacrę Theologię Lector Iubilatus, Supremi S. Inquiſitionis Senatus Cenſor, & in vtraque Caſtella Minimorum Provincialis, ex Commiſsione Rmi. P. N. Fr. Ioſeph Gaſch, Totiùs Noſtri Ordinis Generalis, &c.

Cum nobis conſtiterit per ſuprà latam Cenſuram: *Tractatum iſtum de Fide Theologica, in 2. 2. Div. Thom.* Nihil Catholicę fidei, aut bonis moribus continere adverſum, Facultatem impendimus, quantum ad Nos attinet, R. P. Fr. Franciſco Palanco, eius Auctori, vt ipſum typis mandare queat, ſervatis prius, quę de iure, & morè circa Librorum excuſionem ſervari debent. In quorum fidem præſentes Litteras manu noſtra ſubſcriptas, & Sygillo noſtro munitas dedimus, ac per infraſcriptum noſtrum in Officio Collegam, & Secretarium referendari iuſsimus. In hoc D. Marię de Victoria Matritenſi Conventu die 2. Martij Anno Dñi. 1701.

Fr. Ioannes Laſſo, Corrector Provincialis.

De mandato R. admodum P. N. Prov.

Fr. Petrus Eugenius de Camargo. Collega, & Secretarius.

SV-

ſUMA DE LA TASSA.

DON Tomàs de Suaço, y Areſti, Secretario del Rey nueſtro ſeñor, y ſu Eſcrivano de Camara, de los que reſiden en el Conſejo; certifico, que aviendoſe viſto por los Señores dèl, vn Libro, intitulado: *Tractatus de Fide Theologica, in 2. 2. Div. Thom.* compueſto por el P. Fr. Franciſco Palanco, Lector Jubilado, del Orden de los Minimos de San Franciſco de Paula, y Calificador de la Suprema, y de ſus Juntas Secretas, que con Licencia de dichos Señores hà ſido impreſſo, taſſaron à ſeis maravedis cada Pliego; y el dicho Libro, parece tiene ciento y ſeſenta y dos pliegos, ſin Principios, ni Tablas, que al reſpecto referido, montan novecientos y ſetenta y dos maravedis, y à eſte precio, y no mas, mandaron ſe venda el dicho Libro; y que eſta Certificacion ſe ponga al principio de cada uno. Y para que conſte, lo firme en Madrid à diez y ocho dias del Mes de Junio de mil ſetecientos y vn Años.

Don Tomàs de Suaço,
y Areſti.

ERRATA SIC CORRIGE.

FOL. 61. col. 2. lin. 49. animis, lege, animabus. Fol. 65. col. 1. antelin. 1. defficit: Propoſitum Divinumm eſt idem, ac Divinum Decretum: Sed per Decretum. Fol. 132. col. 1. lin. 23. quę, leg, quas. Fol. 136. col. 1. lin. 40. Iſta duo principia, lege, duę præmiſſę. Fol. 155. col. 1. lin. 11. illud, lege, illum. Fol. 210. col. 2. lin. 3. perſtrigijs, lege, præſtigijs. Fol. 214. col. 1. lin. 6. num. 80. lege, num. 91. Eodem, fol col. 2. lin. 22. erroneum, lege, erroneus. Eodem fol. & col. lin. 25. quod. lege, qui. Fol. 219. col. 1. lin. 6, in quo, lege, in quem. Fol. 220. col. 1. lin. 15. num. 91. lege, num. 111. Fol. 228. col. 2. lin. 36. ſurſum, lege, deorſum. Fol. 253. col. 1. lin. 51. certus, lege, certum. In eodem, fol. col. 2. lin. 2. privatum, lege, privatus. Fol. 260. col. 2. lin. 35. mobilis, lege, mobile. Fol. 263. col. 2. lin. 51. certum, lege, certus. Fol. 271. col. 1. lin. 55. difficilius, lege, difficilior. Fol. 272. col. 1. lin. 29. in quem, lege, in quod. Fol. 273. col. 1. lin. 34. illud, lege, illum. Fol. 277. col. 1. lin. 23. qui, lege, quod. Fol. 278. col. 1. lin. 35. agrum illud, lege, ager ille. Fol. 282. col. 1. lin. 5. Filijs, ac nepotibus, lege, Filios, ac nepotes. Fol. 292. col. 2. lin. 20. improbum, lege, in probum. Fol. 305. col. 2. lin. 45. ad aliqua Perſonis, lege, ad aliquas Perſonas. Fol. 327. col. 2. lin. 14. immediatè, lege, mediatè. Fol. 370. col. lin. 37. loquuntur, quę, lege, loquitur, quod. Eodem fol. & col. lin. 52. *dele*, eſt, poſt *Dei*. Eodem fol. col. 2. lin. 51. reſpectui, lege, reſpectu. Fol. 382. col. 2. lin. 9. motivus, lege, motibus. Fol. 383. col. 2. lin. 10. adeò, lege, à Deo. Fol. 385. col. 2. lin. 5. fater, lege, fateri. Fol. 388. col. 1. lin. 31. ſuſpiriate, lege, ſuſpiriate. Fol. 394. col. 1. lin. 12. promo do, lege, primo modo. Fol. 397. col. 2. lin. 7. inſeranda, & conſequenti illatio, lege, inferendi à conſequenti illato. Eodem fol. & col. lin. 30. conſequenti, lege, inconſequenti. Fol. 399. col. 1. lin. 44. pro, lege, per. Fol. 402. col. 1. lin. 8. convincit, lege, convinci. Fol. 472. col. 2. lin. 8. fidei, lege, fidei naturalis. Fol. 657. lin. 18. confuſcere, lege, confuſione.

Vide hunc Librum: *Tractatus de Fide Theologica*, editum à R. P. Fr. Franciſco Palanco, & his demptis mendis, ſuo exemplari reſpondet. Matriti die 17. Iunij, Anno de 1701.

Licenc. Don Joſeph del Rio.
Corrector General por ſu Mageſtad.

IN-

INDEX QUÆSTIONUM IN HOC OPERE.

DISPUTATO I.

De obiecto formali, & materiali fidei.

QUÆSTIO 1. An aliquid creatum ſit obiectum formale fidei Theologicę? fol. 2.

Quæſtio 2. Quodnam prædicatum Divinum ſit motivum formale fidei? fol. 12

Quæſt. 3. In quid ergò, & qualiter fiat reſolutio fidei? fol. 45.

Quæſt. 4. An revelatio privata ſit obiectum motivum fidei Theologicę? fol. 56.

Quæſt. 5. Cui motivo innitatur fides, qua credimus revelationes promiſſorias? fol. 63.

Quæſt. 6. An detur aſſenſus fidei attingens Myſteriú, & non revelationem? fol. 70.

Quæſt. 7. An revelatio virtualis ſit motivum formale fidei theologicę? fol. 74.

Quæſt. 8. An Divina revelatio ſit motivũ fidei Divinę, vt credita fide acquiſita? fol. 84.

Quæſtio 9. An revelatio, vt apparens, ſeù falſo exiſtimata, ſit ſufficiens motivum fidei Divinę? fol. 89.

Quæſt. 10. Quodnam ſit obiectum materiale primarium fidei Divinę, ſeù formale terminativum? fol. 113.

Quæſtio 11. An obiectum materiale fidei ſit aliquid complexum, & an vnum, vel plura? fol. 123.

Quæſt. 12. Vtrú materia fidei convenienter in Symbolo tradatur, & per Articulos, & an Articuli creverint ſucceſſu téporis? fo. 125.

Quæſt. 13. An inter veritates credendas detur aliquis ordo, & qualis? fol. 132.

Quæſt. 14. Quid comprehendat obiectum materiale fidei extenſivum? fol. 140.

Quæſtio 15. An omne verum poſsibile ſit revelabile? fol. 145.

DISPUTATIO II.

De omnimoda infallibilitate, & certitudine fidei Divinę.

Quæſt. 1. An Deus poſsit mentiri, ſeù falſum loqui per ſe, vel per alium? fol. 154.

Quæſt. 2. An Deus poſsit patrare miracula in confirmationem Doctrinę falſę? fol. 175.

Quæſt. 3. An Deus poſsit infũdere errorẽ, vel illũ ſpecialiter, & per ſe cauſare? fol. 194.

Quæſtio 4. An fidei Divinę poſsit ſubeſſe falſum? fol. 225.

Quæſtio 5. An fides certior ſit ſcientijs naturalibus? fol. 238.

Quæſt. 6. An fides, & opinio poſsint coherere in eodẽ intellectu circa idẽ obiectũ? f. 249.

DISPUTATIO III.

De regula viſibili fidei Theologicę.

Quæſtio 1. An ſit neceſſaria in Eccleſia regula viſibilis infallibilis credendorũ? fol. 261.

Quæſ. 2. An Scriptura Sacra ſit regula vniverſalis, & infallibilis fidei Divinę? fol. 263.

Quæſt. 3. An traditio ſit infallibilis regula fidei? fol. 267.

Quæſt. 4. An neceſſaria ſit regula viſibilis animata pro rebus fidei diſcernendis? fol. 270.

Quæſtio 5. An Eccleſia ſit regula viſibilis infallibilis verę fidei, & Religionis? fol. 276.

Quæſt. 6. An ſit evidenter credibile fide Divina hanc numero hominum Congregationem eſſe veram Chriſti Eccleſiam? f. 287.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. 7. An vnitas Eccleſię viſibilis vnum viſibile Caput in Terris requirat? fol. 290.

Quæſt. 8. An Suprema Poteſtas gubernativa totius Eccleſię, & diffinitiva rerum fidei ex Chriſti inſtitutione conveniat ſoli Petro, eiuſque Succeſſoribus? fol. 295.

Quæſt. 9. An de fidei ſit, Supremam Dignitatem Capitis Eccleſię reſidere in Romano Pontifice? fol. 300.

Qu. 10. An, & quo Iure cōveniat Eccleſię poteſtas electiva Supremi Paſtoris? fol. 304.

Qu. 11. An hæc propoſitio *Innocentius 12. eſt verus Papa*, ſit immediatè de fide? fol. 309.

Quæſt. 12. An Summus Pontifex ſit infallibilis in definiendis rebus fidei, & morum, & in quo hæc infallibilitas conſiſtat? fol. 329.

Quæſt. 13. An Papę Authoritas ſit ſuprà Cōcilium, & ab illo independes? fol. 337.

Quæſt. 14. An Concilium ſit regula infallibilis fidei? fol. 339.

Quæſtio 15. In quibus alijs Papa errare non poſſit? fol. 340.

DISPUTATIO IV.

De obſcuritate fidei Theologicę.

Quæſtio 1. An myſteria noſtrę fidei ſint evidenter credibilia? fol. 353.

Quæſt. 2. Quo pacto evidentia credibilitatis concilietur cum fide? fol. 393.

Quæſt. 3. An myſteria noſtrę fidei ex motivis credibilitatis ſint evidenter vera evidentia in atteſtante? fol. 364.

Quæſt. 4. Qualis ergò ſit credibilitas, & evidētia credibilitatis noſtrę fidei? fol. 383.

Quæſt. 5. An evidentia in atteſtante concilietur cum fide in eodem intellectu circa idem obiectum? fol. 389.

Quæſtio. 6. Vtrùm idem ab eodē poſſit eſſe ſimùl ſcitum, & creditum? fol. 425.

DISPUTATIO V.

De eſſentia fidei, ſubiecto, dependentia ipſius à voluntate, & alijs.

Quæſt. 1. Quid, & qualis ſit fides, & quo pacto poſſit definiri? fol. 451.

Quæſt. 2. An habitus fidei ſit practicus, vel ſpeculativus? fol. 458.

Quæſt. 3. Vtrùm fides ſit diſcurſiva, fol. 460.

Quæſt. 4. An fides Divina, ſeù Theologica ſit eſſentialiter ſupernaturalis? fol. 465.

Qu. 5. Vtrùm poſſit dari actus fidei acquiſitę, & naturalis ex motivo ſupernaturali? f. 472.

Qu. 6. Vtrùm apprehenſiones præcedētes actū fidei debeant eſſe ſupernaturales? f. 487.

Quæſt. 7. An ſpecies fidei deſervientes debeant eſſe ſupernaturales? fol. 491.

Quæſt. 8. An actus fidei Divinę ſit liber, & quo pacto? fol. 497.

Quæſt. 9. An ad credendum fide Divina requiratur pia affectio, motivorum conſideratio, & qualis? Imperium voluntatis, & quale? fol. 515.

Quæſt. 10. Quænam cognitio requiratur ad regulandam piam affectionem, & actum fidei? fol. 541.

Quæſt. 11. A quo principio eliciatur pia affectio, & cognitio illius regulativa, & qua ſeriè ordinentur actus intellectus, & voluntatis in generatione fidei? fol. 578.

Quæſt. 12. An actus fidei Theologicę poſſit eſſe pravus ex fine, aut imperari ex pravo motivo? fol. 586.

Quæſtio 13. An in hæreticis detur vera fides infuſa reſpectu Articulorum, quos credunt? fol. 613.

Quæſt. 14. Vtrùm in Dæmonibus, & damnatis reperiatur fides? fol. 626.

Quæſt. 15. Quid dicendum ſit de Angelis viatoribus, de primo homine in ſtatu innocētię, & de animabus Purgatorij? f. 631.

Quæſt. 16. An fides ſit neceſſaria ad ſalutem & qualiter? fol. 633.

AD

AD LECTOREM.

PRODIT iam in lucem, Benignè Lector, *Tractatus iſte de Fide Theologica*, ordine primus in 2.2.D.Thom.poſtquam diù ſub prælo ſudavit, licèt contra votum; prodit,inquam,grandiori, quàm optaveram,volumine; haud enim ignoro ſtudioſos plerumque terrere prolixas Diſputationes, eoque compendioſiùs optaveram, vno volumine,tres,de tribus virtutibus theologicis,cōplectere tractatus;ſed experiētia didici,quā ſit difficilè,poſt tot,in huiuſmodi ſcopū,ſcripta volumina, cōpēdio rem eādē tractare,niſi difficiliores diſſimulando nodos,& inſolutos prætereundo: Hāc autē notam, in primis,vitare cura fuit, eoque,ſi prolixitas offenderit, excuſabile erit. Præterquam, quod non ſemèl comperi,ſtudioſis moleſtiores eſſe diſſertationes minus digeſtas,etſi ſēſu fœcūdas,quā magis elucubatas; quia in illis magno ſtudio,& cōſideratione opus eſt ad ſenſum obſtruſum penetrandum, in his verò ſola lectione ſenſus adiſcitur: In illis ſolum magna proficiunt,& delectantur ingenia, in his, & magna,& media: In illis ſæpè offendit obſtruſa,& indigeſta Authoris licèt profunda conciſio, in his diſcurſus ſimùl cum lectione inoffēnſo pede decurrit: Hac igitur de cauſa, interdum prolixus videar legenti, ſed ſi non obſcurus,venia dignus ero, quam poſtulo.Eandem ſimiliter precor,ſi rigidus lector, non tam Doctrinę, & Diſputationis, quam Typographię, & Grammaticę leges obſervans,aliquos in his lapſus adverterit Sæpè enim,dùm mens introrſus rem dicendam conſiderat, minus accuratè concordandis caſibus, & generibus, verbis vè declinandis, attendit.Quod in ipſa etiam Typographica correctione, mihi ſæpè vſu veniſſe,non diffiteor; nam ab examine litterarum, ac verborum mens paulatim, ac ſine advertentia declinans ad ſenſum, plures præteribit litterarum, ac verborum lapſus incorrectos. Sed ſanè incuria iſta indigna prorſus eſt, vt à Viro docto,pungenti ſtylo, in faciem exprobretur; nam,vt M. P. Auguſt. *lib. 2. de Doct. Chriſt. cap.* 13. inquit: *Vtrùm inter homines, an inter hominibus dicatur, ad rerum non pertinet cognitorem: Vtrùm ignoſcere, producta tertia ſyllaba, vel correpta, dicatur, non multum curat, qui peccatis ſuis, Deum, vt ignoſcat,petit. Sed tamen eo magis inde offenduntur homines, quo infirmiores ſunt, & eo ſunt infirmiores, quo doctiores videri volunt, non rerum ſcientia, qua ædificamur, ſed ſignorum, qua non inflari omninò difficilè eſt.* Conſonat *in lib. 1. Confeſsion. cap. 18. & 19.* ſic exclamans: *Vide,Domine, Deus meus, & patienter, vt vides, vide, quomodo diligenter obſervent filij hominem pacta Litterarum, ac Syllabarum, à Prioribus locutoribus; & à te accepta æterna pacta perpetuæ ſalutis negligant, vt ſi quis ſine aſpiratione primæ litteræ* ominem *dixerit, magis diſpliceat hominibus, quam ſi contra tua præcepta hominem oderit cū ſit homo::: Horum ergò puer morum in limine iacebam miſer, vbi magis timebam Barbariſmum facere, quam cavebam, ſi facerem, ne non facientibus inviderem.* Adeò indignum exiſtimabat Auguſt. vel de his lapſibus erubeſcere, vel eos alteri exprobrare. Vndè cum Magno Gregor. *Epiſtol.ad Leand.in lib.Iob.*concludo: *Quæſo autem, vt huius Operis dicta percurrens, in his verborum folia non requiras; quia per Sacra Eloquia ab eorum tractatoribus infructoſæ loquacitatis levitas ſtudioſè cōpeſcitur,dum in Templo Dei,nemus plantari prohibetur, & cuncti proculdubio ſcimus, quia quotiens in folijs malè lætę ſegetis culmi proficiunt,minori plenitudine ſpicarum grana turgeſcunt. Vndè & ipſam artem loquendi,quàm magiſteria diſciplinæ exterioris inſinuant, ſervare deſpexi. Nam ſicut huius quoque Epiſtolæ tenor enunciat, non Metaciſmi colliſionem fugio, non Barbariſmi confuſionem devito, ſitus, motuſque præpoſitionum, caſuſque ſervare contemno.* Contemni ergò meretur, ſi quę in huiuſmodi lapſus Cenſoria Virga animadvertere tanquam indignum, & puerille non prætermiſſerit. Valè, & vt Secundum, quem iam paro,Tomum in 2.2.Div.Thom. promere quantociùs poſsim, ac valetudo deſit, Supremum Numen exora.

Digitized by Google

TRACTATUS
DE FIDE THEOLOGICA, IVXTA MIRAM ANG. PRÆCEPT. D. THOMÆ DOCTRINAM, EX 2. 2.
A QVÆST. 1.

1. COnſultò Ang. Præcept. Secundam Secundę exorſus eſt à Fidei Tractatu; cum enim in ea de virtutibus, & vitijs in particulari ſermonem inſtituat, & aliàs divina fides omnium virtutum baſis, & fundamentum ſit, ab illius explicatione meritò exordium ſumpſit. Sapiens Architectus à fundamento incipit, vt ad ſumma conſurgat. Hac ratione nos etiam morem Ang. Præcept. gerentes, fidei divinę Tractatum edere conamur. Sed quia teſte Ariſt. 1. *Poſt Text.* 20. dum de aliqua re eſt diſſerendum, oportet prius indagare, quo nomine propriè ſignificetur; ideò notandum eſt, quod hoc nomen *Fides*, plures patitur acceptiones. Primo enim, ſi ſumatur, prout attinet ad voluntatem, poteſt accipi dupliciter, ſcilicèt, prout idem ſignificat, ac fidelitatem in promiſsis, qua ratione ſolemus dicere, quod qui promittit, vel facit contractum, tenetur ſervare fidem, id eſt, fidelitatem: Et item prout idem ſignificat, ac fiduciam; fides enim, ſi derivetur à verbo *Fidere*, ſanè fiduciam ſignificat, quę eſt actus voluntatis; & in hoc ſenſu non ſemel accipitur in Scripturis Sacris nomen fidei, vt videre eſt in illo *Iacob.* 1. vbi dicitur oranti: *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans*, id eſt, in fiducia.

2. Secundo, prout pertinet ad intellectum hoc nomen *Fides* ſolet ſumi pro dictamine rationis, ſivè pro conſcientia, qua ratione dicere ſolemus, aliquem operari bona, vel mala fide, intelligendo bona, vel mala conſciencia; & ad hunc ſenſum Paul. *ad Rom.* 4. ait: *Quod non eſt ex fide peccatum eſt*; id eſt (exponit Interlinealis) quod eſt contra conſcientiam peccatum eſt. Sed in nulla ex his acceptionibus loquimur in præſenti de fide.

3. Vltimò igitur, accipitur fides pro aſſenſu intellectus, quo quis credit,

dit, quod non videt, innixus authoritate alterius dicentis, ſeû teſtificantis. Et fides hoc modo accepta dividitur in divinam, & humanam. Humana eſt, quæ nititur authoritate humana, ſeù dictis hominum. Divina eſt, quæ credit innitendo authoritate divina. Igitur in præſenti Tract. ſermo non eſt de fide humana, ſed de fide divina, in quo quidem quinque à nobis conſideranda ſunt, pro quibus quinque inſtituemus diſputationes. Prima, erit de obiecto, tam formali, quam materiali fidei. Secunda, de eius omnimoda infallibilitate, & certitudine. Tertia, de eius regula viſibili. Quarta, de eius obſcuritate. Quinta, de eius eſſentia, ſubiecto generatione, dependentiaque ab imperio voluntatis. Quibus ſolutis, hic noſter Tract. abſolutus manebit.

DISPUTATIO I.

DE OBIECTO FORMALI, ET MATERIALI FIDEI.

N. 1. *NE eadem repetamus, ſupponenda eſt doctrina generalis à nobis tradita in proœmialibus Logicæ, quæſt. 2. qua explicavimus, quid ſit obiectum, quotuplex, & qua ratione diſtinguantur obiectum materiale, & formale; ex illa enim doctrina apertè colligitur, quod obiectum materiale fidei erit, quod creditur ratione alterius; obiectum verò formale erit ratio formalis, qua omnia creduntur à fide.*

2. Quamvis verò ordine diſciplinæ prius de obiecto materiali, quam de formali, agendum videatur, nihilominus in præſenti Tractatu conſultius iudicavi præmittere quæſtiones de obiecto formali; nam obiectum formale in præſenti materia maximam lucem affert ad ea, quæ tam de obiecto materiali, quam de alijs in poſterum tractandis, infrà diſputanda veniunt. Rectè enim intellecto obiecto formali fidei, clarius elucebit, quodnam ſit obiectum materiale, quænam eſſentia, certitudo, & alia huiuſmodi pertenentia ad fidem. Obiectum autem formale fidei alij conſtituunt in prædicatis Divinis, alij in effectibus creatis, vt ergò ordinatè procedam, prius inquiro de effectibus creatis, & poſteà ſubiungam quæſtionem de prædicatis Divinis.

QUÆSTIO I.

An aliquid creatum ſit obiectum formale Fidei Theologicæ?

§. I.

Minus probabiles opiniones breviter oppugnantur.

1. DICO primo: *Fides divina in eo, quod credit, nititur motivo formali, ſivè ratione formali obiectiva, quę dicitur obiectum formale quo.* Eſt contra Guillermum *Tract. 2. de fide*, qui negavit fidei motivum formale credendi. Probatur facilè: Quia omnis facultas intellectus, ſivè actus eius ſpecificatur ab obiecto: Sed fides divina eſt habitus, vel actus intellectus: Ergò ſpecificatur ab obiecto. Sed non ab obiecto materiali ratione ſui; quia eſt contra rationem obiecti materialis ratione ſui ſpecificare actum, vel habitum: Ergò, vel ab obiecto formali ratione ſui, vel ab obiecto materiali ratione obiecti formalis: Ergò debet dari ratio formalis ex parte obiecti ſpecificativa fidei, quę ſit ratio formalis *ſub qua*, ſivè obiectum formale *quo*; nam aliàs obiectum ſub nulla ratione ſpecificaret fidem. Secundo: Quia qui credit fide divina aliquod myſterium, non credit ſine vllo motivo formali: Ergò nititur aliquo motivo, & ratione formali obiectiva. Probatur antecedens: Quia ſi nullo mo-

motivo crederet, omnino fatuè crederet; non enim poſſet reſpondere interroganti: *Cur credis tale Myſterium?* Sed neceſſario deberet obmuteſcere, cum nullum omninò haberet motivum credendi: Sed hoc dici non poteſt de fide divina: Ergò, qui credit fide divina aliquod myſterium, non credit ſine vllo motivo formali. Tertio: Quia ſi intellectus poſſet credere fide divina, quamvis nullum eſſet motivum, ex parte obiecti ad credendum, æquè poſſet credere quaternitatem Perſonarum in Deo, quàm Trinitatem; ſi enim abſque vllo motivo credendum eſt, ſufficeret nullum eſſe motivum ad credẽdum quaternitatem Perſonarum, vt illi aſſenſum præſtemus: Sed hoc dicere ridiculum eſſet: Ergò ad credendum fide divina neceſſarium eſt motivum formale ex parte obiecti. Hoc certè clariſsimum eſt.

2. Sed obijcies: Qui credit fide divina, nulla ducitur ratione ad credendum: Ergò nullo nititur motivo formali ex parte obiecti. Antecedens probatur: Quia omnia, quæ creduntur fide divina, & ipſa fides divina ſunt ſuprà omnem rationem, vt ſæpè aſſerunt PP. Sed quod eſt ſuprà omnem rationem, nulla nititur ratione, ſed omnem rationem prætervolat: Ergò cum quis credit fide divina, nulla ducitur ratione.

3. Sed hæc obiectio puro nititur æquivoco; hæc enim vox *ratio* æquivocè ſumitur, vel pro ratione, ac diſcurſu, qui propriè eſt actus rationis, id eſt, animæ rationalis, prout rationalis eſt, vel pro quacũque ratione formali, aut motivo ex parte obiecti, vt cuius obiecti movet, & ſpecificat potentiam. Dicimus ergò, quod qui credit fide divina, nulla ducitur ratione, id eſt, nulla ratiocinatione, aut diſcurſu humano, quia fides eſt ſuprà humanum diſcurſum, & omnes prætervolat ratiocinationes; attamen ex hoc minimè ſequitur, quod nulla ducatur ratione formali obiectiva movente intellectum ad credendum, ſed potius talis ratio formalis obiectiva neceſſaria eſt. Sicut dum intellectus aſſentitur primis principijs, illis non aſſentitur per ratiocinationem, aut diſcurſum; & nihilominus tamen hoc non obeſt, quod habeat rationem formalem obiectivam moventem ad aſſenſum, quæ eſt veritas intrinſeca, & immediata principiorum.

4. Dico ſecundo: *Ratio formalis, ſivè formale motivum fidei divinæ non eſt ipſe habitus fidei infuſus.* Eſt contra Molinam 1. *part. quæſt.* 1. *art.* 3. *diſp.* 2. etiam pro ea refertur Cano *lib.* 12. *de Locis, cap.* 3. *concluſ.* 2. & 3. Aragòn *in præſenti quæſt.* 1. *art.* 1. Bañez *ibidem dub.* 1. *concluſ.* 6. & *ad* 3. Sed, cuiuſcumque ſit incidit, in præcedentem impugnatam, quia verè non aſſignat rationem formalem obiectivam, nec motivum formale ex parte obiecti ad credendum. Quod ſic probo: Quia habitus fidei, cum ſe teneat ex parte intellectus, tanquam comprincipium ſubiectivum illius ad credendum, non poteſt eſſe motivum ex parte obiecti ad credendum, nec ratio formalis obiectiva: Sed hæc ſententia nullam aliam vltimam rationem credendi aſsignat, niſi habitum fidei: Ergò non aſsignat motivum, nec rationem formalem credendi.

5. Vndè ſic impugnatur: Quia illud eſt motivum, & ratio formalis credendi, quam reddere poſſum interroganti: *Cur credis?* Vel: *Quo motivo credis?* Sed huic interrogationi, non rectè reſpondendum eſt, dicendo, quia habeo habitum infuſum fidei: Ergò habitus infuſus fidei, non eſt ratio, nec motivum formale credendi. Minor probatur, primo: Quia interroganti: *Cur credis?* Minimè reſpondere poſſum per motivum, aut rationem, quam minimè cognoſco, nec attingo ex parte obiecti; aliàs redderem pro motivo rationem mihi prorſus ignotam: Sed cum credo Myſterium Incarnationis, v.g. non percipio, nec attingo ex parte obiecti habitum fidei, ſed habitus fidei ſe tenet ex parte principij credentis: Ergò minimè reſpondere poſſum: Quia habeo habitum fidei. Secundo: Quia ſi aliquis me interrogaret: *Cur amas Deum?* Non rectè reſponderem, quia habeo voluntatem; quia ille interrogabat de motivo amoris formali, & ex parte obiecti, & reſponſio eſſet per cauſam efficientem amoris: Sed ſimiliter, dum quis interrogat: *Cur credis hoc myſterium?* Rationem quærit obiectivam, & motivum formale, & habitus fidei tantum eſt cauſa efficiens credendi, ſivè actus fidei: Ergò inepta eſſet reſponſio per habitum fidei. Vndè ſicut in prima interrogatione reſpondere deberemus: *Quia Deus bonus eſt, & amabilis ſuper omnia*; ita in ſecunda dicere deberem: *Quia hoc Myſterium revelatum eſt*, vel aliud huiuſmodi.

6. Sed obijcies: Ratio formalis fidei eſt, quæ manifeſtat obiecta credenda: Sed habitus fidei manifeſtat obiecta credenda: Ergò eſt ratio formalis fidei. Minor probatur: Quia fides eſt lumen illuminans ſicut lumen lucernæ; vndè D. Petrus *Epiſt.* 1. *cap.* 1. inquit: *Cui benè facitis attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco*: Sed lumen lucernæ in caliginoſo loco manifeſtat viſui colores videndos: Ergò lumen fidei, vel habitus fidei manifeſtat intellectui obiecta credenda. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: Ratio formalis fidei eſt, quæ manifeſtat purè efficienter, & ex parte principij obiecta credenda, nego maiorem; quæ illa manifeſtat formaliter, & ex parte obiecti, concedo maiorem; & diſtincta minori eodem modo, nego conſequen-

Digitized by Google

tiam. Ad eius probationem, in primis dico, D. Petrum in illis verbis non loqui de habitu fidei, ſed de prophetico ſermone, ſivè quod idem eſt, de reuelatione Dei loquentis per Prophetas; vndè ait: *Habemus certiorem propheticum ſermonem, cui benè facitis attendentes tanquam lucernę lucenti*: Ergò iuxta D. Petrum, non habitus fidei, ſed reuelatio Dei facta per ſermonem propheticum eſt, tanquam lucerna lucens in caliginoſo loco, & conſequenter, quę illuminat obiecta credenda.

7. Deindè dico, quod duplex eſt lumen, aliud ex parte principij cognoſcentis, quod purè efficienter manifeſtat obiectum, quia producit notitiam ipſius, & ad illam efficienter concurrit; & hoc modo dicitur lumen naturale intellectus, & lumen glorię, & ſimiliter lumen fidei. Cæterum ſicut lumen naturale intellectus non eſt ratio formalis obiectiua, nec motiuum formale cognoſcendi, quia ſolum efficienter concurrit ad cognitionem; ita pariter habitus fidei reſpectu actus credendi. Aliud lumen eſt ex parte obiecti, & eſt ratio aliqua, vel motiuum, vi cuius obiectum, aliàs ignotum, & incertum, manifeſtatur, & redditur certum; hoc autem in fide debet eſſe authoritas dicentis, ſicut in fide humana authoritas narrantis aliquid, alias occultum, & incertum, illuminat noſtrum intellectum ex parte obiecti, illum certificando de re narrata; quò enim maior eſt authoritas narrantis, tantò magis certificat audientes. Sic igitur in fide diuina lumen obiectiuè manifeſtans myſteria, quę credimus, eſt authoritas Dei reuelantis.

8. Sed contra replicabis: Deus vt reuelans eſt obiectum formale fidei: Sed Deus reuelat medio lumine fidei: Ergò lumen, ſivè habitus fidei eſt eius obiectum formale. Reſpondeo, negando minorem, quia licèt Deus, conferendo habitum fidei, det nobis facultatem mente percipiendi, & credendi eius reuelationem, tamen reuelatio Dei eſt valdè diſtincta ab habitu fidei, quia locutio, ſivè reuelatio diuina, eſt, qua mouente, credimus; habitus verò fidei eſt principium ſubiectiuum, quo credimus, & percipimus reuelationem.

9. Sed iterum replicabis: Habitus fidei eſt id, quo myſterium redditur proximè credibile: Sed ratio formalis obiectiua fidei eſt, qua obiectum fidei redditur proximè credibile: Ergò. Diſtinguo maiorem: Habitus fidei eſt id, quo myſteriū redditur proximè credibile ex parte potentię, ſivè ex parte principij ad credēdum, concedo maiorem: ex parte obiecti credendi, nego maiorem, & diſtincta minori, eodem modo, nego conſequentiam: Quia dupliciter aliquid dicitur proximè credibile, vel quia illud ex parte obiecti nititur teſtimonio, & authoritate illud ſuadente; vel quia ex parte ſubiecti datur poteſtas proxima credendi. Secunda credibilitas ſe tenet ex parte potentię, & conſtituitur per habitum fidei, ſed minimè eſt ratio formalis obiectiua fidei; vndè quamuis aliquis habeat habitum fidei, ſi tamen aliquod myſterium non ſit authoritate diuina reuelatum, illud quidem erit credibile ex parte potentię, quia ex parte ipſius datur virtus ſufficiens ad credendum, ſed non erit credibile ex parte obiecti, quia nulla datur authoritas ſuadens tale myſterium, ac proinde deficit credibilitas formalis ex parte obiecti, quę tantum eſt ratio formalis obiectiua fidei.

10. Denique dices: Quamuis habitus fidei ſit lumen ex parte potentię, benè poteſt manifeſtare obiectum credendum ex parte obiecti, vel illud reddere obiectiuè credibile: Ergò ruunt dicta. Probatur antecedens: Quia plura animalia nocte inter denſiſsimas tenebras vident obiecta, quod aliter fieri non poteſt, niſi quia ſuis oculis, vel lumine oculorum ſuorum illuminant obiecta, & ea reddunt obiectiuè viſibilia: Et tamen lumen ſe tenet ex parte potentię videntis: Ergò pariter, quamuis habitus fidei ſit lumen ex parte potentię credentis, poteſt manifeſtare obiecta credenda ex parte obiecti, vel illa reddere obiectiuè credibilia. Reſpondeo, negando antecedens. Ad probationem dico, quod illa animalia ſuis oculis non illuminant formaliter obiecta, ſed ex proprijs oculis emittunt lucem vſque ad obiecta, quę quidem lux diffuſſa ab oculis, & recepta in obiectis, ea reddit obiectiuè viſibilia, & formaliter manifeſta, non quidem prout efficienter eſt ab oculis, ſed prout formaliter eſt in obiectis; hoc autem modo ſumpta illa lux, non ſe tenet ex parte oculorum, nec ex parte principij videntis, ſed adæquatè diſtinguitur ab illo, & tantummodo ſe tenet ex parte obiecti. Vndè nunquam ſaluatur, quod lux ipſa, quę ſe tenet ex parte principij, poſsit per ſe, & formaliter reddere obiecta manifeſta, & viſibilia, ac per conſequens habitus fidei, qui ſe tenet formaliter ex parte intellectus credentis, non poteſt conſtituere per ſe ipſum formaliter obiecta credibilia ex parte obiecti.

11. Sed replicabis: Ergò ſaltèm habitus fidei poterit emittere, & diffundere lucem à ſe diſtinctam in obiectis credendis, quę lux informet obiecta, & ea reddat formaliter credibilia. Reſpondeo primo, negando conſequentiam, quia habitus fidei nullam actionem, vel actum exercere poteſt, niſi ſupponendo ſuum obiectum, à quo ſpecificetur; cum autem ſpe-

ſpecificetur ab obiecto, vt proximè credibili, nullam actionem poteſt habere, quę non ſupponat obiectum proximè credibile, ac proinde nullo modo poteſt diffundere lucem, qua obiectum fiat proximè credibile; quia iam actio illa habitus, qua talem lucem efficienter cauſaret, non ſupponeret obiectum proximè credibile, immò nec eſſet actio intentionalis, aut vitalis, ſed purè phyſica, & tranſiens, quia purè efficeret lucem in obiecto credendo: Sicuti actio illa, qua oculi in tenebris communicant lucem obiecto, non eſt actio intentionalis viſiva, ſed actio phyſica tranſiens, quę convenit oculis ſub ratione corporis luminoſi, quę poteſt convenire lapidi ſplendido, ſivè alijs corporibus luminoſis. Hanc autem actionem phyſicam concedere habitui fidei pro priori ad actum intentionalem credendi omnino voluntarium eſſet, & abſque vllo fundamento.

12. Vel ſecundo omitto, quod habitus fidei diffundere poſsit in obiectis credendis aliquam lucem, qua informentur obiecta, vel diſtinguantur; nego tamen, quod per illam lucem participatam ab habitu fidei reddantur obiecta formaliter credibilia; quia ſolum talis lux poſsit conducere per modum conditionis, aut diſpoſitionis, non autem per modum rationis formalis ad credendum; & ratio eſt, quia illa lux eſſet creata, nihil autem creatum poteſt eſſe ratio formalis obiectiva fidei, ſed ad ſummum conditio, aut diſpoſitio ex parte obiecti, vt ſtatim dicam.

§. II.

Tertius modus dicendi.

13. EX dictis infero, falſam eſſe aliam ſententiam, quam refert Cardinalis de Lugo *in præſenti ſect. 2. num. 12.* & tuetur eam P. Granados *tract. 1. diſput. 5. ſect. 5.* in qua aſſerit, motivum formaliſsimum fidei, in quo vltimo reſolvitur fides, non eſſe divinam revelationem, ſed inſpirationem ſupernaturalem, vi cuius ita proponitur menti divina authoritas, & revelatio, vt intellectum determinet ad firmiter credendum; non quia authoritas Dei non ſit quid excellentius, quam inſpiratio ſupernaturalis, ſed quia ipſa divina authoritas ſe ſola non moveret ad fidem infuſam, niſi proponeretur intellectui per inſpirationem ſupernaturalem, ac proinde ad talem inſpirationem revocandus eſt noſter aſſenſus. Hanc ſententiam probat primo ex D. Thom. *in præſenti quæſt. 2. art. 9. ad 3.* vbi ſic ait: *Ille, qui credit, habet ſufficiens inductivum ad credendum, inducitur enim authoritate divinę doctrinę miraculis confirmatę, & quod plus eſt, interiori inſtinctu Dei invitantis*: Ergò interior inſtinctus Dei invitantis eſt motivum principalius, ad quod vltimo reſolvitur noſter fidei aſſenſus. Probat ſecundo ex *Scriptura, 1. enim Ioan. 5.* dicitur: *Qui credit in filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe*: Sed hoc teſtimonium aliud eſſe nequit, quam inſpiratio divina, quę teſtificatur, & teſtificando movet ad credendum: Ergò teſtimonium principaliter movens ad credendū eſt illa cœleſtis inſpiratio. Item Actor. cap. 4. *Vnctio docebit vos de omnibus*: Sed nomine vnctionis ſignificatur Spiritus Sancti interior motio, & illuſtratio: Ergò talis interior motio eſt quę movet, & determinat intellectum ad credenda myſteria.

14. Tertio ex PP. primo ex Auguſt. ſæpiſsimè aſſerente, quod nihil prodeſt ſermo, & prædicatio veritatis extrinſeca, niſi Deus intus loquatur menti, ſine ſtrepitu ſyllabarum: Sed huiuſmodi loquutio, qua Deus intus loquitur ſine ſtrepitu ſyllabarum, alia non eſt, quàm interior inſpiratio, ſivè motio: Ergò ad huiuſmodi inſpirationem vltimò reducendus eſt aſſenſus noſtrę fidei. Secundo ex Venerabili Beda ſic aiente ad illa verba Actor. citata: *Niſi Spiritus cordi adſit audientis, & niſi intus ſit, qui doceat, otioſus eſt ſermo Doctoris.* Quarto probat rationibus. Prima eſt: Quia quantumvis proponatur alicui divinum teſtimonium, & divina authoritas, ſi deſit illuſtratio interior Spiritus Sancti, aſſenſus præſtitus divino teſtimonio, non erit ſupernaturalis, nec fidei infuſę, ſed ad ſummum fidei naturalis, & acquiſitę: Et tamen erit propter divinam authoritatem, & revelationem: Ergò ſola divina authoritas, & revelatio non eſt ſufficiens motivum, & ſpecificativum fidei infuſę prout diſtinctę à fide acquiſita, ſed hoc habet ratione illuſtrationis Spiritus Sancti, & conſequenter huiuſmodi illuſtratio eſt ratio formaliſsima fidei.

15. Secunda ratio eſt: Quia omnis aſſenſus noſtri intellectus reſolvitur tanquam in formale motivum in aliquam apprehenſionem, vel iudicium præcedens in ipſo intellectu: Sed aſſenſus fidei, non poteſt reſolvi, nec fundari in aliquo iudicio præcedenti circa obiectum fidei; quia ille aſſenſus eſt veluti primum principium in ordine ſupernaturali: Ergò debet inniti in aliqua apprehenſione ipſius obiecti fidei: Non in apprehenſione naturali: Ergò in apprehenſione ſupernaturali, qua proponatur obiectum fidei, & vt infallibiliter credibile, & hæc eſt ratio formalis obiectiva fidei. Maior probatur: Quia omnis aſſenſus intellectus, vel eſt concluſio, & ſic reducitur in aſſenſum præmiſſarum; ideo enim quis aſſentitur concluſioni, quia aſ-

ſen-

Digitized by Google

ſentitur præmiſsis, ex quibus infertur: Vel eſt primum principium, & hoc reſolvitur in apprehenſionem terminorum, vi cuius intellectus determinatur ex ipſa apprehenſione terminorum ad aſſentiendum tali principio: Ergò omnis aſſenſus noſtri intellectus reducitur in præcedentem actum ipſius intellectus, tanquam in motivum formale.

16. Verumtamen prædicta opinio eſt etiam falſa, quod vt oſtendam. Suppono primo, nullum obiectum formale poſſe movere intellectum ad actum, quem ſpecificat, niſi exiſtat intentionaliter, & intentionaliter applicetur intellectui. Hoc patet evidenter: Quia nullum movens poteſt movere in actu, niſi applicetur ad movile: Ergò motivum formale non poteſt movere intentionaliter intellectum, niſi applicetur intellectui intentionaliter. Suppono ſecundo, hanc applicationem intentionalem fieri formaliter per apprehenſionem obiecti motivi; quia vi illius apprehẽſionis obiectum motivum fit intentionaliter præſens intellectui, ſivè illi repræſentatur. Suppono tertio, huiuſmodi apprehenſionem, ſivè applicationem obiecti motivi ad intellectum, non eſſe rationem formalem movendi, nec tribuere obiecto vim formaliter motivam ad aſſenſum, ſed tantummodo eſſe puram conditionem eſſentialiter requiſitam. Vide *Tract. de Provident. quæſt.* 10. *à num.* 89.

17. His igitur ſuppoſitis, dico: *Illuſtrationem internam Spiritus Sancti ſolum eſſe requiſitam ad fidem per modum conditionis, non verò per modum rationis, vel motivi formalis credendi.* Probatur primo ex præſuppoſitis: Quia talis illuſtratio interior Spiritus Sancti in alio non conſiſtit, quam in apprehenſione ſupernaturali divinę authoritatis revelantis, vi cuius talis authoritas proponitur, vt movens ad credendum: Sed talis apprehenſio ſolum requiritur per modum conditionis, vt divina authoritas moveat intellectum: Ergò prædicta illuſtratio ſolum requiritur per modum conditionis. Maior conceditur ab ipſo Granados *ſect. vltima num.* 51. nec eſt aliud, in quo prædicta illuſtratio conſiſtere poſsit. Minor verò probatur, primo: Quia apprehenſio boni præcedens amorem illius non eſt ratio formalis movens voluntatem ad amandum, ſed tantummodo eſt conditio requiſita, vt bonitas apprehenſa moveat voluntatem, vt cõmuniter fatentur Philoſophi: Ergò pariter apprehenſio primę veritatis revelantis non eſt ratio formalis movens ad aſſenſum fidei, ſed tantum conditio eſſentialis, vt prima veritas apprehenſa moveat. Conſequentia patet à paritate: Quia ſicut obiectum voluntatis eſt bonitas; ita obiectum fidei eſt prima veritas revelans; & ſicut apprehenſio boni tantum intentionaliter applicat bonitatem, & illam facit intentionaliter præſentem voluntati; ita apprehenſio primę veritatis revelantis tantummodo illam applicat, & facit intentionaliter præſentem intellectui informato habitu fidei: Ergò apprehenſio vtrobique eſt pura conditio.

18. Secundo: Quia in fide naturali apprehenſio naturalis authoritatis humanę teſtificantis ſe habet vt pura conditio: Ergò in fide ſupernaturali apprehenſio authoritatis ſupernaturalis divinę teſtificantis ſe habet vt pura cõditio. Antecedens videtur certum: Quia cum apprehendo hominem fidedignum aliquid teſtificantem, non me movet ad credẽdum apprehenſio, qua illum fidedignum apprehendo, ſed illius authoritas, qua ipſe in ſe fidedignus eſt, licèt requiratur per modum conditionis, & applicationis, me apprehendere eius authoritatem, vt talis authoritas me moveat. Vndè interroganti: *Cur credis Auguſtino?* Innepta eſſet reſponſio, ſi dicerem, quia illum apprehendo cum magna authoritate, ſeù quia habet in mea apprehenſione magnam authoritatem; ſed neceſſario deberem reſpondere: Quia in ſe ipſo magna authoritate gaudet, & propter eius re vera magnam authoritatem, quam in ipſo apprehendo, & non propter meam apprehenſionem illi credo: Ergò mea apprehenſio non eſt, quę per modum rationis formalis movet ad credendum, ſed authoritas apprehenſa.

19. Tertio probo aſſumptum: Quia ſi ratio formalis, in quam vltimo reduceretur aſſenſus fidei, & quę præcipuè moveret ad ipſam, eſſet apprehenſio illa ſupernaturalis à Deo immiſſa, Catholicus, dum credit divina fide, potius præberet fidem, & aſſenſum ſuę apprehenſioni ſupernaturali, & potius illi crederet, quam authoritati divinę: Sed hoc eſt abſurdiſsimum, quia aliàs ſuam apprehenſionem reputaret, vt magis fidedignam, & credibilem, quam authoritatem divinam, quod eſt proprium hæreticorum, quodque nec ipſi de ſe ipſis fatentur: Ergò apprehenſio illa, quantumvis ſupernaturalis, non eſt ratio formalis ad credendum. Maior probatur: Quia illi rationi magis credit intellectus, à qua magis movetur, & cui magis nititur ad aſſenſum: Sed ſi ratio formalis, in quam vltimo reducitur fides, tanquam in præcipuum motivum, eſt illa apprehenſio, neceſſario dicendum eſt, quod intellectus magis movetur, & magis nititur ad credendum illi apprehenſioni, quam authoritati divinę: Ergò. Confirmatur: Si aſſenſus fidei vltimò reſolvitur in illam apprehenſionem ſupernaturalem, non credimus authoritati divinę propter ſe ipſam ſiſtendo in ipſa

tam

tanquam in vltimo termino reſolutionis, ſed credimus illi propter illuſtrationem ſupernaturalem, vi cuius proponitur, & apprehenditur vt credibilis: Sed propter quod vnumquodque tale, & illud magis: Ergò magis credo propter illam apprehenſionem ſupernaturalem, quam propter authoritatem divinam in ſe ipſam: Ergò magis fido meę apprehenſioni, quàm authoritati divinę; quo quid abſurdius?

20. Quarto probo aſſumptum: Quia ſi illa illuſtratio, vel apprehenſio, prout à Deo eſſet ratio formalis fidei, Deus ſub munere auxiliantis potius, quàm ſub munere revelantis eſſet obiectum formale motivum fidei: Sed hoc eſt falſum, & contra communem ſententiam Theologorum: Ergò, & illud, ex quo ſequitur. Minor patet: Quia communis ſententia Theologorum diſtinguit obiectum formale motivum ſpei à motivo formali fidei, aitque motivum formale ſpei eſſe Deum ſub munere auxiliantis, fidei verò ſub munere revelantis: Ergò. Maior verò probatur: Quia illa illuſtratio, ſeù apprehenſio ſupernaturalis, non eſt à Deo ſub munere revelantis, ſed ſub munere auxiliantis, cum ſit auxilium actuale ad credendum: Ergò ſi illa illuſtratio eſſet vltima ratio formalis fidei, in quam vltimo reſolveretur eius aſſenſus, Deus potius ſub munere auxiliantis, quam ſub munere revelantis eſſet ratio formalis motiva fidei.

21. Quinto probatur aſſumptum: Quia ex prædicta ſententia ſequeretur noſtram fidem, non eſſe catholicam, & vniverſalem, ſed privatam, & particularem: Hoc eſt contra ipſam fidem catholicam: Ergò & prædicta ſententia ſubſtineri non poteſt. Sequela probatur: Nam fides catholica eſt vniverſalis, & quę vltimò reſolvitur in motivum catholicum, & vniverſale, & cuius ratio formalis motiva eſt vnica pro omnibus fidelibus, publicèque propoſita toti Eccleſię; fides verò privata eſt, cuius ratio formalis motiva, in quam vltimò reſolvitur, eſt privata, & particularis cuicumque credenti, non eſt autem motivum vniverſale propoſitum publicè omni fideli ad credendum, vt per ſe patet: Ergò ſi talis illuſtratio eſſet ratio formalis vltimò motiva ad credendum, in quam vltimò reſolveretur aſſenſus fidei, fides, qua credimus, non eſſet catholica, & vniverſalis, ſed privata, & particularis.

22. Ex quo inferes rectè Suarium in præſenti dixiſſe, prædictam ſententiam aperire hæreticis viam, aſsignantibus pro regula vltima, & formaliſsima fidei inſtinctum interiorem cuiuslibet, occultamque Spiritus Sancti inſpirationem. Nec ſatisfacit Lugo reſpondens AA. prædictę ſententię valdè diſtare ab hæreticis; quia hæretici negant regulam viſibilem fidei, & ſola illa regula inviſibili inſpirationis occultę contenti ſunt. At verò prædicti AA. non negant regulas externas, & viſibiles fidei, ſed potius eas ſupponunt, & aiunt, per internam illuſtrationem ipſas proponi, vt infallibiliter credendas.

23. Contra enim eſt: Quia etiam hæretici admittunt aliquas regulas viſibiles fidei, ſcilicèt, Scripturas Sacras; & eorum error in eo ſtat, quod velint tales regulas viſibiles, & externas reſolvere ad illuſtrationem tanquam ad regulam vltimam, & formaliſsimum motivum credendi, in quod vltimo ſiſtunt: Sed quamvis Granados, & AA. prædictę ſententię admittant regulas viſibiles, & externas fidei, vt Scripturam, & Supremum Caput Eccleſię, ſcilicèt, Summum Pontificem; hæc tamen vltimo reſolvunt in occultam inſpirationem, & interiorem inſtinctum Spiritus Sancti; quia ideò aſſerunt, nos credere Scripturis, & Eccleſię, quia hæc omnia nobis proponuntur occulto inſtinctu Dei, vt infallibiliter credibilia, & hunc occultum inſtinctum eſſe primarium motivum, in quo ſiſtit tota reſolutio fidei: Ergò prædicti AA. refellendi ſunt, ne aperiatur via errori hæreticorum. Vndè certò tenendum eſt, motivum formale noſtrę fidei tantum eſſe aliquid publicè propoſitum in Eccleſia omnibus fidelibus pro motivo, & ratione credendi, ſcilicèt, divinam authoritatem, vel Dei teſtimonium, aut aliud huiuſmodi, vt hoc pacto fides noſtra verè dicatur catholica, & vniverſalis, vnicaque in tota Eccleſia iuxta illud: *Vnum Baptiſma, &, vna fides*, quod egrè ſalvatur, niſi catholici omnem ſuam fidem vltimò reſolvant in vnum, & idem motivum formale omnibus catholicis commune; nam ſi vnuſquiſque ſuam fidem reſolvit tanquam ad præcipuum motivum ad ſuum occultum inſtinctum, & latentem inſpirationem; certè fides vniuſcuiuſque privata, & particularis erit, & non catholica pari titulo, ac fides hæreticorum.

24. Ad argumenta igitur, quibus P. Granados ſuam probat ſententiam, facile reſpondeo: Ad primum enim deſumptum ex D. Thom. dico, quod inductivum ad credendum latius patet, quàm motivum formale credendi, præceptum enim, miracula, propoſitio Eccleſię, & omnia motiva credibilitatis ſunt inductivum ad credendum, vi quorum excluditur levitas animi ad credendum, ſed tamen non ſunt motiva formalia credendi; & huiuſmodi eſt interior inſtinctus Spiritus Sancti, ex eo enim, quod quiſque ſentit ſe excitatum interius modo quodam præternaturali ad credendum, inducitur tãquam ex motivo credibilitatis ad prudenter credendum, vel ſi mavis tanquam ex evidentia cre-

di-

dibilitatis,quia illa illuſtratio interior ſæpè conſtituit evidentiam internam credibilitatis obiecti, vt infra dicemus. Licèt igitur D. Thom. aſſerat, inſtinctum Dei invitantis eſſe inductivum ad credendum, minimè ſequitur eſſe motivum formale fidei.

25. Ad ſecundum ex Scriptura, dico, quod vt aliquis habeat teſtimonium Dei in ſe. duo requiruntur. Primum, quod teſtimonium Dei ſit phyſicè, & realiter ex parte ipſius Dei. Secundum, quod applicetur intentionaliter ipſi credenti; igitur teſtimonium, quod quiſque credens habet in ſe, eſt illud teſtimonium, quod publicè proponitur in Eccleſia ad credendum, quod credens habet in ſe obiectivè, vt inquit Suarius, media fide, vel illuſtratione ſupernaturali, vt cuius illud teſtimonium ſit præſens obiectivè ipſi credenti. Vbi iam vides, illam illuſtrationem non eſſe propriè loquendo illud teſtimonium Dei, quod eſt motivum fidei catholicę, ſed tantummodo applicationem intentionalem illius, vi cuius tale teſtimonium eſt obiectivè in ipſo credente.

26. Ad illud de Actibus Apoſt. dico, quod ſi nomine *vnctionis* intelligatur præeisè illuſtratio, & motio Spiritus Sancti per modum auxiliantis, tantummodo docet applicativè intellectum myſteria fidei, vel applicando phyſicè intellectum, & voluntatem ad credendum, vel propriùs applicãdo obiectum formale fidei, ſcilicèt,divinum teſtimonium, menti, vt obiectivè moveat ad credendum; minimè autem docet per modum loquentis, & revelantis formaliter, quia hoc vnicè fit per revelationem,& loquutionem divinam, ſivè à Deo ſub munere revelantis.

27. Ad probationem ex PP. eodem modo reſpondeo, quod Auguſt. & alij PP. ſolum intendunt præter prædicationem extrinſecam, & externam propoſitionem Evangelij, ſivè divinę revelationis requiri ad credendum motionem internam Dei moventis ad credendum; veruntamen, non docent, talem motionem eſſe motivum formale credentis, nec obiectum formale fidei, ſed ſufficit, quod ſit conditio, vel cauſalitas phyſica ex parte Dei, qua Deus phyſicè moveat mentem humanam ad credendum. Nec obſtat, quod illa motio interior dicatur divina, & loquutio Dei, quia hoc ſufficientiſsimè intelligitur, primò applicativè, quatenus per illam illuſtrationem internam nobis intimè applicat, & proponit revelationes publiceè in Eccleſia propoſitas; vel effectivè phyſicè, quatenus phyſicè efficit, voluntatem applicare mentem ad credendum, qua ratione *Tractat. de Provident. quæſt.10.nu.92.* dixi vocationẽ Dei ad animam, & eius loquutionem poſſe intelligi in ſenſu phyſico.

28. Ad rationes pariter reſpondeo. Ad primam omiſſa maiori,nego minorem; quia implicat fides purè naturalis, & acquiſita, quę ſit propter authoritatem divinam re ipſa moventem ad aſſenſum. Vndè ille aſſenſus tantummodo apparenter erit propter authoritatem divinam, re ipſa tamen erit propter aliud motivum creatum, vt infrà dicemus oſtendentes fidem in hæretico, etiam circa veros articulos, quos credit, non moveri ex divino tęſtimonio.

29. Ad ſecundam rationem, nego maiorem. Ad probationem dico, quod motivum formale ad aſſentiendum concluſioni,non eſt aſſenſus ipſe præmiſſarũ,ſed veritas obiectiva præmiſſarum,nec motivũ formale ad aſſenſum principiorum eſt ipſa apprehenſio formalis terminorum, ſed ipſa connexio intrinſeca obiectiva, & immediata terminorum; connexio enim obiectiva terminorum applicata intentionaliter intellectui per apprehenſionem eſt motivum formale, & ratio formalis ex parte obiecti aſſentiendi tali principio, apprehenſio verò tantummodo ſe habet per modum applicationis motivi ad movile;& ſimiliter motivũ formale ad aſſentiendum concluſioni eſt veritas obiectiva præmiſſarum,vt obiectivè cum concluſione connexa aſſenſus formalis præmiſſarum tantum ſe habet applicativè. Vndè ex his ſequitur, apprehenſionem illam ſupernaturalem tantum applicativè movere ad fidem, applicando,ſcilicèt,motivum formale fidei ad intellectum.

30. Sed replicat Granados: Quia id, quod eſt pura conditio,& applicatio obiecti motivi, non variat ſpeciem actus: Sed ſæpè apprehenſio obiecti motivi variat ſpeciem actus; vndè revelatio divina apprehenſa apprehenſione naturali ſolum movet ad aſſenſum naturalem, & apprehenſa apprehenſione ſupernaturali ſolum movet ad aſſenſum ſupernaturalem. Et item ſæpè veritas ſic apprehenſa movet ad aſſenſum, & aliter apprehenſa non movet: Ergò apprehenſio non ſe habet per modum purę conditionis, & applicationis.

31. Reſpondeo, diſtinguendo minorem: Apprehenſio obiecti variat ſpeciem actus, ratione ſui, nego minorem: Quia proponit ex parte obiecti diverſam rationem motivam, vel obiectum ſub diverſa ratione formali obiectiva, concedo minorem: Nunquam enim contingit varietas ſpecifica in movendo ex diverſa apprehenſione, niſi quia talis apprehenſio repræſentat ex parte obiecti diſtinctam rationem formalem motivam, vel obiectum ſub diſtincta ratione. Sicuti nunquam contingit, quod ex di-

diverſa apprehenſione reſultet actus ſpecie diſtinctus in voluntate, niſi quia talis apprehenſio tantummodo ſe habens per modum conditionis repræſentat in obiecto diſtinctam bonitatem, vel amabilitatem; actus enim tam intellectus, quam voluntatis ſemper ſpecificantur ab obiectis, & minimè ſpecie diſtinguuntur, niſi ex diverſa ratione formali obiectivè propoſita, vel apprehenſa; vndè cum veritas ſic apprehenſa movet, & aliter apprehenſa non movet, non ideò eſt, quia apprehenſio ipſa ſit virtus motiva, aut ratio formalis movendi, ſed quia repræſentat obiectum ſecundum aliquam rationem magis motivam: ſicuti cultelus ſic applicatus ſecat, & aliter applicatus non ſecat, non quia applicatio ſit virtus, aut ratio formalis ſecandi, ſed quia quando ſecat applicatur ſecundum acumen ad ſcindendum, & quando non ſecat applicatur ex alia parte non ita acuta.

§. III.

Reijcitur quartus modus dicendi.

32. DIco quarto: *Veritatem intrinſecam myſterij revelati non eſſe motivum formale fidei, revelatione ſe habente tantummodo vt pura conditione.* Hæc ſententia tribuitur Scoto *in 1. diſt. 21. art. 3.* Sed non minus, immò magis recedit à veritate, quā præcedētes: Quia omnes Theologi, & Philoſophi definiunt fidem, ſivè humanam, ſivè divinam per hoc, quod ſit aſſenſus nitens teſtimonio dicentis, & propter authoritatem dicentis: Sed id, propter quod quis aſſentitur, & quo nititur ad aſſentiendum, non eſt pura conditio, ſed motivum, & ratio formalis: Ergò eſt contra communem Theologorum, & Philoſophorum ſententiam dicere, quod teſtimonium dicentis ſit tantummodo conditio ad credendum. Explicatur: In definitione fidei potius debet fides explicari per eius motivum formale, quàm per puram conditionem, immò tacito motivo formali, & ſolum declarata conditione, minimè explicaretur eſſentia ſpecifica fidei: Sed omnes definiunt fidem per hoc, quod ſit propter teſtimonium dicentis, & nemo per hoc quod ſit propter veritatem intrinſecam obiecti crediti: Ergò ſignum evidens eſt, quod veritas intrinſeca non eſt obiectum formale motivum fidei, benè verò teſtimonium dicentis.

33. Secundo: Quia ſi veritas intrinſeca cuiuslibet myſterij eſſet motivum formale fidei, quodlibet myſterium crederetur fide ſpecie diſtincta à fide, qua crederetur aliud myſterium: Sed hoc eſt falſum, quia vnica fide in ſpecie creduntur omnia myſteria: Ergò. Maior probatur: Quia veritas intrinſeca cuiuslibet myſterij, ſicut & ipſum myſterium, eſt ſpecie diſtincta à veritate alterius myſterij: Sed vbicumque adeſt motivum ſpecie diſtinctum credendi, debet fides eſſe diverſa: Ergò. Tertio: Quia fides non eſſet Theologica, quod ſic probatur: Quia fides ideò dicitur Theologica, quia eſt circa Deum immediatè, ſivè quia habet aliquid divinum pro obiecto motivo, & formali: Sed veritas intrinſeca myſteriorum ſæpè eſt quid creatum, vt patet in omnibus myſterijs creatis: Ergò fides, qua talia myſteria crederentur, non eſſet Theologica.

34. Quarto: Quia veritas intrinſeca alicuius obiecti eſt motivum aſſentiendi illi obiecto, quando ſe ipſa, & ex terminis apparet potius vera, quam falſa: Sed myſteria noſtræ fidei, v. g. myſterium Sanctiſsimæ Trinitatis ſe ipſo non apparet potius verum, quam falſum, cum ſe ipſo ſit nobis prorſus ignotum, ſecluſa divina revelatione: Ergò veritas intrinſeca myſterij non eſt motivum formale aſſentiendi. Nec valet dicere, quod licèt veritas myſterij non appareat ex terminis vera, tamen hoc ſuppletur vi auxilij divini moventis ad aſſenſum. Non inquam valet; quia hoc eſt adſtruere pro motivo fidei Deum ſub munere auxiliantis, quod iam impugnatum reliquimus. Tum quia Deus ſuo auxilio movere non poteſt intellectum, vt aſſenſum præbeat obiecto, quod non proponitur, vt verum, nec verum apparet; quia ex terminis repugnat, intellectum aſſentiri, niſi ſub ratione veri: Sed myſterium ratione ſui non apparet verum potius quam falſum: Ergò auxilium divinum movere non poteſt intellectum, vt aſſentiat myſterio ratione ſui.

35. Ex quo quinto probatur aſſumptum: Quia quod præſtat obiecto veritatem, & reddit myſterium verum, non ſe habet per modum conditionis puræ ad aſſentiendum myſterio, ſed per modum rationis formalis; veritas enim in obiecto intellectus nunquam ſe habet per modum conditionis, ſed per modum rationis formalis, vt omnibus eſt manifeſtum, cum *verum* ſit ratio formalis obiectiva in omni actu intellectus: Sed teſtimonium divinum ratione ſuæ veritatis reddit myſterium infallibiliter verum, ſicut teſtimonium humanum reddit rem teſtificatam probabiliter veram; vndè videmus, quod quanto maioris authoritatis eſt teſtimonium dicentis, tanto reddit rem teſtificatam magis certam, & veram veritate extrinſeca teſtificantis: Ergò tale teſtimonium non eſt pura conditio, ſed ratio formalis aſſentiendi tali myſterio.

36. Sed dices: Non eſt contra rationem fidei credere aliquod obiectum propter veritatem intrinſecam: Ergò veritas intrinſeca poteſt eſſe obiectum formale fidei. Probatur antecedens: Quia fides, non ſolum credit myſteria ſignate revelata, ſed etiam credit ipſum teſtimonium Dei, ipſamque revelationem: Sed credit ipſam revelationem propter eius veritatem intrinſecam: Ergò. Minor probatur: Quia ipſa revelatio non creditur propter aliam revelationem ſibi extrinſecam: Ergò creditur propter ſe: Ergò propter veritatem intrinſecam. Reſpondeo, diſtinguendo antecedens: Non eſt contra rationen fidei eredere aliquod obiectum propter veritatem intrinſecam in eſſendo, nego antecedens: Propter veritatem intrinſecam in teſtificando, vel in dicendo, concedo antecedens. Ad cuius probationem dico, quod divina revelatio poteſt conſiderari, vt vera in eſſendo, hoc eſt verè exiſtens, vel vt vera in dicendo, ſivè vt verè revelans. Vtraque veritas eſt intrinſeca revelationi; veruntamen vtraque veritas, non eſt motivum formale credendi ipſam, ſed ſola veritas in dicendo, & in revelando, & propter hanc creditur eius veritas in eſſendo; quia ſicut alia à ſe diſtincta veriſsimè revelat ſignate, ita ſe ipſam revelat exercite; & ſicut cæteris eſt ratio formalis, vt credantur, ita ſibi ipſi, vt infrà magis explicabimus. Ex hoc tamen minimè infertur, myſteria fidei à revelatione diſtincta eſſe credibilia propter ſui veritatem intrinſecam; quia cum non habeant veritatem intrinſecam in dicendo, ſed tantum in eſſendo, carent veritate intrinſeca, quę poſsit movere fidem; quia hæc ſola eſt veritas in dicendo, non verò in eſſendo.

§. IV.

Quintus modus dicendi.

37. QUINTUS modus dicendi vltimò reſolvit fidem in authoritatem humanam Eccleſię omnia alia authoritate humana maiorem; quia videlicèt, licèt credamus myſterium fidei propter divinum teſtimonium, tamen eredere non poſſumus (dicit hæc ſententia) adeſſe divinum teſtimonium de myſterio *Incarnationis*, v. g. niſi quia Eccleſia ſumma authoritate humana id teſtificat; & ideò aſſerit, authoritatem humanam totius Eccleſię, & authoritatem divini teſtimonij ingredi partialiter ad motivum formale fidei. Hanc ſententiam refert Cardinalis de Lugo in præſenti *num.* 51. & pro ea citat Scotum, Durandum, Ocamum, Medinam, Gabrielem Vazquez, & alios Modernos. Sed quorumcumque ſit hæc ſententia, contra illam.

38. Dico quinto: *Nulla authoritas humana quantumvis totius Eccleſię eſt motivum partiale noſtrę fidei.* Probatur primo ex Scriptura Sacra: Nam 1. Paul. ad Corinth. 2. ait: *Prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanę ſapientię verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis, vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.* Item Mathæi 16. ait Chriſtus Petro: *Caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in Cælis.* Quibus verbis, tam Chriſtus, quam Apoſtol. excludunt à motivo fidei, Chriſtus revelationem carnis, & ſanguinis, Apoſt. humanę ſapientię verba: Sed omne teſtimonium humanum, in quantum humanum, quantumvis gravis authoritatis ſit, non excedit limites verbi humanę ſapientię, nec revelationem carnis, & ſanguinis: Ergò eſt contra Sacrum Textum ponere pro motivo fidei divinę teſtimonium humanum adhùc partialiter. Secundo ex Paul. 1. *ad Theſſalonicenſ. cap.* 2. Sic aiente: *Gratias agimus Deo ſine intermiſsione: quoniam cum accepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud, non vt verbum hominum, ſed ſicut eſt verè verbum Dei:* Sed ſi ad credendum moveret partialiter teſtimonium humanum, fides, non ſolum acciperetur ex verbo Dei, ſed etiam ex verbo hominum, & teſtimonium adæquatum movens ad credendum, non ſolum eſſet verbum Dei, ſed etiam verbum hominum: Ergò falſo excluderet Apoſtol. à motivo credendi verbum hominum, relinquendo præcisè verbum Dei.

39. Ex quo patet, inſufficientem eſſe, & nō cohærentē Sacro Textui ſolutionē, qua prædicta verba conatur enervare Card. de Lugo, dicens, ex illis tantum inferri authoritatem divinam eſſe motivum fidei divinę, qua credimus myſteria revelata; non autem excludi, quod teſtimonium humanum ſit motivum credendi Deum ea revelaſſe, & conſequenter motivum partiale fidei. Patet inquam: Quia prædictis verbis Sacri Textus, non ſolum adſtruitur pro motivo credendi divinum teſtimonium, & verbum Dei, ſed expreſsè excluditur teſtimonium carnis, & ſanguinis, & verbum hominum: Sed ſi verbum hominum, & teſtimonium humanum eſſet motivum formale credendi Deum revelaſſe myſteria, & exindè motivum partiale fidei; falsò excluderet teſtimonium humanum, ſed potius deberet includi, quia ſine illo nō explicaretur adæquatè motivum formale credendi: Ergò prædicta expoſitio eſt contra Sacrum Textum.

40. Deinde rationibus impugnatur prædictus modus dicendi: Quia ex illo ſequitur,

noſtram fidem non eſſe theologicam, nec divinam potius quam humanam, ſed çquè humanam,ac divinam. Quod ſic probatur: Quia fides accipit ſpeciem, & appellationem à motivo, cui innititur, hucuſque enim fides, quę nititur teſtimonio humano, dicitur humana, & quę nititur teſtimonio divino, divina: Ergò ſi noſtra fides catholica niteretur partim teſtimonio divino, partimque humano, eſſet partim divina, partimque humana, immò potius humana,quam divina. Tum,quia iuxta AA. quos impugnamus,aſſenſus,quo credimus myſterium revelatum eſt veluti concluſio deducta ex his duabus præmiſsis: Quidquid Deus teſtificat eſt verum: Sed Deus teſtificat myſterium Incarnationis: Ergò myſterium Incarnationis eſt verum. Vbi minor nititur teſtimonio humano iuxta ipſos; quia ad credendum Deum teſtificaiſſe,vel revelaiſſe myſterium,nō aſsignant aliud motivum,niſi authoritatem humanam: Sed concluſio ſemper ſequitur debiliorem partem: Ergò prædictus aſſenſus tantummodo erit fidei humanę, quia ex parte minoris tantum nititur teſtimonio humano, non autem fidei divinę, licèt ex parte maioris nitatur teſtimonio, vel authoritate divina.

41. Explicatur: Quotieſcumque in aliquo ſyllogiſmo vna præmiſſa eſt tantum probabilis, licèt alia ſit evidens, concluſio evadit ſolum probabilis, & minimè evidens: Sed in prædicto ſyllogiſmo minor tantummodo eſt de fide humana, & tantummodo fide humana creditur: Ergò concluſio, ſcilicèt, aſſenſus myſterij Incarnationis, tantum erit fidei humanę, non fidei divinę. Conſequentia patet, quia vel vtrobique, vel nullibi concluſio debet ſequi debiliorem partem. Minor verò probatur: Quia ad credendum Deum revelaiſſe myſterium Incarnationis iuxta hos AA. tantummodo adeſt teſtimonium humanum pro motivo, itaut aliunde nobis non conſtet Deum revelaſſe, niſi ex hominum teſtimonio: Sed quod tantum conſtat humano teſtimonio, tantum eſt de fide humana, & tantum fide humana creditur: Ergò minor prædicti ſyllogiſmi, ſcilicèt,Deum revelaſſe myſterium Incarnationis, ſolum eſt de fide humana, & ſi le humana creditur.

42. Ex quo vlterius ſequitur,fidem, qua credimus myſteria, nō eſſe methapyhſicè infallibilem, ſed potius metaphyſicè fallibilem. Primo: Quia non poteſt eſſe maior infallibilitas in concluſione, quam in præmiſsis, cum eo ipſo, quod vna præmiſſa falſificari poſsit, eo ipſo falſificari poſsit concluſio: Sed vna præmiſſa, qua nititur partialiter aſſenſus fidei methaphyſicè falſificabilis eſt:Ergò,& aſſenſus fidei falſificabilis eſt. Minor patet: Quia vna præmiſſa, ſcilicèt, Deum revelaſſe myſterium Incarnationis, tantum eſt de fide humana,& tantum nititur teſtimonio humano: Sed quod tantum eſt de fide humana, & præciſè nititur teſtimonio humano, metaphyſicè fallibile eſt, cū ipſum teſtimonium humanum ſit methaphyſicè fallibile: Ergò prædicta præmiſſa falſificabilis eſt.

43. Secundo: Quia quotieſcumque primum principium, quo nititur aliquis aſſenſus, & in quod vltimo reſolvitur, methaphyſicè fallibile eſt, & ipſe aſſenſus eſt metaphyſicè fallibilis: Sed iuxta prædictum modum dicendi aſſenſus, quo credimus myſteria fidei, nititur tanquam primo principio teſtimonio humano methaphyſicè fallibili,& in illo vltimò reſolvitur: Ergò talis aſſenſus methaphyſicè fallibilis eſt. Maior patet à paritate demonſtrationis,in qua ſi primum principium, quo nititur, falſificari poſſit, etiam omnes concluſiones, quę ex illo inferuntur, & in illo nituntur,fallibiles ſunt. Minor verò probatur: Quia iuxta prædictum modum dicendi reſolutio fidei ita fit,vt interroganti: *Cur credis myſterium Incarnationis?* immediatè reddatur pro motivo: *Quia Deus ita revelavit, cuius revelatio eſt infallibilis*: Vlterius interroganti; *Cur credis Deum ita revelaſſe?* Reddatur pro ratione: *Quia tota authoritas humana Eccleſię ita mihi dicit*, & hic ſiſtit reſolutio tanquam in vltima ratione, & principio movente: Ergò iuxta illum modum dicendi aſſenſus, quo credimus myſterium Incarnationis, nititur tanquam primo principio teſtimonio humano,quod methaphyſicè fallibile eſt, & vltimo reſolvitur in humanam authoritatem.

44. Nec valet reſpondere cum Lugo, quod licèt fides reſolvatur in authoritatem humanam, hęc tamen eſt talis, & tanta, vt poſsit voluntas prudenter imperare aſſenſum ſine formidine propter illam,iuxta illud vulgare dictum Richardi à S.Victore 1.de Trinit.cap.2. *Domine, ſi error eſt, à te ipſo decepti ſumus*. Vbi reddit rationem; quia ipſa, ſcilicèt, teſtimonia Dei, tantis ſignis, & prodigijs confirmata ſunt, & talibus, quòd non niſi per te fieri poſſunt. Ecce, inquit, vbi Richardus reducit partialiter aſſenſum ſine formidine exhibitum ad motiva humana.

45. Non, inquam, valet hæc reſponſio: Nam authoritas humana, quantumvis talis,ac tanta,non eſt methaphyſicè infallibilis,nec methaphyſicè repugnat eam fallere: Ergò ſi aſſenſus fidei vltimò reſolvitur in illam, tanquam in primum principiū, manet methaphyſicè fallibilis. Nec iuvat, quod voluntas vi authoritatis humanę poſsit prudenter imperare aſſenſum ſi-

ne formidine; quia etiam quilibet prudentiſsimè imperat aſſenſum de eo, quod hic homo eſt ſuus Pater, & hæc mulier ſua Mater ex hominum teſtimonio; imprudens enim eſſet timor de contrario, aut dubitatio, quantumvis tenuis, dum omnes teſtificantur vnanimiter, quod ille eſt meus Pater, & illa Mater mea; verumtamen ex hoc non ſequitur, illum aſſenſum eſſe methaphyſicè infallibilem, quia ſemper nititur teſtimonio humano methaphyſicè fallibili: Ergò licèt quis nixus authoritate humana totius Eccleſię poſsit abſque timore errandi formare aſſenſum de eo, quod Deus ita revelavit, ſi tamen talis aſſenſus tantum nititur authoritate humana, non erit methaphyſicè infallibilis.

46. Confirmatur: Quia, vt alibi latius explicavimus, dupliciter poteſt aliquis actus eſſe ſine formidine erroris; vel quia ex parte voluntatis nullus eſt timor errandi, & hoc non facit ad rem; quia ſæpè aſſenſus natura ſua fallibilis eſt, & voluntas nullum habet timorem erroris, vt patet in hæreticis obſcæcatis, vel in errantibus invincibiliter; vel quia intellectus ita firmiter aſſentitur alicui obiecto, vt aſſentiatur abſque omni contingentia errandi; & hoc contingit, quando ita firmatur, & certificatur intellectus ex vi motivi, quod omnem fallibilitatem, & defectibilitatem à veritate excludit ab illo aſſenſu iuxta illud Apoſt. *Scio cui credidi, & certus ſum.* Vt igitur aliquis aſſenſus ſit fidei divinę non ſufficit, quod ſit ſine formidine primo modo; alias enim error invincibilis, in quo erratur abſque prudenti timore errandi, poſſet eſſe fidei divinę, ſed requiritur, quod ſit ſine formidine ſecundo modo, hoc eſt abſque omni contingentia, & defectibilitate à veritate. Sed quantumvis maxima ſit authoritas humana totius Eccleſię, ea tamen non fundat aſſenſum ita firmum in veritate, vt ſit abſque omni contingentia, & abſque defectibilitate à veritate, quia eſt ſemper methaphyſicè fallibilis, vt probatum manet: Ergò aſſenſus nitens authoritate humana totius Eccleſię, quantumvis maxima, non poteſt evadere fidei divinę.

47. Contra ſecundo: Quia non eſt in poteſtate voluntatis, quod intellectus aſſentiatur ſine formidine, hoc eſt, ſine contingentia errandi, dum non adeſt motivum firmans methaphyſicè intellectum in veritate, & vi cuius methaphyſica ſecuritate aſſentiatur. Sed quantumvis humana authoritas totius Eccleſię maxima ſit, non tamen eſt motivum methaphyſicè aſſeverans, & firmans intellectum abſque omni contingentia errandi in veritate: Ergò voluntas non poteſt imperare, nec prudenter, nec imprudenter intellectum, vt nitendo authoritate humana, aſſentiatur abſque formidine, ſivè cum methaphyſica ſecuritate, & firmitate; vel ſi hoc imperet, minimè id aſſequi poterit.

48. Tertio: Quia verba Richardi potius noſtram ſententiam perſuadent, quam oppoſitam; ſi enim fides niteretur partialiter teſtimonio humano, malè dixiſſet Richardus: *Si error eſt, à te ipſo decepti ſumus*, cum poſſet error provenire, non ex Deo decipiente, ſed ex humana authoritate fallente, nec eſſet neceſſarium, vt fides noſtra eſſet erronea, quod ex parte Dei eſſet fallacia, ſed ſufficeret, ſi teſtimonium humanum falſum eſſet: cum igitur hoc dixit, planum eſt, ipſum habuiſſe pro vnico, & adæquato motivo credendi teſtimonium divinum, non autem, nec partialiter, teſtimonium humanum. Nec verba ſequentia oppoſitum ſuadent, quia illa ſolum continent motiva credibilitatis, vi quorum redditur teſtimonium Dei evidenter credibile, vt infrà dicemus, non autem continent motivum formale credendi.

49. Sed contra obijcies: Quia licèt credamus myſterium Incarnationis, quia Deus revelavit, & per authoritatem divinam dicentem, tamen non credimus authoritatem divinam revelaſſe, niſi per authoritatem humanam teſtificantem: Sed vtrumque requiritur ad fidem: Ergò fides, non ſolum nititur authoritate divina, ſed etiam authoritate humana. Maior probatur: Quia non poſſumus credere, Deum revelaſſe myſterium propter authoritatem divinam dicentem: Ergò ſolum illud credere poſſumus propter authoritatem humanam id teſtificantem. Antecedens probatur, primo: Quia authoritas divina non revelavit ſe revelaſſe myſterium Incarnationis, v. g. Ergò, dum credimus Deum revelaſſe, non credimus, quia authoritas divina id ipſum revelavit. Secundo: Quia dato caſu, quod Deus revelaverit, ſe ipſum revelaſſe myſterium Incarnationis, tamen non revelavit, ſe ipſum revelaſſe talem revelationem, ne habeamus in infinitum: Ergò ſaltem non poſſumus credere, Deum revelaſſe talem revelationem, quia Deus id ipſum revelavit, ſed tantum debemus credere Deum revelaſſe, quia humana authoritas id notificat.

50. Reſpondeo, hoc argumentum infrà latius pertractandum eſſe; interim tamen reſpondeo, negando maiorem: Ad probationem, nego antecedens: Ad cuius probationem, diſtinguo antecedens: Authoritas divina non revelavit directè, & exercitè ſe revelaſſe myſterium Incarnationis, nego antecedens: Non revelavit reflexè, & ſignate, tranſeat antecedens, & nego conſequentiam: Quia cum revelatio ſit ratio formalis dicendi, & teſtificandi myſteria, ra-

ra-

ratio ſui, & cæterorum, ac proinde ſua ipſa authoritate exercitè teſtificat ſe ipſam, & ſe ipſam revelat, & manifeſtat abſque alia revelatione diſtincta, & reflexa; quia hoc, vt rectè probat ſecunda inſtantia, eſſet abire in infinitum. Ex quo patet, nec eſſe multiplicandas, revelationes reflexas, nec eſſe recurrendum ad teſtimonium humanum tanquam ad motivum credendi, ſed ſiſtendum in ipſa revelatione divina tanquam in primo, & vnico motivo, credendo ipſam propter ſe ipſam, quia ipſa ſe tanta authoritate manifeſtat, vt ipſa propter ſe ipſam credi debeat.

51. Secundo obijcies: Quia Deus non aliter agit cum hominibus mediante Eccleſia, & eius Miniſtris, quàm Reges terreni cum ſuis ſubditis per Legatos; vndè dicebat *Paul. 2. ad Corinth. 5. Pro Chriſto ergò legatione fungimur*: Sed cum creditur, quod Rex dicit per ſuos Legatos, motivum formale credendi, non ſolum eſt authoritas Regis, ſed etiam partialiter movet teſtimonium ipſius Legati dicentis, id ipſum Regem promiſiſſe, vel dixiſſe: Ergò pariter, dum credimus, quod Deus nobis dicit per ſuam Eccleſiam, non ſolum eſt motivum formale credendi teſtimonium divinum, ſed etiam movet partialiter teſtimonium humanum ipſius Eccleſię. Minor probatur: Quia cum creditur, dicente Legato, Regem promiſiſſe ſui adventum in Civitatem, vel aliud huiuſmodi, ſolum creditur, quia Legatus dicit, quia ibi non eſt alia authoritas, niſi authoritas Legati, cui credatur, Regem talem adventum promiſiſſe: Ergò teſtimonium, & authoritas propria Legati eſt ibi motivum credendi Regem promiſiſſe, & in eius authoritatem vltimo reſolvitur fides.

52. Reſpondeo, conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: Cum creditur, quod Rex dicit per ſuos Legatos fide regia, nego minorem: Si credatur fide vulgari, concedo minorem, & nego conſequentiam. Ad probationem minoris, dico, quod dum Legatus dicit, Regem id promiſiſſe, vel dixiſſe, vel illi creditur fide vulgari, vel fide regia? Si fide vulgari, fateor, talem fidem ſolum adhiberi propter teſtimonium proprium, & privatum ipſius Legati, vt homo particularis eſt; ſed ex hoc ad ſummum probatur, quod ſi crederemus fide tantum humana, & fallibili, Deum revelaſſe myſterium Incarnationis, ad hoc credendum tantum niteretur teſtimonio, & authoritate humana Eccleſię. Cæterum quis dicat, nos tantummodo habere fidem humanam, & fallibilem de eo, quod Deus revelavit myſterium Incarnationis. Si verò creditur Legato fide regia, tunc credimus non propter authoritatem propriam, & privatam Legati, quam habet vt homo particularis eſt, ſed propter authoritatem regiam, quam ab ipſo Rege participat, vt Legatus eius eſt, ipſius teſtimonio ſe habente tantummodo per modum applicationis, & conditionis, non verò per modum rationis formalis movendi ad fidem regiam.

53. Confirmatur hoc: Etiam ſi homo notę authoritatis inter nos diceret in hanc Civitatem Regem promiſiſſe ſui adventum poſt dies viginti, v. g. non tantam illi adhiberemus fidem, quantam præberemus Legato venienti Regis, & id ipſum Civitati notificanti, & hoc quamvis illius privata authoritas nobis omnino eſſet ignota: Ergò tunc non crederemus Legato propter propriam, & particularem authoritatem illius, vt talis hominis particularis, ſed propter authoritatem Regis, cuius ipſe organum, & Miniſtrum agebat: Ergò ſimiliter dum Eccleſia nobis dicit, Deum revelaſſe myſterium Incarnationis, non credimus Eccleſię propter propriam, & humanam authoritatem, quam, vt eſt hominum congregatio, habet, ſed illi credimus propter authoritatem divini teſtimonij, cuius organum ipſa eſt, & per quam nobis tale teſtimonium, tanquam per proprium, & legitimum Legatum nobis proponitur; & cum organum, per quod quis loquitur, non ſit ratio formalis credendi, ſed ſolum authoritas eius, qui principaliter loquitur, inde eſt, quod Eccleſia, nec eius humana authoritas eſt motivum formale credendi, id Deum revelaſſe, ſed ipſa divina revelatio propter ſui authoritatem creditur, immò ipſa tribuit authoritatem organo, quo mediante manifeſtatur.

54. Ex dictis directè reſpondeo quæſtioni, & aſſero: *Nihil creatum eſſe motivum formale fidei divinæ, adhùc partialiter.* Tum: Quia alias fides divina non eſſet adæquatè divina, nec theologica, cum non niteretur adæquatè motivo divino. Tum: Quia nihil creatum poteſt eſſe motivum fidei divinę, niſi propter connexionem, quam habet cum myſterijs credendis: Sed nihil creatum talem, nec tantam connexionem habere poteſt cum myſterijs credendis, quod ſufficiat ad fidem divinam. Ergò, Maior patet: Quia quod nullam connexionem habet cum myſterijs credendis, nullo poteſt modo movere ad illa credenda. Minor verò probatur quoad primam partem: Quia vel talis connexio eſſet à poſteriori, tanquam effectus cum ſua cauſa, vel à priori, tanquam cauſę cum ſuo affectu; & huiuſmodi connexio minimè poteſt motivum fidei eſſe, ſed ſolum demonſtrationis, & ſcientię à priori, vel à poſteriori, vt omnibus eſt notum: Vel eſſet connexio dicentis, & teſtificantis cum re teſtificata; & tunc, ſi illud dictum, vel teſtimonium

nium eſſet creatum, non poſſet habere connexionem methaphyſicè infallibilem cum re dicta, quia nulla creatura eſt methaphyſicè infallibilis in ſuis dictis vi proprię authoritatis: Ergò nullum motivum creatum habet talem connexionem cum myſterijs credendis, quod ſufficiat ad motivum fidei divinę. Deinde, nec tantam: Quia connexio motivi creati ad ſummum poteſt eſſe creata, non divina: Sed fides divina in connexione divina fundari debet, non autem in connexione creata: Ergò.

55. Sed dices: Chriſtus D. Ioan. 10. ſic ait: *Si mihi non vultis credere, operibus credite*: Ergò proponit pro motivo credendi opera ipſa, quę erant miracula ab ipſo patrata: Sed hæc erãt aliquid creatum: Ergò Chriſtus D. proponit pro motivo credendi aliquid creatum. Idem ſolet confirmari alijs teſtimonijs, vbi ſacer textus videtur ponere pro motivo credendi opera, & ſigna miraculoſa. Sed ad omnia reſpondeo, quod omnibus eis locis, in quibus videtur aſsignari pro motivo credendi aliquid creatum, illud re vera non aſsignatur pro motivo formali aſſenſus fidei divinę, ſed pro motivo ſuadente credibilitatem myſterij, quod quidem manifeſtè patet: quia miraculoſa opera, & alia huiuſmodi conſiderata in ratione operis, & non in ratione loquutionis, tantum oſtendunt à poſteriori, & per diſcurſum, quod illud, quod talibus operibus confirmatur, eſt prudenter credibile, non verò ſunt motivum immediatum, cui credimus, quia ſolum credimus formaliter Deo, vt dicenti, non autem Deo, vt agenti, aut operanti.

56. Dices ſecunda: Revelatio actualis, vel actuale Dei teſtimonium eſt motivum formale fidei: Sed hoc eſt aliquid creatum: Ergò motivum formale fidei eſt aliquid creatum. Huic argumento infrà latius reſpondebimus; nunc breviter dici poteſt, quod revelatio, & teſtimonium Dei poteſt ſumi activè, & prout eſt actio Dei revelantis, vel paſsivè, & terminativè pro effectu, & ſigno cauſato ad extra, quo mediante, talis revelatio nobis manifeſtatur, & à nobis auditur. Secundo modo conſiderata verum eſt, quod importat aliquid creatum, ſed illud non eſt motivum formale fidei, ſed ſola revelatio primo modo accepta, qualiter eſt actio divina Deo identificata, effectu, vel ſigno creato ſe habente tantum per modum conditionis requiſitę, non verò per modum rationis formalis. Quę doctrina amplius infrà declarabitur.

(!ſ!)

QUÆSTIO II.

Quodnam prædicatum divinum ſit motivum formale fidei?

1. EX dictis cogimur iam aſcendere ad Deum, & in ipſo Deo motivum formale noſtrę fidei indagare. Plures autem ſunt rationes, de quibus AA. dubitant; nam triplicem in Deo diſtinguunt veritatem. Prima eſt veritas in eſſendo. Secunda veritas in cognoſcendo. Tertia veritas in dicendo. Veritas in eſſendo competit Deo, quatenus verus Deus eſt, & non fictus. Veritas in cognoſcendo ei convenit, quatenus veriſsima, & infallibili cognitione omnia cognoſcit. Veritas in dicendo, quatenus ſemper loquitur veriſsima, & infallibili loquutione. Deitas ipſa ſub ratione Deitatis, prout virtualiter ab attributis diſtincta, eſt, qua Deus dicitur verus in eſſendo, ſivè qua conſtituitur verus Deus in eſſendo. Summa ſapientia eſt, qua Deus dicitur verus in cognoſcendo. Summa veracitas eſt, cui communiter attribuitur veritas in dicendo. Sed in hoc nomine *Veracitas* haud levis intercedit ęquivocatio, quam infrà detegemus. Iuxta hanc triplicem veritatis divinę conſiderationem, multiplex inter AA. circunfertur opinio. Vt autem claritate poſsibili procedamus, quamlibet ſeorſim ſuo ordine referemus, ac rationes eius, vt poſteà noſtram concluſionem firmiter ſtatuamus.

Prima ſententia refellitur.

2. DIco igitur primo: *Deitas ſub ratione Deitatis, vt ab attributis diſtincta, non eſt obiectum formale motivum fidei, adhùc partiale.* Eſt contra Ripaldam, qui in præſenti diſput. 2. ſect. 11. expreſsè aſſerit, excellentiam Deitatis, quatenus prima veritas eſt in eſſendo, ſe ipſa eſſe motivũ partiale noſtrę fidei, & poſſe aliquando eſſe motivum totale, & pro ſe citat Aureolum, & Caietanum. Sed noſtra ſententia probatur primo: Quia Deitas ipſa, ſivè prima veritas in eſſendo, ſolum poteſt eſſe motivum ſcientiæ, aut aſſenſus ſcientifici: Ergò non eſt motivum aſſenſus fidei. Probatur antecedens: Quia ille, qui aſſentitur, Deum eſſe iuſtum, aut intellectivum, aut veracem, quia verus Deus eſt, aſſentitur per diſcurſum ſcientificum, & non per fidem: Ergò. Antecedens probatur; Quia ille, qui aſſentitur alicui

cui

cui veritati propter eius rationem à priori, ex qua infertur, tanquam proprietas ex eſſentia, aſſentitur per ſcientiam, vel demonſtrationem: Sed Deitas ſub ratione Deitatis eſt ratio à priori, ex qua infertur veracitas, vel ſapientia in Deo tanquam proprietas ex eſſentia: Ergò. Maior patet: Quia cognoſcere rem per cauſam, ſivè per rationem cauſalem, & à priori, & proprietates per eſſentiam, eſt proprium ſolius ſcientię, vt talis, non verò attinet ad fidem.

3. Secundo: Quia ſola illa veritas eſt obiectum formale fidei, quę aliquomodo formalizat obiecta materialia fidei, vt credantur, conſtituendo ea aliqualiter vera, vt credantur: Sed Deitas ipſa, prout ab attributis diſtincta, nullo modo formalizat obiecta materialia fidei, nulloque pacto ea conſtituit formaliter vera, vt credantur: Ergò nullo modo, nec partialiter, eſt obiectum motivum fidei. Maior eſt evidens: Quia obiectum formale cuiuslibet facultatis, vel tendentię eſt illud, quod formalizat obiecta materialia, & ea conſtituit ſub ratione formali obiectiva talis tendentię: Cum ergò ratio formalis obiectiva fidei debeat eſſe aliqua ratio *veri*, vtpotè pertinentis ad intellectum, cuius ratio ſpecificativa in omni ſua tendentia eſt *verum*; indè patet, obiectum formale fidei debere formalizare obiecta materialia, & ea conſtituere in aliqua ratione *veri*. Quod autem Deitas ipſa hoc non præſtet, facile probatur: Deitas ſub ratione Deitatis nullum effectum, aut denominationem formalem præſtat rebus credendis; nã Deitas ſub ratione Deitatis ſolum denominat Deum, rem autem credendam, nec intrinſecè, nec extrinſecè conſtituit formaliter Deum, idque eſſet omnino impertinens ad movẽdam fidem, quamvis illam extrinſecè denominaret, vel alio modo Deum; quia fides non credit myſterium, quia tale myſterium ſit intrinſecè, vel extrinſecè Deus; alias crederet peccatũ originale, quia intrinſecè, vel extrinſecè afficeretur Deitate, quod abſurdiſſimum eſt: Ergò Deitas ſub ratione Deitatis nullo modo formalizat res credendas, ſivè obiecta materialia fidei.

4. Vrgetur: Peccatum originale, v. g. eſt obiectum materiale fidei: Sed Deitas ſub ratione Deitatis non poteſt formalizare vllo modo peccatum originale: Ergò nullo modo formalizat obiecta materialia fidei, vt ab ipſa credantur. Minor probatur: Quia ideò divina revelatio, & teſtimonium formalizat peccatum originale, quia conſtituit illud formaliter in eſſe teſtificati, & revelati: At nunquid Deitas conſtituet peccatum originale in eſſe deificati formaliter? Quia tale dicat? Aliam autem denominationem formalem ſub ratione Deitatis præſtare non poteſt: Ergò nullo modo poteſt formalizare peccatum originale, vt credatur. Denique, nec poteſt conſtituere obiecta materialia fidei in aliqua ratione veri; nam licèt Deitas ſit prima veritas in eſſendo, per illam tamen nullum obiectum materiale fidei conſtituitur verum in eſſendo: Quis enim dicat, peccatum originale verè eſſe tale formaliter per Deitatem? Nec hoc ſufficeret ad motivum formale credendi; quia quod creditur, non creditur, quia verè eſt, ſed quia dictum eſt; non quia verum eſt in eſſe entis, ſed quia verum iudicatur in eſſe dicti, & teſtificati.

5. Sed dices: Deitatem conſtituere formaliter revelationem peccati originalis veram, & infallibilem, quia per ſe excludit à divina revelatione omnem falſitatem, ac proinde etiam conſtituere peccatum originale verè, & infallibiliter revelatum. Sed contra eſt: Quia cum inquis, Deitatem conſtituere formaliter divinam revelationẽ veram, vel intelligis, quod illam conſtituit veram in eſſendo; & hoc in primis eſt falſum, quia divina revelatio, prout virtualiter ab eſſentia divina diſtincta, vera eſt in eſſendo, entitate, & veritate virtualiter diſtincta à Deitate: Deinde eſt impertinens ad movendam fidem, quia revelatio eſt motivum fidei; non quia eſt vera in eſſendo; aliàs enim quælibet loquutio falſum dicens, verè tamen exiſtens, moveret ad fidem, quod quis dicat? Sed quia veriſsima, & infallibilis eſt in dicendo. Vel intelligis, quod Deitas conſtituit divinam revelationem formaliter veram in dicendo; & hoc apertè eſt falſum; quia Deitas, prout virtualiter diſtincta ab attributis, ſolum eſt veritas prima in eſſendo: Sed veritas in eſſendo nequit conſtituere revelationem formaliter veram, & infallibilem in dicendo; hoc enim eſſet planè confundere vnam cum altera veritate: Ergò Deitas, prout diſtincta ab attributis, nullo pacto conſtituit revelationem veram veritate ſufficienti ad movendam fidem.

6. Sed obijcies: Illud eſt motivum formale fidei, in quod vltimo reſolvitur fides: Sed hæc vltimo reſolvitur in Deitatem: Ergò. Minor probatur: Nam interrogatus: *Cur credis Deo dicenti?* Reſpondere tenetur: *Quia Deus verax eſt, & ſumme ſapiens*: Et rurſus interrogatus: *Cur credis Deum eſſe ſumme ſapientem, & ſumme veracem?* Aliud reſpondere non poteſt, niſi: *Quia Deus eſt*: Ergò tandem reſolutio vltima fidei ſiſtit in Deitate, & illa eſt primum motivum, & vltima ratio credendi. Huic argumento reſpondeo, negando minorem. Ad probationem omitto primam partem antecedentis poſteà examinandam, ſcilicèt, quod mo-

ti-

tivum formale credendi Deo dicenti ſit, quia Deus ſumme ſapiens, & ſumme verax eſt; & ad ſecundam partem, dico, quod illi ſecundę interrogationi dupliciter reſponderi poteſt, primo ſicut in argumento, reddendo rationem à priori, cur Deus ſumme ſapiens, & ſumme verax eſt; cæterum huiuſmodi reſponſio, non eſt actus fidei, nec ad fidem pertinet, ſed tantum ad ſcientiam; quia fidei non eſt reddere rationem à priori, ſivè cauſam illius, quod credit, ſed hoc ſolum eſt proprium ſcientię, quę eſſentialiter eſt cognitio rei per cauſam, ſivè per ſuam rationem à priori; illa ergò reſolutio eſt actus ſcientię, & eſt reſolutio ſcientifica, non fidei; quia ibi iam non quæritur, nec redditur motivum credendi, ſed quæritur, & redditur ratio eſſendi Deum veracem, & ſapientem; ac proinde quamvis illa reſolutio ſiſtat in Deitate, ſolum ſequitur, Deitatem eſſe motivum formale ſcientię, minimè autem motivum formale fidei.

7. Aliter poteſt intelligi prædicta interrogatio, & aliter poteſt illi reſponderi, nimirum ſi quæratur: *Cur quis credit* ſtrictè, prout credere diſtinguitur ab ſcire, vel vt cūque cognoſcere; & in hoc ſenſu interrogatus: *Cur credis, Deum eſſe veracem, & ſapientem?* Reſpondere non poteſt: *Quia Deus eſt*; quia iam illud non eſſet credere, ſed ſcire, vel diſcurrere, ſed neceſſario reſpondere tenetur: *Quia Deus revelavit, ſe eſſe ſumme veracem, & ſapientem, cuius revelatio falſa eſſe non poteſt*, & ibi ſiſtit reſolutio fidei, vt infrà explicabimus. Vndè nunquam fides in ſui reſolutione poteſt pro motivo, & ratione reddere Deitatem ſub ratione Deitatis, ſed hoc pertinet tantum ad ſapientiam, vel ſcientiam, cuius eſt demonſtrare in Deo veracitatem, & ſapientiam per Deitatem.

8. Prædicta doctrina explicatur exemplo vulgari: Nam ſi videnti parietem interrogemus: Cur vides parietem? Reſpondere tenetur: Quia coloratus eſt, & hac ratione deſignatur ratio formalis obiectiva, & motiva viſus, & dum quæritur ratio formalis motiva ad videndum, ibi erit ſiſtendum, & vltra progredi non licèt. Vndè quamvis vlterius interrogares: Cur vides, vel vndè vides parietem eſſe coloratum? Aliud reſpondere non poſſet, niſi quia coloratus eſt. Si verò vltrà interrogares, non iam rationem formalem videndi, ſed cauſam eſſendi parietem coloratum, ſi, v. g. quæreres: Cur paries coloratus eſt? Tunc progredi liceret, reſpondendo, quia mixtionem habet quatuor qualitatum, vel reddendo alias rationes, & cauſas vndè oritur color in pariete; cæterum huiuſmodi ſolutionibus, non daretur ratio formalis videndi, nec motivum formale viſus, ſed ſolum redderetur ratio à priori eſſendi, quod pertinet ad ſcientiam. Sic igitur dicimus, quod quamvis aliquis credat Deo dicẽti, quia ſumme verax, & ſumme ſapiens eſt; tamen hìc ſiſtit tota fidei reſolutio, & credens, vt credens, aliam rationem credendi, dare non poteſt priorem ad divinam ſapientiam, & veracitatem; nam ſi vlterius aſcendat, & dicat, ideò Deum eſſe veracem, quia Deus eſt, hìc iam non reddit rationem formalem credendi, ſed rationem à priori eſſendi, & illa reſolutio non eſt fidei, ſed ſcientię.

9. Obijcit ſecundo Ripalda: Nam excellentia Deitatis ſe ipſa movet, vt intellectus aſſentiatur ſuis teſtimonijs, & revelationibus: Ergò. Antecedens probatur: Quia excellentia Deitatis ſe ipſa movet, vt ſibi, ſuiſque attributis exhibeatur omnis reverentia, & ſe ipſa cohibet omnem irreverentiam: Sed aſſenſus fidei eſt reverentia, quam intellectus exhibet teſtimonijs divinis, divinæque authoritati, & diſſenſus irreverentia: Ergò. Confirmatur: Maieſtas, & excellentia Deitatis ſe ipſa confert ſuis teſtimonijs authoritatem: Ergò ſe ipſa eſt motivum formale, vt credantur ſua teſtimonia. Antecedens probatur: Quia Maieſtas Regis ſe ipſa confert teſtimonijs Regis authoritatem, vt credantur: Ergò multò meliùs Maieſtas, & excellentia Deitatis. Antecedens probatur, ſupponendo hominem privatum ęque ſapientem, & veracem cum Rege, in quo caſu adhùc teſtimonium Regis erit maioris authoritatis, & magis fide dignum, quàm teſtimonium illius hominis privati: Sed in eo caſu maior authoritas teſtimonij Regis, non provenit formaliter à ſapientia, & veracitate, in qua ſupponuntur ęquales, ſed ſolum à Maieſtate Regia, in qua præfertur Rex homini privato: Ergò Maieſtas Regis ſe ipſa præbet formaliter authoritatem ſuis teſtimonijs, vt credantur.

10. Reſpondeo, negando antecedens. Ad probationem, diſtinguo maiorem: Se ipſa movet, vt ſibi, ſuiſque attributis exhibeatur omnis reverentia propriè, & ſpecialiter dicta, concedo maiorem: Omnis reverentia latè, & communiter dicta, nego maiorem, & diſtinguo minorem: Actus fidei eſt reverentia propriè dicta, nego minorem; Latè, & communiter accepta, concedo minorem, & nego conſequentiam; quia reverentia propriè ſumpta eſt actus, quo creatura ſuſpiciens ſummam Dei excellentiam, & altitudinem ſuprà ſe ipſam, ſe comprimit in reſpectu tantę Maieſtatis, quaſi vereatur apparere tam vilis ante talem excellentiã, & tantam; cuius oppoſita irreverentia eſt, parvipendere tantam Maieſtatem, & agere coram illa, non verendo eius celſitudinem. Igitur dicimus,

ex-

excellentiam Deitatis ſe ipſa movere ad actum ſpecialis reverentię, & cohibere ſpecialem irreverentiam; cæterum actus fidei minimè eſt actus ſpecialis reverentię erga divinum teſtimonium; quia non reſpicit divinum teſtimonium ſub ratione ſupremę excellentię, & Maieſtatis, quaſi verendo apparere, vel agere in eius conſpectu propter propriam vilitatem; ſed reſpicit divinum teſtimonium ſub ratione ſupremę veritatis in dicendo, ei credendo firmiſsimè, ipſique ſubijciendo omnem humanam rationem, tanquam principio veriori, & firmiori; vndè minimè ſequitur, excellentiam Deitatis per ſe, & formaliter movere ad aſſenſum fidei.

11. Nec obeſt, quod aſſenſus fidei latè, & communiter loquendo dicatur reverentia exhibita divino teſtimonio, eo modo, quo etiam ſpes poteſt dici reverentia exhibita divinę Omnipotentię, obedientia etiam reverentia divino præcepto, & quælibet virtus poteſt appellari reverentia Deo exhibita, quatenus reverentia ſumitur in ampla ſignificatione pro quocumque obſequio Deo exhibito; nam excellentia Deitatis ſub ratione talis non movet per ſe, & formaliter ad quamlibet reverentiam latè ſumptam, aliàs excellentia Deitatis eſſet motivum formale ſpei, eſſet motivum formale actus charitatis, eſſet motivum formale actus obedientię, & aliarum omnium virtutum, quod quis dicat? Vndè ex eo, quod actus fidei ſit reverentia Deo exhibita latè ſumpta, minimè ſequitur, excellentiam Deitatis eſſe motivum formale illius.

12. Ad confirmationem, nego antecedens. Ad probationem, nego antecedens. Ad probationem, nego maiorem facta illa ſuppoſitione: Quia in tantum præcisè Maieſtas Regia tribuit maiorem authoritatem ſuis dictis, & teſtimonijs, in quantum perſuadet Regem eſſe magis veracem, & cum maiori conſideratione procedentem in ſuis dictis, & teſtimonijs quocumque homine privato, vel in quantum obligat ad ſic iudicandum de Rege. Si verò, non obſtante tali Maieſtate, iudices de Rege non eſſe magis veracem, nec magis ſapientem, & conſideratum in ſuis teſtimonijs alio homine privato, certè non magis dignum iudicabis fide teſtimonium Regis, quàm teſtimonium hominis privati, nec intellectus inveniet motivum proprium, & ſpeciale ad credendum potius vni, quàm alteri teſtimonio; quia in tali caſu Maieſtas Regia, quę non obeſt, vt iudices hominem privatum ęquè veracem, ac ſapientem cum Rege, nec obeſſe poterit quod aſſentiaris ęquè firmiter teſtimonio hominis privati, quàm Regis.

13. Sed replicabis primo: Adhùc in ſuppoſitione facta, ſi teſtimonium Regis, & illius hominis privati eſſent inter ſe contraria, potius deberemus credere teſtimonio Regis, quam teſtimonio hominis privati: Sed hoc eſſet falſum, ſi Maieſtas Regia omninò materialiter ſe haberet ad motivum credendi: Ergò Maieſtas Regia, non materialiter, ſed formaliter ſe habet ad movendam fidem, & conſequenter eſt motivum formale fidei. Confirmatur: Magis conducit ad credendum Deo Maieſtas divina, quam eius ęternitas, & immenſitas: Sed ęternitas, & immenſitas purè materialiter ſe habent? Ergò Maieſtas divina, non materialiter, ſed formaliter ſe habet ad credendum.

Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: Potius deberemus credere teſtimonio Regis, ex potiori motivo formali intellectus ad credendum vni prę alio, nego maiorem: Ex motivo potiori, voluntatis ad imperandum aſſenſum vnius, præ alterius, tranſeat maior, & nego minorem de motivo formali, & proprio credendi. Itaque dupliciter poteſt aliquid eſſe motivũ ad credendum, vel ex parte intellectus, vel ex parte voluntatis; cum enim actus credendi non poſſit eſſe, niſi ex imperio voluntatis, quia vt dixit Auguſtin. *Aliqua facere poſſumus nollentes, credere non poſſumus, niſi volentes*, vndè apparet, quod ad credendum duplex requiritur motivum, vnum ex parte intellectus, quod moveat ſufficienter ad aſſenſum, & aliud ex parte voluntatis, quod moveat voluntatem, vt velit efficaciter credere, ſivè, vt imperet efficaciter aſſenſum. Motivum ex parte intellectus eſt proprium, & intrinſecum, ac immediatum motivum fidei, de quo in præſenti diſputamus. Motivum ex parte voluntatis, eſt motivum mediatum, & extrinſecum reſpectu fidei, quia non movet immediatè intellectum ad credendum, ſed ſolum voluntatem, vt velit credere. Igitur dicimus, quod in caſu poſito, non eſſet maius, ſed ęquale omninò motivum proprium, & immediatum ad credendum Regi, & homini privato; quia Maieſtas Regia per ſe, & formaliter non eſt motivum proprium, & immediatum intellectus ad credendum; permittimus tamen, quod ibi eſſet maius motivum ex parte voluntatis, vt potius vellemus credere Regi, quam homini privato, quia forſan Maieſtas Regia eſſet magis amanda, & illi deberetur potius pia affectio, quam homini privato, vel alijs titulis; cæterum, hoc dato, nihil ſequitur contra noſtram doctrinam, quia non ſequitur, Maieſtatem Regiam per ſe, & formaliter eſſe motivum intellectus ad credendum, ſed ſolum motivum voluntatis ad imperandum aſſenſum, vel vt velit credere.

15. Ex quo ad confirmationem, con-

ceſſa maiori, diſtinguo minorem: Æternitas, & immenſitas purè materialiter ſe habent, tàm ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis, tàm in eſſendo, quàm in movendo, concedo minorem: Aliter, nego minorem,& conſequentiam: Quia quamvis Maieſtas, & excellentia Deitatis, non ſit motivum formale ad credendum, & in hoc conveniat cum immenſitate, & ęternitate; cæterum Deitas poteſt ratione ſui movere voluntatem, vt velit credere, & ad piam affectionem requiſitam ad credendum, & ſic conducit, vt motivum remotum ad fidem. Itemque Deitas in eſſendo eſt radix,& ratio à priori,curDeus ſit ſummè verus in dicendo, & ſic etiam remotè conducit ad motivum formale fidei; immenſitas verò, & ęternitas, nullo ex his modis conducunt ad fidem: vndè magis conducit Deitas, licèt non in eſſe motivi formalis fidei, ſed alijs titulis explicatis.

16. Replicat ſecundo Ripalda: Demus beatos eſſe præditos ſcientia infuſa divinitus infallibili, & impeccabiles ab intrinſeco, ita, vt repugnaret error in eorum intellectu, & mendacium in loquutione, ſivè fallacitas in voluntate, vel ſuppone Deum decreviſſe efficaciter non permittere errorem in intellectu beati,nec fallaciam in eius voluntate. In hoc caſu quantum eſt ex parte ſapientię,& veracitatis ęquale eſſet teſtimonium Dei, quam teſtimonium beati: Et tamen, abſolutè loquendo, magis moveret ad fidem teſtimonium Dei, quam teſtimonium beati:Ergò ideò eſſet, quia in teſtimonio Dei moveret formaliter Deitatis excellentia, & Maieſtas, quę non moveret in teſtimonio beati: Ergò Deitas ſe ipſa movet formaliter ad fidem. Reſpondeo, permiſſo caſu,negando minorem, quia adhùc in illo caſu ſapientia, & veracitas beati eſſet finita, & limitata; itemque eſſet talis per participationem à Deo; itemque, quia non eſſet metaphyſicè infallibilis, quatenus ab ipſo beato, ſed quatenus ab ipſo Deo Authore ſupernaturali. At verò veracitas, & ſapientia divina eſt infinita, eſt talis per eſſentiam, non cum ſubordinatione ad aliud, ſed per ſe ipſam, & à ſe eſt metaphyſicè infallibilis; vndè adhùc attenta ſola veracitate, & ſapientia maioris authoritatis eſſet teſtimonium Dei,quam teſtimonium beati, quàntum excedit authoritas divina, & per eſſentiam authoritatem creatam, & per participationem.

17. Denique obijcit Ripalda: Quia per hoc præcisè,quodDeus apprehendatur atteſtari aliquid, nullo alio intellecto, apprehenditur, illud eſſe verum, & proximè credibile: Ergò ſeclusis alijs, ſola Deitas conſtituit teſtimonium Dei proximè credibile. Antecedens probatur: Quia per hoc præcisè, quod intelligatur Deum atteſtari aliquid, intelligitur Deitas, vt immediatè excludens à divino teſtimonio omnem errorem, & falſitatem: Ergò apprehenditur illud teſtimonium eſſe verum, & infallibile, ac proximè credibile. Probatur antecedens:Quia intelligitur Deitas, vt excludens formaliter omnem imperfectionem: Sed error, aut falſitas eſſet imperfectio in divino teſtimonio:Ergò.Confirmatur: Deitas per ſe, & formaliter excludit mēdacium in Deo:Ergò per ſe,& formaliter excludit fallaciam à divino teſtimonio. Probatur antecedens: Quia Deitas per ſe, & formaliter excludit omne vitium,& peccatum,cum ſit ſumma ſanctitas: Sed mendacium eſſet vitium, & peccatum: Ergò.

18. Reſpondeo, diſtinguendo antecedens: Per hoc præcisè, quod intelligatur, Deum atteſtari aliquid, nullo alio intellecto, intelligitur illud eſſe verum, & proximè credibile ratione Deitatis formaliter, nego antecedens: Ratione divini teſtimonij à Deitate virtualiter diſtincti, concedo antecedens. Ad probationem, nego antecedens: Quia divinum teſtimonium, præſcindendo à Deitate, ſe ipſo excludit omnem errorem, & falſitatem, quia ſe ipſo eſt prima veritas in dicendo, & hoc non habet à Deitate formaliter. Ad probationem,nego,quod Deitas per ſe, & formaliter excludat omnem imperfectionem; loquendo enim cum diſtinctione, & præciſione rationis, Deitas ſub ratione Deitatis ſolum excludit formaliter imperfectiones, quę ſunt de linea naturę, radicaliter autem excludit imperfectiones, quę ſunt de linea attributorum; ſicuti ſolum dicit perfectionem de lineā eſſentię, & naturę, radicaliter autem dicit perfectiones attributales. Vndè Deitas ſolum radicaliter excludit ignorantiam, & fallaciam,quatenus per modum naturę exigit ſummam ſapientiam, & ſummam veracitatem, & veritatem in dicendo. Igitur falſitas à divino teſtimonio, non excluditur formaliter per Deitatem ſub conceptu Deitatis, ſed per veritatem in dicendo, quę eſt perfectio intrinſeca, & formalia divini teſtimonij, vt infrà videbimus, licèt totum hoc radicaliter proveniat à natura divina.

19. Ad confirmationem, diſtinguo antecedens: Deitas per ſe, & formaliter excludit mendacium, quatenus mendacium eſt macula ſubiecti, concedo antecedens: Quatenus eſt fallacia ex parte voluntatis, aut error, & falſitas in loquutione, nego antecedens. Ad probationem eadem diſtinctione reſpondeo: Quod peccatum actuale poteſt conſiderari dupliciter, vel vt defectus, & imperfectio particularis huius actus, vel huius potentię in ſubiecto; vel vt macula moralis totum ſubiectum denominans malum, & in-

& infectum. Licèt igitur Deitas ſub munere ſanctitatis excludat formaliter omne peccatum, ſumpto peccato pro macula inficiente totum ſubiectum, non tamen excludit formaliter, ſed tantum radicaliter peccatum actuale, quatenus eſt imperfectio, aut defectus peculiaris alicuius actus, vel potentię; cum ergò error, aut fallacia conſiderentur tanquam peculiares defectus in intellectu, vel voluntate divina, vel in eius loquutione, non excluduntur formaliter per Deitatem, ſed per ſummam ſapientiam, & veracitatem, aut per veritatem in dicendo, per Deitatem verò purè radicaliter.

§. II.

Profertur iudicium de Sapientia, & Veracitate.

20. EXcluſa Deitate à motivo formali credendi, oportet deſcendere ad eius attributa, quorum in primis ſe offerunt ſapientia, & veracitas divina, quę magis proximè conducunt ad motivum credendi. Primò itaque ſupponendum eſt, quomodo comparentur ad loquutionem, ſivè ad revelationem Dei ad extra. Sapientia igitur ſumma Dei eſt, per quam intellectus divinus omnia ad intra comprehenſivè cognoſcit abſque vllo errore, vel ignorantia. Veracitas eſt virtus propriè pertinens ad voluntatem, qua voluntas inclinat ad manifeſtandum ad extra id, quod cognoſcitur ad intra per ſummam ſapientiam; & huiuſmodi veracitas excludit formaliter à divina volũtate animũ, vel affectum fallendi, & conſtituit formaliter eam ſummè inclinatam ad loquendum verum; immediatè poſt ſequitur potentia loquutiva, & loquutio ad extra, quę cum actio libera ſit, debet imperari à voluntate ratione veracitatis.

21. Ex quo iam manifeſtè conſtat ordo intercedens inter ſummam ſapientiam, veracitatem, & loquutionem. Sapientia enim ſe tenens ex parte intellectus cum ſumma veritate cognoſcit omnia, quę dici, & revelari poſſunt; deinde veracitas ex parte voluntatis imperat, vel inclinat ad ea dicenda cum ſumma veritate, & infallibilitate, ſicut præcognita ſupponuntur; deinde potentia loquutiva profert, & manifeſtat ad extra id, quod voluntas vult ex omnibus illis, quę ſumma ſapientia cognoſcebat ad intra. In quo autem potentia loquutiva conſiſtat, infrà dicemus.

22. Igitur circa ſapientiam, & veracitatem divinam triplex verſatur opinio. Prima ait, ſummam ſapientiam ſe ſolam eſſe motivum formale fidei. Secunda ſolam veracitatem. Tertia veracitatem ſimul, & ſapientiam. Prima attribuitur D. Bonaventurę. Secunda attribuitur, & defenditur ab aliquibus R. R. Thomiſtis, eamque illuſtravit in manuſcriptis SS. ac RR. P. M. Carolus à Bayona Primarius Dominicanus Complutenſis, & à Confeſsionibus Catholicę Maieſtatis Caroli Secundi. Tertiam verò ſequuntur PP. Societatis, nulla tamen ex illis nobis placet; ideòque.

23. Dico ſecundò: *Summa ſapientia Dei ſe ſola non eſt obiectum motivum fidei.* Probatur: Quia ſumma ſapientia Dei ad intra eſt per ſe nobis occulta, & ſolum manifeſtabilis per revelationem: Sed id, quod eſt nobis occultum, & per aliud manifeſtabile non poteſt eſſe motivum formale credendi: Ergò. Minor probatur: Quia motivum formale credendi eſt id, ratione cuius nobis manifeſtantur res credibiles, & fiunt à nobis proximè, & formaliter credibiles: Sed id, quod eſt nobis per ſe occultum, & per aliud manifeſtabile nobis, implicat quod ſit ratio manifeſtandi, item quod conſtituat res proximè à nobis credibiles: Ergò id, quod eſt nobis occultum non poteſt eſſe motivum formale fidei. Secundo: Quia per hoc præcisè, quod Deus ſit ſummè ſapiens, non infertur, eius teſtimonium eſſe infallibile: Sed motivum formale fidei debet eſſe id, ratione cuius divinum teſtimonium eſt omninò infallibile: Ergò ſumma ſapientia ratione ſui non poteſt eſſe motivum formale fidei. Maior probatur: Quia per hoc præcisè quod Deus eſſet ſummè ſapiens, ſi tamen non eſſet ſummè verax, quamvis intellectus divinus non poſſet evadere falſus ex ignorantia, vel errore, poſſet tamen fallere audientem defectu veracitatis, ſivè ex fallaci animo in voluntate; quid enim intereſt, quod plenisſimè ſciat veritatem rei, quam loquitur, ſi defectu veracitatis vellet loqui contra mentem, & fallere audientes? Sanè tunc caſus teſtimonium illud fallax foret: Ergò per hoc præcisè, quod Deus intelligatur ſummè ſapiens, ſi præſcindamus ab eo, quod ſit ſummè verax, vel fallax in dicendo, non infertur formaliter, teſtimonium eſſe ſummè infallibile.

24. Sed contra obijcies: Teſtis occulatus omnibus alijs præfertur ad faciendam fidem; Sed hoc non alia ratione, niſi quia habet ſcientiam rei, quam occulis proſpexit: Ergò ſcientia loquentis, quò maior eſt, tantò maiorem facit fidem, & ad aſſenſum magis certum movet. Sed ſcientia Dei eſt ſumma, infinita, & omninò infallibilis: Ergò ſe ipſa movet ad aſſenſum omninò infallibilem fidei divinę. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: Teſtis occulatus cæteris paribus omnibus alijs præfertur, concedo maiorem: Si excedatur ab alijs multum in veritate, ſivè in veracitate, nego maiorem, & conſequen-

Digitized by Google

tiam, & retorqueo argumentum: Quia etiam ſi aliquis proſpexit rei eventum, ſi tamen conſtat, eum aliquando mẽdacem fuiſſe, ac periurum, legibus ipſis prohibetur à teſtificãdo, & non admittitur vt teſtis, nec fidem facit ſuis dictis; & tamen hoc non eſt defectu ſcientię, ſed veracitatis, à qua conſtat, eum defeciſſe: Ergò ſola ſcientia ſe ipſa non eſt motivum credendi. Vndè argumentum ad ſummum probat, quod ſcientia in homine teſtificante partialiter conſtituat certitudinem ipſius teſtimonij, non autem ſit ratio totalis inferens talis teſtimonij veritatem, ſed ſimul cum veracitate. Vndè ſi duo ſupponantur ęquales in veracitate, ille maiorem facit fidem ſuo teſtimonio, qui maiorem ſcientiam habet, ſicut è contra, ſi duo ſupponantur ęquales in ſcientia rei teſtificatę, ille maiorem fidem facit, qui maiorem veracitatem habere iudicetur.

25. Dices ſecundo: Si nobis proponeretur, vel aliqua humana authoritate, vel alio motivo probabili, aut evidenti, Deum habere ſciẽtiam affirmativam alicuius rei, talis res eſſet à nobis credibilis ex motivo infallibili: Ergò ſcientia divina ſe ſola poteſt eſſe motivum infallibile credendi. Antecedens probatur: Quia ſcientia divina omninò infallibiliter connectitur cum re ſcita: Ergò ſi nobis aliquo medio conſtaret, Deum ſcire aliquam rem, poſſemus ex motivo infallibili credere ipſam rem propter ſcientiam divinam illam infallibiliter affirmantem. Reſpondeo, negando antecedens. Ad probationem, diſtinguo antecedens: Scientia Dei connectitur infallibiliter cum re ſcita, connexione movente fidem, nego antecedens: Connexione movente ſcientiam, vel aliam cognitionem diſcurſivam, tranſeat antecedens, & nego conſequentiam, quia in prædicto caſu ſcientia divina non proponeretur nobis, vt à Deo teſtificata, & revelata, ac proinde non crederemus Deo dicenti; ſed proponeretur nobis, vt aliundè cognita, vel per fidem humanam, & tunc non poſſet movere ad fidem divinam, vt per ſe patet; vel per aliquam opinionem, & tunc præcisè movere poſſet ad opinionem; vel per ſcientiam claram, ſicut beati clarè vident Deum aliquid ſcire, & tunc non generat fidem, ſed ſcientiam evidentem rei ſcitę à Deo. Si autem Deus teſtificaret ſe ſcire aliquid; tunc ſcientia divina non eſſet motivum formale fidei, eum ratione ſui eſſet occulta, ſed obiectum materiale tantum terminativum, revelatum, & creditum, *vt quod* propter teſtimonium Dei dicentis; tanquam propter rationem formalem credendi; quod ſi tunc ſcientia ipſa divina credita tanquam obiectum terminativum fidei moveret ad inferendam rem ſcitam à Deo infallibiter in ſe veram eſſe; iam hoc fieret per diſcurſum theologicum ex principio revelato procedente, ac proinde ſcientia divina non moveret ad aſſenſum fidei formaliter talem, ſed ad concluſionem theologicam per diſcurſum illatam.

26. Dico tertio: *Nec ſola veracitas eſt motivum formale fidei divinę*. Hanc concluſionem communiter probant R. R. ex eo, quod divina veracitas non inclinat ad dicendum verum in re, ſed ſolum ad dicendum verum in mente, ſivè quia ſolum inclinat ad loquendum conformiter ad ſcientiam, non verò conformiter ad res, prout ſunt in ſe. Aſſumptum ſuadent: Quia veracitas ex ſuo genere, ſivè prout abſtrahit à creata, & increata, ſolum inclinat ad dicendum verum in mente, ſivè ad loquendum conformiter ad mentem: Ergò etiam veracitas divina, quę comprehenditur tanquam ſupremum annalogatum ſub veracitate, vt ſic, ſolum inclinat ad dicẽdum conformiter ad mentem. Antecedens probant: Quia ſi forſan aliquis errore invincibili iudicaret, rem ita fuiſſe factam, & hoc ipſum diceret ſicuti iudicabat, minimè incurreret defectum veracitatis, ſed potius loqueretur cum perfecta veracitate: Et tamen non diceret conformiter ad rem, prout in ſe ipſa, ſed ſolum conformiter ad mentem: Ergò veracitas ex proprio conceptu, non inclinat ad dicendum verum in re, ſed tantummodo ad loquendum conformiter ad mentem. Ex quo colligunt prædicti RR. veracitatem, non poni in nobis ad dicendas res, prout ſunt in ſe, ſed ſolum ad loquendum conformiter ad mentem, vel ad coercenda mendacia, quę formaliter conſiſtunt in eo, quod quis loquatur contra mentem, quia hoc ſolum nobis eſt poſſibile, non verò conformiter ad res, prout ſunt in ſe, cum potius hoc excedat ſæpiſsimè noſtram facultatem.

27. E contra verò ſupracitatus M. Carolus à Bayona contendit de conceptu veracitatis eſſe inclinare ad dicendum verum in re, & non præcisè conformiter ad mentem, quod ſanè ſatis efficaciter ſuadet. Primo: Quia experientia ipſa teſtatur, quod quiſquis verax eſt, cum loquitur veraciter, intendit dicere verum in re, & quod ita ſit in re id ipſum, quod loquitur: Qui enim veraciter ait, ſe vidiſſe Regem; non præcisè conatur exprimere ſe ita ſentire, quod viderit Regem, immò id directè, non intendit exprimere, ſed quod ita eſt in rei veritate, quod vidit Regem: Sed huiuſmodi conatus, & intentio eſt à virtute veracitatis: Ergò virtus veracitatis, non ſolum inclinat ad dicendum, vel loquendum conformiter ad mentem, ſed multò magis ad loquendum verum in re.

28. Secundo: Quia virtus veracitatis obligat loquentem ad conſiderandam rei veritatem ante loquutionem, & ad non loquendum inconſideratè ex primo iudicio rei: Sed hæc obligatio eſſet ſuperflua, ſi ſolum inclinaret ad dicendum verum in mente, ſivè ad loquendum conformiter ad mentem: Ergò etiam inclinat ad loquendum verum in re. Maior eſt certa. Minor verò probatur: Quia ad loquendum conformiter ad mentem, nulla conſideratio requiritur de veritata reali rei dicendę, nec veritas raalis rei dicendę vllo modo requiritur, vt loquutio evadat conformis menti, ſed primo iudicio formato, ſivè falſo, ſivè verò in re, loquendo conformiter ad illud iudicium, loquutio erit menti conformiſsima: Ergò ad finem loquendi conformiter ad mentem præcisè, inutilis eſt, & ſuperflua obligatio conſiderandi prius, qualiter res ſe habeat in veritate: Ergò ſi veracitas ex proprio conceptu, ſolum obligaret, & inclinaret ad loquendum conformiter ad mentem, ſuperflua eſſet obligatio ad præviam conſiderationem de veritate rei.

29. Tertio: Magis verax eſt, qui ante loquutionem, cæteris paribus, maturè conſiderat veritatem rei in ſe ipſa, quam illa, qui intrepidè profert ſuum primum iudicium de re: Sed hoc eſſet falſum, ſi veracitas ex proprio conceptu, ſolum inclinaret ad conformanda dicta cum mente: Ergò etiam inclinat ad confirmanda dicta cum rebus. Minor probatur: Quia ſi veracitas ſolom inclinaret ad conformanda dicta cum mente, ſtante ęquali, & non maiori conformitate loquutionis cum mente, ſtaret ęqualis, & non maior veracitas; ſed non maiorem conformitatem loquutionis cum mente aſſequeretur ille, qui matura conſideratione præmiſſa loqueretur, quam ille, qoi primum iudicium proferret ſtatim, ſed omninò ęquales eſſent in conformitate loquotionis cum mente: Ergò non eſſet magis verax ille, quam iſte, quod ſanè alienum eſt à veritate. Vrgetur: Negari non poteſt eſſe in natura rationali legem, & inclinationem ad dicendum verum in re: Sed huiuſmodi lex, & inclinatio non poteſt ad aliam virtutem pertinere, niſi ad virtutem veracitatis: Ergò virtus veracitatis obligat, & inclinat ad dicendum verum in re. Maior probatur: Quia homines lumine naturali inſtruuntur, & ex ipſa ratione inclinantur ad maturè conſiderandum id, quod loquuntur, vt dictum evadat verum in re: Ergò ſignum evidens eſt, quod in natura rationali vt tali datur lex, & inclinatio ad dicendum verum in re.

30. Denique confirmatur: Cum homo verax, facta prius matura conſideratione veritatis, aliquid affirmat, quod poſteà evadit falſum in re, verè dicimus, illum dixiſſe falſum contra propriam inclinationem, & deſiderium: Sed falſitas illa in loquutione non eſſet contra eius inclinationem, & deſiderium, ſi ſolum veracitas inclinaret eum ad loquendum conformiter ad mentem, & non verum in re: Ergo. Minor patet: Quia ſi ſolum veracitas inclinaret ad loquutionem conformiter ad mentem, cum illa loquutio fuiſſet conformiter ad mentem, planè aſſequutus fuiſſet intentum, & ſuam inclinationem adimplevisset, ac proindè quamvis loquutio evaderet falſa in re, eius inclinatio, & intentio non fuiſſet fruſtrata, nec hoc fuiſſet contra illam, quia ille non intendebat, quod eius loquutio eſſet vera in re, ſed tantum conformare illam cum mente: Hoc autem eſſe falſum, quis non videat? Quia enim, ſi verax eſt, non optat, quod eius loquutio ſit vera in re, &, ſi forſan contingat evadere falſam in re, nonnè ſentit ſe fruſtratum à deſiderio ſuo? Optabat igitur dicere verum, non ſolum in mente, ſed etiam in re.

31. Ex his duabus ſententijs, primam iudico falſam, ac proindè inneptam probationem noſtrę concluſionis: ſecundam veram, non tamen contra noſtram concluſionem. Quod ſit vera, ſufficienter demonſtrant rationes præiactę. Ad fundamentum oppoſitę ſententię reſpondeo, quod ille, qui facta matura diſcuſione veritatis, adhùc maneret cum errore in intellectu, & loqueretur iuxta id, quod iudicabat, loqueretur cum perfecta veracitate, & non incurreret defectum veracitatis; cæterum hoc ideò eſſet, quia loqueretur cum perfecta inclinatione ad dicendum verum in re, & intendens ſerio conformare dicta cum rebus; quod ſi id non aſſequeretur, hoc ipſum eſſet contra eius inclinationem, & cōtra conatum ſuę veracitatis, ac proindè non tolleret, nec minueret eius veracitatem, quia non tolleret, nec minueret inclinationem ad dicendum verum in re, licèt illam fruſtraret.

32. Dicere autem, quod veracitas ſolum ponitur in nobis ad loquendum conformiter ad mentem, quia dicere verum in re non eſt in noſtra poteſtate, vt aliqui dicunt, pluſquàm falſum eſt; quia ſi hoc ita eſſet, deſperandum nobis eſſet de veritate noſtrę loquutionis in re, nullaque diligentia facienda, nec ſtudium exhibendum ad loquendum conformiter ad rei veritatem, quod ſanè magna ex parte deſtrueret virtutem, & ſtudium proprium veracitatis, & regulas, ac leges, quibus vtitur ad vitandam falſitatem realem ſuę loquutionis, vt ſunt illę, quę præſcribunt prius conſiderare, an ita ſit in re,

re, quod dicendum eſt: Parum loqui, quia in multiloquio non facilè vitatur mendacium: Solum loqui aſſertivè de rebus, quas maturè conſideratas, & ſcitas habemus, &c. Omnes enim iſtę regulę eo tendunt, vt loquutiones noſtrę verè ſint in re, rebuſque ipſis, de quibus loquimur, conformes, cum tamen ad conformanda dicta cum mente, illę leges neceſſarię non ſint.

33. Addo etiam, quod ſi veracitas ſolum inclinaret ad loquendum verum in mente, iuſtitia ſolum inclinaret ad reddendum debitum in mente, ſivè iuxta mentem. Ex quo etiam ſequeretur, quod iudices ad rectè iudicandum inutilitèr inquirerent, fundum cuinam in rei veritate deberetur, aut cuius eſſet in rei veritate; vt quid enim prædicta inquiſitio ad mentalē iuſtitiam? Similiter ſequeretur de omnibus virtutibus, eas ſolum inclinare ad bonum iuxta mentem, non verò ad bonum in rę. Vndè temperantia non eſſet in nobis ad parcitatem ciborum in re, ſed ad parcitatem iuxta mentē, ac proindè ex virtute temperantię non teneremur ad inquirendam menſuram alimenti iuſtam, & temperatā in re, ſed primo iudicio formato, quod talis menſura ciborum eſſet nobis temperata, non curando an ita eſſet in re, poſſemus eam menſuram eligere, quę iuxta mentem propriam eſſet iuſta, & temperata, & hoc deberemus eſſe cōtenti; & hoc idem dicendum foret de omnibus virtutibus moralibus, quod ſanè eſſet evertere omne ſtudium Moralis Philoſophię, & eius pręcepta, ac leges contemnere, vt alibi, Deo dante, monſtrabo, ideòque à longiori huius diſcuſsione ſuperſedeo.

34. Dices, veracitatem ſolum inclinare ad loquutionem conformiter ad mentem, ſed non vtcumque, ſed conformiter ad mentem maturè, & conſideratè iudicantem. Sed contra: Cur, inquiro, inclinat ad loquendum conformiter ad mentem maturè iudicantem, & non ei ſufficit conformiter ad mentem temerè iudicantem? Sanè non alia ratione, niſi quia maturum, & conſideratum iudicium ſæpiùs invenit veritatem in re, quàm ſubitum, & præcipitatum: Ergò ideò eſt, quia inclinat ad dicendum verum in re. Secundo: Quia etiam poſt maturum iudicium, ſi quis loquatur falſum in re, invenit fruſtratam ſuam intentionem: Ergò ſignum evidens eſt, quod non ſolum optabat loqui conformiter ad maturum iudicium, ſed etiam conformiter ad rem.

35. Veruntamen dico, quod quamvis veracitas ex proprio conceptu incliner ad dicēdum verum in re, non ideò eſt ſe ſola motivum infallibile fidei, ac proindè ex hoc capite invalidè probaſſe M. Bayona ſuum intentum. Hoc autem ſic ſuadeo: Quia quamvis veracitas ſe ſola inclinet ad dicendum verum in re, tamen ſe ſola non reddit teſtimonium divinum verum in re: Sed vt eſſet motivum infallibile fidei, hoc ſecundum erat neceſſarium: Ergò. Maior probatur: Quia licèt veracitas inclinet ad dicendum verum in re, hoc tamen non eſt acquiſibile, niſi media cognitione, qua vtitur tanquam regula ad hoc, vt loquutio evadat conformis ipſi rei: Sed hoc ipſo ſe ſola non ſufficit ad reddendum teſtimonium divinum verum in re: Ergò. Maior patet: Quia quamvis veracitas inclinet ad dicendum verum in re, ipſa tamen cum ſit virtus voluntatis, non eſt ex ſuo conceptu, nec ex propria linea diſcretiva veri, & falſi in re, ſed potius movet intellectum, qui cognoſcitivus eſt, vt quærat, & diſcernat verum in re, & tunc imperat potentiæ loquutivę, vt loquatur illud, quod intellectus invenerit eſſe verum in re: Ergò veracitas ex proprio conceptu, & ſe ſola non aſſequitur loquutionem veram in re, ſed ad eam aſſequendam, vtitur intellectu pro regula. Minor verò probatur: Quia ſupponamus aliquem hominem ſumme veracem, & ſumme inclinatum ad dicendum verum in re, ſi tamen intellectus, quo vtitur pro regula ad inveniendum verum in re, ſit fallibilis, & defectibilis in cognoſcendo, ac proindè falſo iudicet vt verum in re, quod re vera falſum eſt in re, tunc loquutio evadit falſa in re, non defectu veracitatis, ſed ex defectu regulę, qua vtitur ad inveniendum verum in re; Ergò veracitas ſe ſola non ſufficit ad reddendam loquutionem divinam veram, & teſtimonium eius infallibile.

36. Explicatur: Quamvis artifex conetur efficacia poſsibili facere ſciſionem rectā, iſte conatus, præſcindendo à rectitudine regulę, qua neceſſario indiget, non ſuffirit ad faciendam ſciſionem rectam in re, quia, ſcilicèt, quamvis ipſe ex ſua parte ſerram moveat indefectibiliter, & efficacitèr, ſi tamen regula obliqua ſit, ſciſio evadet obliqua: Sed hoc ipſiſsimum contingit in veracitate, quia licèt ipſa ex ſua parte conetur proferre loquutionem veram in re, tamen ad hoc neceſſario indiget pro regula cognitione diſcernente, quid ſit verum in rę, ac proindè, ſi cognitio deficiat à conformitate cum re, loquutio erit falſa ex defectu regulę: Ergò præſcindendo ab infallibilitate cognitionis, veracitas ſola non ſufficit ad reddendam loquutionem veram in re, nec divinum teſtimonium infallibile.

37. Reſpondebis pro Auct. citato, noſtrum diſcurſum verè probare in veracitate creata, quę quamvis inclinet ad dicendum verum in re, tamen

men hæc inclinatio eſt defectibilis, & fruſtrabilis ſuo effectu, & ſine intento defectu regulę; attamen in veracitate divina oppoſitum oppoſitâ ratione contingit, quia veracitas divina, vtpotè virtus voluntatis divinę, eſt ſummè efficax, & infruſtrabilis, indefectibiliſque à fine intento; vndè ſi inclinat ad dicendum verum in re, re ipſa infert infallibiliter ex propria, & peculiari perfectione, loquutionem eſſe veram in re.

38. Sed contra eſt: Quia quantumvis efficax ſit veracitas divina, tamen eius efficacia eſt de linea volitiva, & motiva, & non de linea cognoſcitiva, & diſcretiva veritatis: Ergò quamvis efficaciſsimè velit, & intendat proferre loquutionem veram in re, adhùc tamen per hanc efficaciam non excluditur, quod indigeat pro regula cognitione diſcretiva, & directiva, quam ex ſe, & ex propria linea non habet: Sed hoc ipſo, ſi præſcindamus à rectitudine, & infallibilitate talis regulę, intelligi non poteſt motivum formale, vndè credamus, divinum teſtimonium eſſe omninò infallibile: Ergò quantumvis veracitas divina efficaciſsima ſit, & indefectibilis, ſe ſola nō ſufficit ad reddendum teſtimonium divinum omninò infallibile. Minor probatur, primo exemplo adducto: Quia quantumvis artifex ex proprijs viribus efficaciſsimus ſit in applicando regulam, & movendo inſtrumentum, ſi tamen regula defectuoſa ſit, & inſtrumentum defectuoſum, tota ſua efficacia applicativa, & motiva nihil omninò proderit ad vitandum, quod opus evadat defectuoſum in re: Ergò ſimiliter, ſi veracitas, quę nunc intendit dicere verum in re, indiget intellectu tanquam inſtrumento, & eius cognitione, tanquam regula veritatis realis, nihil omninò proderit tota ſua efficacia, ſi per impoſsibile intellectus divinus, & eius cognitio, fallibilis foret ad infallibilizandum divinum teſtimonium in re: Ergò ſi ſemel præſcindamus ab infallibilitate Dei in cognoſcendo, ſivè à ſumma ſapientia, non habemus motivum formale, nobis perſuadens, divinum teſtimonium eſſe infallibile in re.

39. Ex quà doctrina facilè ſolvuntur, quę prædictus A. pro ſe afferrè poteſt in hunc modum: Ideò enim veracitas creata ſe ſola non reddit veram loquutionem in re, quia quamvis inclinet ad dicendum verum in re, inclinat tamen defectibiliter: Sed veracitas divina non inclinat ad dicendum verum in re defectibiliter, ſed indefectibiliter: Ergò veracitas divina ſe ſola ſufficit ad infallibilizandum divinum teſtimonium. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: Quia inclinat defectibiliter, tàm in propria linea voluntatis, quam in linea extranea intellectus, concedo cauſalem: Quia inclinat defectibiliter præcisè intra propriam lineam voluntatis, nego cauſalem: & diſtinguo minorem: Divina veracitas, non inclinat defectibiliter ad dicendum verum in re, defectibiliter, inquam, intra propriam lineam, concedo minorem: Defectibiliter ex parte intellectus regulantis, ſub diſtinguo: Quia intellectus divinus eſt ſumme infallibilis in cognoſcendo, concedo minorem: Si præſcindamus ab infallibilitate intellectus divini in cognoſcendo, vel in hypoteſi impoſsibili, quod eſſet fallibilis in cognoſcendo, nego minorem, & conſequentiam. Itaque dicimus duplici ex capite teſtimonium hominis veracis eſſe fallibile. Primo, quia quamvis verax ſit, & inclinatus ad dicendum verum in re, tamen cum talis virtus, & inclinatio ex parte voluntatis non ſit infinita, relinquit in voluntate defectum poſsibilem, vt ſcilicèt, retineat potentiam ad velle mentiri; non enim veracitas creata rectificat voluntatem, itaut ei adimat potentiam ad hoc, vt aliquando deficiat à rectitudine veracitatis; vndè quantumvis aliquis homo verax ſit, aliquando tamen voluntariè mentitur ſaltem mendacio levi. Secundo, quia adhùc dato caſu, quod non relinquèret voluntatem defectibilem in propria linea veracitatis, & inclinationis ad dicendum verum in re, tamen cum intellectus humanus fallibilis ſit in cognoſcendo, & aliàs eo vtatur veracitas tanquam regula neceſſaria ad dicendam verum in re, poſſet deficere veritas in re, licèt non defectu veracitatis pertinentis ad voluntatem, tamen defectu ſcientię pertinentis ad intellectum.

40. Ex his ergò duobus capitibus dicimus, aliquod teſtimonium poſſe deficere à veritate in re, ac proindè ſi ſupponamus Deum nedum ſumme veracem ex parte voluntatis, itaque rectificatum in voluntate ad dicendum verum in re, vt non poſsit imperare voluntariè loquutionem falſam in re, & intellectum divinum, ita rectificatum in cognoſcendo, vt non poſsit iudicare, niſi verum in re, ex his duobus capitibus quam optimè infertur, divinum teſtimonium eſſe omninò infallibile; Attamen, ſi ſolum ſupponamus Deum ſumme veracem ex parte voluntatis, & præſcindamus à ſapientia ſumma, & veritate intellectus divini in cognoſcendo, ad ſummum inferre poſſumus, teſtimonium divinum non eſſe fallibile in re, aut eſſe infallibile ex primo capite, quia ſupponimus voluntatem divinam indefectibiliter rectificatam ad dicendum verum, itaut voluntariè non poſsit imperare loquutionem falſam in rè: & in hoc excedit veracitas divina veracitatem humanam, quia veracitas humana non ita rectificat voluntatem, vt illam non relinquat potentem deficere etiam

in-

intra lineam voluntatis. Cæterum ex prædicta rectitudine divinę voluntatis præcisè ſumpta inferre non poſſumus, teſtimonium divinum non eſſe falſum, falſitate involuntaria, & materiali, quę poſſet provenire ex errore intellectus, quia prædicta rectitudo voluntatis per ſummam veracitatem ſolum excludit per ſe, & formaliter defectum, vel defectibilitatem voluntatis intra lineam voluntatis, non tamen excludit per ſe, & formaliter defectibilitatem ex parte intellectus, ex qua poſſet oriri falſitas involuntaria in teſtimonio.

41. Dices forſan: Quod adhùc dato caſu impoſſibili, quod intellectus divinus eſſet fallibilis in cognoſcendo, veracitas tamen divina, quia ſumme recta, ſolum inclinaret ad dicendum id, quod intellectus divinus cognoſceret ſine errore, non verò id, quod errando cognoſceret: Ergò tunc caſus Deus ſolum poſſet loqui id, quod rectè, & ſine errore cognoſceret: Sed eo ipſo, quamvis ad intra eſſet fallibilis in cognoſcendo, tamen ad extra maneret infallibilis in dicendo: Ergò quamvis intellectus divinus per impoſſibile ſupponatur fallibilis ad intra in cognoſcendo, veracitas ſe ſola omninò infallibilizaret divinum teſtimonium ad extra. Reſpondeo, diſtinguendo antecedens: Solum inclinaret ad dicendum id, quod divinus intellectus cognoſceret ſine errore, & ipſa ſe ſola diſcerneret inter errorem, & veritatem, nego antecedens: Et ad diſcernendam veritatem ab errore indigeret intellectu tanquam regula, cōcedo antecedens, & nego conſequentiam; quia dato, quod in tali caſu ſolum inclinaret veracitas ad dicendum id, quod intellectus divinus cognoſceret ſine errore, tamen ipſa veracitas, vtpotè virtus voluntatis, ſe ipſa diſcernere, non poſſet, quodnam eſſet, quod Deus cognoſceret cum errore, & quid cognoſceret ſine errore, ſed ad hoc diſcernendum, indiget intellectu divino reflexe diſcernente inter cognitionem falſam, & veram. Cum autem in eo caſu intellectus eſſet fallibilis, poſſet falli habendo cognitionem falſam in rei veritate, iudicando illam eſſe veram, ac proinde voluntas hac falſa diſcretione regulata poſſet eligere illam loquutionem, quam iudicaret veram in re, cum tamen vera non eſſet in re. Vndè clarè infertur, quod niſi intelligatur ſumma infallibilitas in cognoſcendo, ſola veracitas non ſufficit, vt ex illa intelligamus, divinum teſtimonium eſſe omninò infallibile.

42. Denique dices: Ipſam veracitatem divinam, quia ſumma eſt, & indefectibilis, exigere eſſentialiter regulam omninò infallibilem, & conſequenter intellectum infallibilem in cognoſcendo id, quod loquendum eſt, ac proindè veracitatem divinam ex ſe ipſa, & ex proprio conceptu inferre quidquid requiritur, vt divinum teſtimonium ſit omninò infallibile in re. Sed contra eſt: Quia etiam Deitas ipſa infert quidquid teſtimonium divinum requirit ad hoc, vt ſit verum in re; ſiquidem infert ſummam veracitatem, & ſapientiam divinam, ex quibus oritur omnimoda infallibilitas divini teſtimonij: Et tamen Deitas ipſa iuxta hunc A. & AA. contra quos diſputamus, non eſt motivum formale fidei: Ergò pariter licèt divina veracitas ex ſe ipſa inferat quidquid requiritur ad hoc, vt teſtimonium divinum verum ſit in re, ex hoc non ſequitur, ipſam eſſe motivum formale fidei. Et ratio huius eſt; quia in præſenti non quærimus: An veracitas divina illativè, ſivè illarum perfectionum ratione, quas infert in Deo, ſit motivum formale, & infallibile fidei? Quia in hoc ſenſu, non ſolum veracitas, ſed etiam Deitas, & ipſa ſapientia, & prudentia Dei, & quælibet divina perfectio poſſet dici motivum infallibile fidei; quia quælibet infert ex ratione perfectionis infinitę cæteras omnes perfectiones infinitas divinas ſufficientes, & requiſitas ad infallibilitatem omninodam divini teſtimonij; ſed inquirimus: An veracitas per ſe, & formaliter ratione illius, quod eſt in propria linea, & ex proprio conceptu, ſit motivum infallibile fidei, præſcindendo ab illis perfectionibus, cum quibus connectitur? In hoc autem ſenſu ſatis ex dictis demonſtratum manet, ſolam veracitatem non eſſe motivum formale infallibile fidei, quia ſe ipſa non infallibilizat omninoda infallibilitate teſtimonium divinum. Vndè cum inquis, ipſam inferre infallibilitatem in cognoſcendo, ratione cuius vltimo completur omninoda infallibilitas divini teſtimonij, hoc fatemur, ſed ex hoc non probatur, veracitatem ratione illius, quod eſt in proprie linea formaliter, eſſe motivum infallibile fidei, ſed quod ratione ſui, & ratione infallibilitatis in cognoſcendo, quam infert, & cum qua connectitur, ſit motivum infallibile fidei, quod quidem non negamus in præcedenti concluſione, ſed ſolum primum.

43. Ex alio capite ſecundo ſpecialiter probatur noſtrum aſſertum: Quia iuxta omnes obiectum formale motivum fidei eſt veritas divina: Sed veracitas, quę eſt virtus voluntatis, non eſt veritas divina.: Ergò. Maior, prætérquam quod eſt communiſsima, & D. Thom. patet: Quia obiectum formale fidei divinę debet eſſe aliqua veritas ſpecialis: Sed non eſt veritas creata, vt ſatis conſtat ex ſuprà dictis: Ergò eſt veritas divina, cum non detur veritas media. Maior probatur: Quia fides eſt virtus intellectualis: Sed omnis virtus intellectualis debet ha-

bei

bere pro obiecto motivo aliquam ſpecialem veritatem; ſicut potentia intellectiva habet pro obiecto ſpecificativo *veritatem vt ſic*, & in genere: Ergò fides debet habere pro obiecto motivo aliquam ſpecialem veritatem. Minor verò primi ſyllogiſmi ſic probatur: Quia veracitas, quę eſt virtus voluntatis in primis non eſt veritas divina in eſſendo, quia hæc eſt ipſa Deitas. Deindè non eſt veritas divina in cognoſcendo, quia hæc eſt ſumma ſapientia Dei; nec eſt veritas divina in dicendo: Ergò non eſt veritas divina. Hæc vltima pars antecedentis probatur: Quia veritas in dicendo eſt dictio, vel loquutio divina vera: Sed veracitas divina, quę eſt virtus voluntatis, non eſt loquutio divina vera: Ergò non eſt veritas divina in dicendo. Maior probatur: Quia veritas in cognoſcendo eſt cognitio divina ſummè vera: Ergò veritas in dicendo eſt loquutio divina ſumme vera.

44. Confirmatur: Veracitas eſt virtus divinę voluntatis, quę inclinat ad dicendum verum, & imperat potentię loquutivę, quod dicat verum: Sed eo ipſo veracitas per ſe, & formaliter non eſt vera in dicendo, nec veritas in dicendo: Ergò veracitas non eſt veritas in dicendo formaliter. Minor probatur: Quia virtus, quę imperat, & inclinat ad dicendum verum, ſolum imperativè inducit veritatem in dicendo: Sed virtus, quę ſolam imperativè inducit veritatem in dicendo, non eſt formaliter veritas in dicendo, aliàs enim imperaret ſe ipſam, & nihil à ſe diſtinctum: Ergò eo ipſo, quod veracitas ſe ipſa imperet potentię loquutivę, quod dicat verum, ipſa non eſt veritas in dicendo. Explicatur: Obiectum proprium veracitatis, non eſt ipſa veracitas, ſed adæquatè diſtinctum ab ipſa: Sed dicere verum, vt eſt dicere verum, eſt obiectum veracitatis: Ergò dicere verum, vt eſt dicere verum, eſt adæquatè diſtinctum ab ipſa veracitate: Sed dicere verum, vt eſt dicere verum, formaliter eſt veritas in dicendo: Ergò veritas in dicendo eſt adæquatè diſtincta à veracitate: Ergò ipſa veracitas non eſt formaliter veritas in dicendo.

45. Confirmatur ſecundò: Quia veracitas non eſt attributum de linea veritatis, nec quo Deus conſtituitur in linea veri formaliter, ſed eſt de linea bonitatis, & quo Deus conſtituitur in linea boni formaliter: Sed attributum, quo Deus conſtituitur perfectus in linea boni, & non in linea veri non poteſt eſſe motivum formale, cur credimus Deo loquenti: Ergò veracitas non eſt motivum formale credendi Deo. Maior patet: Quia veracitas, non eſt perfectio, aut attributum de linea intellectus, ſed de linea voluntatis, formaliter loquendo: Sed perfectiones, & attributa de linea voluntatis, tantum ſunt de linea boni, & conſtituunt Deum perfectum in tali linea, non verò in linea veri: Ergò veracitas, non eſt attributum, aut perfectio de linea veri, ſed de linea boni. Minor primi ſyllogiſmi etiam patet: Quia nemò credit Deo formaliter, quia bonus eſt, tanquam per motivum formale, ſed quia verus eſt; in hoc enim diſtinguitur fides, vt virtus intellectualis, à charitate, quę virtus affectiva eſt, quod charitas reſpicit Deum, quia bonus eſt, fides autem, quia verus eſt: Ergò attributum, quo Deus conſtituitur formaliter in linea boni, & non in linea veri, non poteſt eſſe motivum formale, cur credamus Deo.

46. Dico quarto: *Nec veracitas ſimul, & ſapientia, nec ſapientia ſimul cum veracitate eſt motivum formale fidei.* Eſt contra communem ſententiam Societatis, & probatur primo: Quia non aliter poteſt intelligi, quod veracitas, & ſapientia ſimul ſumptę ſint motivum formale fidei, niſi, vel ita, vt vtraque immediatè, & ratione ſui moveret, vel ita vt vna moveret ratione alterius: Sed neutro modo veracitas, & ſapientia ſimul ſumptę ſunt motivum formale fidei, nec poſſunt eſſe: Ergò. Minor quoad ſecundam partem probatur: Quia ſi vtraque ſimul ſumpta ita eſſet motivum fidei, quod vna moveret ratione alterius, & non immediatè, & ratione ſui, non vtraque, ſed vna tantum eſſet ratio formalis motiva fidei: Sed hoc nobiſcum negant AA. contra quos diſputamus: Ergò non poteſt dici, quod vtraque ſimul ſumpta ſit motivum formale fidei, & quod vna moveat ratione alterius. Sequela probatur: Quia ſi vna moveret ratione alterius, illa, quę moveret ratione alterius, non eſſet motivum formale, quia motivum formale, in quantum formale motivum, eſt id, quod ratione ſui movet, & non ratione alterius, ſed eſſet tantum materialiter motivum fidei, quod quamvis moveat, movet ratione alterius; ſicut Deus negari non poteſt, quod ſit motivum fidei, ſed quia non ratione ſui, id eſt, ratione Deitatis, ſed ratione alterius perfectionis, nō eſt motivum formale fidei, ſed tantum materiale: Ergò ſi ſapientia, v. g. non moveret ad fidem immediatè ratione ſui, ſed tantum moveret ratione veracitatis, ſapientia non eſſet motivum formale, ſed purè materiale fidei, & ſola veracitas eſſet totalis ratio, & motivum formale fidei.

47. Deindè probatur minor, quo ad primam partem, ſcilicèt, quod non poſſunt ſimul veracitas, & ſapientia ęquè immediatè ratione ſui movere ad aſſenſum fidei: Quia ſi vtraque virtus, vel perfectio ęquè immediatè, & ratione ſui moveret ad fidem, non eſſent vnicum per ſe motivum fidei, ſed eſſent duo motiva fidei, &

D vnum

vnum tantum per accidens: Sed hoc dici nequit; quia aliàs ſequeretur, fidem non habere vnicum motivum per ſe, ſed duo per ſe diſtincta, duaſque rationes formales per ſe diverſas, licèt eſſent vna per accidens: Ex quo vlterius ſequeretur, fidem non eſſe vnicam virtutem per ſe, & ſpecificè, ſed duas, & vnicam tantum per accidens, & quaſi integraliter, quę omnia ſunt abſurda à nullo admittenda: Ergò veracitas, & ſapientia non poſſunt immediatè movere ad fidem. Sequela probatur: Quia vbicumque duo entia neutrum eſt alteri ratio eſſendi, ſed vtrumque eſt ratione ſui, non ſunt vnum ens per ſe, ſed vnum tantum per accidens, vt patet in duabus formis, aut in duabus exiſtentijs, & ſimiliter quotieſcumque duo principia immediatè agunt ratione ſui, itaut neutrum ſit alteri ratio agēdi, non faciunt vnum principium per ſe eiuſdem operationis, vt alibi probabimus Deo dante: Ergò pariter vbicumque duo motiva neutrum eſt alteri ratio movendi, ſed vtrumque movet ratione ſui immediatè, non poſſunt facere vnum motivum per ſe, ſed tantum vnum per accidens.

48. Secundo probatur concluſio, & tacita ſolutio impugnatur: Quia ſapientia divina ratione ſui, nec partialiter poteſt movere ad aſſenſum fidei; itemque, nec veracitas divina adhùc partialiter poteſt movere ad aſſenſum fidei: Ergò nec vtraque ſimul ſumpta ſunt motivum totale aſſenſus fidei. Conſequentia patet. Antecedens quoad primam partem probatur: Quia ſumma ſapientia Dei ratione ſui eſt adæquatè nobis occulta: Sed eo ipſo non poteſt adhùc partialiter eſſe motivum formale fidei: Ergò. Minor probatur: Quia motivum formale fidei eſt ratio nobis manifeſtans res credendas, ſivè ratione cuius nobis innoteſcunt res credendę: Sed hoc quod eſt adæquatè nobis occultū, non poteſt adhùc partialiter eſſe ratio manifeſtandi nobis res fidei; aliàs enim occultum manifeſtaretur formaliter per occultum: Ergò. Nec valet dicere, eſſe nobis occultam *vt quod*, & eſſe manifeſtā *vt quo*, ac proindè per ſe eſſe rationē manifeſtandi. Contra enim eſt: Quia idem eſt eſſe manifeſtam *vt quo*, ac eſſe rationem manifeſtandi: Sed implicat eſſe adæquatè *vt quod* nobis occultam per ſe, & eſſe rationem manifeſtandi: Ergò implicat per ſe *vt quod* eſſe occultam, & eſſe manifeſtam *vt quo*. Minor patet primo ex dictis: Quia aliàs occultum manifeſtaretur formaliter ratione occulti, quod nō minus repugnat, quàm ignotum declarari formaliter per ignotum. Secundo: Quia quod præſtat aliquem effectum *vt quo*, ſivè eſt ratio formalis alicuius effectus, ſi ſit in ſe capax illius effectus, per prius præſtat ſibi talem effectum, quàm alijs *vt quod*: Sed ſcientia divina eſt capax, vt manifeſtetur nobis *vt quod*: Ergò ſi per ſe eſt manifeſta *vt quo*, ſivè ratio manifeſtandi, prius redderet ſe ipſam manifeſtam *vt quod*, quàm alia: Ergò per ſe ipſam eſſet manifeſta *vt quod*, & non ſolum *vt quo*. Sed hoc eſt falſum: Ergò nequit dici, quod ſit manifeſta *vt quo*.

49. Deindè probatur primum antecedens, quoad ſecundam partem, etiam ex dictis: Quia veracitas adhùc inadæquatè, & partialiter non eſt de linea veri, nec eſt veritas, nec conſtituit Deum partialiter verum in dicendo, cum ſit virtus adæquatè affectiva de linea boni, ſivè de linea voluntatis: Sed motivum fidei debet eſſe de linea veri, debetque conſtituere veritatem in dicendo, eo modo, quo eſt motivum fidei, ſi totaliter, totaliter, ſi partialiter, partialiter: Ergò veracitas, prout eſt virtus voluntatis adhùc partialiter non eſt motivum formale fidei. Confirmatur: Veracitas imperat loquutionem, & teſtimonium verum in re, vt ſuprà probavimus: Ergò habet pro obiecto teſtimonium verum in re: Sed obiectum virtutis adæquatè diſtinguitur à tali virtute: Ergò teſtimonium divinum in re verum, adæquatè diſtinguitur à virtute veracitatis: Sed teſtimonium divinum eſt veritas in dicendo: Ergò veritas in dicendo adæquatè diſtinguitur à veracitate: Sed veritas in dicendo, eſt motivum adæquatum fidei: Ergò motivum formale adæquatum fidei adæquatè diſtinguitur à veracitate: Ergò veracitas adhùc partialiter non eſt motivum fidei.

50. Denique confirmatur: Quia veracitas divina imperat, & ſumma ſapientia dirigit ad loquendum verum in re: Ergò loquutio vera in re, eſt directa à ſumma ſapientia, & imperata à ſumma veracitate: Sed eo ipſo debet eſſe adæquatè diſtincta à ſumma ſapientia, & veracitate; quia omnis actus directus, & imperatus adæquatè diſtinguitur ab imperio, & ſcientia dirigente: Ergò loquutio divina, vt vera in re, adæquatè diſtinguitur à ſumma ſapientia, & veracitate: Sed loquutio divina, vt vera in re, eſt motivum formale, & infallibile fidei, vt ſtatim dicam: Ergò.

§. III.

Noſtra ſententia proponitur, & authoritate probatur.

51. ANtequam noſtram ſententiam proponamus breviter adverto ex doctrina D. Thom. & omnium Thomiſtarum, loquutionem divinam eſſe actionem Dei formaliter intrinſecam ipſi Deo, licèt vir-

virtualiter ſit tranſiens, quatenus producit ſignum ad extra, quo mediante auditur à nobis, nam omnis actio Dei ad extra eſt formaliter in ipſo Deo, vt ex D. Thom. abundè probatum relinquo *Tract. de Provident. quæſt. 9.* Noto ſecundo, potentiam, qua Deus loquitur ad extra, eſſe divinum intellectum cum ſubordinatione ad voluntatem, eiuſque loquutionem eſſe operationem intellectualem, per quam Deus ex imperio voluntatis ordinat proprium, & internum conceptum ad audientem, ſivè audiens ſit Angelus, ſivè ſit homo. Hoc patet: Quia ſimili modo explicat D. Thom. loquutionem Angelorum *1. part. quæſt. 107. art. 1. in corp. & art. 4. in corp.* Ad cuius modum debemus intelligere loquutionem Dei, cum hac ſolum differentia, quod loquutio Angeli non eſt adeò efficax, & ſemper debeat efficere aliquem effectum, vi cuius audiatur; at verò loqutio divina ſemper eſt aliquomodo practica, ſemperque producit ſignum ad extra, vi cuius percipiatur.

52. Denique adverto cum M. Ferre in præſenti, non eſſe dividendam loquutionem, ſivè revelationem Dei in internam, & externam, in paſsivam, & activam, quaſi ſint duę revelationes propriè tales, vna conſiſtens in actione Dei formaliter immanenti, & tantum virtualiter tranſeunti, & aliam, quę conſiſtat in ſigno, vel in termino ad extra producto, nam huiuſmodi ſignum, propriè loquendo, non eſt loquutio, nec revelatio divina, quia non eſt divina actio; ſed vnicè admittendam eſſe vnicam revelationem, & loquutionem, quę ſumi poteſt propriè, & activè, & hoc pacto ſumitur pro actione Dei explicata, vel terminativè, aut paſsivè pro termino producto per talem loquutionem, & ſic dicitur impropriè loquutio.

53. Hoc igitur ſuppoſito, dico: *Motivum formale, & adæquatam fidei eſſe divinam revelationem, vel divinum teſtimonium actuale in actione prædicta conſiſtens, veracitate, & ſapientia tantum ſe habentibus præſuppoſitivè.* Ita in præſenti M. Ioannes à S. Thom. *diſput. 1. art. 1.* & M. Ferre *quæſt. 2. num. 34.* Licèt antecedenter videatur ſentire, ſolam veracitatem ſuficere pro motivo formali fidei; ac denique in manuſcriptis RR.P.N.Fr. Auguſtinus de Ocaña, in noſtro Complutenſi Collegio hanc ſententiam mirè illuſtravit, ac lato calamo pertractavit, nihil fore nobis relinquens addendum, quapropter eius veſtigijs inhærentes prædictam concluſionem ſic.

54. Primo ſuademus: Nam in Sacro Textu ſæpiſsimè ponitur pro motivo credendi fide divina, revelatio, teſtimonium, ſivè loquutio Dei præcisè, & nihil aliud: Ergò ſolum divinum teſtimonium, ſivè divina revelatio eſt motivum formale fidei. Antecedens patet primo ex *Epiſt. 1. Ioann. cap. 5.* ſic aientis: *Si teſtimonium hominum accipitis, teſtimonium Dei maius eſt.* Quaſi diceret: Si creditis propter teſtimonium hominum, credere etiam debetis propter teſtimonium Dei, quia maius eſt. Et ex illo Matth. cap. 16. *Beatus eſt Simon Bar-Ionna, quia caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in Cælis eſt.* Et ipſi Prophetę, vt vrgerent, & moverent populos ad credendum, non aliud motivum proponebant, niſi: *Hæc dicit Dominus*, profectò declarantes, motivum totale fidei, ſivè credendi res dictas à Deo, aliud non eſſe, niſi quia *Deus dicit*: Ergò dicere Dei, ſivè divina loquutio eſt motivum formale fidei. Deindè PP. idem teſtimonium aſsignant pro ratione motiva fidei. Vndè Athanaſius in oratione: *Quod vnus eſt Chriſtus*, ait: Non habent fideles humilem aliquam rationem, vt credant, ſed ſublimen, ſcilicèt, atteſtationem Dei: Ergò atteſtatio Dei, ſivè divinum teſtimonium activè ſumptum, eſt ratio ſublimis, propter quam credunt fideles, & conſequenter eſt motivum formale fidei.

55. Deindè probatur ex D. Thom. *in præſenti art. 1. in corp.* vbi ſic ait: *Si conſideremus rationem formalem obiecti, nihil eſt aliud, quam veritas prima; non enim fides, de qua loquimur, aſſentit alicui, niſi quia eſt à Deo revelatum.* Ergò revelatio divina non eſt pura conditio ad credendum, vt aliqui autumnant, ſed ratio formalis ex parte obiecti ad credendum, ſiquidem de hac loquitur expreſsè D. Thom. Sed dices, quod D. Thom. ait, nihil aliud eſſe rationem formalem obiecti fidei, niſi primam veritatem: Sed revelatio eſt aliquid præter primam veritatem: Ergò revelatio non eſt motivum, aut ratio formalis obiectiva fidei. Reſpondeo, diſtinguendo minorem: Revelatio eſt aliquid præter primam veritatem in dicendo, nego minorem: Præter primam veritatem in eſſendo, aut in cognoſcendo, concedo minorem. Ex quo tantummodo ſequitur, D. Thom. cum dixit, rationem formalem credendi nihil aliud eſſe, quàm primam veritatem, loquutum fuiſſe de prima veritate in dicendo, quę eſt ipſiſsima revelatio divina. Quod quidem conſtat; quia ſi pro prima veritate intelligeret aliquid diſtinctum à divina revelatione, & pro revelatione aliquid diſtinctum à prima veritate, apertè ſibi contradiceret, dicendo prius, nihil aliud eſſe rationem obiectivam credendi, niſi primam veritatem, & poſteà affirmando, neminem aliquid credere, niſi quia à Deo revelatum, quia iam aſsignaret aliud motivum diſtinctum credendi, aliamque rationem formalem.

56. Vndè ſic argumentor: Iuxta Div. Thom. non credimus myſteria fidei, niſi quia ſunt à Deo revelata: Ergò nobis non eſt alia ratio obiectiva credendi, niſi divina revelatio. Sed etiam iuxta ipſum D. Thom. nihil aliud eſt ratio obiectiva credendi, niſi veritas prima: Ergò iuxta D. Thom. veritas prima, non eſt alia ratio obiectiva credendi præter divinam revelationem, ſed eſt ipſa divina revelatio, vt verè dicens ad extra. Et quod hæc ſit expreſſa mens Div. Thom. conſtat *ex 3. ſentent. diſt. 29. art. 6. ad 1.* vbi ait: *Dicendum, quod obiectum fidei, non eſt veritas prima ſecundum, quod eſt in re exiſtens tantum, ſed ſecundum, quod eſt nobis divinitus annuntiata, quia fides ex auditu, & ideò, quia omnia, quæ ſunt fidei annuntiata ſunt nobis eodem modo, ideò æqualis certitudo de eis habetur*: Ergò veritas prima, quę eſt obiectum formale fidei, non eſt prima varitas, prout eſt in ſe ad intra, ſed prout eſt veritas prima nobis revelans ad extra, quę eſt prima veritas revelans, ſivè prima veritas in dicendo. Confirmatur: Æqualis certitudo in fide ſolum poteſt procedere ex ęqualitate motivi formalis credendi: Sed D. Thom. probat ęqualitatem certitudinis in fide omnium myſteriorum, quia omnia ſunt ęqualiter nobis annuntiata: Ergò ſentit annuntiationem ipſam activam Dei, quę ſolum eſt ęqualis in omnibus myſterijs, eſſe motivum formale fidei.

57. Confirmatur ſecundo *ex quæſt. 14. de verit. art. 8. ad 16.* vbi ait: *Teſtimonium ipſum veritatis primę ſe habet in fide, vt principium in ſcientijs demonſtrativis*: Sed motivum formale, & adæquatum aſſentiendi concluſioni in ſciẽtijs demonſtrativis eſt principium, ex quo infertur concluſio: Ergò motivum adæquatum aſſentiendi rebus fidei eſt teſtimonium veritatis primę. Confirmatur tertio ex eodem Ang. Præcept. *in diſput. quæſt. vnica de ſpe, artic. 1. in corp.* paulò poſt medium, vbi ſic ait: *Fides non habet rationem virtutis, niſi in quantum inhæret teſtimonio veritatis primę, vt ei credat, quod ab ipſa manifeſtatur. Vndè, & ſpes habet rationem virtutis ex hoc ipſo, quod homo inhæret auxilio divinæ poteſtatis.* Et ad 4. ait: *Quod ſpes ſecundum, quod reſpicit obiectum formale, ſcilicèt, auxilium divinum, ſic eſt diſpoſitio perfecti. Et ſimile etiam eſt de fide, quę habet imperfectionem, eo quod nondum videt ea, quę credit, habet autem perfectionem ex eo, quod inhęret teſtimonio veritatis primę.* Ex quibus D. Thom. verbis evidentiſsimè patet Ang. Præcept. in omnibus aſsimilare fidem ſpei quantum ad hoc, quod ſicut obiectum formale ſpei eſt auxilium divinum, cui inhæret, qui ſperat, ad conſequendam rem ſperatam; ita obiectum formale fidei eſt divinum teſtimonium, cui inhæret, qui credit, ad aſſentiendum rebus fidei. Tunc ſic: Sed totale motivum ſpei eſt auxilium divinum, vt perſpicuè ait D Thom. in verbis relatis: Ergò motivum adæquatum fidei eſt divinum teſtimonium.

58. Explicatur: Quamvis auxilium divinum provenire debeat ex divina miſericordia, quę inclinat Deum ad auxiliandam infirmitatem noſtram, & ſumma ſapientia Dei, quę dirigere debet Deũ auxiliantem; nullus tamen dixit, obiectũ formale motivũ ſpei eſſe divinam miſericordiam, prout eſt virtus voluntatis, nec ſapientiam Dei, prout directivam, ſed tantummodo auxilium divinum, vel ipſam omnipotentiam, vt auxiliantem in actu ſecundo: Sed iuxta D. Thom. ſimiliter eſt dicendum de fide, ac de ſpe: Ergò quamvis divinum teſtimonium neceſſario proveniat ex divina veracitate, tanquam ex virtute inclinante ad dicendum verum in re, & ex ſapientia dirigente ad verum teſtimonium, nec veracitas, nec ſapientia debent eſſe motivum formale fidei, adhùc inadæquatè, ſed totale, & vnicum motivum formale debet eſſe teſtimonium divinum, prout à ſapientia, & veracitate virtualiter diſtinctum.

59. Sed dices: Auxilium divinum ex ſe, & ab intrinſeco habere efficaciam omninò infruſtrabilem ad vincendas difficultates occurrentes ad aſſequendam beatitudinem, ideòque auxilium divinum ſe ſolo, præſcindendo à miſericordia, & ſapientia dirigente, eſt motivum ſpei, in quo præcisè poteſt niti ſpes; attamen teſtimonium divinum, non poſſe intelligi verum in re veritate omninò infallibili, præſcindendo à ſumma ſapientia, & veracitate, ac proindè, præſcindendo à ſumma ſapientia, & veracitate, non poſſe intelligi motivum formale fidei.

60. Sed contra eſt: Quia non minus infinitus eſt Deus, ac perfectiſsimus in linea, & munere teſtificantis, quàm in linea, & munere auxiliantis: Sed quia Deus eſt infinitus, & perfectiſsimus in linea, & munere auxiliantis, adiuvat nos auxilio intrinſecè, & eſſentialiter infruſtrabili: Ergò quia perfectiſsimus, & infinitus eſt in linea teſtificantis, teſtificat teſtimonio intrinſecè, & eſſentialiter infallibili. Conſequentia patet: Quia ſicut ad perfectionem auxiliantis pertinet, quod eius auxilium ſit ita efficax, quod ſit infruſtrabile, cur ad perfectionem teſtificantis non attinebit, quod eius teſtimonium ſit infallibile? Ergò ſi ad ſummam perfectionem Dei pertinet, quod eius auxilium, prout virtualiter diſtinctum à miſericordia imperante, & à ſcientia dirigente ſit ratione ſui intrinſecè, & eſſentialiter infruſtrabile; pariter ad eius ſummam perfectionem pertinebit, quod eius teſtimonium,

prout

prout diſtinctum virtualiter à veracitate imperante, & ſcientia dirigente, ſit ratione ſui intrinſecè, & eſſentialiter infallibile.

61. Confirmatur: Ideò divinum auxilium, prout virtualiter diſtinctum à ſapientia, & miſericordia, eſt motivum adæquatum ſpei, quia in ipſo divino auxilio invenitur infruſtrabiliter efficacia victrix difficultatum: Sed etiam in divino teſtimonio invenitur veritas infallibiliter: Ergò etiam divinum teſtimonium, prout virtualiter, ſivè expreſsivè diſtinctum à ſapientia, & veracitate, eſt motivum totale fidei. Minor eſt expreſſa D.Thom. *quæſt.* 14. *de verit. art.* 8. *in corp.* vbi poſtquàm dixit, fidem, vel eius aſſenſum debere eſſe infallibiliter verum, eo quod virtus intellectualis eſt, ſic proſequitur: *Oportet igitur, quod hoc habeat ex eo, quod adhæret alicui teſtimonio, in quo infallibiliter veritas invenitur*: Ergò in divino teſtimonio invenitur veritas infallibiliter. Vndè proſequitur Ang.D. *Sicut autem eſſe creatum, quantum eſt de ſe, vanum eſt, & defectibile, niſi contineatur ab ente increato, ita omnis creata veritas defectibilis eſt, niſi quatenus per veritatem increatam rectificatur. Vndè neque hominis, neque Angeli teſtimonio aſſentire infallibiliter in veritatem duceret, niſi quantum in eis loquentis Dei teſtimonium conſideratur.*

§. IV.

Noſtra concluſio ratione probatur.

62. Ratione probatur noſtra ſententia: Quia illud eſt motivum formale, ſivè ratio formalis ſub qua fidei, ratione cuius myſteria fidei conſtituuntur proximè, & formaliter credibilia: Sed per ſolum divinum teſtimonium, ſivè per ſolam actualem revelationem myſteria fidei conſtituuntur proximè, & formaliter credibilia: Ergò ſolum divinum teſtimonium, ſivè revelatio divina eſt motivum formale, ſivè ratio formalis ſub qua fidei. Diſcurſus eſt legitimus, præmiſſę reſtant probandę, & in primis probatur maior: Quia obiectum formale motivum cuiuſcumque facultatis eſt illud, vi cuius obiectum materiale, vel terminativum conſtituitur proximè, & formaliter attingibile à tali facultate, vt ab inductione conſtat in omnibus potentijs, & habitibus: Sed obiectum materiale, vel terminativum noſtrę fidei ſunt myſteria: Ergò illud eſt obiectum formale motivum noſtrę fidei, vi cuius myſteria conſtituuntur proximè, & formaliter credibilia. Deindè probatur minor: Quia ea ratio, qua præcisè ſuperveniente, tranſeunt myſteria noſtrę fidei de eſſe remotè credibilia ad eſſe proximè, & formaliter credibilia, ſe ſola conſtituit myſteria noſtrę fidei proximè, & formaliter credibilia: Sed ſola ſuperveniente revelatione divina, tranſeunt myſteria de eſſe tantum remotè credibilia ad eſſe proximè, & formaliter credibilia: Ergò ſola divina revelatio, ſivè actuale Dei teſtimonium conſtituit myſteria proximè, & formaliter credibilia. Maior ex terminis videtur evidens. Minor verò probatur: Quia quodlibet myſterium, antequam revelaretur, non erat proximè, & formaliter, ſed tantum remotè credibile: Sed adveniente revelatione, iam eſt proximè, & formaliter credibile: Ergò.

63. Confirmatur: Etiam ſi præintelligatur in Deo ſumma ſapientia, & veracitas, ſivè quæcumque alia perfectio, ſi nondum intelligatur revelatio actualis alicuius myſterij, tale myſterium intelligitur remotè credibile: Sed eo præcisè, quod actu reveletur tale myſterium, fit proximè, & formaliter credibile: Ergò tota ratio quarè myſterium ſit proximè, & formaliter credibile eſt ſola divina revelatio, & conſequenter ſola eſt ratio formalis obiectiva fidei. Maior probatur: Quia quacumque perfectione in Deo intellecta, ſi nondum intelligitur revelatio myſterij, myſterium tantum intelligitur revelabile, non autem revelatum: Sed myſterium revelabile non revelatum, tantum eſt remotè credibile: Ergò ſi nondum intelligitur revelatio, myſterium ſolum intelligitur remotè credibile.

64. Reſpondebis primo, revelationem tantummodo eſſe conditionem requiſitam per modum applicationis applicantis rationem formalem motivam ad obiectum materiale, ideòque ea deficiente, obiectum materiale, ſcilicet, myſterium, tantum eſſe remotè credibile, non quidem defectu rationis formalis, ſed defectu applicationis; admodum quo, quamvis aliquod obiectum ſit revelatum, ſi tamen talis revelatio, non ſit ab Eccleſia propoſita, myſterium non eſt proximè credibile, ſed deficit Eccleſię propoſitio, vt fiat proximè credibile, licèt propoſitio Eccleſię ſit tantummodo conditio, & applicatio rationis formalis credendi.

65. Sed contra eſt primo: Quia ideò propoſitio Eccleſię eſt conditio per modum applicantis, quia applicat rationem formalem motivam fidei: Sed ſolum applicat, & proponit divinam revelationem, intimando fidelibus, myſterium eſſe à Deo revelatum: Ergò ſola divina revelatio eſt ratio formalis motiva fidei. Explicatur: Nihil communius inter AA. quam quod propoſitio Eccleſię concurrit ex parte obiecti ad fidem per modum applicationis motivi formalis ad credendum: Ergò certiſsimum eſt, quod Eccleſia per ſuam propoſitionem applicat, & in-

intimat fidelibus, veluti Dei internuntius, motivum formale credendi. Tunc ſic: Sed non applicat, nec intimat fidelibus Dei veracitatem, & ſapientiam, ſed tantummodo revelationem Dei de myſterio: Ergò motivum formale credendi, non eſt Dei veracitas, aut ſapientia, ſed divina revelatio. Minor ſubſumpta probatur: Quia Eccleſia, vt obliget ad credendum myſterium, præcisè intimat fidelibus, Deum tale myſterium dixiſſe; quod autem Deus ſit ſumme verax, & ſumme ſapiens, quaſi per ſe notum præſupponit: Sicuti Prophetę ad obligandum populum vt crederent, præcisè dicebant: *Hæc dicit Dominus*, non autem intimabant veracitatem, & ſapientiam. Quod ſi aliquando, tàm Prophetę, quàm Eccleſia proponant Dei veracitatem, & ſapientiam, eas non proponunt, vt motivum formale, & immediatum fidei, ſed vt motivum extrinſecum, & remotum, modo, quo poſteà explicavimus: Ergò Eccleſia pro motivo formali credendi præcisè applicat, & intimat fidelibus divinam revelationem. Ex quo patet, quod ſi Eccleſię propoſitio eſt pura conditio ad credendum, eo quod ſe habet per modum applicationis, vt fatetur ſolutio, eo ipſo ſequitur, divinam revelationem, quam Eccleſia applicat, & intimat fidelibus, non eſſe puram applicationem; aliàs enim applicatio Eccleſię eſſet applicatio applicationis, & non rationis formalis, contra omnem exiſtimationem AA. ſed eſſe rationem formalem motivam credendi.

66. Contra ſecundo: Quia adhuc deficiente applicatione Eccleſię, dummodo myſterium ſit re ipſa revelatum, iam ex parte obiecti eſt formaliter, & proximè credibile, cum iam habeat rationem formalem motivam fidei, ſcilicèt, eſſe revelatum; propoſitio enim Eccleſię ſolum eſt conditio applicans, & proponens obiectum aliundè iam proximè credibile, vt de facto credatur: Sicuti virtus ignis ex parte ſua ante applicationem iam eſt proximè combuſtiva, & applicatio ſolum requiritur per modum conditionis applicantis vim ex ſe proximè combuſtivam: Atqui deficiente revelatione myſterij ex parte obiecti, nondum intelligitur proximè, & formaliter credibile, vt probatum manet: Ergò revelatio, non eſt pura conditio, ſicut applicatio Eccleſię, ſed eſt ratio formalis motiva fidei.

67. Contra tertio: Qua nulla eſt ratio formalis motiva fidei divinę, quę applicetur per divinam revelationem: Ergò divina revelatio, non eſt pura applicatio rationis formalis motivę fidei, nec ex hoc capite pura conditio. Antecedens probatur: Quia ſi aliqua eſſet ratio formalis applicata per divinam revelationem, maximè, vel divina ſapientia, vel divina veracitas, vel vtraque ſimul: Sed neutra, nec vtraque ſimul eſt ratio formalis motiva fidei: Ergò nulla eſt ratio formalis motiva fidei. Minor probanda eſt ex dictis *ſuprà à num.* 23. Quarto: Quia ſi revelatio eſſet pura conditio, falſum eſſet, fidem non aſſentiri myſterio, niſi quia à Deo revelatum: Sed hoc eſt verum, & à D. Thom. aſſertum, vt ſuprà vidimus: Ergò revelatio non eſt pura conditio: Maior probatur: Quia dicere fidem non aſſentiri myſterio, niſi quia à Deo revelatum, eſt dicere, non eſſe aliam rationem aſſentiendi myſterio, niſi quià eſt revelatum: Sed hoc eſſet falſum, ſi revelatio tantum eſſet pura conditio ad aſſentiendum: quia præter conditionem eſt alia ratio aſſentiendi, ſcilicèt, ratio formalis motiva fidei: Ergò.

68. Secundo probatur concluſio: Quia divinum teſtimonium, ſivè divina revelatio intrinſecè, & ratione ſui habet quidquid requiritur ad movendam fidem: Ergò intrinſecè, & ratione ſui eſt motivum formale fidei. Antecedens probatur: Ad movendam fidem præcisè requiritur authoritas dicentis ſumme, & omninò infallibilis: Sed in divino teſtimonio intrinſecè, & ratione ſui reperitur authoritas dicentis ſumme, & omninò infallibilis: Ergò divinum teſtimonium intrinſecè, & ratione ſui habet quidquid requiritur ad movendam fidem. Minor probatur: Quia divinum teſtimonium intrinſecè, & ratione ſui eſt maximè conforme cum obiecto, non ſolum, prout eſt in mente, ſed etiam prout eſt in re: Sed in hoc conſiſtit authoritas dicentis ſumme, & omninò infallibilis: Ergò in divino teſtimonio reperitur authoritas dicentis ſumme, & omninò infallibilis. Maior probatur: Quia divinum teſtimonium intrinſecè, & ratione ſui debet habere omnem perfectionem proprię lineę: Sed conformitas cum obiecto teſtificato, non ſolum prout in mente, ſed etiam prout in re, eſt perfectio propriè ſpectans ad lineam divini teſtimonij, & divinę revelationis: Ergò divinum teſtimonium intrinſecè, & ratione ſui eſt ſumme conforme cum obiecto, non ſolum prout in mente, ſed etiam prout in re. Explicatur: Loquutio divina intrinſecè, & ratione ſui eſt maximè perfecta in ratione loquutionis: Ergò intrinſecè, & ratione ſui excludit omnem imperfectionem in ratione loquutionis: Sed non ſolum diſconformitas cum mente, ſed etiam diſconformitas cum obiecto, prout eſt in re, eſt imperfectio loquutionis propria: Ergò divina loquutio intrinſecè, & formaliter excludit, non ſolum diſconformitatem ſui cum mente, ſed etiam cum obiecto, prout eſt in re, & conſequenter eſt eſſentialiter infallibilis. Minor ſub-

ſump-

ſumpta probatur: Quia teſtimonium non conforme cum obiecto, prout eſt in re, eſt defectuoſum in ratione teſtimonij: Ergò non ſolum diſconformitas cum mente, ſed etiam cum obiecto, prout eſt in re, eſt imperfectio propria loquutionis. Antecedens probatur: Quia teſtimonium, & loquutio ex natura ſua, non ſolum ordinatur ad manifeſtandos conceptus, ſed etiam & multò principalius ad manifeſtanda obiecta, prout ſunt in re: Ergò non ſolum teſtimonium erit intrinſecè defectuoſum, quando non conformatur cum mente, ſed etiam quando deficit à conformitate cum obiecto, prout eſt in re. Antecedens probatur: Quia teſtimonium, ſivè loquutio ex propria natura loquutionis, eſt ordinatum ad manifeſtandum id ipſum, quod loquens intendit manifeſtare, dum loquitur: Sed loquens, dum loquitur, non præcisè intendit manifeſtare quid habeat in conceptu, ſed multò principalius, quid obiectum ſit in re, vel qualiter in re ſe habeat: Cum enim dico: *Petrum obiiſſe*, non intendo manifeſtare tantum, quod Petrus in mea mente mortuus exiſtimetur, ſed multò principalius intendo manifeſtare audienti, quod Petrus in re mortuus eſt: Ergò teſtimonium, & loquutio ex natura ſua, non ſolum ordinantur ad maniſeſtandos conceptus loquentis, ſed multò principalius ad manifeſtandum obiectum prout in re.

69. Vrgetur: Veracitas divina eſt inclinatio ſumma, & omninò infallibilis ad loquendum verum, non ſolum in mente, ſed etiam in re, vt ſuprà probatum relinquimus, & loquutio divina eſt quaſi inſtrumentum divinę veracitatis ad ſuum finem: Sed inſtrumentum ex natura ſua ordinatur ad finem principalis agentis: Ergò divina loquutio ex natura ſua ordinatur, non ſolum ad loquẽdum verum in mente, ſed etiam in re: Ergò non ſolum ſpectat ad eius intrinſecam perfectionem, & eſſentiam, quod ſit conformis cum mente, ſed etiam multò principalius cum obiecto prout in re.

70. Dices, hoc ad ſummum probare, quod divinum teſtimonium ſit ex natura ſua, & intrinſecè verum in re, non verò quod intrinſecè, & ratione ſui ſit omninò infallibile, quia teſtimonium divinum eſſe infallibile, vltrà eſſe verum in re, addit, quod Deus nec poſſit fallere, nec falli; hoc autem, non habet divinum teſtimonium ratione ſui, ſed ratione veracitatis, vi cuius Deus eſt impotens fallere, & ratione ſummę ſapientię, vi cuius eſt impotens falli. Sed contra: Quia noſtra ratio, non vt cumque probat divinum teſtimonium eſſe verum in re, ſed eſſe eſſentialiter, & ex natura ſua verum in re: Sed idem eſt eſſe intrinſecè, & ex natura ſua verum in re, ac eſſe ex natura ſua, & intrinſecè omninò infallibile: Ergò hoc ſecundum, & non ſolum primum probat noſtra ratio. Minor probatur: Quia teſtimonium divinum intrinſecè, & eſſentialiter eſſe verum in re, eſt idem formaliter, ac illi repugnare eſſentialiter eſſe falſum in re: Sed illi repugnare eſſentialiter eſſe falſum in re, eſt eſſe eſſentialiter omninò infallibile: Ergò idem eſt eſſe eſſentialiter, & ex natura ſua verum in re, ac eſſe intrinſecè, & eſſentialiter omninò infallibile.

71. Contra ſecundo: Quia licèt Deus per ſummam veracitatem, & per ſummam ſapientiam conſtituatur quaſi in actu primo impotens fallere, & falli, huiuſmodi tamen infallibilitas, licèt præſupponatur ad motivum formale fidei divinę, non tamen eſt, quę formaliter movet ad fidem: Ergò recurſus ad ſummam veracitatem, & ſapientiam inutilis eſt ad conſtituendum obiectum formale fidei divinę. Probatur antecedens: Quia infallibilitas, quę formaliter, & ratione ſui movet ad fidem, eſt infallibilitas in ipſo actu ſecūdo loquendi; non autem quę præſupponitur ad actum ſecundum loquendi: Sed infallibilitas, quàm Deus habet in actu primo ratione ſummę ſapientię, non eſt infallibilitas in actu ſecundo loquendi, ſed præſuppoſitivè ſe habet ad actum ſecundum loquendi: Ergò prædicta infallibilitas, non eſt motivum formale fidei divinę. Maior probatur: Quia omnis infallibilitas, quę præſupponitur ad actum ſecundum loquendi, pro illo priori non movet ad credendum; antequam enim Deus intelligatur in actu ſecundo loquens, neutiquam movet intellectum ad credendum, niſi velis, Deum movere ad credenda myſteria nondum revelata: Ergò ſola infallibilitas in actu ſecundo loquendi eſt, quę movet ratione ſui ad fidem.

72. Contra tertio: Quia triplex in Deo poteſt diſtingui authoritas, aut infallibilitas. Prima ex parte ſummę ſapientię, quę eſt ſolum authoritas, & infallibilitas Dei reduplicativè, vt cognoſcentis ad intra. Secunda ex parte divinę veracitatis, vi cuius Deus ſolum inclinativè, aut imperativè, poteſt dici ſummè infallibilis, non autem formaliter. Tertia ex parte divinę loquutionis, & revelationis, & hæc vltima tantùm eſt authoritas, & infallibilitas Dei dicentis reduplicativè vt dicentis: Sed nec authoritas Dei vt cognoſcentis ad intra formaliter, nec authoritas Dei, vt inclinantis ex parte voluntatis ad loquendum ad extra, ſed ſolum authoritas Dei dicentis, reduplicativè, vt dicentis ad extra formaliter, eſt obiectum formale motivum ad credendum: Ergò ſola tertia authoritas ex parte divinæ

vini teſtimonij eſt motivum formale ad credendum: Ergò ad motivum formale credendi inutiliter fit recurſus ad ſummam ſapientiam, & veracitatem.

§. V.

Solvuntur argumenta.

73. Argues primo: Illud eſt obiectum formale motivum fidei, in quod vltimo reſolvitur fides: Sed fides, non reſolvitur vltimo in divinum teſtimonium, ſed in veracitatem, & ſapientiam: Ergò. Minor probatur: Quia licèt credamus res à Deo revelatas per teſtimonium Dei dicentis, credimus tamen teſtimonia Dei per ſapientiam, & veracitatem divinam: Ergò. Antecedens probatur: Quia interrogatus: *Cur credis divino teſtimonio?* Aliud reſpondere non poteſt, niſi: *Quia Deus ſumme verax eſt, & ſumme ſapiens*: Ergò non credimus divino teſtimonio, niſi quia Deus ſumme verax, & ſumme ſapiens eſt. Confirmatur: Teſtimonium dicentis ex duobus capitibus tantum poteſt deficere à veritate, nimirum, vel per defectum ſcientię in loquente, vel per defectum veracitatis: Ergò ex duobus capitibus tantum poteſt habere veritatem, nimirum ex veracitate in loquente, & ex eius ſcientia: Sed credimus teſtimonium Dei per id, ratione cuius habet veritatem: Ergò credimus illi per veracitatem, & ſapientiam divinam.

74. Reſpondeo, negando minorem. Ad cuius probationem, nego antecedens. Ad cuius probationem, diſtinguo antecedens: Aliud reſpondere non poteſt per ſcientiam, aut opinionem, concedo antecedens: Per fidem præcisè, & in illa ſiſtendo, nego antecedens, & conſequentiam; quia, vt ſuprà dictum eſt, dupliciter poſſumus procedere circa obiecta fidei, vel per ipſam fidem præcisè, vel per ſcientiam, aut opinionem. Fides igitur non reſolvitur in vltimum motivum, quod invenitur in proceſſu ſcientifico facto per ſcientiam, ſed in motivum, quo nititur formaliter ipſa fides in credendo. Dum igitur aliquis interrogatus: *Cur Credis divino teſtimonio?* Reſponderet: *Quia Deus eſt ſummè ſapiens, & verax*, huiuſmodi reſponſio, non eſſet formaliter per ipſam fidem, ſed per ſcientiam; ſi enim reſpondere vellet per ipſam fidem præcisè abſque omni diſcurſu, deberet reſpondere: *Quia teſtimonium Dei eſt ſumme infallibile*, & indè vlterius per fidem aſcendere non poſſet, quia fides non eſt diſcurſiva, nec ad ipſam attinet reddere cauſam, vel rationem à priori rei, quam, vel cui credit.

75. Ad confirmationem, conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequens: Ergò ex duobus capitibus tantum poteſt habere veritatem conſtitutivè, & formaliter, nego conſequentiam: Quaſi effectivè, & cauſaliter, concedo conſequentiam. Et diſtinguo minorem ſubſumptam: credimus teſtimonium Dei per id, ratione cuius habet veritatem conſtitutivè, & formaliter, concedo minorem: Quaſi effectivè, & cauſaliter, nego minorem, & conſequentiam. Fatemur enim, veritatem in teſtimonio repertam, quaſi effectivè, & cauſaliter (eo modo, quo cauſalitas, & efficientia admittitur inter prædicata divina) oriri ex ſumma ſapientia, & veracitate divina, quatenus ſumma ſapientia concurrit directivè, & veracitas imperativè, & inclinativè ad teſtimonium ſic verũ proferendum. Veruntamen talis veritas conſtitutivè, & formaliter, non conſiſtit in veracitate, & in ſapientia, ſed in ipſo divino teſtimonio, quod ratione ſui, & intrinſecè eſſentialiter eſt ſummè verum, & conforme cum obiecto prout in re, vt ex dictis conſtat; fides autem non credit divino teſtimonio per id, ratione cuius cauſaliter, & quaſi originativè habet veritatem; alias enim crederet per Deitatem ſub ratione Deitatis, cum hæc ſit prima radix vndè accipit veritatem divinum teſtimonium, ſed illi credit propter ſeipſum, vt intrinſecè, & eſſentialiter verum, ſivè propter ſui intrinſecam, & eſſentialem veritatem, & conformitatem cum obiecto, prout in re. Vndè hoc tantum modo eſt obiectum formale motivum ad credendum.

76. Et quidem argumentum cum ſua confirmatione manifeſtè inſtatur in opinione cõtraria: Nam interrogatus: *Cur credis Deum eſſe ſummè veracem, & ſapientem?* Aliud reſpondere non poteſt, niſi: *Quia Deus eſt*; & tamen iuxta ipſos motivum formale credendi, non eſt Deitas ſub ratione Deitatis: Ergò pariter licèt interrogatus, cur credis divino teſtimonio, poſſet reſpondere, quia Deus eſt ſummè ſapiens, & verax, non ideò motivum formale fidei, debet eſſe ſumma veracitas, & ſapientia. Conſequentia patet: Quia ideò contrarij primum aſſerunt, quia proceſſus ex divina ſapientia, & veracitate ad Deitatem eſt per ſcientiam, & non per fidem: Sed etiam proceſſus ex divino teſtimonio ad veracitatem, & ſapientiam eſt per ſcientiam, & non per fidem: Ergò. Minor probatur: Quia ille, qui fatetur, divinum teſtimonium eſſe verum, quia Deus eſt ſummè ſapiens, & verax, cognoſcit teſtimonium divinum eſſe verum per cauſam imperativam, & directivam ipſius; ſic enim ſe habet ſapientia, & veracitas divina, reſpectu divini teſtimonij: Sed cognoſcere rem per cauſam ipſius, non eſt proceſſus fidei, ſed ſcientię: Ergò proceſſus ex divino teſtimonio ad divinam ve-

veracitatem, & ſapientiam ſit per ſcientiam, & non per fidem.

77. Et hinc oritur non contemnenda ratio ad noſtram concluſionem: Quia motivum formale fidei debet attingi per ipſam fidem immediatè, non autem per ſcientiam, aut evidentiam: Sed ſolum divinum teſtimonium actuale attingitur à credente per fidem, veracitas verò, & ſapientia, non attinguntur per fidem, ſed per ſcientiam, aut evidentiam; quia plerique credentes habent ſcientiam, aut evidentiam de eo, quod Deus ſit ſummè verax, & ſummè ſapiens: Ergò non veracitas, & ſapientia, ſed divinum teſtimonium eſt motivum infallibile fidei. Explicatur: Quia illud eſt motivum formale cuiuſlibet facultatis, quod per ſe primo ab illa attingitur, & ratione cuius cætera omnia attinguntur: Ergò illud eſt motivum formale fidei, quod primo creditur per fidem, & ratione cuius cætera omnia creduntur. Tunc ſic: Sed ſolum divinum teſtimonium primo creditur per fidem, veracitas verò, & ſapientia non poſſunt credi per fidem, niſi ratione divini teſtimonij: Ergò idem quod prius. Minor probatur: Quia veracitas, & ſapientia, licèt ab aliquibus credantur per fidem, creduntur tamen, quia Deus de ſe ipſo teſtificatur eſſe ſummè veracem, & ſapientem; antequàm enim intelligatur Deus id teſtificans de ſe ipſo, veracitas, & ſapientia minimè credi poſſunt per fidem: Ergò veracitas, & ſapientia, non ſunt id, quod primo creditur per fidem, ſed potius creduntur ratione divini teſtimonij primo crediti? Vrgetur: Obiectum purè materiale fidei, non poteſt eſſe motivum formale fidei: Sed Deum eſſe ſummè ſapientem, & veracem eſt obiectum purè materiale fidei: Ergò. Minor probatur: Quia Deum eſſe ſummè ſapientem, & veracem credi non poteſt per fidem, niſi quia Deus revelavit ſe eſſe ſummè veracem, & ſapientem: Sed id, quod creditur, quia Deus illud revelavit, eſt obiectum purè materiale fidei: Ergò.

78. Sed inſtabis immediatè: Quia Deum revelaſſe credi non poteſt, niſi etiam, quia Deus revelavit: Sed per nos id, quod creditur, quia Deus revelavit, eſt obiectum materiale fidei: Ergò etiam Deum revelaſſe erit obiectum materiale fidei, & non formale. Vrgetur: Quia teſtimonium Dei eſſe verum, credi etiam non poteſt, niſi quia Deus revelavit: Ergò etiam veritas intrinſeca divini teſtimonij erit obiectum materiale fidei. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: Credi non poteſt, niſi quia etiam Deus revelavit exercite per ipſam revelationem, concedo maiorem: Signate revelatione diſtincta, nego maiorem, & diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam. Ad confirmationem pariter, diſtinguo antecedens: Credi non poteſt, niſi quia Deus revelavit ſignate, nego antecedens: Exercite, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Quia dum Deus revelat aliquid, v.g. myſterium Incarnationis, ad credendam exiſtentiam revelationis, non requiritur alia revelatio, ſed ipſa revelatio ſe ipſam revelat, & teſtificat exercite, veluti vltima ratio formalis credendi, vt vidimus *num. 50. quæſt. 1.* Ac proinde ipſa revelatio credi poteſt per ſe ipſam. Item eadem ipſa revelatione exercite dicit Deus ſe dicere verum, ac proinde ipſa teſtificatur exercite de ſe ipſa ſui ipſius veritatem, ideòque credi poteſt, tum Deum revelaſſe, tum eius revelationem eſſe veram, quia Deus revelavit hoc exercite, & intranſitivè per ipſam revelationem: quod eſt credere, tum revelationem, tum eius veritatem per ſe ipſam, & non per aliud diſtinctum; hoc autem rectè componitur cum eo, quod talis revelatio ſit obiectum formale fidei, immò idipſum efficaciter probat. Ad credendum autem Deum eſſe ſummè veracem, & ſapientem opus eſt revelatione, qua Deus ſignate revelet, & dicat, ſe eſſe ſummè veracem, & ſapientem; quia ipſa veracitas, & ſapientia ſe ipſis formaliter, & exercite non revelant, nec teſtificantur de ſe ipſis, cú non ſint ipſa actualis revelatio, aut loquutio Dei, ac proinde, vt credantur, revelari debent ſignate revelatione diſtincta; hoc autem maximè opponitur cum eo, quod credantur ratione ſui, & tanquam obiectum formale fidei, ac proinde infertur, tantum eſſe obiectum materiale credibile per aliud, ſcilicèt, per revelationem diſtinctam ab ipſis.

79. Obijcies ſecundo: Revelatio divina non movet ratione ſui ad aſſenſum fidei, ſed ratione ſummè veracitatis, & ſapientię: Ergò non eſt obiectum formale. Probo antecedens: Revelatio divina movet ad aſſenſum fidei, quatenus eſt omnino infallibilis: Sed non eſt omnino infallibilis ratione ſui, ſed ratione ſummę ſapientię, & veracitatis: Ergò non movet ratione ſui, ſed ratione ſummę ſapientię, & veracitatis. Probo minorem: Ratione illius revelatio divina eſt omnino infallibilis, ratione cuius dicit repugnantiam cum falſitate: Sed non dicit repugnantiam cum falſitate ratione ſui, ſed ratione ſummę veracitatis, & ſapientię: Ergò non eſt omnino infallibilis ratione ſui, ſed ratione ſummę veracitatis, & ſapientię.

80. Reſpondeo, negando antecedens: Ad eius probationem, nego minorem. Ad cuius probationem, diſtinguo minorem: Non dicit repugnantiam ratione ſui, repugnantiam, inquam, formalem, & intrinſecam, nego minorem;

rem: Repugnantiam radicalem, cauſalem, & quaſi extrinſecam, concedo minorem, & nego conſequentiam: Quia duplex repugnantia poteſt excogitari reſpectu divinę loquutionis. Prima cauſalis, ſeu radicalis, & hæc eſt illa, quę fundatur in aliquo principio radicali, & cauſali divinę loquutionis, & eſt quaſi extrinſeca divinę loquutioni, huiuſmodi autem eſt repugnantia falſitatis, quę fundatur in Deitate, nam Deitas eſt prima radix veritatis, & infallibilitatis divinę; & etiam quę fundatur in veracitate, & ſapientia ſunt proxima radix, & quaſi proximum principium cauſale infallibilitatis divinę loquutionis; huiuſmodi autem repugnantia falſitatis, non eſt obiectum formale motivum fidei, quia non reddit formaliter, & intrinſecè infallibilem divinam loquutionem, ſed ſolum cauſaliter, extrinſecè, & præſuppoſitivè. Secunda repugnantia falſitatis eſt intrinſeca, & formalis divinę loquutioni, & conſiſtit in ſumma, & intrinſeca perfectione ipſius loquutionis divinę, vi cuius in propria linea loquutionis repugnat ei omnis falſitas, ſicuti & omnis imperfectio; & hæc repugnantia eſt indiſtincta ab ipſa ſumma Dei loquutione, & revelatione, nam ipſa loquutio, & revelatio divina, ſicut per ſe ipſam eſt formaliſſimè perfecta in linea loquutionis, ita per ſe ipſam eſt formaliſsimè infallibilis infallibilitate in dicendo, ſivè in loquendo, ac proinde per ſe ipſam eſt formaliſsimè motivum fidei.

81. Sed contra replicabis primo: Ex eo, quod loquutio divina ſit ſummè perfecta in linea loquutionis, non ſequitur, quod per ſe, & formaliter ſit infallibilis: Ergò ruit ſolutio. Probo antecedens: Non ſequitur, quod per ſe, & formaliter repugnet falſitati: Ergò non ſequitur, quod per ſe, & formaliter ſit infallibilis. Probo antecedens: Solum ſequitur, quod ſit ſummè vera: Sed eſſe ſummè veram non eſt formaliſsimè dicere repugnantiam cum falſitate: Ergò non ſequitur, quod dicat repugnantiam formalem cum falſitate. Probo minorem: Nam loquutio humana poteſt eſſe vera, quin dicat repugnantiam cum falſitate: Ergò non eſt idem ex terminis eſſe veram, ac dicere repugnantiam cum falſitate.

82. Reſpondeo, negando antecedens. Ad eius probationem, nego antecedens. Ad cuius probationem, diſtinguo maiorem: Solum ſequitur eſſe veram extrinſecè, & accidentaliter, nego maiorem: ſolum ſequitur eſſe veram intrinſecè, & eſſentialiter, concedo maiorem, & diſtinguo minorem: Si ſit ſummè vera intrinſecè, & eſſentialiter, nego minorem: Si eſſet ſummè vera extrinſecè, & accidentaliter, concedo minorem. Ad cuius probationem dico, quod dupliciter aliqua loquutio poteſt eſſe vera. Primo veritate ſibi extrinſeca, & accidentali, & tunc quamvis loquutio re ipſa ſit vera, non tamen eſt infallibilis ex ſe, nec dicit repugnantiam cum falſitate, & ita ſe habet loquutio purè humana, quę quamvis contingat eſſe veram, cum tantum accidentaliter, & contingenter ſit vera, non dicit ex ſe repugnantiam cum falſitate, nec ex ſe manet infallibilis. Sicuti quamvis homo ſit iuſtus, quia tamen eſt iuſtus iuſtitia ſibi accidentali, non tamen eſt impeccabilis, nec dicit repugnantiam cum peccato; ita quamvis cognitio, & loquutio humana ſit vera veritate ſibi accidentali, non dicitur infallibilis, quia ſemper manet cum capacitate falſitatis, ſicut homo iuſtus cum capacitate peccandi. Secundo, poteſt aliqua loquutio eſſe eſſentialiter vera, & tunc, non ſolum eſt vera, ſed etiam intrinſecè infallibilis, & repugnat falſitati formaliter; quia cum veritas per ſe, & formaliter excludat falſitatem, & talis loquutio ſit per ſe, & formaliter vera, dicit intrinſecã excluſionem falſitatis, & repugnantiam cum illa; & ſicuti ei eſſentialiter repugnat non eſſe veram, quia eſt eſſentialiter vera, ita ei repugnat eſſentialiter eſſe falſam, & conſequenter dicit repugnantiam eſſentialem, & formalem cum falſitate: Sicuti ſi daretur aliquod ſubiectum, quod eſſentialiter eſſet iuſtum iuſtitia ſibi eſſentiali, non ſolum eſſet iuſtus, ſed impeccabilis, & haberet formalem repugnantiam cum peccabilitate.

83. Replicabis ſecundo: Infallibilitas, & repugnantia falſitatis, debent procedere pro aliquo priori ad ipſam loquutionem: Ergò non poteſt eſſe intrinſeca, & formalis ipſi loquutioni. Probo antecedens: Infallibilitas, & repugnantia falſitatis eſt idem, ac impoſsibilitas loquendi falſum: Sed impoſsibilitas loquendi falſum debet eſſe pro aliquo priori ante loquutionem: Ergò. Probo minorem: Nam impoſsibilitas loquendi falſum proportionaliter debet ſe habere, ſicut poſsibilitas dicendi falſum: Sed poſsibilitas loquendi falſum ſemper eſt pro priori ad loquutionem falſam: Ergò etiam impoſſibilitas loquendi falſum debet eſſe pro priori ad loquutionem.

84. Reſpondeo, diſtinguendo antecedens: Infallibilitas, & repugnantia formalis falſitatis in dicendo, nego antecedens: Infallibilitas, & repugnantia cauſalis in dicendo, concedo antecedens. Ad cuius probationem, diſtinguo maiorem: Infallibilitas, & repugnantia cauſalis falſitatis eſt idem, ac impoſsibilitas loquendi falſum, concedo maiorem: Infallibilitas, & repugnantia formalis falſitatis, nego maiorem, & conſequentiam. Quia repugnantia formalis

fal-

Digitized by Google

falſitatis in dicendo nihil aliud eſt, quam ſumma veritas eſſentialis in dicendo, quia per ſolam ſummam veritatem eſſentialem in dicendo excluditur formaliter falſitas in dicendo, & cum ante ipſum dicere non detur veritas formalis in dicendo, indè eſt, quod ante ipſum dicere, non datur repugnantia formalis, nec excluſio formalis falſitatis in dicendo, ſed ſolum datur pro priori ad ipſam loquutionem impoſsibilitas dicendi falſum, quę quidem impoſsibilitas non eſt repugnantia formalis falſitatis in ipſo dicere, ſed tantum eſt repugnantia cauſalis falſitatis in dicendo. Quam quidem, per ipſam rationem argumenti manifeſtè probatur, non poſſe eſſe motivum formale fidei: Quia motivum formale fidei non eſt repugnantia falſitatis, quę intelligitur in Deo pro priori ad loquutionem divinam; nam quod Deus non poſsit dicere falſum, ſi tamen ipſe non loquatur verum, & nihil loquatur, non me movet ad credendum, nec eſt motivum formale fidei, ſed ſolum me movet ad credendum, quod Deus loquitur loquutione ſummè vera, & ſummè infallibili in dicendo. Vndè quæcumque infallibilitas, & repugnantia falſitatis excogitetur pro priori ad divinam loquutionem illa non poteſt eſſe motivum formale fidei, quia illa non eſt infallibilitas, nec veritas formalis in dicendo, ſed præſuppoſitivè ſe habet ad ipſam loquutionem, & revelationem Dei.

85. Vndè alia eſt impoſsibilitas Dei ad loquendum falſum, alia eſt impoſsibilitas divinę loquutionis, vt ſit falſa. Prima impoſsibilitas fatemur convenire ipſi Deo pro priori ad loquutionem, & quaſi in actu primo ad loquendum, quia pro illo ſigno, immò etiam pro ſigno Deitatis, Deus eſt methaphyſicè impoſsibilitatus ad loquendum falſum. Cæterum hæc impoſsibilitas Dei ad loquendum falſum, vt diximus, non movet ad fidem. Quid enim intereſt ad movendam fidem, quod Deus non poſsit loqui falſum, ſi neque etiam loquitur verum? Secunda impoſsibilitas divinę loquutionis, vt ſit falſa non datur ante divinam loquutionem, quia ſicut ante divinam loquutionem non datur loquutio Dei, ita non datur repugnantia intrinſeca, & formalis eius ad falſitatem, quę ipſam loquutionem ſupponit, & ipſi formaliter ineſt. Hæc enim repugnantia, & impoſsibilitas fundatur in eo, quod divina loquutio eſt eſſentialiter vera; ideò enim repugnat ei eſſe formaliter falſam, quia eſt eſſentialiter vera, & ſicuti non eſt eſſentialiter vera divina loquutio, antequam ſit loquutio, ita non repugnat falſitati, nec dicit impoſſibilitatem ad eſſe falſam ante ipſam loquutionem. Hæc autem repugnantia divinę loquutionis, vt ſit falſa, quę fundatur in eius ſumma, & eſſentiali veritate, eſt, quam aſſerimus eſſe motivum formale fidei; ideò enim Deo credimus, quia loquitur loquutione ſummè vera, cui proinde repugnat formaliter eſſe falſam.

86. Obijcies tertio: Motivum formale fidei humanę eſt veracitas, & ſapientia loquentis: Ergò motivum formale fidei divinę eſt veracitas, & ſapientia Dei. Probo antecedens primo: Nam cæteris paribus homo magis verax, & magis ſapiens, eſt magis fidedignus, & magis illi credimus: Ergò ratio formalis credendi in fide humana eſt veracitas, & ſapientia loquentis. Secundo: Nam ratio formalis credendi fide humana, eſt authoritas hominis loquentis in dicendo: Sed authoritas humana in dicendo conſiſtit formaliter in ſapientia, & veracitate loquentis, & non in ipſa loquutione: Ergò. Probo minorem: Nam loquutio humana per ſe ipſam, præſcindendo à ſapientia, & veracitate loquentis, nullius authoritatis eſt: Ergò authoritas humana in dicendo conſiſtit formaliter in ſapientia, & veracitate, & non in ipſa loquutione.

87. Reſpondeo, conceſſo antecedenti, præcipuè propter eius ſecundam probationem, negando conſequentiam. Quia hæc eſt differentia inter loquutionem humanam, & inter loquutionem divinam, quod loquutio humana ex ſe, & intrinſecè eſt omnino indifferens, vt ſit vera, vel falſa, ac proinde ex ſe, & intrinſecè nullam habet authoritatem; vt credatur, ideòque tota eius authoritas debet deſumi formaliter ex veracitate, & ſapientia loquentis, vi cuius ipſa humana loquutio determinatur ad eſſe veram potius quam falſam. Attamen loquutio divina, non eſt intrinſecè indifferens, vt ſit vera, vel falſa, ſed intrinſecè, & eſſentialiter eſt determinata vera, & infallibilis, ac proinde per ſe, & intrinſecè habet ſummam authoritatem, vt credatur; ideòque non conſtituitur formaliter credibilis, nec deſumit formaliter ſuam intrinſecam authoritatem à divina veracitate, & ſapientia, ſed ad ſummum cauſaliter. Vnde quamvis loquutio humana per ſe, & intrinſecè, non ſit motivum fidei humanę, tamen loquutio divina, ſeù divina revelatio per ſe, & intrinſecè poteſt eſſe motivum fidei divinę.

88. Sed replicabis: Veracitas, & ſapientia humana intelliguntur prę priori ad loquutionem humanam: Et tamen ſunt motivum formale fidei humanę: Ergò licèt veracitas, & ſapientia intelligantur pro priori ad loquutionem divinam, & præſuppoſitivè ad ipſam, poſſunt eſſe obiectum formale motivum fidei divinę. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: Veracitas, & ſapientia humana intelliguntur in abſtracto, &

ſecundum ſe pro priori ad loquutionem humanam, concedo maiorem: Intelliguntur in concreto, vt authorizantes exercite loquutionem humanam, nego maiorem, & diſtingue minorem: Et tamen ſunt obiectum formale fidei humanę ſecundum ſe, & in abſtracto, prout exiſtunt præſuppoſitivè ad loquutionem humanam, nego minorem: Prout authorizantes exercite ipſam loquutionem humanam, concedo minorem, & nego conſequentiam. Quia veracitas, & ſapientia, prout exiſtunt præſuppoſitivè anta loquutionem, nec in divinis, nec in humanis poſſunt eſſe obiectum formale fidei; nam præſuppoſitivè ad loquutionem veracitas, & ſapientia, non movent ad credendum, quia quandiù nihil dicitur, nihil eſt proximè credibile: ſolum ergò veracitas, & ſapientia in humanis movet ad credendum, in quantum authorizantes exercite ipſam loquutionem humanam, ſivè in quantum conſtituunt ipſam loquutionem humanam veracem in actu ſecundo.

89. Sed dices: Ergò idem dici poterit de loquutione divina. Nego conſequentiam: Nam eſt maxima diſparitas inter loquutionem divinam, & humanam, quia cum loquutio humana intrinſecè ſit indifferens ad veritatem, & falſitatem, intrinſecè nullius eſt authoritatis, ac proinde conſtituitur formaliter authorizata, & determinata ad veritatem per ipſam ſapientiam, & veracitatem humanam, non autem cauſaliter, quia ex ſapientia, & veracitate humana, non cauſatur, nec originatur in ipſa loquutione humana aliqua perfectio intrinſeca, aut intrinſeca veritas, & authoritas, vi cuius loquutio humana ſit intrinſecè, & formaliter credibilis, ſed redditur credibilis extrinſecè per ipſam veracitatem, & ſapientiam. Attamen loquutio divina intrinſecè, & eſſentialiter eſt determinata ad veritatem, quia eſt eſſentialiter vera in propria linea loquutionis, ac proinde per ſe, & intrinſecè habet ſummam authoritatem ortam, & quaſi originatam cauſaliter à divina ſapientia, & veracitate. Vndè non authorizatur formaliter, ſed tantum cauſaliter, & originativè per divinam ſapientiam, & veracitatem, ipſa autem loquutio ratione ſui, & intrinſecè eſt formaliter credibilis, ſapientia, & veracitate præſuppoſitivè ſe habentibus.

90. Replicabis ſecundo: Quia loquutio humana, vel eſt pura conditio ad credendum fide humana, vel obiectum formale motivum? Si eſt pura conditio; cur etiam loquutio divina, non poterit eſſe pura conditio ad credendum? Si eſt motivum formale: Ergò ratione ſui movabit ad credendum, contra dicta. Reſpondeo, quod loquutio humana, non eſt pura conditio, nam ſi conſideretur ſecundum ſe, vt indifferens ad veritatem, & falſitatem, inadæquatè eſt motivum formale fidei, dependenter, ſcilicèt, ab authoritate loquentis: & ex hac parte eſt maxima diſparitas ad loquutionem divinam, quia loquutio divina, non poteſt conſiderari, vt indifferens ad veritatem, & falſitatem, cum ex ſuo conceptu intrinſeco, & eſſentiali ſit eſſentialiter vera. Si verò loquutio humana conſideretur, vt authorizata per veracitatem, & ſapientiam humanã, ſivè vt vera in dicẽdo, hoc pacto eſt adæquatè motivum formale fidei humanę, & non pura conditio; quia motivum formale fidei humanę non eſt veracitas, & ſapientia ſecundum ſe, nec loquutio ſecundum ſe, ſed veritas, ſivè authoritas humana in dicendo, quę conſiſtit in actuali dicere, vt formaliter authorizato per veracitatem, & ſapientiam; in Deo autem cum divina loquutio per ſe, & intrinſecè ſit ſummę authoritatis, & ſummè vera, inde eſt, quod per ſe, & formaliter eſt motivum adæquatum fidei.

91. Replicabis tertio: Licèt loquutio divina ſit aſſentialiter vera, & infallibilis, nihilominus ſaltem per rationem debet in ea diſtingui, & quod ſit loquutio, & quod ſit vera: Sed non movet ad aſſenſum fidei, quia loquutio, ſed quia vera: Ergò ſaltem ratio loquutionis, ſivè quatenus loquutio præcisè, non eſt motivum formale fidei: Ergò ſub ratione loquutionis præcisè eſt pura conditio, ſivè obiectum materiale fidei. Confirmatur: Cum dicimus loquutionem humanam, vt veram, & authorizatam in dicendo, eſſe motivum formale fidai humanę, ſola veritas, & authoritas in dicendo eſt motivum formale, ipſa verò loquutio ſolum eſt conditio, vel obiectum materiale: Ergò pariter diſtinguendo in loquutione divina, & rationem loquutionis, & rationem veritatis in dicendo, ſola ratio veritatis in dicendo erit motivum formale, ratio verò loquutionis erit pura conditio, ſeù obiectum materiale.

92. Reſpondeo primo, negando maiorem: Nam eo ipſo, quod loquutio divina eſſentialiter ſit vera, & infallibilis, non eſt aliud in ipſa eſſe loquutionem divinam, ac eſſe veram, nam eodem conceptu, quo concipimus loquutionem divinam, intelligimus eam eſſe ſummè veram, minimèque præſcindimus à veritate, & falſitate ipſius. Licèt enim loquutio in genere, præſcindendo à divina, & humana, præſcindere etiam poſſit à veritate, & falſitate in dicendo, tamen loquutio contracta ad loquutionem divinam, ita præſcindere nequit, nam ſtatim, ac percipimus loquutionem divinam, ex ipſis terminis apprehendimus loquutionem ſummè veram, abſ-

abſque vlla contingentia fallendi. Ex quo patet ad confirmationem : Nam loquutio humana, non eſſentialiter, ſed contingenter eſt vera, & ideò poteſt in ea diſtingui cum præciſione, & ratio loquutionis, & ratio veritatis in dicendo.

93. Sed dices : Ergò loquutio divina, non movet præcisè, quia loquutio, ſed quia divina : Ergò divinitas erit ratio formalis movendi, & non loquutio : Sed divinitas eſt Deitas: Ergò recidimus in ſententiam Ripaldę ponentis Deitatem pro motivo formali fidei. Reſpondeò in primis inſtando : Nam etiam veracitas, & ſapientia, non movent ad fidem divinam præcisè, quia veracitas, & ſapientia ſunt, præſcindendo à divina, & humana, ſed quia ſapientia eſt divina, & veracitas divina : Ergò divinitas etiam in ſententia contrarium erit motivum formale fidei, & non veracitas, & ſapientia. Deindè conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequens : Ergò divinitas ſpecialiter, & ſubſtantivè ſumpta erit ratio formalis movendi, nego conſequentiam : Divinitas tranſcendantiliter, & adiectivè ſumpta, ſubdiſtinguo : Divinitas, vt ſic, nego : Divinitas contracta ad loquutionem, concedo conſequẽtiam quoad hanc partem. Ex quo non ſequitur, quod loquutio, ſeù ratio loquutionis ſit pura conditio, & non ratio formalis, nam ratio formalis motiva fidei divinę eſt loquutio divina, non præcisè quia loquutio *vt ſic*, quia etiam loquutio humana eſt loquutio, & non movet ad fidem divinam, nec quid divina *vt ſic*, quia etiam miſericordia in Deo eſt divina, non tamen motivum fidei; ſed quia loquutio divina, non quidem divina extrinſecè à divinitate ſubſtantivè, & ſpecialiter ſumpta pro Deitate, nam hoc, vt benè objicit arguens, eſſet recidere in ſententiam Ripaldę, ſed quia intrinſecè divina divinitate tranſcendentali; divinitas enim dupliciter ſumi poteſt, nimirum ſpecialiter pro Deitate, ſeù divinitate, qua Deus ſubſtantivè dicitur Deus, & hæc eſt Deitas, quàm pro motivo fidei adſtruebat Ripalda. Secundo, poteſt ſumi tranſcendentaliter, prout tranſcendit omnia prædicata divina adiectivè, quo pacto in quolibet prædicato divino imbibitur divinitas ſibi eſſentialis, & hæc divinitas, vt contracta ad loquutionem, ſivè vt conſtituit loquutionem divinam, benè poteſt movere ad fidem divinam.

94. Vel ſecundo : Ad principalem replicam admitto maiorem de diſtinctione penes implicitum, & explicitum ; nam ſi quis velit diſtinguere in loquutione divina, & rationem loquutionis, & rationem divinę, & rationem verę, dummodo hæc diſtinctio intelligatur tantum penes implicitum, & explicitum, haud facilè negari, aut vitari poteſt talis diſtinctio ab arguente conficta. Sed ea conceſſa, diſtinguo minorem: Non movet ad aſſenſum fidei, quia loquutio præcisè, concedo minorem; Quia loquutio eſſentialiter vera, nego minorem, & conſequentiam, quia nec movet præcisè, quia loquutio, nec præcisè, quia vera, ſed quia loquutio eſſentialiter vera in dicendo; nam loquutio præſcindendo à veritate, vel falſitate ſui, non habet vim adæquatam movendi, nec veritas, præſcindendo à loquutione, cognitio enim divina ad intra eſſentialiter vera eſt, quin tamen moveat ad fidem. Vndè ratio formalis motiva fidei ex vtroque inadæquatè coaleſcit, nimirum ex loquutione, & ex veritate ſibi eſſentiali, ex quibus coaleſcit loquutio eſſentialiter vera.

95. Sed dices : Ergò motivum formale fidei non eſt vnicum, & ſimplex, ſed datur duplex motivum ſaltem adæquatum. Nego conſequentiam : Nam veritas, & loquutio, non diſtinguuntur tanquam duo motiva, adhùc inadæquata, ſed ad ſummum tanquam duo prædicata eſſentialiter conſtitutiva eiuſdem motivi ſimpliciſsimi ; ſicut animal, & rationale ſunt quidem duo prædicata conſtitutiva hominis, ſed non conſtituunt duplicem hominem inadæquatum, ſed vnicum, indiviſibilem in duos homines, adhùc inadæquatos.

§. VI.

Quid dicendum, admiſſo, quod revelatio authorizetur per ſapientiam, & veracitatem.

96. REplicabis quarto : Licèt loquutio divina ſit intrinſecè, & eſſentialiter vera, & conſequenter infallibilis, poteſt etiam denominari infallibilis extrinſecè à ſumma veracitate, & ſapientia : Sed loquutio, vt ſic infallibilis extrinſecè, eſt ſufficiens motivum fidei divinę : Ergò ſapientia, & veracitas poſſunt ingredi formaliter ad conſtituendum motivum formale fidei. Maior patet; Quia nullum eſt inconveniens in eo, quod aliquid denominetur intrinſecè tale ex ſuis prædicatis, & etiam extrinſecè tale ab alio. prædicato anteriori : Creaturę enim denominantur intrinſecè poſsibiles ex ſuis prædicatis eſſentialibus, & etiam denominantur extrinſecè poſsibiles ab Omnipotentia : Ergò etiam divina loquutio, quamvis intrinſecè infallibilis ex ſua eſſentia loquutionis divinę, poteſt denominari extrinſecè infallibilis à ſapientia, & veracitate. Deindè probatur minor : Quia loquutio divina, vt ſic extrinſecè infallibilis, eſt ſummè, & infinitè infallibilis in dicendo : Sed nihil aliud requiritur

ad

ad rationem formalem motivam fidei: Ergò vt ſic extrinſecè infallibilis eſt ſufficiens motivum fidei divinę. Confirmatur primo: Nam Deus ratione ſummę veracitatis, & ſapientię conſtituitur formaliter impotens fallere, & falli: Sed huiuſmodi impotentia formalis conſtituit motivum formale fidei: Ergò veracitas, & ſapientia conſtituunt motivum formale fidei. Probo minorem: Nam in explicatione ipſius doctrinę chriſtianę, cum fideles interrogantur, cur credunt myſteria fidei? Reſpondent, quia Deus dixit, qui nec poteſt fallere, nec falli: Ergò huiuſmodi impotentia conſtituit rationem formalem motivam fidei. Confirmatur ſecundo: Quia negari nequit, Deum ratione ſummę veracitatis, & ſapientię habere aliquam authoritatem, & condignitatem, vt illi credatur: Sed authoritas, & condignitas, vt Deo credatur, neceſſario eſt motivum fidei: Ergò etiam ſumma veracitas, & ſapientia.

97. Reſpondeo primo, diſtinguendo maiorem: Poteſt etiam denominari extrinſecè infallibilis formaliter, & in propria linea dicendi, nego maiorem: Cauſaliter, aut in linea cognoſcendi, aut volendi, concedo maiorem: Et in hoc ſenſu, nego minorem: Quia revelatio non movet ad aſſenſum fidei, vt infallibilis cauſaliter, infallibilitate alterius linee, ſcilicèt, infallibilitate in cognoſcendo, aut in volendo, quam ſolam habere poteſt loquutio, ſeù revelatio extrinſecè à veracitate, & ſapientia; ſed movet ratione infallibilitatis formalis in propria linea dicendi, quam ex ſe intrinſecè habet. Et ſecundam hanc doctrinam diſtinguenda eſt probatio minoris. Ad primam confirmationem, pariter diſtinguo maiorem: Conſtituitur formaliter impotens fallere affectivè, & falli cognoſcitivè, cōcedo maiorem: Fallere formaliter in dicendo, aut falli in ipſo dicere, nego maiorem, & diſtinguo minorem eodem modo. Ad cuius probationem, dico: Quod, dum ponitur pro motivo fidei, quod Deus non poſsit falli, nec fallere; vel ponitur pro motivo cauſali, id eſt, pro cauſa, & ratione à priori inferente infallibilitatem intrinſecam teſtimonij, quę ſola eſt motivum formale: Vel ſi ponitur pro motivo formali, intelligitur de impotentia ad fallere formaliter, & ad falli in dicendo; huiuſmodi autem impotentia intrinſeca eſt divino teſtimonio, quia ratione ſui excludit eſſentialiter, tàm falſitatem activam, quàm paſsivam, ſiquidem ratione ſui eſt eſſentialiter infallibile, tàm activè, quàm paſsivè, quia eſſentialiter eſt verum in re. Ad ſecundam confirmationem, dico: Quod ratione veracitatis, & ſapientię, habet Deus aliquam authoritatem cauſalem, & in actu primo, vt illi credatur; ſed non formalem, & in actu ſecundo, nam iſtam ſolum habet reduplicativè, vt actu revelans, & teſtificans, ſeù in actuali teſtimonio, & revelatione, & hæc ſola movet formaliter ad fidem. Sed diſputandi gratia.

98. Reſpondeo ſecundo, gratis conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: Loquutio, vt ſic infallibilis extrinſecè eſt ſufficiens motivum fidei, quia extrinſecè potius, quam intrinſecè infallibilis, nego minorem: Quia ſummè, & eſſentialiter infallibilis, præſcindendo ex parte rationis motivę ab extrinſecè, vel intrinſecè, concedo minorem, & diſtinguo pariter conſequens: Poſſunt ingredi ad conſtituendum motivum formale fidei, vt conſiderantur in actu primo pro priori ad loquutionem, nego conſequentiam: Vt infallibilizantes formaliter ipſam loquutionem, tranſeat conſequens. Nos enim ſolum contendimus, quod ratio formalis motiva fidei ſit divina loquutio, ſeù teſtimonium, vt ſummè, & eſſentialiter infallibile in dicendo, & quia, vt oſtenſum manet, divina loquutio, ſeù divinum teſtimonium ratione ſui, & præſcindendo formaliter, licèt non radicaliter, à divina ſapientia, & veracitate, eſt ſummè, & eſſentialiter infallibile, propterea defendimus, divinam loquutionem, ſeù teſtimonium ratione ſui eſſe ſufficienter motivum formale fidei. Si autem quis velit concipere ipſum teſtimonium, ſeù loquutionem, vt infallibilem extrinſecè ratione ſummę veracitatis, & ſapientię, etiam admiſſo, quod vt ſic infallibilis poſsit eſſe motivum formale fidei; nam quod per ſe, & eſſentialiter ſe habet in motivo fidei, eſt quod ſit ſummè infallibile formaliter in dicendo; quod autem hoc illi conveniat intrinſecè, vel extrinſecè, ratione ſui, vel ratione prædicati anterioris, per accidens ſe habet, & de materiali, & minimè variat motivum in eſſe motivi.

99. Ad primam confirmationem, omiſſa maiori, diſtinguo minorem: Huiuſmodi impotentia formalis per ſe ſumpta, & in actu primo, nego minorem: Prout infallibilizat in actu ſecundo ipſam loquutionem, concedo minorē. Ad cuius probationem, dico: Quod dum in explicatione doctrinę chriſtianę aſsignatur pro motivo: *Quia Deus dicit, qui nec fallere, nec falli poteſt*, manifeſtè aſsignatur pro motivo formali ipſa Dei loquutio; impotentia autem ad falli, & fallere ſolum proponitur, vt infallibilizans ipſum Dei teſtimonium in actu ſecundo; vndè clarè infertur, ipſum Dei teſtimonium, vt infallibile in actu ſecundo, eſſe motivum formale fidei, vndecumque illi proveniat talis infallibilitas, nam hoc de materiali ſe habet ad fidem, & ſolum pertinet ad Theologum, aut Methaphyſicum.

100. Ad

100. Ad ſecundam, diſtinguo antecedens: Negari nequit Deum ratione ſummę veracitatis, & ſapientię habere aliquam authoritatem, & condignitatem in actu primo, concedo maiorem: In actu ſecundo, ſubdiſtinguo: Ratione præciſè ſummę veracitatis, & ſapientię, nego: Ratione loquutionis, vt authorizatę per ipſas, tranſeat maior, & diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam. Quia authoritas, & condignitas, quam habet Deus præciſè ratione ſummę ſapientię, & veracitatis, tantum eſt condignitas, & authoritas in actu primo, & quaſi conditionata, ſub conditione nimirum, quod aliquid loquatur; huiuſmodi autem authoritas ſe ſola, & præciſè ſumpta minimè eſt motiuum formale fidei ratione ſui, nam huiuſmodi motiuum debet eſſe authoritas, & condignitas in dicendo, ſiuè in ipſo actuali dicere, quod non habet talis authoritas, niſi ratione actualis loquutionis, quę quidem ſola, vt authorizata in actu ſecundo, eſt formaliſsimum motiuum fidei.

101. Ex quo inferes, quod licèt admitteremus, diuinam loquutionem ratione ſui non eſſe ſufficienter authorizatam, & infallibilem, ſed authorizari per ſapientiam, & veracitatem formaliter, non propterea dicendum foret, quod diuinum teſtimonium, aut loquutio eſſet pura conditio, vt tenet noviſsimè Pat. Sendin, cum ſuis Scotiſtis in præſenti. Nec item, quod veracitas, & ſapientia per ſe, & ratione ſui, vt ſunt attributa peculiaria diſtincta à diuina loquutione eſſent motiuum formale fidei. Nam ſic ſumptę ſolum conſtituunt infallibilitatem Dei in actu primo, quę ſe ſola, & per ſe ſumpta minimè eſt ſufficiens motiuum formale fidei. Solum ergò, in tali hypotheſi, diuinum teſtimonium, vt infallibile, & authorizatum in actu ſecundo, eſſet ſufficiens motiuum formale fidei, præſcindendo ex parte motiui à principijs, ex quibus proueniret, vel non proueniret talis authoritas, & infallibilitas ipſi teſtimonio, nam hoc inquirere, aut cognoſcere, non ad fidelem, vt fidelem, & credentem, ſed ad Theologum pertinet, aut Methaphyſicum; fidelis enim, vt credens, præciſè habet aſſentiri diuino teſtimonio, vt ſummę authoritatis, & infallibilitatis in dicendo, vndecumque id illi proueniat; ita tamen, quod nec ſola loquutio præciſiuè ab infallibilitate, & authoritate, nec ſola authoritas, aut infallibilitas eſſet ſufficiens motiuum formale fidei, ſed ex vtraque coaleſceret vnicum, & ſimpliciſsimum motiuum formale fidei, non tanquam ex duplici motiuo ſufficienti, ſed tanquam ex duplici prædicato eſſentiali eiuſdem motiui.

102. Si verò dicas primo: Infallibilitas diuini teſtimonij formaliter prouenit à ſapientia, & veracitate, vt ſunt attributa peculiaria: Sed talis infallibilitas eſt inadæquatè motiuum formale fidei: Ergò etiam veracitas, & ſapientia, vt ſunt attributa peculiaria. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: Infallibilitas diuini teſtimonij prouenit formaliter à ſapientia, & veracitate, & hoc per accidens ſe habet ad motiuum formale fidei, tranſeat maior: Ita, vt hoc per ſe habeat ad mouendam fidem, nego maiorem, & conceſſa minori, conſequentiam. Quia fides vnicè mouetur ex diuino teſtimonio, vt infallibili in dicendo, non autem ex eo, quod talis infallibilitas formaliter conſiſtat, aut proueniat ab hoc, vel illo principio, de hoc enim non curat fides, ſed Theologia, aut Methaphyſica, vt dictum manet.

103. Si dicas ſecundo: Loquutio præciſiuè ab infallibilitate, non eſt motiuum formale, adhùc inadæquatum fidei: Ergò ſic ſumpta eſt pura conditio, non enim datur medium. Nego conſequentiam, datur enim medium, ſcilicèt, eſſe inadæquatè motiuum formale fidei; aliud enim eſt eſſe motiuum inadæquatum, aliud eſſe inadæquatè motiuum, ſicut aliud eſt eſſe inadæquatè hominem, aliud eſſe hominem inadæquatum, anima enim rationalis eſt inadæquatè homo, quatenus inadæquatè conſtituit hominem, ſed non eſt homo inadæquatus. Hæc dixerim ſeruato rigore, & proprietate ſermonis. Nam minus propriè loquendo, loquutio ex ſe benè poteſt dici motiuum inadæquatum: Itemque, quod ex illa, & ex eius infallibilitate, tanquam ex duplici motiuo inadæquato, reſultat motiuum adæquatum fidei, ita enim, licèt minus propriè, plures loquuntur, nec de hoc contendere vellem, quia eſt quæſtio purè vocalis (& hæc nota pro dictis *ſuprà num.* 95.) Negari tamen nequit, quod meliùs ſaluatur vnitas in motiuo fidei, ſi ponatur reuelatio ex ſua eſſentia, & intranſitiuè infallibilis, prout à nobis ponitur.

104. Si dicas tertio cum Sendin: Ad hoc, vt reuelatio ſit motiuum, adhùc inadæquatè, requiritur, quod ratione ſui moueat, ſaltem inadæquatè: Sed reuelatio non mouet ratione ſui, adhùc inadæquatè: Ergò nec inadæquatè eſt motiuum, ſed pura conditio. Probat minorem: Quia loquutio ratione ſui, præſcindendo à veracitate loquentis, nullo modo ſuadet rem affirmatam, ſed totaliter, & adæquatè illam ſuadet ratione authoritatis, ſeù veracitatis loquentis, ſi enim proferatur à viro mendaci nullam vim ſuadendi habet: Ergò. Secundo: Quia loquutio ſolum mouet ad fidem, vt infallibilis: Sed nullo pacto eſt infallibilis ratione ſui, adhùc inadæquatè, ſed adæquatè redditur infallibilis à ve-

veracitate,& ſapientia: Ergò nullo pacto movet ratione ſui,adhùc inadæquatè.

105. Confirmabis ex prædicto Auct. Quia infallibilitas reperta in revelatione eſt relativa,& participata ab infallibilitate divinę authoritatis; in tantum enim infallibilis concipitur, in quantum concipitur dignificata à ſapientia,& veracitate loquentis: Sed infallibilitas relativa, vt relativa, nequit attingi propter ſe: Ergò. Minor probatur exemplo mediorum, quę quia tantum habent bonitatem relativam ad finem, implicat,quod poſsint attingi propter ſe: Ergò pariter infallibilitas relativa erit inattingibilis propter ſe. Confirmabis ſecundo: Nam authoritas divina Eccleſię, quamvis ſit infallibilis, non eſt motivum formale, ſed pura conditio: Sed non alia ratione, niſi quia talis infallibilitas eſt relativa, & participata ab authoritate Dei: Ergò pariter revelatio actualis, non erit motivum formale, ſed pura conditio, ſiquidem eius infallibilitas, etiam eſt participata ab authoritate Dei loquentis.

106. Reſpondeo,conceſſa maiori, negando minorem. Ad eius primam probationem, nego antecedens, quia loquutio aſſertiva ratione ſui,& ex natura ſua formaliter eſt ſuaſiva rei affirmatę, licèt non ita efficaciter,ac vt authorizata ex veracitate, & ſapientia loquentis. Quod patet primo; nam loquutio ex natura ſua inſtituta eſt ad perſuadendam rem loquutam audiētibus: Ergò ratione ſui aliquam vim debet habere ad id perſuadendum. Secundo: Quia ſi aliquis ignotę authoritatis ſerio aliquid aſſertivè dicat,abs dubio movet audientes ad aſſenſum rei affirmatę, & aliqualiter ipſam ſuadet,& quiſquis audit manifeſtè experitur ſe moveri, & ſuaderi aliqualiter ad aſſenſum: Ergò loquutio aſſertiva, etiam præſcindendo ab authoritate loquentis, ex natura ſua habet vim aliquam ſuadendi. Tertio: Nam etiam ſi loquens nullius ſit authoritatis, ſed potius mendax,& ignorans, cognitus vt talis, ſi tamen aſſertivè loquatur, aliqualiter movet ad aſſenſum: Sed tunc non movet ratione veracitatis, & ſapientię, vt per ſe patet: Ergò movet ratione loquutionis præcisè. Maior probatur: Nam talis homo aſſertivè loquens ex vi ipſius loquutionis fallit ſæpè audientes: Sed non falleret, nec deciperet, ſi nullatenus moveret audientes ad aſſenſum rei affirmatę: Ergò. Probo minorem: Nam qui nullatenus movet alium ad falſum aſſenſum, aut iudicium,nullatenus illum fallit: Ergò non falleret, nec deciperet, ſi nullatenus moveret ad aſſenſum. Explicatur: Qui ſæpè audientes fallit, & decipit, eos movet ad aſſenſum falſum, eiſque ſuadet rem, quam dicit: Sed non movet eos ad talem aſſenſum ratione ſapientię, & veracitatis, aliàs ratione ſapientię, & veracitatis eos falleret, & deciperet: Ergò movet, & ſuadet ratione loquutionis præcisè: Ergò falſum eſt, quod loquutio ex natura ſua, & ratione ſui nullam vim habet movendi, & ſuadendi ad aſſenſum rei loquutę.

107. Quarto: Quia potius authoritas loquentis ratione ſui nihil ſuadet, nec movet ad vllius obiecti aſſenſum, ſed ſolum ratione loquutionis: Ergò loquutio eſt, quę movet,& ſuadet ratione ſui. Probo antecedens: Quia authoritas loquentis ratione ſui nihil dicit, nec teſtificatur, ſed id ſolum præſtat formaliter per loquutionem: Sed eo ipſo nihil ſuadet, nec movet ad aſſenſum ratione ſui: Ergò. Dicendum ergò eſt, quod ipſa loquutio ratione ſui movet, & ſuadet,& ratione authoritatis: Ratione ſui quoad ſubſtantiam motionis, quia ipſa eſt motio, & ſuaſio activa quoad ſubſtantiam; ſed ratione authoritatis,quantum ad gradum, & qualitatem motionis: Nam movet magis, vel minus, fallibiliter, vel infallibiliter,quod pertinet ad modum, & gradum motionis, penes maiorem, vel minorem,fallibilem, vel infallibilem authoritatem loquentis. Ex quo patet nullitas primę probationis.

108. Ad ſecundam, diſtinguo maiorem: Loquutio ſolum movet ad fidem, vt infallibilis loquutio, concedo maiorem: Vt infallibilis,præciſivè à loquutione, nego maiorem, & omiſſa minori, conſequentiam. Nam dato, quod omnis infallibilitas conveniat loquutioni ratione veracitatis, & ſapientię; hæc tamen infallibilitas, non eſt tota ratio formalis movendi, quia non movet, niſi ratione loquutionis, etiam moventis; vndè motivum, nec adæquatè conſiſtit in ſola infallibilitate, nec in ſola loquutione, ſed in loquutione, vt infallibili,modo explicato.

109. Ad primam confirmationem, diſtinguo maiorem: Eſt relativa, & participata in movendo, nego maiorem: In eſſendo, tranſeat maior, & diſtinguo minorem eodem modo. Ad cuius probationem, dico: Quod bonitas mediorum eſt relativa,non ſolum in eſſendo,ſed etiā in movendo,quia non movet, niſi propter bonitatē finis, vt prius moventem ad ſui amorem; attamen infallibilitas loquutionis, non movet propter aliam infallibilitatem prius moventem ad ſui aſſenſum; quia pro priori ad infallibilitatem loquutionis, non datur authoritas, aut infallibilitas movens fidem ad ſui aſſenſum, authoritas enim, vel infallibilitas, ſi quę datur pro priori ad infallibilitatem loquutionis,per ſe, aut pro illo priori, minimè movet ad aſſenſum fidei, aliàs moveret antequam quidquam loqueretur. Vndè eſt maxima diſparitas inter bonitatem medio-

rum,

rum, & infallibilitatem loquutionis, cum ante bonitatem mediorum ſupponatur alia bonitas actualiter movens voluntatem; attamen ante infallibilitatem loquutionis, non ſupponitur alia infallibilitas actualiter movens fidem: Licèt ergò bonitas mediorum ſit relativa in movendo, non tamen infallibilitas loquutionis divinę.

110. Ad ſecundam, in primis dico: Quod authoritas divina Eccleſię alia non eſt, niſi authoritas divini teſtimonij, ſeù ipſius Dei, vt loquentis per eam, vt per organum, aut miniſtrum; Eccleſia enim propriè loquendo, non aliter habet authoritatem divinam, niſi miniſterialiter, & per modum proponentis, & intimantis ipſam, ſicut Nuntius Regis habet authoritatem ipſius Regis; huiuſmodi autem authoritas divina Eccleſię, ſeù intimata per Eccleſiam, non eſt pura conditio, ſed ratio formalis motiva fidei, licèt Eccleſię propoſitio, & intimatio ſit pura conditio. Si verò contendas, Eccleſiam habere aliquam authoritatem creatam, quę ſit participativè divina, realiterque diſtincta ab authoritate ipſius Dei loquentis, tunc fatebimur, talem authoritatem, & infallibilitatem eſſe relativam in movendo, quia reſolvi debet eius motio in authoritatem Dei loquentis, ſeù divinę loquutionis, vt per prius moventis ad fidem; ſed indè nulla eſt paritas ad infallibilitatem divini teſtimonij, quia hæc non eſt infallibilitas creata, nec per participationem, ſed increata, & per eſſentiam: Nec reſolvitur eius motio in aliam infallibilitatem; aut authoritatem prius moventem, ſed ipſa eſt, quę primo, & per ſe movet ad fidem.

111. Ex quo inferes, falli prædictum Auth. dum inquit, quod in hac reduplicatione: Authoritas divina eſt motivum fidei, *in quantum revelans*, authoritas intrat in recto, & revelatio ſolum in obliquo, & per modum conditionis. Admodum quo (inquit) obiectum ſpei eſt bonum arduum, obiectum deſiderij bonum abſens; & tamen arduitas, & abſentia tantum intrant in obliquo, nec ſe habent, vt motivum illorum affectuum, ſed ſolum, vt conditiones eſſentiales ſe tenentes ex partè obiecti. Fallitur, inquam, nam dato, quod arduitas in obiecto ſpei ſit pura conditio, & ſimiliter abſentia in obiecto deſiderij, quod non ita certum eſt, eſt maxima diſparitas, nam arduitas, & abſentia potius videntur retrahere, quam movere affectum; attamen loquutio divina, adhùc ratione ſui nullatenus retrahit ab aſſenſu, ſed potius ex natura ſua eſt motiva, & ſuaſiva aſſenſus fidei.

112. Et hæc quidem dixerim adhùc admiſſo, quod revelatio extrinſecè tantum denominetur infallibilis ab authoritate, & infallibilitate divinę ſapientię, & veracitatis. Quod quidem falſum eſt; nam, vt probatum relinquimus, ipſa ratione ſui habet intrinſecam, & eſſentialem authoritatem, & infallibilitatem in dicendo, vi cuius ſufficienter movet ad fidem divinam independenter in movendo, licèt non in eſſendo, ab authoritate, vel infallibilitate divinę ſapientię, & veracitatis ſibi extrinſeca.

§. VII.

Reliqua ſolvuntur argumenta.

113. OBijcies quarto: Teſtimonium actuale, ſivè actualis revelatio, importat aliquid creatum: Sed nihil creatū poteſt eſſe obiectum formale fidei: Ergò actualis revelatio nequit eſſe obiectum formale fidei. Probo maiorem primo: Quia divina revelatio, ſivè teſtimonium nihil aliud eſt, quam ſignum ad extra productum ab ipſo Deo: Sed hoc ſignum eſt aliquid creatum: Ergò. Secundo: Quia divina revelatio eſt actio tranſiens: Sed actio Dei tranſiens eſt aliquid creatum: Ergò divina revelatio, ſivè actuale teſtimonium eſt aliquid creatum. Tertio: Quia divina revelatio, ſivè loquutio, non poteſt intelligi adæquatè, non intellecto ſigno creato producto ad extra: Ergò ſaltem inadæquatè conſiſtit in aliquo creato.

114. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: Teſtimonium actuale, ſivè actualis revelatio divina activè ſumpta, & ſecundum id, quod dicit in recto, importat aliquid creatum, nego maiorem: Terminativè ſumpta, & ſecundum id, quod dicit in obliquo, concedo maiorem. Ad cuius primam probationem, diſtinguo maiorem: Divina revelatio, ſivè actuale teſtimonium Dei activè conſideratum, & ſecundum id, quod dicit in recto, nego maiorem: Terminativè, & ſecundum id, quod dicit in obliquo, concedo maiorem, & minorem, & nego conſequentiam. Quia ſicut in loquutione humana, & eſt actio loquentis proferentis ſonum, ſivè vocem ad extra, & eſt ſonus ipſe prolatus, loquutio tamen activè ſumpta, & pro recto, non conſiſtit in ſono prolato, ſed in actione proferente, & producente talem ſonum; ita ſimiliter in loquutione divina debet diſtingui, & actio Dei proferentis ſignum ad extra, & ipſum ſignum ad extra productum. Loquutio igitur divina activè ſumpta, & in recto non conſiſtit in ſigno producto, ſed in actione ipſius Dei, qua profert, & producit ad extra tale ſignum. Licèt igitur tale ſignum ſit aliquid creatum, loquutio tamen activè ſumpta, & in recto eſt aliquid divinum, & increatum.

115. Ad ſecundam probationem, diſtinguo maiorem: Divina revelatio eſt actio tranſiens virtualiter tantum, concedo maiorem: Eſt actio tranſiens ad extra formaliter, nego maiorem, & diſtincta minori eodem modo, nego

F con-

conſequentiam in ſenſu iam dicto. Quia in noſtris principijs Deus non operatur ad extra per actionem formaliter tranſeuntem, ſed per actionem formaliter immanentem, & identificatam cum ipſo Deo, & tantum virtualiter tranſeuntem; & hoc pacto ſe habet diuina reuelatio, quę eſt actio ipſius Dei cum ipſo realiter identificata, licèt virtualiter tranſiens ad extra ratione ſigni producti, in quo virtualiter reſidet ipſa reuelatio diuina, ſeù virtus eius, ſicuti in omni effectu reſidet virtus cauſę, & eius actionis. Cum autem actio Dei tantum virtualiter tranſiens, & realiter cum Deo identificata, ſit increata, & diuina, indè eſt, quod reuelatio Dei actiuè ſumpta eſt diuina, & increata. Ad tertiam, diſtinguo antecedens: Diuina reuelatio actiuè ſumpta, & pro recto, nego antecedens: Diuina reuelatio intellecta actiuè, & terminatiuè, pro recto, & pro conotato, concedo antecedens, & nego conſequentiam de loquutione diuina actiuè ſumpta.

116. Sed replicabis immediatè: Adhuc loquutio diuina actiuè ſumpta, & pro recto, non poteſt intelligi ſine ſigno ad extra producto: Ergò ruit ſolutio. Probatur antecedens: Quia non poteſt intelligi, Deum actiuè reuelare, niſi medio ſigno ad extra producto; ſi enim nullum intelligatur ſignum productum, non poteſt intelligi diuina loquutio: Ergò diuina loquutio actiuè ſumpta, & pro recto, non poteſt intelligi ſine ſigno ad extra producto.

117. Diſtinguo antecedens: Loquutio diuina actiuè ſumpta, non poteſt intelligi ſine ſigno ad extra producto, vt conſtituente ipſam loquutionem diuinam actiuè ſumptam, & in recto, nego antecedens: Sine ſigno ad extra producto, vt conotato, & cauſato, & realiter adæquatè diſtincto ab ipſa loquutione Dei actiuè ſumpta, concedo antecedens. Ad cuius probationem eodem modo reſpondeo, quod ſicut actio productiua, non poteſt intelligi ſine effectu producto, quin tamen ex hoc ſequatur, quod ipſa actio productiua intrinſecè conſtituatur per ipſum effectum productum, quia licèt non poſsit intelligi ſine illo, vt effectu, & vt conotato ab ipſa, poteſt tamen intelligi ſine illo, vt intrinſeco conſtitutiuo ſui; ita quamuis loquutio diuina, non poſsit intelligi ſine ſigno ad extra producto, non indè ſequitur, loquutionem diuinam actiuè ſumptam conſiſtere in tali ſigno, quia licèt non poſsit intelligi ſine illo, vt à ſe conotato, poteſt tamen intelligi ſine illo, vt intrinſeco ſui conſtitutiuo. Quo ſuppoſito dicimus, loquutionem diuinam actiuè ſumptam, & pro recto eſſe obiectum formale motiuum fidei, quia hoc pacto eſt aliquid diuinum, & increatum omnino infallibile in dicendo, non tamen eſſe obiectum formale motiuum fidei ipſum teſtimonium, & reuelationem diuinam terminatiuè ſumptam, & pro conotato, quia ſic eſt aliquid creatum, & nihil creatum poteſt eſſe obiectum formale motiuum fidei.

118. Sed replicabis primo: Reuelatio diuina actiuè ſumpta, non auditur per ſe à credente, ſed ratione ſigni: Ergò non creditur per ſe, ſed ratione ſigni. Patet conſequentia: Quia fides ex auditu: Ergò, quod non auditur per ſe, non creditur per ſe. Reſpondeo, concesso antecedenti, negando conſequentiam. Ad probationem, conceſſo antecedenti, nego etiam conſequentiam. Quia aliud eſt, quod fides ſit ex auditu, aliud, quod fides ſit ipſemet auditus. Primum eſt verum; ſecundum falſum. Vndè aliud eſt, quod per ſe, & immediatè auditur à credente, aliud, quòd immediatè, & per ſe creditur. Quod patet in loquutione humana; nam quod immediatè in illa auditur eſt ſonus ipſe per aerem vſque ad aures delatus: quod autem creditur per ſe, & immediatè, non eſt iſte ſonus, ſed ipſa loquutio, vel teſtimonium actiuum loquentis, ex quo prouenit talis ſonus. Similiter ergò, cum Deus loquitur, quod per ſe, & immediatè à nobis auditur eſt ſignum ad extra productum, attamen hoc ſignum non eſt, quod per ſe, & formaliter creditur, quia de hoc ſigno potius habemus experientiam, quam fidem; ſed ſolum creditur formaliter ipſa actiua loquutio, vel reuelatio Dei, ex qua oritur ſignum externum, quę quidem reuelatio, licèt non audiatur per ſe, & immediatè à credente, auditur tamen mediatè ratione ſigni, & hoc ſufficit, vt ipſi reuelationi immediatè præſtet aſſenſum, quia quod auditur mediatè, & ratione alterius, poteſt immediatè, & ratione ſui credi; loquutio enim humana ſolum auditur ratione ſoni prolati, & tamen creditur ratione ſui, & nō ratione talis ſoni.

119. Quod ſi inquiras: Qualiter ſe habeat ſignum ad extra productum ad fidem? Reſpondeo, ſe habere tantum per modum conditionis requiſitę ad credendum; quia ad credendum requiritur per modum conditionis prævię, quod diuina reuelatio audiatur à credente, & eum audiri non poſsit, niſi medio ſigno externo, indè eſt, quod per modum conditionis prævię requiritur etiam ipſum ſignum externum; quo mediante audita reuelatione, ipſa reuelatio mediatè audita, iam per ſe, & immediatè mouet ad aſſenſum fidei. Sicut loquutio humana audita mediante ſono, per ſe, & immediatè, & non mediante ſono, mouet ad fidem, quia ſonus, & ſignum præſuppoſitiuè requiruntur, vt loquutio audiatur, ſemel autem audita loquutio-

tione, ipſa ratione ſuę authoritatis movet ad fidem immediatè.

120. Replicabis ſecundo: Obiectum formale fidei non poteſt manifeſtari ratione alterius ipſi credenti, ſed debet eſſe per ſe manifeſtum: Sed divina revelatio activè ſumpta non eſt per ſe manifeſta credenti, ſed tantum ratione ſigni: Ergò. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: Non debet manifeſtari credenti ratione alterius, ſed debet eſſe per ſe manifeſtum, quantum ad apprehenſionem, & auditum ipſius, nego maiorem: Quantum ad aſſenſum ipſius, concedo maiorem, & diſtinguo minorem eodem modo, negoque conſequentiam. Itaque dupliciter manifeſtatur revelatio divina homini, v. g. Primo, vt audienti, & apprehendenti illam: Secundo, vt credenti, & aſſentienti illi. Prima manifeſtatio præſuppoſitivè ſe habet, & per modum conditionis ad fidem, & in illa fatemur, quod divina revelatio non manifeſtatur per ſe, ſed mediante ſigno, quia non auditur, nec venit in apprehenſionem credentis, niſi ratione talis ſigni. Hac autem manifeſtatione præſuppoſita, ipſa revelatio per ſe, & immediatè manifeſtatur quantum ad aſſenſum ipſi credenti, quia per ſe, & immediatè eſt proximè credibilis, & movet ad aſſenſum ſui ratione ſuę propriç authoritatis, non quidem manifeſtatione ſui clara, & evidenti, nam hæc potius repugnaret fidei, ſed manifeſtatione obſcura, quę ſolum eſt proportionata fidei. Sicut licèt ens rationis, non poſsit in prima ſui apprehenſione concipi, niſi per ſpeciem entis realis, & ratione illius, ſemel tamen apprehenſum, licèt ratione entis realis, ipſum ens rationis per ſe, & immediatè eſt obiectum formale Logicę, & per ſe, & immediatè movet ad aſſenſum logicalem; neque obſtat, quod in prima ſui apprehenſione apprehendatur ratione entis realis, quia hoc præſuppoſitivè ſe habet ad hoc, vt moveat ad aſſenſum logicalem. Sic igitur in noſtro caſu.

121. Replicabis tertio: Ipſa revelatio activa neceſſario debet eſſe actio Omnipotentię, quia Deus ſolum operatur ad extra ratione Omnipotentię: Sed actio Omnipotentię non poteſt eſſe obiectum formale fidei: Ergò. Probo minorem: Actio Omnipotentię non eſt formaliter intrinſecè vera: Sed ſola veritas formalis poteſt eſſe obiectum formale fidei: Ergò. Probo maiorem: Quia veritas formalis omnino extranea, eſt ab actione potentię productivę ad extra, & ſolum pertinet formaliter, & intrinſecè ad actum intellectus. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: Neceſſario debet eſſe actio Omnipotentię, vt loquentis, & dicentis ad extra, concedo maiorem; Vt purè producentis ad extra, nego maiorem, & diſtinguo minorem eodem modo. Ad cuius probationem, diſtinguo maiorem eodem modo. Ad cuius probationem eadem diſtinctione dico, quod potentia Dei ad extra poteſt cōſiderari, vel vt merè productiva creaturarum, vel vt loquutiva, & dictiva ad extra; negari enim haud quaquam poteſt dari in Deo potentiam ad extra loquutivam, & dictivam, nam certiſsimum eſt, Deum verè loqui, & dicere ad extra quæcumque revelat; ab actu autem ad potentiam conſequentia valet; datur ergò in Deo potentia dictiva, & loquutiva ad extra. Huiuſmodi autem potentia communiter cenſetur indiſtincta ab Omnipotentia, quia tantum datur in Deo vna potentia ad extra, nimirum Omnipotentia. Quę tamen poteſt conſiderari duplici præfata conſideratione, nam licèt eſſentialiter, & ſemper ſit productiva, etiam quando loquitur, & dicit ad extra, non tamen eſt ſemper productiva illius, quod loquitur, & dicit. Vndè cum dicit, & loquitur myſterium Trinitatis, eſt quidem productiva ſigni exterioris manifeſtantis loquutionem, ſed non Myſterij, nam reſpectu Myſterij ſolum eſt dictiva, & loquutiva, ſed non productiva illius. Sub hac igitur conſideratione eius actio eſt formaliter loquutio, & dictio, ac proinde illi poteſt competere formaliter veritas in dicendo, & loquendo, ſicuti, & conformitas cum re loquuta, & dicta.

122. Cum autem, inquis, quod veritas formalis ſolum competit formaliter, & intrinſecè actui intellectus, ſeù potentię intellectivę, diſtinguendum eſt ita: Si potentia loquutiva ſit indiſtincta ab intellectu in Deo, concedo: Si ſit diſtincta, nego. Nam ſi aliquid indè probatur, ſolum probatur ſententia communis Thomiſtarum, nimirum, quod Omnipotentia, quę eſt potentia loquutiva ad extra, ſit in diſtincta virtualiter ab intellectu divino practico, & quod eius actio ſit intellectio, ac proinde intrinſecè, & eſſentialiter vera formaliter in dicendo, tàm ad intra, quàm ad extra. Si tamen hæc ſententia, non admittatur, dico: Quod veritas formalis, non ſolum poteſt competere intrinſecè, & formaliter actui intellectus, ſed etiam actui potentię loquutivę, ſeù Omnipotentię, vt loquutivę ad extra; nam alia eſt veritas formalis in cognoſcendo, alia in dicendo, & loquendo. Prima eſt propria actibus intellectus; ſecunda verò poteſt eſſe, ſicuti eſt, eſſentialis, & intrinſeca actioni Omnipotentię, vt loquentis, nimirum loquutioni, & revelationi divinę.

123. Obijcies quinto: Si revelatio eſſet motivum formale fidei, nihil poſſet credi per fidem, niſi quia revelatum: Sed plura credi poſſunt fide divina, & non quia revelata: Ergò.

Probo minorem primo: Nam exiſtentia Dei credi poteſt fide divina, ſæpè enim revelatur in Scriptura Sacra, nec alia de cauſa revelatur, niſi vt credi poſsit fide divina: Sed hæc credi nequit, quia revelata: Ergò. Probo minorem: Quia ratio credendi debet reſpici per aſſenſum tanquam quid notius ipſa re credita; nam aliàs ignotum vitiosè manifeſtaretur per ignotius, vel per æquè ignotum: Sed revelatio, ſivè Deum loqui, & revelare reſpici nequit tanquam quid notius, quàm Deum eſſe, ſeù exiſtere: Ergò exiſtentia Dei credi nequit, quia revelata, ſeù quia Deus eam revelat, & loquitur. Minor patet, quia Deum loqui non poteſt eſſe notius, quàm Deum exiſtere, cum prius ſit eſſentialiter Deum exiſtere, quàm Deum loqui; ſicut Petrum loqui, non poteſt eſſe notius, quàm Petrum exiſtere, cum revelatio eſſentialiter ſupponat exiſtentiam loquentis. Secundo probatur prima minor: Quia veracitas Dei credi etiam poteſt fide divina: Sed credi nequit ex motivo revelationis: Ergò. Probo minorem: Quia ſtultum eſt credere alicui, ipſum eſſe veracem, quia ipſe de ſe id affirmat; aliàs prudenter credere poſſemus homini mendaci aſſerenti, ſe eſſe veracem: Ergò veracitas credi nequit ex motivo revelationis. Tertio: Quia ipſamet revelatio creditur fide divina: Et tamen non creditur quia revelata; aliàs eſſet proceſſus in infinitum: Ergò.

124. Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem. Ad primam probationem conceſſa maiori, nego minorem. Ad cuius probationem, omiſſa maiori, negò minorem, quia in eo, qui non habet evidentiam demonſtrativam de exiſtentia Dei, notior eſt ipſi Dei revelatio, quam Dei exiſtentia, quia de exiſtentia Dei non aliundè certificatur, quam ex eius revelatione; præciſivè enim à revelatione nullam certitudinem de ipſo habet. In eo autem, qui habet evidentiam demonſtrativam de exiſtentia Dei, tranſeat, quod non poſsit credi ex motivo revelationis. Idque patet ex exemplo ipſius argumenti, nam licèt quis videns clarè Petrum non poſſit credere eius exiſtentiam, quia ipſe dicit; tamen in obſcuro poſitus, ignorans aliundè ipſum exiſtere, ſi ipſe dicat: *Ecce adſum*, vel: *Egò ſum* N. tunc creditur eius exiſtentia propter ipſius loquutionem, & aſſertionem.

125. Ad ſecundam, conceſſa maiori, nego minorem. Ad cuius probationem, nego antecedens; nam ſi ſæpè credimus aliquem eſſe ſapientem Philoſophum, aut Theologum, quia ipſe dicit hoc ipſum de ſe; cur dicenti ſe eſſe veracem, ſi nihil obſit in contra, non poterit quiſquam prudenter credere? Secus tamen ſi aliundè ſciamus, ipſum eſſe mendacem, quia tunc idipſum obeſt prudenti credibilitati.

126. Ad tertiam, quę multum vexat ingenia, iam ſæpè reſponſum eſt, conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: Non creditur quia revelata ſignate per aliam revelationem ſemper, concedo maiorem: Quia revelata exercite per ſe ipſam, nego minorem, & conſequentiam, nam indè non ſequitur proceſſus in infinitum, ſiſtitur enim in revelatione, non revelata ſignate per aliam, revelata tamen exercite per ſe ipſam, quia dum ſignate revelat myſterium, exercite revelat, & manifeſtat ſe ipſam, & quia ſic revelata, & manifeſtata movet ad credendum ipſam exiſtere, quia cum ſit prima ratio in movendo, eſt ratio ſui, & cæterorum. De quo vide infrà quæſt. ſequenti *à num.* 6.

127. Obijcies ſexto: Myſterium eſſe revelatum eſt denominatio extrinſeca Myſterio: Sed denominatio extrinſeca myſterio non poteſt eſſe ratio formalis credendi myſterium: Ergò nec revelatio. Probo minorem: Quia ratio formalis credendi myſterium debet eſſe veritas ipſius myſterij, cum in omni actu intellectus ratio formalis obiectiva ſit veritas ipſius obiecti, intellectus enim omnia ſua obiecta attingit ſub ratione *veri*: Sed veritas ipſius myſterij non poteſt eſſe extrinſeca denominatio ipſi myſterio, quia nihil eſt verum, aut verè tale per denominationem extrinſecam, ſed per ſe ipſum, cum veritas ſit paſsio intrinſeca entis veri: Ergò. Secundo: Quia denominatio extrinſeca eſt ens rationis: Sed ratio formalis credendi myſterio non poteſt eſſe ens rationis: Ergò.

128. Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem. Ad cuius probationem, diſtinguo maiorem: Debet eſſe veritas ipſius myſterij in ſe ipſo conſiderati, nego maiorem: Reduplicativè, vt revelati, & teſtificati, concedo maiorem, & diſtinguo minorem eodem modo. Quia fides non credit myſterium immediatè in ſe ipſo, & ſecundum ſe conſideratum, ſed reduplicativè, vt revelatum, & dictum à Deo; veritas autem, quę eſt ratio formalis obiectiva intellectus, vt ſic credentis: eſt veritas intrinſeca, & eſſentialis revelationis, quę quidem intrinſeca eſt obiecto credito, vt credito, ſcilicèt, myſterio revelato reduplicativè, vt revelato, licèt ſit extrinſeca myſterio ſecundum ſe, quod nihil obeſt, quia myſterium non creditur ſecùdum ſe ſumptum, & ratione ſui, ſed reduplicativè, vt revelatum. Ad ſecùdam, nego quod denominatio extrinſeca ſit ens rationis, quando forma denominans eſt realis, in præſenti autem forma denominans myſterium revelatum eſt revelatio, quę realis eſt, vndè talis denominatio pro formali rea-

realis, & veriſsima eſt, veritate reali ipſius revelationis, ratione cuius poteſt eſſe ratio formalis credendi rem revelatam reduplicativè, vt revelatam.

129. Obijcies ſeptimo: Motivum formale credendi fide divina debet eſſe infallibile: Sed revelatio non eſt motivum infallibile: Ergò. Probo minorem: Quia non eſt infallibile, quod revelatio ſit motivum fidei: Ergò revelatio non eſt motivum infallibile. Reſpondeo, hoc argumentum eſſe purè ſophiſticum, vndè miror, quod aliqui laboraverint in illo ſolvendo, diſtinguentes motivum fidei dogmaticum, & motivum fidei ſcolaſticum, ſeù controverſum: De primo aſſerunt debere eſſe infallibile. De ſecundo negant, dicentes ſufficere, quod ſit probabile. Sed in vtroque deficiunt, nam quantum ad primum difficile aſsignabitur motivum ita dogmativum, de quo ſit infallibile, quod ſit motivum; nam ſi dicant tale motivum eſſe authoritatem divinam, vel loquuntur de authoritate divina in præcipiendo, aut in dicendo, aut in gubernando vniverſum, vel de authoritate divina, vt ſic, præſcindente ab hac, vel ab illa: De nulla autem ex his eſt infallibile, nec eſt dogma definiens in Eccleſia, quod ſit motivum adæquatum fidei; nam aliqui non contenti cùm authoritate Dei in dicendo recurrunt pro motivo ad authoritatem in gubernando, alij aſsignant alia motiva partialia; quod ſignum eſt non eſſe motivum adæquatum fidei ita dogmaticum, quod inter catholicos controvertibile non ſit. Quantum ad ſecundum etiam deficiunt; nam falſum eſt, quod motivum fidei Scholaſticum non debeat eſſe infallibile, omnes enim Scholaſtici, dum aliquod motivum adæquatum fidei aſsignant, conveniunt in eo, quod debeat eſſe infallibile, ſeù infallibiliter connexum cum obiecto revelato, licèt tantum ſit probabile, quòd ſit motivum. Vndè faciłe reſpondeo, diſtinguendo maiorem: Debet eſſe infallibile directè comparativè ad obiectum credendum, hoc eſt infallibiliter cumillo connexum, & infallibiliter perſuadens ipſum, concedo maiorem: Debet eſſe infallibile infallibilitate reflexa de eo, quod ſit motivum formale, nego maiorem, & diſtincti minori eodem modo, nego conſequentiam. Quia valdè diſtinguuntur hæc duo: *Revelatio eſt motivum infallibile fidei*: *Et infallibile eſt, quod revelatio ſit motivum.* Primum requiritur in motivo fidei, & competit quam optimè revelationi; ſecundum autem non competit revelationi, ſed non requiritur ad rationem motivi fidei, quia fides ſolum nititur infallibilitate directa ſui motivi in ordine ad rem creditam, minimè autem nititur infallibilitate reflexa de eo, quod hoc, vel illud ſit ipſius motivum, aut ratio formalis credendi. Sicut, dum quis credit fide divina, actus fidei divinę debet eſſe infallibilis directè, ſed non infallibilitate reflexa de eo, quod talis actus ſit fidei divinę potius quàm acquiſitę: Et quia argumentum vnam cum altera infallibilitate confundit, & equivocat, purè ſophiſticum eſt, qui, ſicut non valet: Hic actus fidei divinę eſt infallibilis: Ergò infallibile eſt, quod hic actus eſt fidei divinę: Ita non valet: Hoc motivum eſt infallibile: Ergò infallibile eſt, quod ſit motivum fidei divinę.

QUÆSTIO III.

In quid ergò, & qualiter fiat reſolutio fidei.

1. NOTA primo, quod idem eſt terminus reſolutionis, ac principium formationis, ſeù ędificationis, vndè quælibet res ſicut fit à ſuis cauſis, ſic in ſuas cauſas reſolvitur. In præſenti autem non inquirimus, in quo reſolvatur fides, quantum ad omnes ſuas cauſas, ſiquidem non eſt ſermo de cauſa efficiente, nec de cauſa materiali, nec de cauſa finali ipſius, ſed ſolum de cauſa formali intentionaliter motiva ad credendum, vndè dubium ſolum eſt de vltimo motivo, & ratione obiectiva noſtrę fidei, quam reddere teneamur interroganti, cur credimus.

2. Nota ſecundo, hanc reſolutionem aliam eſſe intrinſecam fidei, extrinſecam aliam. Intrinſeca eſt, quę fit à credente, vt credente, & per ipſam fidem. Extrinſeca, quę fit à credente, vt Theologo, quia, videlicèt, reſolutio, quę fit per Theologiam, extrinſeca eſt fidei, nec in ea facienda tenentur omnes fideles reſpondere, ſed ſoli ſapientes, ac Doctores. Nota tertio, reſolutionem intrinſecam fidei, non poſſe fieri per diſcurſum; quia fides, vt infrà oſtendam, non eſt diſcurſiva, vndè credens non tenetur reſpondere, probando vnam rationem per aliam, nec reddendo rationem probativam illius, quod credit, ſed ſolum reddendo rationem formalem motivam credendi.

3. His ergò ſuppoſitis, difficultas apparens in eo fundatur, quod non facile determinari poteſt, quid debeat reſpondere interrogatus: *Cur credis myſterium Trinitatis?* An, ſcilicèt, poſſit reſpondere, nullam eſſe rationem obiectivam, cur credit, vt aiebat Guillelmus, ſed ſolum voluntatis? Et hoc iam ſuprà expugnatum reliquimus *quæſt.* 1. *à num.* 1. An item reſpondere poſſit: *Quia interius me inclinat habitus fidei ad creden-*

dendum. Et hæc erat ſententia Molinę, ſed ipſum reiecimus *à num.* 4. An verò poſsit reſpondere: *Quia interiori inſpiratione moveor ad credendum*; & id videbatur aſſerere Granados, ſed iam ipſum impugnamus *à num.* 13. An item reſpondere poſsit: *Quia tale myſterium eſt intrinſecè verum*; & hæc ſententia tribuitur Scoto, ſed iam reiecta fuit *à num.* 32. Sequitur ergò (vt alia omittam) quod immediatè debeat reſpondere: *Credo tale myſterium, quia Deus illud revelavit*, vt ſatis conſtat ex noſtra ſententia expenſa *quæſt.* 2. *à num.* 51.

4. Sed adhùc reſtat difficultas: Nam ſic reſpondens, non videtur ſatisfacere, quæri enim poteſt immediatè ab ipſo: *Vndè tibi conſtat Deum id revelaſſe?* Vel etiam: *Vndè tibi conſtat, revelationem Dei veram eſſe?* Et in reddenda ratione huius duplicis interrogationis eſt tota difficultas. Prima interrogatio eſt de exiſtentia revelationis: Secunda de eius veritate; ex parte vtriuſque quærimus reſolutionem vltimam. Si enim quantum ad primam reſpondeas: *Ideò credo, Deum id revelaſſe, quia ita teſtantur Sacræ Scripturę*; in primis id ſimplices reſpondere nequeunt, quia Sacram Scripturam non intelligunt; & quamvis hæretici moderni, qui in Sacras Scripturas vltimo, inquiunt, reſolvendam eſſe fidem, pueros, mulierculas, & omnes, Scripturarios facere conati fuerint, mirum tamen foret, quod credere non poſſent fide divina, vſque dum Sacram Scripturam legere poſſent, de quo infrà. Deindè, quia reſtat inquirere: *Vndè tibi conſtat has Scripturas eſſe incorruptas, & concordes ſuo originali?* Hic iam hæretici reſpondere nequeunt, vt infrà oſtendam. Catholici autem reſpondent: *Quia Eccleſia perpetua traditione has Scripturas à ſuo origine, vt incorruptas ſervavit, eaſque vt veras mihi proponit.* Sed non quieſcit intellectus, quia reſtat inquirere: *Cur credis Eccleſiæ, ita proponenti?* Si enim reſpondeas: *Quia eſt congregatio maximę authoritatis ob inſignes Sapientes, & Magiſtros, ex quibus componitur.* Ecce tandem reſolvis fidem in authoritatem humanam Eccleſię; quod ſanè eſt contra infallibilitatem, & excellentiam fidei Theologicę, vt oſtendimus *quæſt.* 1. *à num.* 37. Ac proinde in hoc ſiſtere, immò, nec fieri nequit reſolutio fidei. Si autem reſpondeas, vt debes reſpondere: *Quia Eccleſia eſt organum Spiritus Sancti, & columna veritatis, per quam, & in qua Deus ipſe loquitur.* Reſtat inquirere: *Vndè tibi hoc conſtat?* Si reſpondeas: *Quia Deus ita revelavit.* Vlterius reſtat inquirere: *Vndè tibi conſtat, id Deum revelaſſe?* Si reſpondeas: *Quia Eccleſia ita proponit, quę eſt organum Spiritus Sancti.* Ecce manifeſtè petis principium, & committis circulum, nam credis revelationi, qui illam Eccleſia proponit, vt organum Spiritus Sancti, & credis Eccleſię proponenti, quia revelatio illam, dicit eſſe organum Spiritus Sancti.

5. Quod attinet ad ſecundam interrogationem de veritate revelationis, etiam eſt difficultas, quia ſi reſpondeas: *Credo revelationem Dei eſſe veram, quia Deus, nec poteſt fallere, nec falli.* Reſtat inquirere: *Vndè tibi conſtat, Deum, nec poſſe fallere, nec falli?* Si reſpondeas: *Quia ſumme verax eſt, & ſumme ſapiens.* In primis conſtituis motivum fidei in ſumma veracitate, & ſapientia, quod eſſe non poſſe oſtendimus *quæſt.* 2. *à num.* 20. Deinde reſtat inquirere: *Vndè tibi conſtat, quod Deus ſumme ſapiens, & ſumme verax eſt?* Si reſpondeas: *Quia Deus eſt*, recidis in ſententiam P. Ripalda adſtruētē pro motivo fidei Deitatem. Si verò reſpondeas: *Quia Deus revelavit, ſe eſſe ſumme veracem, & ſumme ſapientem*, rurſus reddeunt repetitę interrogationes de hac revelatione, nimirum: *Vndè tibi conſtat hoc Deum revelaſſe: Vndè tibi conſtat, hanc revelationem Dei eſſe veram*, & ſic committitur circulus, & nunquam eſt terminus præfixus reſolutionis. Hæc ita clarè propoſui, quia huiuſmodi difficultas reſolutionis fidei, adeò ingens eſt, quod ferè omnes quæſtiones de motivo præſertim, ac de regulis fidei ex illa pullulaverunt, & ad eam enodandam inſtitutę ſunt. Vndè relictis alijs, quę ſuis locis aptanda ſunt, vt directè, & breviter reſpondeam.

§. I.

Noſtra ſententia exponitur.

6. Dico primo: *Reſolutio intrinſeca fidei ſiſtit vltimo in revelatione, ſeù teſtimonio divino, vt in ratione formali, & in Eccleſia proponente, tanquam in conditione neceſſaria.* Probatur: Quia reſolutio intrinſeca fidei eſt, quę fit per ipſam fidem à credente, vt credente, non vt Theologo, nec vt ſciente. Sed credens interrogatus: *Cur credis*, non habet quid vltimo reſpondeat per ipſam fidem, & præcisè vt credens, niſi: *Quia Deus revelavit, cuius revelatio mihi proponitur per Eccleſiam, tanquam per eius organum viſibile*, in qua quidem reſponſione, revelatio redditur pro ratione formali, propoſitio autem Eccleſię, tanquam applicatio rationis formalis, ſeù tanquam neceſſaria conditio: Ergò. Minor probatur: Quia licèt poſſit vlterius inquiri: *Vndè tibi conſtat, Deum revelaſſe?* Vel inquiritur, vndè conſtat ſcientificè, aut per humanum diſcurſum? Vel inquiritur, vndè conſtat per fidem? Si primum; ea interrogatio nō pertinet ad reſolutionem intrinſecam fidei, nec ad eam reſpondere tenetur Catholicus, in quantum

tum fidelis,& credens. Si ſecundum; reſpondere tenetur: *Quia ita mihi proponitur per Eccleſiam, tanquam per organum Spiritus Sancti*, ſiſtendo in Eccleſia proponente, non tanquam in ratione formali, ſed tanquàm applicatione rationis formalis, ſeù tanquam organo, medio, quo loquitur Deus. Si verò vlterius inquiratur: *Vndè tibi conſtat, Eccleſiam talem authoritatem habere proponendi, & applicandi rationem formalem fidei, aut eſſe organum Spiritus Sancti?* Reſpondendum eſt: *Quia id ipſum revelat Deus per ipſam Eccleſiam, tanquam per ſuum organum viſibile, & authenticum*; & hic ſiſtendum eſt ſemper.

7. Sed dices: Hoc ipſum eſt, cuius rationem, & motivum inquirimus: Ergò, qui nihil vltrà reſpondet, petit principium, & committit circulum, credendo Eccleſię propter revelationem, quam proponit, & revelationi, quia per Eccleſiam proponitur. Reſpondeo, quod rationes formales in ſuo genere ſunt veluti prima principia; vndè ſicut petenti rationem alicuius primi principij, quantumvis vrgeat rogando, & petendo, ſemper eſt reſpondendum per idem principium, quin hoc ſit committere circulum, nec petitio principij, ſed redditio primi principij; ita ſimiliter roganti,& petenti rationem formalem, aut motivum ipſius revelationis, vt per Eccleſiam factę, & propoſitę, non alia reddenda eſt ratio, nec motivum, niſi ipſamet revelatio, vt per Eccleſiam propoſita, nec in hoc committitur circulus, aut petitio principij, ſed redditur vltimata ratio formalis, & primum motivum, quod eſt in fide, tanquam primum principium.

8. Nec etiam committitur circulus dum credimus Eccleſię propter teſtimonium, & revelationem Dei, & credimus etiam revelationi, & teſtimonio Dei propter Eccleſiam proponentem, quia hoc eſt in diverſo genere, credimus enim Eccleſię proponenti propter revelationem, tanquam propter motivum formale credendi, & credimus revelationi propter Eccleſiam proponentem, tanquam propter applicationem rationis formalis, quod eſt formaliter credere propter Dei teſtimonium, vt propoſitum authenticè per Eccleſiam, vt organum, & Miniſtrum Dei, revelatione inſpecta, vt ratione formali, & propoſitione Eccleſię, vt applicatione, ſeù conditione neceſſaria. *Vide ſup. quæſt. 1. à num. 50.*

9. Sed dices: Deum per Eccleſiam revelare myſterium Trinitatis, tanquam per ſuum organum, non eſt principium per ſe notum: Ergò nec primum principium, reſpectu credentis: Ergò debet illud reſolvere ad aliud principium per ſe notum, vt firmiter credat. Reſpondeo, diſtinguendo antecedens: Non eſt principium per ſe notum evidenter, concedo antecedens: Per ſe notum credibiliter, ſeù per ſe credibile, nego antecedens, & conſequentiam; quia cum fides ſit cognitio obſcura, quamvis certiſsima, non debet inniti principio per ſe noto evidenter, ſed principio per ſe noto credibiliter, ſeù per ſe credibile, quale eſt divinum teſtimoniū, vt propoſitum per Eccleſiam; & hoc ſufficit, vt firmiter credatur, quia licèt non ſit per ſe notum evidenter, ſed obſcurè, eſt tamen omnino infallibile.

10. Dices ſecundo: Prophetę,& Apoſtoli, non potuerunt reſolvere ſuam fidem in Eccleſiam proponentem, cum potius Eccleſia eis proponentibus crederet, quam ipſi, Eccleſię: Ergò. Confirmatur: Quia, vt poſteà dicam, revelationibus privatis credere poteſt per fidē theologicam ille, cui fiunt: Et tamen ille nequit reſolvere illam fidem in Eccleſiam proponentem: Ergò. Reſpondeo: Prophetas,& Apoſtolos, & Fundatores Eccleſię, quibus Deus per ſe, vel per Angelos revelavit myſteria, reſolvere debuiſſe ſuam fidem in divinam revelationem, vt per ipſum Deum ſufficienter ſibi propoſitam per donum prophetię, vel per Angelos; & de hac fide non loquimur in præſenti, ſed ſolum de fide noſtra ſupponente iam Eccleſiam fundatam, ac ſuperædificatam ſuper fundamentum Apoſtolorum,& Prophetarum, tanquam firmiſsimam veritatis columnam, nunc enim ſatis eſt reſolvere noſtram fidem in revelationem, vt per ipſam Eccleſiam propoſitam. Sicuti plures Mathematici, nunc reſolvunt ſuas concluſiones in principia, demonſtrata quidem ab antiquis Sapientibus eius facultatis, quę licèt reſpectu illorum fuerint concluſiones demonſtratę ab ipſis per priora,& prima principia, tamen ipſę concluſiones iam accipiuntur, vt prima principia à ſequentibus Mathematicis. Sic ergò divinę revelationes primis Eccleſię Fundatoribus fuerunt evidenter propoſitę per ipſum Deum, ſivè per Angelos, & in hanc ſupremam, & firmiſsimam propoſitionem reſolvebant ſuam fidem, tanquam in applicationem; at nobis neceſſum non eſt, illam reſolvere in talem evidentiam Dei loquentis, vel per Angelos, ſed ſatis eſt illam reſolvere in Eccleſiam per Apoſtolos, & Prophetas fundatam.

11. Ex quo ad confirmationem, dico: Quod fides privatę revelationi præſtita, non eſt fides catholica, ſed privata, ac proinde, non debet reſolvi in revelationem, vt propoſitam per Eccleſiam, ſed in revelationem, vt interius per donum prophetię, aut per aliud ſignum internum ab ipſo Deo immediatè manifeſtatam. In

hoc

hoc verò aſſerto, ſolum loquuti ſumus de fide catholica, & vniverſali, non de fide privata, de qua infrà.

12. Dico ſecundo: *Reſolutio extrinſeca fidei, quantum ad exiſtentiam revelationis, benè poteſt fieri in motiva credibilitatis; quantum verò ad infallibilitatem ipſius revelationis, ſcientificè fieri poteſt in veracitatem, & ſapientiam, & vltimo in Deitatem.* Primum probatur: Quia vt infrà probabimus, plura ſunt motiva diſtincta à motivo formali fidei, quę reddunt ipſam revelationem prudenter credibilem, & Eccleſiam demonſtrant eſſe organum viſibile, per quod Deus loquitur, vt ſunt miracula, SS. Patrum mira ſapientia, & concordia, Romanorum Pontificum continuata ſucceſsio, & alia infrà numeranda. Sanè omnia iſta evidenter ſuadent eſſe prudenter credibile, ac fidedignum quidquid Eccleſia proponit, vt credendum, & conſequenter facit ſaltem moralem evidentiam in hoc gradu maximam de exiſtentia cuiuſvis revelationis ab Eccleſia propoſitę: Ergò benè poteſt reſolvi fides, quatenus credit exiſtentiam revelationis, & Deum eſſe, qui loquitur, in hæc motiva, non quidem per fidem, ſed per diſcurſum moraliter evidentem.

13. Explicatur. Interrogatus: *Cur credis, Deum revelaſſe myſterium Trinitatis, prout Eccleſia proponit?* Benè reſpondere poteſt: *Quia id eſt prudenter credibile.* Interrogatus vlterius: *Vndè tibi conſtat, id eſſe prudenter credibile?* Reſpondere poteſt, quia Deus per Eccleſiam, & in Eccleſia tanta authoritate, tot ſignis; & portentis, tot Doctoribus, ac Magiſtris ſapientiſsimis, totque alijs motivis ſe manifeſtat, vt omnes alias ſectas longiſsimè ſuperet, & ſua teſtimonia credibilia fecerit nimis: Ergò in hæc motiva poteſt reſolvi fides, quatenus credit ipſum revelaſſe. Cæterum hæc reſolutio non eſt intrinſeca fidei, quia non eſt in eius motivum formale, & intrinſecum; ſed eſt extrinſeca in motiva præſuppoſitivè ſe habentia ad fidem, ac proindè fieri poteſt per diſcurſum. Sed de hoc infrà.

14. Quantum verò ad infallibilitatem divinę revelationis, reſolvi etiam poteſt extrinſecè fides proximè in divinam ſapientiam, & veracitatem. Quia interrogatus: *Vndè tibi conſtat divinam revelationem, infallibilem eſſe?* Reſpondere poteſt: *Quia Deus eſt ſummè ſapiens, qui in iudicio de rebus falli non poteſt, & aliàs eſt ſummè verax, qui loqui nequit, niſi conformiter ad iudicium.* Si item vlterius inquiratur: *Vndè hoc tibi conſtat?* Reſpondere poteſt: *Quia Deus eſt*, probando ſcientificè per Deitatem attributa ſummę ſapientię, & veracitatis: Sed hæc reſolutio eſt fidei extrinſeca, quia eſt reſolutio ſcientifica, non per fidem, ſed per ſcientiam: Ergò.

15. Sed dices: Hæc reſolutio non fit per ſcientiam ſupernaturalem, & infuſam; alias credens deberet prius accipere ſcientiam infuſam ad credendum, quod quis dicat? Deindè nec fit per ſcientam naturalem: Ergò non fit per ſcientiam. Probo minorem: Certitudo ſcientię naturalis non eſt ęque, ſed minus firma, quam certitudo fidei, quia certitudo fidei eſt ſupernaturalis, ſed certitudo ſupernaturalis, & maior reſolvi nequit in certitudinem naturalem, & minorem: Ergò reſolutio fidei in Deitatem, ſivè in veracitatem, & ſapientiam fieri nequit per ſcientiam naturalem. Et idem argumentum fieri poteſt de reſolutione in motiva credibilitatis, vt evidenter cognita; nam evidentia ſignorum, & motivorum credibilitatis, ſi naturalis eſt, minor eſt, quam certitudo fidei, præſertim ſi ſit tantum evidentia moralis.

16. Reſpondeo conceſſa maiori, negando minorem. Ad cuius probationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: Certitudo ſupernaturalis, & maior reſolvi nequit intrinſecè, ſeù per principia intrinſeca in certitudinem minorem, & naturalem, concedo minorem, quia hoc pacto iam diximus, fidem vnicè, & vltimo reſolvi in ipſammet revelationem, vt propoſitam per Eccleſiam, & intranſitivè creditam: Non poteſt reſolvi extrinſecè, & per principia extrinſeca, nego minorem, & conſequentiam. Quia certitudo fidei ſolum commenſuratur cum certitudine ſui motivi formalis, & intrinſeci, quod eſt divinum teſtimonium, quia in hoc intrinſecè vltimo reſolvitur, non tamen debet adæquari, ſed poteſt excedere certitudinem motivorum extrinſecorum, quę ſolum prævię, & diſpoſitivè concurrunt ad ipſam fidem, & in quę reſolvitur fides tanquam in motiva extrinſeca, & remota, quia ab his non ſpecificatur, ſed ſolum ſe habent tanquam conditio pręvia; vndè dum probatur infallibilitas revelationis per ſapientiam, & veracitatem, ſapientia, & veracitas, non movent ad credendam revelationem, ſicut præmiſſę ad aſſenſum concluſionis, vt exiſtimant aliqui; immò non movent ad credendam ipſam revelationem propriè loquendo, ſed pręſuppoſitivè movent ad evidenter ſciendum revelationem Dei de ſe eſſe infallibilem; quę ſcientia prævię ſe habet per modum conditionis, aut diſpoſitionis ad credendum ipſi revelationi, non verò per modum rationis formalis moventis, quia hæc ſola eſt infallibilitas ipſius revelationis. Vndè non ſequitur, quod ſi concluſio ſequitur debiliorem partem, fides revelationis ſequatur debilitatem ſcientię naturalis; quia fides non eſt concluſio deducta ex veracitate, vt ſcita ſcientia naturali, ſed eſt aſſenſus ſimplex præſtitus divinę re-

ve-

velationi propter ſe, & propter ſuam intrinſecam infallibilitatem præciſè.

17. Et idem dico de evidentia credibilitatis ex illius motivis, quod, ſcilicèt, non reſolvitur fides in illam intrinſecè in propria linea credendi, ſed extrinſecè tanquam in motiva prævia, ſeù tanquam in præviam diſpoſitionem ad credendum prudenter, & ideò non debet adæquari certitudo fidei cum illa evidentia, ſed poteſt illam excedere, quia nititur certiori motivo, ſcilicèt divinę revelationi metaphyſicè infallibili, vt infallibiliter propoſitę per Eccleſiam.

18. Ex dictis colliges, reſolutionem intrinſecam fidei in eius formale motivum, nō fieri per diſcurſum, quia fides non eſt diſcurſiva adhùc virtualiter, vt infrà oſtendam; reſolutionem verò extrinſecam fieri per diſcurſum in motiva credibilitatis, aut in ſapientiam, & veracitatem, modo explicato.

19. Sed dices: Implicat reſolutio mentalis, quę non fiat per diſcurſum: Ergò reſolutio intrinſeca fidei nequit fieri, niſi per diſcurſum. Probatur antecedens: Quia reſolutio eſt ſemper effectus in cauſas ſuas: Sed effectus nequit reſolvi mentaliter in ſuas cauſas, niſi per diſcurſum: Ergò. Nego antecedens. Ad probationem, diſtinguo maiorem: Reſolutio eſt ſemper effectus in ſuas cauſas, vel efficientes, vel formales, concedo maiorem: Efficientes, ſemper, nego maiorem: Et diſtinguo minorem: Effectus nequit in cauſam efficientem, niſi per diſcurſum, concedo: In cauſam formalem, nego minorem, & conſequentiam; quia ſicut aſſenſus præſtitus primis principijs reſolvit totam ſuam certitudinem in veritatem intrinſecam per ſe notam ipſorum, tanquam in cauſam formalem motivam, & hoc non per diſcurſum, ſed per ſimplicem aſſenſum, reſpondendo: *Aſſentior principijs, quia per ſe notis*, vbi ly, *quia* non denotat antecedens præcognitum, ex quo fiat illatio, ſed rationem formalem: Sic ſimiliter aſſenſus fidei abſque diſcurſu reſolvitur in ipſam rationem, & cauſam formalem credendi, reſpondendo ſimpliciter: *Credo myſterium, quia à Deo revelatum*, vbi ly, *quia* non denotat antecedens præcognitum, ex quo fiat illatio, ſed rationem motivam, vt infrà explicabimus.

20. Vndè non aſſentior Salmanticenſ. qui in præſenti *num.* 162. inquiunt, actum fidei eſſe diſcurſivum, ſaltem virtualiter, & aſſenſum mediatum, ſeque habere ad inſtar concluſionis, quę infertur ex duabus præmiſsis, tum mentalibus, tum obiectivis, quę ſunt iſtę: *Quidquid prima veritas revelat, verum eſt: Prima veritas revelavit myſteria fidei*; vndè inferunt, aſſenſum fidei reſolvi immediatè in actus, quibus intellectus aſſentitur illi duplici propoſitioni. Non, inquam, aſſentior, tum propter infrà dicenda de fide non diſcurſiva. Tum, quia ſi eſt diſcurſiva, erit diſcurſiva in omni ſuo actu, & aſſenſu; cum ſit eiuſdem ſpeciei in omnibus ſuis actibus: Erit ergò diſcurſiva in aſſenſu, quo credit exiſtentiam, & veritatem ipſius revelationis: Ergò dicendum erit, quod infert, virtualiter ſaltem, exiſtentiam, & veritatem revelationis ex alijs principijs, aut præmiſsis præcognitis: Ergò non ſiſtet reſolutio intrinſeca fidei ex parte obiecti motivi in ipſa revelatione, vt intrinſecè vera, ſed in alio principio prius virtualiter cognito. Vrgetur: Nam propterea, inquiunt, myſterijs fidem aſſentiri per diſcurſum, quia illorum veritas non conſtat ex terminis, ideòque aſſenſus illius debet eſſe mediatus, & ad inſtar concluſionis: Sed exiſtentia, & veritas revelationis non conſtat ex terminis, vt fatentur ipſi *num.* 158. Ergò aſſenſus illius eadem ratione diſcurſivus erit, & mediatus: Ergò intrinſecè reſolutus in priorem aſſenſum alterius principij virtualiter ſaltem præcogniti: Sed hoc manifeſtè repugnat, quia repugnat principium præcognitum per fidem pro priori ad revelationem: Si autem eſt præcognitum per lumen naturale, aut per ſcientiam, ſequeretur, fidem reſolvi intrinſecè in ſcientiam, vel lumen naturale, quod apertè falſum eſt, quia lumen fidei eſt magis infallibile, quam lumen naturale, ac proinde in illud reſolvi non poteſt intrinſecè: Ergò.

§. II.

Ex dictis aliquorum ſententię impugnantur.

21. EX dictis colliges vndè proceſſerit varietas, & labor plurium Auth. in aſsignando motivo, in quod reſolvatur vltimo fides. Proceſsit enim ex eo, quod fidem volunt reſolvere per diſcurſum in aliquod principium, ita per ſe notum, vt ex terminis evidenter appareat verum, ſeù in quo diſcurſus humanus quieſcere poſsit: Et quia revelatio divina non eſt ex terminis evidenter, aut per ſe nota, ſed obſcura, & propterea in illa non quieſcit diſcurſus humanus, propterea aſſenſum revelationis conantur reſolvere in alia motiva ſuadentia exiſtentiam, & veritatem ipſius revelationis, quę motiva notiora ſint, & clariora, quam ipſa revelatio, in queis proinde quieſcere poſsit diſcurſus. In quo tamen decipiuntur, quia cum fides non ſit diſcurſiva, non reſolvit ſu[illegible] aſſenſum per diſcurſum, ſed ſimpliciter exhibendo ſuam rationem formalem credendi: Et cu[illegible] ſit obſcura, ſiſtere poteſt eius reſolutio in moti-

vo obſcuro: Nec obeſt, quod in eo, non quieſcat diſcurſus humanus, ſed ſatis eſt, quod in eo quieſcat, & ſiſtat fides, in cuius obſequium debet captivari diſcurſus humanus.

22. Ex prædicta tamen deceptione in primis Lugo intulit, aſſenſum fidei, quo credimus revelationem divinam eſſe veram, reſolvi in aſſenſum evidentem de eo, quod Deus non poſſit teſtificari falſa, cui veritati, tanquam per ſe notę, & ex terminis evidenti, fides (inquit) evidenter aſſentitur, & in ea quieſcit reſolutio ipſius. Sed hæc ſententia in multis deficit; primo, quia ponit aſſenſum evidentem elicitum ab habitu fidei: Hoc autem manifeſtè repugnat, cum habitus fidei adæquatè ſit obſcurus, non partim evidens, partim obſcurus. Secundo: Quia talis aſſenſus evidens, non eſſet actus credendi, ſeù creditio, quia præſupponitur ante revelationem, & non eſt ex motivo revelationis, ſed ex terminis obiecti cogniti: Sed actus, qui non eſt creditio, ſeù actus credendi, non eſt actus fidei, quia fides, vt fides, eſt credere quod non vides: Ergò talis aſſenſus evidens non poteſt eſſe elicitus ab habitu fidei. Tertio: Quia nullus actus elicitur ab habitu, niſi ſub ratione formali talis habitus: Sed talis aſſenſus evidens non eſt ſub ratione revelationis, quę eſt ratio formalis *ſub qua* habitus fidei: Ergò. Quarto: Quia ſi veritas, cui aſſentitur, ſcilicèt: *Deum non poſſe fallere, nec falli*, eſt per ſe nota ex terminis, evidenter cognoſcitur lumine naturali intellectus: Ergò ſuperfluit habitus fidei ad aſſenſum evidentem illius.

23. Inquit Lugo prædictum aſſenſum eſſe ſimul evidentem, & obſcurum: Et evidentem quatenus attingit Deum eſſe ſumme veracem, & obſcurum, reſpectu alterius obiecti crediti. Sed contra eſt: Quia implicat, quod idem actus ſit evidens, & obſcurus, adhùc reſpectu diverſorum obiectorum, nam reſpectu vnius tenderet modo evidenti, & ſub ratione obiectiva veritatis per ſe notę, reſpectu alterius tenderet modo obſcuro, & ſub ratione dicti, & revelati: Hoc autem eſſet coniungere in eodem indiviſibili actu, non ſolum diverſa obiecta, ſed diverſos modos tendendi, & diverſas rationes formales obiectivas, quę quidem, nec in eodem habitu cõiungi valent: Ergò. Secundo: Quia reſpectu obiecti evidentis, non eſſet actus fidei, ſiquidem non eſſet actus credendi: eſſet ergò actus ſcientię evidentis, vel ſaltem luminis evidentis principiorum: Ergò reſolvitur fides divina in ſcientiam evidentem, aut in lumen evidens principiorum: Sed hoc eſt inauditum, & merito, quia alias fides non eſſet obſcura, nec obſequioſa Deo, ſed ſolum eſſet diſcurſus ex evidentibus principijs procedens, qui non eſt obſcurus, nec obſequioſus Deo revelanti, vt per ſe patet: Ergò.

24. Ac denique, quia reſtat præfato Auth. reſolvere fidem, quatenus credit exiſtentiam revelationis, ſeù Deum revelaſſe myſteria fidei. In quo igitur principio per ſe, & ex terminis noto eam reſolvit? Inquit, quod ipſa divina revelatio, ſeù teſtimonium, vt propoſitum per Eccleſiam eſt per ſe notum ex terminis, licèt obſcurè. Sed contra, quia licèt ſit per ſe notum credibiliter, quatenus divinũ teſtimonium ſe ipſum per Eccleſiam, tanquam per organum infallibiliter manifeſtat, & teſtificatur, vt ſuprà dictum eſt, tamen falſum eſt, quod ſit per ſe notum ex terminis; quia eſſe per ſe notum ex terminis eſt, quod termini illi habeant eſſentialem, & infallibilem connexionem immediatam inter ſe: Sed hanc connexionem non habent: Ergò non eſt per ſe notum ex terminis. Minor probatur, primo: Quia ſi talem connexionem haberent, non obſcurè, ſed evidenter, & lumine naturali eſſet per ſe notum complexum ex illis terminis, quia omnis complexio, ſeù propoſitio ex terminis immediatè, & eſſentialiter connexis inter ſe, eſt immediata, & lumine naturali, ex ipſa terminorum apprehenſione evidenter nota: *Sed Deum per Eccleſiam revelaſſe myſteria*, non eſt evidenter per ſe notum: Ergò termini illi non habent talem connexionem.

25. Inquit, quod non habent ex ſe connexionem eſſentialem, nec metaphyſicè infallibilem, habere tamen talem, ac tantam connexionem, vt vi illius poſſit intellectus ſine diſcurſu, pro priori ad affectum voluntatis, aſſentire illi probabiliter; accedente verò affectu, & imperio prudenti voluntatis, poſſit aſſentire firmiter, & ſine formidine, dicendo: *Hæc eſt revelatio Dei*. En vbi tanden ſiſtit reſolutio fidei, juxta Lugo. Nempè in connexione de ſe purè probabiü authoritatis Eccleſię cum exiſtentia divini teſtimonij. Sed contra eſt, quia huiuſmodi reſolutio reddit fidem divinam ex parte ſui motivi fallibilem, vt ſuprà oſtendimus *quæſt. 1. à num.* 37. vbi ſatis hunc modum dicendi impugnavi, nec aliquid reſtat addendum.

26. Secundo, ex prædicta deceptione, Pontius Scotiſta, apud Sendin *Tract. de fide, controverſ. 4. ſect. 5.* reſolvit aſſenſum de exiſtentia revelationis in motiva prudentis credibilitatis, vt moraliter connexa cum illa, ex quibus cauſatur cognitio moraliter certa de exiſtentia revelationis; & hanc, inquit, ſufficere abundè, immò, & cognitionem probabilem de exiſtentia revelationis. Sed hic etiam recidit in eadem inconvenientia, quia tandem reſolvit aſſenſum fidei, quæ debet eſſe metaphyſicè infallibilis, in connexionem purè moralem, phyſicè, & metaphyſicè

falli;

Digitized by Google

fallibilem: Sed hoc apertè repugnat, quia nequit eſſe maior infallibilitas in concluſione, quā in præmiſsis, ex quibus infertur, & in quas reſolvitur, ſicut nec maior firmitas in ędificio, quam in fundamento: Ergò. Secundo, quia quod inquit de ſufficientia cognitionis, aut notitię probabilis de exiſtentia revelationis ad aſſenſum fidei ſupernaturalis, iam proſcriptum eſt ab Innocent. XI. in 21. propoſitione damnata.

27. Tandem ipſe Sendin, reiectis alijs opinionibus, & retractata ſua, olim propugnata ab ipſo, qua aſſerebat, quod licèt aſſenſus myſterij moveretur ex authoritate divina, tamē aſsēſus revelationis ſolum, & adæquatè movetur ex authoritate humana: quam ſententiam nos etiam ſuprà impugnatam relinquimus; novam excogitavit viam reſolvendi fidem, potiſsimè quantum ad exiſtentiam revelationis.

28. Inquit enim, quod aſſenſus revelationis adæquatè movetur ex authoritate divina; non quidem ex illa in dicendo, ſed ex authoritate divina in gubernando vniverſum. Vndè ſic diſcurrit: Ad authoritatem Dei providentis ſpectat, vt toti vniverſo non proponatur ſub obligatione credendi doctrina falſa, & ſub obligatione diſcredendi doctrina vera: Sed doctrina, quę toti vniverſo proponitur, vt evidenter credibilis, proponitur ſub obligatione credendi illi, & diſcredendi oppoſitę: Ergò ad authoritatem Dei, vt providentis, ſpectat, quod nulla doctrina falſa proponatur, vt evidenter credibilis toti vniverſo. Minor eſt evidens. Maiorem probat: Quia ad providentiam Dei ſpectat ordinare creaturas rationales ad cognitionem, & amorem ſui finis: Ergò ad ipſam ſpectat ſtatuere certas notas, quibus inveniri poſsit vera doctrina, & religio verè dirigens creaturas rationales ad ſuum vltimum finem: Ergò ad eandem ſpectat non permittere, quod toti vniverſo proponatur falſa doctrina, vt evidenter credibilis, & ſub obligatione credendi illam; nam tunc caſus non eſſent certę notę, aut ſigna ad dignoſcendam veram doctrinam, & religionem.

29. Ex quo infert, quod motiva credibilitatis, ſub quibus proponitur noſtra fides, vt evidenter credibilis toti vniverſo, habent metaphyſicam connexionem cum exiſtentia revelationis divinę ratione authoritatis divinę, vt Proviſoris vniverſi, vi cuius illi repugnat metaphyſicè, permittere, quod ſub talibus motivis proponatur revelatio non vera, ſeù falſa, aut non exiſtens. Vndè infert, quod ſuppoſita evidentia credibilitatis ex motivis illius, iam authoritas Dei, vt Proviſoris, per ſe movet ad præſtandum aſſenſum infallibilem revelationi.

30. Sed licèt doctrina iſta, quam P. Sendin hauſit ex P. Michaele Elizalde *in ſuo opere de forma verę religionis inveniendę*, maximè conducat ad fovendam extrinſecè fidem adverſus Sectarios, & Hæreticos, nihilominus tamen cenſeo in illam minimè reſolvi intrinſecè aſſenſum, aut fidem, qua credimus exiſtentiam, aut veritatem revelationis, nec in ea fundari, aut inniti infallibilitatem talis aſſenſus, ac proinde prædictum Authorem in hoc à veritate, ſicut alios, defeciſſe.

31. Quod ſic probo. Primo: Quia Deum, titulo Gubernatoris totius vniverſi, non poſſe, adhuc metaphyſicè, permittere, quod ex malitia hominum proponatur doctrina falſa, vt evidenter credibilis ſub obligatione illam credendi, non eſt ita infallibile, ſed multo minus, quam exiſtentia revelationis propoſitę per Eccleſiam: Sed maior infallibilitas non poteſt reſolvi directè, & intrinſecè in minorem: Ergò. Probo maiorem, quia de exiſtentia revelationis propoſitę per Eccleſiam dubitare non licèt; at de illa impotentia metaphyſica Dei permittendi, quod ex malitia hominum proponatur vniverſo doctrina falſa, &c. dubitare licèt, cum plures Catholici dubitaverint, an ipſe Deus poſsit, non quidem permittere, quod minus eſt, ſed an poſsit patrare miracula in circunſtantijs, in quibus doctrina falſa redderetur evidenter, prudenter, & obligatoriè credibilis: Ergò.

32. Inquit, quod licèt non ſit evidens, quod Deus nequeat, metaphyſicè loquendo, permittere, quod falſa doctrina proponatur evidenter credibilis ex hoc, aut ex illo motivo, aut reſpectu huius, vel illius, evidens tamē eſt, quod id permittere nequit ex omnibus motivis prudentis credibilitatis, & reſpectu totius vniverſi, quia nullus Catholicus audebit aſſerere, quod ſub omnibus motivis, ſub quibus proponitur evidenter credibilis noſtra fides, poſsit, adhùc ex permiſsione divina, latere falſa doctrina, aut falſa revelatio. Sed contra, quia ſufficit, quod hoc ſit evidens moraliter, vt nullus Catholicus oppoſitum audeat aſſerere; at evidentia metaphyſica non requiritur. Secundo, quia ſi nullus Catholicus hoc audebit aſſerere, non eſt ex evidentia metaphyſica, aliàs, nec Sectarius hoc poſſet aſſerere, quia evidentia metaphyſica ęquè Hæreticum, ac Catholicum cogit ad aſſenſum; ſed eſt ex certitudine fidei, qua infallibiliter credit ſub prædictis motivis non proponi revelationē falſam, ſed veram, non quidem fundatus, aut nixus motivo aliquo evidenti, ſed motivo obſcuro ipſiuſmet revelationis, vt per Eccleſiam propoſitę. Tertio: Quia, ſi ſemel non repugnat Deum permittere, quod ex hoc, aut illo motivo, v.g. ex miraculis, proponatur doctrina falſa

evidenter credibilis, cur repugnabit, quod permittat eam confirmari alio motivo, v. g. authoritate Sapientium,& Scriptorum? Si autem hoc non repugnet, cur repugnabit eam ſimul confirmari, permittente Deo, ex alio tertio motivo ſimul concurrente? Et ſic ex cæteris:Si autem hoc non repugnet metaphyſicè reſpectu vnius, nec repugnabit reſpectu plurium, nec reſpectu vnius Provinciç, nec reſpectu vnius Regni: Ergò nec reſpectu vnius Plagç,ſeu partis mundi:Ergò nec reſpectu totius vniverſi, nam hæc omnia ſolum differunt penes magis,& minus, & licèt *magis* reſpectu *minus* in eodem genere poſsit probare repugnantiam moralem, at probare nequit repugnantiam metaphyſicam, & eſſentialem, potiſsimè cum Deus, non ſolum ſit Gubernator,& Proviſor Vniverſi, ſed cuiuslibet ex quatuor partibus ipſius, cuiuslibet Regni, & cuiuslibet Provinciç (obiter hæc dixerim, non quia talem repugnantiam metaphyſicam abnuo, ſed vt appareat eam non eſſe ita evidentem, quod de illa dubitari nequeat, præſcindendo à fide,& revelatione, attento ſolo lumine naturali intellectus.) Ergò in huiuſmodi repugnantia metaphyſica, aut in illius evidentia fundari nequit, nec reſolvi aſſenſus infallibilis præſtitus revelationi.

33. Quarto: Quia,ſi credentes innitterentur in aſſenſu revelationis authoritate Dei, vt Proviſoris, ſeù prædictç repugnantiç evidenter cognitç,haberent evidentiam revelationis,ſiquidem evidens ipſis foret, quod ſub motivis credibilitatis, quibus proponitur noſtra fides, adhùc metaphyſicè, non poteſt proponi revelatio falſa, aut non exiſtens: Ergò evidens ipſis foret, & quidem evidentia metaphyſica, quod revelatio ſic propoſita eſſet vera,& exiſtens: Ergò etiam evidens ipſis foret res revelata; vel ſaltem omnes credentes haberent evidentiam in atteſtante: Sed hoc eſt contra communem ſententiam Theologorum: Ergò.

34. Reſpondet *num.* 116. non eſſe evidens evidentia phyſica, aut methaphyſica,quod in confirmationem revelationis propoſitç per Eccleſiam facta ſint vera miracula, Martyres innumeros vitam dediſſe, & ſic de alijs motivis credibilitatis; ſiquidem hæc tantum nobis conſtant, aut ex teſtimonio PP. aut ex hiſtorijs, quç omnia non excedunt ſphæram authoritatis humanç; & hinc eſt, credentes non habere evidentiam ſpeculativam de exiſtentia revelationis, quia licèt talem evidentiam habeant de impoſsibilitate metaphyſica revelationis falſç, quç verè proponatur ſub illis motivis, non tamen de eo, quod illa motiva re ipſa extiterint, ſicut referuntur, quia de hoc tantum eſt fides humana, & ex hac parte manet obſcura exiſtentia revelationis.

35. Sed contra eſt: Quia hic Author, dum conatur oſtendere motivum infallibile credendi exiſtentiam revelationis, plus iuſto minuit credibilitatem ipſius; nam ſi motiva credibilitatis tantum fide humana nobis conſtant: Ergò exiſtentia illorum motivorum non erit nobis evidens, ſiquidem fides humana evidentiam non habet: Ergò nec credibilitas fidei, aut revelationis divinç erit nobis evidens: Ergò non datur evidentia credibilitatis: quod eſt contra omnes Theologos.

36. Inquit,non eſſe evidentem ſpeculativè, eſſe tamen evidentem practicè, nam iudicium practicum credibilitatis affirmat hoc formale obiectum: *Honeſtum eſt credere myſteria noſtrç fidei eſſe revelata à Deo*; hoc autem evidens eſt, quia nihil manifeſtius, quam honeſtum eſſe præbere aſſenſum obiecto, quod tot, ac tantis fundamentis credibile indicatur. Iudicium verò ſpeculativum aſſerit: *Exiſtentia revelationis eſt credibilis, quia confirmata miraculis, conteſtata à Martyribus, &c.* Et hoc non eſt evidens,ſed tantum creditur fide humana ex hiſtorijs: Advertit item hoc fidei humanç iudicium ſpeculativum obſcurum præſupponi debere ad practicum evidens.

37. Sed hæc doctrina in multis laborat, quia in primis falſum eſt, quod ſolum detur evidentia practica, & non ſpeculativa de credibilitate myſteriorum fidei; nam etiam ſpeculativè eſt evidens,quod noſtra fides in credibilitate longè ſuperat omnes ſectas, vt ſuo loco infrà dicemus. Secundo: Falſum eſt, quod motiva credibilitatis ſolum conſtent fide humana ex hiſtorijs, quia licèt ad talem credibilitatem iuvent, vel requirantur hiſtoriç, non tamen ſolis illis innititur, ſed effectibus miris de præſenti exiſtentibus, qui conteſtantur hiſtorias illas eſſe veras, re ipſaque extitiſſe ea motiva: quod quidem ex prædictis effectibus ſuadetur, non purè fide humana, ſed diſcurſu evidenti probante exiſtentiam cauſarum per ſuos effectus hodie exiſtentes. Tertio: Quia, ſi ſolum fide humana creditur, & non maiori certitudine, credibilitas noſtrç fidei, ſeù exiſtentia miraculorum,Martyriorum, &c. iudicium practicum ſubſequens, ſolum dictare poteſt, quod ſit honeſtum credere fide humana exiſtentiam revelationis, non verò fide ſupernaturali, & divina: Hoc autem eſt contra omnes, immò, & contra ipſum Auth. qui retractata ſua nupera opinione, qua aſſerebat exiſtentiam revelationis ſolum conſtare fide humana, cum cæteris Theologis iam fatetur illam eſſe credibilem,& credi debere fide ſuper-

na-

naturali,& divina : Ergò. Maior patet, quia ex hoc iudicio ſpeculativo : *Revelatio divina confirmata eſt motivis, & miraculis, quę ſola fide humana conſtant*, ſolum deduci poteſt hoc practicum: *Honeſtum ergò eſt credere fide humana extitiſſe talem revelationem*, non autem hoc : *Honeſtum eſt id credere fide divina, aut ſupernaturali* : Ergò. Ex quo,

38. Quinto impugno huius Auth.doctrinam: Quia, adhùc admiſſo, quod Deus titulo authoritatis in gubernando permittere nequeat, quod toti vniverſo proponatur evidenter credibilis revelatio falſa, tamen non eſt cur repugnet metaphyſicè, quod huic, & illi, & cuilibet credenti proponatur,nempè per hiſtoriam, & fidem humanam, revelatio falſa, vt credibilis ex miraculis, Martyrijs,Scriptoribus,&c.alias enim fides humana in narratione, & aſſenſu horum motivorum eſſet metaphyſicè infallibilis, ſiquidem repugnaret metaphyſicè hiſtorias humanas in eis motivis narrãdis falli, aut fallere, quod quis dicat de fide purè humana? Tunc ſic: Ergò reſpectu cuiuslibet credentis authoritas Dei, vt gubernantis vniverſum, non ſuadet infallibiliter exiſtentiam revelationis, & conſequenter non erit motivum ſufficiens ad aſſenſum infallibilem, & ſupernaturalem revelationi præſtandum. Sequelam probo, quia talis authoritas ſolum ſuadet infallibiliter exiſtentiam revelationis reſpectu illius, aut in eo ſenſu, in quo repugnat metaphyſicè Deum permittere, quod proponatur revelatio falſa,vt evidenter credibilis? Sed licèt repugnet metaphyſicè, quod ita proponatur toti vniverſo, non tamen repugnat, quod proponatur cuilibet particulari credenti falſa revelatio,eo modo,quo de facto proponitur vera, ſcilicèt, vt credibilis evidenter ex motivis fide humana tantum creditis : Ergò reſpectu cuiuſlibet particularis credentis ea authoritas non ſuadet infallibiliter exiſtentiam revelationis.

39. Confirmatur : Sicut Ruſtico proponitur vt credibilis ex vi motivorum revelatio Trinitatis, poſſet illi proponi revelatio quaternitatis divinarum perſonarum, & ex eiſdem motivis : Ergò reſpectu illius poteſt permittere authoritas Dei gubernantis, quod falſa revelatio proponatur vt evidenter credibilis, & ſub obligatione illam credendi, & diſcredendi oppoſitę: Ergò reſpectu illius authoritas Dei, vt Proviſoris, non ſuadet infallibiliter exiſtentiam revelationis, quę ſub illis motivis fide tantum humana creditis illi proponitur.

40. Reſpondet, non repugnare Deum permittere,quod falſa revelatio proponatur credibilis ex ignorantia, & inconſideratione ipſius credentis. Nos enim, inquit, non dicimus opponi divinę authoritati permittere deceptionem huius, aut illius; ſed eam permittere in circunſtantijs,in quibus deceptio prudens eſſet ex merito ipſius fundamenti : Vndè repugnat, quod falſa revelatio proponatur vt evidenter,aut prudenter credibilis ex merito motivorum credibilitatis noſtrę fidei, non tamen,quod ita proponatur, ex ignorantia credentis. Sed contra, quia licèt repugnet, quod falſa revelatio ſit, aut fiat prudenter credibilis ex merito motivorum credibilitatis noſtrę fidei, non tamen quod proponatur vt ita credibilis ex vi illorum huic, aut illi homini in particulari. Poſſet enim Parrochus proponere Ruſticis revelationem falſam, vt conteſtatam miraculis, martyrijs, &c. Et conſequenter, vt evidenter credibilem ex vi motivorum, licèt re ipſa non eſſet ita credibilis ex vi ipſorum, ſed ſolum ex ignorantia Ruſtici, vel fallacia Parrochi : Ergò nec opponitur divinę authoritati permittere quod ita proponatur cuilibet credenti, potiſsimè, cum iuxta prædictum Auth. nemini conſtent talia motiva, niſi tantum fide humana.

41. Secundo: Quia credens ſcire nequit an revelatio, quę ipſi proponitur credibilis, ſit ſibi credibilis ex merito ipſorum motivorum, an ex ſua ignorantia, præſertim, ſi ſolum habeat fidem humanam de motivis; quia ſcire nequit an ea motiva re ipſa ſint, nec an fuerint facta pro tali revelatione,an fortè ita ſibi appareant ex ſua ignorantia, vel fallentia proponentis : Ergò reſpectu illius authoritas Dei non potentis permittere, quod revelatio proponatur, vt credibilis prudenter ex vi motivorum, nihil ſuadet infallibiliter, quia ipſi non conſtat, an illi proponatur ita ex ſua Ignorantia, & non ex vi motivorum.

42. Sexto impugno prædictam doctrinam : Quia fides, qua credimus exiſtentiam revelationis, eſt eiuſdem ſpeciei, ac fides, qua credimus myſteria : Sed fides, qua credimus myſteria, non nititur authoritati Dei, vt Proviſoris vniverſi, ſed authoritati Dei, vt revelantis,& teſtificantis : Ergò pariter fides, qua credimus exiſtentiam revelationis : Quia vbi eſt eadem fides ſpecificè, debet eſſe idem motivum formale, cui nitatur. Confirmatur : Quia ſolum credimus Deo, vt loquenti ; Sed Deus, vt gubernans vniverſum, formaliter non loquitur : Ergò credere non poſſumus Deo formaliter, vt gubernanti vniverſum.

43. Dices, Deum vt ſic gubernantem non loqui formaliter, & immediatè, loqui tamen mediatè, aut virtualiter, quia dum permittit, aut diſponit, quod aliqua doctrina proponatur toti vniverſo, vt evidenter credibilis, virtualiter dicit eam eſſe veram,& à ſe revelatam. Sed con-

contra, quia loquutio, ſeù revelatio ſolum mediata, & virtualis non eſt motivum fidei, ſed Theologię, vt infrà conſtabit: Ergò ſi Deus, vt Proviſſor, virtualiter loquitur, & mediatè, non eſt ſub hac conſideratione motivum credendi fide divina revelationem. Item, quia loquutio interpretativa, ſeù virtualis per providentiam eſt alterius lineę, ac loquutio formalis per revelationē: Ergò, ſi movet illa ad fidem, movebit ad fidem diverſi generis, & lineę: Erit ergò duplex fides diverſi generis, ſicut eſt in Deo duplex genus loquutionis: Hoc autem manifeſtè eſt abſurdum; quia fides divina in Eccleſia eſt vna. Demum, quia plura Deus loquitur interpretativè per gubernationem, & providentiam, quę non creduntur per fidem divinam, vt quando alicui adimit facultates ſuas, interpretativè dicit ſe velle quod vivat pauper; quando aliquem gravi infirmite deijcit, virtualiter dicit ſe nolle quod iterſaciat, & ſic de alijs, quę tamen non creduntur fide divina, ſed diſcurſu humano colliguntur: Ergò talis modus loquendi non ſufficit ad fidem divinam.

44. Septimo, & vltimo diſplicèt prædictus Author; quia, vt ſuam doctrinā ſubſtineat, plura docet à nobis impugnata, & impugnanda. Imprimis ſupponit revelationem eſſe puram conditionem, & non motivum formale credendi myſteria, vt ex indè inferat nō eſſe opus, quod revelatio tanta firmitate, & infallibilitate conſtet, ſicut myſteria: Quam ſuppoſitionem iam impugnatam relinquimus. Secundo docet *numer.* 104. exiſtentiam revelationis credi ſimul fide humana, & divina, imò, & eundem aſſenſum eſſe miſtum ex vtraque, & hoc ſemper, vt inquit *num.* 105. quę doctrina valdè aliena eſt à veritate, & infrà à nobis impugnanda.

45. Adde, quod, dum ponit pro motivo authoritatem Dei, vt Proviſſoris; vel loquitur de Proviſſore per providentiam naturalem, vt eſt author naturalis: Et hoc eſſe nequit, quia imprimis Deus, vt author naturalis, nequit eſſe motivum fidei ſupernaturalis: Et item quia vt author naturalis non poteſt revelare, adhuc interpretativè, exiſtentiam revelationis ſupernaturalis. Si autem loquitur de Deo, vt authore, & Proviſſore ſupernaturali, ſanè non eſt evidens Deum gubernare ſupernaturaliter creaturas rationales: Ergò nec authoritas Dei, vt ſic gubernantis, eſt evidens: Ergò, ſicut extera myſteria ſupernaturalia, conſtare nequit, niſi per fidem ſupernaturalem. Ex quo igitur motivo credi poterit authoritas ſupernaturalis Dei in gubernando? Si dicat, vti dicere debet, quod creditur quia revelata: Rurſus rogabo, vndè conſtet id Deum revelaſſe, ſeu exiſtere talem revelationem? Quod ſi reſpondeat conſtare ex authoritate ſupernaturali Dei, vt gubernantis, en qualiter incidit in circulum, pro quo vitando, ſpecialem modum dicendi extruxit.

46. Igitur ſtandum eſt noſtrę ſententię, & reſolutio intrinſeca fidei terminãda eſt vltimo, & primo, ſine diſcurſu in ipſa revelatione. Nam etiam quando creditur exiſtentia ipſius revelationis, creditur propter ipſam, quia exercite revelat ſe ipſam, & eſt ratio ſui, & cæterorum, & non indiget alia ratione formali, vt credatur.

47. Nec obſunt, quę opponit prædictus Author, nempè primo ſic: Stat quod vna veritas aliam ſuadeat, & quod illa indigeat ad ſui aſſenſum alia veritate ſuadente, nam quod homo ſit riſibilis rectè ſuadetur ex eo quod ſit admirativus, verum cum hominem eſſe admirativum non ſit per ſe notum, opus eſt recurrere ad aliam rationem aſſentiendi, nimirum ad illam propoſitionem: *Homo eſt rationalis*: Vniverſaliterque ſemper retrogreditur diſcurſus, vſque dum perveniat ad propoſitionem primam, & per ſe notam, quę appareat ex appræhenſione terminorū: Ergò quamvis ex exiſtentia revelationis optimè ſuadeatur exiſtentia myſterij, cum tamen revelationem exiſtere non ſit per ſe notum, opus eſt recurrere ad aliam propoſitionem, aut motivum, vi cuius ipſa revelatio ſuadeatur. Secundo, quia exempla, quę afferuntur pro noſtro modo dicendi, non ſunt ad rem: Adducitur enim vnio, quę quia eſt ratio vniendi extrema, eſt etiam ratio vniendi ſe ipſam. Sed hoc nihil probat in revelatione, eſt enim maxima diſparitas, quia vnio exiſtere nequit, niſi vniēdo extrema, & ſe ipſam; attamen revelatio exiſtere poteſt, quin moveat ad aſſenſum myſterij, nec ſui ipſius: Ergò licèt vnio non indigeat alia ratione formali, ea tamen indiget revelatio.

48. Adducitur etiam lux, quę eſt ratio videndi colores, & ſe ipſam. Sed etiam eſt maxima diſparitas, quia viſus in lucem, & colorem immediatè tendit, ſicut etiam intellectus in veritates immediatas, & ideò lux, & color terminant actum viſionis abſque vlteriori ratione movente, ſed ratione ſui: Et ſimiliter qualibet veritas immediata, v. g. *Homo eſt rationalis*, movet ad aſſenſum aliarū, ſed ad ſui aſſenſum non indiget alia ratione: Attamen ſi veritas ſit mediata, reſolvi debet in veritatem immediatam, tanquam in rationem formalem movendi ad ſui aſſenſum: Sed hæc veritas: *exiſtit revelatio* non eſt immediata, nec per ſe nota ex terminis: Ergò ad ſuū aſſenſum indiget alia ratione formali.

49. Sed ex dictis ſuprà facile hæc ſolvuntur. Ad primum enim dico, optimè ſtare quod vna veritas ſit ratio aſſentiendi alteri, &

quod

quod illa ad ſui aſſenſum indigeat alia ratione, ſi nimirum illa in ſuo genere non ſit prima ratio, quia proloquium, quo vtimur in confirmationem noſtrę ſententię, non eſt de qualibet ratione, ſed de ratione formali prima in aliquo genere, ſic enim ait: *Primum in vnoquoque genere eſt ratio ſui, & cæterorum*: In genere autem ſcientifico, & diſcurſivo ratio aſſentiendi concluſioni non ſemper eſt prima in illo genere, quia quando non eſt nota ex terminis, non eſt prima, & immediata, ſed ſecunda, & ideò nihil mirum, quod egeat alia ratione, qua tamen non indiget, quando eſt primum principium: Revelatio autem non movet ad fidem in genere ſcientifico, aut diſcurſivo, ſed in genere credendi per ſimplicem aſſenſum; in hoc autem genere revelatio eſt prima ratio credendi, eſtque primum ſui generis, vndè in movendo ad fidem ſe habet ſicut prima principia in movendo ad aſſenſum ſcientificum, quod expreſsè docuit Div. Thom. *quæſt. 14. de veritate artic. 8. ad 16.* vbi ait: *Teſtimonium ipſum veritatis primę ſe habet in fide, vt principium in ſcientijs demonſtrativis*: Ergò ſicut principium non eget alia ratione ad ſui aſſenſum, ita nec teſtimonium, ſeù revelatio Dei, quia eſt primum in genere movendi ad fidem.

50. Nec ad hoc opus eſt, quod ſit per ſe notum ex terminis, quia licèt via ſcientifica, aut diſcurſiva naturalis intellectus, non poſsit quieſcere niſi in principio per ſe noto ex terminis, attamen via fidei, ſeù credendi id non exigit, ſed poteſt, immò, & debet ſiſtere in principio ſolum per ſe noto credibiliter, hoc eſt, per ſe ipſum revelato, & teſtificato, quale eſt divinum teſtimonium, vt propoſitum per Eccleſiam, vt ſæpè diximus: vndè decipitur volens reſolvere fidem pariter, ac ſcientiam, per diſcurſum humanum vſque ad principium, in quo quieſcat diſcurſus naturalis, tanquam in principio lumine naturę noto, cum tamen motivum, in quod reſolvi debet fides, ſit ſuprà humanum diſcurſum, in cuius obſequium captivari debet.

51. Ad ſecundum dico: Ea exempla, ſi rectè intelligantur, eſſe ad rem, nam exemplum vnionis adducitur ad ſuadendum, quod poteſt eadem ratio, ſi ſit prima in ſuo genere, non indigere alia ratione in illo genere, ſed eſſe ratio ſui ipſius, ex quo rectè probatur id ipſum de revelatione. Nec obeſt, quod vnio non poſsit exiſtere niſi vniendo, & revelatio poſsit exiſtere, nō movendo, quia, etſi revelatio poſsit exiſtere non movendo in actu ſecundo defectu applicationis, nequit tamen exiſtere non revelando, tum myſterium, tum ſeipſam, ſicut nec vnio non vniendo, tum extrema, tum ſeipſam; & cōſequenter nec poteſt exiſtere non movendo ex ſe in actu primo per modum rationis formalis, tum ad aſſenſum myſterij, tum ad aſſenſum ſui. Exemplum etiam lucis tenet, nam ſicut viſus immediatè tendit in lucem, & colorem, ita intellectus per fidem immediatè tendit in myſterium, & revelationem, quia non tendit modo diſcurſivo, ſed ſimplici, & immediato, vt ſæpè dixi. Similiter etiam de veritatibus immediatis, quia ſicut illę, quia ſunt principia, ſunt immediata, & prima in via diſcurſiva, ſic in via ſimplici credendi teſtimonium divinum eſt veritas immediata credibiliter, quia ſe habet in fide, inquit D. Thom. ſicut principium in ſcientijs: Ad quod opus non eſt, quod ex terminis ſit per ſe nota, hoc enim ſolum requiritur ad veritatem immediatam, reſpectu luminis evidentis, & naturalis intellectus, non autem ad veritatem immediatam reſpectu luminis fidei, nam ad hanc ſufficit, quod immediatè, & ratione ſui ſit revelata, & teſtificata; quod apertè convenit divino teſtimonio ſe ipſum teſtificanti, & revelanti.

52. Dices, eſſe impoſsibile, quod divinum teſtimonium ſe ipſum teſtificetur, & quod revelatio ſe ipſam revelet, nam obiectum teſtimonij divini, aut divinę revelationis, debet eſſe aliquo modo diſtinctum ab ipſo, & ipſa: Ergò ſe ipſum teſtificari nequit. Reſpondeo, negando aſſumptum, nam vt ſæpè diximus teſtimonium divinum, exercite ſaltem, ſe ipſum teſtificatur: quod expræſſum eſt in D. Th. *quæſt. 14. de veritate, art. 8. ad 2.* vbi ſic ait: *Quamvis divino teſtimonio ſit de omnibus credendū, tamen divinum teſtimonium, ſicut & cognitio, primo, & principaliter eſt de ſe ipſo, & conſequenter de alijs.* Ad probationē in contra ſatis fecit D. Th. in illo verbo *ſicut & cognitio.* Etenim omnes fatentur divinā cognitionem ſe ipſam cognoſcere: vel ergò opus eſt, quod obiectum cognitionis divinę diſtinguatur ab ipſa, vel non? Si non, nec opus erit in divino teſtimonio. Si opus eſt, quomodo diſtinguitur divina cognitio à ſe ipſa? Igitur cenſeo, non eſſe opus quod obiectum teſtificatum diſtinguatur realiter ab ipſo teſtimonio, aliàs Deus nihil poſſet teſtificari realiter ſecum, & cum teſtimonio identificatum, ſatis autem eſſe, quod diſtinguatur per rationem, ſeù virtualiter, loquendo de primario teſtificato, primario, inquam, ex noſtro modo concipiendi, nam hoc eſt Deitas, vt infrà dicam: Loquendo tamen de ſecundario teſtificato, ex noſtro modo concipiendi ſecundario, nec diſtinctio virtualis eſt neceſſaria, ſicut nec requiritur, vt cognitio divina cognoſcat ſe ipſam ſecundario ex noſtro modo concipiendi, cognita primario eſſentia divina.

53. Nec contra hoc deſumi poteſt paritas ex teſtimonio humano, nam dato, quod hoc

non

non poſsit teſtificari de ſe ipſo, quia homo in ſui cauſa teſtis nõ eſt, aut quia teſtimoniũ illius limitatũ eſt, tamen in Deo eſt maxima diſparitas, quã aſsignavit Chriſtus, *Ioan.* 8. Cum enim Iudæi opponerent: *Tu teſtimonium perhibes de ſe ipſo; teſtimonium tuum non eſt verum*, reſpondit Ieſus: *Etſi ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, teſtimonium meum verum eſt.* Quaſi diceret, in alijs puris hominibus, in quibus non loquitur Deus, benè valeret veſtra conſequentia: At in me non valet, quia licèt egò teſtimonium perhibeo de me ipſo, meum teſtimonium validum eſt, & verum eſſentialiter in dicendo: *Quia ſolus non ſum, ſed ego, & qui miſ.it me Pater*: Non ergò eſt paritas de loquutione humana ad divinam.

QUÆSTIO IV.

An revelatio privata ſit obiectum motivum Fidei Theologicę?

1. SVpponendum eſt, revelationem eſſe duplicem. Alia enim eſt revelatio particularis, & privata, alia vniverſalis, & catholica. Hæc ſecunda eſt, quę fit pluribus, vel vni perſonę, non vt perſona particularis eſt, hoc eſt, pro ſe tantum, ſed vt capiti, vel fundatori Eccleſię vniverſalis; & huius generit ſunt omnes revelationes factę Prophætis, & Apoſtolis, nobis propoſitę per Sacras Scripturas, aut per traditiones apoſtolicas, nam iſtę fuerunt factę pro tota Eccleſia, ſive toti Eccleſię in ſui fundatione, vt ipſis fides catholica inniteretur. Revelatio privata eſt, quę fit poſt Eccleſiam iam perfectè fundatam, cuilibet individuo particulari, cui Deus loqui dignatur, non vt capiti, aut fundatori Eccleſię vniverſalis, ſed vt perſonę privatę in ordine ad vtilitatem ipſius, vel vt fundatori, aut fundatrici alicuius familię particularis in Eccleſia Dei; & huiuſmodi fuerunt revelationes factę B. Birgittę. S.P.N. Franciſco de Paula, D. Thereſię, & alijs.

2. Suppouendum eſt ſecundo, fidem Theologicam in aliquo ſuo actu, vel aſſenſu poſſe eſſe privatam, & non vniverſalem, nec catholicam. Patet: Nam aliqua revelatio, etiam ſi ſit vniverſalis de ſe, poteſt ſuficienter proponi, & applicari vni particulari perſonę ad aliquid credendum, quin reſpectu eiuſdem ſufficienter applicetur, nec proponatur toti vniverſali Eccleſię: Sed tunc caſſus illa particularis perſona crederet illud fide Theologica, & non catholica in illo aſſenſu: Ergò. Probo maiorem exemplo: Nam revelatum eſt vniverſaliter in Eccleſia, pueros validè baptizatos mundari à peccato, reddique iuſtos, & Deo gratos: Pone ergò, Parrochum baptizantem habere veram intentionem, & proferre formam, adhibereque materiam, quam præſcribit Eccleſia: Certè huic applicatur, & proponitur ſufficienter illa revelatio vniverſalis, vt in vi illius poſsit credere fide Theologica illum puerum mũdatum eſſe à peccato, iuſtum, & gratum Deo: Et tamen non eſt ſufficienter propoſita toti Eccleſię, vt tota Eccleſia fide vniverſali, & catholica credat, illum numero puerum eſſe mundatum à peccato, iuſtum, & gratum Deo, quia toti Eccleſię non conſtat de intentione, forma, & materia, ſicut ipſi Parrocho: Ergò. Ecce iam in illo caſu Parrochus ille per fidem theologicam crederet, puerum illum eſſe in gratia, & tamen in illo aſſenſu non eſſet fides catholica, quia non eſſet vniverſalis toti Eccleſię, ſed privata Parrocho: Ergò fides Theologica in aliquo ſuo aſſenſu poteſt eſſe privata, & non catholica.

3. Suppono tertio: Revelationem privatam triplicem eſſe poſſe, loquendo ex parte materię revelatę: Nam primo poteſt eſſe revelatio alicuius veritatis in Sacra Scriptura iam revelatę vel explicitè, vel implicitè, cuius tamen revelatio non eſt propoſita per Eccleſiam ſufficienter omnibus fidelibus, vel ſi eſt propoſita vniverſaliter, nec revelatio, nec Eccleſię propoſitio ad eius aures pervenit, Deus tamen ſupplens defectum Eccleſię, per ſe ipſum revelat huic individuo eandem veritatem, quam olim fundatoribus Eccleſię revelavit. Secundo, poteſt revelatio privata eſſe de aliqua veritate non contenta in Sacra Scriptura, nec in traditionibus, quia proindè non eſt neceſſaria talis veritatis fides vniverſali Eccleſię, ſi enim neceſſaria foret, in Eccleſię fundatione revelata fuiſſet; verumtamen revelatur huic individuo ſpecialiter in ordine ad ipſum Deum, quia ei Deus vult concedere aliquam ſpecialem notitiam de ſe ipſo, aut de ſuis operibus, vel myſterijs, vt quando B. Birgittę revelabat circumſtantias aliquas ſuę Sanctiſſimę Paſsionis, quę non continentur in Evangelio. Tertio, poſſet Deus revelare aliquas veritates impertinentes ad ipſum Deum, vt eſt primum credibile, vt ſtellas eſſe pares, vel in pares, prout re vera ſint, vel ſe creaturum novam ſtellam, aut novum Angelum. His erga ſuppoſitis.

4. Dico primo: *Revelationes privatę poſt fundatam Eccleſiam, non ſunt obiectum motivum fidei Catholicę, vt talis.* Hæc ſententia eſt communis inter AA. tàm Jeſuitas, quàm Thomiſtas; nam Jeſuitę, & alij, qui revelationes privatas pro motivo ſufficienti fidei Theologicę admittunt,

non

non loquuntur de fidei Theologica, vt catholica eſt, ſed de illa vt privata, ſi verò aliter loquantur, contra eos procedit hęc aſſertio. Probatur primo ex Sacro Textu: Quia motivum formale fidei catholicę eſt fundamentum, quo ſuſtentatur, ſivè quo nititur talis fides catholica: Sed poſt fundatam Eccleſiam nulla revelatio privata poteſt eſſe fundamentum fidei catholicę: Ergò nec motivum illius. Minor probatur ex Apoſt. 1. ad Chorint. 3. *Vnuſquiſque autem videat quomodo ſuper ędificat, fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt*: Ergò poſt fundatam Eccleſiam, nemo poteſt ponere aliud fundamentum fidei catholicę, & conſequenter nec aliam revelationem, quę ſit motivum, & fundamentum illius. Secundo ex illo ad Epheſ. 2. *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum*. Ergò fundamentum, quo nititur Eccleſia catholica, & conſequenter eius fides, debet eſſe, non revelatio privata, ſed quę fuit fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, & per eos facta toti Eccleſię. Tertio: Nam de Eccleſia, eiuſque fide catholica dicitur Pſalm. 86: *Fundamenta eius in montibus ſanctis*, ideſt, exponunt PP. in Sanctis Patriarchis, Prophetis, & Apoſtolis: Ergò revelatio privata non poteſt eſſe fundamentum fidei catholicę, & vniverſalis.

5. Sed dices, hoc etiam probare de motivo fidei theologicę, etiam privatę, quia etiam motivum illius eſt fundamentum fidei. Reſpondeo, non probare, quia in prædictis teſtimonijs ſermo eſt de fundamento, vel de fundamentis, quibus nititur Eccleſia, & conſequenter fides eius; fides autem theologica privata vnius perſonę, in eo aſſenſu, in quo credit revelationi privatę, non poteſt dici fides Eccleſię, ac proinde de illa non eſt ſermo in prædictis locis Sacrę Scripturę.

6. Secundo probatur ex D. Thom. qui 1. p. *quæſt.* 1. *art.* 8. *ad* 2. ſic ait: *Innititur fides noſtra revelationi Prophetis, & Apoſtolis factę, qui Canonicos libros ſcripſerunt, non verò revelationi, ſi quæ fuit alijs Doctoribus factæ*. Et in præſenti, *quæſt.* 5. *art.* 3. *in corp. Formale autem obiectum fidei eſt veritas prima ſecundum quod manifeſtatur in Scripturis Sacris, & doctrina Eccleſiæ*: Ergò fides catholica non poteſt inniti revelationibus privatis, quę poſt fundatam Eccleſiam fiunt.

7. Tertio ratione ſuadetur: Quia fides catholica, vt talis, ſolum innititur revelationibus vniverſaliter factis toti Eccleſię; ſiquidem fides catholica, vt talis, eſt fides vniverſalis totius corporis myſtici Eccleſię, in quo omnia membra debent convenire; ac proinde inniti nequit revelationi vni tantum propoſitę, & non alijs Eccleſię membris: Sed revelationes privatę, quę poſt fundatam Eccleſiam fiunt, nec proponuntur Eccleſię vniverſali, nec oportet eas proponere, vt credantur fide divina: Ergò eis inniti nequit fides catholica. Probo minorem: Quia in fundatione Eccleſię Deus revelavit Eccleſię omnem doctrinam neceſſariam ipſi Eccleſię, iuxta illud: *Spiritus Paraclitus, quem Ego mittam vobis, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia*. Si enim aliquam doctrinam toti Eccleſię neceſſariam in eius fundatione non revelaſſet, fundatio Eccleſię fuiſſet infirma, poſſetque dici non benè fundata, nec firmiter, contra illud, quod canit ipſa Eccleſia: *Benè fundata eſt domus Domini ſupra firmam petram*. Etenim ipſi fundatores regnorum, & cuiuſvis Monarchię curaverunt pro ſuo poſſe leges, ac ſtatuta omnia neceſſaria condere in ipſa fundatione, nihil prætermittentes ex his, quę neceſſaria exiſtimabant; ſi namque in pluribus defuerunt, eo fuit, quia defectu præſcientię, & providentię non potuerunt omnia providere, & proptereà poſteri aliter experti ſolent novas leges addere: Atqui Deus in fundatione Eccleſię nihil potuit ignorare de neceſſarijs ad ipſam Eccleſiam firmiter fundandam, & ſtabiliendam: Ergò revelavit ei omnem doctrinam ad eius firmitatem neceſſariam. Sed eo ipſo revelationes privatę, quę poſtmodum in Eccleſia fiunt, non debent proponi toti Eccleſię, vt credendę fide catholica, quia hoc eſſet cenſere diminutam, ac infirmam fundationem Eccleſię, addendo ei fulcimenta: Itemque, quia, ſi hæc doctrina privatim revelata oporteret revelari toti Eccleſię, illam Deus in fundatione ei revelaſſet: Ergò prædictę revelationes privatę non debent proponi toti Eccleſię, nec debent cenſeri factę toti Eccleſię vt ab ea fide catholica credantur. Vndè rectè D. Thom. *quæſt.* 174. *art.* 6. *ad* 3. dixit: *Singulis temporibus non defuerunt aliqui prophetię ſpiritum habentes, non quidem ad novam doctrinam fidei depromendam, ſed ad humanorum actuum directionem*.

8. Dico ſecundo: *Si Deus aliquid privatim revelaret ſine ordine ad ipſum Deum, ſed quod diſparate ſe haberet ad ipſum, vt obiectum primarium fidei, id credi non poſſet per habitum fidei Theologicę*. Ita Ioan. à S. Thom. M. Ferre, & omnes Thomiſtę citati à SS. Salmāticenſ. in præſenti *diſp.* 1. *dub.* 4. *num.* 104. Et facilè probatur: Quia habitus fidei Theologicę, vt infrà oſtendam, reſpicit Deum pro adæquato obiecto primario terminativo: Ergò nihil poteſt per ipſum habitum credi, præter ipſum Deum, niſi ſecundario, & in ordine ad ipſum Deum: Ergò ſi Deus aliquid revelaret ita privativè, quod illud non revelaret in ordine ad ſe ipſum, illa revela-

tio non eſſet motivum fidei Theologicę, ſi quidem non moveret ad credendum illud in ordine ad obiectum primarium fidei Theologicę. Id quidem certum eſt, & rectè probatur à præfatis Salmanticenſ. Ioan. à S. Thom. & alijs. Veruntamen.

9. Dico tertio: *Revelationes privatę, quę poſt fundatam Eccleſiam fiunt aliquibus cum ſufficienti certitudine quod ad Deo ſint, credi poſſunt per habitum fidei Theologicę ab eis, quibus fiunt, licèt non ab alijs.* Hæc concluſio, licèt videatur adverſari Thomiſtis, tamen, niſallor, de eorum mente debet iudicari: Quod vt videas, audi Salmanticenſ. ſic ſibi obijcientes: Non repugnat quod Deus revelet privatę perſonę aliquam veritatem ſubordinate ad primum credibile: Ergò neque quod aſſentiatur in eo eventu revelationi privatę per fidem Theologicam. Reſpondetur (inquiunt) concedendo conſequentiam cum M. Ioan. à S. Thom. Petro de Herrera, Philip. à SS. Trinitat. Gener, Labat, Ferre, & alijs Thomiſtis, à quibus re ipſa non diſcrepant Canus, & Soto. Nam ſi ſemel revelatio particularis eſſet talis, qualis in antecedenti depingitur, divinæque Omnipotentię concedi debet, negare neſcimus vim conſequentię, & illationis. Quia quod divina revelatio ex parte perſonę, cui fit, ſit particularis, vel vniverſalis, purè de materiali ſe habet ad ſpeciem fidei. Tunc ſic: Sed revelationes privatę, quę modo fiunt, fiunt per ordinem ad Deum, vt primum credibile: Ergò ex ipſorum Thomiſtarum confeſsione concedi debet, quod poſsint illi, quibus fiunt, reſpectivè illis aſſentire fide Theologica.

10. Probo minorem, quam expreſsè negant Salmanticenſ. Etenim ordo ad Deum, vt ad primum credibile, ſivè vt obiectum primarium fidei, qui eſt neceſſarius in alijs à Deo, vt ſecundario credantur fide Theologica, ſic explicatur à D. Thom. in præſenti *quæſt.* 1. *art. in corpore: Si verò conſideremus materialiter ea, quibus fides aſſentit, non ſolum eſt ipſe Deus, ſed etiam multa alia, quę tamen ſub aſſenſu fidei non cadunt, niſi ſecundum quod habent aliquem ordinem ad Deum, prout ſcilicèt per aliquos divinitatis effectus, homo adiuvatur ad tendendum in divinam fruitionem: Sicut etiam obiectum medicinę eſt ſanitas, quia nihil medicina conſiderat, niſi in ordine ad ſanitatem.* Sed ea, quę Deus revelat modò privatis perſonis, vt ſunt ſpeciales circumſtantię vitę, & Paſsionis Chriſti, aut ſuę Matris, vel effectus aliqui, quos Deus ſecreto in animabus operatur, vel alia occulta, & futura, talia ſunt, quod per ea, ſaltèm ille, cui revelantur, movetur, & adiuvatur ad tendendum in divinam fruitionem, vt patet in B. Birgitta, D. Thereſia, N. Paulenſi, & alijs innumeris Sanctis, qui his, & ſimilibus obiectis ſibi à Deo revelatis maximè excitabantur, & movebantur in Deum: Ergò tales revelationes privatę fiunt in ordine ad Deum ſufficienter, vt credi poſsint ſecundario per fidem Theologicam.

11. Confirmatur: Iuxta ipſos Salmanticenſ. poteſt Deus privatę perſonę revelare ſimilia in ordine ad ſe vt primum credibile, id enim *Divinę Omnipotentię concedi debet*, inquiunt: Sed nullo alio modo ea tunc revelaret, quam modò revelat, nec aliter explicaret ordinem ad ſe, vt ad primum credibile, quam modo explicat, dum ea revelat: Ergò modo ea revelat in ordine ad ſe, vt ad primarium fidei obiectum. Vel explicent contrarij, in quo hic ordo conſiſtat, & cur in præſentibus revelationibus non intercedat.

12. Explicatur: Dum Deus revelat per Prophetas, & Apoſtolos toti Eccleſię, id quod revelat, in ordine ad ſe revelat, quia omnia propter ſemetipſum operatur Deus, & in ordine ad ſe; vndè, vt infrà dicemus, dum per Sacram Scripturam revelat canem Tobię moviſſe caudam, illud revelat in ordine ad ſe: Sed non minus operatur propter ſe, & in ordine ad ſe, quando revelat privatę perſonę, ac quando revelat vniverſali Eccleſię: Ergò etiam ea, quę revelat privatę perſonę, revelat in ordine ad ſe. Et quidem mirum eſſet, quod Canem Tobię moviſſe caudam revelaverit Deus in ordine ad ſe, ſeù quod in re tali inveniatur ordo ad Deum ſufficiens, vt credi poſsit in ordine ad Deum vt obiectum primarium, & quod in circumſtātijs ſpecialibus vitę, & paſsionis Chriſti, quę Deus privatis perſonis revelavit, non poſsit inveniri ſufficiens ordo ad Deum, vt obiectum primarium.

13. Deinde probatur: Quia in Sacra Scriptura plures referuntur revelationes privatę, vt revelatio facta Abrahę de multiplicatione ſui ſeminis *Geneſ.* 15. Revelatio facta Sarę de filio naſcituro *ibid.* 18. Revelatio facta Zacharię de nativitate Ioan. & alię innumerę, quibus Sacra Scriptura abundat: Sed illi, cui fiebant prædictę revelationes, aſſentiebant illis per fidem Theologicam: Ergò revelationes privatę ſunt motivum ſufficiens fidei Theologicę in illis, quibus fiunt. Probatur minor: Quia *Geneſ.* 15. dicitur: *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam*, credidit nempè per aſſenſum fidei Theologicę, vt conſtat ex Apoſt. *ad Rom.* 4. vbi id ipſum exprimit D. Thom. Item *ad Hæbreos* 11. laudat Apoſt. fidem Sarę. Item B. V. laudatur hoc pacto: *Beata eſt, quę credidiſti, &c.* nimirum revelationi privatę factę per Angelum: Dicere autem, quod nec B. V. nec alij ex Anti-

quis

quis PP. credebant revelationibus ſibi factis per fidem Theologicam, abſurdiſſimum foret: Ergò illi credebant per fidem Theologicam.

14. Confirmatur primo: Nam revelatio, cui tenetur quis aſſentire, nè ſit in fidelis, & incredulus erga Deum, eſt ſufficiens motivum fidei Theologicę: Sed prædictę revelationes privatę tales fuere: Ergò fuerunt motivum ſufficiens fidei Theologicę: Ergò pariter, quę modo fiunt, quia pariter erit incredulus hodie, qui Deo cum ſufficiente certitudine revelanti, aſſentiri nolit. Minor probatur: Quia Sara reprehenditur *Geneſ.* 18. vt incredula, quia tarde credidit revelationi de conceptu filij, immò, & infidelitas damnatur à Ioan. Chryſoſt. *Homil.* 23. *ad Hebræos.* Item Zacharias *Lucæ* 1. reprehenditur vt incredulus, quia nolebat credere revelationi de nativitate filij: Ergò.

15. Reſpondent Salmanticenſ. Quod revelatio poteſt dici privata, vel ex parte perſonę, cui fit, quia non fit immediatè, niſi vni perſonę, vel ex modo fiendi, quia videlicèt veritatem, quam revelat, non ſubordinat Deo, vt primo credibili; revelationes autem factę Antiquis Patribus fuiſſe privatas tantum primo modo, nó autem ſecundo; quia ea, quę eis revelabantur, ordinabantur ad Deum, vt primum credibile; revelationes autem, quę modo fiunt, ſunt privatę vtroque modo, quia non ſolum fiunt privatis perſonis, ſed etiam ea, quę revelant, non ordinant ad Deum, vt primum credibile.

16. Sed contra eſt: Quia vndè conſtat, revelationes privatas, quę modo fiunt, non revelare ſua obiecta per ordinem ad primum credibile ſufficienter, vt ſint obiectum ſecundarium fidei? Etenim iuxta Salmanticenſ. Poteſt Deus ſic ea obiecta revelare: Aliunde hic modus revelandi magis congruit Divinę Providentię: Ergò ea ſic revelat de facto. Confirmatur: Dum Deus revelat vniverſali Eccleſię, revelat per ordinem ad primum credibile, etiam ea, quę ſuperficietenus videntur impertinentia, vt canem Tobię moviſſe caudam: Sed non minus ordinatè revelat Deus, quando revelat animabus Sanctis in Eccleſia circumſtantias aliquas vitę, & paſſionis Chriſti, non contentas in Evangelio: Ergò iſta revelat ordinatè ad primum credibile.

17. Dices non ordinate ea, vt noviter credenda in Eccleſia fide communi. Sed contra: Quia hoc ad ſummum probat, quod tales revelationes privatę non moveant ad fidem vt communem Eccleſię, ſeù, vt catholicam, quod libenter fatemur; non autem quod non moveant ad fidem theologicam privatam in aliquo ſui aſſenſu. Vndè ſic argumentor: Poteſt fides Theologica in aliquo ſui aſſenſu eſſe privata, & non communis, nec vniverſalis in Eccleſia, vt quando Parrochus credit puerum à ſe baptizatum eſſe in gratia, & ſi ſtatim moriatur, eſſe in gloria; hoc enim credit fide Theologica, vt fatentur Salmanticenſ. *num.* 123. Sed tunc caſſus non credit illam veritatem ſingularem Parrochus, vt aliquid noviter credendum in Eccleſia fide communi: Ergò hoc non eſt neceſſarium ad fidem theologicam eſſentialiter in omni ſuo actu.

18. Secundo probatur concluſio: Quia ille, cui modo fiat revelatio privata ſufficienti cum certitudine, quod ſit à Deo, tenetur aſſentire tali revelationi, ſeù Deo loquenti per illam Non fide tantum humana: Ergò fide theologica. Dices, aſſentiri tali revelationi per cognitionem propheticam, quia regulariter tales loqutiones, vel revelationes ſunt propheticę, ad gratiam prophetię ſpectantes, quę proinde per cognitionem propheticam, ſeù per gratiam prophetię ſufficienter creduntur.

19. Sed contra eſt primo: Quia non ſemper tales Dei loquutiones ſunt propheticę, aut per gratiam gratis datam, aliquando enim vſuvenit eſſe loquutiones Dei formales ad animam loquentis, cum libertate ſufficiente ex parte animę ad aſſenſum, qui quidem aſſenſus tunc non poteſt eſſe à gratia prophetię, quia per prophetiam rapitur intellectus, & movetur anima abſque ſui deliberatione, & agitur magis, quam agit: Ergò ſaltem tunc debet aſſentire per fidem theologicam. Secundo: Quia licèt in eodem tempore, quo fit revelatio prophetica poſſit anima per ipſam gratiam prophetię aſſentiri Deo loquenti; tamen tempore ſequenti, durante certitudine immòvibili de eo, quod revelatio fuerit ipſius Dei, vt regulariter durat, reſtante D. Therefia *cap.* 25. *lib. ſuę vitę*, quando iam tranſivit loquutio, & conſequenter gratia prophetię, tunc ſanè tali revelationi non poteſt aſſentiri per prophetiam: Aliundè poteſt illi aſſentiri: Ergò per fidem theologicam.

20. Reſpondent Salmantic. aſſentiri per gratiam fidei, quę inter gratias gratis datas numeratur ab *Apoſt.* 1. *ad Corinth.* 12. Sed contra eſt: Quia fides, quę eſt gratia gratis data iuxta D. Thom. in præſenti *quæſt.* 4. *artic.* 5. *ad* 4. Eſt aliqua fidei excellentia, vti conſtantia in fide, aut ſermo fidei: Sed à conſtantia in fide, nec à ſermone fidei elici nequit aſſenſus internus divinę revelationi: Ergò nec à fide, quę eſt gratia gratis data. Secundo: Quia gratia gratis data, non eſt ad actus internos, quia non datur ad vtilitatem recipientis, ſed ad actus externos, & in vtilitatem aliorum: Sed aſſenſus præſtitus revelationi privatę eſt actus purè internus in vtilitatem credentis: Ergò non eſt à gratia gratis data.

Tertio : Quia gratia gratis data , nec vſus illius non eſt liber, & ad manum recipientis quãdo voluerit, quia datur gratis, & tranſeunter : Sed credere revelationi privatę eſt liberum credenti , & illam habenti , & poteſt pro ſuo nutu quando voluerit illi aſſentiri : Ergò non aſſentitur per gratiam gratis datam , ſed per habitum fidei. Quarto, & principaliter : Quia in fideli habenti habitum fidei ſuperfluit gratia gratis data ad credendum illi revelationi; cur enim non poterit per habitum fidei credere illi ſecundario in ordine ad Deum, vt obiectum primarium.

21. Tertio probatur concluſio : Quia ſi Deus revelet alicui animę veritatem in Sacra Scriptura contẽtam, aliundè tali animę non propoſitam, anima illa credere poterit talem revelationẽ fide Theologica, vt aſſerit Ioan. à S. Thom. vbi ſuprà : Ergò etiam ſi revelatio ſit de aliqua veritate in Sacra Scriptura non contenta. Probo conſequentiam : Quia reſpectu illius , cui revelatur veritas, aliàs in Scriptura contenta, nulla eſt differentia, quia ille neſcit, an in Scritura contineatur necnè, & ſolum illam credit, quia ſibi privatim revelatam, nec enim habet aliud motivum credendi : Ergò aſſentitur illi veritati præcisè, quia ſibi à Deo revelatę , independenter ab eo, quod contineatur in Sacra Scriptura, vel non, ſivè independenter ab eo , quod ſit revelata Eccleſię, & hoc per fidem Theologicam : Ergò etiam quando veritas revelata non eſt contenta in Sacra Seritpura.

22. Dices cum Ioan. à S. Thom. tunc caſus Deum ſupplere propoſitionem Eccleſię, non verò revelationem, quia iam illa veritas ſupponitur revelata Eccleſię. Sed contra : Quia revelatio facta Eccleſię illi non proponitur per revelationem privatam : Caſus enim eſt , quod Deus revelet directè illam veritatem , non revelando reflexe , illam eſſe revelatam in Scriptura: Ergò non ſolum ſupplet propoſitionem Eccleſię, ſed revelationem, non enim illum movet revelatio olim facta vniverſaliter toti Eccleſię , ſed ſolum movetur ex revelatione privata ſibi facta: Ergò. Secundo : Quia ſi Deus ſupplet propoſitionem Eccleſię : Ergò in órdine ad fidem Theologicam poteſt Deus ſupplere propoſitionem Eccleſię: Ergò poteſt fides Theologica moveri ex revelatione divina aliter propoſita, quàm per vniverſalem Eccleſiam : Ergò per revelationem divinam privatam. Explicatur : Revelatio privata ſolum differt à revelationibus factis Apoſtolis, & Prophetis, in eo , quod iſtę proponuntur ab Eccleſia vniverſaliter in Sacra Scriptura , illa verò ſolum proponitur interius à ſolo Deo, nam ſecluſa hac differentia, tàm divina eſt vna, ac alia , tàm infallibilis , tàm certò propoſita : Sed differentia propoſitionis non variat eſſentialiter motivum fidei (aliàs enim non poſſet Deus illam ſupplere) ſed ſolum accidentaliter, & de materiali : Ergò revelatio privatim facta eſt motivum ſufficiens fidei Theologicę.

23. Dices, eſſe aliam differentiam præter diverſam propoſitionem, nimirum, quia privata non fit in ordine ad Deum, vt primum credibile, ſicut ea, quę proponitur ab Eccleſia. Sed contra : Quia id ſæpè dicitur, ſed nunquam probatur : Etenim non minus repugnat , revelationes novas proponi Eccleſię, vt credendas, quàm novas veritates : Et tamen, primo non obſtante, poteſt fieri privatim nova revelatio in ordine ad Deum , vt primum credibile , ſicut quando revelantur alicui de novo veritates in Scriptura cõtentę : Ergò pariter, ſecunda novitate non obſtante, poſſunt revelari privatim veritates in Scriptura non contentę per ordinem ad Deum, vt primum credibile.

24. Dicet forsàm aliquis hac paritate convictus , nec revelationes privatas , quę fiunt de his , quę in Sacra Scriptura continentur , eſſe motivum formale fidei Theologicę. Sed contra: Quia hoc eſt multum negare; etenim Deus abſdubio poteſt, & ſæpè ita facit , nempè per ſe ipſum inſtruere aliquos in pluribus rebus fidei ipſis non propoſitis , vt conſtat ex pluribus Sanctis ab ipſo Deo mirabiliter in fide inſtructis : Sed nequit dici , quod eos inſtruebat in alia fide diſtincta à fide Theologica : Ergò per revelationes privatas eos inſtruebat in fide Theologica: Ergò revelatio privata eſt ſufficiens motivum fidei Theologicę.

25. Denique ſuadetur concluſio : Quia eadem obedientia debetur Regi præſcipienti per ſe immediatè , ac præſcipienti per ſuos miniſtros, immò , & ipſi Deo : Ergò eadem fides debetur Deo per ſe immediatè revelanti , ac revelanti per Eccleſiam, aut per Pontificem tanquàm per ſuum miniſtrum , ſi quidem fides eſt quædam mentis obedientia : Sed hoc ſecundo modo revelanti debetur fides Theologica : Ergò, & primo modo revelanti. Confirmatur , & tacita evaſio præcluditur : Rex , vt præcipiens privatę perſonę , poteſt præcipere in ordine ad eundum finem, nempè in ordine ad bonum commune, ſicut quando præcipit toti Reipublicę per leges vniverſales : Ergò Deus, quando revelat privatę perſonę, poteſt revelare per ordinem ad eundem finem, quem reſpicit , quando revelat vniverſaliter , ſcilicèt, per ordinem ad ſe ipſum , vt primum credibile. Tunc ſic : Sed Regi præcipienti particulariter in ordine ad bonum communo debetur eadem obedientia , ac ipſi præcipienti per leges vniverſales : Ergò etiam Deo , vt par-

ti-

ticulariter revelanti debetur eadem fides, ſiquidem revelat per ordinem ad eundem finem, ac dum revelat vniverſaliter toti Eccleſiæ.

26. Objicies primo: Per fidem theologicam nihil credere poſſumus, niſi in ordine ad Deum, vt primum credibile, vt infrà dicemus: Sed revelationibus privatis nemò credere poteſt per ordinem ad primum credibile: Ergò nec per fidem theologicam. Probo minorem: Quia Deus per revelationes privatas, non revelat per ordinem ad primum credibile: Ergò illis credere non poſſumus in ordine ad primum credibile. Probatur antecedens: Quia omnes revelationes privatæ pertinent ad ſpiritum Prophetiæ, ſivè ſunt per lumen propheticum factæ: Sed revelationes propheticæ, quæ modo fiunt, non fiunt per ordinem ad Deum, vt primum credibile: Ergò. Probo minorem: Nulla ex revelationibus propheticis, quæ modo fiunt, eſt de his rebus, quæ noviter credere oporteat per ordinem ad primum credibile, ſed omnes tendunt per ſe primo ad alterius actus directionem: Ergò nulla fit per ordinem ad Deum, vt primum credibile. Probo antecedens: Gratia prophetiæ, cum ſit gratia gratis data, eſt propter communem vtilitatem Eccleſiæ: Sed ad communem vtilitatem Eccleſiæ non pertinet, quod quis modo habeat revelationem de noviter credendis per ordinem ad primũ credibile: Ergò nulla ex revelationibus propheticis, quæ modo fiunt, eſt de his rebus, quæ noviter oporteat credere per ordinem ad primum credibile. Minor probatur primo: Quia talis revelatio derogaret fundationi conſummatæ, & perfectiſsimæ ipſius Eccleſiæ, non enim conſummata eſſet talis fundatio, ſi noviter aliquid eius fundamento accreſceret. Secundo: Quia præcipua vtilitas Eccleſiæ in ipſius pace, & vnione conſiſtit, quippè, qua regna fundantur, & ſtabiliuntur: Sed huic paci prædicta revelatio non conſuleret, ſed potius obſiſteret; ſiquidem, ea admiſſa, pateret aditus Schiſmatibus, vel ſaltem non ita præcluditur, ac ſi modo in Eccleſia non admittatur: Ergò. Hactenus Salmanticenſ. & confirmant ex Sacro Textu, SS. Patribus, & D. Thom. ſuprà primo aſſerto relatis.

27. Veruntamen diſcurſus iſte ſolum probat primum aſſertum, non verò contra tertium. Vndè reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem. Ad eius probationem, nego antecedens. Ad cuius probationem, in primis poterat negari maior, quia forsàn pluries Deus loquitur animabus ſibi dilectis per loquutiones formales abſque ſpiritu Prophetię. Sed ea prætermiſſa, nego minorem. Ad cuius probationem, diſtinguo antecedens: Nulla ex revelationibus propheticis, quę modo fiunt, eſt de his, quę noviter oporteat credere in tota Eccleſia, & fide vniverſali, in ordine ad primum credibile, concedo antecedens: De his, quę noviter oporteat credere animę, cui fiunt fide privata, nego antecedens. Ad cuius probationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem diſtinctione data, quia ad communem vtilitatem Eccleſię conducere poteſt, quod aliquibus Sanctis revelentur ſpeciales circumſtantię vitę, & paſsionis Chriſti, & ſecreta plura in Sacra Scriptura non contenta, vt credenda ab ipſis per ordinem ad Deum, vt primum credibile, nam eo ipſo, ipſi firmiter credentes talia obiecta per ordinem ad Deum iuvantur, & excitantur, excitantque alios, vt tendant ad Deum fruendum, quod quidem cedit in magnam Eccleſię vtilitatem. Et quidem minimè opponitur, Deum per ſpiritum Prophetię revelare ſecreta in ordine ad Eccleſię vtilitatem, & ea revelare in ordine ad ſe, vt primum credibile; nam Antiquis Patribus revelabat per ſpiritum Prophetię, & conſequenter ad Eccleſię vtilitatem; & tamen revelabat in ordine ad ſe, vt primum credibile: & etiam, dum de facto revelat ea, quę iam ſupponuntur revelata in Scripturis, revelat per ſpiritum Prophetię, & in ordine ad bonum Eccleſię; & tamen revelat in ordine ad ſe, vt primum credibile; & ratio eſt, quia licèt Deus, dum operatur ad extra, poſsit habere pro fine cui, vel vtilitatis hunc, vel alium, vel Eccleſiam, vel particulares, ſemper tamen operatur propter ſe, & in ordine ad ſe tanquam finem cuius gratia, & ſic quandocumque revelat ſivè private, ſivè vniverſaliter, & revelat in vtilitatem Eccleſię; poteſt etiam propter ſe, & in ordine ad ſe, quia in hoc nulla eſt oppoſitio.

28. Ad primam probationem in contra, nego, quod talis revelatio deroget fundationi Eccleſię, ſolum enim derogaret, ſi talis revelatio poneretur vt regula vniverſalis, & catholicę fidei pro tota Eccleſia; cæterum quod illa ſit regula privata alicui animę ad aliquem aſſenſum privatum fidei theologicę, minimè derogat fundationi perfectiſsimę Eccleſię, nam vt conſumatiſsima ſit talis fundatio, ſufficit, quod tota doctrina vniverſalis credenda per fidem revelata fuerit, & quod nulla deſideretur doctrina revelanda vniverſaliter Eccleſię; minimè autem requiritur, quod privatis animis non valeat Deus particularia ſecreta revelare in ordine ad eundem finem. Sicut ad perfectam fundationem regni requiritur quidem, quod nulla lex vniverſalis condenda deſideretur, non autem quòd legiſlator non poſsit præcepta particularia imponere privatis perſonis in ordine ad finem legum vniverſalium; immò hæc præcepta particularia ne-

neceſſaria ſunt, & eandem poſtulant obedientiam.

29. Ad ſecundam probationem, conceſſa maiori, nego minorem: Quia cum revelationes privatæ, quamvis ab eo, cui fiunt, credantur fide theologica, nihil omninò innovent in fide catholica, & vniverſali, nec proponantur, vt regulæ fidei infallibilis reſpectu aliorum, ſed ſolum in ſecreto ei, cui fiunt, quam optimè cohærent cum pace, & vnione Eccleſiæ. Et quidem omnes fatemur, eas revelationes credi debere ab eo, cui fiunt fide ſupernaturali infuſa, & conſequenter infallibili, quin hoc ſit aperire aditum ſchiſmatibus: Ergò nec aperitur aditus ſchiſmatibus, eo quod credantur fide theologica privata in aliquo ſui aſſenſu. Immò, ſi tales revelationes privatæ fierent ſine ordine ad primum credibile, & crederentur alia fide, quam theologica, & ſine ordine ad obiectum primarium fidei theologicæ, maius periculum afferrent ſchiſmatis, quia fundarent aliam fidem ſupernaturalem, & infallibilem diſtinctam à fide theologica, & ſine ordine ad obiectum illius, quod ſanè magis dividit, & ſcindit fidem in Eccleſia, quam ſi ponantur factæ cum ſubordinatione ad primum credibile, & creditæ per eandem fidem in ordine ad idem obiectum; quia hoc pacto potius conſtituunt vnitatem fidei, & aliter diviſionem. Et inſtari poteſt in revelationibus privatis, quæ ſunt de contentis in Scriptura.

30. Obijcies ſecundo: Si revelatio privata fiat in fideli, vt fieri poteſt, quia infidelis habere poteſt ſpiritum Prophetiæ, ab illo nequit credi fide theologica, cum illam non habeat: Ergò revelatio privata non eſt de ſe motivum ſufficiens fidei theologicæ. Reſpondeo, quod dupliciter poteſt Deus infideli revelare privatim, nimirum, vel revelando primario ſe ipſum, ipſumque inſtruendo in primo, vel in primis articulis noſtræ fidei; vel relicta in illo infidelitate circa Deum, revelando illi alia ſecreta. Si primo modo revelet, illa revelatio, quantumvis privata ſit, erit motivum fidei theologicæ, quam Deus in illo infundit, inſtruendo illum de ſe ipſo: Si verò ſecundo modo, tunc fateor, quod talis revelatio non erit in illo motivum fidei theologicæ, nam ad hoc opus eſt, quod revelet in ordine ad Deum primo revelatum, quod in illo tunc non contingit, & ſic credi poterit per ipſum ſpiritum Prophetiæ, at non per fidem theologicam, quę in illo non eſt; attamen dum revelatio privata ſit fideli catholico, oppoſitum oppoſita de cauſa contingit.

31. Pro complemento quæſtionis inquires: An omnis revelatio privata, ſemper credatur fide theologica? Reſpondeo negativè, ſed ſolum quando proponitur cum ſufficiente obſcuritate, vt ſit motivum fidei theologicę, nam quando proponitur cum evidentia convincente, & rapiente intellectum, ibi locum non habet fides theologica, ſed ipſe ſpiritus Prophetiæ omnia præſtat, ſivè revelatio ſit de his, quæ in ſcriptura continentur, ſivè de alijs, immò illę, quę factę fuerunt hoc pacto primis Patribus, durante raptu, vel motu ipſius Prophetię, non credebantur per habitum fidei theologicę, immò nec per fidem, ſed per notitiam claram Prophetiæ, quæ non eſt propriè fides, ſed cognitio Prophetica. Si verò revelatio fiat cum ſufficienti obſcuritate, & certitudine, quod Deus loquitur, tunc dicimus credi per aſſenſum ſecundario elicitum à fide theologica; & ſimiliter quando, tranſacto raptu, manet certitudo ſufficiens de eo, quod Deus fuit, qui loquutus fuit ad animam, vel qui illam veritatem revelavit.

32. Sed inquires ſecundo: Quænam certitudo requiratur ex parte illius, cui fit revelatio, vt poſſit illi aſſentiri fide theologica. Reſpondeo, quod ex parte credibilitatis prævię requiritur certitudo moralis maxima, quæ nullam prudentem formidinem in eo relinquat; at verò in actu exercito requiritur certitudo infallibilis omninò, nempè certitudo ipſius fidei, qua actu creditur vti revelatio divina. De ſignis autem neceſſarijs ad credibilitatem revelationis privatę agunt Myſtici, & res eſt aliena ab ſcopo præſentis Tractatus.

33. Inquires tertio: Qua fide credi debeant revelationes privatæ ab alijs, quibus non fiunt, ſed qui illas legunt, vel audiunt alijs factas? Reſpondeo, quod ab his credi non poſſunt fide ſupernaturali, nec theologica, quia illis proponi nequeunt cum ſufficiente certitudine, quæ omnem excludat prudentem formidinem; imprudens enim eſt, qui non formidat tanquam fallibilem relationem purè humanam; nam purè humana eſt relatio perſonæ manifeſtantis revelationem; vndè ſolum credi poſſunt fide humana abſolutè; licèt fide divina conditionatè; hoc eſt, credere poſſumus fide divina, quod ſi ita eſt, quod Deus privatè revelavit talem Paſſionis Chriſti circumſtantiam, illa eſt vera; ſed abſolutè, quod ſit vera talis circumſtantia, ſolum credere poſſumus fide humana.

34. Inquires quarto: Qualis ſubordinatio requiratur ad primum credibile, vt aliquid credatur fide theologica? Dico: Quod id explicabitur infrà, dum ſermo erit de obiecto materiali fidei ſecundario, vbi lectorem remittimus.

QUÆS-

QUÆSTIO V.

Cui motivo initatur fides, qua credimus Revelationes promiſſorias.

1. REvelationes ſunt in duplici differentia. Nam alię ſunt purè aſſertivę, quę, ſcilicèt, purè aſſerunt, ſeù affirmant aliquid eſſe, vt revelatio affirmans Deum eſſe trinum, aut Chriſtum eſſe ęqualem Patri. Alię ſunt promiſsivę, ſeù promiſſorię, vel comminatorię, quę nimirum aliquid nobis promittunt ex parte Dei, vt cum Deus promiſsit Abrahę fidem gentium, dicens: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes*, aut cum promiſsit Zacharię: *Naſcetur tibi filius*, aut cum promittit fidelibus perſeverantibus vſque in finem ſalutem ęternam, & iſtę dicuntur promiſſorię. Comminatorię autem dicuntur, quando Deus comminatur pœnam aliquam, vt cum Iudæis comminatus eſt Chriſtus: *Auferetur vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius*; aut cum in Sacro Textu comminatur impœnitentibus gehennam.

2. Noto ſecundo, quod non ſolum debemus credere fide Theologica ea, quę Deus nobis revelavit aſſertoriè, ſed etiam ea, quæ nobis revelavit promiſſoriè, ſivè ea, quæ promiſsit. Hoc patet ex Trident. *Seſſ. 6. de iuſtifica, cap. 6.* vbi inquit, peccatores præparari ad iuſtificationẽ, *dum fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe, quę divinitus revelata, & promiſſa ſunt*: Ergò non ſolum credimus fide Theologica, quæ aſſertivè nobis à Deo revelata ſunt, ſed etiam quæ nobis promiſſa ſunt.

3. Inquirimus ergò, in vi cuius motivi credantur huiuſmodi promiſſa, ſivè revelationes promiſſoriæ. In qua difficultate Ripalda *diſput. 2. ſect. 9. & 13.* dixit, huiuſmodi promiſſa credi debere, non in vi veracitatis, & ſapientiæ, ſed in vi fidelitatis, & omnipotentiæ. Alij dixerunt, quod in vi veracitatis, ſapientiæ, fidelitatis, & omnipotentiæ. Alij exigunt conſtantiam in propoſito. Sententia tamen communis Thomiſtarum eſt, quod creduntur in vi eiuſdem motivi, vi cuius creduntur revelationes aſſertorię. Pro cuius ſententia ſuadenda.

4. Noto tertio: Quod tria ſunt credenda in huiuſmodi promiſsionibus, nam primo debet credi, quod Deus promittens habet animum, ſeù propoſitum faciendi quod promittit. Secundo debet credi quod habet animum ſe obligandi ad id, quod promittit. Tertio debet credi futuritio rei promiſſę, ſivè quod faciet id, quod promittit. His ſuppoſitis.

5. Dico primo: *Animus, ſeù propoſitum faciendi rem promiſſam, creditur fide Theologica in vi eiuſdem motivi, ac creduntur revelationes aſſertorię.* Probatur primo: Quia promiſsio reſpectu talis propoſiti, non eſt promiſſoria, ſed aſſertoria: Ergò reſpectu illius creditur eodem modo, & ex eodem motivo, ac aſſertoria. Antecedens probatur: Nam Deus promittens ſic: *Multiplicabo ſemen tuum, &c.* Non promittit ſe habiturum animum multiplicandi ſemen Abrahę, ſed potius exercitè ſignificat ſe de præſenti habere talem animum, & propoſitum: Ergò reſpectu huius revelatio illa eſt purè aſſertoria, & non promiſſoria.

6. Secundo: Quia ſi motivum in revelationibus aſſertorijs eſt veracitas, & ſapiẽtia, vel vtraque in recto, vel altera in obliquo, pariter hæc ſufficiunt ad conſtituendum motivum credendi propoſitum faciendi rem promiſſam: Ergò idem motivum ſufficit. Probo antecedens: Quia per hoc præcisè, quod ſit ſummè verax, & ſapiens, qui promittit, eius promiſsio infallibiliter connectitur cum vero propoſito faciendi rem promiſſam: Sed hac ratione probatur, quod ſola veracitas, & ſapientia ſufficiunt pro motivo in revelationibus aſſertorijs: Ergò pariter in promiſſorijs ad credendum propoſitum faciendi rem promiſſam. Probo maiorem: Quia per hoc præcisè, quod ſit ſummè verax, implicat quod promittat ſine animo faciendi rem promiſſam: Ergò per hoc præcisè, quod ſit ſummè verax, & ſapiens, connectitur promiſsio infallibiliter cum animo faciendi rem promiſſam. Probo antecedens: Promittere ſine animo faciendi rem promiſſam eſt formaliſsimè vitium contra veracitatem: Sed per hoc præcisè quod Deus ſit ſummè verax, repugnat illi vitium cõtrarium veracitati: Ergò per hoc præcisè quod ſit ſummè verax, repugnat promittere ſine animo faciendi rem promiſſam. Probo maiorem: Promittere ſine animo faciendi rem promiſſam eſt formaliſsimè fallacia, ſeù mendacium loquutionis; nam ſanè qui alteri ſic promitteret: *Dabo tibi librum*, ſine ſerio animo dandi illi librum, ipſum falleret, ac deciperet, ac planè mentiretur de præſenti: Sed fallacia, deceptio, & mendatium eſt vitium formaliter contrarium veritati: Ergò.

7. Dices, ad veram promiſsionem de præſenti ſufficere, quod promittens habeat animum ſe obligandi, non autem requiri, quod habeat propoſitum faciendi rem promiſſa: Immò quamvis habeat propoſitum contrarium illam non faciendi, cum animo ſe obligandi, ſalvatur vera promiſsio in ſententia communi Theologorum Moralium. Sed contra: Quia

Il-

licèt communis ſententia teneat promiſsionem, aut votum eſſe validum ſine animo faciendi rem promiſſam, tamen huius ſententiæ Authores planè fatentur ſine tali animo promiſsionem eſſe mendoſam, & fallacem. Vnde Suarez *de Relig. lib. 1. de eſſentia, & honeſtate voti, c. 4.* vbi prædictam tuetur ſententiam contra Valent. planè fatetur, *num. 5.* quod, qui promittit ſine animo faciendi id, quod promittit, *graviter, & pernicioſè mentitur*. Et ſimiliter Sanchez *in Sum. lib. 4. cap. 1. num. 37.* inquit, quod promittens ſine animo faciendi in re gravi, *incurrit duplex mortale, alterum mendacij in re gravi, alterum fractionis voti, &c.* Et ſimiliter cæteri Authores fatentur: Ergò non ſalvatur promiſsio vera de præſenti ſine animo faciendi rem promiſſam, ſed potius ſine tali animo fallax eſſet, & mendoſa.

8. Et ratio eſt, quia iuxta hos Authores, verba promittentis duas voluntates ſignificant, nimirum, & voluntatem promittendi, & ſe obligandi, & voluntatem faciendi rem, quam promittit; ad valorem autem promiſsionis, inquiũt, ſatis eſſe, quod promiſsio vera ſit quantum ad voluntatem promittendi, & ſe obligandi, quia hæc ſola requiritur, & ſufficit ad eſſentiam promiſsionis; non autem requiri quod vera ſit quãtum ad voluntatem faciendi, quam indirectè ſignificat, ſed licèt in hoc ſit fallax, & mendoſa, valida tamen eſt: Ergò vt promiſsio vera ſit, & abſque omni mendacio, exigit, quod procedat ex propoſito faciendi rem, quam promittit. Et in hoc ſenſu explicãt D. Thom. *in hac 2. 2. quæſt. 88. art. 1. in corp.* dicentem: *Quod promiſsio ex propoſito faciendi procedit*: Ergò promiſsio per veracitatem formaliter connectitur cũ propoſito, & animo interno faciendi rem promiſſam. Contra ſecundo: Quia licèt talis ſententia de valida promiſsione ſine animo faciẽdi rem promiſſam, communior ſit, re ipſa tamen falſa eſt, & contra D. Thom. vt alibi oſtendam penè evidenter: Ergò ea ſententia non debet præiudicare noſtræ concluſioni in præſenti.

9. Contra tertio: Quia promittens ſic: *Dabo tibi librum*, practicè dicit, ſe daturum librum, ſicut aſſerens: *Dedi librum*, ſpeculativè dicit, dediſſe librum: Sed hic, vt verè loquatur, debet habere iudicium internum ſpeculativum, quo exiſtimet, ſe dediſſe librum, alioquin contra mentem loquitur, & mentitur: Ergò ille, vt verè loquatur, debet habere iudicium practicum, quo practicè iudicet ſe daturum librum, alioquin etiam contra mentem loquetur: Sed tale iudicium practicum eſſentialiter importat animum dandi librum: Ergò requiritur eſſentialiter talis animus, vt promittens non mentiatur, ſeù vt non loquatur contra mentem: Ergò per veracitatem connectitur promiſsio cũm voluntate, ſeù propoſito interno faciendi rem promiſſam. Ex quo.

10. Dico ſecundo: *Etiam ex eodem motivo credi debet futuritio rei promiſſę.* Probatur: Quia promittens, practicè affirmat futuritionem rei, quam promittit: Ergò vi veracitatis debet concordare practicam illam aſſertionem futuritionis cum iudicio practico, ſeù ſciẽtia practica de tali futuritione, nè loquatur contra mentem: Sed vi ſcientię practicè infallibilis debet inferre futuritionem rei promiſſæ in re: Ergò vi veracitatis, & ſapientiæ omninò infallibilis formaliter connectitur promiſsio cum futuritione reali rei promiſſæ: Ergò talis futuritio credi debet in vi veracitatis, & ſapiẽtiæ, ſi res aſſerta, ſivè aſſertoriè revelata creditur in vi talium perfectionum: Ergò credi debet in vi eiuſdem motivi, & opus non eſt recurrere ad fidelitatem, nec omnipotentiam.

11. Dices, promittentem non affirmare futuritionem rei promiſſæ, ſed ſolum animum ſe obligandi ad executionem rei promiſſæ. Sed contra primo: Quia promittens per verba promiſsionis, v.g. dum dicit: *Dabo tibi librum*, vel: *Multiplicabo ſemen tuum*, propriè, & immediatè minimè ſignificat animum ſe obligandi, nec mẽtionem facit de tali obligatione, licèt obligatio reſultet ex promiſsione ſemel acceptata, ſolum autem ſignificat expreſsè, & immediatè *ſe daturum librum*, aut *ſe multiplicaturum ſemen*: Sed hæc formaliſsimè eſt futuritio rei promiſſę: Ergò promittens per verba promiſſoria formaliſsimè ſignificat, licèt practicè, futuritionem rei promiſſę. Et quidem hoc mihi adeò clarum eſt, vt nequeam non mirari, quod Authores, aliàs graves, oppoſitum exiſtimare potuerint; nam certè, qui per verba promiſſoria, dicit: *Multiplicabo ſemen tuum*, planè, expreſsè, & directè ſignificat, *ſe multiplicaturum ſemen illius*, cui loquitur: Sed in hoc formaliſsimè conſiſtit futuritio rei promiſſę: Ergò dubitari nequit, quominus negari, quod talem futuritionem per verba promiſſoria ſignificet. De animo verò ſe obligandi, nihil verba promiſſoria exprimunt: Ergò quis non miretur, præfatos Authores pro comperto habuiſſe, quod talia verba ſignificent animum ſe obligandi, quem non exprimunt, & non ſignificare futuritionem rei promiſſę, quam apertè exprimunt? Confirmatur: Deus promittens per verba promiſſoria formaliter affirmat animum, ſeù propoſitum faciendi, quod promittit, vt conſtat ex prima aſſertione: Sed per hoc propoſitum res promiſſa formaliter conſtituitur futura: Ergò formaliter affirmat futuritionem rei promiſſę. Minor patet, quia propoſi-

tio-

divinum faciendi aliquid, illud formaliter conſtituitur futurum: Ergò.

12. Secundo probatur concluſio: Quia eadem fide theologica credimus divinas promiſſiones, ac revelationes aſſertorias: Sed fides eadem debet habere idem motivum formale: Ergò in vi eiuſdem motivi credimus promiſſiones, ac aſſertiones divinas. Minor patet; quia fides ſpecificatur à motivo formali. Maior verò probatur: Quia fides theologica non eſt duplex, ſed vna, iuxta illud catholicum dogma: *Vnum baptiſma, & vna fides*: Ergò eadem fide credimus promiſſiones, ac aſſertiones divinas, aliàs enim eſſet duplex fides theologica, & catholica, vna pro aſſertionibus, & alia pro promiſſionibus credēdis.

13. Reſpondent aliqui, quod actus fidei, quo credimus promiſſiones, eſt quidem ſpecie phyſica diſtinctus ab aſſenſu, quo credimus aſſertiones divinas, quia motivum eſt quaſi phyſicè diſtinctū, non tamen in eſſe motis, quia motivum in eſſe moris eſt idem. Sed contra: Quia ſi hoc ita eſſet, iam darentur duo actus, & conſequēter duo habitus fidei phyſicè diſtincti, immò, & phyſicè ſeparabiles; nam poſſet quis credere divinas aſſertiones, & diſcredere promiſſionibus; nam ſi motiva ſunt diſtincta, ex eo, quod aſſentiatur vni, non cogitur aſſentiri alteri: Sicut quando duę concluſiones nituntur diſtinctis motivis formalibus, poteſt intellectus diſſentire vni, & aſſentiri alteri: Sed hoc eſt planè abſurdum; nam aliàs poſſet quis ſimul eſſe fidelis, & infidelis, habere fidem, & infidelitatem, fidem erga aſſertiones, & infidelitatem erga promiſſiones, quod quis dicat? Ergò.

14. Contra ſecundo: Quia in virtutibus, vt talibus, non poteſt dari diſtinctio phyſica, quę non ſit moralis: Sed fides adhibita, tum aſſertionibus, tum promiſſionibus virtus eſt: Ergò ſi vna ab alia diſtinguitur phyſicè, diſtinguetur etiam moraliter. Maior probatur: Quia virtutes, vt tales, non ſunt de linea purè phyſica, & naturali, ſed eſſentialiter ſunt de linea moris: Ergò differentia in virtutibus nequit eſſe purè phyſica, ſed neceſſario erit etiam moralis. Alias enim pari ratione poſſet quis dicere, quod fides, & ſpes ſolum phyſicè, & non moraliter differunt; & idem de timore, & ſpe, & ſic de alijs; nam in his non aliunde probatur diſtinctio ſpecifica, niſi quia habent diſtincta obiecta, & motiva formalia: Ad quod poſſet quis pariter reſpōdere, quod hoc probat diſtinctionem in eſſe phyſico, non in eſſe moris: Sed hoc ſuſtineri nequit: Ergò.

15. Reſpondebis ſecundo, quod motivum immediatum credendi eſt idem formaliter in revelationibus aſſertorijs, ac promiſſorijs, quia hoc motivum eſt vnicè divinum teſtimonium, vt infallibile; cæterum motivum mediatum eſſe diſtinctum, quia divinum teſtimonium in aſſertionibus redditur infallibile vnicè ex ſapientia, & veracitate; attamen in promiſſionibus redditur infallibile ex fidelitate, & omnipotentia; vndè aſſenſus fidei eſt eiuſdem ſpeciei in aſſertionibus, ac in promiſſionibus, quia nititur eodem motivo immediato, licèt motivum mediatum ſit diverſum, nimirum in aſſertionibus veracitas, & ſapientia, & in promiſſionibus fidelitas, & omnipotentia.

16. Sed contra eſt: Quia vel fidelitas, & omnipotentia movent immediatè ad aliquem actum fidei, v. g. ad credendam infallibilitatem teſtimonij, vel ad nihil movent immediatè. Si primum: Ergò ille actus fidei erit ſpecie diverſus in promiſſionibus, ac in aſſertionibus; ſiquidem in aſſertionibus non movent fidelitas, nec omnipotentia ad credendam infallibilitatem teſtimonij. Si ſecundum: Ergò fidelitas, & omnipotentia non movent adhùc mediatè ad fidem promiſſionum. Probo conſequentiam: Quia implicat movere mediatè ad aliquem actum, niſi movendo immediatè ad aliud, ex quo talis actus moveatur; vndè principia movent mediatè ad aſſenſum concluſionis, quia movent immediatè ad ſui aſſenſum, ex quo movetur intellectus ad concluſiones; & motivum charitatis eſt motivum mediatum miſericordię, quia movet immediatè ad actum charitatis, ex quo voluntas movetur ad miſericordiam: Ergò ſi fidelitas, & omnipotentia immediatè ad nullum aſſenſum movent, nec ſunt motivum mediatum promiſſionum, vt credantur.

17. Dices eſſe motivum mediatum, non quia ipſa moveant ratione ſui, ſed quia præſtant infallibilitatem promiſſionibus, ſeù quia ſunt principia, ex quibus teſtimonium accipit ſuam infallibilitatem, licèt hoc de materiali ſe habeat in divino teſtimonio ad movendam fidem; nam ſolum ſe habet de formali, quod ſit infallibile, in quo vnivocè convenit cum revelatione aſſertoria, quod autem eius infallibilitas proveniat à veracitate, & ſapientia, vel à fidelitate, & omnipotentia, hoc de materiali, & præſuppoſitivè ſe habet. Rectè: Sed indè ſic primo infero: Ergò in vi eiuſdem omnino motivi creduntur promiſſiones divinę, ac aſſertiones, nempè in vi teſtimonij, vt omnino infallibilis, præſcindendo à principijs, ex quibus habet infallibilitatem: At hæc eſt ipſiſſima noſtra ſententia: Ergò. Secundo: Quia ſi fidelitas, & omnipotentia omnino de materiali ſe habent: Ergò falſum eſt, quod credens promiſſiones, credit illas in vi fidelitatis, & omnipotentię; ſiquidem non credit in vi illius, quod purè de materiali ſe habet,

bet. Tertiò: Ergò non opus eſt præcognoſcere in Deo fidelitatem, & omnipotentiam, ſed ſat eſt cognoſcere Deum eſſe infallibilem in dicendo, præſcindendo à quolibet alio, vt quis credat fide theologica divinas promiſsiones. Totum hoc infertur ex dicta ſolutione: Sed iugulat ſententiam Ripaldę. Vndè miror, quod R. quidam ea vtatur, propugnando ſententiam ipſius.

18. Contra ſecundo: Quia cum inquis, teſtimonium divinum promiſsivum accipere infallibilitatem ex fidelitate, & omnipotentia, vel id intelligitur formaliter, ſeù tanquam à forma illud infallibilizante; vel cauſaliter, aut efficienter, tanquam à principio, ex quo efficienter virtualiter participat infallibilitatem ſibi intrinſecam, & eſſentialem. Si hoc ſecundum: Ergò teſtimonium divinum ratione ſui, & prout diſtinctum à fidelitate, & omnipotentia, eſt intrinſecè infallibile, & motivum credendi promiſsiones. Si primum, ſic arguo: Teſtimonium promiſsivum per te conſtituitur formaliter infallibile per fidelitatem, & omnipotentiam, aſſertivum conſtituitur formaliter infallibile per veracitatem, & ſapientiam: Sed infallibilitas conſtituta formaliter per fidelitatem, & omnipotentiam eſt formaliter diſtincta ab infallibilitate conſtituta formaliter per veracitatem, & ſapientiam: Ergò teſtimonium promiſsivum, non ſolum materialiter, ſed etiam formaliter in ratione infallibilis erit diverſum à teſtimonio aſſertivo: Sed movet formaliter in ratione infallibilis: Ergò formaliter diſtinctum erit in movendo, ſeù diſtinctum motivum fidei: Ergò ſpecificabit fidem diſtinctam: Ergò non vitatur abſurdum ſuprà obiectum.

19. Confirmatur: Nam infallibilitas conſtituta formaliter per fidelitatem, & omnipotentiam, purè ęquivocè eſt infallibilitas: Ergò non convenit vnivocè in ratione infallibilitatis cum teſtimonio aſſertivo: Ergò nequit conſtituere idem formale motivum fidei. Probo antecedens primo: Quia falſitas, ſeù fallibilitas ex infidelitate, aut ex impotentia eſt purè ęquivocè falſitas in dicendo; vndè qui conformiter ad mentem, & ad propoſitum internum dixit, ſeù promiſsit, ſe daturum librum, propriè, & vnivocè verum dixit, quamvis poſteà per impotentiam id implere non poſsit; nec dici poteſt, illum fuiſſe falſum in dicendo, aut fefelliſſe audientem, propriè loquendo, ſed tantum ęquivocè, quatenus fruſtrata fuit eius promiſsio: Ergò infallibilitas ex fidelitate, & omnipotentia purè ęquivocè eſt infallibilitas in dicendo. Explicatur: Fallibilitas promiſsionis ex infidelitate, & impotentia propriſsimè eſt fruſtrabilitas veri propoſiti, & verę promiſsionis: Sed fruſtrabilitas veri propoſiti, & verę promiſsionis ſolum ęquivocè poteſt dici fallibilitas in dicendo: Ergò idem de infallibilitate; nam pariter ex fidelitate, & omnipotentia, propriè loquendo, promiſsio dicetur infruſtrabilis, ſed non niſi ęquivocè infallibilis in dicendo.

20. Ex quo tertio, ſic impugno ſolutionem; Revelatio promiſſoria minimè accipit ſuam infallibilitatem in dicendo propriè talem ex fidelitate, aut omnipotentia, ſed ſolum ex veracitate, & ſapientia: Sed ſolum movet fidem theologicā quatenus propriè, & vnivocè infallibilis in dicendo: Ergò non movet in vi fidelitatis, & omnipotentię, ſed vel ratione ſui, vel ad ſummum in vi ſolius veracitatis, & ſapientię. Probo maiorem: Quia promiſsio ſupponitur omnino vera in dicendo independenter à fidelitate, & omnipotentia, nam ex eo, quod eſt vera in dicendo, inducit obligationem fidelitatis ad faciendum quantum poſsit pro eius impletione: Ergò non accipit veritatem in dicendo, & conſequenter, nec infallibilitatem ex fidelitate, & omnipotentia. Secūdo: Quia ex fidelitate, & omnipotentia conſtituitur ſolum infruſtrabilis: Infruſtrabilitas autem non eſt propriè infallibilitas in dicēdo, ſed purè ęquivocè. Tertio: Quia ex vi ſolius veracitatis ſummę tenetur Deus non promittere, niſi quod certò ſcit futurum in eius poteſtate implere illud; nam ſi quis promitteret, quod non eſſet in eius poteſtate, aut de quo dubitaret forè in ſua poteſtate illud exequi, mendax eſſet, & veracitati deficeret. Aliundè ex vi ſummę ſapientię, quę falli non poteſt, nequit non eſſe in eius poteſtate, quod certò exiſtimat Deus futurum in eius poteſtate: Ergò ex vi veracitatis, & ſapientię ſufficienter excluditur fallibilitas, vel fruſtrabilitas, quę poſſet eſſe ex impotentia: Ergò non eſt opus recurrere ad omnipotentiam, vt promiſsio divina intelligatur omnino infallibilis in dicendo.

21. Denique ſuadetur aſſumptum: Nam ſi forſan quis aſſentiatur rei promiſſę propter fidelitatem, & omnipotentiam, ille aſſenſus non erit formaliter fidei theologicę: Ergò fides theologica, adhùc in promiſsionibus, non innititur fidelitati, & omnipotentię. Probo antecedens: Nam ſemel quod quis credat promiſsionem, vt veram, & infallibilem in dicendo, ſi poſteà ex fidelitate, & omnipotentia inferat talem promiſsionem eſſe infruſtrabilem, ac propterea rem promiſſam infallibiliter evēturam, talis aſſenſus eſt per diſcurſum theologicum, nimirum ex fidelitate, & omnipotentia credita inferendo Dei promiſsionem, & propoſitum fruſtrari non poſſe: Sed aſſenſus per diſcurſum theologicum non eſt formaliter aſſenſus fidei: Ergò dum quis aſſentitur rei pro-

miſ-

miſſę ex fidelitate, & omnipotentię, ille aſſenſus non eſt formaliter fidei theologicę. Explicatur: Si Deus revelaret, ſe habere propoſitum, aut decretum efficax de aliqua re, ſemel credito tali decreto propter infallibilitatem in dicendo, ſi poſteà quis inferret ex tali decreto, ex conſtantia, & immutabilitate Dei in illo, & ex Omnipotentia faciendi quidquid vult, rem propoſitam infallibiliter futuram, iſte aſſenſus non eſſet fidei, ſed Theologię: Ergò pariter, ſi quis Deo promittente aliquid, credat Deum ſerio, & ex animo eſſe determinatum ad illud faciendum propter infallibilitatem in dicendo, ſi tamen poſteà inferret ex tali determinatione ſimul cum conſtantia, aut fidelitate, & omnipotentia rem illam infallibiliter futuram, ille aſſenſus non erit fidei formaliter, ſed Theologię.

Solvuntur argumenta.

22. Objicies primo ex Ripalda plura loca Sacrę Script. ex quibus videtur inferri, res à Deo promiſſas credi debere, vel poſſe, quia Deus fidelis eſt, & potens implere, quę promiſit. Vndè Paul. ad Hebræos *cap.* 10. ait: *Teneamus ſpei noſtrę confeſſionem indeclinabilem* (id eſt, ſidem firmam) *fidelis eſt enim, qui promiſit.* Et cap. 11. *Fide Sara ſterilis virtutem conceptione ſeminis accepit, etiam præter tempus ætatis, quia fidelem credidit eſſe eum, qui promiſerat*: Ergò motivum fidei ad credendas promiſsiones eſt divina fidelitas. Item idem Paul. ad Timoth. *Scio cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare, &c.* Ergò potentia Dei eſt motivum certitudinis in credendo promiſsiones.

23. Reſpondeo in Sacro Textu: Sæpè accipi fidem, pro fiducia, quę eſt, vel ſecuritas quædam de re promiſſa, vel ſpes roborata, & firma, & nec nihil mirum, ſi aſsignetur pro motivo eius omnipotentia, ſeù quia Deus potens eſt facere, quę promiſit; & ſic intelligi poteſt Apoſt. ad Timoth. Cum autem aſsignatur fidelitas pro motivo, reſpondent aliqui, quod fidelitas in Deo eſt virtualiter indiſtincta à veracitate, & ſic idem ſonat ac veracitas, vndè ſolum probatur, quod veracitas ſit motivum fidei in promiſsionibus, ſicut in aſſertionibus. Ratio autem huius aſsignatur, quia munus fidelitatis eſt conformare facta dictis, ſicut veracitatis conformare dicta cum rebus aſſertis: Sed vtraque conformitas in idem recidit, quia vtraque conformat loquutionem cum obiecto, ſi loquutio eſt aſſertiva, cum obiecto aſſerto, ſi promiſsiva, cum obiecto promiſſo: Ergò ad vtramque conformitatem iſtam ſufficit vna virtus, quę ſimul ſit veracitas, & fidelitas.

24. Cæterum huiuſmodi ſolutio non placet primo: Nam aliàs dici poſſet eodem titulo fidelitas motivum credendi aſſertiones, nam eſt virtualiter eadem virtus, & perfectio in Deo, ac veracitas, & alias creditur, quia verax eſt, cur non credi poterit (in aſſertionibus loquor) quia fidelis eſt? Sed hoc dici nequit: Ergò nec illud, ex quo ſequitur. Secundo: Quia veracitas exercet ſuum munus in ipſa loquutione præcisè, non poſt loquutionem, nam ſolum in ipſa loquutione poteſt aliquis eſſe mendax, vndè ſolum in illa exercetur veracitas; poſt loquutionem autem in ipſis factis nemò eſt mendax formaliter, quia mendacium ſolum eſt proprium loquentis, non operantis, niſi forſan operatio ſit loquutio: Fidelitas autem èontra ſe habet, nam cum ordinetur ad conformanda facta dictis, potiſsimè exercet munus ſuum poſt loquutionem in ipſis factis: Ergò ſunt perfectiones ſaltem virtualiter diſtinctę. Tertio: Quia ſi per impoſsibile Deus promitteret aliquid cum ſerio animo illud implendi, & poſteà ſuę promiſsioni deficeret, tunc ſanè non deficeret veracitas, quia omnino veraciter loquutus fuit, deficeret tamen fidelitas: Ergò virtualiter ſaltem diſtinguuntur.

25. Vndè melius reſpondeo: Quod dum creduntur promiſsiones, intervenit primo aſſenſus fidei theologicę reſpectu internę promiſsionis, & propoſiti, & reſpectu futuritionis rei promiſſę conſiſtentis in tali propoſito, & determinatione: Intervenire etiam ſolet fiducia, & ſecuritas de re promiſſa: Quin etiam poteſt intervenire diſcurſus theologicus ex fidelitate, & omnipotentia ad infruſtrabilitatem promiſsionis. Igitur quotieſcumque Script. Sacra aſsignat pro motivo fidei fidelitatem, & omnipotentiam, vel immutabilitatem, & conſtantiam, intelligendum eſt, non de fide theologica, quę ſolum credit Deo dicenti, ſed vel de fiducia, vel de aſſenſu theologico conſequuto ad fidem promiſsionis, qui impropriè dicitur fides.

26. Objicies ſecundo: Stat vera promiſsio abſque propoſito exequendi rem promiſſam, licèt tunc non eſſet fidelis promiſsio: Ergò in vi veracitatis, præſcindendo à fidelitate, credi nequit propoſitum internum exequendi rem promiſſam, quod eſt contra primam concluſionem. Probo antecedens: Quia per ſolum animum ſe obligandi expreſſum per verba promiſſionis ſtat vera promiſsio: Sed ſtat animus ſe obligandi abſque propoſito exequendi rem promiſſam: Ergò, & vera promiſsio. Probatur minor: Quia obligari ad exequutionem rei promiſſæ, quid diſtinctum eſt, & ex terminis ſeparabile ab executione rei promiſſę: Ergò poteſt quis velle ſe obligare ad executionem rei promiſſę, & ſimul nolle exequi rem promiſſam;

I 2 quia

quia ex obiectis ſeparabilibus benè poteſt quis vele vnum, & nole aliud: Ergò ſtat animus ſe obligandi abſque propoſito exequendi. Hoc argumentum eſt Achiles opinionis adverſę.

27. Reſpondeo tamen, diſtinguendo antecedens: Stat vera promiſsio abſque propoſito exequendi, vera, inquam, entitativè, & in obligando, tranſeat antecedens: Vera in dicendo, & in ſignificando, nego antecedens. Ad probationem, diſtinguo eodem modo maiorem, & conſequens. Nam argumentum ad ſummum probat, quod ſalvari poteſt vera promiſsio entitativè, & in obligando abſque propoſito exequendi: Talis tamen promiſsio, ſeù loquutio promiſsiva non eſſet vera in dicendo, ſed mendax, vt ſuprà oſtendimus ex ipſis Auth. qui talem promiſsionem defendunt, vndè promiſsio vera in dicendo, ſeù verax ſalvari nequit abſque propoſito interno, & ſerio exequendi, nam hoc propoſitum formaliter ſignificat. Cæterum exiſtimo, licèt contra pleroſque Auth. quod nec promiſſio vera in obligando ſalvari poteſt abſque propoſito.

28. Vndè ſecundo, reſpondeo, negando antecedens: Ad cuius probationem, nego maiorem, quia obligatio fundatur in ipſa vera promiſsione, ſeria, non iocoſa, vera, non mendoſa, nec ficta; vndè ſi quis habens animum ſe obligandi ſolum promittat iocosè, aut fictè, nec re ipſa ſe obligat, nec verè promittit: Sicut, ſi quis faceret contractum iniuſtum, cum animo ſe obligãdi ex iuſtitia, non propterea re ipſa ſe obligaret, quia ad veram obligationem non ſufficit ſola voluntas ſe obligandi, ſed requiritur verum fundamentum obligationis, fundamentum autem obligationis ex iuſtitia, nõ eſt cõtractus iniuſtus, ſed iuſtus. Sic ergò fundamentum obligationis ex fidelitate non eſt promiſsio iocoſa, aut ficta, ſine animo faciendi, ſed eſt ſola promiſsio vera, ſeria, & ex animo, vndè qui ita non promitteret, quamvis haberet animum ſe obligandi ex fidelitate, nec verè ſe obligaret, nec verè promitteret. Vndè falluntur iſti Auth. primo, quia non conſiderant, quod vera obligatio fidelitatis fundatur in vera promiſsione, & non ècontra; vndè ad veram promiſsionem conſtituendam non eſt neceſſario recurrere ad obligationem. Item non conſiderant, quod animus ſe obligandi, & promittendi, eſt valdè diſtinctus à promiſſione, & obligatione, vtpotè tanquam actus voluntatis ab obiecto ſuo; vndè ſicut obiectum nequit conſtitui intrinſecè per actum volitivum illius, ſic nec promiſsio vera, nec vera obligatio intrinſecè cõſtituitur talis per animum, aut volitionem promittendi, & ſe obligandi. Immò, nec opus eſt expreſſa, aut reflexa intentione promittendi, aut ſe obligandi, vt quis verè promittat, & ſe obliget; nam per hoc præcisè, quod in actu exercito quis ordinet id, quod proponit facere, in obſequium alterius, & id exprimat verbis promiſsivis, cum tali propoſito, & ordinatione interna, v. g. dicendo: *Dabo tibi librum*, aut: *Faciam tibi veſtem*, verè promittit, & ſemel quod alter acceptet, verè obligatur, quamvis non habeat animum ſignatum ſe obligandi, quia obligatio ex natura rei ſequitur ad verã promiſſionem, ſivè quis velit, ſivè nolit ſe obligare reflexe. Et hæc quidem alibi forsàn explicabo amplius.

29. Obijcies tertio contra ſecundam concluſionem: Per id creditur fide theologica futuritio rei promiſſę, per quod Deus eſt determinatus infallibiliter ad exequendam rem promiſſam: Sed ſolum eſt ad hoc infallibiliter determinatus per fidelitatem, & non per ſapientiam, & veracitatem: Ergò ſolum creditur futuritio rei promiſſę vi fidelitatis, non vi veracitatis, nec ſapientię. Probatur minor: Quia ratione illius perfectionis eſt Deus infallibiliter determinatus ad exequendam rem promiſſam, quę deficeret formaliter, ſi non exequeretur rem promiſſam: Sed ſi Deus non exequeretur rem promiſſam, deficeret Deo fidelitas: Ergò ratione ſolius fidelitatis eſt infallibiliter determinatus ad exequendam rem promiſſam. Confirmatur: Ratione ſolius veracitatis, & ſapientię ſolum credi poteſt id, quod exprimit ſcientia, quam manifeſtat promiſsio ex propria determinatione, quia vi veracitatis ſolum conformatur loquutio cum ſcientia interna, ſivè cum mente expreſſa per ipſam loquutionem; & ratione ſapientię ſolum conformatur infallibiliter talis ſcientia, ſeù mens expreſſa cum ſuo obiecto: Ergò ratione ſolius veracitatis, & ſapientię, ſolum habet promiſsio conformari infallibiliter cum obiecto ſcientię, quam per ſe exprimit, & manifeſtat ipſa promiſſio. Sed promiſsio per ſe non exprimit ſcientiam futuritionis rei promiſſę, ſed ſolum ſcientiam animi interni promittendi, & ſe obligandi: Ergò vi veracitatis, & ſapientię ſolum poteſt credi animus internus promittendi, & ſe obligandi, non verò futuritio rei promiſſę. Probatur minor primo: Quia promiſsio diſtinguitur à pura aſſertione rei futurę: Sed aſſertio rei futuræ exprimit ſcientiam futuritionis: Ergò hanc non exprimit promiſsio. Secundo: Quia promiſsio ſolum exprimit ſcientiam promiſsionis internæ, quam directè ſignificat: Sed promiſsio interna ſtat præcisè in animo promittendi, & ſe obligandi, qui formaliter, immò nec connexivè dicit futuritionem rei promiſſæ: Ergò. Sic arguunt RR. ſed in eadem ſalebra hærent. Vndè.

30. Reſ-

30. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: Per id creditur fide theologica futuritio rei promiſſę, per quod Deus eſt determinatus infallibiliter in eſſendo, aut in cauſando ad executionem rei promiſſę, nego maiorem: Per quod Deus eſt infallibiliter determinatus ſignificativè, & in dicendo, concedo maiorem, & diſtinguo minorem eodem modo. Ad cuius probationem eadem diſtinctione, reſpondeo, quod Deus dupliciter poteſt dici determinatus infallibiliter ad exequendam rem promiſſam, primo cauſaliter, ſeù in eſſendo, & hoc pacto eſt ita determinatus per ſuum decretum infruſtrabile, ſeù, ſi mavis, per fidelitatem, quę tale decretum ſecum affert; cæterum huiuſmodi determinatio minimè poteſt eſſe motivum formale fidei, ſed ſolum ſcientię, quia eſt determinatio à priori per modum cauſę inferens à priori executionem rei promiſſę; vndè ſi quis aſſentiatur infallibiliter tali executioni, quia Deus, vtpotè fideliſsimus, habet decretum efficax exequendi, quod promiſsit, ſeù quia eſt ita determinatus infruſtrabiliter ad exequendam rem promiſſam, iſte formaliter in tali aſſenſu non credit, ſed aſſentitur per ſcientiam à priori habitam per cauſam infallibilem; & de hac prima determinatione verum eſt, quod ſi Deus non exequeretur rem promiſſam defectu huius determinationis, vel deficeret fidelitas, vel omnipotentia. Secundo, poteſt Deus dici determinatus infallibiliter ſignificativè, & in dicendo, hoc eſt, ſignificans, & dicens infallibiliter ſe eſſe determinatum ad exequutionem rei, quam promittit; & hoc modo ſanè non eſt determinatus infallibiliter per fidelitatem, nec omnipotentiam, ſed per veracitatem, & ſapientiam, aut per ipſam loquutionem ratione ſui infallibilem in dicendo, iuxta varias ſententias, quia quod promiſsio externa infallibiliter dicat, & teſtificetur determinationem internam Dei ad exequutionem rei promiſſę, eſt infallibilitas in dicendo formaliter talis, quę non ad fidelitatem, ſed ad veracitatem, & ſapientiam formaliter ſpectat, in aliquorum ſententia, vel ſolum imperativè, & directivè in mea, & formaliter convenit loquutioni, ſivè promiſsivę, ſivè aſſertivę ratione ſui; & in hoc ſenſu, ſi defectu huius infallibilitatis Deus non haberet animum internum exequendi, vel non exequeretur rem promiſſam, tunc non eſſet præcisè defectu fidelitatis, ſed defectu veracitatis, vel ſapientię, vel infallibilitatis in dicendo.

31. Ad confirmationem, conceſſa maiori, quę rectè probatur, diſtinguo minorem: Promiſsio per ſe non exprimit ſcientiam ſpeculativam futuritionis rei promiſſę, concedo minorem: Scientiam practicam, nego minorem. Ad cuius probationem, dico, quod promiſsio diſtinguitur à pura aſſertione futuritionis, quia pura aſſertio ſicut purè aſſerit futuram rem, ita ſolum exprimit ſcientiam ſpeculativam futuritionis aliundè ſuppoſitę. At promiſsio practicè affirmat futuritionem, nam qui promittit ſe daturum librum, practicè affirmat futuram à ſe dationem libri, vndè exprimit ſcientiam practicam futuritionis. Ad ſecundam probationem, in primis, nego ſuppoſitum de promiſsione interna, & externa; nam promiſsio eſſentialiter eſt loquutio, & eſſentialiter eſt ad alium loquutivè, vndè non eſt actus purè internus, ad diſtinctionem puri propoſiti, qui poteſt eſſe actus purè internus, & non ad alium; vndè promiſsio externa, qua aliquid alteri promittimus, non ſignificat directè promiſsionem internam, aliàs ſupponeret promiſſionem internam adæquatè conſtitutam, & obligantem, quod ſanè per ſe eſt falſum, nam quid falſius, quàm quod Petrus antequam quidquam loquatur Paulo, iam ille verè promiſſerit aliquid, & ſe obligaverit? Promiſsio ergò externa, ſivè loquutio promiſsiva ſolum directè ſignificat animum internum exequendi, quod promiſsit in beneficium, & obſequium promiſſarij, ordinando id ipſum in actu exercito in eius vtilitatem; vndè promiſsio eſſentialiter præſuppoſitivè importat propoſitum internum aliquid faciendi, eſſentialiter verò conſtitutivè importat ordinem talis propoſiti expreſſum per loquutionem in obſequium, ſeù beneficium alterius.

32. Deindè omiſſa maiori, nego minorem, nam promiſsio interna, ſi talis eſt dicenda, ordinatio, quam ſignificat, & exprimit promiſsio externa, minimè conſiſtit in animo promittendi, & ſe obligandi; ſed præſuppoſitivè importat propoſitum faciendi aliquid, & formaliter ordinationem practicam rationis talis propoſiti in beneficium alterius, vel obſequium, vndè præſuppoſitivè eſt actus voluntatis, & formaliter actus rationis practicę; loquutio ergò promiſsiva exprimit formaliter ſcientiam talis propoſiti, & talis ordinationis, quę eſt formaliſſime ſcientia practica futuritionis rei promiſſę; vndè qui promittit: *Dabo tibi librum*, formaliſsimè exprimit ſcientiam practicam, ſeù practicum iudicium, quo intus practicè iudicat, ſe daturum tale librum in vi propoſiti, quod experimentaliter in ſe agnoſcit.

QUÆS-

QUÆSTIO VI.

An detur aſſenſus fidei attigens myſterium, & non revelationem.

1. Aſſerere videntur in præſenti Hurtado, & Ripalda, cenſentes, quod ſufficit præceſiſſe cognitionem revelationis, & aſſenſum illius, vt poſtea credatur myſterium per fidem Theologicam, licèt actualiter revelatio non attingatur, quando myſterium creditur, & ſic communiter contingere fidelibus. Vnde ſic ſuam ſententiam probant.

2. Primo: Fideles communiter credunt myſteria Trinitatis, & Incarnationis, nulla facta mentione revelationis, nam ſanè, quando ex animo dicunt: *Credo in Deum Patrem, &c.* nullam mētionem faciunt de eo, quod talia myſteria ſint revelata: Ergò tunc ex vi illius actus non attingunt actualiter divinam revelationem. Sed ille aſſenſus eſt fidei ſupernaturalis, & Theologicę: Ergò datur aſſenſus fidei ſupernaturalis, & Theologicę attingens myſterium, & non revelationem. Minor ſubſumpta probatur: Nam ille aſſenſus eſt certus, & obſcurus, & creditivus myſterij, & ſæpè meritorius vitę ęternę: Sed eo ipſo eſt aſſenſus fidej ſupernaturalis, & theologicę, quia non eſt actus ſcientię, cum ſit obſcurus, & creditivus, nec opinionis, cum ſit certus, nec fidei acquiſitæ, cum ſit meritorius vitæ ęternę, & ſæpè diſponens proximè ad iuſtificationem: Ergò.

3. Confirmat Lumbier: Quia apud omnes fideles, præcipuè moribundos, iſte actus certiſsimè eſt fidei: *Credo quidquid tenet Sanct. Mater Eccleſia: Aſſentior omnibus, quę ipſa docet*: Atqui iſte aſſenſus ſolum attingit expreſsè myſterium revelatum ob ſuam veritatem, non autem divinam revelationem: Ergò vt aſſenſus ſit fidei divinę, non eſt neceſſum, quod attingat, divinam revelationem.

4. Secundo probant: Quia poteſt aliquis actus attingere myſterium propter divinam revelationē, quin intrinſecè, & per ſe attingat revelationem: Sed ille actus eſſet fidei divinę: Ergò. Probatur maior: Quia, vt attingat myſterium propter revelationem, ſufficit, quod per alium actum ſupponatur cognita, ſeù attracta revelatio, & quod ille actus ſit impulſivus ad aſſenſum myſterij, ſed hoc poteſt contingere, quin aſſenſus myſterij attingat per ſe, & intrinſecè revelationem: Ergò. Confirmatur: Quia per electionem attingitur medium propter finem, quin per illam intrinſicè attingatur finis, ſi nimirum ſupponatur attactus per intentionem moventem ad electionem: : Item per aſſenſum concluſionis attingitur concluſio propter præmiſſas, quin iſtę ſupponuntur attactę alio actu movente ad concluſionis aſſenſum: Ergò pariter per actum fidei poteſt attingi myſterium propter revelationem, quin per ipſum intrinſecè attingatur revelatio, per hoc precisè; quod attracta ſupponatur alio actu movente ad aſſenſum myſterij,

5. Nihilominus, cum communiori ſententia dico: *Repugnat actus fidei divinę non attingens per ſe, & intrinſecè revelationem, ſaltem vt rationem formalem* ſub qua, *& vt obiectum motivum.* Probatur: Quia repugnat actus fidei divinę non atingens ſuum obiectum formale motivum, nec ſuam rationem formalem *ſub qua*: Sed, vt conſtat ex dictis, obiectum formale motivum actus fidei, ſeù ratio formalis *ſub qua* illius eſt divina revelatio: Ergò repugnat actus fidei divinę non attingens per ſe, & intrinſecè revelationem, ſaltem, vt rationem formalem *ſub qua*, & vt obiectum motivum. Maior probatur: Primo à paritate, quia repugnat actus intellectus; qui per ſe, & intrinſecè non attingat veritatem in obiecto, ſaltem, vt rationem formalem *ſub qua*, quia nimirum veritas eſt obiectum formale motivum, ſeù ratio formalis *ſub qua* illius, idemque de actu voluntatis reſpectu bonitatis obiectivę: Ergò repugnat pariter actus fidei divinę, qui non attingat ſuum obiectum formale motivum, & ſuam rationem formalem *ſub qua*. Secundo, & à priori, quia ſi actus fidei non attingeret per ſe, & intrinſecè ſuam rationem formalem *ſub qua*, non diſtingueretur intrinſecè, & per ſe ab alijs actibus, qui non ſunt fidei divinę: Sed repugnat actus fidei, qui per ſe, & intrinſecè non diſtinguatur ab alijs actibus, qui non ſunt fidei divinę alias intrinſecè, non eſſet actus fidei divinę, eſſet que nullius ſpeciei, quod quis dicat? Ergò. Probo maiorē, quia actus fidei divinę, ſicut quilibet actus intellectus, ſeù alterius potentię, eſſentialiter ſpecificatur, & diſtinguitur ab alijs, per rationem formalem *ſub qua*, & per obiectum formale motivum: Sed nequit intrinſecè ſpecificari, nec intrinſecè diſtingui per illam, aut illud, ſi per ſe, & intrinſecè illam, aut illud non attingit: Ergò ſi actus fidei per ſe, & intrinſecè, non attingeret ſuam rationem formalem, aut obiectum formale motivum, non deſtingueretur intrinſecè ab alijs actibus, qui non ſunt fidei.

6. Dices, cum Ripalda, & alijs, non requiri, quod intinſecè, & per ſe illud attingat,

ſed

Digitized by Google

ſed ſatis eſſe, quod extrinſecè attingat motivum fidei, per alium actum præſupoſitum moventem, & impellentem ad aſſenſum myſterij. Sed contra eſt, quia hoc ad ſummum ſufficit, vt extrinſecè ſpecificetur, & diſtinguatur, nimirum ratione alterius actus moventis, & imperantis: Ergò non ſufficit, vt intrinſecè ſpecificetur, & diſtinguatur. Probo antecedens, quia eo modo aliquis actus ſpecificatur, & diſtinguitur per aliquod obiectum, quo illud attingit, ſi illud attingit per ſe, & intrinſecè, per ſe, & intrinſecè ſpecificatur, & diſtinguitur ex illo, ſi ſolum extrinſecè, ſolum extrinſecè ſpecificatur, & diſtinguitur ex illo: Ergò attingere illud ſolum extrinſecè, & per alium actum, tantum ſufficit, vt ſpecificetur extrinſecè.

7. Explicatur, quod aliquis actus extrinſecè tantum, & ratione alterius actus moventis attingat motivum charitatis, non ſufficit, vt ille actus intrinſecè ſpecificetur à motivo formali charitatis, nec vt diſtinguatur intrinſecè ab actibus aliarum virtutum, nec vt ſit intrinſecè actus charitatis, ſed ſolum vt extrinſecè habeat iſtas denominationes: Ergò pariter quod aliquis actus extrinſecè tantum attingat motivum formale fidei divinę, non ſufficit, vt intrinſecè ſit actus fidei divinę, nec, vt intrinſecè ſpecificetur, & diſtinguatur ab actibus, non fidei divinę. Antecedens probatur, nam ſæpè actus virtutum moralium, vt miſericordię, pacientię, & abſtinentię, moventur extrinſecè ex motivo charitatis, attacto per actum charitatis præſuppoſitivè moventem, & impellentem ad ipſos: Et tamen nemo dicet, quod in illo caſu actus illi virtutum moralium ſunt intrinſicè actus charitatis, nec quod intrinſecè ſpecificantur in ſpecie charitatis: Ergò idem quod prius.

8. Dices, eſſe diſparitatem, nam actus illi virtutum moralium non dependent intrinſecè à charitate, quia ex ſua ſpecie intrinſecè poſſunt elici non movente, nec imperante charitate, nempè ex alio inferiori motivo, & ideò intrinſecè, non ſpecificantur, nec diſtinguntur per motivum charitatis: Attamen aſſenſum myſterij revelati intrinſecè pendere ex actu præſuppoſito fidei attingente revelationem, & movente ad illum, & ideò intrinſecè ſpecificari poſſe à revelatione attacta per alium actum circa ipſam.

9. Sed contra, nam eſſici aſſenſus myſterij, ſi per ſe intrinſecè non attingit revelationem, poteſt indifferenter fieri ex alio motivo, opinabili, vel fidei humanę: Ergò aſſenſus myſterij ex ſe, & intrinſecè, etiam eſt independens à motivo revelationis divinę, ſi intrinſecè ex per ſe illam non reſpicit.

10. Dices, aſſenſum myſterij fallibilem & incertum poſſe procedere ex motivo opinabili, aut fidei humanę, attamen aſſenſum, de quo loquitur ſententia cōtraria, eſſe aſſenſum certum & infallibilem, & obſcurum; huiuſmodi autem, aſſenſum eſſentialiter dependere à motivo fidei divinę præſuppoſitivè ſaltem attacto, quia aliter non poteſt contrahere infallibilitatem. Sed contra, quia implicat quod talis aſſenſus, ſit intrinſecè infallibilis, ſi per ſe, & intrinſecè, non attingit motivum infallibile, nimirum divinam revelationem: Ergò ſi per ſe, & intrinſecè, non attingit illam, non erit talis aſſenſus intrinſecè infallibilis, & conſequenter ex hoc capite, nec erit intrinſecè dependens à motivo fidei divinę præſuppoſitivè attacto. Probo antecedēs, quia infallibilitas in actu intellectus vnicè provenire illi poteſt ex obiecto motivo: Ergò eo tantummodo talis actus erit infallibilis, quo attingit obiectum motivum infallibile: Ergò ſi talis aſſenſus myſterij ſolum extrinſecè, & per alium actum præſuppoſitum attingit motivum infallibile, non autem per ſe, & intrinſecè, ſolum extrinſecè erit certus, & infallibilis, non autem per ſe, & intriuſecè.

11. Confirmatur: Vel myſterium ratione ſui, vt obſcurè propoſitum, & non viſum, certificat infallibiliter intellectum de veritate, vel non? Si ratione ſui certificat ita intellectum: Ergò independenter à motivo extrinſeco revelationis poteſt intellectus certificari infallibiliter de veritate myſterij, & conſequenter, non eſt cur aſſenſus certus, & infallibilis eſſentialiter dependeat à motivo extrinſeco revelationis. Si ratione ſui, non certificat infallibiliter: Ergò aſſenſus ſolum reſpiciens myſterius ratione ſui, & aliud motivum, non reſpiciens, implicat, quod intrinſecè evadat infallibiliter certus.

12. Confirmatur ſecundo: Myſterium obſcurè propoſitum ratione ſui præciſivè à revelatione, tantum poteſt terminare aſſenſum incertum, & fallibilem: Ergò vt terminet aſſenſum fidei divinę, qui eſſentialiter, & intrinſecè eſt certus, & infallibilis, debet proponi, & attingi reduplicativè, vt revelatum, & vt ſtans ſub revelatione: Ergò debet attingi intrinſecè revelatio, ſaltem, vt ratio *ſub qua*. Antecedens probatur: Quia myſterium obſcurè propoſitum præciſive à revelatione ipſius, ratione ſui eſt omnino incertum intellectui, v. g. dies Iudicij: Ergò præciſivè à revelatione, & ratione ſui ſolum poteſt terminare aſſenſum incertum, & fallibilem.

13. Confirmatur tertiò: Quia revelatio præſuppoſitivè attacta, non poteſt influere infallibilitatem intrinſecam in aſſenſus fidei: Ergò

de-

debet actualiter attingi per ipſum aſſenſum fidei, vt talis aſſenſus ſit intrinſecè infallibilis. Probo antecedens: Cauſa non exiſtens nec phyſicè, nec intentionaliter, dum ita non exiſtit, nihil poteſt influere in aſſenſum fidei: Sed revelatio ſolum præſupoſitivè attacta, ſi actualiter non attingitur, non exiſtit, nec phyſicè, nec intentionaliter: Ergò nihil poteſt influere in aſſenſum fidei, & conſequenter, nec infallibilitatem intrinſecam. Minor probatur, quia imprimis, non exiſtit phyſicè, nec hoc eſſet ad rem, quia influxus revelationis in aſſenſum debet eſſe intentionalis, cum ſit per modum motivi: Deindè nec exiſtit intentionaliter, quia pro tunc, iuxta contrarios, nulla illius fit mentio: ſed tantum extitit, quando fuit attacta præſupoſitivè: Ergò.

14. Dices, non exiſtere formaliter, & expræſsè, exiſtere tamen virtualiter in virtute, ſcilicèt, aſſenſus præteriti, quo attacta, & credita fuit revelatio, eo modo, quo finis exiſtit virtualiter in executione mediorum, licèt tantum præſuppoſitivè attactus fuerit ex vi intentionis præteritæ: Sed contra, quia intentio finis ſolum perſeverat virtualiter, dum perſeverat in voluntate aliquis eius effectus movens, & impellens ad executionis mediorum, v. g. aliquis impulſus, vel actus ordinatus ad executionem; vndè, ſi ille ordo ad finem interrumpatur, & voluntas alio divertat intentionem, iam non perſeverat, nec virtualiter intentio finis, ſed opus eſt alia intentione actuali finis, vt finis moveat voluntatem: Tunc ſic, ſed tranſacto aſſenſu præſtito revelationi, nullum illius manet veſtigium in intellectu, nec vllus actus movens, aut impellens ad aſſenſum myſterij multo poſt elicitum, v. g. poſt duos, vel plures dies: Ergò tunc caſus, revelatio, vt tanto antè attacta, minimè movere poteſt ad aſſenſum præſentem, niſi iterum de præſenti attingatur.

15. Explicatur: AA. contra quos nunc diſputo, cenſent, quod omnes aſſenſus eliciti à fidelibus communiter, quando attente recitant *Credo, &c.* ſunt fidei divinę, quamvis nullam tunc faciant mentionem revelationis, quia videlicèt ſupponitur revelatio ab ipſis credita prius in alijs ocaſionibus aſſenſu ſpeciali: Sed ſæpè hic aſſenſus ſpecialis revelationis non præſupponitur, niſi forſan multis retro diebus, in quibus intellectus multa alia pertractavit longè diverſa, & nullum veſtigium manet in intellectu interdum movens ad aſſenſum myſterij, vt per ſe pateat: Ergò non perſeverat virtualiter ſufficienter, vt poſſit movere ad talem aſſenſum, nec influere in illum infallibilitatem intrinſecam.

Solvuntur obiecta.

16. Ad primam ergò obiectionem in contra, nego primum antecedens, quia dupliciter poteſt fieri mentio divinę revelationis, primo ſpecialiter, & ſignatè exprimendo ipſam, vt dum quis ita credit: *Credo myſterium, quia revelatum*: & hoc fatemur non eſſe neceſſarium ad aſſenſum fidei; quod rectè probatur in argumento, quia fideles, dum credunt myſteria, non exprimunt ſpecialiter, & ſignatè, *quia revelata*: Secundo generaliter, & in communi accipiendo ſemper omnia myſteria, & articulos fidei ſub ratione communi revelati, & dicti à Deo per Eccleſiam; & hoc pacto ſaltem debet fieri mentio revelationis, vt credantur myſteria per fidem divinam; igitur nego, quod dum fideles communiter ex animo, & attentè recitant *Credo, &c.* nullam faciant mentionem revelationis, quia ſaltem in communi, & in confuſo accipiunt, ea, quę credunt, vt revelata divinitus in Eccleſia. Nec obeſt, quod revelationis attingentia non advertatur ab ipſis, quia ſæpè rationes, quas attingit intellectus in communi non advertuntur, & tamen verè eas attingit, vt patet quando cognoſcit cœlum, terram, & quæcumque alia obiecta, certè tunc non advertit ſe attingere veritatem obiectivam omnium eorum; & tamen certiſſimum eſt, quod illam attingit, cum intellectus nihil attingere poſſit, niſi ſub ratione *veri*: Cur ergò hæc ratio veri ſæpiſsimè non advertitur? Sanè, quia non attingitur ſpecialiter, & ſignatè, dicendo: *Cognoſco Cœlum, quia verum*, ſed in communi, & confuſè accipiendo cœlum, & alia, vt vera, ſivè ſub ratione communi veri: Sic ergò in noſtro caſu.

17. Ex quo ad confirmationem, conceſſa maiori, nego minorem: Quia fidelis, ſivè ſanus, ſivè moribundus, dum credit omnia, quę tenet S.M.E. ea omnia accipit, vt à Deo divinitus revelata, accipit enim ea, vt ſibi proponuntur ab Eccleſia, ab Eccleſia autem proponuntur, tanquam divinitus revelata. Sic ergò ea credit fidelis Catholicus, ſivè ſanus, ſivè moribundus, non autem propter veritatem intrinſecam myſteriorum, quę deſſe non magis apparet vera, quam falſa. Valdè autem notandum eſt, quod non eſt idem exprimere revelationem, vt motivum, ac eam attingere, vt motivum, & rationem formalem *ſub qua*; nam ſic eam attingere ſolum dicit reſpicere myſteria ſub ratione communi revelati, & dicti à Deo, prout communiter ea reſpicit quilibet Catholicus, at exprimere revelationem, vt motivum, dicit quandam reflexionem, ac ſpecialem advertentiam talis motivi, deſignando ipſum proprio, & ſpeciali

con-

conceptu: Fatemur ergò non requiri ad aſſenſum fidei divinę,quod revelatio ita expreſsè attingatur pro motivo,& conſequenter,nec quod exprimatur in ipſo actu credendi, & quod ita non exprimitur in communiter credentibus, & hoc ſolum probant argumenta contrariorum: Negamus tamen, quod ab ipſis non reſpiciatur intrinſecè per ipſum actum credendi revelatio in communi,vt authorizans ipſa myſteria, nam certè per ipſum actum credēdi reſpiciuntur intrinſecè ipſa myſteria, vt diſtincta valdè in authoritate, & veritate ab alijs dictis humanis, & opinionibus: Authoritas autem illa alia non eſt, niſi talia myſteria eſſe divinitus revelata: Ergò vt divinitus revelata reſpiciuntur à fidelibus, quotieſcumque ab illis creduntur.

18. Sed dices: Hoc non eſt attingere formaliter per ipſum actum credendi revelationem ipſam, ſed ſolum virtualiter: Ergò ſalvatur aſſenſus fidei,qui non formaliter, ſed ſolum virtualiter reſpiciat revelationem; quod ſufficit ad intentum contrarium. Probatur antecedens, quia attingere formaliter revelationem eſt eam ſpecialiter exprimere: Ergò ſi eam non exprimit per aſſenſum, ſolum virtualiter, & non formaliter eam attingit. Nego antecedens. Ad probationem, diſtinguo antecedens: Attingere illam formaliter ſpecialiter, & in particulari, concedo antecedens: Attingere illam formaliter confusè, & in communi, nego antecedens, & conſequentiam, quia non ſolum attingitur formaliter per aliquem actum ea ratio,quę ſpecialiter exprimitur per ipſum, ſed etiam quælibet ratio, quę confusè, & in communi reſpicitur, vt ratio communis aſſentiendi, quod pater in veritate obiectiva, quę ſanè formaliter attingitur in omni obiecto,cui intellectus aſſentitur,quāvis non ſemper exprimatur ſpecialiter, quia nimirum attingitur, vt ratio communis,& generalis aſſentiendi in omni ſuo actu.

19. Nec audienda eſt ſolutio aliquorum noſtrę ſententię, qui admittunt, fideles, dum communiter credunt, non attingere actualiter revelationem, inquiunt tamen illum actum non eſſe fidei divinę, ſed vel fidei humanę, vel opinionis, vel ſcientię. Non, inquam, audienda eſt hæc ſolutio,quę benè impugnatur ab arguente, & ſanè multum detrahit fidei catholicorum; ſed ſtandum eſt ſolutioni datę.

20. Ad ſecundam obiectionem, nego maiorem. Ad eius probationem,nego maiorem, quia,quamvis per alium actum præſuppoſitum attracta fuerit revelatio, & ille actus impellat ad aſſenſum myſterij, ſi hic intrinſecè,& per ſe non moveatur ex revelatione vt cognita, ſed ex alio motivo intrinſeco, non erit intrinſecè actus fidei divinę, ſed vel ſcientię, vel opinionis, vel fidei humanę,iuxta qualitatem ſui motivi intrinſeci.

21. Ad confirmationem dico, quod per electionem attingitur medium, extrinſecè quidem propter finem, ſed intrinſecè propter vtilitatem ipſius medij ad finem;nam obiectum intrinſecè motivum electionis non eſt finis, ſed vtilitas medij ad finem, vt alibi dicemus, finis autem ſolum eſt motivum extrinſecum eius, & nihilominus attingi debet intrinſecè per electionem in obliquo, licèt non in recto,quia electio medij propter finem intrinſecè attingit medium, vt vtile ad finem, ſivè quia vtile ad ipſum: Et quia hoc eſt attingere ipſam vtilitatem in recto,& finem in obliquo,ideò dicimus electionem medij propter finem intrinſecè attingere vtrumque ,vtilitatem in recto, & finē in obliquo. Attamen aſſenſus myſterij propter revelationem, nedum in obliquo, ſed in recto debet intrinſecè reſpicere revelationem, quia obiectum formale fidei non eſt vtilitas myſterij, ſeù aliquis illius ordo ad revelationem, qui dicat revelationem ſolum in obliquo, & de connotato, ſed eſt ipſamet revelatio, quia fides per ſe,& intrinſecè non reſpicit myſterium, vt ordinatum vllo modo ad revelationem, ſed formaliter vt revelatum, & ſub ratione communi revelati, vndè revelatio, non de connotato, ſed in recto reſpicitur per actum fidei intrinſecè.

22. Ex quo patet ad confirmationem, quatenus attingit paritatem electionis. Quatenus autem attingit paritatem concluſionis, dico, quod per aſſenſum concluſionis attingitur intrinſecè concluſio propter præmiſſas in obliquo, quia ille aſſenſus intrinſecè aſſentitur concluſioni, quia illatę ex præmiſsis, vndè paſsiva connexio, ſeù illatio concluſionis ex præmiſsis eſt obiectum intrinſecum,ſeù intrinſecè in recto attractum per aſſenſum concluſionis,& quia huiuſmodi connexio importat de connotato præmiſſas,ideò præmiſſę de connotato attinguntur, etiā intrinſecè, per aſſenſum cōcluſionis. Vndè, ſi paritas aliquid probaret, ad ſummum probaret, quod poſſet dari aſſenſus fidei, qui intrinſecè non attingeret revelationem in recto, non autem qui illam intrinſecè attingeret, ſaltem in obliquo. Sed nec hoc probatur, quia aſſenſus fidei, erga myſterium non poteſt reſpicere myſterium propter illationem,aut connexionem myſterij ex revelatione, reſpiciendo pro motivo intrinſeco, non ipſam revelationem,ſed connexionem, aut illationem obiectivam myſterij ex ipſa, quia iam non eſſet fides, ſed diſcurſus humanus innixus connexioni vnius cum alio, & non veritati divinę in dicendo: So-

lum ergò aſſenſus fidei divinę attingere poteſt myſterium, vt formaliter revelatum, & ſub ratione formali revelati, quia non eſt diſcurſiva ex revelatione prius cognita per vnum actum, ad myſterium cognoſcendum per alium vi connexionis, ſed eſt ſimpliciter creditiva myſterij ſub ratione formali revelati intrinſecè attacta per ipſum aſſenſum, vndè talis aſſenſus intrinſecè debet attingere revelationem, nedum in obliquo, ſicut aſſenſus concluſionis attingit præmiſſas vi connexionis, ſed in recto, & formaliter, tanquam rationem formalem ſpecificativam, & intrinſecè motivam ipſius aſſenſus.

23. Quę quidem doctrina perſpicue confirmatur ex D.Thom. *ad Rom. 4. Lect. 1.* vbi ex his tribus: *Credere in Deum, credere Deum, & credere Deo*, inquit, quod ſolum: *Credere Deo, eſt proprius actus fidei, eius ſpeciem demonſtrans. Nam credere in Deum demonſtrat ordinem fidei ad finem, qui eſt per charitatem. Credere autem Deum demonſtrat fidei materiam, ſecundum quod eſt virtus Theologica habens Deum pro obiecto: Et ideò hic actus non dum attingit ſpeciem fidei; ſed ſolum quando ex hac ratione credit; nempè, quia eſt à Deo dictum, quod deſignatur per hoc, quod dicitur, credere Deo: Et ex hoc fides ſpecificatur, ſicut quilibet habitus cognoſcitivus ſpeciem habet ex ratione, per quam aſſentit in aliquid.* Ex quibus verbis ſic arguo: Solum *credere Deo* eſt actus proprius fidei, eius ſpeciem demonſtrans; ſed implicat credere Deo, niſi attingendo intrinſecè eius loquutionem, aut revelationem: Ergò implicat actus proprius fidei, eius ſpeciem habens, niſi intrinſecè attingat Dei loquutionem. Minor patet, quia implicat credere Deo, niſi formaliter, vt loquenti, aut dicenti aliquid, vndè cum dicimus: *Credere Deo*, ſubintelligitur, *Deo dicenti*, quia nemini credimus nihil loquenti: Sed implicat credere Deo vt dicenti, non attingendo intrinſecè loquutionem eius: Ergò. Secundo, quia actus credendi Deum non attingit ſpeciem fidei, niſi quando credit ex hac ratione, nempè, *quia à Deo dictum*: Sed implicat credere ex hac ratione non attingendo Dei loquutionem: Ergò nequit actus attingere ſpeciem fidei, niſi attingat loquutionem. Nec dicas, ſatis eſſe, quod attingat extrinſecè loquutionem, ex vi nempè alterius prioris actus. Nam hoc ſolum ſufficeret, vt extrinſecè haberet ſpeciem fidei, non autem, vt intrinſecè ſit actus fidei. Etenim *credere in Deum*, iuxta D. Thom. eſt attingere extrinſecè finem charitatis, & charitatis motivum; & tamen nemo dicet, quod ipſum credere ſit intrinſecè actus charitatis, ſed ſolum extrinſecè: Ergò ſi ſolum extrinſecè, & per alium actum attingeret fidei motivum, ſolum extrinſecè, eſſet actus fidei, & in fidei ſpecie.

QUÆSTIO VII.

An revelatio virtualis, ſit motivum formale fidei theologicę?

1. SIC communiter hanc Quæſtionē excitant Authores; ſed in ipſo titulo latet non levis ęquivocatio prius detegenda. Videtur enim ſupponere duas eſſe revelationes, vnam formalem, & aliam virtualem; quod tamen ita non eſt, nam eadem revelatio, quę formalis eſt reſpectu vnius obiecti, dicitur virtualis reſpectu alterius, non quia ſit duplex revelatio, adhùc virtualiter, ſed quia, eo ipſo, quod revelat vnum obiectum formaliter, revelat virtualiter id, quod ex tali obiecto infertur per legitimam conſequentiam; v. g. Eadem revelatio, quę revelat formaliter *Verbum Divinum factum fuiſſe hominem*, revelat virtualiter *factum fuiſſe riſibilem, admirativum, &c.* quia hoc infertur ex illo.

2. Hanc revelationem virtualem, ſubdividunt aliqui, in eam, quę eſt de obiecto formaliter contento in obiecto formaliter revelato; & in eam, quę eſt de obiecto non formaliter contento, ſed tantum virtualiter ratione connexionis; v. g. Revelatio Incarnationis, *quę revelat Chriſtum D. eſſe hominem*, dupliciter, inquiunt eſt virtualis, nimirum, vel reſpectu huius propoſitionis: *Chriſtus eſt rationalis*, quę formaliter continetur in obiecto expreſsè revelato, vel reſpectu huius: *Chriſtus eſt riſibilis*, quę non formaliter, ſed virtualiter ratione connexionis in illo continetur. Cæterùm cenſeo, quod reſpectu veritatis, aut propoſitionis formaliter côtentę in obiecto expreſsè revelato, nō poteſt dici virtualis, nec virtualiter illā revelans, quia eam formaliter, licèt implicitè, revelat. Vndè melius diſtinguetur revelatio penes diverſa obiecta, *in formalem explicitā, formalē implicitā, & virtualem*. Verumtamē formalis implicita dupliciter poteſt intelligi, nam dupliciter poteſt aliquid implicitè contineri in obiecto revelato, nimirùm, vel vt pars phyſica, aut metaphyſica in ſuo toto, vel vt particularis propoſitio in vniverſali. Ex. g. quando revelatur *Chriſtum eſſe hominem*, & quando revelatur *omnes deſcendentes ex Adam per ſeminalem propagationem, contrahere peccatum originale*. In prima enim revelatione revelatur formaliter implicitè *Chriſtum habere corpus*, & ſimiliter *Chriſtum habere animam*, quia corpus, & anima includuntur implicitè in homine, tanquam partes phyſicę illius, revelatur

etiam

Digitized by Google

etiam formaliter implicitè *Chriſtum eſſe animal*, & ſimiliter *eſſe rationale*, quia vtrumque includitur in *eſſe hominem*, tanquam partes metaphyſicę illius. In ſecunda autem revelatione revelatur formaliter implicitè *Salomonem contraxiſſe peccatum originale*, & ſimiliter Davidem, & ſic de quolibet alio (excepta ſemper Beat. Virg.) quià propoſitiones iſtę continentur, tanquam particulares ſub illa vniverſali formaliter implicitè, aut confuſè.

3. Similiter autem revelatio poteſt dici virtualis dupliciter, ſecundum diverſum modum illationis, quia obiectum virtualiter revelatum poteſt inferri ex obiecto expreſsè revelato; nam poteſt inferri media præmiſſa naturaliter nota, vel media præmiſſa de fide. Exemplum primę illationis: Quando revelatur *Chriſtum eſſe hominem*, revelatur virtualiter, media præmiſſa naturali, ipſum eſſe riſibilem, quia ſic infertur: *Chriſtus eſt homo, ſed omnis homo eſt riſibilis. Ergò Chriſtus eſt riſibilis*, vbi illa præmiſſa: *Omnis homo eſt riſibilis*, eſt nota lumine naturali, & non de fide. Exemplum ſecundę illationis: Quando revelatur expreſsè *Hominem iuſtum eſſe filium Dei adoptivum*, virtualiter revelatur *ipſum eſſe hæredem vitę ęternę*, media præmiſſa de fide, nimirum media illa propoſitione revelata in Apoſt. *ad Rom. 8. Si autem filij, & hæredes.* His prænotatis ſit.

PRIMA CONCLVSIO

4. DICO primo: *Revelatio eſt motivum formale fidei reſpectu obiecti formaliter implicitè, ſeù formaliter confuſè contenti in obiecto expreſsè revelato* (dummodo talis continentia conſtet ſufficienter, & indubitanter.) Hæc ſententia eſt communis inter Authores, & facilè ſuadetur, quia, dum Deus aliquid expreſsè revelat, non ſolum revelat immediatè conceptum explicitum illius obiecti, ſed quidquid formaliter eſt illud obiectum, ſeù quidquid formaliter in illo continetur; v. g. Cum revelat Chriſtum eſſe hominem, non ſolum revelat immediatè hanc expreſsionem *homo* cõvenire Chriſto, ſed etiam quidquid formaliter eſt homo, nam idem formaliter eſt Chriſtum eſſe hominem, ac eſſe id ipſum quod formaliter eſt homo: Sed revelatio eſt motivum fidei, ſeù credendi fide divina omne illud, quod immediatè, & formaliter revelat: Ergò eſt motivum fidei divinę, ſeù credendi fide divina, reſpectu obiecti formaliter implicitè contenti in obiecto expreſsè revelato. Explicatur: Dum Deus revelat expreſsè Chriſtum eſſe hominem, eo ipſo revelat immediatè, & formaliter Chriſtum eſſe animal rationale, itemque Chriſtum habere corpus humanum, & animam rationalem: Sed hoc non alia ratione, niſi, quia hæc includuntur formaliter implicitè in homine revelato expreſsè de Chriſto, vel vt partes phyſicę, ſicut corpus, & anima, vel vt partes metaphyſicę, vt animal, & rationale: Ergò, dum Deus aliquid expreſsè revelat, immediatè, & formaliter etiam revelat quidquid in illo includitur formaliter, ſivè vt pars phyſica, ſivè vt pars metaphyſica, ſivè alio modo: Sed dum Deus aliquid revelat immediatè, & formaliter, talis revelatio eſt motivum credendi illud fide divina: Ergò.

5. Maior difficultas, eſt quando quod implicitè revelatur, continetur confuſè in obiecto expreſsè revelato, ſicut propoſitio particularis ſub vniverſali. Veruntamen eadem ratione probatur, quia, dum revelatur expreſsè propoſitio vniverſalis; v. g. *Omnes in Adam peccaverunt*, immediatè, & formaliter revelantur omnes ſingulares ſub illa contentę: Sed revelatio divina eſt motivum formale credendi fide divina omne id, quod immediatè formaliter revelat: Ergò, dum revelatur propoſito vniverſalis, talis revelatio eſt motivum credendi fide divina omnes ſingulares confuſè in illa contentas. Probo maiorem, quia idem formaliter ſignificant propoſitiones ſingulares contentę ſub vniverſali, ac vniverſalis; ille enim, qui dicit: *Omnes in Adam peccaverunt*, formaliter dicit: *Abel, Cain, Henoc, Abraham, David, Salomon, & omnes deſcendentes per ſeminalem propagationem ex Adamo, peccaverunt in eo*: Ergò, dum revelatur expreſsè propoſitio vniverſalis, revelatur immediatè omnes ſingulares ſub illa confuſè contentę.

6. Confirmatur primo, quia in propoſitione vniverſali, ſubiectum non ſupponit confuſè vage, aut diſiunctim, ſed confuſè diſtributivè: Hæc autem ſuppoſitio facit terminum ſupponere pro omnibus, & ſingulis ſingularibus, ita vt in quolibet verificetur propoſitio, vt patet *ex lib. 2. Sum: quæſt. 7. nu.* 14. Ergò in hac propoſitione: *Omnes in Adam peccaverunt*, ly *omnes* ſupponit pro omnibus, & ſingulis ſingularibus, ita vt inquolibet verificetur illa propoſitio, quaſi dicat: *Hic peccavit in Adam*: *Ille peccavit, & ille etiam peccavit in Adamo*, & ſic deſignando omnes: Ergò revelata formaliter vniverſali, revelantur etiam formaliter, & immediatè iſtę ſingulares in illa contentę.

7. Confirmatur ſecundo: Quia illa revelatio vniverſalis, vel revelat de aliquo in ſingulari, vel de nullo in ſingulari: Si de nullo, quomodo revelat de omnibus? Siquidem dicit, quod *omnes peccaverunt*. Si de aliquo in ſin-

gulari: Ergò pariter de omnibus, ſiquidem æqualiter de omnibus loquitur: Ergò de omnibus ſingularibus revelat *peccaſſe in Adamo*: Ergò eſt motivum credendi fide divina de quolibet, peccaſſe in Adamo.

8. Dices, revelare quidem de omnibus ſingularibus confusè, & implicitè, ſed non expreſsè, & clarè, & hoc ſecundum requiri, vt ſit motivum credendi fide divina rem revelatam. Sed contra, quia ſemel, quod indubitanter conſtet ſingularia contineri ſub illa vniverſali revelata, iam revelatio intelligitur expreſsè, & clarè revelans de ipſis: Ergò iam erit motivum credendi fide divina de illis, peccaſſe in Adamo. Probo antecedens: Quia revelatio expreſsè, & clarè revelat de omnibus diſtributivè, ſiquidem eius ſubiectū ſupponit diſtributivè, id eſt, pro omnibus, & ſingulis, ita vt de quolibet intelligatur: Ergò ſemel quod indubitanter conſtet de aliquo, eſſe vnum ex illis omnibus, de illo intelligitur expreſsè, & clarè revelatio: Ergò iam de illo expreſsè, & clarè revelat.

9. Explicatur, quia illa confuſio, & implicatio præcisè conſiſtit in eo, quod revelatio non deſignat ſigillatim, & proprio nomine, quemlibet ex illis omnibus, de quibus expreſsè, & clarè revelat: Sed ſemel, quod conſtet de quolibet eſſe vnum ex illis omnibus, iam intelligitur ille deſignatus ſigillatim, & proprio nomine, tanquam vnus ex illis omnibus, de quibus formaliter, & expreſsè revelat: Ergò iam revelat expreſsè, & formaliter de ipſo ſigillatim, & proprio nomine, tanquam de vno ex omnibus.

10. Explicatur ſecundo, quia Deus, qui loquitur de omnibus, quantum eſt ex ſe, non loquitur de omnibus confusè; ſed determinatè; quia ipſe, dum loquitur, non concipit omnes confusè, ſed clarè, & diſtinctè, cum Deus aliter cognoſcere non poſsit omnes illos, de quibus loquitur, niſi clarè, & diſtinctè: Ergò tota confuſio, & implicatio eſt vnicè ex parte noſtri modi cōcipiendi, qui non poſſumus intelligere vno conceptu clarè, & diſtinctè, quod Deus vno verbo complectitur: Ergò ablata ex parte noſtra illa confuſione, qualiter aufertur deſignando clarè, & diſtinctè ſingularia illa, de quibus Deus loquitur, iam revelatio intelligitur clarè, & diſtinctè revelans de illis. Nec opus eſt, quod Deus ipſe per revelationem auferat confuſionem ſe tenentem ex parte noſtri modi concipiendi, alias oporteret, quod Deus ipſe longa verborum periodo omnia, quę dicit, explicaret, deſignando ſigillatim partes, prædicata conſtitutiva, & ſi loqueretur in vniverſali, nominando ſigillatim omnia ſingularia, quod ſanè impoſsibile penè foret, & alienum valdè à Deo revelante, qui ęquè compendiosè, quàm myſteriosè loquitur, & cuius verba, quanto breviora, tanto magis prægnantia ſunt, ſenſibus que fœcunda.

11. Confirmatur denique: Quia, dum Deus revelat aliquam propoſitionem vniverſalem; v. g. *Omnes infantes ritè baptizatos iuſtificari*, non revelat id, vt credatur fide divina infantes, vt ſic, confusè, & in communi ſumptos, iuſtificari, ſed vt credatur de quolibet in ſingulari, dum ritè baptizatur, iuſtificari: Ergò revelatio vniverſalis eſt propter ſingularia, & vt res revelata de omnibus, credatur de ſingulis: Ergò eſt motivum credendi fide divina de ſingulis id ipſum, quod de omnibus revelatur.

12. Sed in contra objicies primò: Non creditur fide divina, quod per diſcurſum tantum cognoſcitur: Sed ſingularis propoſitio contenta ſub vniverſali revelata, tantum per diſcurſum cognoſci poteſt, inferendo ipſam ex vniverſali, media præmiſſa ſubiuncta; v.g. Iſta ſingularis: *Salomon contraxit peccatum originale*, non aliter cognoſcitur, niſi hoc diſcurſu: *Omnis homo deſcendens ex Adamo per ſeminalem propagationem contrahit peccatum originale: Sed Salomon deſcendit ex Adamo per ſeminalem propagationem: Ergò Salomon contraxit peccatum originale*: Ergò non creditur fide divina: Ergò revelatio vniverſalis non eſt motivum credendi fide divina propoſitionem ſingularem. Confirmatur: Propoſitio deducta per diſcurſum ex vna de fide, & alia naturaliter nota, non eſt immediatè de fide, ſed concluſio theologica: Sed ita eſt propoſitio ſingularis ſub vniverſali revelata contenta: Ergò non eſt immediata de fide. Minor patet exemplo infantis baptizati, nam hæc ſingularis: *Hic infans eſt in gratia*, ſic infertur ex vniverſali revelata: *Omnis infans ritè baptizatus eſt in gratia: Sed hic infans ritè eſt à me baptizatus: Ergò hic infans eſt in gratia.* Sed minor eſt naturaliter nota ex experientia baptizantis, qui cognoſcit experimentaliter ſe adhibuiſſe intentionem, & cætera requiſita ad baptiſmum validum: Ergò prædicta ſingularis infertur ex vniverſali revelata, mediante præmiſſa naturaliter nota.

13. Reſpondebat Valentia, tunc ſolum propoſitionem ſingularem non eſſe immediatè de fide, ſed concluſionem theologicam, quando maior, ex qua infertur, eſt naturalis, quia maior eſt, quę movet ad aſſenſum concluſionis; & maior naturalis non poteſt eſſe motivum ad aſſenſum ſupernaturalem fidei: Minor verò nihil obeſt, quod ſit naturalis, quia minor non eſt motivum aſſentiendi concluſioni, ſed ſolum appli-

applicatio motivi; Cũ ergò in prædicto diſcurſu maior non ſit naturalis, ſed de fide, & revelata, licèt minor ſit naturalis, concluſio manet ſupernaturalis, & de fide. Sed hæc ſolutio non ſatisfacit, quia, quod præmiſſa naturalis ſit maior, vel minor, parum obeſt, vt concluſio ſit de fide immediatè, nam iſta eſt immediatè de fide *Chriſtus habet animam rationalem*, & tamen infertur ex maiore naturaliter nota, & minore de fide, hoc pacto: *Omnis homo habet animam rationalem: Sed Chriſtus eſt homo: Ergò habet animam rationalem*: Eſt ergò illa differentia omnino per accidens ad propoſitum.

14. Proptereà reſpondent PP. Salmanticenſ. quod diſcurſus eſt duplex: Alius propriè illativus vnius ex alio: Alius magis explicativus, quam illativus, quatenus non tàm infert, quàm explicat ipſum, quod in propoſitione revelata continetur: Igitur primus diſcurſus obſtat, vt concluſio illata ſit immediatè de fide, non verò ſecundus, quia ſolum eſt explicativus: Propoſitio autem ſingularis contenta formaliter in alia revelata ſolum cognoſcitur per diſcurſum explicativum, non autem per diſcurſum propriè illativum, vndè benè poteſt eſſe immediatè de fide. Sed contra eſt, quia licèt poſſit eſſe immediatè de fide, non tamen cognoſcitur per fidem, dum cognoſcitur per talem diſcurſum explicativum: Ergò revelatio vniverſalis, dum movet ad propoſitionem ſingularem, mediante tali diſcurſu, adhùc explicativo, non movet ad illam credendam per fidem, ſed ad illi aſſentiendum per Theologiam, tanquam theologicę concluſioni. Antecedens probatur: Quia, dum cognoſcitur per talem diſcurſum, cognoſcitur in vi illationis, qua extrema identificata cum tertio in præmiſſis, inferuntur identificata inter ſe in concluſione, hoc enim habet omnis ſyllogiſmus formalis, qualis eſt prædictus diſcurſus: Sed dum cognoſcitur in vi talis illationis, non cognoſcitur per fidem, quia fides non eſt illativa ex obiecto revelato, ſed creditiva immediatè obiecti revelati: Ergò.

15. Explicatur: Quamvis talis diſcurſus explicativus ex parte obiecti ſit impropriè diſcurſus, quia non infert aliud à præmiſſis, ſed quod continetur formaliter in illis: Tamen ex noſtro modo concipiendi verè eſt diſcurſus cum pluralitate actuum intellectus, ita vt per vnum actum, aut per duos aſſentiatur prius præmiſſis, & poſteà per alium aſſentiatur concluſioni, convictus, & neceſſitatus ad aſſenſum concluſionis ex vi aſſenſus præſtiti præmiſſis: Sed non ſtat ita aſſentiri, & aſſentiri per fidem, quia fides non aſſentitur convicta, & neceſſitata ad aſſenſum ex aſſenſu priori præmiſſarum, ſed immediatè mota ex revelatione: Ergò.

16. Confirmatur, quia hic diſcurſus *Omnis homo eſt riſibilis: Sed Chriſtus eſt homo: Ergò Chriſtus eſt riſibilis*, ęquè eſt diſcurſus explicativus, ac alius de infante baptizato: Siquidem ęquè infert ſingularem contentam formaliter ſub vniverſali, media minori colocante ſubiectum ſingularis ſub ſubiecto vniverſalis, & veritas ſingularis illatę ęquè formaliter continetur in præmiſsis, ſicut ſingularis de infante baptizato: Et tamen hæc ſingularis non creditur fide divina: Ergò prædictus diſcurſus obſtat fidei divinę.

17. Reſpondeo ergò, conceſſa maiori, negando minorem. Ad cuius probationem dico, quod illa ſingularis: *Salomon contraxit peccatum originale*, cognoſci poteſt aliter quam per diſcurſum, quia cognoſci poteſt credendo illam ſimpliciter quia formaliter revelatam à Deo, in quo nullus eſt diſcurſus. Pro cuius intelligentia nota, quod dupliciter poteſt quis vti diſcurſu ad illam ſingularem: Primo, ſicut in argumento, ad illam directè inferendam ex vniverſali revelata, & credita, media præmiſſa minori naturali; & tunc fatemur, quod cognoſcitur per diſcurſum theologicum, & non per fidem. Secundo, vnicè ad probandum, quod illa ſingularis eſt revelata formaliter in vniverſali, quia in illa formaliter contenta, hoc pacto: *Deus revelabit formaliter omnes deſcendentes ex Adamo per ſeminalem propagationem contrahere peccatum originale: Sed Salomon eſt vnus ex his deſcendentibus: Ergò Deus revelabit formaliter Salomonem contraxiſſe peccatum originale*: Hic ergò diſcurſus, quo nos vtimur in præcedentibus, licèt non ſit formaliter fides, tamen conducere poteſt prævie, vt illa ſingularis credatur fide, immò ſæpè eſt requiſitus, quia vt illa ſingularis credatur fide divina, debet prævie cognoſci tanquam divinitus revelata formaliter; ad oſtendendum autem illam eſſe formaliter revelatam, conducit talis diſcurſus, & ſæpè eſt neceſſarius: Suppoſito autem, quod intellectus per diſcurſum illum convincitur, quod ſingularis illa eſt revelata, ſeù quod Deus de Salomone, ſicut de alijs revelavit *contraxiſſe peccatum originale*, tunc iam ſine diſcurſu credit fides: *Salomonẽ contraxiſſe peccatum originale*, tanquam quid formaliter revelatum, & ſub ratione revelati: Cognoſci ergò poteſt talis ſingularis aliter, quam per diſcurſum, hoc eſt, licèt non ſine diſcurſu prævio, ſeù præſuppoſitivè ſe habente, tamen ſine diſcurſu formaliter ingrediente, aut movente ad aſſenſum illius: Licèt autem diſcurſus formaliter ingredens, aut movens ad aſſenſum obſ-

obſtet fidei diuinę, non tamen diſcurſus præ-ſuppoſitivè ſe habens, tanquam argumentum credibilitatis, ad oſtendendum aliquid eſſe revelatum, alias enim argumenta credibilitatis, quę ad id ordinantur, obſtarent fidei diuinę, quod nemo dixit, ex quo.

18. Ad confirmationem, diſtinguo maiorem: Propoſitio deducta per diſcurſum, &c. In quantum ſic formaliter deducta, non eſt immediatè de fide, ſed concluſio theologica, concedo maiorem: In quantum credibilis immediatè quia revelata, nego minorem. Et ad minoris probationem dico, quod illa ſingularis: *Hic infans eſt in gratia*, vt legitimè deducta in vi illius diſcurſus, & in quantum intellectus illi aſſentitur convictus ex præmiſsis, non eſt immediatè de fide, ſed concluſio theologica, attamen ipſa in ſe eſt immediatè de fide, quia immediatè revelata, & vt ſic immediatè revelata, credibilis immediatè per fidem, ſine diſcurſu formaliter ingrediente, aut movente ad aſſenſum. Nec eſt inconveniens, quod eadem propoſitio ſub his duabus conſiderationibus ſit concluſio theologica, & immediatè de fide, nam hæc propoſitio: *In Chriſto datur voluntas humana diſtincta à voluntate divina*, eſt immediatè de fide, quia immediatè revelata à Chriſto diſtinguente expreſsè has duas voluntates, cum dixit: *Non mea, ſed tua voluntas fiat*; eſt etiam concluſio theologica, in quantum probatur hoc diſcurſu: *Omnis verus homo habet voluntatem humanam, diſtinctam à divina: Sed Chriſtus eſt verus homo: Ergò habet voluntatem humanam, diſtinctam à divina.* En quomodo eadem propopoſitio, vt deducta per diſcurſum, eſt concluſio theologica, licèt quatenus immediatè revelata ſit immediatè de fide.

19. Sed dices cum Salmanticenſ. Magis connaturale eſt homini aſſentire per diſcurſum propoſitioni, quę non conſtat ex terminis, quam indepēdenter à diſcurſu: Ergò ferè nullus erit, qui aſſentiatur ſine diſcurſu ſingulari contentę ſub vniverſali revelata: Ergò ſi aſſentire illi per diſcurſum obeſt fidei, ferè nullus aſſentietur ſimilibus propoſitionibus per fidem, & fruſtrabitur magna ex parte prædictę virtutis meritum. Reſpondeo, diſtinguendo antecedens: Magis connaturale eſt homini, vt Fideli catholico, aſſentire per diſcurſum, &c. nego antecedens: Homini ſecundum ſe, tranſeat antecedens, & nego conſequentiam, quia licèt homo in quantum eſt naturę rationalis plurimum incliner ad diſcurſum circa ea, quę non ſunt ex terminis nota, tamen vt Fidelis catholicus, & per gratiam fidem agis inclinatur ad captivandum diſcurſum, ac ad aſſentiendum ſimpliciter ſine diſcurſu rebus fidei: Quamvis ergò ſingularis contenta ſub vniverſali revelata poſsit indifferenter cognoſci per diſcurſum, vt concluſio theologica, & per fidem, vt immediatè revelata, minimè ſequitur, quod ferè nullus ſit, qui ei aſſentiatur ſine diſcurſu formaliter movēte ad aſſenſum, ſeu per fidem, quia quiſque, vt fidelis catholicus, magis inclinatur ad hunc modum aſſentiendi, quam ad alium per diſcurſum, & in vi illius.

20. Obijcies ſecundo: Vt Deus revelet formaliter ſingularem in vniverſali, debet revelare, quod illa contineatur in vniverſali formaliter, nam ex hoc potiſsimè pendet, quod illa ſit formaliter revelata: Sed Deus, dum revelat formaliter vniverſalem, non revelat hanc ſingularem contineri ſub illa: Ergò nec revelat formaliter talem ſingularem. Minor probatur, quia, dum revelat omnem infantem ritè baptizatum eſſe in gratia, non revelat hunc infantem eſſe ritè baptizatum: Sed in hoc conſiſtit, quod ſingularis contineatur ſub vniverſali, nam ſi hic infans non ſit ritè baptizatus, non continetur ſub illa vniverſali: *Omnis infans ritè baptizatus, &c.* Ergò. Confirmatur, quamvis ſit certum de fide; quod omnis infans ritè baptizatus eſt in gratia, ſi tamen non ſit certum de fide, quod hic infans eſt ritè baptizatus, non poteſt eſſe certum de fide, quod ſit in gratia: Sed non eſt de fide, quod ſit ritè baptizatus, quia hoc Deus non revelavit: Ergò nec, quod ſit in gratia. Hoc argumentum attingit maximam difficultatem, quę verſatur in aſsignanda certitudine, qua conſtare debeat continentia propoſitionis ſingularis ſub vniverſali revelata, vt ſingularis ſit de fide: De quo infrà redibit ſermo, dum inquiremus, an iſta ſingularis: *Innoc. XII. eſt verus Pontifex.* ſit immediatè de fide. Nunc autem breviter reſpondeo: Diſtinguendo maiorem, debet revelare ſignatè, & expreſsè, quod illa continetur ſub vniverſali, nego maiorem: Exercitè, & implicitè, concedo maiorem, & diſtinguo minorem eodem modo. Ad cuius probationem, eadem diſtinctione reſpondeo, quod, ſi conſtet ſufficienter, & indubitanter baptizantem adhibuiſſe omnia requiſita ad valorem baptiſmi, ſicut conſtare poteſt ipſi Parrocho baptizanti, tunc, licèt non ſignatè, & expreſsè, exercitè tamen, & implicitè in ipſa vniverſali revelat Deus hunc infantem contineri ſub illo ſubiecto vniverſali: *Omnis infans ritè baptizatus*, quia de illo revelat, tanquam de vno ex ritè batizatis; revelare autem de illo, tanquam de vno ex ritè baptizatis, eſt dicere implicitè, & exercitè ipſum eſſe ritè baptizatum: Et hoc ſufficit, vt immediatè intelligatur revelatum

io-

Digitized by Google

ipſum eſſe in gratia, Ex quo, ad confirmationem, eodem modo reſpondeo, quod vt ſit de fide, hunc numero infantem eſſe in gratia, non requiritur, quod ſit de fide ſignatè, & expreſsè ipſum eſſe ritè baptizatum, tanquam articulus ſpecialiter revelatus, ſed ſatis eſt, quod ſit de fide implicitè, & exercitè, tanquam quid ita revelatum in vniverſali. Quod quidem infrà magis explicabitur.

SECVNDA CONCLVSIO.

21. DICO ſecundo: *Revelatio virtualis, ſeu reſpectu obiecti tantum virtualiter cōtenti in obiecto formaliter revelato, non eſt motivum fidei, ſed theologię.* Ita communiter AA. excepto Molina, & Vazquez. Probatur autem facilè, quia revelatio divina non poteſt movere ad aſſenſum obiecti ſolum virtualiter, & mediatè revelati, niſi mediante diſcurſu: Sed mediante diſcurſu non movet ad aſſenſum fidei, ſed ad aſſenſum theologię: Ergò reſpectu talis obiecti, non eſt motivum formale fidei, ſed theologię. Probo maiorem, quia revelatio divina movere nequit ad aſſenſum obiecti ſolum virtualiter, & mediatè revelati, niſi media illatione vnius aſſenſus ex alio: *Sed illatio vnius aſſenſus ex alio eſt formaliter diſcurſus*: Ergò nequit movere ad aſſenſum talis obiecti, niſi mediante diſcurſo. Probo maiorem, quia movere nequit ad aſſenſum obiecti virtualiter revelati, niſi movendo prius ad aſſenſum obiecti formaliter, & immediatè revelati, ex quo iám credito per fidem, intellectus inferat aliud virtualiter revelatum, & moveatur ad aſſenſum illius: Sed hoc eſt movere mediante illatione vnius aſſenſus ex alio: Ergò.

22. Explicatur: Revelatio dicens: *Chriſtus eſt homo*, non dicit formaliter, ſed tantum virtualiter, ſeu connexivè Chriſtum eſſe riſibilem, quia videlicet ex eo, quod ſit homo, ſequitur neceſſario, quod ſit riſibilis: Ergò ex tali revelatione moveri nequit intellectus ad iudicandum Chriſtum eſſe riſibilem, niſi prius moveatur ad credendum ipſum eſſe hominem, & exindè inferat ipſum eſſe riſibilem: Sed hoc aliter fieri nequit, niſi per diſcurſum, ſeu medio diſcurſu: Ergò.

23. Dices; diſcurſum ſolum eſſe neceſſarium ad cognoſcēdum quod aliquid, v.g. Chriſtum eſſe riſibilem, virtualiter revelatur: Semel autem, quod conſtet illud eſſe virtualiter revelatum, credi poteſt ſine diſcurſu, præcisè quia virtualiter revelatum: Et parificari poteſt in obiecto ſingulari revelato confusè in propoſitione vniverſali. Sed contra, quia aliquid eſſe virtualiter revelatum præcisè eſt revelatum eſſe aliud, ex quo illud inferatur, vndè revelari virtualiter riſibilitatem de Chriſto formaliter conſiſtit in eo, quod reveletur formaliter humanitas, ſeu rationalitas, & quod ex hac inferatur neceſſario riſibilitas: Ergò nequit credi riſibilitas de Chriſto, *quia virtualiter revelata*, niſi credatur, quia revelata eſt rationalitas, & quia ex illa infertur riſibilitas: Ergò iſta credi nequit, niſi quia illata ex rationalitate revelāta; ſed hoc, eſt formaliſsimè credi in vi diſcurſus, & ratione illationis, ſeu connexionis: Ergò non creditur per fidem, ſed creditur impropriè, hoc eſt, cognoſcitur per diſcurſum, etiam quando cōgnoſcitur quia virtualiter revelata. Explicatur: Aliquid virtualiter revelari, eſt revelari in alio connexivè, & illativè, hoc eſt, inferri ex alio formaliter revelato: Ergò idem eſt aſſentiri alicui obiecto, quia virtualiter revelato, ac aſſentiri illi, quia illato, ſeu connexo cum alio revelato formaliter: Sed huiuſmodi aſſenſus, cùm ſit in vi illationis, & connexionis, non eſt formaliter per fidem, ſed per diſcurſum: Ergò quamvis quis aſſentiatur obiecto, quia virtualiter revelato, aſſentitur per diſcurſum theologicum, & non per fidem.

24. Ex quo patet diſparitas inter obiectum ſingulare implicitè, ſeu cōfusè revelatum in obiecto vniverſali, & obiectum purè virtualiter revelatū; nam aliquid implicitè revelari, non eſt revelari purè connexivè, aut ratione connexionis cum obiecto revelato, ſed quia eſt formaliter id ipſum quod revelatur, ideòque credi poteſt immediatè quia revelatum, & non in vi connexionis, aut illationis ex obiecto revelato: Attamen aliquid eſſe virtualiter revelatum non eſt eſſe formaliter id ipſum quod revelatur, ſed inferri ex illo tantum, ſeu habere connexionem cum illo: Ergò credi nequit immediatè quia revelatum, ſed ſolum quia connexum, ſeu illatum neceſſario ex revelato: hoc eſt, in vi connexionis, & illationis, à qua, ſi præſcindas ex parte motivi, iam non erit revelatio virtualis; quia aliquid revelari virtualiter; eſt formaliſsimè revelari ratione connexionis, & illationis ex obiecto formaliter revelato.

25. Secundo probatur concluſio, quia per lumen principiorum ſolum cognoſcuntur veritates immediatè, illę verò, quę ex his inferuntur, cognoſcuntur per ſciētiam, & diſcurſum, qui procedit ex ipſis veritatibus tanquam ex principijs ad veritates illatas, tanquam ad concluſiones: Sed habitus fidei eſt quaſi habitus primorum principiorum in ordine ſupernaturali, ex quibus procedit, ſeu diſcurrit Theologia: Ergò per habitum fidei ſolum cognoſcuntur-

cuntur veritates immediatè revelatę, alię tamen, quę ex illis inferuntur, ſolum cognoſcuntur per Theologiam, ſeù per diſcurſum.

26. Tertio probatur concluſio, quia revelatio virtualis eſt motivum ſpecie diſtinctum in movendo à revelatione, vt formali: Ergò aſſenſus motus ex revelatione, vt virtuali, eſt etiam ſpecie diſtinctus ab aſſenſu moto ex revelatione, vt formali; ſed hic eſt fidei: Ergò ille non eſt fidei theologicę, ſiquidem non datur duplex fides theologica ſpecie diverſa. Antecedens probatur, quia revelatio, vt virtualis, & vt mediata, non movet præciſivè à connexione, ſed media connexione obiecti formaliter revelati cum alio, & ratione talis connexionis, quia ratione illius eſt virtualiter revelatio alterius: Revelatio autem, vt formalis movet ad id, quod formaliter revelat, præciſivè, & independenter à connexione, aut illatione vlla obiecti revelati cum alio: Sed iſti modi movendi ſunt apertè ſpecie diſtincti: Ergò revelatio, vt virtualis, eſt ſpecie diſtincta in modo movendi, ſeù in movendo, à ſe ipſa, vt formali.

27. Sed contra obijcies primo: Idem habitus, qui attingit veritatem immediatè revelatam, poteſt aſſentire veritati in ea virtualiter cõtentę: Sed per habitum fidei aſſentitur intellectus veritatibus immediatè revelatis: Ergò per eundem habitum aſſentiri poteſt veritatibus virtualiter in illis contentis, ſeù ex illis illatis, ſcilicèt, per fidem. Probatur maior, quia Beatus per idem lumen glorię attingit primario eſſentiam divinam, & ſecundario creaturas virtualiter in illa contentas, & ex illa illatas. Et ſimiliter Deus eodem lumine, quo cognoſcit ſuam eſſentiam primario, cognoſcit ſecundario creaturas in ea virtualiter contentas: Ergò idem habitus, qui attingit veritates immediatè revelatas, poteſt attingere alias veritates in eis virtualiter contentas. Confirmatur, quia eadem charitate amamus Deum propter ſe, & creaturas propter Deum: Ergò eadem fide credere poſſumus veritatem immediatè revelatam, & aliam propter ipſam; id eſt, quia ex illa illatam.

28. Reſpondeo primo, negando maiorem. Ad cuius probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam, quia habitus fidei non eſt ita extenſus, & perfectus, nec tanta amplitudine gaudens, ſicut lumen glorię, ac proindè, non poteſt ſe extendere ad tot obiecta, ſicut lumen glorię. Ratio eſt, quia fides eſt participatio imperfecta luminis divini, cuius modus tendendi, & ratio formalis eſt magis limitata, quam in lumine glorię, quod eſt participatio valdè ſuperior, & amplior divini luminis, quia, quę in inferioribus ſunt ſparſa, in ſuperioribus ſunt vnita: Licèt ergò lumē glorię, propter ſui ſuperioritatem, amplitudinem, & excelentiam, poſſit ſe extendere ad veritates immediatas, & mediatas, ad eſſentiam divinam, quę eſt veluti primum principium, & ad creaturas, quę ſunt veluti concluſiones, minimè probatur id ipſum poſſe competere habitui fidei, quia cum ipſe, & habitus Theologię ſint inferioris ordinis, in ipſis eſt ſparſa vis, quę in lumine glorię invenitur vnita. Et eodem modo reſpondeo ad paritatem luminis divini.

29. Vel ſecundo, dato quod per eundem habitum fidei poſſet intellectus aſſentire veritatibus immediatè revelatis, & alijs ex illis deductis, tamen non aſſentiret per fidem, credendo, ſed per ſcientiam inferendo vnum ex alio; quia tunc caſus habitus fidei adunaret in ſe, & formalitatem fidei, & formalitatem ſcientię, ſicut lumen glorię, aut lumen divinum, ideò enim lumen divinum, & lumen glorię poſſunt attingere eſſentiam divinam, & creaturas, quia in ſe adunant, & rationem luminis principiorum, & rationem ſcientię, ſeù ſapientię, & ſub munere luminis principiorum attingunt eſſentiam divinam, & ſub munere ſapientię creaturas, vt ex divina eſſentia illatas: Sic ergò foret in fide. Ex quo non ſequeretur, quod veritates tantum virtualiter, & mediatè revelatę eſſent immediatè de fide, aut credibiles per fidem, vt fidem; ſed tantum, quod eſſent attingibiles ab habitu fidei, ſub munere ſcientię inferentis vnum ex alio, non ſub munere fidei credentis immediatè. Sed nec hoc eſt admittendum, quia alias liceret etiam id ipſum aſſerere de habitu, ſeù lumine primorum principiorum, quod ſcilicèt adunaret in ſe, & vim luminis principiorum, & vim ſcientię, & ſic per ſe ipſum attingeret primario principia, & ſecundario concluſiones: Ex quo rurſus ſequeretur non dari habitus ſcientiarum diſtinctos ab habitu luminis principiorum, ſed habitum luminis principiorum ad omnia ſufficere; quod eſt contra ferè omnes Philoſophos. Ad confirmationem, pariter, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam, quia paritas inter fidem, & charitatem ſtat in eo, quod ſicut charitas amat Deum, propter ſe, & creaturas propter ipſum, ita fides credit divinum teſtimonium propter ſe, & alia propter divinum teſtimonium. Et etiam inter ipſa teſtificata, primario credit Deum, vt primario revelatum, & teſtificatum, & ſecundario alia in ordine ad ipſum Deum, modo infrà explicando.

30. Sed replicabis: Per habitum fidei aſſen-

aſſentiri poſſumus omni veritati revelatę à Deo, ſiquidem eo ipſo, quod ſit à Deo revelata, continetur ſub ratione formali obiectiva fidei, ſcilicèt, ſub revelatione: Sed veritas deducta legitimè ex alia revelata, etiam revelatur: Ergò illi etiam poſſumus aſſentiri per habitum fidei. Minor probatur, quia, dum Deus revelat aliquam veritatem, revelat etiam eo ipſo quidquid ex illa infertur: Ergò. Probo antecedens, nam qui affirmat aliquam veritatem, eo ipſo affirmat quidquid ex illa infertur: Ergò, dum Deus revelat, &c. Probo antecedens: Qui negat, quod infertur ex aliqua veritate, eo ipſo negat talem veritatem: Ergò qui affirmat aliquam veritatem, eo ipſo affirmat quidquid ex illa infertur. Confirmatur: Qui negat veritatem, ſeù concluſionem legitimè illatam ex aliqua immediatè revelata, eo ipſo eſt hæreticus: Sed non eſſet hæreticus, niſi negaret propoſitionem de fide: Ergò concluſio legitimè deducta ex immediatè revelata eſt de fide. Confirmatur ſecundo: Dum Deus revelat aliquid, benè ſcit quidquid infertur ex illo: Sed qui dicit aliquid, ſciens quid inferatur ex illo, eo ipſo dicit illud, quod ſcit inferri: Ergò Deus revelans, non ſolum revelat, quod expreſsè dicit, ſed quidquid ex illo infertur: Ergò quidquid ex illo infertur cadit ſub ratione revelati, & credi poteſt per fidem. Confirmatur tertio, quia licèt inter propoſitionem immediatè revelatam, & aliam ex illa illatam interveniat diſcurſus, tamen, ſuppoſito diſcurſu, iam propoſitio illata intelligitur revelata: Ergò iam credi poterit per fidem. Probatur conſequentia à paritate propoſitionis implicitè incluſę in alia expreſsè revelata; quę, ſuppoſito diſcurſu, creditur per fidem.

31. Reſpondeo facilè, diſtinguendo maiorem: Per habitum fidei aſſentiri poſſumus omni veritati à Deo revelatę immediatè, concedo maiorem; mediatè, & connexivè, nego maiorem: Et diſtinguo minorem eodem modo. Ad cuius probationem pariter, diſtinguo antecedens. Ad cuius probationem dico, quod qui negat propoſitionem illatam ex alia, ſolum illativè, & connexivè negat aliam, vel quia infertur ipſum diſſentire, & negare alteram per aliam negationem, aut diſſenſum, vel quia negat id, ex quo negato, infertur negatio alterius propoſitionis inferentis: Ex quo ſolum ſequitur, quod qui affirmat, aut revelat formaliter id, ex quo infertur aliud, affirmet, aut revelet virtualiter, mediatè, connexivè, ſeù illativè illud aliud, non autem formaliter, & immediatè: Motivum autem fidei ſolum eſt *dictum, aut revelatum immediatè, & formaliter*, vt conſtat ex dictis. Ad primam confirmationem, dico, quod qui negat propoſitionem legitimè illatam ex alia de fide, ſi palàm conſtet eam legitimè inferri, eo ipſo eſt arguitivè, & illativè hæreticus, hoc eſt, probatur, arguitur, & infertur, eum eſſe hæreticum, non quia præcisè neget propoſitionem illatam, ſed quia probatur, & arguitur, inferturque, ipſum etiam negare aliam propoſitionem, quę eſt immediatè de fide, nam ſi illam non negaret, minimè negaret aliam, quę palàm infertur ex illa.

32. Similiter ad ſecundam, conceſſa maiori, diſtinguo minorem, vt ſuprà, nam qui dicit vnam propoſitionem, ſciens aliam ex illa inferri, ſolum virtualiter, mediatè, & connexivè dicit aliam, non autem formaliter, nam formaliter ſolum dicit, quod ex vi verborum ſignificat, & quod in ſignificato formaliter includitur, ſeù implicatur, id autem, quod in ſignificato ſolum virtualiter continetur, ſolum virtualiter, & connexivè dicitur, quamvis hanc connexionem, & continentiam prævideat, qui loquitur; quia hæc præviſio, aut ſcientia non facit, quod obiectum ſolùm virtualiter contentum, & illatum ex obiecto ſignificato, contineatur formaliter in illo. Ad tertiam, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ad paritatem conſtat ex dictis *à num.*

33. Denique obiicies: Plura ſunt immediatè de fide, quę non ſunt, & mediatè, & formaliter revelata, ſed ſolum virtualiter, & mediatè: Ergò, vt aliquid ſit de fide, hoc ſufficit, & illud non requiritur. Probatur antecedens, quia plura definivit Eccleſia, quę non ſunt formaliter, ſed tantum virtualiter revelata: Sed ea, quę definit Eccleſia, ſunt immediatè de fide: Ergò plura ſunt de fide, quę non ſunt immediatè, & formaliter, ſed tantum virtualiter revelata. Probatur maior, primo, quia Eccleſia in Concilijs generalibus ſæpè definivit, vt fide credenda, ea, quę, poſt exactum examen, cognovit legitimè inferri ex revelatis, Concilium enim procedit more Theologico diſputando, & examinando ea, quę inferuntur ex revelatis, & tandem ea definiendo: Sed ea, quę inferuntur ex revelatis, ſolum virtualiter, & mediatè ſunt revelata: Ergò plura definivit Eccleſia, quę, non formaliter, ſed tantum virtualiter ſunt revelata. Secundo: Quia Eccleſia definivit in Chriſto dari duas voluntates, contra Monotelitas: Et tamen dari eas voluntates ſolum infertur ex revelatis, ſcilicèt, quia revelatum eſt dari in ipſo duas naturas, divinam, & humanam, per quod ſolum virtualiter revelatur dari duas voluntates, quia ſcilicèt, ex duabus naturis intellectualibus neceſſario ſequuntur duę voluntates: Ergò. Item, Eccleſia

definivit in Hoſtia conſecrata eſſe integrum Corpus Chriſti, hoc eſt, cum ſanguine, & anima, quod non eſt formaliter revelatum, ſed ſolum virtualiter, & mediatè. Item, definivit de pluribus Sanctis, eſſe in gloria, quod tamen non eſt formaliter revelatum, & ſic de alijs: Ergò.

34. Confirmatur: Quia ſaltem negari nequit poſſe Eccleſiam definire, ac facere de fide ea, quę ſolum virtualiter ſupponuntur revelata, tanquam concluſiones theologicę: Sed in eo caſu illę eſſent de fide: Ergò poſſunt eſſe de fide ea, quę ſolum virtualiter ſunt revelata. Maiorem ſupponit Suarez, probando, quod quando Eccleſia definit concluſiones theologicas, eas facit immediatè de fide; quod ſic ſuadet, quia quod Eccleſia definit, Deus per Eccleſiam teſtificatur: Sed Eccleſia definit talem veritatem in ſe, & formaliter: Ergò iam Deus illam teſtificatur in ſe, & formaliter: Ergò eo ipſo eſt iam immediatè de fide. Maior, inquit, eſt certiſsima, quia Eccleſia regitur ab Spiritu Sancto in ſuis definitionibus, vt ibi latè probat: Ergò, dum Eccleſia definit, per eam Deus teſtificatur. Secundo: Quia non eſt minor authoritas Eccleſię, quando veritatem definit, ac Sacrę Scripturę in his, quę continet; ſed omnia, quę continet Scriptura, facit, & reddit immediatè de fide: Ergò etiam Eccleſia omnia, quę definit.

35. Reſpondeo, negando antecedens. Ad cuius probationem, nego maiorem. Ad cuius primam probationem, diſtinguo maiorem: Eccleſia in Concilijs generalibus definivit, vt fide credenda, ea, quę cognovit inferri ex revelatis, vt contenta formaliter in revelatis implicitę ſaltem, aut confuſè, concedo maiorem: Quę ſolum cognovit inferri, ſed non contineri formaliter in revelatis, adhuc implicitè, aut confuſè, nego maiorem, & diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam, quia Eccleſia in Concilijs, ſi præmittit diſputationem, non eſt ad inferendas concluſiones Theologicas ſolum mediatè revelatas, vt eas immediatè definiat, ſed ſolum ad indagandum ſenſum Sacrę Scripturę, & examinandum, quod implicitè, aut confuſè in revelatis contineatur, vt ea clarè, & expreſsè proponat fidelibus credenda, vndè ſolum definit id, quod iam erat revelatum formaliter, ſaltem implicitè, & confuſè. Ad ſecundam, dico, quod cum Eccleſia definivit, vt fide tenendum, dari in Chriſto duas voluntates, hoc fecit, non in vi ſolius illationis ex duabus naturis in Chriſto revelatis, ſed ex vi formalis revelationis in Evangelio, vbi Chriſtus ipſe dicit Patri: *Non mea voluntas, ſed tua fiat*, Cum item definit eſſe in Hoſtia conſecrata integrum Corpus Chriſti, non hoc definit in vi ſolius illationis, ſed quia ſenſus illorum verborum, quibus Chriſtus dixit: *Hoc eſt Corpus meum*, intelligi debet de corpore, prout iacet, & in hoc ſenſu, cum Corpus Chriſti, prout iacet, ſit integrum cũ anima, & ſanguine, propterea implicitè ſaltem, & confuſè revelatur exiſtentia ſanguinis, & animę in Hoſtia, tanquam partes corporis, prout iacet, & ideò hoc definitur, vt fide tenendum. De Sanctorum verò Canonizatione ſunt opiniones. Qui cenſent Eccleſiam definire eorum beatitudinem, vt de fide tenendam in Eccleſia, inquiunt, id iam eſſe revelatum confuſè, & in vniverſali, formaliter tamen, quia formaliter eſt revelatum omnem decedentem in gratia eſſe hæredem vitę ęternę: Qui autem tenent id non eſſe formaliter revelatum, cenſent per Canonizationem non fieri immediatè de fide beatitudinem Sancti Canonizati. Vndè nihil indè probatur contra noſtram ſententiam.

36. Ad confirmationem, nego maiorem, quia licèt eam cenſeat Suarez communem Theologorum, vndè inquit: *Nec in hoc invenio Theologum contradicentem*, paſſus fuit ęquivocationem, nam aliud eſt, quod Eccleſia, quando definit, articulum definitum faciat immediatè de fide; aliud quod Eccleſia definiat, ea, quę ante definitionem non ſupponuntur formaliter revelata, nec explicitè, nec implicitè in Scriptura: Primum communiter fatentur Theologi, nec eſt, qui contradicat, quia quando Eccleſia definit, ſemper definit ea, quę invenit iam revelata, vel per traditiones, vel per Sacras Scripturas, non verò per novam revelationem factam tunc, quando Eccleſia definit, nam potius omnes Theologi tenent, poſt fundatam Eccleſiam, nihil iam denuo revelari vniverſali Eccleſię credendum, nec fidem catholicam inniti revelationibus novis, ſed antiquis; ſecundum ergò, quod ſcilicèt Eccleſia definiat ea, quę non ſupponuntur formaliter revelata, minimè eſt commune inter Theologos, ſed potius communiter contra ipſos.

37. Ad probationem autem in contra, diſtinguo maiorem; quando Eccleſia definit, Deus per Eccleſiam teſtificatur, teſtimonio novo quoad ſubſtantiam, nego maiorem; Teſtimonio antiquo quoad ſubſtantiam, & ſolum novo quoad applicationem, vel explicationem, concedo maiorem, quia Eccleſia non habet authoritatem revelandi, non revelata formaliter, nec ad hoc habet infallibilem aſsiſtentiam Spiritus Sancti, ſed ſolum ad proponenda ea, quę ſunt revelata in Sacra Scriptura, aut traditionibus revelatione antiqua, explicando ſen-

ſum

ſum antiquarum revelationum, ac per conſequens faciendo explicitè de fide, quod iam implicitè de fide erat, vndè cum Eccleſia aliquid de novo definit, Deus per illam non de novo revelat, aut teſtificatur, novitate teſtimonij, aut revelationis, ſed tantū novitate applicationis, vel explicationis revelationis, ſeù teſtimonij antiqui. Ad ſecūdam, dico, quod non eſt minor authoritas Eccleſię, imò forſan eſt maior, quam authoritas Scripturę, ſed in diverſo genere, & ad fines diſtinctos, quia Scripturę authoritas eſt per modum revelationis ſcriptę à Deo, ſeù tanquam Epiſtolæ à Deo nobis immiſſa, per quam Deus antiquitus nobis revelavit credenda; authoritas verò Eccleſię eſt per modum Interpretis talis Epiſtolę, vel Scripturę, & ad proponenda nobis, & explicanda ea, quę in Sacra Scriptura nobis divinitus revelantur; in quo modo interpretandi, & proponendi ęquè infallibilis eſt Eccleſia, ac Sacra Scriptura in ratione revelationis divinę ſcriptę: Ex quo non ſequitur, quod Deus per Eccleſiam aliquid de novo revelet, anteà non revalatum ſaltem implicitè.

38. Denique obijcies: Dum Deus revelat cauſam, vt cauſam, ſeù principium inferens, vt inferens, implicitè, & confusè revelat effectum cauſatum, aut concluſionem illatam, quia nequit intelligi cauſa, vt cauſans, ſine effectu, nec principium, vt inferens concluſionem, ſine concluſione illata: Sed per nos ſufficit, vt aliquid ſit immediatè de fide, quod ſit confusè, & implicitè revelatum: Ergò ſufficit revelatio cauſę, aut principij inferentis, vt concluſio, ſeù effectus ſit de fide. Omiſſa maiori, & minori, diſtinguo conſequens, ſi reveletur cauſa, vt cauſa, ſeù principium reduplicativè, vt inferens, concedo conſequentiam: Si ſolum reveletur cauſa, ſeù principium inferens ſpecificativè, nego conſequentiam. Quia dupliciter poteſt Deus revelare cauſam, ſeù principium inferens concluſionem, primo revelando ſolum ipſum principium ſpecificativè, nulla facta mentione illationis, aut cauſalitatis; v. g. dum revelat Chriſtum eſſe hominem, non revelando, quod indè ſequitur eſſe riſibilem, ſeù quod, eo ipſo, quod ſit homo, eſt riſibilis, ſed hanc illationem relinquendo lumini naturali, vel diſcurſui humano, & hoc pacto ſolum virtualiter, & mediatè revelat effectum, ſeù concluſionem, mediante, ſcilicèt, illatione facienda per lumen naturale. Secundo, revelando ſimul illationem, ſeù connexionem principij cum revelatione; v. g. quando revelat *Iuſtos eſſe filios Dei*, ſimul revelando, *quod ſi filij, & hæredes*, tunc enim non ſolum revelat principium, vndè infertur Iuſtos eſſe hæredes vitę ęternę, ſed revelat etiam ipſam illationem, ſeù connexionem, & tunc fatemur, quod revelat formaliter effectum, ſeù concluſionem illatam, ita vt illa formaliter ſit de fide.

TERTIA CONCLVSIO.

39. Ex quo infertur, quid ſit dicendum de propoſitione, quę legitimè infertur ex duplici præmiſſa formaliter revelata. De qua variant AA. nam aliqui aſſerunt eam eſſe immediatè de fide, alij, quod ſolum eſt concluſio theologica. Cæterum cum SS. PP. Salmant. dicendum exiſtimo: ***Quod, ſi conſideretur, vt illata per diſcurſum ex præmiſſis revelatis, eſt ſolum concluſio theologica, ipſa tamen ſecundum ſe eſt immediatè de fide.*** Primum probatur, quia dum conſideratur, vel attingitur, vt ſic illata, attingitur per diſcurſum, & in vi connexionis, ſeù illationis ex præmiſſis; ſed, dum ſic attingitur, non attingitur per fidem credendo, ſed per Theologiam diſcurrendo, ſiquidem fides non innititur illationi ex revelatis, ſed ſola Thelogia: Ergò.

40. Sed dices: Ipſa illatio eſt formaliter revelata, vt in exemplo appoſito, vbi dicitur: *Si filij, & hæredes*: Ergò talis diſcurſus innititur illationi revelatę: Ergò eſt per fidem, & non per diſcurſum naturalem. Reſpondeo: Quod illatio eſt revelata, cæterum illa illatio poteſt attingi ab intellectu dupliciter, vel exercitè, inferendo Iuſtos eſſe hæredes, quia ſunt filij: Vel ſignatè, credendo ipſam illationem, quia revelatam: Hoc ſecundo modo non exercetur, ſed creditur illatio, & attingitur ſine diſcurſu per fidem, non innitendo connexioni, ſed revelationi ipſius connexionis: Primo verò modo exercetur ipſa illatio, & tunc non attingitur quia revelata, nec creditur, ſed exercetur per diſcurſum theologicum, & concluſio per iſtum diſcurſum, in vi talis illationis exercitę, illata, eſt concluſio theologica, & per Theologiam attingitur, non per fidem, quia fides, licèt poſſit attingere illationem obiectivam ſignatè illam credendo, quia immediatè revelatam, attamen non poteſt exercere illationem, quia alias diſcurreret, ſeù eſſet diſcurſiva formaliter, quod non admittitur.

41. Secunda verò pars aſſerti etiam probatur: Quia concluſio legitimè illata ex duabus immediatè revelatis, eſt formaliter revelata, ſaltem confusè: Sed hoc ſufficit, vt ſit de fide, vt vidimus ſuprà: Ergò. Probo maiorem, quia concluſio legitimè illata ex præmiſſis formaliter continetur in præmiſſis: Ergò, ſi præmiſſę ſunt

formaliter revelatę, erit formaliter revelata in præmiſsis, ſaltem confusè. Probo antecedens: Quia concluſio importat formaliter identitatem extremitatum inter ſe, præmiſſę autem identitatem extremitatum cum tertio: Sed identitas extremitatum inter ſe, formaliter, licèt implicitè includitur in identitate extremitatum cum tertio, quia eſſe idem vni tertio indiviſibili, & omnino ſingulari, importat formaliter identitatem ipſarum extremitatum inter ſe: Ergò. Explicatur: Quia in his præmiſsis: *Omnis Iuſtus eſt filius Dei: Omnis filius Dei eſt hæres vitę ęternę*, formaliter continetur quod, *omnis Iuſtus eſt hæres vitę ęternę*: Ergò, ſi illę præmiſſę ſunt revelatę formaliter, vt re ipſa ſunt, pariter eſt revelatum formaliter in illis, quod omnis Iuſtus eſt hæres vitę ęternę: Ergò eſt immediatè de fide.

42. Sed dices: Licèt præmiſſę ſint immediatè notę lumine principiorum, non ſequitur, quod concluſio ex illis legitimè illata ſit per ſe nota lumine principiorum: Ergò licèt præmiſſę ſint immediatè de fide, non ſequitur, quod propoſitio ex illis legitimè illata ſit immediatè de fide. Reſpondeo, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, quia ad lumen principiorum non pertinent, niſi propoſitiones ex terminis per ſe notę: Cum autem concluſio legitimè illata ex duplici præmiſſa ex terminis per ſe nota, non ſit ex terminis per ſe nota, quamvis formaliter ſit contenta in præmiſsis, quia ſolum eſt contenta implicitè, & non apparet immediatè ex terminis, ſed opus eſt medio connectente extremitates, vt appareat; indè eſt, quod licèt contenta in præmiſsis, non pertinet ad lumen principiorum. Attamen, vt aliqua propoſitio ſit immediatè de fide, non requiritur, quod appareat per ſe nota ex terminis, ſed ſufficit, quod conſtet indubitanter ipſam fuiſſe revelatam formaliter: Cum autem id cōſtet indubitanter, eo ipſo quod contineatur formaliter in præmiſsis immediatè revelatis, indè ſequitur, quod eo ipſo eſt immediatè de fide. Nec obeſt, quod ſit neceſſarius diſcurſus, quia hic ſolum requiritur, vt conſtet indubitanter talem propoſitionem contineri formaliter in præmiſsis revelatis, hoc autem indubitanter præſuppoſito, ſine diſcurſu creditur, quia formaliter revelata.

QUÆSTIO VIII.

An divina revelatio ſit motivum fidei divinę, vt credita fide acquiſita?

1. NON defuere Theologi, qui non percipientes, quomodo ipſa divina revelatio credi poſſet per fidem infuſam, & ſupernaturalem, vt moveret ad fidē myſterij, dixerunt, revelationem ipſam prius debere credi per fidem humanam, & acquiſitam, & vt ſic creditam movere ad fidem infuſam myſterij: Quę opinio tribuitur Scoto *in 3. diſt. 13. quæſt. vnica*, & Gabrieli *ibidem quæſt. 2. articul.* 1. tribuitur etiam Durando, & Medinę, quatenus reſolvunt fidem revelationis in teſtimonium Eccleſię, vt creditum fide acquiſita. Ex quibus Scotus, & Gabriel inquiunt, fidem infuſam haberi non poſſe ſine fide acquiſita de exiſtentia revelationis. P. etiam Sendin *Tract. 7. de fide, controverſ. 4. num. 61.* fatetur, ſe in publicis concertationibus propugnaſſe, aſſenſum terminatum ad exiſtentiam revelationis adæquatè moveri ab authoritate humana (quamvis negando, quod revelatio eſſet motivum formale fidei, tenet enim eſſe puram conditionem) ac proindè prædictum aſſenſum ſolum eſſe fidei humanę: Quam tamen ſententiam ibi retractat *nu. 67.* Veruntamen poſteà *num.* 104. tenet aſſenſum revelationis moveri ex authoritate humana, & divina, ac proindè eſſe mixtum ex fide divina, & humana, imò *nu.* 105. infert: *Aſſenſum fidei divinę ſemper eſſe mixtum ex vtraque fide*, & hoc ex mente Scoti, quem Suarez, etiam in præſenti pro ea ſententia citat. Vndè in horum AA. opinione dicendum videtur, quod revelatio concurrit motivè, vel ſaltem applicativè, ad aſſenſum fidei divinę, vt credita fide humana.

NOSTRA SENTENTIA.

2. VEruntamen appoſita ſententia eſt, quam pro concluſione ſtatuo: *Quod divina revelatio, vt credita fide humana, non eſt ſufficiens motivum fidei Theologicę, ſed ſolum vt credita fide infuſa, & ſupernaturali.* Ita communiter Theologi. Et probari poteſt facilè ex D. Thom. quia, vt ſuprà vidimus *quæſt. 2. à num. 55.* iuxta ipſum ratio formalis motiva fidei, nihil aliud eſt, niſi teſtimonium veritatis primę: Sed ſi moveret tale teſtimonium, vt creditum fide humana, iam autho-

thoritas humana eſſet etiam motivum fidei divinę, quia eſſet motivum credendi teſtimonium divinum, imò in ipſam reſolveretur potiſsimè fides divina: Ergò juxta D.Thom. teſtimonium divinum non movet, vt creditum fide humana, ad aſſenſum fidei divinę.

3. Deindè probatur ratione. Primo: Quia ſi revelatio, vt credita fide humana eſſet ſufficiens motivum fidei divinę, fides divina vltimo reſolveretur ex parte divini teſtimonij in authoritatem humanam, vi cuius crederetur ipſum divinum teſtimonium, ſeù revelatio, vt movere poſſet ad fidem; quia credens crederet quidem myſterium, quia revelatum, ſed non crederet eſſe revelatum, niſi propter authoritatem humanam, in qua ſolum ſiſteret: Sed hoc eſt contra infallibilitatem fidei, vt ſuprà vidimus *quæſt.* 1. *à num.* 37. Ergò. Vide ibi dicta.

4. Secundo: Quia, vel revelatio movet, vt credita per vnum actum, ad aſſentiendum myſterio per alium, iuxta eorum ſententiam, qui fidem admittunt diſcurſivam; vel vt credita intranſitivè per eundem aſſenſum myſterij, iuxta noſtram ſententiam: Neutro modo movere poteſt, vt credita fide humana: Ergò. Non quidem primo modo, in primis, quia illa ſententia de fide diſcurſiva falſa eſt, vt infrà conſtabit. Secundo, quia, ea admiſſa, debet revelatio præcognoſci infallibiliter, vt moveat ad aſſenſum infallibilem, qualis debet eſſe aſſenſus fidei divinę; ſed per fidem humanam non cognoſcitur infallibiliter, cum fides humana non ſit infallibilis omnino: Ergò, vt prius credita fide humana, non poteſt movere ad aſſenſum fidei divinę. Probo maiorem, quia principium movens, vt prius cognitum, ad aſſenſum alterius obiecti, non poteſt movere ad aſſenſum magis infallibilem, quam ſit cognitio ipſius principij moventis: Ergò, vt revelatio movere poſsit ad aſſenſum omnino infallibilem fidei divinę, debet præcognoſci omnino infallibiliter. Probo antecedens, quia quando intellectus movetur ex principio præcognito, via illationis, & diſcurſus, ad aſſenſum alterius conſequentis, non poteſt eſſe magis certus de conſequenti, vel de concluſione, quam ſit certus de principio antecedenti, vel præcognito, imò ſi aliquis exceſſus admittatur, magis certus eſſe debet de principio præcognito, quam de conſequenti, aut de concluſione; certificatur enim de concluſione propter principium movens: Sed propter quod vnumquodque tale, & illud magis: Ergò magis debet certificari de principio movente: Ergò tale principium non poteſt movere ab aſſenſum magis certum, & infallibilem, quam ſit aſſenſus ipſius principij.

5. Dices primo, cognitionem revelationis eſſe puram conditionem, vt moveat ad fidem divinam, ipſam autem revelationem eſſe rationem formalem movendi; cum ergò ipſa revelatio eſſentialiter ſit infallibilis in dicendo, & infallibiliter connexa cum myſterio revelato, hoc ſufficit, vt aſſenſus, qui ex illa movetur, ſit infallibilis, vtpotè motus, & ſpecificatus ex ratione formali infallibili, quamvis cognitio, revelationis ſit fallibilis, quia illa eſt pura conditio, & infallibilitas aſſenſus non ſumitur à pura conditione, ſed à ratione formali motiva.

6. Sed contra, quia licèt cognitio revelationis ſit pura conditio ad movendum, eſt tamen conditio, quod ſit ęquè, vel magis certa quam aſſenſus myſterij: Ergò ſi non ſit ita certa, non poterit movere ad aſſenſum infallibilem myſterij, licèt non defectu rationis formalis, ex defectu tamen conditionis eſſentialiter requiſitę. Probo antecedens, quia licèt cognitio præmiſſarum ſit pura conditio ad aſſenſum concluclusionis, eſt tamen conditio eſſentialis, quod cognitio præmiſſarum ſit ęquè, vel magis certa quam aſſenſus concluſionis, vt poſsint præmiſſę obiectivè movere ad talem aſſenſum; & hoc non alia ratione, niſi quia nemo poteſt certificari de obiecto ex aliquo motivo præcognito, niſi ſit ęquè, vel magis certus de motivo, licèt certitudo de motivo, non ſit ratio formalis, ſed ſolum conditio ad movendum: Ergò licèt cognitio revelationis, ſit pura conditio ad movendum, eſt tamen conditio eſſentialis, quod talis cognitio ſit ęquè, vel magis certa, quam aſſenſus myſterij.

7. Nec ſatis eſt, quod revelatio ex ſe ſit infallibilis, & infallibiliter connexa cum myſterio, ſi intellectus non eſt infallibiliter certus de exiſtentia revelationis, quia quamvis præmiſſę obiectivę ſint infallibiliter connexę cum aliqua concluſione, ſi intellectus non certificatur infallibiliter de veritate earum, minimè poterit moveri ex illis ad aſſenſum infallibilem concluſionis: Ergò. Confirmatur, quia ſi cognitio revelationis, eo quod eſt pura conditio, non deberet eſſe ęquè certa, ac aſſenſus myſterij, ſatis eſſet notitia probabilis revelationis, vt intellectus crederet fide ſupernaturali, & infallibili myſterium: Sed hoc eſt iam proſcriptum in 2 1. propoſitione ex damnatis ab Innoc. XI. Ergò requiritur, licèt per modum conditionis, quod intellectus ęquè, vel magis certificetur de revelatione, ac de myſterio.

8. Dices ſecundo, ipſam revelationem eſſe puram conditionem, ac proindè non requiri, quod intellectus ęquè certificetur de illa. Sed

Sed contra, quia falſum eſt, quod ſit pura conditio, vt oſtenſum manet ſuprà *quæſt.* 1. *à num.* 32. *& quæſt.* 2. *à nu.* 101. Ergò. Secundo, quia, vt definitum eſt ab Innoc. XI. non ſufficit notitia probabilis revelationis: Ergò vel revelatio non eſt pura conditio, vel quamvis ſit, requiritur quod intellectus æquè, vel magis certificetur de illa, ac de myſterio. Tertio, quia admiſſo, quod ſit pura conditio, eſt conditio obiectiva ex parte motivi, intrinſeca, & eſſentialis authoritati divinæ, vt moveat, quia ſaltem eſt applicatio obiectiva divinæ authoritatis reſpectu myſterij, ſine qua authoritas divina ad nihil movet, immò, & nihil dicit: Sed eo ipſo intellectus debet æquè certificari de revelatione, ac de myſterio, quia debet æquè certificari de authoritate divina, vt applicata myſterio, vt infallibiliter in vi illius credat myſterium: Ergò. Explicatur: Quamvis authoritas divina quam dicunt ſolam eſſe rationem formalem, ſit certa, ſi non eſt certa, vt revelans myſterium, nihil certificat de myſterio: Ergò debet eſſe æquè magisvè certa, in quantum revelans, vt certificet intellectum infallibiliter de myſterio, & vt poſſit movere ad aſſenſum infallibilem myſterij: Sed vt credita fide humana, non poteſt eſſe ita certa, quia fides humana ex ſe eſt fallibilis: Ergò.

9. Dices tertio: Fidem humanam ex vi ſui motivi, quod eſt authoritas purè humana, eſſe fallibilem, poſſe tamen eſſe infallibilem ex auxilio divino influente in illam infallibilitatem. Sed contra: Quia aſſenſus ex vi ſui principij non poteſt habere maiorem infallibilitatem, quam ex vi ſui motivi ex parte obiecti moventis; nam principium activè influens in aſſenſum influit iuxta exigentiam, & proportionem motivi obiectivi, & per ordinem ad illud: Ergò ex vi auxilij activè influentis in aſſenſum, non poteſt habere fides humana infallibilitatem, quam non habet ex vi ſui motivi, quæ eſt authoritas humana. Probatur antecedens: Quia alias ex motivo probabili, quin etiam, ex motivo purè coniecturali, aut ſophiſtico, poſſet quis vi auxilij divini certificari infallibiliter omnimoda infallibilitate, & opus non eſſet ad aſſenſum infallibilem quærere motivum infallibile: Sed hoc eſt contra omnem Philoſophiam, & Theologiam, quia omnes Philoſophi, ac Theologi ad infallibilitatem aſſenſus quærunt motivum infallibile: Ergò. Secundo: Quia fides humana, ſeù eius aſſenſus eſt actus purè naturalis, & humanus; ſed ad actum purè naturalem, & humanum, non concurrit Deus auxilio ſupernaturali, quod ſolum poſſet præſtare aſſenſui infallibilitatem. Ergò talis aſſenſus, vi auxilij divini, non habet infallibilitatem.

10. Si verò loquantur in noſtra ſententia, in qua fides theologica non eſt diſcurſiva, ſed per vnicum, & ſimplicem aſſenſum attingit revelationem, vt motivum, & myſterium ratione motivi, efficacius probatur noſtra concluſio, quia in hac ſententia revelatio non movet, vt credita prævié per actum diſtinctum ab aſſenſu myſterij, ſed vt credita per aſſenſum myſterij: Sed aſſenſus myſterij ſupponitur eſſe fidei divinæ, & ſupernaturalis: Ergò revelatio movet vt credita per aſſenſum fidei divinæ, & ſupernaturalis: Non ergò vt credita fide humana.

11. Dices, ex ſententia Scoti, quod aſſenſus myſterij non ſolum eſt fidei divinæ, ſed humanæ, quia actus fidei divinæ ſemper eſt mixtus ex vtraque fide, eſtque fidei humanæ, quatenus credit revelationem propter authoritatem humanam, eſt autem fidei divinæ, quatenus credit myſterium propter revelationem. Sed contra: Quia, adhùc in ſententia Scoti, tunc ſolum idem actus eſt fidei divinæ, & humanæ, quando authoritas divina, & humana concurrunt ſimul ad perſuadendam eandem veritatem, & idem obiectum *quod*, vt benè advertit Sendin *vbi ſuprà num.* 74. Sed in præſenti non eſt ita, quia authoritas humana ſuadet exiſtentiam revelationis, authoritas verò divina exiſtentiam myſterij, quæ ſunt veritates diſtinctæ: Ergò non poteſt reſultare idem actus, qui ſit fidei divinæ, & humanæ.

12. Secundo, quia, hoc dato, ille actus, quatenus crederet exiſtentiam revelationis ex motivo authoritatis humanæ, non eſſet infallibilis, ſed fallibilis, cum reſpiceret motivum fallibile: Ergò revelatio, vt credita per illum actum, ſecundum quod eſſet fidei humanæ, non poſſet movere ad eundem actum circa myſterium, quia circa myſterium eſſet fidei divinæ metaphyſicè infallibilis. Patet conſequentia, quia vt conſtat ex dictis, revelatio, vt cognita fallibiliter, movere nequit ad aſſenſum infallibilem myſterij. Tertio: Quia repugnat, quod idem indiviſibilis actus ſit ſimul fidei divinæ, & humanæ: Ergò ruit ſolutio. Probatur antecedens; quia repugnat, quod idem indiviſibilis actus ſit naturalis, & ſupernaturalis, ex motivo naturali, & ex motivo ſupernaturali, ab habitu naturali, & ab habitu ſupernaturali; quod infrà forsã amplius probabitur: Sed ita eſſet actus mixtus ex fide humana, & divina, ſiquidem vt fidei humanæ eſſet naturalis, ex motivo naturali, ſcilicèt, ex authoritate humana, & ab habitu naturali, ſcilicèt, ab habitu fidei humanæ, quæ naturalis

eſt.

eſt: Ergò repugnat talis actus, qui ſimul ſit fidei humanę, & divinę. Quarto: Quia dato, quod aſſenſus revelationis ſimul eſſet fidei divinę, & humanę, vt vult Sendin, & Scotus, non moveret ad fidem myſterij, vt fidei humanę, ſed vt divinę: Ergò nec revelatio moveret, vt credita fide humana, ſed vt credita fide divina. Probatur antecedens: Quia vt benè advertit ipſe Sendin num. 105. *Aſſenſus revelationis, vt eſt fidei divinę, purè accidentaliter reſpicit motivum authoritatis humanę, quoniam hanc non exigit, eo quod adæquatum motivum præcisè habet in authoritate divina*: Ergò pariter aſſenſus infallibilis myſterij nō moveretur per ſe ex fide humana revelationis, ſed ſolum ex fide divina, fides autem humana omnino per accidens ſe haberet, nec illam exigeret aſſenſus myſterij.

13. Obiter autem nota contradictionem in prædicto Authore, nam ex vna parte in eodem num. aſſerit: *Aſſenſum fidei divinę ſemper eſſe mixtum ex vtraque fide*, & aliunde inquit, quod vt *fidei divinę hanc non exigit*, ſcilicèt, fidem, & authoritatem humanam: Si illam non exigit; vndè infert, quod ſemper eſt mixtus ex illa? Cur aliquando ſaltem eſſe non poterit ſine illa? Quando quidem illam purè per accidens reſpicit, & illam non exigit, ſed adæquatum eius motivum præcisè habet in authoritate divina.

14. Secundo probatur concluſio: Quia revelationis exiſtentia credi poteſt, & debet fide divina: Ergò movere debet ad fidem myſterij, vt credita fide divina, & non fide humana. Conſequentia patet: Quia fides divina moveri debet ex revelatione credita perfectiori modo, quo poſsit, & maiori certitudine poſsibili cognita, vt euadat ſummè certa. Et item, quia contrarij ex eo potiſsimè probant, quod ſufficit revelatio, vt credita fide humana, quia de ipſa revelatione non poteſt haberi maior certitudo. Antecedens autem probatur: Quia exiſtentia revelationis eſt immediatè de fide, non minus, quam cætera myſteria: Ergò credi poteſt, & debet fide divina, ſicut cætera myſteria. Antecedens probatur, primo: Quia exiſtentia revelationis eſt in Scriptura revelata ſæpiſsimè non minus, quam cætera myſteria, nam ſæpiſsimè dicitur in Sacro Textu: *Hæc dicit Dominus: Hæc dicit Dominus: Factum eſt verbum Domini ad me dicens, &c.* Imò, & ipſe Chriſtus dicebat: *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius, qui miſsit me Patris.* Et Apoſt. inquit: *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur, Chriſtus*: Ergò revelationis divinę exiſtentia revelata eſt immediatè in Sacro Textu, non minus quam cætera myſteria: Credi ergò debet fide divina: Vt quid ergò credenda erit fide humana, vt moveat ad fidem?

15. Ex quo obiter inferes, contra Scotum, & alios AA. ſuprà citatos, minimè requiri, quod revelatio credatur fide humana, vt moveat ad fidem divinam; quia ad ſummum requiri poteſt, quod prius credatur: Sed credi poteſt, & debet fide divina, & aliunde dum creditur fide divina, ſuperfluit humana: Ergò.

16. Dices, non poſſe credi fide divina, quin credatur per humanam, quia motiva credibilitatis, quę ſemper concurrunt, ſunt motiva authoritatis humanę, quę ſuadent exiſtentiam revelationis; dum autem intellectus movetur ex vi authoritatis humanę, non poteſt non credere fide humana, quamvis ſimul credat fide divina, vt motus ab authoritate divinâ. Sed contra: Quia, vt forſan infrà probavimus, potius implicat, quod ſi creditur fide divina, credatur ſimul fide humana, quia fides humana, & divina reſpectu eiuſdem obiecti, repugnant; nam intellectus in præſentia authoritatis divinę movētis, moveri non poteſt ab authoritate humana in actu ſecundo: Ergò. Contra ſecundo, quia motiva authoritatis humanę, etſi concurrant cum motivo authoritatis divinę, nō movēt neceſſario ad aſſenſum, ſed purè liberè, & cum indifferentia, ſaltem quoad exercitium: Ergò poteſt intellectus non moveri ex motivis authoritatis humanę in actu ſecundo, ſed ſolum ex motivo authoritatis divinę. Tertio: Quia motiva credibilitatis, vt ſuo loco dicemus, non ſemper ſunt motiva authoritatis humanę, ſed motiva ſcientię, & evidentię: Ergò quamvis opus ſit, quod concurrant motiva credibilitatis, non requiritur, quod concurrant motiva authoritatis humanę ad fidem humanam de revelatione extorquendam: Non ergò opus eſt credere fide humana revelationem.

17. Tertio probatur concluſio, quia per ipſum actum fidei circa myſterium attingitur revelatio, vt motivum aſſentiendi myſterio, vt probavimus ſuprà *quæſt. 6.* nec revelatio movet, niſi vt attacta intrinſecè per ipſum aſſenſum myſterij: Sed aſſenſus myſterij eſt fidei divinę: Ergò revelatio ſolum movet, vt credita fide divina, non ergò vt credita fide humana.

SOLVITVR OBIECTIO in contra.

18. CONtra dicta vnicum militat argumentum, illudque commune: Nimirum, quia vt intellectus moveatur ex revelatione, prius certificari debet de exiſtentia revelationis; Sed antequam

fidem

moveatur ex ipſa, certificari nequit de ipſa per fidem divinam, quę neceſſario expoſcit moveri ex revelatione, nec per ſcientiam, aut evidentiam, quę non datur de exiſtentia revelationis: Ergò ſolum certificari poteſt per fidem humanam: Ergò, vt intellectus moveatur ex revelatione ad aſſenſum myſterij, opus eſt, quod illa credatur fide humana: Ergò, vt credita fide humana, movet ad aſſenſum myſterij.

19. Reſpondetur tamen ex ſæpè dictis, diſtinguendo maiorem: Vt intellectus moveatur ex revelatione ad aſſenſum myſterij, prius certificari debet de ipſa, tranſeat maior: Vt moveatur ad aſſenſum ipſius, negò maiorem, & diſtinguo minorem eodem modo, quia antequam intellectus moveatur ex revelatione ad aſſenſum myſterij, poteſt moveri ex ipſa ad aſſenſum ipſius intranſitivè, quatenus ipſa ſe ipſam teſtificatur, & manifeſtat: Vndè quamvis daremus, quod intellectus debeat prius certificari de revelatione, vt moveatur ex ipſa ad aſſenſum myſterij, poteſt prius de illa certificari fide divina, motus ex ipſa ad credendam ipſam, vt explicavimus ſuprà *quæſt. 3. num. 46. & 52.* Nec ad hoc, vt moveatur ex ipſa ad credendam ipſam, opus eſt, quod prius certificetur de ipſa per alium aſſenſum, aut iudicium, ſed poteſt per eundem ſimplicem aſſenſum moveri ex ipſa, & certificari de ipſa propter ipſam. Revelatio enim ſe habet ad fidem ſicut principium in ſcientijs; ſicut ergò intellectus non prius certificatur de principijs, vt moveatur ex ipſis ad ipſorum aſſenſum, ſed eodem ſimplici aſſenſu movetur ex ipſis, & certificatur de ipſis propter ipſa, ita pariter de divino teſtimonio, ſeu revelatione dicendum venit: & etiam quia revelatio non ſolum eſt revelans myſterium, ſed ipſa etiam eſt revelata, & teſtificata in Scriptura; vt paulo ante probavi: Ergò de ipſa, quia revelata, certificari poteſt intellectus fide divina propter ipſam, vt revelantem ſe.

20. Sed dices: Saltem, vt revelans ſe ipſam, ſivè in quantum dicit Deus per illam ſe dicere, non eſt dicta, ſed ſolum dicens: Ergò de illa, vt ſic dicente ſe dicere, nequit intellectus certificari fide divina, quia fides divina eſſe nequit, niſi de dictis à Deo. Probatur antecedens: Quia, licèt Deus dicat ſe dicere, non tamen dicit ſe dicere ſe dicere, per duas reflexiones, nam iſtę prorſus eſſent ineptiſſimę: Ergò loquutio, vt per illam dicit Deus ſe dicere, non eſt dicta, ſed ſolum dicens. Confirmatur: Quia, quamvis Deus ſecunda reflexione diceret ſe dicere, quod dicit ſe dicere, ſaltem hæc ſecunda, vel, ſi mavis, tertia reflexio non eſſet etiam dicta, quia alias daretur quarta reflexio, & ſi illa etiam eſſet dicta, opus eſſet quinta reflexione, & daretur infinita ſeries reflexionum, ſeu terminationum divinę loquutionis, qua infinities reflectendo diceret ſe dicere: Sed hæc repugnat, vel ſaltem non datur, quia in Scriptura non eſt revelata, nam ſi aliquando in Scriptura dicit Deus, ſe dicere, hoc dicit vnica tantum reflexione ſuprà loquutionem directam, non verò ſecundo, & tertio reflexè dicendo, quod dicit ſe dicere, ſe dicere, &c. Ergò deveniendum eſt ad revelationem ita dicentem, quod vt ita dicens, non ſit dicta: Ergò illa, vt ſic dicens, & non dicta, credi non poterit fide divina: Ergò ſolum movere poterit, vt credita per fidem humanam. Confirmatur ſecundo, quia non ſemper dicit Scriptura: *Hæc dicit Dominus*, nec ſemper in ea revelatur reflexè Deum dicere, quę ibi revelantur: Ergò ſaltem, quando ibi non dicitur reflexè Deum revelare, aut loqui, ipſa revelatio non erit dicta, nec revelata: Ergò nec credibilis fide divina.

21. Reſpondeo, primo, negando antecedens. Ad probationem, diſtinguo antecedens: Non tamen dicit, ſe dicere, ſe dicere per duas reflexiones realiter, vel actualiter diſtinctas ex parte Dei, concedo antecedens: Per duas reflexiones diſtinguibiles per rationem cum fundamento, nego antecedens, & conſequentiam: Quia revelatio divina, ſicut eius cognitio, & volitio, eſt infinitè reflexiva ſuprà ſe ipſam, & licèt hæc infinita reflexio non fiat in Deo per infinitos actus actu diſtinctos, & reflectentes, vnú ſuprà aliú, fit tamen per vnum, & ſimpliciſſimum actum, ita eminenter, quod ęquivalet infinitis ordinatè reflectentibus ſine fine, nam ſicut ob hanc eminentiam in divina cognitione, nulla eſt reflexio, aut terminatio cognoſcens, quę cognita etiam non ſit, vt *quod*, ita in divina loquutione nulla reflexio, aut terminatio reperitur, vt revelans, quę revelata etiam non ſit, vt *quod*, ac proindè in illo actu, ita eminenter reflexivo diſtinguibiles ſunt infinitę reflexiones ſine fine à noſtro intellectu cum fundamento in re: Et licèt eſſent ineptiſſimę, ſi Deus eas faceret formaliter per plures, vel infinitas loquutiones ſenſibiliter diſtinctas ad extra, non tamen, ſi fiant à Deo purè eminenter vnica loquutione infinitè reflexiva ſuprà ſe ipſam, in qua per rationem diſtinguibiles ſint illę plures, vel infinitę, ſi mavis, reflexiones, adque adeò, vt nulla ſit terminatio, vt revelans, quę etiam non ſit etiam revelata, vt *quod*. Ex quo patet ad confirmationem: Quia illa infinita reflexio repugnat quidem, vt formaliter facta diſtinctis actibus, ſeu loquutionibus ſenſibiliter diſtinctis ad extra, non tamen eminenter facta

vnia

vnica loquutione, ob ſui infinitatem, ęquivalenti infinitis. Et cum inquis, quod iſta infinita reflexio non datur, quia non eſt revelata in Scriptura, dico, quod non eſt revelata expreſsè, eſt tamen revelata implicitè, & confuſè, ſeù ęquivalenter, quia dum dicit Deus ſe dicere, id dicit modo infinito, vt teſtificetur de omni ſuo dicere: Quod fieri nequit, niſi reflexione infinita modo explicato. Ad ſecundam confirmationem, dico: Quod licèt non ſemper exprimatur illa reflexio: *Hæc dicit Dominus*, aliquando tamen exprimitur de omni ſcripto Canonico, quod in illo, ſeù in ſuis Scriptoribus loquebatur Deus, vt cum dixit Apoſtol. *Olim loquutus eſt Deus Patribus in Prophetis*, ſeù: *Spiritu Sancto inſpirati loquuti ſunt Sancti Dei homines*, & alibi alia, vndè de omni loquutione Scripturę reflexè revelatum eſt, quod in illa loquutus eſt Deus.

22. Reſpondeo ſecundo, diſtinguendo antecedens: Vt revelans ſe ipſam non eſt dicta ſignatè, & vt *quod*, omitto antecedens: Exercitè, & vt *quo*, nego antecedens, & conſequentiam in eodem ſenſu. Ad probationem antecedentis, dico: Quod, vt revelatio ſit dicta exercitè, & vt *quo*, non requiritur vlla reflexio, per quam Deus dicat ſe dicere, ſed ſatis eſt, quod loquatur, quia eo ipſo talis loquutio eſt dicta exercitè, & vt *quo*, eſt enim ipſum exercitium dicendi, quo aliquid à Deo dicitur. Ex quo patet ad cōfirmationem: Tranſeat enim, quod non dentur illę reflexiones, ſed indè ſolum probatur, quod divina loquutio, vt dicens ſe dicere, non ſit dicta ſignatè, & vt *quod*, quia ad hoc requiruntur illę reflexiones, non verò; quod non ſit dicta exercitè, & vt *quo*, quia ad hoc non requiritur vlla reflexio, ſaltem præter primam. Ad ſecundam confirmationem, vt ſuprà in prima ſolutione.

23. Sed dices: Non poteſt credi divina revelatio vt *quod*, & ſignatè, niſi intelligatur revelata, & dicta à Deo vt *quod*, & ſignatè: Sed vt moveat ad fidem debet credi vt *quod*, & ſignatè: Ergò debet eſſe revelata vt *quod*, & ſignatè. Ex quo vlterius ſequitur, quod, vt revelans ſe ipſam ſignatè, debeat eſſe revelata vt *quod*, & ſignatè, quia etiam, vt *quod*, & ſignatè debet credi, vt revelans ſe ipſam, vt moveat ad fidem ſui. Reſpondeo, quod duplex eſt ſententia: Vna, quę dicit, revelationem, vt moveat ad aſſenſum myſterij, debere prius credi vt *quod*: Alia, quę negat id requiri, aſſeritque ſufficere, quod credatur vt *quo*. Si teneatur prima, opus eſt recurrere ad primam ſolutionem, aſſerendo revelationem in omni ſua terminatione, quantumvis reflexa, eſſe dictam, & revelatam vt *quod*. Si verò ſubſtineatur ſecunda, opus non eſt recurrere ad infinitam illam reflexionem, ſed ſatis eſt, quod revelatio ſit dicta vt *quo*, & exercitè, quatenus dicit ſe ipſam, quia ſatis eſt, quod credatur vt *quo*. Quænam autem ex his ſententijs ſit vera, dicetur infrà.

24. Sed dices: Saltem opus eſt, quod poſsit credi, vt *quod*, fide divina: Sed nequit credi, vt *quod*, fide divina, niſi ſit revelata vt *quod*: Ergò opus eſt, quod ſit revelata vt *quod*. Diſtinguo maiorem: Quod poſsit credi vt *quod*, fide divina, quatenus eſt revelatio directa myſterij, concedo maiorem: Quatenus eſt revelatio reflexa revelationis directę, nego maiorem, & conceſſa minori, conſequentiam: Quia licèt opus ſit, quod revelatio directa myſtrij poſsit credi fide divina, quia vt credibilis fide divina nobis proponitur ab Eccleſia, & quia re ipſa eſt dicta, & revelata vt *quod* in Scriptura; tamen revelatio reflexa, non debet poſſe credi vt *quod*, quia non eſt vt *quod* revelata, ſed tantum exercitè, & vt *quo*, & ſatis eſt, quod poſsit ita credi, vt moveat ad fidem ipſius revelationis directę.

QUÆSTIO IX.

An revelatio vt apparens, ſeù falſo exiſtimata, ſit ſufficiens motivum fidei divinę?

1. EX huius quæſtionis deciſione, maximè pendet deciſio alterius infrà excitandę, nempè, an fidei divinę poſsit ſubeſſe falſum: Hic tamen eam, cum Suario, M. Ferre, & alijs Modernis, prælibare decrevi, quia maximè pertinet ad motivum formale fidei, quod in præſenti elucidamus. Sit ergò.

NOSTRA, ET COMMUNIS Sententia.

2. DICO igitur: *Revelatio divina non eſt motivum formale fidei divinę, vt exiſtimata, ſivè verè, ſivè falſo, ſed ſolum, vt vera in re.* Ita D.Thom. *in præſent. artic.3. in corp.* vbi probat, quod fidei non poteſt ſubeſſe falſum, quia *eius obiectum formale eſt veritas prima, ſub qua falſum ſtare nequit*: Sed ſub veritate prima, ſeù ſub divina revelatione vt exiſtimata, falſum ſtare poteſt, nam aliquid falſum exiſtimari poteſt revelatum à veritate prima, ſolum autem ſtare nequit ſub reve-

tia, nec poſſunt aliter ſe habere, ſed neceſſario, & infallibiliter ſunt vera in re: Ergò fides non eſt circa ſingularia, & contingentias, ſicut prudentia, ſed circa neceſſaria, & indefectibilia, ſicut cæteræ virtutes intellectuales.

11. Dices verum eſſe, quod myſteria, vt ſtant ſub revelatione diuina, non ſunt contingentia, ſed neceſſaria ex ſuppoſitione revelationis; attamen ipſa revelatio eſt etiam ex terminis contingens, & poteſt aliquando aliter ſe habere, & tunc movere purè vt exiſtimata. Sed contra, quia revelatio ipſa non reſpicitur à fide vt ex terminis conſiderata, ſed vt ſtat ſub definitione, & propoſitione vniverſalis Eccleſię: Sed vt ſtat ſub tali definitione, & propoſitione, non eſt contingens, nec poteſt aliter ſe habere: Ergò, vt reſpicitur à fide, nunquã poteſt eſſe purè exiſtimata, ſed ſemper debet eſſe vera in re.

12. Dices iterum, ipſam definitionem, & propoſitionem Eccleſię eſſe etiam ex terminis contingentem, ſiquidem non eſt ex terminis infallibile, Eccleſiam vniverſalem hoc aut aut illud definire, aut proponere, vt revelatum à Deo: Ergò aliquando hæc definitio vniverſalis Eccleſię poteſt eſſe purè exiſtimata à credente, & non vera in re, v. g. Si per Miniſtros ignorantes, aut fallaces proponeretur Ruſticis, aut ſimplicibus aliquid vt definitum ab vniverſali Eccleſia pro divinitus revelato, quod tamen Eccleſia minimè definiiſſet, nec propoſuiſſet, tunc enim propoſitio Eccleſię eſſet purè exiſtimata, & non verò in re: Ergò ſimiliter revelatio: Et hic eſt potiſsimus caſus præſentis difficultatis.

13. Sed contra: Quia ille, cui taliter proponeretur myſterium, in tali caſu non crederet fide divina abſolutè illud myſterium falſò ſibi à Miniſtris propoſitum: Ergò non ſequitur, quod fides divina reſpiciat revelationem purè exiſtimatam. Probo antecedens: Quia fides divina non nititur propoſitione huius, vel illius Miniſtri in ſingulari omnino abſolutè, ſed tantum ſub tacita, vel implicita conditione, quod proponat conformiter ad vniverſalem Eccleſiam; ſolum enim innititur omnino abſolutè propoſitione vniverſalis Eccleſię: Sed in tali caſu Miniſtri in proponendo, non conformaretur vniverſali Eccleſię: Ergò tunc non aſſentiret abſolutè illi myſterio propoſito, nec revelationi, ſed fides maneret purè conditionata ergà illam revelationem, ſub conditione, ſcilicèt, quod ita proponeretur ab vniverſali Eccleſia: Sed ſub hac conditione vera eſſet in re, & non purè exiſtimata: Ergò nunquam ſequitur, quod fides reſpiciat revelationem purè exiſtimatam.

14. Tertio impugno primam ſolutionem, quià adhùc prudentia, quę virtus intellectualis eſt, per ſe reſpicit verum practicum in re, & non verum purè in exiſtimatione, vt oſtendi *Tract. de Conſcientia, quæſt. 5. à num.* 141. Ergò multo magis fides divina debet reſpicere revelationem veram in re; & non purè exiſtimatam.

15. Dices, quod licèt prudentia reſpiciat, per ſe loquendo, verum practicum in re, non tamen perſeitate ita infruſtrabili, & infallibili, quod non poſsit aliquando per accidens reſpicere verum ſolum in exiſtimatione, vt dicebam loco citato, ſi nimirum, vt poſsibile eſt, contingat, quod id, quod prudentia per ſe reſpicit vt verum in re, ſit per accidens falſum in re: Ergò ſic ſimiliter poterit dici de fide, quamvis virtus intellectualis ſit. Sed contra: Quia prudentia propterea poteſt per accidens reſpicere aliquando verum practicum ſolum exiſtimatum, quia non habet regulam infallibilem diſcernendi inter verum practicum in re, & verum ſolum exiſtimatum, quia non habet aliam regulam, quàm conſultationem, & iudicium de agibilibus, quod fallibiliter ſolum diſcernere poteſt verum in re, à verò purè apparenti, vndè ex defectu regulę poteſt aliquando contingere, quod per accidens reſpiciat verum ſolum in exiſtimatione: Sed fides habet regulam infallibilem diſcernendi inter revelationem veram in re, & revelationem purè exiſtimatam, nimirum definitionem, & propoſitionem vniverſalis Eccleſię: Ergò contingere nequit, quod fides, adhùc per accidens, reſpiciat revelationem purè exiſtimatam, & non veram in re.

16. Dices, verum eſſe, quod fides habet regulam infallibilem vniverſalem, & remotam, quę eſt definitio vniverſalis Eccleſię, ad diſcernendam revelationem veram in re, à purè exiſtimata: Attamen regulam proximam, & particularem non habere ita infallibilem, quia hæc eſt propoſitio revelationis, & myſterij per particulares Miniſtros, vt per Parrochos, Prædicatores, & Doctores, quę per accidens in aliquo caſu poteſt fallere. Sed contra: Quia fides divina non innititur huic regulę proximę omnino abſolutè, ſed ſolum ſub tacita, vel implicita conditione, quod concordet regulę primę, & vniverſali: Sed ſub hac conditione, & vt ſic concordans, eſt ita infallibilis, ſicut regula vniverſalis definitionis Eccleſię: Ergò fides divina non vtitur regula, nec particulari, nec vniverſali, nec remota, nec proxima, niſi vt infallibili, & infallibiliter proponenti revelationem veram in re.

17. Contra ſecundo: Quia licèt regula

Digitized by Google

proxima externa, & ſenſibilis, nempè propoſitio Parrochi, ſit ex ſe fallibilis, tamen regula proxima obiectiva interna, & intelligibilis fallibilis non eſt; ſed, eo ipſo, fides nequit, adhùc per accidens, reſpicere revelationem exiſtimatam pro vera in re: Ergò. Minor patet: Quia propterea prudentia poteſt per accidens attingere verum practicum in exiſtimatione tantum, quia non habet regulam obiectivam, adhùc internam, infallibiliter proponentem: Ergò, ſi fides illam habeat, non poterit, adhùc per accidens, reſpicere revelationem purè exiſtimatam. Maior verò probatur: Quia, vt benè probat Lugo, cuius motiva ſuprà expendimus *quæſt. 1. à num. 13.* non poteſt aliquis credere fide divina, niſi ex interiori inſtinctu, & inſpiratione Spiritus Sancti; ſed hic interior inſtinctus, & inſpiratio Spiritus Sancti, licèt non ſit ratio formalis motiva fidei, eſt tamen interna, & proxima propoſitio rationis formalis, ac proindè regula proxima per modum proponentis, quę omnino infallibilis eſt, & proponere nequit revelationem falſam pro vera, quia Spiritus Sanctus intus ad falſum in re movere non poteſt, adhùc applicativè, ſeù in proponendo: Ergò fides habet regulam internam obiectivam proximam infallibilem in proponendo.

18. Tertio probatur concluſio: Quia fides eſt virtus, non ſolum intellectualis, & ſpeculativa, ſed etiam ſupernaturalis: Sed ſaltem, quà ſupernaturalis, nequit reſpicere revelationem vt exiſtimatam: Ergò reſpicit eſſentialiter revelationem veram in re. Probo minorem: Quia, quà ſupernaturalis, debet reſpicere revelationem vt interiùs ſibi propoſitam ſub regula, aut propoſitione ſupernaturali; ſed propria exiſtimatio non eſt propoſitio, nec regula ſupernaturalis, ſed purè naturalis, vt per ſe patet: Ergò nequit reſpicere revelationem, vt interius ſibi propoſitam per propriam exiſtimationem. Confirmatur: Fides, qua ſupernaturalis eſt, non poteſt moveri ex revelatione, vt ſibi modo naturali propoſita: Ergò eſſentialiter exigit moveri ex revelatione, vt ſibi interius propoſita modo ſupernaturali à Deo: Sed vt ſic propoſita, implicat, quod ſit purè exiſtimata, & non vera in re: Ergò fides, quà virtus eſt ſupernaturalis, implicat, quod moveatur ex revelatione purè exiſtimata, & non vera in re. Vt hæc doctrina amplius explicetur,

PRÆCIPVA OBIECTIO proponitur, & aliorum ſolutiones impugnantur.

19. Obijcies primo ſic: Poteſt proponere Parrochus alicui Catholico, v. g. Ruſtico, vt verè revelatum, aliquod myſterium, quod re ipſa revelatum non ſit, v. g. Incarnationem Spiritus Sancti, & hoc, eodem ipſiſsimo modo, cum eadem atteſtatione quod ita proponit, & credit vniverſalis Eccleſia, & repræſentando eandem authoritatem Parrochi, & Miniſtri, ſicut, quando proponit vera myſteria verè revelata: Ergò tunc caſus Ruſticus ille teneretur credere, & conſequenter poſſet credere fide divina Incarnationem Spiritus Sancti vt revelatam, equè ac alia myſteria noſtrę fidei: Demus ergò, quod eam ſic credat, ſanè tunc fides non reſpiceret pro motivo revelationem veram in re, ſed purè exiſtimatam: Ergò fides non reſpicit eſſentialiter revelationem veram in re, ſed poteſt reſpicere revelationem purè exitimatam.

20. Primo reſpondet Suarez *in præſent. ſect. 13. num. 9.* negando caſum antecedentis: Quia in eo non daretur ſufficiens propoſitio revelationis ad credendum fide divina, nam ad hanc requiritur, quod certo, & indubitanter conſtare poſſit, eſſe conformem doctrinę Eccleſię, in qua falſitas eſſe non poſsit: At in caſu poſito Ruſticus, ſi vellet advertere, dubitare poſſet, an illa doctrina ſit conformis Eccleſię, necne, & ideò non ſtatim per fidem infuſam aſſentiretur. Vndè talis propoſitio obligaret Ruſticum ad non diſcredendum, donec maiorem diligentiam adhibeat, vel fortè etiam ad credendum fide generatim ſumpta, non tamen ad credendum fide, quę nullam hæſitationem admittat, donec de doctrina Eccleſię certus ſit. Ita ad verbum Suarez.

21. Sed hæc ſolutio communiter diſplicet, nam, ſi vera eſſet, ſequeretur, quod Ruſtici in ſuis pagis, & locis, non poſſent credere fide divina, ſeù infuſa, quia ſanè ibi aliam propoſitionem non habent, niſi ſui Parrochi, vel aliorum minori ſapientia, & authoritate polentium: Sed huiuſmodi propoſitio non poteſt inducere tantam certitudinem, qualem exigit Suarez de conformitate cum doctrina vniverſalis Eccleſię, tum quia vel ipſi Parrochi ſæpè talem certitudinem non habent de eo quod doctrina, quam proponunt, ſit vniverſalis in omni Eccleſia. Tum quia, quamvis talem certitudinem haberent, poſſent, ſaltem ex fallacia, & malitia, proponere, vt doctrinam vniverſalem Eccleſię, quam talem non eſſe ſciebant, & hoc,

hoc, eodem aſſerendi modo, quo veram doctrinam proponunt: Ergò opus eſſet Ruſticis, ad credendum fide infuſa, & ſupernaturali, exirè è Patria ad inquirendum certo, an doctrina ipſis propoſita eſſet re ipſa vniverſalis Eccleſię: Sed hoc eſt abſurdiſsimum, quia alias, in ſuis locis ſalvari non poſſent, nec placere Deo; nec ſuſcipere ſacramenta, prout opus eſt ad ſalutem animę, quia hæc omnia fieri nequeunt ſalutariter ſine fide ſupernaturali: Ergò.

22. Confirmatur: Quia vel Suarez exigit in Miniſtris immediatè proponentibus ęqualem infallibilitatem, ac in fide, vel minorem: Si ſolum exigit minorem: Ergò, quamvis proponens immediatus in proponendo ſit aliquando fallibilis, ſufficiet ad credendum fide divina; eius propoſitio: Ergò ſufficiet propoſitio Parrochi, cui aliquando poſsit ſubeſſe falſum. Si exigit ęqualem certitudinem: Ergò exigit in proponente externo immediato infallibilitatem omnimodam, & metaphyſicam; quia talis eſt infallibilitas fidei infuſę: Sed hanc invenite neqnit fidelis, niſi audiat Concilium generale, vel ſaltem Papam ex Cathedra definientem: Ergò opus erit iam, nedum Ruſticis, ſed omnibus, adire Supremum Caput Eccleſię, & expectare, quod ex Cathedra definiat, vel congregare Concilium generale, vt poſsimus credere fide infuſa, & ſalutari. Hoc autem quis non videat abſurdiſsimum eſſe?

23. Propterea communiter alij reſpondent, quod in tali caſu Fidelis Ruſticus, teneretur credere, & crederet fide humana illud myſterium, non verò fide re ipſa divina, & infuſa; niſi purè exiſtimativè, ac proindè, adhuc in illo caſu fides divina, re ipſa divina, non reſpiceret revelationem purè exiſtimatam.

24. Contra hanc ſolutionem communiter opponitur, primo: Quod iuxta illam, Ruſticus in eo caſu, quamvis exiſteret in gratia, & ex motivo charitatis crederet, privaretur merito fidei, quia fides humana, ſeu acquiſita non poteſt eſſe meritoria vitę ęternę: Sed hoc videtur abſurdum, quia eſt privare Ruſticum merito abſque omni ſuà culpa, & omiſsione: Ergò. Secundo: Quia Ruſticus teneretur credere revelationem ſibi propoſitam fide ſupernaturali, cum ad id iudicaret ſe ipſum obligatum: Sed poſſet implere id, ad quod eſſet obligatus, alias obligaretur ad impoſsibile: Ergò poſſet credere fide infuſa. Tertio: Quia ſi ſimul proponeretur Ruſtico verè revelatum, & falſo revelatum, proponente, & atteſtante Parrocho omnino ſimiliter, & ęqualiter de vtroque, eſſe verè revelatum, poſſet Ruſticus vtrumque credere eodem modo, & eodem actu: Sed verè revelatum crederet fide infuſa: Ergò, & revelatum purè exiſtimativè, quia idem actus, & modus credendi non poteſt eſſe fidei acquiſitę, & infuſę.

25. Communiter etiam ad hæc reſpondetur. Ad primum: Quod Ruſticus non privaretur merito fidei, quia hoc potiſsimè conſiſtit in voluntate credendi, & cum ille, cui talis fieret propoſitio, haberet voluntatem ſupernaturalem credendi fide divina, & ſupernaturali, licèt id non aſſequeretur ex defectu incognito obiecti, mereretur tamen merito fidei, quia crederet, quomodo poſſet, ex motivo ſuperno charitatis, quod potiſsimè verum tenet, ſi teneatur illa ſententia, quę aſſerit actus naturales, ſi imperetur ex motivo ſupernaturali, eſſe meritorios vitę ęternę. Sed hæc ſolutio non plenè ſatisfacit, quia licèt poſsit actus virtutis naturalis eſſe meritorius vitę ęternę, vt per ſe imperatus ex motivo charitatis, tamen aſſenſus fidei elicitus à Ruſtico, iuxta ſolutionem, non eſſet actus virtutis, nec naturalis, nec ſupernaturalis, ſed potius eſſet vitium intellectuale, cum eſſet aſſenſus falſus, & erroneus, nec eſſet per ſe imperatus ex motivo charitatis, ſed purè per accidens: Ergò ille actus, vt erroneus, minimè eſſet meritorius merito fidei; ſiquidem nec honeſtus eſſet, potiſsimè in mea ſententiâ, iuxta quam, conſcientia invincibiliter erronea, in eo in quo errat, non reddit actum regulatum honeſtum, vt probavi *Tract. de Conſc. quæſt. 5. per totam.* Debet ergò explicari, quo pacto Ruſticus credat, vt non amittat meritum proprium fidei.

26. Ad ſecundam *ex num.* 24. communiter etiam reſpondetur: Ruſticum in eo caſu putare ſe teneri ad credendum fide ſupernaturali; at re ipſa non teneri. Ita in præſent. Ferretas *diſputat.* 3. *num.* 149. Sed nec etiam ſatisfacit, quia ille re ipſa tenetur ad credendum ex conſcientia erronea; nam conſcientia erronea re ipſa obligat; & non purè exiſtimativè, alias, qui contra illam ageret, v. g. ille Ruſticus, ſi nollet credere, ſolum exiſtimativè peccaret, & non re ipſa, quod eſt contra omnes Theologos: Ergò non ſolum putat ſe teneri, ſed re ipſa tenetur. Inquit, re ipſa teneri ad credendum aſſenſu humano poſsibili, non aſſenſu ſupernaturali. Et parificat in hæretico, quem, inquit, ſolum obligari ad credendam Trinitatem aſſenſu humano; ex conſcientia erronea, qua putat ſe teneri ad credendum fide ſupernaturali.

27. Sed in primis de paritate, non benè ſentio, quia hæreticus, non purè ex conſcientia erronea, ſeu quia falſo putat ſe teneri, ſed re ipſa, & ex veritate ipſa, tenetur credere Tri-

ni-

nitatem fide ſupernaturali, quamvis in ſenſu cõpoſito hæreſis id non poſsit, quia poteſt in ſenſu diviſo: Quod ſufficit, vt re ipſa teneatur, iuxta omnes Theologos. Deindè, nec ſatisfacit, quia Ruſtico non proponitur authoritas humana pro motivo credendi, ſed authoritas divina, & Eccleſię vniverſalis, ſupponimus enim Parrochum ęquè proponere ſub authoritate divinę revelationis, vt propoſitę per Eccleſiam vniverſalem, myſterium falſum, ac verum: Ergò eandem obligationem inducit in Ruſtico audiente reſpectu vnius myſterij, ac reſpectu alterius, idemque iudicium: Sed reſpectu myſterij verè inducit obligationem veram credendi fide ſupernaturali: Ergò & reſpectu myſterij falſi. Vrgetur: Quia iudicium, quo iudicat ſe obligatum reſpectu myſterij veri, eſt ex eodem omnino motivo, ac iudicium, quo ſe putat obligatum reſpectu myſterij falſi, nimirum ex authoritate divina, & Eccleſię, vt propoſita per Parrochum, nec enim habet aliud motivum ad iudicandum ſe obligatum: Ergò, vel illud iudicium reſpectu vtriuſque myſterij eſt ſupernaturale, vel reſpectu vtriuſque merè naturale, ſiquidem abſque diverſitate motivi implicat quod vnum iudicium ſit naturale, & aliud ſupernaturale, potiſsimè, ſi eodem modo proponatur vtrumque motivum: Si ergò reſpectu vtriuſque myſterij iudicium, quo obligatur, eſt ſupernaturale: Ergò reſpectu vtriuſque obligatur ſupernaturaliter, & ad credendum fide ſupernaturali; ſiquidem ita iudicat ſupernaturaliter, & iudicium ſupernaturale falli non poteſt. Si autem reſpectu vtriuſque, iudicium illud eſt naturale: Ergò ex illo obligari nequit ſupernaturaliter, & conſequenter nec ad credendum fide ſupernaturali myſterium verum; quia iudicium purè naturale per ſe nequit obligare, quinimò, nec movere ad fidem ſupernaturalem, vt infrà videbimus: Ergò difficultas argumenti manet invicta.

28. Ad tertiam *ex nu. 24.* etiam communiter reſpondetur, quod ſi Ruſticis eodem actu crederet vtrumque myſterium, ille actus non eſſet fidei ſupernaturalis, ſed ſolùm acquiſitę, ſecus ſi crederet ſeorſim myſterium verum, quia tunc licèt ſibi videretur, quod eodem modo crederet, non tamen ita eſſet re ipſa, ſed falleretur. Sed nec iſta ſolutio ſatisfacit, quia reddit argumentum factum. Etenim vtrumque myſterium, tàm ſeorſim, quàm coniunctim, proponitur eodem modo, vt verè revelatum, & vt propoſitum ab Eccleſia vniverſali, abſque omni, vel leviſsima quidem, differentia ex parte propoſitionis immediatę: Ergò vtrumque proponitur ſub eadem ratione formali obiectiva, & eodem modo applicata: Sed implicat, quod ex duobus obiectis propoſitis ſub eadem ratione formali obiectiva, & eodem modo applicata, habitus fidei attingat vnum, & non poſsit attingere aliud: Ergò vel vtrumque, vel neutrum attingere poteſt. Minor probatur: Quia implicat, quod habitus fidei ex duobus obiectis poſſet attingere vnum, & non aliud, niſi adſit aliqua ratio formalis obiectiva, ſeù ex parte obiecti, cur attingat, ſeù poſsit attingere vnum præalio, alias purè voluntariè id affirmabitur: Sed ſi vtrumque myſterium proponitur vt verè revelatum, & eodem omnino modo ex parte proponentis, proponitur ſub eadem omnino ratione formali obiectiva verè revelati, & eodem modo applicata: Ergò purè voluntariè aſſeritur habitum fidei infuſę attingere vnum, & non poſſe attingere aliud.

RECENTIORIS SCOTISTÆ
ſpecialis ſententia reijcitur.

29. PROPTER hæc, P. Sendin *Tract. 7. de divina fide actuali, controverſ. 7. ſect.* 1. Aſſerit primo: *Quod actus, quo Ruſticus credit revelationi exiſtimatæ, ſibi prudenter propoſitæ, eſt actus fidei divinæ.* (Mitto, quod vocat prudenter propoſitam revelationem falſo propoſitam, neſcio enim quomodo poſsit eſſe prudens propoſitio falſę revelationis vt credendę fide divina.) Probat autem hoc aſſertum, quia ille aſſenſus innititur motivo formali fidei divinę: Ergò eſt actus fidei divinę. Probat antecedens: Quia motivum fidei divinę eſt authoritas divina revelans revelatione prudenter applicata: Sed prædictus aſſenſus movetur à divina authoritate per revelationem prudenter applicatam: Ergò movetur, ſeù nititur motivo fidei divinę.

30. Confirmat: Quia idem motivum formale habet Ruſticus aſſentiendi myſterio falſo, ac myſterio vero: Sed ad myſterium verũ habet motivum fidei divinę: Ergò etiam ad falſum: Ergò aſſenſus erga myſterium falſum etiam eſt fidei divinę. Maiorem probat: Quia, illud eſt motivum formale Ruſtici ad aſſentiendum, quod poteſt reddere pro ratione formali obiectiva, interrogatus, cur aſſentiat: Sed interrogatus, cur aſſentiat illis myſterijs, non poteſt reddere diverſam rationem obiectivam, cur aſſentiat vni, quam alteri, ſed ſolum eandem, nimirum, quia ſibi proponitur, vt verè revelatum: Ergò idem motivum formale habet pro vno, ac pro alio.

31. Confirmat ſecundo: Quia motivum

vum fidei divinę non eſt revelatio, prout eſt in re, ſed vt prudenter exiſtimata. Id probat à paritate virtutum moralium, quorum motivum formale, non eſt bonitas, aut honeſtas, prout in re, ſed prudenter exiſtimata: Ergò pariter (concludit) authoritas divina, vt prudenter apprehenſa eſt ſufficiens motivum ad aſſenſum fidei divinę. Et ratio, inquit, à priori eſt, quia revelatio non movet, eo, quod phyſicè influat in actum, ſed tantum movendo intentionaliter, media apprehenſione ſuaſiva de exiſtentia revelationis: Ergò quotieſcumque ſubſiſtat eadem apprehenſio divinę revelationis, manet eadem motio divinę authoritatis: Ac proindè (vltimo concludit) quatenus eſt ex parte motionis intentionalis, eodem pacto creditur propter authoritatem divinam, dum quis credit myſterium propter revelationem falſo exiſtimatam, ac propter revelationem veram, cum eadem prorſus detur motio intentionalis divinę authoritatis, ac proindè talis actus vtrobique erit fidei divinę. Nihilominus.

32. Aſſerit ſecundo: *Quod prædictus actus non eſt fidei infuſę*. Id probat, quia repugnat, quod habitus fidei infuſę concurrat ad actum falſum: Quod rurſus oſtendit, quia fides infuſa eſt virtus intellectualis, & ſupernaturalis: Ex vtroque autem capite repugnat illam influere in actu falſum, quia de ratione virtutis intellectualis, & præſertim, ſupernaturalis, eſt determinare intellectum ad verum, cum repugnantia influendi in falſum, &c.

33. Hæc ſanè doctrina illius Authoris multa continet difficilia, quę per partes ſunt examinanda. Et imprimis, quod actus, ſeù aſſenſus falſus, de quo loquitur in primo aſſerto, ſit actus fidei divinę, ac theologicę, mihi ſanè inauditum eſt: Aliud enim eſt, quod talis ſit exiſtimativè, quia Ruſticus credens exiſtimat ſe credere fide divina, aliud quod re ipſa ſit fides divina, ac theologica ſimplicitur, & ſine addito diminuente loquendo: Primum quidem omnes dicunt: Sed ſecundum, primo, & vnicè in eo Authore legi, nec credam, niſi videro, Scotum vocaſſe ſimpliciter aſſenſum falſum, actum fidei divinę, & theologicę. Nam Scoti Text. quem adducit *ibidem num.* 17. ſolum ait: *Quod Deo immediatè revelanti poſſet quis credere credulitate acquiſita*, quod autem talis fides eſſet theologica, & divina, potiſsimè in falſo aſſenſu, non dicit. Cæterum, hoc prætermiſſo, quia ingenuè me fateor parum in Scoto, & Scotiſtis euolvendis verſatum, à quocumque talis doctrina aſſeratur.

34. Impugnatur primo ex Div. Bernardo *qui lib. de Præcepto, & Diſpenſ. cap.* 17. cum dixiſſet: *Sine malo quocumque non erit decepta ſimplicitas*, ſic ſibi immediatè objicit: *Cur inquis, nunquid non ex fide?* Reſpondet autem: *Prorſus fide, ſed falſa, vel potius non ex fide, quia fides falſa, fides non eſt*. Sanè, ſi fides falſa fides non eſt, iuxta Bernard. vel ſaltem fidei nomen non meretur: Ergò falſum eſt, quod inquit prædictus Author *num.* 10. nempè: *Actum, de quo controvertitur*, nempè, re ipſa falſum, *moveri à divina authoritate, appellandumque eſſe, actum fidei divinę, & theologicę*. Sanè, ſi hoc ita eſt: Ergò fides falſa, nedum meretur nomen fidei, ſed fidei divinę, & theologicę.

35. Secundo ex D. Thom. quia, *in præſent. art.* 3. ſic diſcurrit: Sub veritate prima, quę eſt ratio formalis fidei divinę, nihil falſum ſtare poteſt: Sed nihil poteſt ſtare ſub fide, niſi quatenus ſtare poteſt ſub eius ratione formali obiectiva: Ergò ſub fide divina falſum cadere non poteſt: Ergò repugnat, quod actus falſus ſit actus fidei verè divinę. Nec poteſt prædictus Author reſpondere, hoc tantum probare de fide divina infuſa, non verò de fide divina acquiſita. Nam ratio D. Thom. probat ex ratione formali obiectiva fidei: Sed iuxta præfatum Authorem, eandem rationem formalem obiectivam habet fides divina, ſivè ſit acquiſita, ſivè ſit infuſa: Ergò ratio D. Thom. probat de omni fide divina, quamvis acquiſita, ſi acquiſita ſit verè fides divina.

36. Dices forſan, D. Thom. authoritatem nihil probare contra Scotiſtas. Sed contra: Quia nunc non vtimur nuda authoritate, ſed ratione ipſius S. D. Quam ſic amplius vrgeo: Etenim, vt quis credat fide verè divina, debet credere immediatè Deo dicenti propter eius authoritatem, verè innixus, & motus ex eius teſtimonio: Sed implicat ita credere, & falli in aſſenſu, quo ita credit: Ergò implicat, quod aſſenſus falſus ſit verè fidei divinę. Minor probatur: Quia, ſi ita credens falleretur in aſſenſu, falleretur à Deo ipſo: Sed implicat aliquem falli à Deo; ſicut & Deum aliquem fallere: Ergò. Probo maiorem, primo à ſimili fidei humanę, nam ſiquis credens immediatè Petro, v. g. propter eius teſtimonium, verè motus ex eius authoritate, deciperetur, evidenter deciperetur ab ipſo Petro: Ergò ſimiliter in credente Deo immediatè propter eius authoritatem. Secundo, quia propterea dixit D. Cyprianus: *Domine, ſi error eſt quod credimus, à te decepti ſumus*; quia in eo, quod credimus, verè credimus propter ſolius Dei authoritatem: Ergò quia implicat ita credentem falli in aſſenſu, quin fallatur, & decipiatur ab ipſo Deo. Tertio, & à priori nam qui in ſuo aſſenſu verè ſe cómittit totaliter autho-

thoritati alterius, & vnicè illa nititur, præciſè aſſentitur, & iudicat conformiter ad teſtimonium, & dictum alterius, quia ſi in aliquo diſcordaret ab eius teſtimonio, iam in illo aliquo non inniteretur re ipſa illius teſtimonio, ſed aliquo alio motivo; implicat enim in terminis, quod aliquis diſcordet in iudicando à teſtimonio alterius verè innixus teſtimonio ipſius, in eo ipſo, in quo diſcordat: Sed qui præciſè iudicat conformiter ad teſtimonium alterius, ſi fallitur in aſſenſu, euidenter fallitur ex alterius teſtimonio: Ergò qui ſe totaliter committit in ſuo aſſenſu teſtimonio alterius, & vnicè illo nititur, ſi fallitur, fallitur ex teſtimonio alterius: Sed qui credit fide verè divina, opus eſt, quod credat, ſe committendo totaliter in ſuo aſſenſu authoritati divinę, & illa ſola innixus, nam, ſi in alio fundatur, aut innititur, non erit fides divina verè, & re ipſa, ſed purè apparenter: Ergò, qui credit fide verè divina, ſi fallitur, fallitur ex teſtimonio divino: Sed hoc formaliſsimè eſſet falli à Deo: Ergò.

37. Dices ex prædicto Authore, aſſenſum illum non niti vnicè revelatione divina, vt in re, & phyſicè exiſtente, nam ſic eam non videt, qui credit, ſed ſolum illa, vt prudenter exiſtimata, ſeù apprehenſa, vndè, ſi fallitur, non ſequitur, quod fallatur ex divina revelatione, ſed ex propria exiſtimatione. Sed contra primo: Quia, dum inquis, niti aſſenſum *revelatione vt exiſtimata*, vel intelligis, *vt exiſtimata vera exiſtimatione*, vel etiam, *vt exiſtimata falſa exiſtimatione*: Si primum, implicat, quod aſſenſus fidei ſic innixus euadat falſus, niſi ex falſitate divini teſtimonij, quia ibi non intercedit falſa exiſtimatio, ex qua falli poſsit. Si ſecundum: Ergò fides illa non eſt verè Divina, nec verè nititur authoritate divina, quia authoritas divina falſo exiſtimata, non eſt verè authoritas divina.

38. Contra ſecundo: Quia, vel reduplicas exiſtimationem propriam, vt puram conditionem, ita vt credens, illa non innitatur, nec ex illa vllo modo moveatur, ſed purè, & vnicè nitatur authoritate divina: Vel ita, vt etiam moveatur, & nitatur exiſtimatione propria. Si hoc ſecundum: Sanè illa fides non eſt re ipſa divina, ſed humana; quia nititur exiſtimatione humana. Nec iuvat, quod etiam nitatur authoritate divina. Quia denominatio aſſenſus, ſicut, & concluſio, ſequitur debiliorem partem. Vel etiam, quia non nititur auhoritate divina, niſi, vt ſubeſt exiſtimationi humanę, quo pacto non eſt authoritas divina vt divina, ſed vt humana. Si primum, reddit argumentum factum, quia credens totaliter in ſuo aſſenſu ſe committit authoritati divinę, illaque ſola nititur: Ergò ſi fallitur, fallitur ab authoritate divina.

39. Confirmatur: Quia, ſi quis credens fide infuſa propter authoritatem divinam, falleretur, abs dubio falleretur ab authoritate divina, nam ſaltem de hac tenet celebre dictum Cypriani: *Si error eſt, quod credimus, à te decepti ſumus*. Sed iuxta præfatum Authorem, eodem modo ex parte obiecti movetur fides divina acquiſita ab authoritate divina, ac fides infuſa: Ergò pariter verum erit, quod ſi credens fide divina acquiſita fallitur in ſuo aſſenſu, fallitur ab authoritate divina. Minor patet: Nam iuxta ipſum, *quatenus eſt ex parte motionis intentionalis, eodem pacto creditur propter authoritatem divinam, dum quis credit propter revelationem falſo exiſtimatam, ac propter revelationem veram, cum eadem prorſus detur motio intentionalis divinę authoritatis*: Sed dum credit propter revelationem veram, credit fide infuſa, vt ipſe etiam ibi fatetur: Ergò iuxta ipſum eodem modo movetur ex parte obiecti ab authoritate divina fides divina acquiſita, ac fides infuſa.

40. Deindè hoc ipſum eſt, quod magis diſplicet in præfato Anthore: Nam dum quis credit fide acquiſita propter revelationem falſam, motio intentionalis non eſt ſupernaturalis, ſed purè naturalis, quia repugnat motio ſupernaturalis ad falſum: Ergò, ſi eadem prorſus eſt motio, quando credit fide infuſa propter revelationem veram, erit motio intentionalis purè naturalis: Ergò ad credendum fide infuſa ſufficiet motio intentionalis purè naturalis: Hoc autem, quam abſurdum ſit, infrà patebit, probando contra Pelagium non ſufficere motionem purè naturalem.

41. Deindè, ſi eadem omnino eſt motio intentionalis authoritatis divinę reſpectu vtriuſque fidei: Ergò ex parte motionis obiectivę, ęquè fallibilis erit fides infuſa, ac fides acquiſita. Inquit *num.* 16. quod, *loquendo de certitudine obiectiva, fides infuſa non excedit acquiſitam in hac certitudine*. Rectè: Ergò etiam fides infuſa falli poteſt: Ergò in conſequenter omnino tenet in ſecundo aſſerto, quod *aſſenſus falſus non poteſt eſſe actus fidei infuſæ*. Inquit *num.* 18. quod, ſi ſermo ſit de certitudine formali conſiſtente in connexione intrinſeca actus cum obiecto, actus fidei infuſę excedit in hac certitudine quemcumque actum fidei acquiſitę, & conſequenter hoc pacto eſt metaphyſicè infallibilis.

42. Sed contra eſt: Quia, ſi fides infuſa nititur eadem omnino ratione formali obiectiva, & eodem modo propoſita, ac fides acquiſita, implicat, quod ſit metaphyſicè infallibilis: Ergò, & quod excedat illam in certitudine formali. Probo antecedens: Quia eodem modo

do poterit fides infuſa attingere falſum in re, ac fides acquiſita: Sed ſi attingat falſum in re, iam erit fallibilis, ſicut acquiſita: Ergò implicat, quod ſit metaphyſicè infallibilis. Probo maiorem: Quia fides infuſa poteſt attingere quidquid continetur ſub eius ratione formali obiectiva: Sed, ſi eius ratio formalis obiectiva eſt eadem, ac fidei acquiſitę, & eodem modo propoſita, ſub illa continetur falſum in re, quia ſub ratione formali obiectiva fidei acquiſitę, eo modo, quo proponitur, cadit falſum in re: Ergò eodem modo poterit attingere fides infuſa falſum in re, ac acquiſita. Probo maiorem: Quia omnis habitus poteſt attingere quidquid continetur ſub eius ratione formali obiectiva, ob hoc enim vocatur ratio formalis obiectiva, quia continet ſub ſe, quidquid poteſt attingi ab habitu: Sed fides infuſa eſt habitus: Ergò poteſt attingere quidquid continetur ſub eius ratione formali obiectiva.

43. Confirmatur primo: Quia ratio D.Thom. cur fides non poteſt attingere falſum in re, eſt quia ſub ratione formali obiectiva fidei non poteſt cadere falſum in re, nempè ſub prima veritate: Sed ſi ratio formalis obiectiva fidei infuſę eſt eadem omnino, ac acquiſitę, ſub illa cadit falſum in re: Ergò poterit fides infuſa falſum in re attingere. Confirmatur ſecundo: Quia ex duobus myſterijs propoſitis, vt poſsit fides infuſa attingere vnum, & non aliud, debet aſsignari aliqua ratio obiectiva ex parte vnius, quę non militet in alio: Ergò, ſi eadem omnino ratio obiectiva militat in vtroque, implicat, quod poſsit attingere vnum, nempè verum, & non aliud, nempè falſum. Probo antecens: Quia ſi eadem ratio obiectiva militat in vtroque: Ergò, vel vtrumque, vel neutrum attingere poteſt. Vrgetur: Quia neceſſario debet dari aliqua diſparitas ex parte myſteriorum, vt poſsit attingere vnum, & non aliud, nam habitus ex parte ſua idem omnino eſt: Sed ea diſparitas ex parte myſteriorum neceſſario eſt ratio aliqua obiectiva, quę militet in vno myſterio, vt poſsit attingi, & non in alio: Ergò debet dari diverſa ratio obiectiva ex parte vnius, ac ex parte alterius, &c., ſi hæc non datur, poterit fides infuſa attingere vtrumque.

44. Confirmatur tertio: Si vtriuſque myſterij revelatio eſſet vera in re, vtrumque poſſet credere fides infuſa: Ergò, ſi credit illud, quod eſt verè revelatum, & non poteſt credere illud, quod tantum in exiſtimatione eſt revelatum, ideò primum credit, quia eſt verè in re revelatum, & ideò ſecundum non poteſt credere, quia non eſt verè in re revelatum: Ergò ratio formalis obiectiva fidei infuſę, vt poſsit attingere myſterium quodlibet ſibi propoſitum eſt revelatio vera in re, & non vt purè exiſtimata. Explicatur, eodem tenore arguendi, quo Sendin vtitur *ſuprà num.* 30. Nam ea eſt ratio formalis obiectiva fidei infuſę, quam ſolam poteſt reddere interrogatus, cur credit myſterium fide infuſa potius, quam acquiſita, vel cur credit vnum myſterium fide infuſa, & non aliud: Sed ſic interrogatus, reſpondere nequit per revelationem vt exiſtimatam, quia hæc, iuxta Sendin, communis eſt fidei acquiſitę, & infuſę, & etiam, quia myſterium falſum eſt etiam revelatum revelatione exiſtimata, quin illud poſsit credere fide infuſa: Ergò ſolum poteſt reſpondere: Quia vnum eſt verè revelatum in re, aliud verò purè exiſtimativè: Ergò ratio formalis obiectiva fidei infuſę eſt *revelatum verè in re*, & non purè in exiſtimatione prudenti.

45. Maneat ergò pro comperto, & pro certiſsimo, quod, ſi fides infuſa nequit attingere falſum in re, quod poteſt attingere acquiſita, neceſſario eſt aſsignanda fidei infuſę diverſa ratio formalis obiectiva ab ea, quę correſpondet fidei acquiſitę: Quę diverſitas alia eſſe nequit, niſi quia ratio formalis obiectiva infuſę ſit *revelatum verè in re*, acquiſitę verò, *revelatum exiſtimativè*, quę eſt ipſiſsima Thomiſtarum ſententia. Si verò eadem omnino aſsignetur vtrique ratio formalis obiectiva, vel evertenda eſt tota Philoſophia, & Metaphyſica, vel ęqualiter diſcurrendum eſt de vtraque, quod ſcilicèt, vel vtra, vel neutra poſsit attingere falſum in re. Ex quo.

46. Impugnatur etiam illa diſtinctio de certitudine formali, & obiectiva, vt cuius inquiunt Scotiſtę, quod fides infuſa eſt metaphyſicè infallibilis, & certa formaliter, ſeu ex parte actus, fallibilis tamen obiectivè, ſicut acquiſita, quia ex parte obiecti formalis non differunt. Primo ex dictis. Secundo: Quia, vel fides infuſa, & acquiſita ſunt eiuſdem ſpeciei athomę, vel diverſę: Si eiuſdem, implicat, quod vna ſit infallibilis formaliter ex parte actus, & non alia, quia differentia penès eſſe fallibilem, vel infallibilem intrinſecè, & formaliter ex parte actus, ſpecifica eſt, cum ſit differentia in perfectione eſſentiali, quę repugnat in actibus eiuſdem athomę ſpeciei. Si ſunt diverſę ſpeciei: Sanè omnis diverſitas ſpecifica deſumitur ab obiecto formali ſpecificativo: Ergò implicat, quod ex parte obiecti formalis non differant.

47. Tertio: Quia habitus per ſuum actum, quantum eſt ex ſua tendentia activa, eſſentialiter commenſuratur cum ratione formali obiectiva, ita vt tendentia activa habitus, nec ma-

gis, nec minus ſe extendere poſsit, quam ratio formalis obiectiva ipſius: Non magis, quia exire nequit extra ſuam ſphæram obiectivam: Nec minus, quia alias non poſſet tendere ad totam ſphæram obiectivã, quod implicat in terminis, quia iam ſphæra obiectiva habitus non eſſet illa, quia non eſſet tanta, ſed minor: Ergò, ſi ratio formalis obiectiva, vel, quod idem eſt, ſphæra obiectiva fidei infuſę ſe extendit ad falſum in re, etiam vis activa habitus ad illud ſe poterit per ſuos actus extendere, & conſequenter, adhùc activè, ſeù ex parte actus, fallibilis erit: Vel ſi activè, & ex parte actus ad falſum in re tendere nequit: Ergò nec ſphæra, aut ratio formalis obiectiva ad falſum in re poterit ſe extendere, & conſequenter erit etiam infallibilis obiectivè: Implicat ergò fidem eſſe obiectivè fallibilem, & infallibilem activè, ſeù formaliter ex parte actus.

48. Reſtat ſolvere Argumentum. P. Sendìn pro fide divina, licèt falſa, quod ſuprà poſſuit à *num.* 29. Diſtinguo igitur antecedens: Ille aſſenſus nititur motivo fidei divinę, ſi nititur motivo fidei infuſę, concedo: Si non nititur motivo fidei infuſę, nego antecedens. Mirum enìm eſt, quod velit probare illum aſſenſum eſſe fidei divinę ex motivo ipſius, & rurſus aſſerat eſſe idem motivum fidei acquiſitę, ac infuſę, & alias nolit, quod ſit actus fidei infuſę. Etenim ſi eſt actus fidei divinę, quia nititur motivo fidei divinę, cur non erit infuſę, quia nititur motivo fidei infuſę? Ad probationes, & confirmationes pariter reſponderi debet, nempè, quod authoritas divina, vt prudenter exiſtimata, erit motivum fidei divinę, ſi eſt motivum fidei infuſę, ſecus autem, ſi non. An autem aſſenſus illius Ruſtici erga myſterium verum habeat idem motivum, ac erga myſterium falſum, eſt tota difficultas præſentis quæſtionis. Cui infrà ſatisfaciendum reſtat. Et ſi ſit idem motivum, pariter probat, vel vtrumque credere fide infuſa, vel vtrumque acquiſita.

49. Subiungit autem: Quod ſub experientia cadit nos credere propter authoritatem divinam, nã, ſi nobis interrogetur: Cur credimus? Recurrimus ad authoritatem divinam, proindèque per experientiam cognoſcimus, ex quo motivo credamus: Et tamen ſub experientia non cadit nos credere fide infuſa: Ergò ſtat credere propter authoritatem divinam, & non credere fide infuſa: Sed credere propter authoritatem divinam eſt fides divina: Ergò ſtat fides divina, quę non ſit infuſa. Sed rogo: Vndè infert, quod credere propter authoritatem divinam eſt fides divina? Sanè non aliundè, quam quia authoritas divina eſt motivum proprium fidei divinę: Sed idem eſt motivum proprium, & ſpecificum fidei infuſę, iuxta ipſum: Ergò pariter credere propter authoritatem divinam eſt credere fide infuſa: Ergò ſi credere propter authoritatem divinam cadit ſub experientia, etiam ſub experientia debet cadere credere fide infuſa, nam ex experientia motivi probat experientiam fidei habentis tale motivum. Deindè, diſtinguo maiorem: Sub experientia cadit nos credere propter authoritatem divinam veram in re, nego maiorem: Propter authoritatem divinam veram, vel exiſtimatam, concedo maiorem, & minorem, & diſtinguo conſequens eodem modo. Similiterque minorem ſubſumptam; quia, ſi, interrogati, recurrimus ad authoritatem divinam, vt ad motivum, non cadit ſub experientia an illa authoritas nos moveat vt vera in re, an ſolum vt exiſtimata, an purè, & vnicè moveamur ex divina authoritate vt eſt in ſe, an non ita purè, quod non moveamur etiam ex noſtra propria exiſtimatione, hæreticus; enim exiſtimat ſe moveri purè propter authoritatem divinam, & tamen fallitur, quia re ipſa primario movetur, & formalius ex propria exiſtimatione, vt infrà dicemus: Et nos ipſi ſæpè exiſtimamus diligere proximum purè propter Deum, & in hoc fallimur, quia forſan movemur ex amore proprij intereſſe, vel convenientię. Non ergò per experientiam cognoſci poteſt, præſertim in virtutibus theologicis, ex quo motivo verè, & vnicè movemur; ſed ad ſummum ex quo motivo exiſtimato movemur; quod non ſufficit, vt per experientiam conſtet nos credere fide verè divina.

50. Sed rogabis, qualis ſit re ipſa fides, quę nititur authoritate divina vt purè exiſtimata; nam, ſi re ipſa non eſt divina: Ergò re ipſa erit humana: Hoc autem ita non eſt, quia non nititur authoritate humana, ſed divina. Dico. quod quando propria exiſtimatio nititur authoritate humana, fides illa eſt re ipſa humana quia, licèt moveatur ab authoritate divina, movetur ab illa, vt regulata, & ſubordinata authoritati humanę. Si verò propria exiſtimatio movetur ex diſcurſu humano, aſſenſus præſtitus revelationi ſic exiſtimatę, potius eſt opinio, quam fides, quia nititur authoritate divina vt opinatæ ſivè vt regulata ex motivo opinionis propriæ. Nec obeſt, quod etiam ibi moveat authoritas divina, quia quando aſſenſus nititur duplici motivo, ſequitur debilius, ſicut concluſio ſequitur debiliorem partem: Vndè ſicut concluſio deducta ex vna præmiſſa evidenti, & alia probabili non eſt evidens, ſed opinativa, ita aſſenſus motus ex divina authoritate ex ſe i

ſi

fallibili, & authoritate humana, vel opinione, non eſt fidei divinę, ſed fidei humanę, vel opinionis. Et quidem talis aſſenſus, quamvis nitatur authoritate infallibili, non eſt infallibilis, ſed fallibilis, vt fatetur prædictus Author, quia, nimirum, nititur illa, vt fallibiliter exiſtimata: Ergò quamvis nitatur authoritate divina, non eſt fides divina, ſed humana, quia nititur illa vt humano modo exiſtimata.

THOMISTARVM ALIQVORVM doctrina, adhùc non ſatisfacit, & Ripalda, ſuccumbit.

51. CONSTAT igitur ex dictis, quod vt Ruſticus ille, de quo procedit præcipuum argumentum poſsit credere fide divina, & infuſa vnum myſterium, quod ſibi proponitur, & non aliud, quod ſimiliter ſibi proponitur, neceſſario aſsignanda eſt aliqua ratio obiectiva ex parte vnius myſterij, quę non militet in alio. Difficultas igitur reſtat in ea aſsignanda.

52. Mag. Ferrer. *in præſenti, diſputat.* 5. quem ſequuntur PP. Salm. *diſput.* 2. *dub.* 4. & alij Thomiſtę, vnicè aſsignant pro tali ratione obiectiva, quod revelatio vnius myſterij eſt vera in re, & alterius eſt falſa in re, & cum arguitur, quod eodem modo proponitur vnum myſterium, ac alterum: Negant, quia vnum proponitur per doctrinam veram in re, & aliud per doctrinam falſam in re: Item, quia vnum proponitur à Miniſtro, vt verè in re Miniſtro Ecleſię, aliud ab eodem, non vt re ipſa Miniſtro, ſed Seudo-Miniſtro, & Seudo-Propheta, quia in propoſitione myſterij re ipſa non revelati, non eſt re ipſa Miniſter Eccleſię, ſed re ipſa Seudo-Miniſter: Vndè ſolum apparenter, & exiſtimativè proponuntur eodem modo, & ideò ſolum apparenter, & exiſtimativè, ſequitur eadem fides: Re ipſa tamen eſt diverſiſsima propoſitio vnius, ac alterius, & diverſiſsimè ratio obiectiva, & ideò ſequitur fides re ipſa diverſiſsima pro vno myſterio, ac pro alio.

53. Verumtamen, quamvis hæc vera ſint, difficultatem tamen non evacuant. Quia diverſitas iſta aſsignata, ſolum eſt diverſitas phyſica, non verò diverſitas obiectiva, & intentionalis: Sed vt habitus fidei infuſę poſsit credere vnum myſterium, & non aliud, non ſufficit diverſitas purè phyſica, ſed requiritur diverſitas obiectiva, & intentionalis, ſiquidem ſemel quod proponatur vtrumque myſterium ſub eadem formaliſsima ratione obiectiva, implicat, quod poſsit habitus attingere vnum, & non aliud, vt oſtenſum manet: Ergò. Probatur maior: Quia diverſitas omnino incognita in obiecto, eſt diverſitas purè phyſica, & non obiectiva, quia non obijcitur intellectui: Sed diverſitas illa deſumpta ex veritate in re, eſt omnino incognita Ruſtico, quia Ruſticus minimè cognoſcit, immò nec ſuſpicatur Parrochum proponere revelationem falſam in re, ac proindè, nec eſſe Seudo-Miniſtrum, aut Seudo-Prophetam re ipſa: Ergò illa diverſitas deſumpta ex veritate, pro vt in re, eſt purè phyſica, & non obiectiva. Explicatur: Id quod in obiecto latet cognoſcentem nequit eſſe ratio formalis obiectiva cognoſcendi, vel non cognoſcendi, ſed purè de materiali ſe habet: Sed diverſitas prædicta, penes veritatem, vel falſitatem in re, omnino latet Ruſticum credentem: Ergò nequit reſpectu ipſius eſſe ratio formalis obiectiva credendi vnum myſterium fide infuſa, & non aliud. Explicatur ſecundo: Quia Ruſticus ille non videt, revelationem, & propoſitionem Miniſtri, pro vt re ipſa ſe habet in re, nec ſic obijcitur intellectui eius, alias enim detegeret falſitatem vnius, & veritatem alterius: Sed ratio, quę non obijcitur intellectui eius, non eſt ratio formalis movendi, ſed de materiali ſe habet in obiecto: Ergò veritas, vel falſitas revelationis, pro vt in re non eſt ratio formalis obiectiva fidei, ſed de materiali ſe habet ad movendam fidem. Et hoc idem probant motiva P. Sendin *ſuprà num.* 30.

54. Dices forſan, opus non eſſe: Quod veritas, vel falſitas, prout in re, obijciatur, aut cognoſcatur à credente, ſed ſatis eſſe, quod videatur à Deo, quia cum Deus ſit Author, & moto ſpecialis fidei infuſę, & non poſsit movere ſpecialiter ad aſſenſum revelationis in re falſę, ſeù falſo propoſitę, ſequitur quod, eo ipſo, quod Deus videat talem veritatem in re vnius revelationis, & falſitatem in re alterius poſsit movere fidē infuſam ad aſſenſum vnius, & non poſsit ad aſſenſum alterius. Hac enim ratione nos ipſi vtebamur *Tractat. de Conſcient. quæſt.* 5. *num.* 150.

55. Sed contra: Quia licèt hæc ratio pro tunc ſufficiens fuerit à nobis iudicata, & re ipſa ſufficiat ad probandum fidem divinam non poſſe elicere aſſenſum falſum, tamen eſt ſolum ſufficiens ex parte Dei moventis, & reſpectu ipſius eſt ratio, & diſparitas obiectiva, quia eius intellectui obijcitur veritas in re vnius revelationis, & falſitas in re alterius; verumtamen præter hanc rationem, & diſparitatem obiectivam ex parte Dei moventis fidem, requiritur etiam, quod ipſa fides habeat etiam rationem formalem obiectivam diſparem obiectivè, vt poſsit credere vnum myſterium, & non

aliud, tum ex dictis, tum etiam, quia ſi Deus non haberet rationem obiectivam, hoc eſt, ſuo intellectui obiectam, diſparem reſpectu vnius revelationis, ac reſpectu alterius, vel ęquè poſſet, vel ęquè non poſſet ex parte ſua movere ad aſſenſum vtriuſque: Ergò pariter, ſi ipſa fides infuſa non habet rationem obiectivam, hoc eſt, ſibi obiectam, diſparem pro vno myſterio, ac pro alio, vel ęquè poterit credere vtrumque, vel neutrum.

56. Confirmatur: Nam iuxta Thomiſtas fides divina, non ſolum eſt extrinſecè determinata ad verum in re, & impotens ad falſum in re, ex determinatione Dei moventis ad verum in re, & impotentia ipſius ad falſum in re, ſed etiam intrinſecè, & ex ſua intrinſeca perfectione, & habitudine ad obiectum, eſt eſſentialiter determinata ad verum in re, & impotens aſſentiri falſo in re: Ergò non ſolum debet correſpondere Deo moventi ratio obiectiva, cur non poſsit movere ad falſum in re, ſed etiam debet dari, & correſpondere ipſi habitui fidei divinę ratio obiectiva, cur non poſsit aſſentiri falſo in re. Nam ſanè, ſi tota repugnantia ſtaret ex parte Dei moventis, fides ſolum extrinſecè eſſet infallibilis, non autem intrinſecè, quod eſt contra omnes Thomiſtas.

57. Propterea Ripalda *de ente supernaturali, diſput.* 59. & neſcio an cum ipſo alij, non invenientes rationem obiectivam diſparem in caſu Ruſtici, & in alijs, qui non repugnant; præſenti difficultate preſſi, dixerunt fidem divinam, ſeù infuſam poſſe, licèt præternaturaliter, & contra propriam exigentiam, elicere aſſenſum falſum; ſatiſque eſſe ad fidei perfectionem, quod connaturaliter non poſsit talem aſſenſum elicere. Hoc impugnant aliqui, quia non ſolum ſequitur quod miraculosè, & de potentia abſoluta poſsit fides divina elicere aſſenſum falſum, ſed etiam, quod naturaliter, & de lege ordinaria. Sed ſanè in hoc Ripaldam non attingunt, nam ſenſus illius non eſt, quod fides divina ſolum miraculosè, & de potentia abſoluta poſsit elicere aſſenſum falſum, ſed quod ſolum poſsit per accidens, & contra ſuam connaturalem exigentiam in aliquo caſu raro, ſed abſque miraculo ad hoc requiſito; admodum, quo de virtutibus moralibus acquiſitis, & de prudentia, diximus *Tractat. de Conſcientia, quæſt.* 5. *à num.* 140. poſſe per accidens attingere falſum practicum in re, licèt per ſe ſint determinatè ad verum practicum, & bonum in re. Sed ſanè, licèt hoc dicat Ripalda, eſt ſuccumbere difficultati, & tandem concedere fidem eſſe fallibilem per accidens in aliquibus caſibus. Quod quam falſum ſit infrà oſtendemus. Igitur.

VERA SOLUTIO ARGUMENTI principalis.

58. PRÒ vera ſolutione principalis difficultatis, noto primo ex infrà dicendis, propoſitionem revelationis, & articulorum fidei, exactam à fide divina, præſertim vt Catholica, debere quidem fieri ſenſibiliter, & quaſi viſibiliter per Eccleſiam, & eius Miniſtros, & ſimul ſpiritualiter virtute, & authoritate Dei occultè moventis, & dantis propoſitioni ſenſibili vim occultam, & ſupernaturalem movendi intellectum ad fidem divinam, iuxta illud Venerab. Bedę: *Niſi ſpiritus cordi adſit audientis, otioſus eſt ſermo docentis*: Quod ſatis efficaciter probatur ex teſtimonijs adductis à Lugo *ſuprà quæſt.* 1. *à nu.* 13. Ex quo noto ſecundo: Quod propoſitio purè externa, & ſenſibilis, niſi iuvetur virtute divina, purè movet per modum authoritatis humanę, non autem per modum authoritatis divinę re ipſa, & in exercitio, quia licèt proponatur authoritas divina ſignatè, proponitur per traditionem purè humanam, & naturalem, abſque vi divina, & ſupernaturali movendi. Noto tertio: Quod, ſi Deus promiſsit Miniſtris Eccleſię concurrere cum ipſis, & cum eorum doctrinis virtute ſua divina, & ſpeciali ad movenda corda audientium, vt credant, non id promiſsit Miniſtris falſis, ſeù falſo proponentibus vt revelata à Deo, quę ab ipſo non revelantur, imò de his quæritur per Prophetam Ezechielem *cap.* 13. dicens: *Væ Prophetis inſipientibus, qui ſecuntur ſpiritum ſuum: dicentes: Ait Dominus; cum Dominus non miſſerit eos, & perſeveraverunt confimare ſermonem: & dicitis: Ait Dominus; cum ego non ſim loqutus.* Solum ergò Deus promiſsit concurrere ſua divina virtute ad movenda corda audientium, cum Miniſtris verè proponentibus nomine Eccleſię articulos verè revelatos, & veram revelationem Eccleſię à Deo factam, & cum his ſolis ſpecialiter concurrit.

59. Ex quo noto tertio: Quod quando Miniſter Eccleſię proponit ſenſibiliter catechizatis plura myſteria, vel plures articulos fidei nomine Eccleſię, poteſt Deus dupliciter interius concurrere cum illa propoſitione, nempè, vel movendo ſupernaturaliter, motione obiectiva, & intentionali (de qua nunc tantum loquor, non de motione phyſica, & ſubiectiva) mentem audientis ad quodlibet ex myſterijs propoſitis in ſingulari credendum abſolutè, vel tantum vniverſaliter ad hoc, vt credat in vniverſali omnia myſteria, quę Deus per Eccleſiam ſibi proponit credenda, & conſequenter ad quodlibet in particulari, ſub tacita conditione,

quod

quod ſibi per Eccleſiam Catholicam proponatur, ſicut à Miniſtro eius. Et quidem hæc motio vniuerſalis ad credendum vniuerſaliter omnia,quę tenet Sanct. Mater Eccleſia, regulariter eſt prior motione particulari ad credēdum in ſingulari abſolutè hoc, aut illud myſterium. Ne tamen ęquivoceris, adverto, me nō appellare motionem illam vniverſalem, quaſi ſit à Deo per modum Authoris naturalis, & vniverſalis concurrente cum omnibus cauſis ſecundis,quia potius cenſeo,& in hoc ipſo fundatur hæc ipſa doctrina, quod ad quemlibet actum fidei divinę,ſivè vniverſalem, ſivè ſingularem, requiritur motio obiectiva ſupernaturalis, & ſpecialis à Deo, vt Authore ſpeciali, & ſupernaturali proveniente; hanc tamen motionem ſpecialem, & ſupernaturalem diſtinguo in obiectivè vniverſalem, & ad credenda vniverſaliter omnia, quę tenet Sanct. Mat. Eccleſia; & in obiectivè ſpecialem, aut ſingularem,ad credendum abſolutè hoc, vel illud myſterium in ſingulari.

60. Noto quarto,quod quando authoritas divina; & Eccleſię movet abſque motione divina interiùs movente, ſolum propter ſenſibilem,& externam propoſitionem Miniſtri,tunc ſolum movet vt exiſtimata modo humano ex ſola authoritate humana proponentis. Quando verò movet etiam in vi internę illuſtrationis, & motionis divinę,tunc eſſentialiter movet vt vera in re, quia illa interior motio, & illuſtratio, vtpotè ſupernaturalis, & à Deo ſpecialiter proveniens, eſſentialiter concordat veritati in re.

61. His ergò prænotatis,facilis iam conſtat ſolutio ad principale argumentum, & ad plura, alijs valdè difficilia. Vndè admiſſo caſu,nempè, quodRuſtico proponatur eodem modo,& cum omnimoda ſimilitudine, quoad propoſitionem ſenſibilem,& externam ſui Parrochi,myſterium verum, ac falſum, nempè Spiritus Sancti Incarnatio, dico, quod tunc teneretur credere, & poſſet illam credere ſub tacita cōditione,ſi illam tenet Sanct.Mat. Eccleſia,& hoc fide divina, & ſupernaturali, & ratio eſt, quia ad ita credendum,nō deficeret motio ſupernaturalis obiectiva vniverſalis; nempè ad credenda omnia, quę tenet Sanct.Mat. Eccleſiā. Non tamen credere poſſet, nec teneretur ad credendum omnino abſolutè, & ſine tacita conditione, illud myſterium fide ſupernaturali: Et ratio eſt,primo,quia fides ſupernaturalis non nititur omnino abſolutè propoſitione externa, & ſenſibili cuiuslibet Miniſtri fallibilis, ſed ſolum conditionatè, ſub tacita conditione, quod proponat conformiter ad Eccleſiam; abſolutè autem ſolum nititur authoritate Eccleſię Catholicę proponentis, quia ſola illa habet infallibilem aſsiſtentiam Spiritus Sancti in proponendo: Cum ergò Ruſtico non conſtaret tunc de propoſitione vniverſalis Eccleſię,niſi tantum per propoſitionem Parrochi, cui ſolum conditionatè nititur fides divina, ſolum teneretur,& poſſet credere, ſub tacita conditione. *Si ita tenet Sanct. Mat. Eccleſia*, illud myſterium.

62. Secundo: Quia fides divina non aliter credere valet, niſi conformiter ad motionem obiectivam internam ſupernaturalem: Cum autem tunc ſolum adeſſe poſſet motio interna ad credenda vniverſaliter omnia, quę tenet Sanct.Mater Eccleſia, & conſequenter illud etiam myſterium propoſitum à Parrocho ſub tacita conditione, ſi ita tenet Sanct.Mat. Eccleſia, indè eſt, quod ita poſſet,& teneretur credere fide divina. Cæterum ad credendum illud myſterium abſolutè, deficeret motio obiectiva ſuperna, quia ad falſum non poteſt Deus movere obiectivè motione ſupernaturali: Vndè nec poſſet, nec teneretur ita credere illud myſterium. Ex minimè ſequitur fidem divinam poſſe moveri à revelatione, vt purè exiſtimata, tum quia ſi movetur obiectivè ex revelatione propoſita à Parrocho; movetur ab illa ſub conditione tacita, quod ita teneat Sanct.Mat.Eccleſiā, ſub qua conditione verà eſſet in re, & non purè exiſtimata. Tum, quia non movet media exiſtimatione humana, ſed media motione divina vniverſaliter movente ad credenda omnia, quę tenet Sanct. Mat. Eccleſia, quę motio non deſcendit ex revelatione vt exiſtimata; ſed ex illa vt vera in re.

63. Sed vt hæc doctrina amplius pateat, replicabis primo: Ergò iam revelatio purè exiſtimata, & in re falſa, movere poteſt fidem divinam ſaltem ad fidem tacitè conditionatā. Nego conſequentiam, quia ad fidem illam non movet revelatio illa ſingularis falſa, ſed revelatio in genere verè in re facta Eccleſię; movet enim; quatenus eſt obiectum illius actus vniverſalis: *Credo quidquid tenet Sanct. Mat. Eccleſia, vt divinitus revelatum*, ex hoc enim conſequenter credit hoc, & illud, ſi illud ita tenet Sanct. Mat.Eccleſia: Obiectum autem illius actus vniverſalis non eſt revelatio purè exiſtimata, ſed revelatio vera in re, quia quidquid tenet Sanct. Mat.Eccleſia, non purè exiſtimativè,ſed verè in re eſt revelatum; licèt non ſit revelatio in re ſingulariter propoſita, ſed vniverſaliter, & in genere accepta, quo pacto etiam vt vera in re movere poteſt ad credendam revelationem purè exiſtimatam, ſub conditione, quod ita teneat Sanct.Mat. Eccleſia, ſub qua eſſet vera in re,& non falſo exiſtimata.

64. Replicabis ſecundo: Si Parrochus pro-

proponat myſterium verum, verè revelatum, tenetur Ruſticus credere illud abſolutè fide divina, & non purè conditionatè: Sed eandem obligationem habet reſpectu myſterij falſi in re, quia eodem modo proponitur; Ergò etiam tenetur illud credere abſolutè fide divina. Minor vrgeri poteſt ſicut ſuprà contra Ferreras, *num.* 26. & 27. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: Si motio obiectiva interna ſit ſpecialis reſpectu myſterij veri, præ falſo, concedo maiorem: Si ſit purè vniverſalis ad credenda omnia quę tenet S. M. Eccleſ. vel nego, vel ſubdiſtinguo: Tenetur credere illud abſolutè in vniverſali, concedo: Abſolutè in ſingulari, ſubdiſtinguo: Abſolutè ex parte rei creditę, aut ex fide humana, tranſeat; abſolutè ex modo intrinſeco credendi, ſeù ex tendentia intrinſeca fidei divinę, nego maiorem, & diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam, de credere abſoluto ex intrinſeca tendentia.

65. Itaque, ſuppoſita ęquali propoſitione Parrochi reſpectu vtriuſque myſterij, poteſt Deus, vel ſolum movere ęqualiter, & vniverſaliter ad omnia myſteria, quę tenet S. M. Eccleſ. vel etiam ſpecialiter, & in ſingulari ad illud myſterium verum per interiorem inſtinctum diſcernentem inter illa duo myſteria: Si igitur hoc ſecundo modo moveat Deus ad myſterium verum, tunc ex propoſitione Parrochi cõiuncta cum hoc interiori inſtinctu, conſurgit obligatio ſupernaturalis abſoluta credendi illud myſterium in ſingulari abſolutè fide ſupernaturali. Si verò ſolum primo modo moveat Deus motione vniverſali, tunc non poteſt reſultare obligatio ſupernaturalis ſpecialis credendi abſolutè illud myſterium in ſingulari, ſed ſolum ad credendum illud abſolutè in vniverſali, credendo omnia, quę tenet S. M. Eccleſ. & ſub tacita conditione in ſingulari, ſi nimirum propoſitio Parrochi concordet propoſitioni Eccleſię. Et huius ratio eſt, quia Ruſticus ille plenè adimpleret præceptum fidei, & eius obligationi ſatisfaceret, ſi, audito Parrocho, diceret: *Credo firmiter quidquid tenet S. M. Eccleſ. & conſequenter hoc myſterium, quod à te eius authoritate mihi proponitur, ex ſuppoſitione, vel ſub cõditione, quod ita ſit propoſitũ ab ea: Non poſſum abſolutè tamen, & independenter ab hac ſuppoſitione fide divina credere; nam, quamvis credam, te nihil dicturum contra ſenſum Eccleſię, id tamen non credo tanta firmitate, quanta exigitur ad abſolutum aſſenſum fidei divinę: Nec enim ego in credendo fide divina abſolutè nitor tua authoritate, ſed ſolum authoritate Sanct. Mat. Eccleſię, tua autem ſub conditione, quod ab illius propoſitione non diſcordet.* Sanè Ruſticus ita credens, ad amplius minimè obligaretur, ſed plenè ſatisfeciſſet præcepto, & obligationi fidei; abſque omni periculo credendi fide divina revelationi exiſtimatę pro vera, nam quamvis Parrochus falleret in propoſitione myſterij, ſicut falleret in propoſitione alterius, Ruſticus in illo modo credendi fide divina non falleretur.

66. Sed dices: Ergò eodem omnino modo crederet Ruſticus vtrumque myſterium, & eandem obligationem ſupernaturalem credendi haberet reſpectu vtriuſque: Ergò ad neutrum credendum obligaretur ex conſcientia erronea, ſed ad vtrumque ex conſcientia recta: Sed hoc videtur contra pleroſque Theologos: Ergò. Reſpondeo, diſtinctione iam data: Eodem modo crederet, quantum, ad tendentiam intrinſecam aſſenſus, & eandem obligationem haberet reſpectu vtriuſque, concedo: Ex parte rei creditę, materialiter, & phyſicè ſumptę, nego maiorem: Quia, vt ſuprà probabam contra Ferreras. *num.* 27. ſtante eodem omnino motivo, & ratione formali obiectiva ad iudicandum ſe obligatum, nequit conſurgere diverſa obligatio formalis, nec diverſum iudicium reſpectu vnius, ac alterius, ſed idem omnino: Et etiam, vt ſuprà probabam contra Sendin, ſtante eadem ratione formali obiectiva credendi reſpectu vtriuſque myſterij, eadem omnino fides debet exerceri reſpectu vtriuſque, & eodem modo quoad intrinſecam tendentiam: Sed in præſenti, ſi motio obiectiva interior ſolum ſit vniverſalis, & non diſcretiva vnius myſterij ab alio, non datur diverſa ratio formalis obiectiva, nam obiectivè, ſeù prout illa duo myſteria objiciuntur Ruſtico, nulla omnino eſt diverſitas, ſed tota diverſitas eſt ex parte rei creditę purè phyſicè, & materialiter, quatenus in myſterio vero ro ipſa purificatur conditio, nempè, quod ita illud proponit Eccleſia, in falſo autē talis conditio nõ verificatur: Ergò eadem formaliter obligatio ſupernaturalis credendi purè conditionatè, & eadem fides divina ſub tacita conditione ſequeretur reſpectu vtriuſque myſterij, quantum ad modum intrinſecum fidei divinę: Ac proinde, ſi reſpectu vnius eſſet obligatio ſupernaturalis, & ex conſcientia recta, etiam reſpectu alterius ad illud eodem modo credendum, nempè, ſub tacita conditione, cum diverſitate ſolum phyſica, & materiali ex parte rei creditę.

67. Si dicas: Poſſet Ruſticus putare ſe obligatum ad credendum abſolutè propter authoritatem divinam vtrumque myſterium, potiſſimè, ſi Parrochus id illi prædicaret: Ergò tunc obligaretur ex cõſcientia erronea. Diſtinguo cõſequens: Obligaretur ex conſcientia erronea ad credendũ abſolutè, tàm verum, quàm falſum, cõ-

Digitized by Google

cedo: Ex conſcientia erronea ad vnum tantum, nego: Quia ęquè falſum eſt in illo caſu eiuſdem propoſitionis externę, & eiuſdem motionis internę, ipſum obligari re ipſa ad credendū abſolutè propter authoritatem divinā, ſine tacita cōditione, myſterium verum, ac myſterium falſum; ſiquidem re ipſa neutrum tenetur ita credere: Ac proindè, ſi putaret oppoſitum, conſcientia eſſet erronea reſpectu vtriuſque: Et tunc verum eſt, quod inquiunt plerique Theologi, nempè, quod ex conſcientia erronea obligaretur ad aſſenſum abſolutum fidei re ipſa acquiſitę, & tantum exiſtimativè infuſę, & merito, quia obligatio ex conſcientia erronea non poteſt eſſe obligatio ſupernaturalis, nec ex iudicio ſupernaturali, ſed ſolum ex iudicio naturali, & naturalis: Hæc autem non poteſt eſſe ad fidem re ipſa ſupernaturalem, ſed ſolum ad fidem re ipſa naturalem, licèt exiſtimativè foret ſupernaturalis. Cæterum ad aſſenſum tacitè conditionatum fidei divinę obligaretur re ipſa, & ex conſcientia recta reſpectu vtriuſque.

68. Nec hæc doctrina debet reputari ſingularis, nam in primis videtur eſſe D. Thom. *in præſent. art. 3. ad 4.* vbi cū ſibi objeiſſet: *Ad fidem pertinet credere, quod Corpus Chriſti continetur in Sacramento Altaris: Sed contingere poteſt, ſi non rectè conſecratur, quod non ſit ibi: Ergò fidei poteſt ſubeſſe falſum.* Reſpondet, dicendum: *Quod fides credentis non refertur ad has ſpecies panis, vel illas, ſed ad hoc, quod verum Corpus Chriſti ſit ſub ſpeciebus panis ſenſibilis, quando rectè fuerit conſecratum, vndè ſi non ſit rectè conſecratum, fidei non ſuberit propter hoc falſum.* Ex quo ſic argumentor, ęquè contingere poteſt, quod Parrochus non rectè, ſed falſo proponat aliquod myſterium, vt revelatum in Ecclesia, ſicut quod Sacerdos non rectè conſecret Hoſtiam: Sed quia hoc contingere poteſt in Hoſtia, docet D. Tho. non pertinere ad fidem abſolutè credere in Hoſtia ſingulari contineri Corpus Chriſti: Ergò quia primum contingere poteſt in Parrocho reſpectu myſterij in ſingulari, non pertinebit ad fidem credere abſolutè illud myſterium in ſingulari; ſed ſicut ſolum pertinet ad fidem credere abſolutè in vniverſali in qualibet Hoſtia conſecrata validè, eſſe Corpus Chriſti, & in Hoſtia ſingulari ſub conditione tacita, ſi validè eſt conſecrata, ita ſimiliter de myſterio propoſito à Parrocho cum contingentia fallendi.

69. Item, SS. PP. Salmant. *in præſent. diſputat. 2. dub. 4. num. 104.* eandem doctrinam tenent in caſu difficiliori, nēpè, quo Epiſcopi, & Paſtores aliqui proponerent illitterato aliquid eſſe definitum ab Ecclesia, quod non eſt definitum, licèt fuerit revelatum. In hoc caſu inquiunt: Probabilius nobis apparet, quod illitteratus id credens non eliceret aſſenſum fidei theologicę. Quoniam hæc virtus nititur divino teſtimonio cum certitudine applicato. Porrò hæc certitudo non derivatur ex teſtificatione huius, aut alterius hominis, imò nec plurium Epiſcoporum, aut Paſtorum, quippè qui falli, & fallere poſſunt, ſed derivatur à Deo, vel immediatè, vt cum adeſt evidentia divinę atteſtationis, vel mediante Ecclesia, quę eſt columna veritatis, & errare non poteſt in proponendo materias fidei. Vndè, qui ductus teſtificatione Epiſcoporum, aut Doctorum, ſibi imperat actum fidei, ſemper implicat conditionem, *ſi ita Eccleſia tenet, & docet*: Nec aliter adeſſet motus pię affectionis, ſed inconſulta, & temeraria applicatio. Poſſem ſimiliter pro eadem doctrina, ſaltem in caſu Parrochi, plures alios Theologos afferre: Non ergò debet reputari ſingularis.

70. Sed obiter non poſſum præterire, contradictionem apparentem in hac PP. Salmant. Doctrina, in primis inquiunt: *Probabilius nobis apparet, quod illiteratus id credens non eliceret aſſenſum fidei theologicę*: Deindè inquiunt: *Qui ductus teſtificatione Epiſcoporum, aut Doctorum, ſibi imperat actum fidei, ſemper implicat conditionem: Si ita tenet Sanct. Mat. Eccleſ.* Ergò ſub hac conditione elicit aſſenſum fidei theologicę: Quomodo ergò inquiunt, quod illiteratus, id credens, non elicit aſſenſum fidei theologicę?

71. Dices forſan: Imperare quidem ſibi, ſub præfata conditione, aſſenſum fidei theologicę, ſed illum non elicere, quia non purificatur conditio, ſub qua illum imperat, nimirum quod ita teneat Sanct. Mat. Eccleſ. Sed contra: Quia illitteratus poteſt ſibi imperare abſolutè aſſenſum obiectivè conditionatum myſterij propoſiti: At non poteſt imperare ſibi conditionatè aſſenſum abſolutum: Ergò, dum ſibi imperat per motum pię affectionis aſſenſum fidei theologicę, abſolutè ſibi imperat aſſenſum obiectivè conditionatum, non autem imperat conditionatè aſſenſum abſolutum: Sed elicit aſſenſum, quem abſolutè ſibi imperat: Nam imperium abſolutum infert abſolutè actum imperatum: Ergò illitteratus credens, elicit aſſenſum fidei theologicę obiectivè conditionatum circa myſterium ſibi propoſitum. Probo antecedens, in quo ſtat difficultas: Nam hæc eſt differentia inter actus practicos, & executivos, ſeu applicativos ex vna parte, & actus ſpeculativos ex alia: Quod actus practici, & executivi non poſſunt eſſe obiectivè conditionati, quia reſpiciunt obiectum, vt hic, & nunc exequendum,

& hoc habet potiſsimè imperium, quo quis ſibi imperat actum aliquem, nam debet reſpicere talem actum applicando potentiam executivam ad illum hic, & nunc eliciendum: Implicat autem reſpicere talem actum, vt hic, & nunc exequendum, & illum reſpicere ſub conditione, quam nondum ſcit purificatam eſſe, quia ſi ſolum vellet illum elicere ſub hac conditione, deberet expectare quouſque ſciret, eam conditionem eſſe impletam, ad illum actum eliciendum: Non ergò illum reſpiceret, vt hic, & nunc exequendum, & conſequenter, nec illum hoc pacto poſſet ſibi imperare. Attamen actus ſpeculativi poſſunt abſque vllo inconvenienti eſſe obiectivè conditionati: Et talis eſt aſſenſus fidei, nam cum ſit ſpeculativus reſpectu ſui obiecti, benè poteſt illud reſpicere ſub conditione obiectiva: Sicut de facto plura credimus fide divina aſſenſu obiectivè conditionato, v. g. infantem eſſe in gratia, ſi eſt validè baptizatus, Corpus Chriſti contineri in Hoſtia, ſi eſt ritè conſecrata, & alia ſexcenta: Ergò imperium, quo illiteratus imperat ſibi aſſenſum fidei theologicę, non poteſt eſſe obiectivè conditionatum, aſſenſus verò imperatus poteſt eſſe obiectivè conditionatus: Tenendum ergò eſt, quod dum imperat ſibi aſſenſum fidei theologicę, non imperat ſibi conditionatè, ſed abſolutè, aſſenſum obiectivè conditionatum articuli propoſiti: Ergò abſolutè elicit aſſenſum fidei theologicę circa illum articulum ſub illa tacita conditione, *ſi ita tenet, & docet S. M. E.*

72. Explicatur: Quia nemo poteſt imperare ſibi conditionatè actum ſub aliqua conditione, niſi cum animo illum non eliciendi quouſque ſciat conditionem impletam: Ergò, ſi illitteratus imperaret ſibi conditionatè aſſenſum fidei theologicę ſub illa conditione: *Si ita tenet S. M. E.* eſſet cum animo illum non eliciendi, quouſque ſciret, S. M. E. ita tenere, & docere: Sed hoc ſcire non poſſet, potiſsimè ea certitudine, quam deſiderant PP. Salmant. niſi longo poſt tempore, & facta diligentiſsima inquiſitione, & forſan niſi audiendo Concilium generale, vel Papam ex Cathedra definientem, vt ſuprà arguebam contra Suarez: Ergò illitteratus ille eſſet in animo non eliciendi actum fidei theologicę, quouſque ſciret certitudine infallibili ex Concilio generali, aut ex Papa definiente ex Cathedra, vel ſaltem ex ore omnium Doctorum, & Paſtorum, ita tenere, & docere S. M. E. Nam ſanè, ſi non ſufficiebat propoſitio, vel certitudo ex ore aliquorum, imò, nec plurium Epiſcoporum, & Paſtorum, quippè, qui falli, & fallire poſſunt, opus eſſet illiterato illi omnes adire, vt poſſet elicere aſſenſum fidei theologicę. Imò eſſet in animo talem aſſenſum non eliciendi, quouſque ex omnibus illis certificaretur: Hoc autem potius eſſet imperium non eliciendi, quam eliciendi talem aſſenſum, potius nolitio, quam volitio illum eliciendi.

73. Dices forſan, cõditionem implicatam in imperio, non eſſe ſic: *Si ſciam Eccleſiam ita tenere*: Sed ſic: *Si Eccleſia ita tenet*, quãvis illitteratus id non ſciat: Vndè opus non eſſet illitterato, ad eliciendum aſſenſum imperatum conditionatè, ſcirè tota illa certitudine ſententiam Eccleſię, ſed quamvis id ita non ſciret, ſi re ipſa Eccleſia ita teneret, & doceret, eliceret aſſenſum fidei theologicę imperatum, quia purificata eſſet conditio, licèt ipſe non ſciret. Sed contra: Quia nemo cordatè ſibi imperat, vel ſe determinat ad aliquem actum eliciendum ſub conditione aliqua ab ipſo non cognita, nec cognoſcenda, hoc eſt, ad eliciendum actum, ſi ponatur conditio, ipſo neſciente; nam ſanè, ſi quis diceret: *Eliciam hic, & nunc actum miſericordię, ſi, me neſciente, ſuperior præcipiat*, fatuè omnino proponeret; nam cum ipſe eſſet, & non alius, qui deberet elicere illum actũ, purificata conditione, quomodo id poſſet, neſciens an purificata foret, vel non? Vndè, quotieſcumque aliquis proponit, aut vult conditionatè ſub aliqua conditione, elicere aliquem actum, aut aliquit facere, profectò apponit illam conditionem, vt à ſe ſciendam, antequam talem actum eliciat, alioquin, ad illum eliciendum non eſſet conditio obiectiva, ſiquidem non dependeret ab ea, vt cognita, & ſibi obiecta, ad eliciendam illum actum: Vndè omnes Thomiſtę, & plures alij Theologi reijciunt, contra Suarez, decretum conditionatum concurrendi cum voluntate ad actum, *ſi voluntas ſe determinaverit*, quia deberet Deus prævidere voluntatem ſe determinantem, vt concurreret, quod repugnat, quia repugnat voluntatem ſe determinare ſine concurſu Dei: Ergò, quia cenſent omnes Thomiſtę, repugnare imperium, ſeù propoſitum voluntatis de aliquo faciendo ſub conditione, niſi illa conditio debeat prævideri purificata ad illud aliquid faciendum: Ergò, ſi illiteratus imperat ſibi conditionatè aſſenſum fidei theologicę, ſub illa conditione obiectivè implicata, *ſi Eccleſia ita tenet*, non poteſt intelligi, *ſi Eccleſia ita tenet, quamvis me neſciente*, ſed ita, *ſi Eccleſia ita tenet, & ego id ſciero.*

74. Quod confirmari poteſt ex dictis, nam talis conditio incognita, licèt in re purificata, perindè eſt ad eliciendum aſſenſum fidei theologicę, potius quam adquiſitè, ac ſi purificata nõ eſſet: Ergò debet præcognoſci ab illitterato, vt iuvet ad eliciendum talem aſſenſum.

Pro-

probo antecedens: Quia vt incognita minimè variat rationem obiectivam credendi, ſed eam relinquit omnino eandem; quod enim ita teneat, vel non teneat in re S. M. E. ſi id non cognoſcitur, nec aliter obijcitur menti illiterati, quam per propoſitionem Epiſcoporum, omnino relinquit rationem obiectivam eandem, quia nullo pacto variat ſtatum obiectivum, quem in eius mente habet myſterium propoſitum: Sed non variata ratione formali obiectiva credendi, nequit conducere, vt credens potius eliciat aſſenſum fidei theologicę, quam acquiſitę, vt ſatis ſuperque oſtenſum manet: Ergò.

75. Ex his tandem concluditur: Qualè ſit imperium, ſeù motus pię affectionis ad credendum, in eo, cui myſteria fidei proponuntur per Miniſtros fallibiles omnino ęqualiter; eſt enim imperium ex parte ſua abſolutum, quo efficaciter voluntas applicat intellectum ad hic, & nunc credendum myſterium propoſitum fide ſupernaturali, non quidem ad illud credendum abſolutè ex parte obiecti per talem fidem, ſed obiectivè conditionatè, ſeù per aſſenſum implicantem obiectivè illam conditionem: *Si ita tenet S. M. E.* qui quidem aſſenſus, quam optimè poteſt eſſe fidei ſupernaturalis, quia nullam habet contingentiam falſitatis, etiam ſi myſterium ſit falſo propoſitum, & non revelatum, quia ſub conditione, ſub qua aſſentitur, nempè: *Si ita tenet S. M. E.* non falſo, ſed verè revelatum eſſet, & revelatio non eſſet purè exiſtimata, ſed vera in re.

76. Sed dices: Ruſtici, & alij credentes, abſolutè credunt myſteria ſibi propoſita per Parrochos, & alios Miniſtros Eccleſię, nam ſanè, ſi crederent purè conditionatè, eſſet cum formidine, & dubitatione de propoſitione ſaltem Miniſtrorum, quam communiter explicarent, apponendo explicitè illam conditionem: Ergò falſum eſt, quod ſolum credunt conditionatè. Reſpondeo, explicando ſubdiſtinctionem ſuprà datam *num. 64.* quę hanc præveniebat obiectionem; nempè, quod credunt abſolutè extrinſecè ex fide humana erga Parrochum, ſed non abſolutè intrinſecè ex intrinſeca tendentia aſſenſus ſupernaturalis erga myſterium vt revelatum, & propoſitum ab Eccleſia. Etenim ibi intervenit duplex fides: Vna erga myſterium, vt revelatum, & vt tale propoſitum per Eccleſiam, & hæc eſt ſupernaturalis, & divina, & implicitè conditionata ex intrinſeco modo tendendi, nempè ſub illa tacita conditione: *Si ita proponit S. M. E.* nec poteſt fides divina ex ſua tendentia aliter credere, nam exponeretur periculo, aut crederet cum contingentia falſitatis: Secunda erga Parrochum atteſtantem, quod ita proponit, & docet S. M. E. & hæc eſt fides purè humana, quia Parrochus aliam authoritatem non habet, niſi fallibilem, & humanam: Ex hac igitur duplici fide conſurgit fides extrinſecè abſoluta myſterij: Quia fides divina cōditionata tranſit extrinſecè in abſolutam per fidem humanam conditionis, nam, qui ex vna parte credit infallibiliter myſterium ſub conditione, quod ita teneat S. M. E. & ex alia credit ita tenere re ipſa S. M. E. conſiderata vtraque fide, abſolutè credit myſterium. Et hinc infertur ratio, cur conditio illa, ſub qua fides divina credit, ſit tacita, & non expreſſa, implicita, & non explicita, quia dum quis credit conditionem eſſe impletam, imprudenter illam exprimeret, aut explicaret, quia ſolùm debet explicari condionalitas, ſeù conditio, quando credens dubitat prudenter de conditione, an ſit ita, vel non: Cæterum, quando prudēter credit, licèt fide humana, & abſque ratione dubitandi in contra, Eccleſiam ita tenere, imprudenter explicaret illam cōditionem, *ſi ita tenet S. M. E.* quia eſſet diffidere, ac dubitare de authoritate Parrochi, vel Paſtorum, aut Doctorum id aſſerentium ſine vlla contradictione; quod ſanè iniurioſum eſſet, aut ſaltem imprudentia. Nam aliud eſt dubitare de illorum veritate in dicendo: Aliud illam non tanti facere, ſicut authoritatem divinam infallibilem: Quia illam nemo debet tanti facere, vt eam infallibilem cenſeat, propterea fide divina nemo debet illa initi abſolutè, ſed ſub conditione tacita, quia fide divina credere debemus omnino firmiter, ac ſecurè, ſine ulla prorſus contingentia falſitatis: At quia quiſque debet credere abſolutè fide humana, abſque actuali dubitatione, Parrochum, aut Paſtores, & Miniſtros Eccleſię, verè proponere ea, quę tenet S.M.E. propterea imprudentia foret dubitare, & conſequenter explicitè apponere illam conditionem.

77. Sed dices: Ergò fides divina, vt extrinſecè abſoluta, fallibilis eſt: Ergò iam aliquo modo admittimus fidem divinam fallibilem. Secundo: Ergò iam fides myſterij eſt mixta ex fide humana, & divina, concurrente vtraque ſimul; quod ſuprà aiebat Scotus, & nos contradicebamus. Diſtinguo primum conſequens: Vt extrinſecè abſoluta fallibilis eſt, ex fallibilitate fidei humanę circa propoſitionem Parrochi, aut aliorum Miniſtrorum, concedo: Ex fallibilitate ipſius fidei divinę erga myſterium, & revelationem, nego conſequentiam; quia fides divina reſpicit ex ſua tendentia intrinſeca cum infallibili certitudine revelationem veram in re, & ratione illius myſterium verum in re, quia ea reſpicit ſub illa tacita condi-

O di-

ditione: *Si ita proponit S. M. E.* in qua omnimoda ſecuritas, & infallibilitas eſt: At verò, vt abſoluta extrinſecè ratione fidei humanæ credentis Parrocho, quod ita tenet S. M. E. nullum eſt inconveniens, quod ſit fallibilis, ex fallibilitate ipſius Parrochi in proponendo, & fidei humanę erga ipſum. Ad ſecundum, nego conſequentiam, quia ibi fides divina implicitè conditionata, & fides humana remanear imper mixtę, & re ipſa diſtinctę, verſantur enim per deſtinctos aſſenſus erga obiecta diverſa, & modo diſtincto tendentes: Nam divina credit per aſſenſum ſupernaturalem firmiſsimum, modo implicitè conditionato, revelationem, & myſterium: At humana credit per aſſenſum naturalem fallibilem, modo abſoluto, propoſitionem Parrochi eſſe conformem Eccleſię in proponendo: Ex vtraque autem dicimus reſultare fidem extrinſecè abſolutam myſterij, non per identitatem, nec per coniunctionem, ſed per denominationem extrinſecam, aut coniunctionem vtriuſque in eodem intellectu, ſervata vtriuſque eſſentia, & differentia: Scotus autem ponebat fidem humanam, & divinam in eodem realiter aſſenſu, & reſpectu eiuſdem obiecti, nempè divinę revelationis.

78. Sed rogabis: Cur ex illa duplici fide: Vna, qua intellectus credit myſterium, & revelationem, *ſi ita tenet S. M. E.* & alia, qua credit ita ipſam docere, & tenere, non poterit inferre vnicum aſſenſum, quo affirmet: Ergò abſolutè myſterium, & revelatio vera ſunt in re? Nam ſanè ita legitimè infertur. Reſpondeò, poſſe inferre vnicum aſſenſum abſolutum: Sed dico illum non fore aſſenſum fidei, nec divinę, nec humanę, quia nec fides humana, nec divina ſunt diſcurſivę, ſed fore concluſionem deductam legitimè ex vna præmiſſa credita fide divina, & alia credita fide humana, quę propriè eſſet aſſenſus fallibilis, ſeù probabilis, quia concluſio ſequitur debiliorem partem, nimirum præmiſſam fidei humanę, & non præmiſſam fidei divinę.

EXPLICATUR, QUANDO FIDES *divina poſſit eſſe intrinſecè abſoluta erga myſterium, & revelationem in ſingulari.*

79. Hucuſque loquuti ſumus ex ſuppoſitione, quod in caſu argumenti, non ſolum propoſitio externa, & ſenſibilis, ſed etiam motio interior, & ſuperna ſit omnino ſimilis, vel eadem circa omnia myſteria propoſita Ruſtico, aut illitterato. Cæterum poſſet contingere, quod quamvis propoſitio externa, & ſenſibilis eſſet omnino ſimilis, tamen motio interna Spiritus Sancti eſſet cum differentia ad myſterium verum, præ falſo in re. Ratio eſt, quia non ſemper motio interior obiectiva conformatur cum propoſitione externa; ſæpè enim contingit, propoſitionem externam eſſe vrgentioribus motivis authorizatam ab hæritico Miniſtro proponente articulum falſum, quam propoſitionem factam à Miniſtro Catholico ex huius imperitia, quia non ſcit ponderare motiva noſtrę Religionis, ſicut hæreticus motiva ſuę ſectę; & tamen Spiritus Sanctus in corde audientis concurrit, movendo, & illuſtrando, cum propoſitione Miniſtri Catholici, & non cum propoſitione Miniſtri hæretici; & quamvis in externa propoſitione ſenſibili eſſet ęqualitas, poſſet eſſe diſparitas in interiori illuſtratione. Sic ergò, quamvis ex parte Parrochi eſſet omnimoda paritas in proponendo myſterio re ipſa falſo, ac myſterio re ipſa vero, poſſet Spiritus Sanctus movere cum differentia ſpeciali ad verum, illuſtrando mentem ſpecialiter circa illud, & illud menti repræſentando vt abſolutè revelatum, & creditum ab vniverſali Eccleſia, non verò aliud; & tunc talis interior illuſtratio talis poſſet eſſe, quod obligaret ad aſſenſum abſolutum myſterij per fidem divinam, & pia affectio imperaret abſolutum aſſenſum, & non purè conditionatum: Cæterum in eo caſu iam ratio obiectiva movens, in quantum obiectiva, non eſſet omnino eadem reſpectu vtriuſque myſterij, ſed diſpar valdè, quia ratione illius ſpecialis illuſtrationis proponeretur myſterium verum, vt abſolutè revelatum cùm abſoluta certitudine: At myſterium falſum non ita proponeretur, ſed ſolum cum certitudine cōditionata, ſi ita tenet S.M.E. ratione motionis, & illuſtrationis vniverſalis circa omnia myſteria, quę tenet S.M.E. modo ſuprà explicato. Componitur ergò, quod ſtante ęquali, vel eadem omnino ratione obiectiva, vt obiectiva reſpectu vtriuſque myſterij, non poſſit eſſe diverſa obligatio credendi, nec diverſa pia affectio, nec diverſa fides divina erga vnum, ac erga aliud, vt ſuprà ſæpè probavimus. Et tamen, quod in caſu ęqualis propoſitionis ex parte Parrochi, poſſit eſſe diverſa obligatio, diverſaque pia affectio, nimirum ad credendum aſſenſu abſoluto vnum myſterium, & non aliud, niſi aſſenſu tacitè conditionato, quia poteſt ratio obiectiva eſſe diverſa obiectivè ratione diverſę illuſtrationis erga vnum myſterium, præ alio.

80. Sed dices primo: Ergò ponimus tandem illam interiorem illuſtrationem pro ratione formali obiectiva fidei divinę; cuius con-

contrarium ſuprà docuimus contra Lugo. Secundo: Ergò non ponimus pro ratione formali obiectiva fidei revelationem prout in re, ſed ſolum prout in mente, vt repræſentatã per illam interiorem illuſtrationem, quod eſt idem ac ponere pro motivo revelationem, vt exiſtimatam, vel ſaltem, vt apprehenſam: Non ergò defendimus, ſed potius impugnamus noſtram ipſam concluſionem.

81. Reſpondeo ad primum, negando conſequentiam: Quia illam illuſtrationem ſolum ponimus pro conditione neceſſaria ad fidem divinam, verè divinam, & ſupernaturalem; nam, quamvis ſine illa, revelatio vt exiſtimata ſolum extorqueat fidem re ipſa humanam, & cum illa fidem re ipſa divinam, non eſt purè propter diverſitatem illius illuſtrationis ab exiſtimatione propria, ſed quia per illam illuſtrationem, cum ſit ſupernaturulis, & ab Spiritu Sancto, repræſentatur menti revelatio divina eſſentialiter prout in re, cum eſſentiali conformitate ad ipſam revelationem prout in re; at verò per exiſtimationem humanam non repræſentatur eſſentialiter prout in re, nec cum eſſentiali conformitate ad illam prout in re, ſed poteſt revelatio exiſtimari, quin ita ſit in re, ſed purè in exiſtimatione. Vndè illuſtratio illa contrapoſita ad propriam exiſtimationem, non propterea diſtinguit fidẽ divinam ab acquiſita, quia ipſa illuſtratio ſit ratio formalis obiectiva, ſed quia proponit ipſam propriam rationẽ formalem obiectivã fidei divinę, nimirum revelationẽ eſſentialiter prout in re, ſeù ſine contingentia aliter eſſendi in re, quod non habet exiſtimatio, quia non proponit eſſentialiter revelationem prout in re, ſed cum cõtingentia aliter eſſendi in re: Igitur ratio primaria obiectiva, cur revelatio, vt ſubeſt illuſtrationi interiori, ſit motivum fidei divinę, revelatio verò, vt exiſtimata, ſit motivum fidei acquiſitę, eſt quia revelatio, prout ſubeſt illuſtrationi dictę, eſt eſſentialiter revelatio prout in re, & ſola revelatio eſſentialiter prout in re eſt motivum formale fidei divinę; revelatio verò, vt exiſtimata, non eſt eſſentialiter revelatio prout in re, quia poteſt aliter ſe habere in re, & manere purè exiſtimata; & hoc pacto, ad ſummum poteſt eſſe motivum fidei humanę.

82. Ex quo ad ſecundam, nego conſequentiam, quoad primam partem, & ſuppoſitum, quoad ſecundam; quia videtur ſupponere, quod opponuntur, revelationem prout in re eſſe motivum, & eſſe motivum prout repræſentatur per illuſtrationem ſupernam; & in hoc nulla eſt oppoſitio, ſed neceſſaria connexio. Quia, quando dicimus revelationem prout in re eſſe motivum fidei divinę, non contra ponimus revelationem prout in re, ad revelationem prout repræſentatam in mente, quaſi ſenſus ſit, quod revelatio non movet prout in mente, ſed ſolum prout in re, quia hoc eſſet dicere, quod non movet obiectivè, & intentionaliter, ſed phyſicè: quod non movet vt cognita, & obiecta menti, ſed vt incognita; quod ſanè falſum eſt, & ſuprà impugnatum, *num. 53*. Supponitur ergò revelationem ſolum movere poſſe prout menti obiectam, & repræſentatam: Cæterum, quia poteſt repræſentari, & obijci menti, vel eſſentialiter prout in re, vel purè exiſtimativè cum contingentia non eſſendi in re, propterea dicimus, quod non eſt motivum fidei divinę vt exiſtimata, ſed ſolum vt in re, hoc eſt, non vt fallibiliter exiſtimata, ſed vt menti repræſentata eſſentialiter prout in re: Quo pacto ſolum repræſentatur per interiorem illuſtrationem Spiritus Sancti, non per propriam exiſtimationem.

83. Vndè non ſequitur, quod prout exiſtimata ſit motivum fidei divinę, quia exiſtimatio ſemper eſt fallibilis, & non eſſentialiter conformis revelationi prout in re: Sed ad ſummum ſequitur, quod ſit motivum prout apprehenſa eſſentialiter prout in re, apprehenſione, nimirum, ſupernaturali ſequuta ad illuſtrationem ſupernam. Sicut dicimus, quod aſſenſus præſtitus primis principijs non movetur ab ipſis prout exiſtimatis, ſed ab ipſis prout in re, hoc eſt; ab ipſis vt obiectis, & repræſentatis menti per lumen naturale, quod eſſentialiter illa principia repræſentat prout in re; vel ab ipſis vt apprehenſis, apprehenſione eſſentialiter conformi ad veritatem in re; non autem eſt ſenſus, quod movetur ab ipſis, vt incognitis, & vt exiſtentibus extra mentem purè phyſicè.

84. Et ex his patet, qualiter illa diſparitas inter revelationem veram in re, & revelationem falſam in re, poſſit eſſe reſpectu Ruſtici, vel illiterati, nõ ſolũ phyſica, & materialis ex parte obiecti, ſed formalis, & obiectiva, quia media prædicta illuſtratione poteſt illa diſparitas obijci, & repræſentari intellectui, ſaltem in actu exercito, quatenus vi illius, revelatio vera in re obijcitur, vt vera in re ſecuriſsimè, & certiſsimè, ſine cõtingentia aliter ſe habẽdi in re, quia illa repræſentatio obiectiva, vi illuſtrationis ſupernaturalis facta, movet cum hac ſecuritate, & certitudine: Quo pacto non movet revelatio in re falſa, quia non movet media ſuperna illuſtratione, ſed media tantum propria exiſtimatione fallibili, & non habente ſecuritatem, nec certitudinem: Vndè illa diſparitas, non ſolum eſt in ſe, & phyſicè ex parte illius duplicis revelationis,

nis, ſed etiam obiectivè, & in mente ex diverſo modo intrinſeco, quo vna repræſentatur, & non alia; qui diverſus modus percipitur quidem in actu exercito ab ipſa fide divina, & propterea aſſentitur abſolutè revelationi verę in re, & non falſę in re, niſi tantum conditionatè, quia non repræſentatur cum illa ſecuritate, & certitudine, quę ſolum poteſt haberi ex illuſtratione ſupernaturali.

85. Sed replicabis primo: Ergò iam cadit ſub experientia interna, an quis credat fide ſupernaturali, an acquiſita, an revelatio, cui credit, ſit vera in re, an contingenter ſe habeat ad veram in re. Nego conſequentiam, quia illa diverſitas in repræſentatione obiectiva vi divinę illuſtrationis, non eſt ſenſibilis, ſed purè intelligibilis, ſpiritualis, & ſupernaturalis, vndè quamvis in actu exercito percipiatur, non tamen ſenſibiliter, & reflexè diſcerni poteſt, neque clarè, & euidenter, ſed ad ſummum, facta reflexione, probabiliter. Et hoc ab omnibus debet concedi, quia negari nequit, quod fides infuſa adhæret ſuo motivo certius, & firmius, quam acquiſita; & tamen, quia hæc maior certitudo, & firmitas eſt purè ſpiritualis, & non ſenſibilis, nemo experitur euidenter, an credat fide infuſa, an acquiſita. Item, omnes debent fateri, quod actus contritionis, & attritionis habent diverſa motiva, non ſolum in eſſe phyſico, ſed multo magis diverſa in eſſe obiectivo, & in modo movendi intentionaliter; & tamen, quia iſta diverſitas eſt purè ſpiritualis, & non ſenſibilis, nemo experitur euidenter, an eliciat actum contritionis re ipſa talis, an purè exiſtimativè: Ergò pariter in fide, quamvis diverſitas illa percipiatur in actu exercito, ex modo diverſo repræſentationis obiectivę, quia non eſt ſenſibilis, nec euidenter cognoſcibilis reflexè, & in actu ſignato.

86. Replicabis ſecundo: Quamvis repræſentatio, vi illuſtrationis ſupernę, ſit diverſa, & diverſo modo, ac repræſentatio per propriam exiſtimationem, tamen etiam per propriam exiſtimationem repræſentatur revelatio vt vera in re, ſiquidem Ruſticus exiſtimat, non ſolum revelationem eſſe veram exiſtimativè, ſed veram in re: Ergò licèt ſit diverſitas in modo, quo repræſentatur motivum, ſeù revelatio, non tamen in revelatione, ſeù motivo repræſentato, quia per vtrumque modum repræſentandi repræſentatur revelatio vt vera in re: Sed modus repræſentandi revelationem eſt pura conditio obiectiva, & non motivum formale: Ergò ſolum datur diverſitas in conditione obiectiva, non in motivo formali credendi: Sed non ſtante diverſitate in motivo formali credendi, licèt ſtet diverſitas ex parte conditionis, ſeù propoſitionis obiectivę, non ſequitur diverſa fides, ſed eadem: Ergò quod revelatio moveat vt exiſtimata, vel vt repræſentata per illuſtrationem ſupernam, non infert diverſam fidem, ſed eandem: Ergò eadem fides, ſcilicèt, divina, quę movetur ex revelatione vt repræſentata, vi illuſtrationis ſupernę, moveri poteſt ex revelatione vt exiſtimata.

87. Reſpondeo, diſtinguendo antecedens: Etiam per propriam exiſtimationem repræſentatur revelatio vt vera in re, cum contingentia falſitatis in re, concedo antecedens: Sine tali contingentia, nego antecedens, & conſequentiam: Quia ſi Ruſticus exiſtimat revalationem eſſe veram in re, non eſt quia illa prout in re ſibi immediatè repræſentetur, ſed quia ipſi repræſentatur ex vi propoſitionis externę, Parrochi atteſtantis eam eſſe veram in re, & vt ſtans ſub illa propoſitione externa: Revelatio autem, vt ſtat ſub motivo talis propoſitionis, non eſt vera in re ſine contingentia falſitatis in re, ſed cum tali contingentia: At ex vi illuſtrationis ſupernę, non repræſentatur revelatio vt vera in re ex vi alterius motivi, cum contingentia ad falſitatem in re; ſed repræſentatur, licèt obſcurè, immediatè tamen vt vera in re, & propter ipſam revelationem vt in ſe re ipſa exiſtentem, ſiquidem illa ſuperna illuſtratio illuminat intellectum, licèt obſcurè, immediatè tamen illi proponendo ipſam revelationem propter ipſam, & ſine alio motivo, & conſequenter vt veram in re ſine contingentia falſitatis in re: Vndè diverſitas à nobis aſsignata, non eſt ſolum ex modo repræſentationis, & propoſitionis obiectivę, quam fatemur eſſe puram conditionem, ſed etiam ex parte motivi formalis repræſentati, quia motivum formale repræſentatum per propriam exiſtimationem eſt revelatio vt vera in re ex dicto Parrochi, quo pacto ſolum eſt vera in re cum contingentia falſitatis in re; motivum verò formale repræſentatum per illuſtrationem ſupernam eſt revelatio immediatè in ſe ipſa oſtenſa intellectui, licèt obſcurè, vt vera in re, quo pacto eſt vera in re ſine contingentia falſitatis in re. Quę diverſitas, non ſolum eſt ex parte repræſentationis, ſed etiam ex parte motivi repræſentati formaliter conſiderati.

88. Replicabis tertio: Si in caſu repetito, Ruſticus crederet abſolutè fide divina vnum myſterium, & non aliud, niſi tantum conditionatè, & hoc vnicè propter diverſitatem motionis, & propoſitionis internę, abſque vlla diſparitate in externa propoſitione myſteriorum, ſequeretur fidem illam reſolvi non poſſe

in

in revelationem, vt propoſitam per Eccleſiam, ſed vnicè in revelationem, vt interius propoſitam per illuſtrationem, & motionem Spiritus Sancti: Sed hoc eſt abſurdum, quia Hæretici ſunt, qui nolunt reſolvere ſuam fidem in propoſitionem externam, & viſibilem Eccleſię, ſed ſolum in motionem internam Spiritus Sancti, quam dicunt ſe habere: Ergò. Probatur ſequela, quia in prædicto caſu Ruſticus interrogatus: Cur credis fide divina abſolutè vnum myſterium, & aliud non, niſi conditionatè? Non poſſet reſpondere, quia Eccleſia vnum mihi proponit, & non aliud, nec aſsignare vllam differentiam ex parte propoſitionis Eccleſię, quia Eccleſia ſolum mediante illo Miniſtro proponebat illi myſteria, & revelationem illorum, & in propoſitione illa nulla omnino eſſet diverſitas reſpectu vtriuſque myſterij, ſed omnimoda paritas, vt ſupponimus: Ergò ſolum poſſet reſpondere: Quia motio interior Spiritus Sancti me certificat abſolutè de vno myſterio, de alio verò non, niſi tantum conditionatè: Sed hoc eſſet reſolvere ſuam fidem in motionem internam Spiritus Sancti, & non in propoſitionem Eccleſię. Ergò.

89. Reſpondeo, negandò ſequelam, quia fides divina, vt Catholica, reſolvi debet ſemper in revelationem, vt propoſitam exterius per Eccleſiam, & interius per illuſtrationem divinam; cum hac diſtinctione, quod viſibiliter, & ſenſibiliter debet fieri in propoſitionem Eccleſię, intelligibiliter verò, & ſpiritualiter in prædictam illuſtrationem, ita tamen, quod vt vera fides divina catholica, vtramque propoſitionem exigit, quia ſine prima non eſſet catholica, & ſine ſecunda non eſſet verè divina, & ſupernaturalis. Ad probationem ſequelę, dico: Quod Ruſticus non cognoſceret ſenſibiliter, & experimentaliter, an, & quomodo ſua fides eſſet divina, vel humana, infuſa, vel acquiſita, ſed ſolum cognoſceret experimentaliter ſe credere, & conſequenter ſolum interrogari poſſet: *Cur credis?* Non verò: *Cur fide divina, abſolutè, aut conditionatè?* Id enim non cadit ſub experientia, ſed ſolum ſub ſcientia, aut diſcurſu noſtro theologico, quo vix poſſumus, poſt magnam, ac ſubtilem inquiſitionem, modum illum internum, ac ſpiritualem credendi diſcernere. Interrogatus autem abſolutè: *Cur credis?* Reſponderet ſanè: *Quia ita Deus mihi revelat per Eccleſiam*, quod pertinet ad reſolutionem ſenſibilem, & viſibilem illius Ruſtici, quę eſſet eadem ſenſibiliter reſpectu vtriuſque myſterij, quia ſenſibiliter non diſcerneret inter fidem vtriuſque.

90. Si autem credens eſſet reflexivus, & ſpiritualis, & cognoſceret intelligibiliter ſe magis certificari circa revelationem vnius myſterij quam circa revelationem alterius ex illuſtratione interna, & propterea ſe credere certitudine omnino infallibili vnum myſterium, aliud verò non, niſi ſub tacita conditione, reſpondere poſſet, & deberet, ideò credo abſolutè fide divina hoc myſterium, quia mihi proponitur ab Eccleſia cum abſoluta certitudine interiori, aliud verò non, niſi ſub tacita conditione, quia licèt exterius ſimiliter proponatur ab Eccleſia medio Miniſtro, non tamen cum certitudine, & ſecuritate abſoluta interiori, ſed ſolum ſub tacita conditione, quod ita teneat, & doceat S.M.E. Ex quo ad ſummum infertur, quod reſolutio fidei divinę, vt divinę, non debeat vnicè fieri in revelationem, vt propoſitam per Eccleſiam exterius, & ſenſibiliter, præſcindendo ab illuſtratione interna; ſed in revelationem, vt propoſitam per Eccleſiam exterius, & ſenſibiliter, adiuvante, & illuminante interius Spiritu Sancto: Quod non ſolum non eſt abſurſum, ſed potius eſt doctrina catholica, quia vt ſuprà notavi, *num.* 58. fides divina non innititur authoritate divina, vt ſolum per humanam traditionem ſenſibiliter audita; quia ſic ſolum movere poteſt ad fidem humanam; vt notavi *num.* 60. Sed nititur authoritate divina, vt exterius per homines, & intus per Spiritum Sanctum applicata. Hæretici autem, in eo ſunt tales, quod omnino reijciunt reſolutionem fidei divinę in regulam exteriorem, & viſibilem Eccleſię, & illi ſubijci nolunt, ſolumque admittunt reſolutionem privatam cuiuſque in motionem internam per illuſionem, vel fictionem ab ipſis imaginatam; in quo prorſus ab Eccleſia Catholica, quę viſibilis eſt regula credendorum, ſegregantur, & hæretici fiunt.

RELIQUA OBIECTA ſolvuntur.

91. Obijcies ſecundo, contra principalem concluſionem: Virtutes morales poſſunt moveri ex obiectis non exiſtentibus, vt miſericordia ex miſeria aliena re ipſa ficta, & iuſtitia ex iure re ipſa falſo, & ſolum exiſtimato: Ergò fides theologica, quamvis virtus ſit, poteſt moveri ex revelatione ſolum exiſtimata, & re ipſa falſa. Reſpondeo, omiſſo antecedenti, negando conſequentiam: Quia quod fides divina non poſsit moveri ex revelatione re ipſa falſa, nō probatur præcisè ex capite virtutis, ſed ex capite virtutis intellectualis: Stat autem virtutes morales poſſe moveri per accidens ex motivo purè exiſtimato,

to, quin id ſequatur in virtutibus intellectualibus; quia virtutes morales regulantur proximè per bonum, vt eſt in intellectu, ſivè vt cognitum fallibiliter: Intellectuales verò per verum, vt eſt in re: Fides verò virtus intellectualis eſt, & non moralis; vndè nulla eſt paritas.

92. Sed dices: Prudentia eſt etiam virtus Intellectualis: Et tamen poteſt in aliquo caſu moveri per accidens ex falſo in re, & purè exiſtimativè verò: Ergò idem eſt dicendum de fide, quamvis virtus intellectualis ſit. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: Eſt virtus intellectualis practica, concedo maiorem: Speculativa, nego maiorem, & conceſſa minori, conſequentiam: Quia prudentia eſt virtus intellectualis, ſed practica, & præceptiva circa ſingularia, & agibilia, circa quę non poteſt dari regula certa, cui per accidens non poſsit ſubeſſe falſum: At fides eſt virtus intellectualis ſpeculativa circa credenda, de quibus datur regula certa, ſub qua, adhùc per accidens nequit cadete falſum, nempè divina revelatio, vt propoſita per Eccleſiam.

93. Sed non quieſces: Sub divina revelatione, vt propoſira per Eccleſiam, poteſt cadere falſum, ſaltem per accidens: Ergò etiam ſub fide divina, non minus, quam ſub prudentia. Probatur antecedens: Quia Eccleſia non proponit divinam revelationem fidelibus, niſi per Miniſtros: Sed ſub propoſitione Miniſtrorum poteſt in aliquo caſu cadere falſum per accidens. Ergò etiam ſub divina revelatione vt propoſita per Eccleſiam. Reſpondeo, negando antecedens. Ad eius probationem, diſtinguo maiorem: Non proponit niſi per Miniſtros concordes in proponendo ſenſui Eccleſię, concedo maiorem: Niſi per Miniſtros aliter ſentientes, aut docẽtes, nego maiotem, &, diſtincta minori eodẽ modo, conſequentiam: Quia tunc ſolum ſub propoſitione Miniſtrorum poteſt cadere falſum, quando aliter docent ac vniverſalis Eccleſia; tunc autem per illos non proponit re ipſa Eccleſia, quidquid ipſi dicant, ſed ad ſummum exiſtimativè, quatenus exiſtimatur eos docere conformiter ad Eccleſiam: Fides autem divina non aſſentitur ipſis omnino abſolutè, ſed ſub tacita conditione, nempè, ſi proponunt re ipſa conformiter ad Eccleſiam, modo iam explicato, ſub qua conditione implicat, quod proponant falſum in re.

94. Sed replicabis: Ergò hoc ipſum, etiam poſſet dici de prudentia, & alijs virtutibus moralibus, nempè, quod purè conditionatè moventur ex falſo in re, ſub tacita conditione, quod propoſitio intellectus ſit vera in re, & ſic defendi, quod etiam virtutes morales, adhùc per accidens non poſſunt attingere falſum in re: Sed hoc eſt contra noſtram ſententiam: Ergò. Reſpondeo, negando conſequentiam: Quia cum virtutes morales ſint abſolutè executivę ſuorum obiectorum, & prudentia abſolutè præceptiva, & cum ſint virtutes practicę, ordinatę ad rectè operandum, non poſſunt reſpicere ſua obiecta, vniverſaliter, nec conditionatè; nam ſanè, ſi prudentia præciperet largitionem eleemoſynę in vniverſali, aut ſub conditione tacita, quod petens eſſet re ipſa egenus, opus eſſet prius ſcire, conditionem hanc eſſe verificatam, & ſic nunquam, vel raro eleemoſyna elargiretur, nec exerceretur miſericordia, nec prudentia, quia raro poteſt liquidò conſtare, an petens ſit re ipſa egenus, vel purè apparenter; & ſic de aliis. At fides divina eſt virtus ſpeculativa, quę benè poteſt ſe exercere per actus obiectivè conditionatos, & vniverſales, dicendo: *Credo quidquid tenet S.M.E. & hoc myſterium ſub conditione, quod illud Eccleſia, vt credendum, proponat.* Vide *ſuprà à numer. 71.*

95. Sed non quieſces: Licèt fides circa myſteria propoſita per Miniſtros poſsit exerceri conditionatè, tamen poteſt etiam, ſaltem aliquando, ea credere abſolutè, alias nunquam credetemus abſolutè myſteria per fidem divinam: Sed tunc nulla eſt regula proxima ita credendi, ſub qua non poſsit cadere falſum abſolutè: Ergò fides divina poteſt abſolutè credere vtendo regula, ſub qua abſolutè poſsit cadere falſum. Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem: Quia apud Sapientes, & Litteratos plerùmque eſt euidentia metaphyſica de propoſitione Eccleſię circa plura myſteria, quia non tantum informati ſunt per Miniſtros, ſed ex ipſo Capite Supremo, ex ipſiſque ſupremis Eccleſię difinitionibus, & decretis Concilijſque generalibus approbatis, doctrinam vniverſalem Eccleſię ebiberunt; quã euidentiam ſupplerè poteſt in ſimplicibus, & illitteratis illuſtratio interior Spiritus Sancti certificando eos abſolutè de propoſitione Miniſtri, vt iam ſatis explicatum manet; quin, & in Sapientibus etiam hæc illuſtratio interior intervenire debet, vt firmitate infallibili, ſeù fide divina, verè divina, credant, nam ſine tali illuſtratione obiectiva, fides ſolum eſſet acquiſita, & intrinſecè fallibilis, ſaltem metaphyſicè; at verò ſub tali illuſtratione ſuperna metaphyſicè repugnat, quod falſo proponatur revelatio divina, & ideò vi illius poſſunt etiam ſimplices credere abſolutè fide divina myſteria, & ſine tacita conditione.

96. Objicies tertio, ſeù immediatè replicabis: Prudentia infuſa, qua ſupernaturalis

eſt

eſt, etiam exigit moveri à ſuo obiecto media illuſtratione ſuperna: Et tamen poteſt moveri per accidens ex verò purè exiſtimato, quod ſit falſum in re: Ergò quamvis fides, qua virtus ſupernaturalis eſt, exigat moveri à revelatione, media illuſtratione ſuperna, poteſt per accidens moveri ex revelatione purè exiſtimata, falſaque in re. Probatur minor: Quia prudentia infuſa poteſt dictare, Hoſtiam in ſingulari eſſe adorandam, ex falſa opinione, quod rectè ſit conſecrata: Item, quod eleemoſyna ſit danda pauperi, ex falſa opinione, quod pauper ſit: Quod rogandum ſit pro anima alicuius defuncti, ex falſa exiſtimatione, quod ſit in purgatorio, & ſic de alijs: Ergò poteſt moveri ex verò purè exiſtimato, falſo tamen in re. Atque idem argumentum poteſt fieri de virtutibus moralibus infuſis, quę regulantur à prudentia infuſa, quod, ſcilicèt, poſſunt moveri ex falſo in re, vt miſericordia ex miſeria falſo exiſtimata, iuſtitia ex iure falſo exiſtimato, & ſic de alijs: Ergò ſimiliter de fide, licèt virtus infuſa ſit.

97. Reſpondent aliqui, concedendo: Quod prudentia infuſa, & virtutes morales infuſę poſſunt moveri ex ſuis obiectis purè exiſtimatis, id tamen negando de fide divina; quia illę cum ſint virtutes practicę, & affectivę, non reſpiciunt bonum prout in re, ſed ſolum bonum prout in mente; attamen fides divina eſt virtus intellectualis ſpeculativa, de cuius ratione eſt, reſpicere verum prout in re immediatè, & ideò non poteſt moveri ex verò purè exiſtimato.

98. Sed hæc diſparitas, nec eſt ſufficiens, nec vera. Non eſt vera, quia virtutes morales non reſpiciunt per ſe primo bonum in exiſtimatione tantum, ſed per ſe primo reſpiciunt bonum in re, & prudentia per ſe primo reſpicit verum practicum in re; vt ſatis oſtendi, tum *Tractat. de Conſcient. quæſt. 5. num. 134. & 141.* tum *in præſent. quæſt. 2. numer. 27. & 33.* Et id quidem locis citatis probavi de virtutibus moralibus acquiſitis; quanto ergò magis verum erit in virtutibus ſupernaturalibus per ſe infuſis. Deindè, nec eſt ſufficiens: Quia, dato, quod reſpiciant bonum prout in mente, non poſſunt reſpicere bonum prout in mente per exiſtimationem purè naturalem, quia bonum, hoc modo eſt purè naturale obiectivè, & conſequẽter impotens eſſe motivum, aut obiectum formale virtutis ſupernaturalis, ſeù per ſe infuſę, quia virtus per ſe infuſa, & ſupernaturalis eſſentialiter reſpicit motivum formale, quod ſit obiectivè ſaltem ſupernaturale: Debent ergò reſpicere bonum prout exiſtens in mente ſupernaturaliter, vel per iudicium, vel per apprehenſionem ſupernaturalem, iuxta varias ſententias: Sed bonum, prout exiſtens in mente ſupernaturaliter, nequit eſſe purè exiſtimatum, & falſum in re, quia exiſtentia obiectiva, ſeù repræſentatio ſupernaturalis, ſivè ſit per iudicium, ſivè per apprehenſionem, nequit diſcordare ab obiecto prout in re, alias poſſet obiectum repræſentari ſupernaturaliter per illuſtrationem Spiritus Sancti aliter ac eſt in re, quod nemo concedet: Ergò, quamvis virtutes ſupernaturales reſpiciant bonum prout in mẽte, non poſſunt reſpicere bonum falſo exiſtimatum. Vel, ſi, his non obſtantibus, poſſunt reſpicere bonum purè exiſtimatum, pariter fides divina, quamvis reſpiciat revelationem, vt obiectivè ſibi repræſentatam per illuſtrationem divinam, poterit reſpicere revelationem falſo exiſtimatam.

99. Reſpondeo ergò ad argumentum, conceſſa maiori, negando minorem. Ad eius probationem, diſtinguo antecedens, quoad primam partem: Prudentia infuſa poteſt dictare Hoſtiam in ſingulari eſſe adorandam ex falſa exiſtimatione, quod rectè ſit conſecrata, tanquam ex motivo, & obiecto proprio, nego antecedens: Tanquam ex aliquo præſuppoſito per modum conditionis, concedo antecedens: Et ſimiliter diſtincta ſecunda, & tertia parte antecedentis, nego conſequentiam. Quia aliud eſt obiectum proprium, & motivum formale virtutis; aliud quod requiritur præſuppoſitivè ad obiectum proprium virtutis: Obiectum igitur proprium Religionis in adoratione Hoſtię, non eſt recta conſecratio Hoſtię, imò, nec exiſtentia Corporis Chriſti in Hoſtia; ſed eſt honeſtas ſpecialis relucens in illa adoratione, & cultu, ad quam requiritur per modum conditionis, quod Hoſtia credatur, & habeatur pro conſecrata: Similiter, motivum proprium, & intrinſecum virtutis miſericordię, non eſt egeſtas, vel miſeria pauperis, ſed eſt honeſtas ſpecialis relucens in ſublevatione talis miſerię, ad quam requiritur, per modum conditionis, cognitio miſerię, ſeù egeſtatis alienę: Et ſimiliter de iuſtitia, obiectum enim proprium ipſius, eſt ęquitas illa reſplendens in redditione debiti, ad quam requiritur per modum conditionis cognitio iuris alieni.

100. Dicimus ergò, quod virtutes morales infuſę, benè poſſunt ſupponere aliud obiectum ipſis extrinſecum, vt purè exiſtimatum per modum conditionis, aut occaſionis ad proprium actum, ſeù obiectum exercendum: Cæterum minimè poſſunt reſpicere ſua propria obiecta, & motiva intrinſeca, vt purè exiſtimata, & falſa in re: V. g. in exemplis appoſitis, Re-

ligio infuſa benè poteſt ſupponere Hoſtiam purè in exiſtimatione conſecratam, per modum conditionis, aut occaſionis requiſitę ad honeſtam adorationem, quia Hoſtia, vt ritè conſecrata, non eſt obiectum intrinſecum Religionis: Obiectum enim intrinſecum ipſius eſt honeſtas ſpecialis cultus, & adorationis, & hanc nequit reſpicere purè exiſtimatam, & falſam in re, vndè Religio infuſa, adhùc per accidens, nequit reſpicere adorationem, aut cultum re ipſa inhoneſtum, & purè exiſtimativè honeſtum. Similiter de miſericordia: Eius proprium, & intrinſecum obiectum eſt ſublevatio miſeriç alienę, non autem immediatè ipſa miſeria aliena, niſi reduplicativè vt ſublevanda: Et ideò, licèt circa miſeriam alienam poſſit ſupponere exiſtimationem falſam, non tamen poteſt reſpicere honeſtatem obiectivam ſublevationis vt purè exiſtimatam, & falſam in re; nunquam ergò ſequitur virtutes infuſas poſſe reſpicere ſua propria obiecta vt purè exiſtimativè honeſta, & bona, ſed eſſentialiter eſſe determinatas ad ſua obiecta vt bona in re. Et ſimiliter de prudentia infuſa, cuius obiectum proprium ſunt obiecta aliarum virtutum, vt ordinata ſecundum rectam rationem ad finem vltimum, minimè poteſt reſpicere talia obiecta, vt purè exiſtimativè ordinata, ſed eſſentialiter eſt determinata ad ordinem practicum verum in re: Licèt quandoque ſupponat falſam exiſtimationem circa conditiones, vel occaſiones, vel motiva extrinſeca virtutum, per quam proximè non regulatur, ſed ſolum per propoſitionem ſupernaturalem ſui proprij obiecti, & motivi vt re ipſa, & non purè apparenter veri.

101. Ex dictis in tota hac quæſtione colliguntur plura notatu digna. Primo: Propoſitionē doctrinę Eccleſię, factam per Miniſtros fallibiles, ſufficere ad credēda fide divina myſteria in vniverſali abſolutè, credendo nimirum omnia, quę tenet, & docet S. M. E. & etiam ad illa credenda in ſingulari fide conditionata, ſub illa conditione, ſi ita docet S. M. E. prout explicatur *à num.* 61. & oppoſitum impugnatur, *à num.* 21. *&* 72.

102. Secundo: Quod, ſi adſit motio ſpecialiter certificans, media illuſtratione ſuperna, intellectum circa revelationem, & myſterium in ſingulari, ſufficit etiam prædicta propoſitio Miniſtri fallibilis ad aſſenſum abſolutum myſterij in ſingulari, vt explicatur *à numer.* 75. *& num.* 65.

103. Tertio infertur: Qualis ſit obligatis Fidelis ad ita credendum, nimirum ex conſcientia recta, & ex iudicio ſupernaturali, non verò ex conſcientia erronea, niſi fortè putet ſe obligatum ad credendum abſolutè fide divina, quando ſolum obligatur ad credendum conditionatè, vt conſtat ex *num.* 26. *&* 27. 66. *&* 67.

104. Quarto infertur: Qualis ſit pia affectio ſupernaturalis, quando myſterium propoſitum eſt falſum in re, nempè, quę imperet abſolutè aſſenſum obiectivè conditionatum, non quę imperet conditionatè aſſenſum abſolutum, vt explicatur *à num.* 70.

105. Quinto: Quomodo etiam in dicto caſu ſalvetur, vel non ſalvetur meritum proprium fidei, non enim ſalvatur per aſſenſum erroneum imperatum ex motivo charitatis, vt probatur *num.* 25.

106. Sed per aſſenſum ſupernaturalem, obiectivè conditionatum, myſterij propoſiti, imperatum per ſe ex charitate, qui abſque inconvenienti poteſt eſſe meritorius ſupernaturalis præmij.

107. Sexto infertur: Repugnare fidem re ipſa divinam, quę non ſit metaphyſicè infallibilis, vt conſtat ex dictis *à num.* 33. Minimèque poſſe eſſe infallibilem formaliter, & ex parte actus, quin ſit infallibilis obiectivè ex parte rationis formalis *ſub qua*, vt conſtat *à numer.* 46.

108. Septimo infertur: Non conſtare nobis experimentaliter, an credamus fide re ipſa divina, ſeu purè propter authoritatem divinam, an fide humana purè exiſtimativè divina, vt explicatur *à num.* 49. *&* 85.

109. Octavo infertur: Diſtinctionem revelationis verę in re, à falſa in re, debere eſſe obiectivam ex diverſo modo repræſentationis obiectivę, vt vera poſſit terminare aſſenſum abſolutum fidei divinę, & falſa ſolum fidei humanę, & non ſufficere diſtinctionem illam, in re, & phyſicè ſumptam, incognitam omnino credenti, vt patet *ex num.* 28. *&* *à num.* 53. & magis explicatur *à num.* 86.

110. Nono infertur: Reſolutionem fidei divinę non fieri in revelationem vt ſolum viſibiliter, & ſenſibiliter propoſitam per Miniſtros Eccleſię, ſed etiam vt ſpiritualiter interius propoſitam per illuſtrationem ſupernam Spiritus Sancti, vt conſtat *à num.* 88.

111. Decimo infertur: Virtutes intellectuales ſpeculativas, nō poſſe adhùc per accidens moveri ex ſuis obiectis falſo exiſtimatis: Et licèt prudentia acquiſita, & virtutes morales acquiſitę poſſint per accidens ita moveri, non tamen virtutes morales per ſe infuſę, nec prudentia, circa obiectum proprium, & intrinſecum. *Vt conſtat à num.* 6. *& à num.* 91. *&* 96.

QUÆS-

QUÆSTIO X.

Quodnam ſit obiectum materiale primarium fidei divinę, ſeù formale terminativum?

1. HUCUSQUE explicare conati ſumus obiectum formale motivum fidei theologicę, quod lucē præſtare poſſet ad obiectum terminativum, & materiale cognoſcendum; ſequitur ergò iam de hoc diſſerere, illudque ſimiliter explicare.

2. Igitur prænotandum eſt, quod Div. Thom. *in præſenti, articul.* 1. *in corpore*, vocat omnia ea, quę fides credit ratione primę veritatis revelantis, obiectum materiale fidei, quia reſpectivè ad rationem formalem *ſub qua*, ſivè ad obiectum formale motivum credendi, ea omnia, quę creduntur vt *quod*, ſeù quę terminant aſſenſum fidei, materialiter comparantur. Cæterum hoc non tollit, quod inter hæc omnia poſsit vlterior comparatio fieri; nam inter credita vt *quod* per fidem, poteſt fides principalius, & primario reſpicere vnum, quam alia. Illud ergò credibile vt *quod*, quod primario, & principaliter reſpicitur à fide, & propter quod cætera alia reſpiciuntur ab ipſa, vocatur obiectum materiale primarium, cætera autem, quę reſpiciuntur propter illud, dicuntur obiecta materialia ſecundaria. Item: Quod obiectum materiale primarium, vocari etiam ſolet formale *quod*, ſeù formale terminativum, non quia ſit formale comparativè ad motivum, ſivè ad rationem formalem *ſub qua*, quia reſpectu illius potius eſt materiale, ſed quia eſt quodammodo formale reſpectu obiectorum materialium, quę ſecundario, & propter ipſum reſpiciuntur à fide. Solet etiam appellari ſubiectum attributionis, eo quod de ipſo, quodammodo prædicantur, & ipſi attribuuntur omnia, quę facultas attingit. Vbi eſt advertenda diſtinctio inter ſubiectum, & obiectum. Obiectum enim eſt aliquid complexum, hoc eſt, aliqua propoſitio, ſeù veritas ſcita, aut credita; ſubiectum verò eſt illud, de quo talis veritas, ſeù propoſitio creditur, vel ſcitur. Quę obiectorum diſtinctio ſatis clarè explicata extat in noſtro Curſu Philoſ. *in Log. Tract.* 1. *q.* 1. Hoc igitur prænotato.

*** ✠ *** *** ✠ ***

ANTIQUATÆ OPINIONES reijciuntur.

3. OMISSO Hæreticorum noſtri ęui errore, qui cenſent præcipuum fidei obiectum eſſe, vt vnuſquiſque firmiter credat ſuam iuſtificationem. Quem expreſsè damnavit Tridētin. Synod. *Seſſ.* 6. *de iuſtificatione, Can.* 13. *&* 14. Prima inter Catholicos ſentētia fuit Durādi, *in Prolog. quæſt.* 1. vbi cenſet primarium obiectum fidei eſſe actum virtuoſum, & meritorium. Probat autem ſic: Quia illud eſt primarium obiectum virtutis, quod eſt finis proximus illius: Sed finis proximus fidei divinę eſt actus meritorius: Ergò ille eſt obiectum primarium illius. Probat minorem ex Apoſtol. 2. *ad Timoth.* 3. vbi ait: *Omnis Scriptura divinitus inſpirata vtilis eſt ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus*: Sed fides habet eundem finem, ac Scriptura divinitus inſpirata: Ergò finis proximus eius eſt actus virtuoſus, ſeù meritorius. Confirmat: Quia ille eſt finis proximus fidei, ad quem per ſe primo tendit, & ordinatur omnis doctrina fidei: Sed omnis doctrina fidei ordinatur vt cognoſcamus, & aſſequamur meritum vitę ęternę, vt conſtat, inquit, Durandus ex ſerè omnibus S. Scriptur. teſtimonijs à principio Geneſis, vſque ad finem Apocalyſis: Ergò.

4. Veruntamen hæc ſententia nemini placuit, & merito, quia obiectum primarium fidei debet eſſe, quod ipſa primario credit vt divinitus revelatum; patet autem manifeſtè fidem non credere primario, nec de ſubiecto in quo eſt, nec de alijs, actum meritorium vitę ęternę; aliud enim eſt, quod dirigat ad ipſum eliciendum, aliud quod ipſum credat; primum eſt verum, ſecundum falſum, quia non dirigit ad actum meritorium charitatis, v.g. credendo ipſum actum, ſed credendo obiectum ipſius, nempè, Deum vt ſummum bonum: Ergò non actus meritorius, ſed, ad ſummum, obiectum ipſius actus meritorij erit obiectum fidei.

5. Vndè ad ipſius fundamentum, diſtinguo maiorem: Illud eſt obiectum primarium virtutis, quod eſt finis proximus illius obiectivus, & intrinſecus, concedo maiorem: Extrinſecus, & effectus, nego maiorem, & diſtinguo minorem eodem modo. Ad cuius probationem, & pariter ad confirmationem dico, quod omnis doctrina divinitus inſpirata ordinatur per prius ad notitiam Dei habendam per fidem, & conſequenter, & quaſi ſecundario ad inſtruendos homines in iuſtitia, & vt perfectè vivant, & mereantur vitam ęternam, & hoc, ad

ſummum, probat Textus Apoſtol. & plura alia, quę ſatis diffusè adducir Durand. non verò, quod principalius, & primario ordinetur ad talem inſtructionem; quia hoc non affirmat Apoſtolus, ſed ſolum quod *vtilis eſt ad erudiendum, &c.* Quę vtilitas quàmoprimè ſalvatur, licèr fides tantum ſecundario ad talem eruditionem ordinetur. Prætetquam, quod recta vita, ſeù meritum vitę ęternę, non poteſt eſſe finis obiectivus fidei, quia non eſt finis creditus per modum obiecti, ſed, ad ſummum, finis effectus, hoc eſt, ad cuius efficientiam ordinatur fides; hic autem finis non eſt obiectum fidei, cum non ſit creditum ab ipſa. Item, nec eſt finis intrinſecus, ſed extrinſecus, quia quoties vna virtus dirigit alias, actus aliarum non ſunt finis intrinſecus virtutis dirigentis, ſed ſolum extrinſecus reſpectu illius, quia finis intrinſecus cuiuſvis virtutis conſiſtit in attingentia proprij obiecti, non in exercitio aliarum: Ergò quamvis fides dirigat alias virtutes ad actus meritorios, actus illi meritorij non ſunt finis intrinſecus fidei, ſed ſolum finis extrinſecus: Finis autem intrinſecus obiectivus eſt Deus, vt ab ea creditus.

6. Sed inquit Durand. Licèt fides reſpiciat Deum, non reſpicit illum ſecundum ſe, & abſolutè, ſed vt eſt prima regula rectę operationis, qua dirigimur ad navigandum per huius ſæculi mare, vſque ad ſalutis portum: Ergò ſicur ars nautica, quia conſiderat præcisè motus Aſtrorum, quatenus ſunt regula rectę navigationis, non reſpicit motus Aſtrorum vt obiectum primarium, ſed potius rectam navigationem, ita fides non reſpicit Deum pro obiecto primario, ſed actum meritorium. Reſpondeo primo, negando antecedens: Quia fides primario, & principalius eſt ſpeculativa, quam practica: Vt ſpeculativa, reſpicit Deum ſecundum ſe, & abſolutè: Vt practica verò, reſpicit ipſum tanquam primam regulam rectę operationis: Sequitur ergò, quod primario reſpiciat Deum ſecundum ſe, & abſolutè, vt eſt finis contemplationis, & ſecundario ipſum vt eſt regula rectę operationis. Ex quo patet diſparitas ad artem nauticam, quia illa, nec primario, nec ſecundario eſt ars ſpeculativa Aſtrorum, ſed totaliter eſt practica, & ideò non conſiderat Aſtra niſi ſecundario, vt conducunt ad rectam navigationem.

7. Secundo reſpondeo: Quod quamvis fides eſſet primario practica, & reſpiceret Deum vt finem, & regulam rectę operationis, non propterea reſpiceret primario rectam operationem. Primo: Quia benè poteſt vna facultas reſpicere pro obiecto primario aliquid per ſe ordinatum ad rectas operationes alterius facultatis, quin reſpiciat illas operationes pro obiecto primario, ſed ſolú pro fine extrinſeco; ars enim frœno factiva, reſpicit pro obiecto proprio primario frœnum, quod ex ſe ordinatur ad rectam equitationem, & tamen non reſpicit pro obiecto rectam equitationem, ſed ſolum pro fine extrinſeco: Sic ergò, quamvis fides reſpiceret Deum propter rectam operationem, non ſequeretur reſpicere pro obiecto proprio, & primario rectam operationem, ſed ad ſummum, quod illam reſpiceret pro fine extrinſeco. Secundo: Quia fides non reſpicit Deum propter rectam operationem, tanquam propter finem, cuius gratia, illam reſpiciat; ſed potius hoc modo reſpicit rectam operationem propter Deum, ipſumque Deum tanquam finem, cuius gratia, rectę operationis: Et hoc ipſum eſt reſpicere ipſum, vt primam regulam illius, quia in practicis prima regula operationis eſt finis, cuius gratia. Et in hoc apparet diſparitas ab arte navigandi, quia illa non reſpicit Aſtra, vt finem, cuius gratia, navigationis; ſed ècontra, Aſtra propter navigationem, vt finem cuius gratia, & non propter navigationem vt finem extrinſecum, ſed propter illam vt finem proprium, & intrinſecum: Nulla ergò eſt paritas, ſed diſparitas omnimoda.

8. Sed dices: Fides reſpicit Deum, vt illum, *qui propter noſtram ſalutem, & propter nos homines, &c.* vt dicitur in Symbolo: Ergò reſpicit Deum propter noſtras ſalutares operationes, tanquam propter finem. Diſtinguo conſequens: Tanquam propter finem effectum, & extrinſecum fidei, concedo: Tanquam propter finem, cuius gratia, & intrinſecum, propriumque ipſius fidei, nego conſequentiam: Quia ex illis verbis Symboli, ad ſummum, probatur fidem reſpicere Deum propter noſtram ſalutem, tanquam propter finem effectum, ſeù efficiendum ab ipſo, & tanquam propter finem extrinſecum ipſi fidei; quod non ſufficit, vt noſtra ſalus, aut ſalutares operationes ſint obiectum proprium, & primarium fidei.

9. Secunda ſententia tribuitur, Hugo de S.Vict. Lyconienſi, Alenſi, Okamo: Et aſſerit, Chriſtum Dominum, non ſolum vt Deum, ſed vt hominem, eſſe obiectum primarium, ſeù attributionis divinę fidei: Et Probatur, primo ex illo Ioan. 17. *Hæc eſt vita ęterna, vt cognoſcant, te ſolum verum Deum, & quem miſiſti, Ieſum Chriſtum.* Et ex illo eiuſdem Ioan. 20. *Hæc autem ſcripta ſunt, vt credatis, quia Ieſus eſt Chriſtus Filius Dei.* Secundo: Quia idem eſt obiectum attributionis fidei, ac prædicationis Apoſtolorum: Sed huius obiectum eſt Chriſtus, iux-

iuxta illud 1. ad Corinth. 1. *Nos autem prædicamus Ieſum Chriſtum.* Et Act. 2. *Prædicamus Chriſtum, & hunc crucifixum.* Et alibi ſæpè: Ergò Chriſtus eſt obiectum attributionis fidei. Tertio: Quia idem eſt obiectum attributionis fidei,ac finis totius Sacræ Scripturę;ſed finis Sacrę Scripturę eſt Chriſtus, iuxta illud ad Rom. 10. *Finis legis Chriſtus*: Ergò. Quarto, ex illo Ioan. 5. *Si crederetis Moyſi, crederetis vtique & mihi, de me enim ille ſcripſit*: Vbi obſervat Auguſtin. *lib.* 16. *contra Fauſtum, cap.* 22. quod Chriſtus non dixit: *Et de me ſcripſit*, tanquam etiam Moyſes ſcripſiſſet de aliquo alio, ſed abſolutè: *De me ſcripſit*, quia omnis Moyſi Scriptura de Chriſto tantum erat, vt de fine præcipuo,& vnico: Ergò etiam ipſe Chriſtus eſt vnicum obiectum præcipuum fidei theologicę, quę idem obiectum habet, ac Scriptura Moyſis.

10. Sed hæc ſententia etiam communiter reijcitur: Quia licèt humanitas Chriſti ſit primum, & præcipuum medium noſtræ ſalutis, ex hoc ad ſummum probatur, quod inter omnia media, quę ſecundario reſpiciuntur à fide, humanitas Chriſti præcipuum locum obtineat, ac proindè, quod inter obiecta ſecundaria ſit principalius obiectum ex ſecundarijs, non tamen, quod ſit obiectum primarium, vel attributionis, quia etiam humanitas Chriſti non creditur propter ſe, ſed propter ipſius divinitatem.

11. Vndè ad fundamenta appoſita facilè reſpondetur. Ad primum, quod, dum dicitur: *Hæc eſt vita ęterna, vt cognoſcam te ſolum verum Deum, & quem miſiſti, Ieſum Chriſtum*, intelligitur de cognitione per viſionem beatam, in qua vita ęterna conſiſtit: & dato,quod extendatur ad cognitionem per fidem, debet intelligi ſicut de viſione beata: Vndè, ſicut obiectum viſionis beatę non eſt ęquè primo humanitas Chriſti, & divinitas, ſed divinitas primario, & humanitas ſecundario,ita etiam obiectum fidei: vndè ſenſus eſt: Hæc eſt vita ęterna, vt cognoſcam primario te ſolum verum Deum, & ſecundario, quem miſiſti Ieſum, in quantum hominem. Et eodem modo intelligendum eſt illud: *Vt credatis, quia Ieſus eſt Filius Dei*, nimirum, vt id credatis ſecundario in ordine ad Deum ipſum primario creditum.

12. Ad ſecundum, ſimiliter, conceſſa maiori, nego minorem: Quia ex illis verbis ſolum ſequitur Apoſtolos prædicaſſe Chriſtum, tanquam medium potiſſimum inter omnia,quę ordinantur ad Deum, ſeù tanquam inter omnia obiecta ſecundaria principaliſſimum, non verò tanquam finem, & obiectum primarium abſolutè, quia hoc eſt ſolus Deus vt Deus, ad quem ordinatur Chriſtus vt homo:Iuxta illud eiuſdem Apoſtol. 1. ad Corinth. 13. *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.*

13. Ad tertiam,conceſſa maiori, nego minorem: Quia Chriſtus ſolum dicitur finis legis, ſeù doctrinę Moyſis,vt figurativę, & ſignificativę legis gratię, eo quod lex ſcripta, tota ordinabatur ad ſignificandum, & figurandum Chriſtum: Ex quo ſolum ſequitur, quod Chriſtus ſit finis illius, vt ſignificativę, & figurativę, non autem quod ſit finis primarius, & ſimpliciter talis totius Scripturę, quia ipſa figuratio Chriſti per legem ſcriptam,& novumTeſtamentum ordinatur vltimo, & principalius ad Deum ipſum,vt Deum. Ex quo patet ad quartum,nam ex illo ſolum probatur Moyſem ſcripſiſſe de Chriſto tanquam de principaliſsimo ſignificato per figuras, & vmbras legis, non verò tanquam de obiecto ſimpliciter primario.

14. Reiectis igitur his opinionibus in Scholis iam antiquatis, ſequuntur alię adhùc in Scholis controverſę: Prima eſt Gabriel. *in* 3. *diſt.* 24. *quæſt.* 1. *art.* 1. Et Gregorij, *diſt.* 23. qui aſſerunt obiectum attributionis, ſeù ſubiectum primarium fidei eſſe omne revelabile obſcurè, ſivè ens divinitus, & obſcurè revelabile, ſivè ſit Deus, ſivè aliquid creatum. Secunda eſt iam communis inter Theologos,quod nimirum,ſolum Deus eſt obiectum primarium materiale fidei,entia verò creata revelata ſolum eſſe obiectum ſecundarium. Sed hæc rurſus dividitur in duas alias ſententias, nam aliqui aſſerunt Deum eſſe ſubiectum attributionis fidei, prout importat deitatem, & attributa, & relationes. Alij autem inquiunt, ſolum Deum ſub ratione deitatis, vt virtualiter diſtinctę ab attributis, eſſe obiectum attributionis. Quid ſentiam, iam explico duabus concluſionibus.

PRIMA CONCLVSIO.

15. DICO primo: *Solum Deus eſt ſubiectum attributionis, ſeù obiectum materiale primarium fidei theologicę.* Ita omnes Thomiſtę cum ſuo Angel.Doct. in præſenti,& communiter exteri, Suarez *diſput.* 2. *de fide, ſect.* 1. Ripalda *de fide controv.* 1. *punct.* 1. Puente Hurtado *diſput.* 16. *ſect.* 2. & 3. Vazquez *tom.* 1. *in* 1. *part. diſp.* 10. *cap.* 2. Valent. *in præſent. diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 1. §. 3. Lugo *de virt. fidei, diſp.* 3. *ſect.* 2. *numer.* 14. & alij. Probatur autem primo ex pluribus S. Scriptur. locis, in quibus aſsignatur Deus pro obiecto potiſsimo fidei. Exempl. gr. Marci. 11. *Habete fidem Dei*, & Ioann. 14. *Cre-*

ditis in Deum, & in me credite, & Apoſt. 1. ad Theſſalon. 1. *In omni loco fides veſtra, quę eſt ad Deum, profecta eſt.* Et potiſsimè ad Hebræos 12. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, &c.* Et ad Epheſ. 4. *Vnus Dominus, vna fides*, vbi Apoſt. ex vnitate Dei probat vnitatem fidei: Sed, niſi Deus eſſet obiectũ primariũ adæquatũ fidei, non rectè probaret, quia ſolũ ex vnitate obiecti primarij adæquati probatur vnitas virtutis: Ergò. Atque id confirmatur ex Symbolo, vbi primo proponitur credendus Deus: *Credo in Deum Patrem, &c.* Et ex Symbol. Athanaſij: *Hæc eſt fides catholica, vt vnum Deum, &c.* tanquam ſolus Deus ſit primum credendum, in ordine ad quem reliqua credenda proponantur. Conteſtatur Auguſt. qui *lib. 4. de Civitate Dei, cap. 20.* inquit: *Fidei primum, & maximum officium eſt, vt in verum credatur Deum*: Similiter Dyoniſius, *de divinis nominibus, lib. 7.* vbi inquit: *Fides eſt circa ſimplicem, & eodem modo ſe habentem veritatem.* Item Cyrillus Hieroſolymitanus, *Catech. 5. de Fide*, inquit: *Quod de Deo ſpeculatur, Deum intuetur.* S. Irenæus *lib. 4. cap. 13. Fides, quę eſt ad Deum altiſsimum, iuſtificat hominem.* Ac denique D. Thom. *quæſt. 14. de veritate, quę eſt de Fide, art. 8.* ſic ait: *Veritas divinę cognitionis hoc modo ſe habet, quod primo, & principaliter eſt ipſius rei increatę, creaturarum verò quodammodo conſequenter; & ita fides, quę hominem divinę cognitioni coniungit per aſſenſum, ipſum Deum habet ſicut principale obiectum, alia verò quæcumque, ſicut conſequenter adiuncta.* Idem docet *in præſenti, art. 1. in corp.* his verbis: *Si verò conſideremus materialiter ea, quibus fides aſſentit, non ſolum eſt ipſe Deus, ſed etiam multa alia, quę tamen ſub aſſenſu fidei non cadunt, niſi ſecundum quod habent aliquem ordinem ad Deum.* :: *Et ideò etiam ex hac parte obiectum fidei eſt quodammodo veritas prima, in quantum nihil cadit ſub fide, niſi in ordine ad Deum: Sicut etiam obiectum Medicinę eſt ſanitas, quia nihil medicina conſiderat, niſi in ordine ad ſanitatem.* En vbi D. Thom. non ſolum noſtram docet ſententiam, ſed rationes ad eam probandam miniſtrat.

16. Probatur ergò primo, ratione ex primis verbis deſumpta: Quia fides coniungit hominem per aſſenſum divinę cognitioni, facitque hominem participem divinę cognitionis, illique conformem: Sed divina cognitio reſpicit pro obiecto primario ſolum Deum ipſum, reliqua verò creata ſecundario, & ex conſequenti: Ergò pariter fides divina. Explicatur: Fides divina eſt formalis, vel ſaltem ſpecialis participatio, licèt obſcura, & imperfecta, divini luminis, ſeù divini intellectus: Sed lumen divinum, vel divinus intellectus reſpicit pro obiecto primario Deum ipſum tantum, & non ens in communi, prout comprehendit creatum, & increatum: Ergò pariter fides divina. Minorem probant Thomiſtę cum ſuo Angel. Doct. 1. *part.* agentes de ſcientia Dei. Conſequentia patet: Quia participatio formalis divini intellectus debet idem obiectum reſpicere, ſaltem loquendo de obiecto *quod*, & terminativo.

17. Secundo probatur ex ſecundis eiuſdem verbis: Illud eſt obiectum formale *quod*, ſeù materiale primarium alicuius facultatis, quod per ſe primo reſpicitur ab ipſa, & ratione cuius cætera reſpiciuntur: Sed fides divina per ſe primo reſpicit Deum, reliqua verò ab ipſo diſtincta reſpicit propter Deum, & ratione ipſius: Ergò ſolus Deus eſt obiectum formale illius, ſeù materiale primarium. Minor probatur, primo: Quia idem eſt obiectum fidei, ac divini teſtimonij, quo formaliter innititur: Sed vt loquitur D. Thom. *quæſt. 14. de verit. artic. 8. ad 2. Divinum teſtimonium, ſicut, & cognitio, primo, & principaliter eſt de ſe ipſo, & ſolum conſequenter de alijs*: Ergò pariter fides. Secundo: Quia idem eſt obiectum *quod* fidei divinę, ac viſionis beatę, ſiquidem fides in via ſubſtituit pro viſione Patrię: Sed viſio beata per ſe primo reſpicit Deum, reliqua verò ratione illius: Ergò pariter fides divina.

18. Explicatur: Quia fides habita de concluſionibus ſcientię ſubalternantis idem obiectum *quod* reſpicit, ac ipſa ſcientia ſubalternans, ſiquidem pro ea ſubſtituit, vndè fides de concluſionibus Arithmeticę, quę facultas eſt ſubalternans reſpectu Muſicę, ſubſtituit pro ipſa Arithmetica, notificando obſcurè eadem principia, quę clarè demonſtrat Arithmetica, & ideò habet idem obiectum, ac illa: Sed fides divina ſubſtituit pro viſione beata, quia oſtendit obſcurè principia Theologię, quę ſcientia beata clarè monſtrat, vndè Theologia per ſe ſubalternatur ſcientię beatę, & per accidens fidei: Ergò fides debet reſpicere idem obiectum *quod*, ac ſcientia beata: Sed hæc reſpicit ſolum Deum per ſe primo, & reliqua ratione illius: Ergò idem de fide.

19. Confirmatur: Quia idem obiectum *quod* debet habere fides divina, ac Theologia: Sed Theologia reſpicit Deum per ſe primo & reliqua ſecundario, & in ordine ad ipſum, vt communiter tenent Theologi, & oſtendit ipſum nomen *Theologię*, quod ſignificat *ſcientiam de Deo, vel circa Deum*: Ergò etiam fides. Maior probatur, quia idem eſt in qualibet ſcientia ſubiectum primorum principiorum, & ſubiectum concluſionum, quę per talem ſcientiam demonſtrantur; cum enim concluſiones inferantur

tur

tur ex principiis, non poſſunt concluſiones prædicari de ſubiecto diſtincto à ſubiecto, de quo ſunt principia, quia alias non inferrentur legitimè. Sed fides eſt veluti lumē principiorum reſpectu Theologię, ſiquidem miniſtrat Theologię principia, ex quibus Theologia ſuas demonſtrat concluſiones: Ergò debet habere idem ſubiectum attributionis, ac Theologia.

20. Denique ſuadetur concluſio alia ratione ſæpè viſitata à D.Thom. Quia fides eſt virtus theologica, vt ipſe probat 1.2. *quæſt.62. articul.3.* Sed de ratione virtutis theologicę eſt reſpicere ſolum Deum pro obiecto primario terminativo, ſeù pro obiecto formali *quod*: Ergò fides ſolum Deum reſpicit, vt obiectum primario terminativum, ſeù formale *quod.* Probatur minor. Primo: Ex ipſa ethymologia, quia virtus, vel habitus vocatur theologicus ex obiecto, quod per ſe primo, & principaliter reſpicit: Sed vocatur Theologicus à *Theos*, id eſt, à Deo: Ergò quia Deum per ſe primo reſpicit, & reliqua propter ipſum, ſeù quia Deum reſpicit, vt obiectum primario terminativum, ſeù formale *quod.* Secundo: Quia virtutes theologicę in hoc differunt à virtutibus moralibus, quod iſtę ſunt circa media, illę verò circa ipſum vltimum finem: Sed finis vltimus eſt ſolus Deus: Ergò de ratione virtutis theologicę eſt reſpicere ſolum Deum pro obiecto primario terminativo. Tertio: Quia alię duę virtutis theologicę, nempè ſpes, & charitas, quę pertinent ad voluntatem, reſpiciunt ſolum Deum pro obiecto primario terminativo: Ergò etiam fides, quę pertinet ad intellectum. Conſequentia patet: Quia ſic rectificat fides intellectum circa ſummum verum, ſicut ſpes, & charitas voluntatem circa ſummum bonum.

SECVNDA CONCLVSIO.

21. DICO ſecundo: *Deus ſolum ſub ratione deitatis, & non ſub aliis rationibus attributalibus, eſt obiectum formale* quod *fidei, formaliter loquendo, & ex noſtro modo concipiendi.* Ita ferè omnes Thomiſtę; quos citant, & ſequuntur in præſent. PP. Salmant. *diſputat.* 1. *num.*26. & ex exteris, Scotus, Suarez, Valentia, & alij. Contra aliquos ex Antiquis, qui dixerunt ſolum Deum ſub munere Salvatoris eſſe ſubiectum attributionis fides, & contra Lugo, qui non ſolum Deum ſub ratione deitatis, ſed etiā ſub ratione aſſequibilis à nobis per media revelata, inquit, eſſe ſubiectum attributionis fidei.

22. Probatur autem primo eiſdem teſtimonijs S. Scripturę, & SS. PP. quibus præcedens: Nam in illis Deus abſolutè aſſignatur pro obiecto primario fidei, abſque nomine vllo, vel reduplicatione attributali; v. g. cum dicitur: *Habete fidē Dei*: Et: *Fides veſtra, quæ eſt ad Deum*: Et: *Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt.* Et illud Auguſtin. *Fidei primum, & maximum officium eſt, vt in verum credatur Deum*: Et ſic de alijs, vt relegenti conſtabit: Sed Deus abſolutè nominatus, ſine vlla reduplicatione attributali, intelligitur Deus ſub ratione deitatis: Ergò ſub hac præciſa ratione eſt ſubiectum attributionis fidei.

23. Item, ſuadetur eiſdem rationibus, & paritatibus, quibus prima concluſio: Quia ſcientia divina, cuius participatio eſt fides, & ſcientia beata, pro qua ſubſtituit, & Theologia, cui deſervit vt lumen principiorum, habent pro ſubiecto attributionis Deum ſub ratione Dei, & non ſub ratione vlla attributali, vt ſuis locis probatur à ferè omnibus Thomiſtis: Ergò idem ſubiectum attributionis debet fidei aſsignari. Et quidem de Theologia, inquit D. Thom. 1. *part. quæſt.*1. *articul.*7. *in corpore*: *Quod omnia per tractantur in Sacra Doctrina ſub ratione Dei, vel quia ſunt ipſe Deus, vel quia habent ordinem ad ipſum*: Ergò Deus ſub ratione Dei eſt ſubiectum attributionis Sacrę Doctrinę, & conſequenter fidei.. Idem probatur ex ratione virtutis theologicę, quę denominationem ſumit, non ab aliquo attributo, ſed à Deo ſub ratione Dei: Ergò cum fides ſit virtus theologica, Deum ſub ratione Dei reſpicit pro obiecto primario.

24. Deindè ſpecialiter probatur: Quia licèt fides reſpiciat, & credat de Deo omnia attributa, & relationes, ſubiectum principale, de quo omnia iſta credit eſt Deus ipſe ſub ratione deitatis, nam de Deo ſub dicta ratione credit eſſe ſummè ſapientem, ſummè bonum, iuſtum, miſericordem, ęternum, trinum, & vnum, omnipotentem, &c. Sed ſubiectum primarium, ſivè attributionis fidei eſt ſubiectum principale, de quo reliqua credit, ſicut ſubiectum attributionis ſcientię demonſtrativę eſt illud, de quo ſcientia reliqua demonſtrat: Ergò ſubiectum attributionis fidei eſt Deus ſub præciſa ratione deitatis. Confirmatur: Fides reſpicit deitatem, & attributa cum aliquo ordine, ſiquidem credit ea ex noſtro modo concipiendi, vt diſtincta, & per diſtinctos actus: Sed non reſpicit deitatē in ordine ad attributa, & relationes: Ergò reſpicit attributa, & relationes in ordine ad deitatem: Ergò reſpicit deitatem propter ſe, & relationes, & attributa in ordine ad deitatem: Sed hoc eſt reſpicere deitatem, vt obiectum primarium, & attributa, & relationes ſecundario: Ergò.

25. Ex

25. Ex quo inferes: Quod quamvis viſio beata, intellectus, & voluntas divina, non reſpicerent attributa ſecundario, ſed primario, iuxta aliquorum ſententiam, adhùc fides poſſet illa reſpicere ſecundario; ratio eſt, quia propreteà in illa ſententia hoc non admittitur, quia viſio beata, intellectus, & voluntas divina, non reſpiciunt deitatem, & attributa cum ordine, & diſtinctione, ſed vnico, & ſimplici conceptu Deum, prout eſt in ſe, quo pacto importat indiviſibiliter, & ęquè primo relationes, & attributa: Sed fides non ita reſpicit Deum, ſed diſtinctis actibus, credendo cum diſtinctione, & ordine deitatem, relationes, & attributa, quia credit conformiter ad noſtrum modum concipiendi: Ergò, quamvis daremus, quod intellectus, & voluntas divina, & viſio beata, non reſpicerent deitatem, & attributa cum ordine primarij, & ſecundarij, fides tamen poteſt ea reſpicere cum tali ordinè, & conſequenter deitatem, vt obiectum primarium, & reliqua ſecundario.

SOLVVNTVR OBIECTA.

26. OBIJCIES primo: Illud eſt ſubiectum attributionis cuiuſvis facultatis, de quo prædicantur omnia, quę illa facultas attingit: Sed non omnia, quę fides credit, prædicantur de Deo, ſed plura prædicantur de alijs entibus creatis; nam Habraham habuiſſe duos filios, Davidem fuiſſe vnctum in Regem Iſrael, Eliam aſcendiſſe per turbinem in Cœlum, & alia innumera, quę de creaturis revelantur in Scriptura, non prædicantur de Deo: Ergò non Deus ſolus, ſed ens, prout abſtrahit à Deo, & creaturis eſt ſubiectum attributionis fidei. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: Subiectum attributionis eſt, de quo prædicantur omnia, quę facultas attingit, de quo, inquam, prædicantur in recto, vel in obliquo, concedo maiorem: De quo prædicantur in recto, nego maiorem, & diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam: Quia ad hoc, vt prædicentur de Deo in obliquo, ſufficit, quod aliqualiter ordinentur ad ipſum, vel tanquam effectus, vel tanquam ſigna, velaliter; v.g. Habraham habuiſſe duos filios dicitur in obliquo de Deo, quatenus eſt quodam myſterium ſignificans duo Teſtamenta Dei, ſeù duos Populos Dei, vnum de Ancilla, nempè, de Synagoga, & alium de Libera, nempè, de Eccleſia: Davidem fuiſſe vnctum in Regem prædicatur de Deo in obliquo, quatenus eſt myſterium ſignificans vnctionem internam per gratiam Dei: Eliam aſcendiſſe per turbinem in Cœlum, in quantum fuit quodam præmium, & retributio Dei, & ſic alia omnia, quę in Scriptura revelantur, revelantur, vt ſunt aliquid Dei, vel ad Deum ſpectans aliqualiter, quod eſt prædicari de Deo in obliquo, quia licèt in recto, & formaliter prædicentur de creaturis, prædicantur tamen cum aliqua connotatione ad Deum, ad cuius notitiam hominibus communicandam tota Scriptura ordinatur per ſe primo. Et forſan in hoc ſenſu loquutus eſt Paludanus, quem graviter corripit Suarez *in præſent. diſput. 2. ſect. 2. numer. 1.* Eo, quod dixerit nullam propoſitionem credi per fidem infuſam, cuius ſubiectum non ſit Deus. Et ſanè, ſi de ſubiecto proprio, & formali in recto loquutus eſt Paludanus, rectè corripitur, quo alias innumerę propoſitiones, quę revelantur in Scriptura de puris creaturis, vt ſunt ſuprà relatę, credi non poſſent fide divina, quod ipſam divinam fidem, euerteret; ſi autem loquutus fuit de ſubiecto in obliquo modo explicato, nullum abſurdum continet.

27. Sed replicabis primo: Quia plura revelantur in ipſa S. Scriptura abſque vllo ordine ad Deum, nec ad maiorem Dei notitiam præſtandam: Ergò ruit ſolutio. Probatur antecedens, primo: Quia in Scriptura revelatur Tobiam habuiſſe canem: Sed id nullatenus ordinatur ad Dei notitiam, nam quis maiorem Dei notitiam acquirit ex eo, quod credat Tobiam canem habuiſſe? Ergò. Secundo: Quia plura peccata revelantur in Scriptura; ſed peccata nullum ordinem ad Deum important: Ergò. Reſpondeo, negando antecedens. Ad primam eius probationem, nego minorem, nam, quamvis Tobiam habuiſſe canem materialiter, & ſecundum ſe conducere non videatur ad Dei notitiam, tamen vt pars illius hiſtorię, quę maximè commendat Dei erga ſuos bonitatem, & providentiam, re ipſa conducit, quia in eo indicatur, Deum etiam de minimis curare, & providere ſervis ſuis, & per abiecta quæque ſua eos conſolate aliquando. Ad ſecundam, diſtinguo minorem: Peccata nullum ordinem dicunt ad Deum, nec connotationem ad ipſum, nego: Ordinem ſtrictum, tranſeat, & nego conſequentiam: Quia vt ſecundario, & in ordine ad Deum poſſint peccata reſpici, opus non eſt, quod dicant intrinſecum, ac proprium ordinem ad ipſum, ſed ſatis eſt, quod aliqualiter Deum connotent, in quantum ſunt offenſa Dei, punita, vel punibilia ab ipſo, vel ab ipſo dui patienter tolerata, aut propter altos fines permiſſa; nam ſub his connotationibus non parum conducunt ad Dei notitiam commendandam.

28. Replicabis ſecundo: Si fides cætera præter Deum reſpiceret in ordine ad ipſum,

vt primario credibilem, vel creditum, fides nihil poſſet credere extra Deum, niſi prius aliquid de Deo credendo: ſed hoc eſt falſum: Ergò fides nō reſpicit cætera præter Deū in ordine ad ipſum, vt primum credibile, vel creditum. Probo minorem: Quia ille, qui audit Deum aliquid reuelaſſè, v.g. peccatum originale, poteſt immediatè illud credere, nihil aliud de Deo credēdo: Ergò opus non eſt aliquid prius de Deo credere. Reſpondeo primo, negando maiorem: Quia fides, vt reſpiciat Deum pro obiecto materiali primario, opus non eſt, quod cætera reſpiciat in ordine ad Deum, vt primo creditum in exercitio, ſed ſatis eſt, quod ea reſpiciat in ordine ad Deum, vt primum credibile, vel credendum ex inclinatione, ſeù intentione ipſius fidei. Quod patet in Logica, quę reſpicit ſecundario partes modi ſciendi in ordine ad ipſum modum ſciendi, non vt primo ſcitum in exercitio, quia in exercitio prius agit de partibus ipſius, quam de ipſo modo ſciendi, ſed in ordine ad ipſum vt primum ſcibile, vel ſciendum ex intentione, & inclinatione habitus: Et hoc ſufficit, vt ipſe modus ſciendi ſit ſubiectum attributionis Logicę, vt diximus *in Logica, Tractat.* 1. *quæſt. 6. num.* 8. & non partes eius, vt diximus *ibi num.* 2. Vel ſecundo reſpondeo, omiſſa maiori, negando minorem: Quia forſan fides diuina reſpicit Deum, non ſolum vt primum credibile in intentione, ſed etiam vt primo creditum in exercitio. Quænam ex his ſolutionibus tenenda ſit, dicemus, infrà.

29. Replicabis tertio: Fides reſpicit ſua obiecta materialia, vt ſtant ſub ratione formali motiua, nempè, ſub reuelatione diuina: Sed omnia ęquè immediatè ſtant ſub reuelatione diuina, quia omnia ęquè immediatè ſunt reuelata, & ęquè immediatè ſunt de fide: Ergò omnia reſpicit ęquè immediatè: Ergò omnia reſpicit ęquè primo, ſine ordine vnius ad aliud: Ergò obiectum primarium adæquatum ex omnibus illis coaleſcit. Reſpondeo, conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: Omnia ęquè immediatè ſunt reuelata, & ęquè per ſe primo, nego minorem: Æquè immediatè, cum ordine primarij, & ſecundarij, concedo minorem, & diſtinguo conſequens eodem modo, negoquè vltimam conſequentiam: Quia licèt omnia obiecta materialia fidei ſint immediatè de fide, & immediatè reuelata, tamen ſunt reuelata cum ordine quodam, ita, vt Deus ipſe primario reuelet ſe ipſum, & ſecundario alia à ſe. Nam vt inquit D. Thom. *quæſt.* 14. *de veritat. articul.* 1. *ad* 2. quod hanc eandem replicam continet: *Licèt diuino teſtimonio ſit de omnibus credendum, tamen diuinum teſtimonium, ſicut & cognitio, primo, & principaliter eſt de ſe ipſo; & conſequenter de alijs, iuxta illud Ioann.* 8. Ego teſtimonium prehibeo de me ipſo: *Vndè fides eſt principaliter de Deo, & conſequenter de alijs.*

30. Obijcies ſecundo contra ſecundam concluſionem: *Fides Catholica*, iuxta Symbol. Athanaſij, *eſt, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur*: Sed deitas ſub ratione præciſa deitatis non explicat Trinitatem: Ergò ſub ratione ipſa deitatis non eſt adæquatum obiectum primarium, ſeù attributionis fidei. Confirmatur primo: Quia deitas ſub ratione deitatis non excedit lumen naturale intellectus, cum poſſit lumine naturali demonſtrari: Sed obiectum formale *quod* fidei diuinę debet excedere lumen naturale intellectus, quia debet eſſe formaliter ſupernaturale, cum fides ipſa ſit formaliter ſupernaturalis: Ergò deitas non eſt obiectum formale *quod* fidei theologicę. Confirmatur ſecundo: Quia fides non reſpicit attributa, & relationes vt obiecta ſecundaria: Ergò ea reſpicit etiam primario: Ergò obiectum primarium ex illis etiam coaleſcit, & non eſt ſola deitas. Probo antecedens: Quia aliter fides debet reſpicere attributa diuina, & relationes, ac reſpicit myſteria creata: Sed hæc reſpicit ſecundario: Ergò illa non reſpicit ſecundario, ſed primario. Confirmatur tertio: Quia fides reſpicit Deum prout eſt in re, cum ſit infallibiliter conformis ſuo obiecto: Sed Deus prout eſt in re importat deitatem, & attributa, & non ſolam deitatem: Ergò Deus eſt obiectum primarium fidei, vt importat deitatem, & attributa, & non ſub præciſa ratione deitatis.

31. Reſpondeo: Quod Symbolum Athanaſij, in illis verbis, ſolum explicat quid ſit neceſſarium credere ad Fidem Catholicam, ſeù ad ſalutem ęternam, vndè concludit: *Qui vult ergò ſaluus eſſe, ita de Trinitate ſentiat*, non autem explicat, quodnam ſit obiectum primario terminatiuum; & ideò ſolum ſequitur, quod Trinitas ſit neceſſario credenda ad ſalutem, vel explicitè, vel implicitè, non verò quod ſit obiectum primarium ratione ſui. Vndè in forma, diſtinguo, ſeù explico maiorem: Fides Catholica, in quantum explicat neceſſario credenda ad ſalutem, eſt, vt vnum Deum in Trinitate, &c. concedo: In quantum explicat obiectum primario terminatiuum, nego maiorem, &, conceſſa minori, conſequentiam, propter dicta.

32. Ad primam confirmationem, diſtinguo maiorem: Deitas ſub ratione deitatis, vt participabilis modo naturali à creaturis, & vt ex illis naturaliter demonſtrabilis, non excedit lu-

lumen naturale intellectus, concedo maiorem: Vt participabilis modo ſupernaturali à creaturis per gratiam, nego maiorem, & conceſſa minori, diſtinguo conſequens eodem modo: Quia deitas poteſt dupliciter conſiderari, nempè, vel vt participabilis imperfectè à creaturis modo naturali, & ſic verum eſt, quod non excedit in eſſe obiecti lumen naturale. Vel vt formaliter participabilis à creaturis per gratiam modo ſupernaturali, & ſic excedit lumen naturale intellectus, & ſub hac ratione poteſt eſſe obiectum formale *quod* fidei.

33. Ad ſecundam confirmationem, diſtinguo antecedens: Non reſpicit attributa, & relationes vt obiecta ſecundaria, realiter ſecundaria, concedo antecedens: Secundaria ex noſtro modo concipiendi, nego antecedens. Ad cuius probationem eadem diſtinctione reſpondeo, quod fides diverſo modo reſpicit creaturas, adhùc in ratione obiecti ſecundarij, ac attributa, & relationes, quia hæc reſpicit, vt obiecta ſecundaria ex noſtro modo concipiendi, & per ordinem rationis tantum, licèt cum fundamento in re, nam realiter, ſeù in ſenſu identico fateamur, etiam attributa, & relationes eſſe obiectum primarium; attamen creata myſteria reſpicit vt realiter, ſeù in ſenſu reali ſecundaria, per ordinem realem illorum ad Deum.

34. Neque admitto PP. Salm. ſolutionem: Qui dicũt, attributa, & relationes, quatenus prædicantur de Deo, & illi attribuuntur, pertinere ab obiectum primarium fidei complexè ſumptum, quia obiectum primarium, ad diſtinctionem ſubiecti, includit non ſolum primum ſubiectum, de quo omnia credit fides, quod dicitur ſubiectum attributionis, ſed ea, quę de ipſo prædicantur, nempè, attributa, & relationes: Sicut paſsiones entis, in quantũ prædicantur de ente, ſunt obiectum primarium Metaphyſicę. Quatenus verò attributa, & relationes ſunt ſubiecta, de quibus fides aliquid credit, vt de ſapientia, eſſe infinitam, & inveſtigabilem, de miſericordia eſſe remiſsivam peccatorum, de Paternitate, eſſe realiter diſtinctam à filio, &c. inquiunt, eſſe ſubiecta ſecundaria.

35. Contra enim eſt: Quia ideò ſub hac ſecunda conſideratione, ſecundario reſpiciuntur à fide, quia non ſunt primum ſubiectum, de quo fides credit, ſed ſupponunt Deum in ratione primi ſubiecti: Sed etiam ſub prima conſideratione non ſunt primum prædicatum, quod fides de Deo credit, ſed ſecundarium: Ergò adhùc in prima conſideratione non ſunt obiectum primarium, ſed ſecundarium. Probo minorem: Quia vt inquit Apoſtol. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quod remunerator eſt*: Ergò prius credimus de Deo, ipſum eſſe, hoc eſt, eſſe verum Deum, quam credamus alia attributa, nempè, ſapientem eſſe, remuneratorem eſſe, &c. Ergò deitas ſola eſt primarium prædicatum inter omnia, quę de Deo credimus: Ergò Deus ſub ratione deitatis, non ſolum eſt ſubiectum primarium attributionis incomplexè ſumptum, ſed etiam obiectum primarium, ſumpto obiecto complexè.

36. Confirmatur: Quia Theologia demonſtrat de Deo omnia eius attributa: Ergò aſſumit ad ea domonſtrãda aliquam propoſitionem priorem, quę ſit de fide, ſiquidem Theologia ex principijs de fide diſcurrit: Ergò ante propoſitiones, per quas attributa dicuntur de Deo, debet præſupponi alia prior propoſitio de fide, quę ſit obiectum complexum fidei, & non ſolum ſubiectum: Sed hæc nequit eſſe alia, niſi, in qua affirmetur de Deo eſſe verum Deum: Ergò primarium obiectum complexè ſumptum reſpectu fidei eſt Deus, etiam ſub ratione verę deitatis, & non ſub ratione aliqua attributali. Nec paritas Metaphyſicę aliquid probat, quia Metaphyſica non eſt lumen principiorum, ſed ſcientia: Obiectum autem complexum ſcientię debet eſſe aliqua propoſitio ſcita, & conſequenter mediata, in qua proindè non affirmetur de ſubiecto ſua eſſentia, ſed aliqua paſsio mediante eſſentia demonſtrata, & ex hoc capite dici etiam poteſt, quod Theologia reſpicit pro obiecto primario *quod*, non Deum ſub ratione deitatis, ſed vt ſtat ſub rationibus attributalibus, quia deitas non eſt ſcibilis vt *quod*, ſed ſola attributa. At fides in ordine ſupernaturali eſt lumen principiorum, & ſic non eſt determinata ad attributa ſolum credenda de Deo, ſed per prius credit de Deo veram deitatem, quam attributa, quia per prius oportet credere quod eſt, quam quod ſapiens eſt, &c.

37. Sed inquiunt Salmant. *num.* 46. Fides debet reſpicere per ſe primo omnes propoſitiones, ex quibus, vt ex principijs, Theologia noſtra procedit: Sed Theologia noſtra, non ſolum procedit ex propoſitione immediata, in qua deitas enunciatur de Deo, ſed ex alijs propoſitionibus mediatis immediatè revelatis, quia omnis propoſitio immediatè revelata, & de fide poteſt deſervire Theologię noſtrę vt principium: Ergò omnes propoſitiones, ſivè immediatę, ſivè mediatę, ſpectare debent per ſe primo ad rationem formalem *quę* fidei. Reſpondeo, negando maiorem: Quia alias omnes propoſitiones, in quibus de ſubiectis creatis aliqua creduntur per fidem, vt de Sacramentis, cauſare gratiam, de hominibus, concipi in peccato, & vniverſaliter omnes propoſitiones

ita-

immediatè de fide pertinerent ad rationem formalem *quę* fidei, & ad obiectum *quod* primarium, & ſic fides nulla haberet obiecta ſecundaria. Sequela patet, quia omnes propoſitiones immediatè de fide, quæcumque illę ſint, ſunt principia, ex quibus diſcurrit Theologia noſtra: Sed fides præciſè credere poteſt propoſitiones, quę ſunt immediatè de fide: Ergò, ſi omnes has reſpiceret, per ſe primo, nullam reſpiceret ſecundario: Dicendum ergò eſt, quod non omnia principia, ex quibus Theologia noſtra procedit, per ſe primo pertinent ad fidem, ſed aliquę per ſe primo, vt quę ſunt immediatę de Deo, cæterę autem per ſe ſecundo; & ratio eſt, quia fides eſt lumen principiorum, non quodlibet, ſed theologicum, & ſic non debet ex æquo reſpicere omnia principia, quę tradit, ſed primario ea, quę immediatè ſunt de Deo, & ſecundario, quę mediatè dicuntur de ipſo, & magis ſecundario, ea quę de creaturis dicuntur.

38. Ad tertiam confirmationem, diſtinguo maiorem: Fides reſpicit Deum prout eſt in re, ex parte rei creditę, concedo maiorem; ex parte modi concipiendi, nego maiorem, &, conceſſa minori, conſequentiam; quia fides ex parte rei creditę eſſentialiter eſt conformis ſuo obiecto, quatenus repugnat eam aliquid credere ex parte obiecti, quod obiecto te ipſa non conveniat: Attamen ex modo concipiendi non eſt eſſencialiter conformis, quia obiectum, nempè Deus, eſt in ſe ſimpliciſsimus abſque omni pluralitate perfectionum, & tamen fides credit Deum complexè, credendo in ipſo plures perfectiones, pluralitate ſe tenente ex modo concipiendi, & in actu exercito, & ſic poteſt primario reſpicere eſſentiam, & ſecundario attributa per ordinem rationis horum ad illam. Mitto, quod, quamvis viſio beata, etiam ex modo cognoſcendi attingat Deum vt eſt in ſe, defendunt plures Thomiſtę, ubiectum formale, *quod* illius eſſe ſolam eſſentiam divinam præciſivè ab attributis, & idem reſpectu intellectus divini; licèt hoc difficilius concilietur.

39. Obijcies tertio: Deus ſub ratione primę veritatis eſt obiectum formale *quod* fidei: Sed ratio primę veritatis eſt attributum: Ergò ſub ratione aliqua attributali, & non ſub ratione deitatis eſt obiectum formale *quod* fidei. Probatur maior, primo ex D. Thom. qui *in præſent. articul.* 1. *in corpore*, poſtquam explicavit obiectum materiale, ſeù obiectum *quod* fidei, concludit: ***Et ideò etiam ex hac parte obiectum fidei eſt quodammodo veritas prima.*** Secundo: Quia obiectum formale *quod* charitatis eſt Deus ſub ratione ſummę bonitatis: Ergò reſpectu fidei eſt Deus ſub ratione ſummę, ſeù primę veritatis. Patet conſequentia: Quia ſicut charitas eſt virtus theologica de linea voluntatis, ita fides eſt virtus theologica de linea intellectus, & ſicut voluntas reſpicit ſuum obiectum ſub ratione boni, ita intellectus ſub ratione veri.

40. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem Deus ſub ratione primę veritatis in eſſendo concedo maiorem: Sub ratione primę veritatis in dicendo, nego maiorem, &, diſtincta minori eodem modo, conſequentiam. Nec in contra vrgent probationes, quia D. Thom. dum dixit, obiectum primarium *quod* fidei eſſe primam veritatem, loquutus fuit de Deo, vt eſt prima veritas in eſſendo. Ratio eſt: Quia immediatè antea dixerat, quod obiectum motivum fidei eſt prima veritas vt revelans, quę eſt prima veritas in dicendo; vndè, cùm poſteà, loquendo de obiecto materiali, ſeù terminativo, inquit eſſe primam veritatem, debet intelligi de prima veritate in eſſendo: Hæc autem non eſt ratio attributalis, ſed eſſentialis in Deo, quia eſt idem ac vera deitas; veritas enim in eſſendo tranſcendit omnia prædicata divina, & non eſt attributum aliquod ſpeciale; prout autem competit eſſentię divinę, ſeù deitati, dicitur in toto rigore prima veritas, quia non ſolum eſt prima reſpectu creaturarum, ſed etiam ex noſtro modo concipiendi reſpectu attributorum; & ideò deitas prout hoc modo eſt prima veritas in eſſendo, ſeù prima veritas credibilis, eſt obiectum formale *quod* fidei.

41. Et ſimiliter ad ſecundam probationem, eadem diſtinctione, idem reſpondeo: Quia obiectum charitatis non eſt Deus ſub ratione bonitatis attributalis, quatenus bonitas eſt attributum pertinens ad voluntatem; ſed ſub ratione ſummę bonitatis tranſcendentalis, & ſic ſolum probatur, quod reſpectu fidei ſit Deus ſub ratione primę veritatis tranſcendentalis, quę eſt deitas. Nec, cum dicimus tale obiectū eſſe Deum ſub ratione deitatis, excludimus rationem veritatis, ſed potius eam includimus, quia ratio veritatis tranſcendentaliter includitur in omni obiecto intellectus, & non ponit in numero cum qualibet ratione obiectiva aſsignata, ſed quaſi ſupponitur, omnia, quę intellectus attingit, debere ea attingere ſub ratione veritatis obiectivę, & tranſcendentalis. Vndè in fide inquirimus, quodnam prædicatum divinum ſit veritas obiectiva primario credita per illam, & dicimus eſſe deitatem ſub ratione deitatis: Et ſimiliter, ſi inquireres de charitate, quænam bonitas tráſcendentalis ſit obiectum primarium illius, reſponderi poſſet, quod eſt bonitas deitatis, & non attributorum, vt plures dicunt.

S 42. De

42. Denique objicies ex Lugo, quì tenet, non ſolum Deum ſub ratione deitatis, ſed etiam ſub ratione aſſequibilis à nobis per media ſalutis, eſſe obiectum primarium fidei. Et probat, primo ex aliquibus locis S. Scripturę, in quibus oſtenditur finem doctrinę fidei eſſe tradere nobis media ad ſalutem aſſequendam. Et confirmat, quia finis, ſaltem partialis, fidei eſt ſalus animę, vt conſtat ex illo 1. *Petri* 1. *Reportantes finem fidei veſtrę, ſalutem animarum*: Sed in virtutibus theologicis, qualis eſt fides, idem eſt obiectum primarium, ac finis: Ergò obiectum primarium fidei eſt ſalus animę, ſivè Deus, vt aſſequibilis.

43. Deindè probat ratione: Quia quod propter ſe intendit facultas aliqua, eſt obiectum attributionis illius, quamvis aliundè ordinetur ad altiorem finem, vndè definitio, & diviſio ſunt obiectum attributionis Logicę, quamvis ordinentur ad demonſtrationem: Sed notitia mediorum ad ſalutem aſſequendam per ſe, ſeù propter ſe intenditur à fide: Ergò, quamvis aliundè ordinetur ad maiorem Dei notitiam habendam, erit obiectum attributionis, ſaltem partiale, fidei.

44. Confirmatur: Quia, quamvis ex prædicta mediorum cognitione non réſultaret in nobis perfectior Dei notitia, tamen traderentur à fide, quia fides non ſolum intendit notificare, qualis ſit Deus in ſe, ſed qualiter etiam ſit à nobis aſſequendus: Ergò traditur à fide notitia talium mediorum, non ſolum propter Deum vt eſt primum credibile, vel cognoſcibile per fidem, ſed etiam propter ſe: Ergò talia media, vel Deus, vt aſſequibilis per ea, eſt obiectum primarium fidei, ſaltem partiale.

45. Reſpondeo: Quod fides eſt eminenter ſpeculativa, & practica, primario quidem ſpeculativa, & ſecundario practica: Igitur in quantum practica ſe extendit ad regendam voluntatem in ordine ad Deum vt vltimum finem, proponendo illi in primis, ſeù primario ipſum vltimum finem vt in ſe eſt ſummum bonum, ſeù ſumma bonitas diligibilis per charitatem; ſecundario autem ipſum vltimum finem vt aſſequibilem à nobis per media, quo pacto eſt obiectum ſpei; & magis ſecundario docet media omnia, quibus aſſequibilis eſt Deus. Quo ſuppoſito, nego aſſumptum, & ad primam probationem ex locis Sacr. Scrip. dico, quod ex illis ſolum ſequitur, quod ſit officium fidei, in quantum practica eſt, docere nos media ſalutaria, quibus conſequibilis ſit Deus, ſeù noſtra ſalus; non verò, quod hoc ſit officium eius primarium, quia ſatis eſt, quod ſit munus eius ſecundarium. Ad confirmationem, diſtinguo maiorem: Finis fidei intrinſecus, & obiectivus eſt ſalus animę, nego maiorem: Finis extrinſecus, & effectus, concedo maiorem, & diſtinguo minorem: In virtutibus theologicis idem eſt obiectum primarium, ac finis intrinſecus, & obiectivus; concedo minorem: Ac finis extrinſecus, & effectus, nego minorem, & conſequentiam: Quia ſolus finis intrinſecus, & obiectivus, quem nempè virtus per ſe primo attingit per proprios actus, eſt obiectum primarium ipſius; & hic reſpectu fidei ſolus eſt Deus ſub ratione deitatis. Salus verò animę ſolum eſt finis extrinſecus, ſeù effectus, ad quem nimirum conſequendum per actus aliarum virtutum, & per alia media, dirigit fides, in quantum practica eſt, & ideò hic finis non eſt obiectum primarium ipſius. Vide ſuprà *à num.* 5.

46. Ad probationem à ratione, diſtinguo maiorem: Si illud, quod intendit facultas, per ſe ordinetur ad aliud, nego maiorem: Si ſolum per accidens, concedo maiorem, & diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam: Quia definitio, & diviſio, ideò propter ſe reſpiciuntur à Logica, & ſunt obiectum attributionis illius, quia non per ſe ordinantur ad demonſtrationem, nec Logica illas reſpicit propter demonſtrationem, ſed ſolum ad illam ordinantur per accidens, vt diximus in noſtro Curſ. Philoſ. in Log. *Tract. 1. quæſt. 6. num* 8. *&* 11. fides autem ſolum reſpicit media ſalutis propter Deum ipſum, quem ſolum primario credit.

47. Ad confirmationem, negant aliqui antecedens: Quia, ſi indè non reſultaret maior Dei notitia, non eſſet, cur talia media traderentur à fide, & hæc ſolutio eſt communis omnium illorum Authorum, qui cenſent, omnia, quę traduntur in Scriptura, & quę credit fides, tradi, & credi ad maiorem Dei notitiam per fidem habendam.

48. Veruntamen huic doctrinę non multum fido, quia ſanè non facilè apparet, qualiter omnia ea, quę fides tradit, ad directionem bonorum operum, ordinentur per ſe ad notitiam Dei ſpeculativam, quam fides primario reſpicit. Inquiunt Salmant. Hoc explicari, quia non agit de prædictis, niſi ſecundum quod per ea ordinamur ad Dei fruitionem, & notitiam; vt docet D. Thom. hic, *&* 1. *part. quæſt.* 1. *articul.* 4. Sed contra: Quia, licèt hoc verum ſit, loquendo de notitia perfecta Dei per viſionem beatam, de qua loquitur D. Thom. hoc tamen non eſt ordinari ad maiorē Dei notitiam per fidem habendam, ſed ad maiorē Dei notiam per viſionē conſequendā: Ergò non explicatur, qualiter fides ea reſpiciat in ordine ad maiorem Dei

non.

notitiam,quam ipſa per ſe primo reſpicit vt finẽ intrinſecum, nempè, per fidem. Explicatur: Quod aliquid reſpiciatur ab aliqua facultate in ordine ad aliam notitiam, tanquam ad finem extrinſecum, non obeſt, vt reſpiciatur ab illa vt obiectum primarium, & formale *quod*; ſed iuxta hunc modum dicendi, media, quę tradit fides, ſolum ordinantur ad maiorem Dei notitiam per viſionem, quę eſt tantum finis extrinſecus fidei, & non proprius, & intrinſecus, tum potius talis notitia per viſionem deſtruat fidem ipſam: Ergò talis ordo mediorum ad maiorem Dei notitiam non probat, quod media ipſa non ſint obiectum primarium fidei. Maior patet: Quia Logica attingit modum ſciendi in ordine ad alias ſcientias, tanquam ad finem extrinſecum, & hoc non tollit, quod modum ſciendi reſpiciat, vt obiectum primarium, & formale *quod*: Et ars frœnofactiva reſpicit frœnum propter rectam ęquitationem, vt propter finem extrinſecum, & hoc non tollit, quod frœnum ſit obiectum primarium illius artis: Ergò.

49. Vndè melius ad confirmationem reſpondeo, omiſſo antecedenti, negando conſequentiam: Quę non infertur, ſed ſolum, quod ea notitia tradatur à fide propter Deum aſſequendum. Si autem hoc inferat arguens, dico: Quod notitia mediorum traditur à fide, & propter Deum vt creditum, & propter ipſum aſſequendum: Propter Deum vt creditum, tanquam propter finem cuius gratia: Propter ipſum vt aſſequendum, tanquam propter finem effectus; ad hoc autem, vt aliquid ſit obiectum primarium, ſatis eſt, vel potius eſt neceſſum, quod ſit finis cuius gratia, & non ſufficit, quod ſit finis effectus, vt ſuprà vidimus *à num. 5*. Et quidem viſio beata, & ſcientia divina reſpiciunt creaturas propter Deum; non ſanè propter Deum cognoſcendum, nam Deus per ſuam ſcientiam ex cognitione creaturarum non acquirit maiorem ſui cognitionem, nec beatus ſimiliter, ſed propter Deum vt cognitum, tanquam propter finem cuius gratia, quia gratia Dei vt prius cogniti, ſe extendit ſcientia ad creaturas cognoſcendas: Et hic modus cognoſcendi creaturas propter Deum ſufficit, vt Deus ſit obiectum primarium reſpectu illarum: Ergò ſimiliter, vt fides reſpiciat media ſalutis ſecundario propter Deum vt obiectum primarium, opus non eſt, quod ea reſpiciat in ordine ad ipſum Deum, vt magis cognoſcendum, ſed ſatis eſt, quod ea reſpiciat gratia Dei, ſeù propter ipſum Deum vt cognitum per fidem, quatenus Deus, vt primario creditus excitat, & movet conſequenter ad cognoſcenda media ordinata ad ipſum conſequendum, non vt ipſum finem magis cognoſcat, ſed quia ipſum finem cognoſcit per fidem.

50. Ex quo inferes, quomodo, & qua ratione fides ſit ſecundario tantum practica, & directiva voluntatis, & primario ſpeculativa, & perfectiva intellectus; non enim hoc ita eſt, quia directionem voluntatis reſpiciat in ordine ad maiorem Dei cognitionem, & contemplationem exercendam, ſed potius quia ex maiori Dei cognitione, & contemplatione exercita, ſeù gratia Dei magis per fidem cogniti, & contemplati ſe extendit ad tradendam doctrinam amãdi ipſum, & ipſum quærendi; vndè Deus vt creditus non eſt finis effectus doctrinę practicę fidei, tanquam per illam efficiendum ſit, vt Deus credatur; ſed ſolum eſt finis cuius gratia traditur talis doctrina; & hoc ſufficit, vt in fide munus dirigendi voluntatem in ordine ad Deum amandum, & aſſequendum ſit ſecundarium, & munus perficiendi intellectum in ordine ad Deum, vt eſt in ſe cognoſcendũ, ſit primarium.

QUÆSTIO XI.

An obiectum materiale fidei ſit aliquid complexum; & an vnum, vel plura?

1. Quæſtio iſta, quoad primam ſui partem, ſub eodem titulo, eſt *articul. 2.* D. Thom. in quo quidem interrogat de obiecto fidei, nõ confundendo obiectum cũ ſubiecto, ſed ſtrictè accipiendo obiectum, nempè, pro obiecto credito per fidem, non pro ſubiecto, de quo aliquid creditur.

2. Dico igitur: *Obiectum* quod *fidei ex modo cognoſcendi eſt aliquid complexum, licèt ex parte rei creditę ſit incomplexum.* Probatur ratione Div. Thom. Quia licèt obiectum per ſe primo creditum per fidem ex parte ſua ſit ſimpliciſsima veritas deitatis, tamen in intellectu noſtro eſt iuxta modum proprium noſtri intellectus: Sed modus proprius humani intellectus eſt componendo, & dividendo cognoſcere veritatem per modum cuiuſdam complexionis: Ergò obiectum *quod* fidei, vt eſt in noſtro intellectu, ſivè ex noſtro modo cognoſcendi, eſt quid complexum, licèt ex parte rei creditę ſit ſimpliciſsimum, & incomplexum. Maior patet ex illo axiomatè philoſophico: *Cognita ſunt in cognoſcente ſecundum modum cognoſcentis*, vndè ea, quę ſunt ſecundum ſe ſimplicia, intellectus humanus cognoſcit ſecundum quandam complexionem; ſicut èconverſo intellectus divinus

incomplexè cognoſcit ea, quę ſunt ſecundum ſe complexa. Minor non minus patet: Quia modus proprius cognoſcendi noſtr intellectus eſt cognoſcere veritatem per enunciationem, aut iudicium enunciativum: Sed Iudicium enunciativum, cum ſit vnius de alio, eſſentialiter importat complexionem, ſeù compoſitionem: Ergò modus proprius humani intellectus eſt cognoſcere veritatem componendo, aut dividendo per modum cuiuſdam complexionis. Ex quo infert D.Thom. vtrumque verè opinatum fuiſſe apud Antiquos, nempè, obiectum fidei eſſe quid complexum, & eſſe quid incomplexum, quia ſecundum aliquid vtrumque eſt verum, primum quidem ex modo cognoſcendi, ſecundum ex parte rei creditę.

3. Sed in contra obijcitur primo: Obiectum fidei eſt veritas prima: Sed prima veritas eſt quid incomplexum: Ergò. Reſpond. D. Thom. diſtinguendo minorem: Prima veritas eſt quid incomplexum ex parte rei creditę, concedit; ex modo cognoſcendi noſtro, negat, vndè ſolum infertur noſtra concluſio.

4. Obijcitur ſecundo: In Symbol. ponitur obiectum noſtrę fidei: Sed ibi non ponitur enunciabiliter, vt quid complexum, ſed vt res incomplexa, vndè non dicitur: Credo, quod Deus ſit omnipotens, ſed, credo in Deum omnipotentem: Ergò obiectum noſtrę fidei non eſt enunciabile, ſeù complexum. Reſpōd. D.Thom. diſtinguendo maiorem: In Symbol. ponitur obiectum noſtrę fidei vt terminus, & finis ipſius concedit, quia ita indicatur ex ipſo modo loquendi; per ly enim *in Deum*, ſignificatur Deus vt finis, & terminus: Ponitur obiectum noſtrę fidei ſecundum modum, quo formaliter cognoſcitur, negat maiorem, &, conceſſa minori, conſequentiam, quia ſolum infertur obiectum noſtrę fidei, vt terminus, & finis cognitionis, eſſe quid incomplexum; cum hoc autem componitur, quod ex modo noſtro cognoſcendi ſit complexum.

5. Obijcitur tertio: Fidei vię ſuccedit viſio Patrię, vndè in via fides ſubſtituit pro viſione Patrię: Sed viſio Patrię eſt de incomplexo, cum ſit ipſius divinę eſſentię: Ergò etiam fides. Reſpond. Div. Thom. negando conſequentiam: Quia modus cognoſcendi per fidem eſt valdè diverſus à modo viſionis Patrię, ſiquidem per viſionem Patrię non cognoſcitur Deus per modum enunciabilis, ſed per modum ſimplicis intelligentię; per fidem autem aliter cognoſcitur Deus, quia non cognoſcitur vt eſt in ſe, nec per modum ſimplicis intelligentię, ſed per modum enunciabilis. Hucuſque eſt littera D.Thom. expoſita. Contra illam tamen.

6. Obijcitur quarto: Quia non ſemper obiectum fidei ex parte rei creditę eſt quid incomplexum: Ergò falſo dicitur à D.Thom. quod ex parte rei creditę eſt quid incomplexum. Probatur antecedens: Quia Chriſtus Dominus eſt obiectum fidei, & tamen ex parte ſua eſt complexus, ſeù compoſitus ex duabus naturis in vna perſona: Similiter Sacramenta complexa ſunt ex materia, & forma, & ſic de alijs ad fidem ſpectantibus: Ergò. Reſpondeo, D.Thom. loquutum fuiſſe de obiecto primario fidei, dum dixit eſſe quid incomplexum ex parte rei creditę, quia hoc dixit propter primam rationem dubitandi, quę de obiecto primario fidei procedebat, nempè, de prima veritate, non verò de alijs obiectis, niſi tantum permiſsivè, hoc eſt, quod quamvis permittatur ea eſſe ex parte ſua quid incomplexum, tamen ex noſtro modo cognoſcendi ſunt quid complexum.

7. Obijcitur quinto: Fides, quam habuit Angelus in via, & noſtra ſunt eiuſdem ſpeciei: Ergò habent idem obiectum: Sed obiectum fidei, quam habuit Angelus, non fuit quid complexum, adhùc ex modo cognoſcendi: Ergò nec obiectum noſtrę. Reſpondeo, conceſſo antecedenti, diſtinguendo primum conſequens: Ergò habent idem obiectum, quoad eſſentialem rationem ſpecificativam virtutis, concedo conſequentiam: Quoad accidentalem modum cognoſcendi ipſum, negò conſequentiam, & conceſſa minori ſubſumpta, nego vltimam conſequentiam: Quia in obiecto fidei poſſunt duo conſiderari, nempè, id quod in illo eſt ratio formalis *quę* ſpecificativa virtutis theologicę, & modus ſub quo talis ratio ſpecificativa attingitur propter perfectionem, vel imperfectionem cognoſcentis: Quoad primum, idem omnino obiectum habuit fides Angeli, & fides hominis, quia eandem deitatem, ſeù primam veritatem in eſſendo reſpiciunt per modum rationis *quę*, & eandem divinā revelationem per modum rationis *ſub qua*, & hoc ſufficit vt ſint eiuſdem ſpeciei in ratione virtutis theologicę: Quoad ſecundum, fatemur obiectum eſſe diverſum, ſed illa diverſitas eſt accidentalis, & de materiali ad ſpecificationem fidei theologicę, vt talis, quia eſt diverſitas proveniens, non ab ipſo obiecto, ſed ex perfectione, vel imperfectione ſubiecti in modo cognoſcendi, quia videlicèt obiectum debet eſſe in cognoſcente iuxta modum cognoſcentis: Diverſitas autem ſumpta ex diverſo modo cognoſcentis potius eſt ſubiectiva, quam obiectiva, quamvis ex ſubiecto redundet aliqualiter in obiectum, vndè per accidens ſe habet, & de materiali ad ſpecificationem fidei.

Reſ-

Reſpondetur Quæſtioni, quoad ſecundam partem.

8. PLURES eſſe veritates complexas, ſeu enunciabiles, quas fides credit, nemo dubitat, an tamen ex illis, ſimpliciter loquendo, vnum tantum coaleſcar fidei obiectum, vt fides ſit ſimpliciter vna, an plura ex quibus plurificetur fides, interrogamus, non tàm propter Catholicos, quàm propter Hæreticos. Iſti enim plura computant obiecta fidei, ex quibus fidem ipſam plurificant: Vndè tres principaliter diſtingunt fides, teſte Suario *in præſent. diſputat.* 2. *ſect.* 3. *num.* 2. Nempè, hiſtoricam, miraculorum, & promiſsionum: Et hanc in duas ſecant, nempè, in generalem, quę ſit de promiſsionibus generalibus, & in ſpecialem, quę ſit de promiſsionibus, vt ſpecialiter ſibi applicatis, ex quibus, nempè, quiſquam firmitèr credat, ſibi promiſſum eſſe, & re ipſa impleri, quod generaliter promittitur, v. g. ſibi eſſe remiſſa peccata, & infallibiliter ſibi conferendam gloriam. Contra quos.

9. Dico primo: *Obiectum* quod *fidei ſimpliciter eſt vnum vnitate ſufficiente, vt fides ſit ſimpliciter vna, & non plures.* Probatur primo ex Apoſt. *ad Epheſ.* 4. dicente: *Vnus Dominus, vna fides.* Et 2. ad Corinth. 4. *Habentes eundem ſpiritum fidei*: Ergò non ſunt plures fides, ſed vna tantum: Ergò, & obiectum fidei ſimpliciter eſt vnum. Confirmatur: Quia licèt materia fidei comprehendat hiſtoriam, miracula, & promiſſiones, omnia illa comprehendit, vt ordinantur ad aliquod vnum, nempè, ad Deum, vt primum credibile, vel creditum, vt infrà explicabo, *quæſt.* 13. Sed hoc pacto omnia illa ſunt vnum, vnitate ſufficiente ad vnam fidem: Ergò falſò ex illis tribus multiplicantur tres fides.

10. Dico ſecundo: *Obiectum materiale fidei plures veritates complexas comprehendit ſub vnitate eiuſdem fidei.* Id eſt euidens, & cunctis notum. Rogabis tamen, quænam ſint iſtę veritates? Dico, eſſe in multiplici differentia, nam alię ſunt purè divinę, nempè, in quibus ſubiectum, & prædicatum ſunt quid divinum, vt *Deus eſt trinus: Deus eſt omnipotens, &c.* Alię ſunt purè creatę, nempè, in quibus ſubiectum, & prædicatum ſunt de ordine creato; v.g. *Homo concipitur in peccato: Homo per gratiam iuſtificatur: Sacramenta cauſant gratiam*: Alię ſunt mixtę, nempè, in quibus ſubiectum eſt quid divinum, & prædicatum quid creatum, vel ècontra; v. g. *Verbum caro factum eſt: Homo hic eſt Deus, &c.* Item, alia diviſione vtendo, veritates fidei, alię ſunt neceſſarię, vt, *Deum eſſe, Deum eſſe trinum*, & alię ſimiles. Alię intrinſecè, & ex terminis contingentes, vt, *Verbum caro factum eſt: Chriſtus mortuus fuit pro nobis.* Item, alię ſunt purè naturales, vt, *Deum eſſe authorem naturę, primam cauſam, &c.* Alię ſupernaturales, vt, *Deum eſſe trinum, Sacramenta cauſare gratiam, &c.* Nam licèt purè naturales ſint lumine naturali cognoſcibiles, non tamen ab omnibus, ſed ſolum à Sapientibus, qui eas demonſtrare ſciunt diſcurſu philoſophico, vndè reſpectu illarum, etiam eſt neceſſaria fides pro multitudine hominum, & fortè etiam pro Sapientibus, vt eis firmius adhæreant.

QUÆSTIO XII.

Vtrum materia fidei convenienter in Symbolo tradatur, & per Articulos, & an Articuli creverint ſucceſſu temporis?

1. ITA inquirit Div. Thom. *in præſent. articul.* 6. 7. 8. & 9. Et quantum ad primam partē dubij, ſupponendum eſt primo tria eſſe Symbola magnę authoritatis in Eccleſia. Primum eſt Symbolum Apoſtolorum, quod omnes Fideles communiter recitant. Secundum eſt Nicęnum, ſeu Conſtantinopolytanum, quod dicitur Symbolum PP. & canitur in Sacris. Tertium eſt Symbolum Athanaſij, quod Eccleſia diebus Dominicis canit in Prima Hora Canonica. Dicitur autem quodlibet horum, Symbolum, quaſi ſignum ſub ſe continens collectionem quandam, quę ſumma ſit fidei catholicę, ſub qua Fideles catholici militāt, & dignoſcuntur, ſicut ſignum, quod datur Militibus in bello, vt inter ſe ſe cognoſcant, & ab alijs diſcernatur.

2. Supponendum eſt ſecundo: Quod primum Symbolum traditum fuit, & compoſitum ab Apoſtolis, & ideò vocatur Apoſtolicum. Ita habetur ex communi, & antiquiſsima Eccleſię traditione; ita enim traditur à Div. Clem. Rom. *Epiſtol.* 1. *ad Iacob. & lib.* 1. *Recogn.* Idem tradit Leo Pap. *Epiſtol. ad Pulcheriam, & Serm.* 3. *de Paſsione Domini*, Auguſtinus *Serm.* 115. 181. *de Tempor. & lib. de Fide, & Symbol.* & alibi ſæpè Div. Hieronymus *Epiſtol.* 61. *ad March.* D. Ambroſ. *Serm.* 38. D. Chryſoſtom. *Homil.* 1. & 2. *de Symbol.* Div. Petrus Chryſol. *Serm.* 57. Euſebius Emiſſen. *Homil.* 1. & 2. *de Symbol.* & plures alij ſine contradictione; nam quam-

Digitized by Google

quamvis Tertullianus *lib. de Præſcript. Hæretic. cap.* 14. dixerit Symbolum eſſe à Chriſto Domino inſtitutum, intelligendum eſt, per Apoſtolos, non verò immediatè per ipſum.

3. De modo autem, quo Symbolum hoc fuerit ab Apoſtolis compoſitum, non eſt omnium vna ſententia. Aliqui aſſerunt totum ab omnibus, & totum à ſingulis approbatum fuiſſe, & traditum, conferendo quamlibet ſententiam inter omnes, & omnibus illam approbantibus, & ſic de cæteris. Sed longè probabilius eſt ſingulos Apoſtolos ſingulas ſententias ordinatè dictaſſe, ita quod primus primam, ſecundus ſecundam, & ſic vſque ad finem. Nam Clemens, & Auguſtin. ſingulas ſententias, ſingulis Apoſtol. ſingillatim adſcribunt, & Leo Pap. ſic teſtatur: *Ipſa Catholici Symboli breuis, & perfecta confeſſio duodecim Apoſtolorum eſt inſignita ſententijs.*

4. Circa tempus, quo Symbolum hoc primo fuit inſtitutum, inquit Baron. *tom.* 1. *anno* 44. eodem anno fuiſſe ab Apoſtolis dictatum, nempè, antequam in diverſas Provincias ſeimgerentur, & ante Martyrium D. Iacobi, quia hic ſuam etiam contulit ſententiam.

5. Sed inquies: Si hoc Symbolum ab Apoſtolis fuiſſet dictatum, fuiſſet Scriptura Canonica, & inter Libros Canonicos computari debuiſſet; ſed ita non computatur: Ergò. Reſpondeo eſſe de fide, propter traditionem vniverſalis Eccleſię, hoc Symbolum eſſe Apoſtolicum, & ab Apoſtolis inſtitutum, nec de hoc dubitari poſſe inter Catholicos. Ex quo tamen non ſequitur, quod fuerit Scriptura Canonica, aut inter Libros Canonicos computandum, quia videlicèt non fuit traditum per aliquam Scripturam in charta, & attramento, ſed ſolum verbo traditum, vt corde retineretur, vt affirmant plerique PP. & præſertim D. Petrus Chryſolog. & Emiſſen. locis citatis, necnon Div. Auguſtin. *Serm.* 119. vndè non fuit inſtitutum per modum Scripturę, ſed per modum traditionis Apoſtolicę, quę equivalet Scripturę Canonicę.

6. Supponendum eſt tertio, ſecundum Symbolum, primo fuiſſe inſtitutum in Nicęna Synodo, ex qua Nicęnum appellatur: Deindè in Conſtantinopolytana fuiſſe auctum, & magis declaratum, & proptereà Conſtantinopolytanum etiam dicitur, ac tandem in Epheſina 1. approbatum à PP. eaque propter Symbolum Patrum appellatur à Div. Thom. Inſuper ei poſteà addita eſt illa particula, *Filioque*, contra Græcos negantes Spiritum Sanctum procedere à Filio. Et hoc quidem Symbolum approbatum ab vniverſali Eccleſia, & à Summis Pontificibus per tot ſæcula, nulli dubium, quod etiam eſt infallibilis regula fidei.

7. Supponendum eſt quarto: Tertium Symbolum fuiſſe compoſitum ab Athanaſio. Nec enim audiendi ſunt hiſtorici quidam, novitatum forſan amatores, qui ne aliquid firmum in traditionibus Eccleſię relinquant, Symbolum hoc Athanaſio ſubtrahere auſi ſunt: Valdè enim errant, inquit Eximius Suarez, qui negare audent, illud fuiſſe ab Athanaſio compoſitum, cum Gregor. Nazianzen. *Oration. in laudem Athanaſij*, dicat, Athanaſium ſcripſiſſe egregiam ſuę fidei confeſsionem. Nec obeſt, quod illam vocat Confeſsionem, & non Symbolum, quia Athanaſius, cum non eſſet Summus Pontifex, ſed particularis Epiſcopus, non poterat Symbolum authenticum Eccleſię tradere, vt dixit Div. Thom. hic *art.* 10. *ad* 3. Nihilominus tamen, quia iam ab Eccleſia approbatum eſt, merito inter Symbola numeratur. Vndè Eugenius Pap. *in Concil. Florent. Decreto ad Armenos, cap.* 6. tradit illis pro regula fidei Symbolum Athanaſij, & illo vtitur ſæpè Auguſtinus ad confirmandas veritates fidei, præſertim *in Pſalm.* 120. illud refert ſub nomine Athanaſij.

8. Hucuſque Suarez. Quibus adde, quod Genebrard. *in Pſalm. ad finem operis*, de hoc Symbolo loquens, ſic ait: Curioſam Quæſtionem, atque adeò doli plenam (vt probavit euentus) Valentinus quidam Gentillis, impietatis ęquè, ac nominis Gentium hæres, his annis in Eccleſia Dei propoſuit: *Cuiuſnam ſit iſtud Symbolum*? An cuius titulum præfefert, nempè Div. Athanaſij?: Egò ſanè, inquit Genebrardus, nunquam credideram Satanam tantum habere in ſua membra virium, vt ipſa poſſet in tàm proiectum, impudenſque facinus vertere :: Putabam enim præſcriptione tot ſæculorum ſatis apud omnes conſtitutum eſſe :: Anteponamus iudicium Eccleſię, quę hoc Symbolum ſemper habuit pro D. Athanaſij, paucorum, eorumque tumentium opinioni, temeritati, atque inſanijs. Hactenus Genebrardus. Vndè valdè miror, quod hoc ęvo non defuerit, qui Valentini Gentilis Quæſtionem rurſus excitare auſus fuerit, cum illam Genebrardus doli plenam, impietatem Gentilium redolentem, proiectum facinus, & impudens; paucorum, eorumque tumentium opinionem, temeritatem, & inſaniam reputaverit.

9. Dico primo: *Materiam fidei convenienter in Symbolo tradi Fidelibus.* Aſſertio eſt Div. Thom. *in præſent. articul.* 9. & illam probat primo: Quia Eccleſia vniverſalis non poteſt errare, quia gubernatur Spiritu Sancto, qui eſt Spiritus veritatis: Hoc enim promiſit Do-

nus

minus Diſcipulis Ioan. 16. dicens: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem:* Sed Symbolum eſt authoritate vniverſalis Eccleſię editum, & approbatum: Ergò in eo Eccleſia errare non poteſt: Ergò convenienter per illud tradit Fidelibus materiam fidei; ſi enim in hoc eſſet aliquod inconveniens, erraſſet Eccleſia in eo Symbolo tradendo.

10. Secundo; Quia ad Eccleſiam pertinet proponere Fidelibus materiam fidei modo aliquo, quo facilè ab omnibus crédi poſsit; quia omnes tenentur credere, & credere nequeunt, niſi eis materia fidei proponatur: Sed ad hoc opus eſt, vel maximè conveniens, materiam fidei in vnam collectionem reducere, vt facilius poſsit omnibus proponi, & ne aliquis per ignorantiam fidei à veritate deficiat, quę quidem collectio Symbolum nominatur: Ergò convenientiſsimum fuit materiam fidei per Symbolum Fidelibus tradere.

11. Tertio: Quia non ſolum tenentur Fideles credere, ſed etiam ad externam fidei confeſsionem, nam *corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem*, vt inquit Apoſt. *ad Roman.* 10. Quę quidem confeſsio externa debet eſſe vna in tota Eccleſia, vt per hanc conformitatem in confitenda fide conſtaret vnam eſſe fidem totius Eccleſię: Item, debet eſſe brevis, & compendioſa, vt facilè illam addiſcere poſsint omnes Fideles, ſivè ſimplices, ſivè Ruſtici, ſivè Mulieres: Sed talis fidei confeſsio, quę debeat eſſe vna in tota Eccleſia, brevis, & compendioſa, convenientiſsimè fit per Symbolum: Ergò materia fidei convenientiſsimè traditur in Symbolo.

12. Quarto: Quia materia fidei ſufficienter explicatur, & continetur in Symbolo: Ergò, & convenienter in eo traditur. Probatur antecedens: Quia Fidelis in primis debet credere, & confiteri Deum, quantum ad omnia divinitatis myſteria: Deindè Chriſtum vt hominem, quantum ad myſteria humanitatis, iuxta illud Ioan. *Hæc eſt vita ęterna, vt cognoſcant te, & quem miſsiſti Ieſum*: Et item, quia Deus vt Deus eſt vltimus finis, in quem tendimus, vt homo autem eſt via, qua tendimus; & Fideles debent habere fidem de fine, & de via. Item, Fideles debent credere præmium propoſitum bonis, nempè, reſurrectionem, & vitam ęternam, iuxta illud Apoſtol. *Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt, & quia remunerator eſt*: Item, neceſſario debent credere Eccleſiam, in qua ſola ſalvari poſſunt, prout Sanctorum communio, & Fidelium Congregatio: Ac denique remiſsionem peccatorum, ſine qua ſalvari nequeunt: Sed totum hoc traditur in Symbolo; nam in primis traduntur ſufficienter myſteria divinitatis, & humanitatis, iuxta Div. Auguſtin. *Serm.* 181. *Symbolum breve eſt verbis, ſed magnum Sacramentis, quidquid, enim de Deo, & Chriſto in Scripturis traditum eſt, in Symbolo continetur*: Deindè continetur præmium, ſeù remuneratio in reſurrectione mortuorum, & vita ęterna: Ac deniquè Eccleſia, & Sanctorum communio, necnon peccatorum remiſsio: Ergò in Symbolo materia fidei ſufficienter enumeratur.

13. Sed obijcit ſibi Div. Thom. Primo: Sacrà Scriptura eſt regula fidei, cui nec addere, nec ſubtraherè licèt; iuxta illud *Deuteronom.* 4. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, neque auferetis ab eo*: Ergò non licèt addere ad Scripturam Symbolum tanquam regulam fidei.

14. Reſpondet Div. Thom. Quod veritas fidei in Sacra Scriptura diffusè continetur, & varijs modis, & in quibuſdam obſcurè, ita quod ad eliciendam veritatem ex Sacr. Script. requiritur longum ſtudium, & exercitium, ad quod nō poſſunt pervenire omnes Fideles, quia plerique alijs negocijs occupati, ſtudio vaccare non poſſunt: Fuit ergò neceſſarium ex S. Script. aliquam ſummam colligere credendorum, quę proponeretur omnibus tanquam regula: Hoc autem non eſt addere, nec auferre aliquid Sacr. Scriptur. ſed ſolum ex Sacr. Scriptur. ſumere regulam credendi, & confitendi fidem.

15. Obijcit ſecundo: Quia fides eſt vna, vt dicit Apoſtol. *ad Epheſ.* 4. Sed Symbolum eſt profeſsio fidei: Ergò debet eſſe vnum: Ergò ſaltem eſt inconveniens, quod materia fidei tradatur in tribus Symbolis. Reſpond. ex D. Thm. conceſſa maiori, & minori, diſtinguendo conſequēs: Ergò Symbolum debet eſſe vnum, quoad ſubſtantiam, concedo: quoad maiorem explicationē myſteriorū, nego: Quia ad vnitatem fidei, ſatis eſt, quod Symbolum ſit vnum quoad ſubſtantiam, & ita ſunt vnum tria Symbola prænumerata; non autem obeſt vnitati fidei, quod vbi errores inſurgunt, plenius in vno Symbolo tradatur Fidelibus id ipſum, quod in alio implicitè, aut non ita explicitè continetur, ne videlicèt fides ſimplicium per Hæreticos corrumpatur: Et quia diverſis temporibus diverſa fuit Hæreticorum inſtancia, diverſa Symbola inſtituta ſunt convenientiſsimè ad Populum inſtituendum de fidei veritate.

16. Vndè Symbolum Apoſtolicum inſtitutum fuit ad ſimpliciter erudiendum Populum, ex cauſis iam enumeratis in probationibus concluſionis. Deindè Symbolum Nicęnum, ſeù Patrum, inſtitutum fuit ad præcavendos Fideles

ab

ab erroribus Arij, & aliorum Hæreticorum, quibus fidem corrumpere conabantur. Athanaſius verò ſuum compoſuit propter eorum Hæreticorum inſtantiam, & ad maiorem explicationem, & expreſſionem myſteriorum Trinitatis, & Incarnationis, quorum veritas, & excellentia maximè illis temporibus impetebatur, & obſcurabatur ab inimicis fidei, & Eccleſię.

17. Tertio obijcitur ſpecialiter contra Symbolum Apoſtolicum, quod incipit: *Credo in Deum*, nam credere in Deum, cum importet ordinem adDeum vt finem per charitatem, non competit omnibus Fidelibus, ſed ſolis illis, qui habent fidem formatam: ſed Symbolum, cum ſit confeſsio fidei, debet aptari omnibus Fidelibus: Ergò inconvenienter incipit per *credere in Deum*. Reſpond. Div. Thom. Quod confeſsio fidei traditur in Symbolo, quaſi ex perſona totius Eccleſię: Fides autem Eccleſię eſt fides formata, & ideò confeſsio fidei traditur in Symbolo, ſecundùm quod convenit fidei formatę. Quod ſi aliqui Fideles fidem formatam non habent, ad illam tamen debent conari, & ideò ſtudio ſaltem ad illam pertingendi, dicere poſſunt, & debent: *Credo in Deum.*

18. Quarto ſpecialiter obijcitur contra Symbolum Patrum: Quia deſcenſus Chriſti ad inferos eſt vnus ex Articulis fidei: ſed de hoc mentio non fit in Symbolo PP. Ergò inſufficienter fuit collectum. Reſpond. Div. Thom. Quod hoc Symbolum ſpecialiter fuit collectum adverſus errores illius ęvi; de deſcenſu autem ad inferos nullus error erat exortus, & ideò opus non fuit de illo mentionem reiterare, ſupponendo talem deſcenſum definitum in Symbolo Apoſtolorum; non enim Symbolum ſequens abolet præcedens, ſed illud explicat, ſecundum quod exigit Hæreticorum inſtantia.

19. Quinto ſpecialiter contra illam particulam: *Credo in vnam Sanctam, & Apoſtolicam Eccleſiam*: Nam Div. Auguſtin. exponens illud Ioan. 14. *Creditis in Deum, & in me credite*, inquit: *Petro, & Paulo credimus, ſed non dicimur credere, niſi in Deum*, quia videlicèt illa particula *in* indicat illum, in quem credimus, eſſe vltimum finem, nempè Deum: ſed Sanct. Eccleſia eſt purè aliquid creatum: Ergò inconvenienter dicitur: *Credo in vnam Sanctam Eccleſiam.* Reſpondet D. Thom. Quod ſi dicatur: *Credo in Sanctam Eccleſiam, &c.* Ly *in*, debet referri ad Spiritum Sanctum ſanctificantem Eccleſiam. Sed melius eſt, vt ſecundum communem vſum, dicatur: *Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Eccleſiam Catholicam, &c.* non apponendo *in*, ante, *Sanctam Eccleſiam*, ſed immediatè ante *Spiritum Sanctum*, ita vt ſolus Spiritus Sanctus ſit, *in quem credimus*, Eccleſia autem ſit, quam credimus, non, in quam credimus. Et ita tenet Eccleſia in praxi ex authoritate Leonis Papę.

20. Rationem autem, cur Symbolum Apoſtolorum non canitur publicè in Miſſa, ſicut Symbolum PP. reddit Div. Thom. Quia Symbolum Apoſtolorum editum fuit tempore perſecutionis Eccleſię, fide nondum publicata, & ideò ſecretè dicitur in Prima, & in Completorio, quaſi contra tenebras errorum præteritorum, & futurorum: At Symbolum PP. eſt declarativum Symboli Apoſtolorum, & fuit editum fide iam publicata, & Eccleſia pacem habente, & propter hoc publicè in Miſſa cantatur.

SECVNDA PARS QVÆSTIONIS.

21. DICO ſecundo: *Materia fidei convenienter numeratur quatuordecim Articulis.* Ita Div. Thom. *in præſenti*, & cum eo communiter Scholaſtici. Pro cuius probatione notandum eſt, quod *Articulus*, dicitur à nomine Græco *Artos*, & ſignificat quandam coaptationem partium ſecundum certam diſtinctionem totius. Vndè in corpore humano, articuli dicuntur partes eius ſibi coaptatę ſecundum certam diſtinctionem earum, vt articuli manus, & digitorum; & in oratione diverſę partes eius ſibi coaptatę, dicuntur articuli. Sic ergò, quando materia fidei, quę in Symbolo continetur, dividitur in partes ſibi invicem coaptatas, illę partes dicuntur Articuli.

22. Notandum ſecundo: Quod Articuli multiplicantur ſecundum diverſam difficultatem in veritatibus fidei, quia cum obiectum fidei ſit non viſum, ſeù obſcurum, vbi ſpecialis obſcuritas eſt, ibi debet diſtingui ſpecialis Articulus, vbi autem non eſt diverſa obſcuritas, ſeù difficultas, non debet ſpecialis Articulus deſignari: Vndè, quia Chriſtum paſſum, mortuum, & ſepultum fuiſſe habent eandem difficultatem, includuntur in vno Articulo, quia verò, ſemel mortuum reſurrexiſſe, eſt quid difficilius, ideò pro reſurrectione aſsignatur diſtinctus Articulus. His ſuppoſitis.

23. Probatur concluſio à Div. Thom. Primo: Quia Eccleſia enumerat per Articulos materiam fidei: Ergò cum eius authoritas ſit infallibilis in proponenda materia fidei, convenienter ſic enumeratur. Secundo, explicando prædictam diviſionem: Quia in primis duo nobis poriſsimè credenda proponuntur, nempè, & occultum divinitatis, & myſterium humanitatis Chriſti, iuxta illud Ioan. 17. *Hæc eſt vita*

ętern

æterna, vt cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum: Ergò primo oportet diſtinguere Articulos fidei in eos, qui pertineant ad occultum divinitatis, & in eos, qui ſpectent ad myſterium humanitatis. Deinde pertinentes ad divinitatem dividi debent penès tria, quę ſpecialem habent obſcuritatem, & difficultatem, nempè, penès vnitatem divinitatis, & pro hac aſsignatur primus Articulus. Secundo, penès Trinitatem perſonarum, quę diverſam addit difficultatem in eſſe credibilis, & pro hac aſsignantur tres Articuli. Tertio, penès opera propria divinitatis, quę ſuam etiam habent ſpecialem difficultatem: Hæc autem opera, vel ſunt in quantum communicat creaturis eſſe naturę, & ſic aſsignatur Articulus Creatoris; vel in quantum communicat gratiam, & ſic aſsignatur Articulus Salvatoris; vel in quantum communicat gloriam, & ſic aſsignatur Articulus Glorificatoris, & reſultant ſeptem Articuli ſpectantes ad divinitatem.

24. Similiter circa humanitatem; nam primo: Quod conceptus fuerit Chriſtus ſine virili concuſſu, opera Spiritus Sancti, ſpecialem habet difficultatem in ratione credibilis. Secundo addit difficultatem: Quod natus fuerit ex Virgine, remanente Virgine ante partum, in partu, & poſt partum: Tertio addit difficultatem: Quod, cum Deus ſit, paſſus fuerit, mortuus, & ſepultus. Quarto addit ſpecialem difficultatem: Quod ad inferos deſcenderit. Quinto: Quod propria virtute reſurrexerit. Sexto: Quod Cœlum conſcenderit propria virtute. Septimo: Quod venturus ſit ad iudicium: Ergò iuxta ſeptem has difficultates ſpeciales in ratione credibilis convenientèr aſsignantur ſeptem Articuli humanitatis.

25. Sed obijcitur primo, nam diſtinctio Articulorum eſſe nequit penès rationem formalem credibilis, quia hæc eſt vna pro omnibus credibilibus: Deindè, nec penès materiam, quia materia fidei in infinitum dividi poteſt, vel ſaltem ad certum numerum reduci nequit, cum Sacr. Scriptura, & Apoſtolicę traditiones, in quibus tota materia fidei continetur, ita arctari non poſsint: Ergò numerari non convenit per Articulos. Confirmatur: Quia *Articulus* dicitur quaſi arctans nos ad credendum: Sed credere non debet eſſe coactum, ſed voluntarium: Ergò incóveniēter fides numeratur per Articulos. Reſpondeo ex D. Thom. diſtinguendo maiorē: Diſtinctio Articulorum eſſe nequit penès rationem formalem, quia hæc eſt vna, ex parte rei creditę, concedo: Ex parte noſtri, nego maiorem: Quia ex parte rei creditę ratio formalis eſt prima veritas in dicendo; & hæc, fatemur, quod eſt vna reſpectu omnium credibilium: Ex parte verò noſtri eſt non viſum, ſeù obſcurum; & hæc obſcuritas, ſeù difficultas in ratione credibilis, eſt diverſa, vt explicatum manet, & penès hanc fit diſtinctio Articulorum. Deindè diſtinguo minorem: Nec penès materiam, quia in infinitum dividi poteſt, & nequit ad certum numerum reduci, ſumpta materia fidei in tota ſua latitudine, concedo minorem: ſumpta quantum ad partes principales, ſeù quoad ſubſtantiam, nego minorem, & conſequentiam. Quia per Articulos numerari non debet, nec poteſt, materia fidei in tota ſua latitudine, eo quod iſta nō debet ſingillatim cognoſci ab omnibus, & ſingulis Fidelibus, nec tota eſt neceſſaria ad ſalutem; ſed ſolum materia principalis, & ſubſtantialis fidei, cuius fides ſit omnibus neceſſaria ad ſalutem; & hæc numerari poteſt convenientèr per Articulos modo explicato. Ad confirmationem: In primis negari poteſt illa ſignificatio huius nominis *Articulus*, quia non ſumitur à verbo Latino *Arctare*, ſed à Græco *Artos*, non enim dicitur *Arcticulus*, ſed *Articulus*. Sed illa admiſſa, dicendum eſt, Articulos fidei arctare nos ad credendum, non per violentiam, ſed per obligationem; obligatio autem credendi non tollit voluntarium.

26. Obijcitur ſecundo: Quia Deum eſſe vnum eſt lumine naturę demonſtrabile, & ſcibile; ſed quod eſt lumine naturę demonſtrabile, & ſcibile, non pertinet ad fidem: Ergò inconvenienter ponitur primus Articulus fidei *credere Deum eſſe vnum*. Confirmatur primo: Quia ęquè de fide eſt Deum eſſe omnia ſcientem, de omnibus providentem, ac Deum eſſe omnipotentem; & ęquè circa illud aliqui erraverunt, ac circa hoc: Ergò ęquè de illo, ac de hoc debuit fieri mentio in Articulis: Sed de ſapientia, & providentia in illis non fit mentio: Ergò inconvenienter numerantur. Confirmatur ſecundo: Quia eadem eſt notitia Patris ęterni, ac Filij, iuxta illud *Ioan.* 14. *Qui videt me, videt & Patrem meum*: Ergò vnus tantum Articulus debuit aſsignari pro Patre, & pro Filio: Ergò inconvenienter ponūntur duo. Confirmatur tertio: Quia Sacramentum Euchariſtię habet ſpecialem difficultatem pręomnibus Articulis: Ergò de illo fieri debuit mentio in Articulis: Sed non fit: Ergò inconvenienter numerantur.

27. Reſpondetur ex Div. Thom. diſtinguendo maiorem: Deum eſſe vnum, vt cognoſcebatur à Philoſophis, eſt lumine naturę demonſtrabile, concedo: Vt cognoſcitur à Catholicis, nego maiorem, quia Catholici cognoſcimus Deum, vt Authorem ſupernaturalem,

eſſe vnum, & vnum vnitate cõmunicabili ad intra, & item, eſſe vnum tantùm à creaturis colendum cultu vni ſoli Deo debito, & plura alia cognoſcimus de eius omnipotentia, & providentia, quę Philoſophi cognoſcere non potuerunt; & ideò Articulus, quo credimus vnum ſolum verum Deum omnipotentem, Creatorem, &c. per ſe pertinet ad fidem.

28. Ad primam confirmationem, conceſſo antecedenti, & prima conſequentia, nego minorem ſubſumptam: Quia cum potentia in habentibus intellectum non operetur, niſi ſecundum voluntatem, & cognitionem, omnipotentia Dei quodammodo includit ſcientiam, & providentiam, non enim poſſet omnia, quę vellet, in iſtis inferioribus agere, niſi ea cognoſceret, & eorum providentiam haberet; vndè idem eſt fieri mentionem omnipotentię, ac ſcientię, & providentię eius. Ad ſecundam, diſtinguo, vel explico antecedens: Eadem eſt notitia Patris, ac Filij, quantum ad vnitatem eſſentię in cognoſcente per fidem catholicam, aut viſionem beatam, concedo antecedens: Eadem eſt notitia apud omnes quantum ad ea, quę creduntur de Patre, & Filio, negò antecedens: quia Arius credidit de Patre eſſe verum Deum, & id de Filio negavit; & ideò ponitur Articulus ſpecialis ad credendum Filium eſſe Deum: Item, Macedonius concedebat Patrem, & Filium eſſe Deum, & negabat Spiritum Sanctum eſſe Deum, & ideò ponitur etiam Articulus ſpecialis pro Spiritu Sancto: Vndè convenienter ponuntur. Ad tertiam, diſtinguendum eſt Sacramentum Euchariſtię, vel prout cauſat gratiam in anima, ſicut cætera Sacramenta, & ſic vel ſpectat ad Sacramenta Eccleſię, & ideò non ponitur in Articulis, vel ſpectat ad Articulum Salvatoris, ad quem ſpectant omnia opera Dei ad extra quantum ad eſſe gratię. Si verò conſideretur vt opus miraculoſum quantum ad exiſtentiam realem Corporis Chriſti ſub ſpeciebus, ſic ſpectat ad Articulum omnipotentię.

TERTIA PARS QUÆSTIONIS.

29. DICO tertio: *Articuli fidei non creverunt, quoad ſubſtantiam; creverunt tamen, quoad explicationem, temporum ſucceſſione, ita quod remotiores à Chriſto minus explicitam, propinquiores verò magis explicitam fidem habuerint.* Ita Div. Thom. in præſenti. Et probat primo Authoritate Div. Gregorij *Homil. 16. in Ezequiel.* aientis, quod ſecundum incrementa temporum crevit ſcientia Sanctorum Patrum, & quanto viciniores adventui Salvatoris fuerunt, tanto Sacramenta ſalutis plenius perceperunt. Secundo probatur: Quia quæcumque crediderunt Fideles poſteriores, cõtinebantur in fide priorum, & ſola fuit differentia in eo, quod iſti implicitè, illi explicitè eadem credebant: Ergò, quoad ſubſtantiam credendorum, non fuit variatio, nec augmentum, ſed ſolum quoad maiorem explicationem. Probatur antecedens: Quia ſicut omnia principia reducuntur ad illa duo: *Impoſsibile eſt idẽ ſimul eſſe, & non eſſe*, &: *Quodlibet eſt, vel non eſt*; ita omnia credibilia implicitè cõtinẽtur in iſtis duobus: *Credere quod Deus eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator eſt*, quia in eſſe divino includuntur omnia, quę credimus in Deo exiſtere ab ęterno: Deindè in eo quod ſit remunerator inquirentibus eum, ſignificatur eius providentia, quam habet de ſalute hominum, & includuntur omnia, quę ab eo temporaliter diſpenſantur circa homines in ordine ad ipſorum beatitudinem aſſequendam: Sed priores, & remotiores ante Chriſti adventum crediderunt hæc duo: *Quod Deus eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator eſt*: Ergò implicitè crediderunt, quidquid explicitè crediderunt poſteriores, & omnia, quę iſti crediderunt continebantur implicitè in fide priorum. Quod autem poſteriores magis explicitè ea cognoverint, patet ex Sacro Textu; nam Apoſtol. *ad Epheſ. 3.* inquit: *In alijs generationibus non eſt agnitum myſterium Chriſti, ſicut nunc revelatum eſt Sanctis Apoſtolis eius, & Prophetis.* Et David aiebat: *Super ſenes intellexi*: Ergò.

30. Sed in contra objicitur: Quia fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum: ſed in omni tempore ſunt eadem ſperanda: Ergò, & eadem credenda: Ergò, & idem Articuli deberent eſſe. Secundo: Quia propterea in ſcientijs humanis ſecundum temporum ſucceſsionem datur progreſſus, & augmentum, quia illi, qui primo ſcientias tradidere, potuerunt aliqua ignorare, quę poſteri detexerunt: ſed fides non eſt tradita ab hominibus, ſed à Deo, qui nihil ignorare poteſt: Ergò non eſt cur à principio non fuerit fides in tota ſua perfectione. Tertio: Quia gratia in ſua operatione ſe accomodat modo procedendi naturę: ſed natura ſemper initium ſumit à perfectis, vt inquit Boetius *de Conſolatione*: Ergò etiam gratia: Ergò, cùm fides ſit opus gratię, debuit incipere in tota ſua perfectione. Quarto: Quia, ſicut per Apoſtolos ad nos fides Chriſti pervenit, ita in Veteri Teſtamento per priores PP. ad poſteriores devenit cognitio fidei, iuxta illud Deutoronim. 23. *Interroga Patrem tuum, & anunciabit tibi*: Sed Apoſtoli pleniſsimè fuerunt inſtructi de myſterijs fidei: *Acceperunt enim, ſicut tempore prius, ita, & cæteris abun-*

abundantius, vt dicit Gloſſa *ſuper illud ad Rom.* 8. *Nos ipſi primitias ſpiritus habentes, &c.* Ergò etiam primi PP. Veteris Teſtamenti fuerunt plenius inſtructi, quam poſteriores: Non ergò in poſterioribus erevit explicita cognitio fidei.

31. Reſpondetur ad primum, conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: Omni tempore fuerunt eadem ſperanda, & ęquè cognita, nego minorem: & inæqualiter cognita, concedo minorem, & nego conſequentiam, de Articulis quantum ad explicationem: Quia homines ad ſperanda non poſſunt pervenire, niſi per Chriſtum, vndè quanto à Chriſto fuerunt remotiores, tanto magis à longè reſpiciebant ſperanda, ſeù promiſſa; quanto autem aliquid à longinquioribus videtur, tãto minus diſtinctè videtur, & tanto magis diſtinctè, quanto à propinquioribus: Sequitur ergò, quod magis explicitam, & penès Articulos diſtinctam, cognitionem habuerunt propinquiores Chriſto. Ad ſecundum, conceſſa maiori, & minori, nego conſequentiam: Quia duplici ex capite poteſt augeri aliqua cognitio, vel exparte docentis, vel ex parte addiſcentis: Scientię humanę augentur etiam ex parte docentis, quia primi potuerunt ignorare, quę poſteri adiuti ſtudio priorum detexerunt: At fides divina non augetur ex parte docentis, qui principaliter eſt Deus, & hoc ad ſummum probat argumentum; ſed ſolum ex parte addiſcentis, quia ſicut Magiſter, qui novit totam artem, non ſtatim tradit eam diſcipulo totam, ſed accomodatur capacitati eius, quę addiſcendo augetur, ita divinus Magiſter cum hominibus agit, & ideò Apoſtolus *ad Galat.* 3. comparat ſtatum Veteris Teſtamenti pueritię, quia homines non ita capaces erant ad myſteria Chriſti; & propterea nondum eis explicitè tradebantur, ſicut poſteà.

32. Ad tertium, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: Natura ſemper exordium ſumit à perfectis, via originis, & cauſę efficientis, concedo minorem: in genere cauſę materialis, nego minorem, & conſequentiam: Quia, quando proceſſus eſt de cauſa efficienti ad effectus, perfectior debet eſſe cauſa efficiens, à qua ſumitur exordium; & hoc etiam contingit in fide, nam cauſa efficiens, per quam homines ad fidem perfectum promoti ſunt, Deus eſt; quo nihil perfectius excogitari poteſt. Quando verò proceſſus eſt in genere cauſę materialis, non ſumitur exordium à perfecto, ſed ab imperfecto: Vndè generatio hominis ſumit exordium ab embrione, deindè procedit ex infantia ad pueritiam, &c. Et ſic homines in fide addiſcenda magis ſervant ordinem cauſę materialis, quam cauſę efficientis, quia licèt aliqui ſint Doctores, & Magiſtri, qui fidem docent per modum cauſę efficientis, hi tamen donum hoc accipiunt à Deo pro vtilitate communi, & conſequenter, iuxta exigentiam temporis, & ſtatus perfecti, vel imperfecti gratię; vndè Doctoribus Legis Gratię minus diſtinctè dabatur notitia fidei, quam Apoſtolis.

33. Ad quartum, diſtinguo maiorem: Ita, & eodem modo, nego maiorem: Ita, & diverſo modo, concedo maiorem: Quia ex primis ad poſteriores Patres deveniebat fides accedendo ad plenitudinem gratię, quę fuit in Chriſto, & ideò augebatur in poſterioribus; ex Apoſtolis autem ad nos devenit recedẽdo à plenitudine illa, quę fuit in Chriſto, & ideò non oportet, quod in nobis augeatur, ſed potius, quod decreſcat ab illa plenitudine. Vndè, ſicut homo tanto habet perfectiorem ſtatum, quanto eſt iuventuti proximior, quia in iuventute eſt quaſi plenitudo perfectionis eius, ita quia in Chriſto fuit plenitudo gratię, quanto homines fuerunt Chriſto propinquiores, ſivè à parte ante, ſivè à parte poſt, tanto magis fuerunt illuminati de rebus fidei.

34. Sed dices: Plures fuerunt ex prioribus ante adventũ Chriſti, qui habuerunt fidem magis explicitam, quam proximiores Chriſto, quia Abraham, David, Salomon, & Prophetę illorum temporum, abſdubio habuerunt fidem magis explicitam, quam plures, qui vixerunt ſæculo proximiori adventui Chriſti: Ergò. Reſpondeo: Quod doctrina Div. Thom. non eſt intelligenda comparando ſingulos ex prioribus, cum ſingulis poſterioribus, ſed comparando integrum corpus, ſeù integram Congregationem Fidelium, quę fuit tempore anteriori, cum integra Congregatione Fidelium temporis poſterioris; ita vt in tota Congregatione temporis poſterioris fuerit fides magis explicita, quam in Congregatione temporis anterioris: Hoc autem non tollit, quod tempore anteriori fuerint aliqui, vt David, Abraham, & aliqui alij, qui exceſſerint aliquos ex Fidelibus temporis proximioris adventui Chriſti; ſicut etiam computando tempora poſteriora Chriſto, poſſunt modo aliqui Fideles habere fidem magis explicitam, quam aliqui ex illis, qui vixerunt ſæculo proximiori poſt Chriſtum, licèt facta comparatione Eccleſię prout fuit ſæculo proximiori poſt Chriſtum, ad Eccleſiam prout fuit, & eſt ſæculis poſterioribus, magis explicita fides fuerit in illa, quam in iſta.

35. Tota doctrina huius, & præcedentis quæſtionis deſumpta eſt, penè ad litteram, ex Div. Thom. in præſenti, cuius Textum non poſſui, quia cuique in eius operibus ad manum-

Digitized by Google

erit, ipſum tamen recentiori ſtyllo reſumpſi, non quia putem, quod abſit, clarius, aut melius eius me poſſe doctrinam proponere, ſed vnicè titulo exponendi ipſam meo ſenſu, & conſequenti ſtyllo ad Quæſtiones priores.

QUÆSTIO XIII.

An inter veritates credendas detur aliquis ordo, & qualis?

1. EXPLICATA in præcedentibus materia fidei, quę ex omnibus credibilibus coaleſcit, indagamus ordinem inter ipſa credibilia. Et in primis, diſtinguendum eſt, de ordine credibilium ſecundum ſe, & in eſſe entis, & de ordine illorũ in eſſe credibilis. Quantum ad primum, ſuppono, omnia credibilia adinvicem comparata habere aliquem ordinem in eſſe entis. Patet: Quia ex veritatibus, quę credit fides, alię ſunt divinę, ęternę, ac neceſſarię, alię createę, temporales, aut contingentes: Sed inter hæc datur ordo, ſaltem prioritatis in eſſe entis, quia priora ſunt divina, ęterna, & neceſſaria creatis, temporalibus, & contingentibus: Ergò ſaltem inter veritates credibiles datur ordo prioritatis, & poſterioritatis. Deindè datur etiam ordo dignitatis, nam veritates, in quibus divina de divinis creduntur, nobiliores ſunt veritatibus, in quibus humana de divinis, aut divina de humanis prædicantur; & iſtę ſunt nobiliores veritatibus, in quibus creata de creatis dicuntur, iuxta diviſionem ſuprà memoratam, *quæſt. 11. num.* 10. Ergò inter has veritates datur ordo dignitatis maioris, vel minoris. Hoc autem ſuppoſito.

2. Dico primo: *Omnes veritates credibiles habere debent aliquem ordinem ad vnum credibile, etiam in eſſe credibilis.* Probatur: Quia omnes veritates credibiles conſtituere debent vnum obiectum materiale fidei, ſiquidem fides eſt vnicus habitus, & debet reſpicere vnum obiectum, & non plura, vt plura, ſine ordine: Sed, vt omnes veritates credibiles conſtituant vnum obiectum materiale, debent habere aliquem ordinem in ratione credibilis ad vnum credibile, nam ſine tali ordine non eſſet vnitas, ſed pluralitas, & confuſio: Ergò.

3. Dices, ad vnitatem obiecti materialis ſufficere, quod omnia obiecta materialia ſubſtent vni rationi formali *ſub qua*, nempè, veritati divinę in dicẽdo, non autem opus eſſe, quod habeant inter ſe ordinem in ratione credibilis. Sed contra; Quia non poſſunt omnia credibilia ſubſtare vni rationi formali *ſub qua*, niſi habeant inter ſe aliquem ordinem in eſſe credibilis: Ergò. Probo antecedens: Quia ratio formalis *ſub qua*, nempè, prima veritas, vt revelans, non poſſet eſſe vna reſpectu fidei, niſi omnia revelaret per ordinem ad vnum, ſi enim revelaret plura, vt plura ſine ordine, potius conſtitueret plures rationes formales *ſub quibus*, quam vnam *ſub qua*: Ergò. Secundo: Quia habitus, non ſolum ſpecificatur à ratione formali *ſub qua*, ſed etiam à ratione formali *quę*, ſeù ab obiecto formali terminativo: Ergò non ſolum requiritur ad vnitatem fidei, quod ratio formalis *ſub qua* ſit vnà, ſed etiam, quod detúr obiectum formale terminativum vnum: Sed hoc nequit eſſe vnum, niſi omnia credibilia in ratione credibilis ordinentur ad vnum credibile per ſe primo tale, quia aliter, eſſent plura credibilia ęquè per ſe primo credibilia ſine ordine, & conſequenter plura obiecta materialia terminativa fidei ſine vnitate in ratione obiecti terminativi: Ergò.

4. Secundo, probo aſſertum: Quia habitus fidei per prius inclinat in veritates increatas, & ęternas, quam in temporales, & creatas, & ex creatis per prius in proximiores veritati increatę, itemque ex divinis, per prius in primam, & eſſentialem, quam in veritates conſequentes, & attributales: Ergò prædictę veritates, adhùc in eſſe credibilis, ſeù, in quantum reſpiciuntur ab habitu fidei, habent ordinem ad aliquod vnum credibile. Probatur antecedens; Quia habitus fidei, ſicut & quælibet virtus, per prius inclinat in obiecta nobiliora, & digniora, quam in minus nobilia: Sed nobiliores ſunt veritates ęternę, & increatę, quam temporales, & creatę, & ex iſtis nobiliores ſunt, quę proximiores illis, & ex illis nobilior eſt prima, & eſſentialis veritas, quam conſequentes, & attributales: Ergò. Secundo: Quia fides magis inclinat in obiecta ſibi magis proportionata: ſed, cum fides ipſa ſit divina, magis proportionantur ipſi veritates divinę, quam creatę, & ex creatis, quę magis ad divinas accedunt, & ex divinis magis proportionatur veritas, quę ſit ipſa divinitas eſſentialis, quam veritates attributales, quia illa eſt magis divina: Ergò fides magis, ſeù per prius inclinat in veritates divinas, quam increatas, & ex iſtis, in proximiores illis, & ex illis per prius in primam, & eſſentialem veritatem divinitatis, quam in attributales: Ergò omnes iſtę veritates habent ordinem in eſſe credibilis ad vnum primum credibile, quin etiam, & inter ſe, attenta inclinatione fidei, ſeù in intentione.

POTIOR DIFFICVLTAS.

5. MAIOR difficultas eſt de ordine dependentię in ratione credibilis in executione, an videlicèt aliquę veritates credibiles, vt credantur in executione dependeant ab alia, vel alijs, vt prius creditis. Suarez *in præſent. diſputat.* 2. *ſect.* 4. *num.* 5. poſtquam diſtinxit inter veritates fidei, quę purè ſunt obiectum materiale, vt, *Chriſtus reſurrexit: Nos reſurgemus*, & veritates, quę continent ipſam rationē formalem, quales ſunt iſtę: *Deus eſt prima veritas, quę nec falli, nec fallere poteſt: Deus hoc dixit*; inquit, veritates; quę explicant rationem formalem *ſub qua* fidei, neceſſario credendas eſſe vt *quod*, ante fidem cæterarum, licèt inter cæteras nullus ſit ordo per ſe neceſſarius. Econtra tamen PP. Salmant. *diſputat.* 1. *dub.* 1. *à nu.* 15. inquiunt, & probant, tales veritates non eſſe indiſpenſabiliter credendas ante fidem cæterarum: Quia, ſi hoc eſſet indiſpenſabiliter requiſitum, Deus, antequam quidquam revelaret, deberet prius revelare, *ſe ipſum eſſe infallibilem in dicendo*, &c. *ſe illud revelare*: Sed hoc non eſt indiſpenſabiliter requiſitum: Ergò nec credere has veritates ante fidem cæterarum. Probant minorem, primo: Quia Deus omninò libere, & voluntariè revelat, quę revelat: Ergò nulla neceſſitate tenetur ad revelandas dictas veritates, ante revelationem aliarum. Secundò: Quia poteſt ſupponere in eo, cui revelat, euidentiam illarum veritatum, nam, *quod Deus ſit omninò infallibilis in dicendo*, eſt demonſtrabile lumine naturali: Alia, item, veritas, nempè, *quod Deus hoc dicit*; poteſt cògnoſci per euidentiā in atteſtante, quę cōpatitur cum fide in eorum ſententia: Sed, ſi Deus ſupponat in eo, cui revelat, notitiam euidentē illarum veritatum, non opus eſt illas prius revelare: Ergò. Et cōfirmant à paritate: Quia, vt quis credat alicui hiſtoriam referenti, opus non eſt, quod prius credat, ipſum talem hiſtoriam referre, aut ipſum eſſe fidedignum, quia videlicèt, id aliundè notum ſupponi poteſt: Sed etiam aliundè, quam per fidem, haberi poteſt notitia euidens de infallibilitate Dei in dicendo, & de eo, quod hoc dixit: Ergò.

6. Sed hæc parvum vrgent, & enervantur ex ipſa ratione, qua ſuam ſententiam ſic probat Suarez: Etenim, inquit, vt credamus alicui teſtificanti aliquam veritatem, debemus prius cognoſcere ęquali, vel maiori certitudine, ipſum eam veritatem teſtificari, & eſſe fidedignum, quam credamus ei talem veritatem. Sed antequam credamus fide humana Petro, v. g. referenti hiſtoriam, poſſumus habere ęqualem, vel maiorem certitudinem de eo, quod refert talem hiſtoriam, nempè, per euidentiam auditus, & de eo, quod ſit fidedignus, nempè ex eius ſcientia, & probitate, vel ex aliorum dictis; attamen antequam credamus Deo dicenti aliquod myſterium, non poſſumus aliter, quam per fidem præſtitam ipſi Deo, habere maiorem, nec ęqualem certitudinem de eo, quod Deus illud myſterium teſtificatur, nec de eo, quod Deus eſt ſummè infallibilis in dicendo: Ergò, licèt opus non ſit ad fidem humanam alicuius veritatis credere prius, loquentem eam veritatem teſtificari, nec credere ipſi, quod ſit fidedignus, tamen ad fidem divinam veritatis revelatę opus eſt credere prius per ipſam fidem divinam Deū talem veritatem teſtificari, & ipſum eſſe infallibilem in dicendo. Minorem, quoad ſecundam partem, probat: Quia in primis de eo, quod Deus talem veritatem teſtificatur, non poteſt haberi certitudo maior, vel ęqualis certitudini fidei divinę, aliter, quam per fidem divinam, nam omnis alia certitudo ex motivis credibilitatis ad ſummum eſt certitudo moralis: Deindè nec de eo, quod Deus ſit infallibilis in dicendo, quia licèt hoc ſciri poſſit per lumen naturale demonſtrativum, certitudo tamen naturalis luminis non eſt ęqualis; ſed inferior certitudine fidei: Ergò de his duobus nequit haberi ęqualis certitudo, niſi prius credantur fide divina, licèt oppoſitum contingat in fide humana.

7. Explicatur: Quia certitudo fidei humanę, cū ſit fallibilis, & debilis, poteſt ſupponere maiorē certitudinē de teſtificatione loquentis, nempè, ſi credens ipſum audiat teſtificantem, & eius authoritate in dicendo, nempè, ex aliorum dictis magis, vel ęquè fidedignis, vel ex alijs motivis magis, vel ęquè probabilibus, quam ſit fides illi adhibenda: Attamen certitudo fidei divinę eſt ſumma, & maxima, qua maior haberi nequit, imò nec ęqualis per euidentiam vllam naturalem; multoque minus per euidentiam moralem, ſolumque haberi poteſt ęqualis certitudo per ipſam fidem, qua priùs credatur Deum veritatem aliquam teſtificari, & eius teſtimonium eſſe infallibile: Ergò non poſſumus fide divina credere myſterium revelatum, niſi prius credendo eadem fide Deum illud teſtificari, & eius teſtimonium eſſe infallibile, licèt in fide humana alicuius hiſtorię opus non ſit prius credere, hominem illam teſtificari, aut eius teſtimonium eſſe fidedignum.

8. Vndè cenſeo cum Suarez, quod, ſi ad credendum myſterium fide divina opus ſit cognoſcere prius iudicativè vt *quod*, has duas veritates: *Deus hoc myſterium teſtificatur*: Et, *Dei teſtimonium eſt infallibile*, vt ſint motivum formale credendi myſterium, omnino

etiam

etiam requiſitum erit, & indiſpenſabile, ſaltem ſecundum ordinariam providẽtiam, quod prius credantur fide divina, quia aliter, quam fide divina, non poſſunt cognoſci indicativè illa certitudine, quę poſsit fundare certitudinem fidei, nempè ęquali, aut maiori.

9. Vndè ad fundamentum PP. Salmant. negari poteſt minor. Ad cuius primam probationem, dicatur, quod vt Deus libere, & ſpontaneè revelet, ſufficit, quod poſsit abſolutè non revelare, non autem requiritur, quod adhùc ex ſuppoſitione revelationis myſterij, poſsit non revelare ſuum teſtimonium, & ipſum eſſe infallibile, quia impoſsibilitas ex ſuppoſitione libera revelationis myſterij; minimè adimit libertatem in revelando conſequenter ipſam revelationem, & eius infallibilitatem. Et quidem, quamvis opus non ſit credere prius ipſam revelationem, & eius infallibilitatem, opus tamen eſt, quod, ſi Deus revelat myſterium, ipſa revelatio, & eius authoritas ſit credibilis vt *quod*: ſed non poteſt eſſe credibilis vt *quod*, niſi ſit revelata vt *quod*: Ergò nequit Deus revelare myſterium, niſi revelando vt *quod* ipſam revelationem, & eius infallibilitatem, quin hoc adimat libertatem in revelando.

10. Ad ſecundam, poteſt negari maior: Tum, quia forſan infallibilitas Dei in dicendo ad extra demonſtrari nequit lumine naturali, quia eſt attributum Dei, vt Authoris ſupernaturalis, cum ſolum, vt Author ſupernaturalis Deus loquatur ad extra. Tum quia, quamvis ſupponat in eo, cui revelat, talem ſcientiam, & demonſtrationem, adhùc poteſt id ipſum illi revelare ad magis illum certificandum de tali infallibilitate, quia certitudo ex vi revelationis divinę eſt longè maior, quam certitudo demonſtrationis naturalis, vt infrà videbimus. Tum denique, quia de iſta veritate: *Deus hoc myſterium teſtificatur*, ſupponi nequit iuxta ordinariam Dei providentiam euidentia demonſtrationis: Ergò ſaltem iuxta ordinariam Dei providentiam omnino indiſpenſabile erit, quod illam veritatem Deus revelet, & quod Fidelis illam prius credat fide divina. Nec euidentia in atteſtante aliquid probat contra Suarez: Tum, quia in eius ſententia talis euidentia non compatitur cum fide, quod & plures Thomiſtę tenent. Tum, quia intentum Suarij, ſolum eſt, quod in regulari, & præſenti providentia Dei ſit indiſpenſabiliter requiſitum, quod exiſtentia, & infallibilitas divinę revelationis prius reveletur vt *quod*, & prius credatur vt *quod* ante fidem myſterij; cui non opponitur, quod hoc poſsit ſuppleri per euidentiam in atteſtante in alia providentia. Ex quo patet ad paritatem de fide humana.

11. Veruntamen, dico ſecundo, contra Suarez: *Ad credendum myſterium non requiritur de neceſsitate credere prius*, vt quod, *nec exiſtentiam, nec infallibilitatem divinò teſtimonij*. Probatur primo: Quia id non exigitur, ex ordine debito inter obiecta purè materialia. Aliundè nec ex ordine inter obiectum formale motivum, & materiale: Ergò non requiritur de neceſsitate. Maiorem concedit Suarez, dicens: *Inter obiecta purè materialia, non eſſe per ſe ordinem*; & ſubiungens: *Nos ergò ſolum conſtituimus ordinem inter materiale, & formale, etiam vt formale eſt aliquid creditum*. Deindè probatur: Quia licèt falſum ſit quod inquit Suarez, nempè, inter obiecta purè materialia, non dari per ſe ordinem, nam re ipſa datur ordo per ſe, vt ſatis conſtat ex primo Aſſerto, & amplius infrà conſtabit, tamen talis ordo ad ſummum poteſt exigere, quod prius credatur vt *quod* obiectũ materiale primarium, quam alia obiecta ſecundaria: Sed hoc ſalvari poteſt, quin prius credatur, vt *quod* exiſtentia revelationis, & eius infallibilitas: Ergò ex ordine debito inter obiecta materialia, non requiritur de neceſsitate, quod prius credatur vt *quod* revelatio, & eius infallibilitas. Probatur minor: Quia per hoc præcisè, quod prius credatur Deus ſub ratione deitatis, ſalvatur quod prius credatur obiectum materiale primarium, quam alia ſecundaria: Sed poteſt credi Deus ſub ratione deitatis, quin credatur vt *quod* exiſtentia, & infallibilitas revelationis: Ergò ſalvari poteſt, &c. Probo minorem: Quia poteſt, credi obiectum primarium *quod*, quin credatur obiectum ſecundarium *quod*: Sed deitas ſub ratione deitatis eſt obiectum primarium *quod*, & revelatio cum ſua infallibilitate eſt ſecundarium *quod*, licèt ſit formale *quo*: Ergò.

12. Confirmatur: Quia, vt ipſe Suarez fatetur *diſp. 2. ſect. 1. num. 5.* Deus, *ſecundum abſolutam rationem deitatis, & eſſentię ſuę, eſt primarium obiectum fidei*. Et hanc exiſtimat communem ſententiam Theologorum: Sed poteſt fides credere primo, & antequam aliud credat vt *quod*, ſuum obiectum primarium, quia poteſt primo credere id in quod credendum primo inclinat, & abſdubio primo inclinat ad ſuum obiectum primarium: Ergò poteſt fides primo credere Deum ſecundum abſolutam rationem deitatis, & eſſentię ſuę, antequam credat vt *quod* exiſtentiam, & infallibilitatem revelationis actualis. Ex quo.

13. Probatur ſecunda pars antecedentis: Quia ordo debitus inter obiectum formale motivum, & materiale, ſeù terminativum, ſolum exigit, quod formale motivum prius moveat, vt materiale terminet fidem, non autem

exi-

exigitur quod prius terminet, quia hoc ſolum exigitur ad obiectum formale, ſeù primarium terminativum: Sed, ſi exigeretur revelationem prius credi vt *quod*, exigeretur, quod ipſa prius terminaret fidem, & non preciſè, quod prius moveret ad ipſam: Ergò non exigitur credere prius ipſam vt *quod*.

14. Confirmatur: Quia revelatio vt *quod*, ſeù in ratione obiecti terminativi fidei comparatur ad deitatem ſub abſoluta ratione deitatis, tanquam obiectum ſecundario terminativum ad obiectum primario terminativum: Sed prius credi debet vt *quod*, vel ſaltem poteſt, obiectum primario terminativum, quam obiectum ſecundario terminativum: Ergò poteſt credi vt *quod* deitas, quin prius credatur vt *quod* revelatio, aut eius infallibilitas. Tum ſic, ſed deitas ſub abſoluta ratione deitatis eſt myſterium revelatum, & obiectum purè materiale, licèt primarium fidei: Ergò ad credendum obiectum materiale, ſeù myſterium revelatum fide divina, non requiritur de neceſſitate credere prius vt *quod* revelationem, & eius infallibilitatem.

15. Confirmatur ſecundo: Quia, licèt iuxta aliquos, ad credenda obiecta ſecundaria non requiratur, omnimoda neceſſitate, credere prius obiectum primarium, tamen omnes fatentur, quod ſervata exigentia connaturali, & proportione debita inter fidem, & eius obiecta; prius in executione debet credi obiectum primarium terminativum, quam alia ſecundario terminativa, atque id ad minimum probatur ex illo Apoſtol. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt*, & ex illo Ioan: 14. *Creditis in Deum, & in me credite*, & ex illo Auguſtin. 4. de Civitat. cap. 20. *Fidei vnum, & primum, ac maximum officium eſt, vt in verum credatur Deum*; & ex ipſo ordine, quo proponitur fides in Symbolis, & in Articulis, nam primo proponitur credendus Deus abſolutè, quam eius attributa; & alia myſteria ſecundaria: Ergò apud omnes debet eſſe certum, quod Deus ſub abſoluta ratione deitatis poſſit prius credi per fidem divinam ante omne aliud creditum vt *quod*: Ergò credi poteſt, quin prius credantur vt *quod* illa duo principia: *Deus hoc dicit: Deus non poteſt fallere*: Tunc ſic; ſed eadem ratio eſt in quolibet alio myſterio revelato: Ergò quodlibet credi poteſt directè, quin prius credantur vt *quod* illa duo principia. Probatur minor ſubſumpta, quia deitas ſub abſoluta ratione deitatis, non minus eſt obiectum purè materiale reſpectu revelationis, nec minus creditur, quia infallibiliter revelata, quam cætera myſteria ſecundaria; ſed creditur, quia infallibiliter revelata, quin opus ſit credere prius vt *quod* illa duo principia: Ergò quodlibet aliud myſterium credi poterit, quia revelatum, quin opus ſit credere vt *quod* illa duo principia.

16. Explicatur: In ratione obiecti materialis, ſeù terminativi fidei, prius eſt Deum eſſe, quam Deum aliquid revelare, & eſſe infallibilem in dicendo: Ergò prius credi debet, aut ſaltem poteſt, vt obiectum terminativum Deum eſſe, quam credatur vt *quod*, & terminativè ipſum aliquid revelare; aut eſſe infallibilem in dicēdo: Ergò hæc duo principia non ſunt de neceſſitate primo credenda ante omne aliud credibile ex intrinſeca ratione fidei, vt contendit Suarez, ſed potius eſt aliquod aliud primo credibile vt *quod*, nempè, Deus ſub abſoluta ratione deitatis, antequam credantur illa duo principia vt *quod*. Hoc autem ſuppoſito euidenter ſequitur, quod poterit quodlibet aliud credibile credi vt *quod*, v. g. Trinitas perſonarum, Dei miſericordia, & alia attributa, ſicut & myſterium Incarnationis, & alia, quin prius credantur vt *quod* illa duo principia, nam ratio Suarij, vel de omni, vel de nullo credibili probat.

17. Secundo probatur Aſſertum: Quia propterea deberent illa duo principia prius cognoſci vt *quod*, quia continent rationem formalem obiectivam motivam ad credendum: Sed ad credendum non requiritur de neceſſitate prius cognoſcere iudicativè vt *quod* rationem obiectivè moventem ad credendum: Ergò nec cognoſcere illa duo principia iudicativè vt *quod*. Probo minorem: Quia ratio formalis obiectiva motiva ad credendum, nempè, divina revelatio vt infallibilis, non movet, vt prius cognita iudicativè vt *quod*, ſed ad ſummum, vt prius cognita apprehenſivè: Ergò non requiritur de neceſſitate eam prius cognoſcere iudicativè vt *quod*. Probo antecedens: Quia revelatio, vt infallibilis non movet via diſcurſus ad credendum myſterium, cum fides non ſit diſcurſiva, vt infrà videbimus: Sed ſi moveret, vt prius cognita iudicativè, moveret via diſcurſus, ſeù per diſcurſum: Ergò non movet, vt prius cognita iudicativè vt *quod*. Probo minorem: Quia præmiſſę non alia ratione movent per modum diſcurſus ad aſſenſum concluſionis; niſi quia movent, vt prius cognitę iudicativè vt *quod*, & vniverſaliter omnis veritas, quę vt prius cognita iudicativè, movet, & obligat intellectum ad cognitionem alterius, movet per diſcurſum, ſiquidem movet per tranſitum ex cognitione illius obligantis ad aſſenſum alterius: Ergò, ſi revelatio, vt infallibilis, moveret vt prius iudicativè cognita, moveret per modum diſcurſus.

18. Con-

18. Confirmatur:Quia ſi illa duo principia moverent, vt prius cognita iudicativè, credens in credendo ſic procederet, ſeù moveretur: *Deus eſt infallibilis in omnì eo, quod dicit: Sed dicit myſterium Trinitatis eſſe verum: Ergò ita eſt*; nam ex illis duobus præcognitis neceſſario infertur, quod ita eſt id, quod dicit Deus: Sed hoc eſt formaliſsimè moveri ad aſſenſum myſterij per diſcurſum: Ergò.

19. Reſpondet Suarez, non ſufficere ad diſcurſum, quemlibet tranſitum de vna veritate cognita ad aliam, ſed vlterius requiri quod intellectus fundetur in ipſo diſcurſu, ita vt ratio aſſentiendi ſit connexio extremitatum cum medio: Suppoſito autem, quod illa duo principia cognoſcantur iudicativè vt *quod*, non eſt neceſſum, quod intellectus aſſentiatur myſterio fundando ſe in ipſo diſcurſu, aut innitendo connexione extremitatum cum medio, ſed poteſt immediatè aſſentiri propter authoritatem Dei dicentis, ſine fundamento proprij diſcurſus.

20. Sed contra eſt: Quia authoritas Dei, iuxta Suarez, conſiſtit in illis duobus principijs, vt iudicativè præcognitis: Ergò idem erit aſſentire myſterio propter authoritatem Dei, ac aſſentire myſterio propter illa duo principia vt iudicativè præcognita: Sed illa duo principia vt iudicativè præcognita ſunt formaliſsimè duę præmiſſę euidenter inferentes myſterium ita eſſe: Ergò idem erit aſſentiri myſterio propter authoritatem Dei vt iudicativè præcognitam, ac aſſentiri myſterio propter duas præmiſſas euidenter inferentes myſterium: ſed hoc eſt formaliter aſſentiri per diſcurſum: Ergò. Secundo: Quia, adhuc admiſſo, quod præcognitis illis duobus principijs, poſsit intellectus aſſentire ſine diſcurſu, tamen negari nequit, quod illa duo principia iudicativè cognita movent ex ſe ad aſſentiendum per diſcurſum: Nam rogo, in quo differunt iſta duo principia: *Quidquid Deus dicit eſt verum; ſed hoc Deus dicit*; ab his duobus; *Quidquid Deus diligit, eſt bonum: Sed hoc Deus diligit*? Sanè omnino pares ſunt: Sed iſtę ſecundę ex ſe movent ad aſſenſum per diſcurſum eliciendum: Ergò & illę priores ſimiliter: Ergò ſi authoritas Dei cōſiſtit in illis duobus principijs vt iudicativè præcognitis, authoritas Dei movet ex ſe ad aſſenſum per diſcurſum. Explicatur: Quia illę duę præmiſſę priores, non minus explicitè continent identitatem, ſeù connexionem medij cum extremis, ac poſteriores: Ergò, ſicut intellectus nequit moveri ex poſterioribus ad eliciendum hunc aſſenſum: *Hoc eſt bonum*, niſi per diſcurſum, ita nec ex prioribus ad iudicandum: *Hoc myſterium eſt verum*, niſi per diſcurſum. Patet conſequentia: Quia ſi ambę præmiſſę ęquè explicant connexionem medij cum extremitatibus: Ergò ęquè movent vi talis connexionis.

21. Vndè fatemur: Quod non omnis tranſitus de vna propoſitione ad aliam eſt diſcurſus; veruntamen omnis tranſitus ex duabus propoſitionibus iudicativè præcognitas, continentibuſque expreſsè connexionem medij cum extremitatibus, ad aliam tertiam, in qua extremitates vniuntur inter ſe, ita vt ex illis iudicativè præcognitis moveatur intellectus ad huius aſſenſum, formaliſsimè eſt diſcurſus: Sed ita ſe habent illa duo principia vt præcognita iudicativè: Ergò tranſitus ex illis ad aſſenſum myſterij erit formaliter diſcurſus.

22. Explicatur: Divina loquutio, vt infallibilis, ſeù vt eſſentialiter vera, & vt actu revelans myſterium, eſt medium formaliſsimè connexum cum extremis, nempè, cum veritate myſterij: Sed iuxta Suarez, fides myſterij innititur revelatione iudicativè præcognita, vt eſſentialiter vera, & vt actualiter revelante myſterium: Ergò nititur medio iudicativè præcognito vt connexo cum extremis: Ergò nititur formali diſcurſu, ſi eius ſententia vera eſt. Vndè licèt poſsit prædicto modo aſſentiri, non fundando ſe ſignatè in proprio diſcurſu, nec in neceſsitate illationis, aut conſequentię, tamen, ſi movetur ex illis princijs vt iudicativè præcognitis, implicat, quod exercitè non fundetur in diſcurſu, & in vi illationis, aut conſequentię. Ex quo.

23. Tertio ſuadetur concluſio: Quia ſi intellectus moveretur ex illis duobus principijs iudicativè præcognitis, ad aſſenſum myſterij, intellectus in aſſenſu myſterij nullum obſequium præſtaret divinę authoritati: Sed hoc eſt abſurdum: Ergò. Probo ſequelam: Quia quod intellectus aſſentiatur alicui veritati ex principijs iudicativè præcognitis euidenter illam inferentibus, nullum eſt obſequium illis principijs, vt per ſe patet: Ergò. Explicatur: Semel præcognitis iudicativè his duobus: *Deus eſt infallibilis in dicendo: Deus dicit ſe eſſe trinum*, nullus quamvis Hæreticus, & pertinax infidelis poteſt negare Deum eſſe trinum, ſed quilibèt, ex illis ſemel admiſsis, cogitur illud concedere: Sed quod quiſque, quantumvis pertinax, cogitur concedere, non eſt obſequioſum authoritati divinę illud concedere, ſeù aſſentiri illi: Ergò. Hæc ratio magis vrgebitur infrà, dum de fide non diſcurſiva ſermo erit.

24. Sed arguit Suarez, quia, vt quis credat teſtimonio alterius, opus eſt, quod prius cognoſcat authoritatem ipſius in dicendo, & quod

quod ipſe hoc dicit, vt patet in fide humana, nam, antequam alicui credamus, opus eſt ſcire ipſum eſſe fidedignum, & ipſum hoc dicere: Sed hoc de Deo cognoſcere non poſſumus ea certitudine, quę poſſit fundare fidem divinam, niſi per ipſam fidem divinam, credendo nimirum Deum eſſe infallibilem in dicendo, & Deum hoc dicere: Ergò. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: Opus eſt, quod prius cognoſcat apprehenſivè, aut iudicativè authoritatem ipſius in dicendo, & quod ipſe hoc dicit, concedo maiorem: Quod id prius cognoſcat iudicativè vt *quod*, nego maiorem, & omiſſa minori, nego conſequentiam. Cenſeo enim, quod, vt quis credat teſtimonio alterius, non requiritur omnimoda neceſsitate, quod prius formet iudicium de eius authoritate, & loquutione; ſed ſufficit, quod eius authoritas, & loquutio proponatur illi, & ab illo apprehendatur cum ſufficientibus motivis credibilitatis, vt immediatè illius teſtimonio credat, & aſſentiatur, iudicando ex motivo illius rem eſſe ſicut ab ipſo teſtificatur. Et ratio eſt: Quia cum teſtimonium dicentis non moveat per modum diſcurſus, non movet vt prius iudicatum vt *quod*, ſed ſolummodò vt *quo*, & vt ratio formalis *ſub qua*; ad hoc autem ſatis eſt, quod prius proponatur, & apprehendatur cum ſufficienti credibilitate; eo ipſo poteſt intellectus immediatè ex illo moveri, & illi aſſentiri, abſque alio prævio iudicio de teſtimonio, & authoritate dicentis.

25. Pro cuius intelligentia notandum eſt valdè: Quod aſſenſus fidei, quo credimus obiectum ab aliquo teſtificatum, intrinſicè reſpicit, & obiectum teſtificatum, & teſtimonium dicentis, ſed diverſo modo, nam teſtimonium reſpicit vt *quo*, vel vt *cui*, obiectum verò vt *quod*. V.g. Dum credimus Deo dicenti, ſe eſſe, intellectus aſſentitur Deo dicenti, vt *cui*, non vt *quod*, & credit Deum eſſe, vt *quod*, non vt *cui*. Ex quo infertur, quod in actu exercito credit authoritatem Dei dicentis, quia ille, qui aſſentitur dictis alterius, in ipſo aſſenſu exercitè fatetur ipſum eſſe fidedignum, & qui aſſentitur Deo omnino firmiter, & infallibiliter, in actu exercito fatetur ipſum eſſe infallibilem in dicendo, licèt in actu ſignato, & vt *quod* ſolum credat obiectum teſtificatum, ſeù revelatum.

26. Nec paritas de fide humana, oppoſitum probat: Nam licèt regulariter loquendo ſupponatur cognita iudicativè vt *quod* authoritas hominis teſtificantis, & eius teſtimonium, hoc non exigitur ex intrinſeca ratione fidei, ſed quia teſtimonium hominis euidenter auditur, & cognoſcitur ab audiente, velit, nolit, antequam illi credat; & quoad eius authoritatem, vel fidedignitatem, etiam communiter ſolet præcedere fama, vel aliorum hominum teſtimonium, vi cuius poſsit credi vt *quod*, eius authoritas, antequam illi credamus; cæterum hoc non exigitur ex intrinſeca ratione fidei, nam ſi credimus Petrum, v. g. eſſe fidedignum, quia alij, dicunt, rogo: vel credo alijs, quin prius crediderim vt *quod* eos eſſe fidedignos, vel vt credam illis, opus eſt prius credere vt *quod* eos eſſe fidedignos? Si primum: Ergò fides, adhùc humana, vt credat hominibus dicentibus aliquid, non exigit eſſentialiter prius credere vt *quod* eos eſſe fidedignos. Si ſecundum, rurſus rogabo: vndè credo, illos eſſe fidedignos? Si dicas: Quod ex dictis aliorum, rurſus rogabo, an opus ſit credere etiam de illis alijs vt *quod* eſſe fidedignos? Si affirmes, erit procedere in infinitum: Ergò, ne in infinitum abeatur, dicendum eſt, fidem, adhùc humanam, non exigere omnimoda neceſsitate, quod authoritas dicentis credatur prius vt *quod*, ſed ſatis eſſe, quod proponatur cum ſufficienti credibilitate, vt immediatè poſsimus illi aſſentiri. Quantum autem ad fidem divinam, longè id certius eſt, quia eius teſtimonium non euidenter auditur, nec cognoſcitur, ſicut humanum, nec eius authoritas movet vt credita ex dictis aliorum, nempè, hominum: Ergò ſatis erit, quod prius proponatur vt infallibilis, vt immediatè poſsit intellectus illi aſſentiri fide divina.

27. Sed replicabis primo: Divinum teſtimonium, & eius authoritas, vt apprehenſa, nullam habet connexionem cum myſterio: Ergò non poteſt movere ad aſſenſum myſterij. Probo antecedens: Quia vt ſolum apprehenſa eſt indifferens ad veritatem, & falſitatem, poteſt enim apprehendi res falſa, ſicut vera, & teſtimonium non exiſtens, ſicut exiſtens: Sed vt ſic indifferens non habet connexionē cum myſterio: Ergò. Reſp. diſtinguendo antecedens: Nullam habet connexionē vt apprehenſa purè naturaliter, & apprehenſione indifferenti, concedo antecedens: vt apprehenſa apprehenſione ſupernaturali ſuaſiva, nego antecedens. Ad cuius probationem, ſimiliter diſtinguo maiorem: Quia dupliciter apprehendi poteſt divina revelatio, & eius authoritas, nempè, vel apprehenſione purè naturali, & præſcindendo ab vllo motivo ſuadente eius exiſtentiam, vt cum apprehenditur revelatio numeri Stellarum, aut alterius obiecti, abſque vllo motivo ſuadente ipſius revelationis exiſtentiam, vel apprehenſione ſupernaturali ſuaſiva ipſius exiſtentię, vt cum apprehenditur revelatio Trinitatis vt propoſita exterius ſub motivis credibilitatis, & interius per illuſtrationem ſupernam ſuaſivam: Fatemur

Igitur, quod revelatio, vt primo modo apprehenſa nullam importat connexionem cum myſterio, imò nec cum ſui exiſtentia, ſed apprehenditur cum indifferentia vt ſit falſa, vel vera, hoc eſt, exiſtens, vel non exiſtens: Et ſic apprehenſa non magis mover ad fidem, quam ſi apprehenderetur revelatio Incarnationis Spiritus Sancti, aut altera, de cuius exiſtentia nullum eſſet motivum. Cæterum vt ſecundo modo apprehenſa, importat connexionem cum ſui exiſtentia, & cum myſterio, & eſt ſuaſiva vtriuſque in actu primo; & ſic dicimus revelationem vt apprehenſam ſufficienter præcedere ad aſſenſum myſterij, vt poſſit movere ad ipſum, quin opus ſit formare prius iudicium de ipſius exiſtentia.

28. Et quod hoc ſufficiat poteſt multipliciter ſuaderi. Primo: Quia vt intellectus credat exiſtentiam, & authoritatem ipſius revelationis, ſatis eſt, quod præcedat apprehenſio ſupernaturalis ſuaſiva ipſius, & non requiritur, quod præcedat iudicium, nam alias daretur proceſſus infinitus, ſiquidem ad illud iudicium non poſſet movere revelatio, & eius authoritas, niſi vt præcognita iudicativè per iudicium prævium, & ſimiliter ad illud, & ſic in infinitum: Sed revelatio æquè immediatè movet ad credendum myſterium directè revelatum, ac ad credendam vt *quod* exiſtentiam, & authoritatem ipſius revelationis: Ergò ſufficit etiam ad credendum myſterium, quod præcedat revelatio, vt apprehenſa modo explicato. Minor patet: Quia revelatio non movet mediatè tantum ad credendum myſterium, alias tantum mediatè revelaret myſterium, & non eſſet motivum fidei circa myſterium, ſed Theologiæ, & diſcurſus, ſiquidem revelatio, vt mediata, & vt mediatè tantum movens, eſt obiectum formale Theologiæ, & non fidei: Ergò movet immediatè ad credendum myſterium, ſicut ad credendam ſui exiſtentiam, & authoritatem. Secundo: Quia aſſenſus præſtitus revelationi eſt immediatus, ſicut aſſenſus præſtitus primis principijs; ſed aſſenſus præſtitus primis principijs movetur ex connexione immediata terminorum, non vt prius iudicata, ſed vt prius apprehenſa, ſatiſque eſt, quod præcedat vt apprehenſa, non verò requiritur, quod præcedat vt iudicata: Ergò.

29. Sed replicabis ſecundo: Quia licèt ex parte actus primi ſatis ſit, quod præcedat revelatio vt apprehenſa modo dicto, tamen ex parte actus ſecundi, ſivè in exercitio debet movere vt iudicata: Ergò in actu ſecundo debet prius credi revelatio, & eius authoritas priuſquam myſterium, licèt non per diverſos actus, ſaltem per eundem, qui prius terminetur ad revelationem, & eius authoritatem, quam ad myſterium. Reſpondeo, diſtinguendo antecedens: Debet movere vt iudicata exercitè, & vt *quo*, ſivè vt obiectum *cui*, concedo antecedens: iudicata ſignatè, & vt obiectum *quod*, nego antecedens, & conſequentiam in eodem ſenſu: Quia, licèt revelatio debeat, non ſolum cognoſci prius ex parte actus primi per apprehenſionem, ſed etiam ex parte actus ſecundi per ipſum aſſenſum myſterij, tamen per ipſum aſſenſum myſterij non debet cognoſci vt *quod*, ſed ſatis eſt, quod cognoſcatur iudicativè vt *quo*, vel vt *cui* intellectus credit in aſſenſu myſterij, modo explicato *num.* 25. Nam de ratione obiecti formalis motivi, non eſt cognoſci iudicativè ſignatè, & vt *quod*, ſed ſolum cognoſci iudicativè exercitè, & vt *quo*, vt patet in aſſenſu immediato principiorum, qui movetur ex connexione immediata terminorum, quin opus ſit talem connexionem prius iudicativè, & ſignatè cognoſci, vt *quod*, & etiam in connexione, ſeù illatione concluſionis ex præmiſſis, quę eſt ratio formalis motiva aſſentiendi concluſioni, quin debeat prius cognoſci iudicativè ſignatè, & vt *quod*, vt vidimus in *Logic. Tractat.* 1. *quæſt.* 14. *à num.* 21. & tenent communiter Suariſtę.

30. Replicabis tertio: Revelatio myſterij debet revelare ſe ipſam, & ſui authoritatem, non ſolù exercitè, & vt *quo*, ſed ſignatè, & vt *quod*: Ergò fides myſterij debet credere ipſam revelatione, non ſolù exercitè, & vt *quo*, ſed ſignatè, & vt *quod*. Omiſſo antecedenti, nego conſequentiam: Nam propterea id admittimus in revelatione, quia eſt actio divina infinita, & poteſt, ſeù debet eſſe infinitè reflexiva ſicut divina cognitio, vt diximus *quæſt.* 8. *nu.* 21. At actus fidei eſt finitus, & limitatus, & non poteſt eſſe infinitè reflexivus ſuprà ſuam rationem formalem *ſub qua*.

31. Ex quo inferes, ex duabus ſolutionibus traditis loco citato *à num.* 21. & *num.* 22. ſecundam potius eſſe ſubſtinendam, quam primam, vt promiſimus declarare *nu.* 23. Itemque gratis à nobis fuiſſe admiſſum, ſed non conceſſum, quod intellectus ad credendum myſterium debeat prius certificari de revelatione, quia nec hoc requiritur, ſed ſatis eſt, quod de illa certificetur in actu exercito per ipſum aſſenſum myſterij, reſpicientem ipſam revelationem vt *quo*, ſeù vt *cui*.

32. Dicta tamen intellige ſine præiudicio iudicij de credibilitate revelationis, & myſterij, requiſiti, vt voluntas applicet intellectum ad credendum, quod quidem iudicium nunc non negamus eſſe prærequiſitum ex parte voluntatis; ſed ſolum loquuti ſumus de iudicio immediato circa exiſtentiam, & authoritatem re-

revelationis, quod negamus eſſe præ requiſitum ex parte intellectus, vt revelatio poſsit immediatè movere ad aſſenſum myſterij, & dicimus ſufficere præviam apprehenſionem explicatam. De iudicio autem credibilitatis infrà redibit ſermo.

ALIA DIFFICVLTAS.

33. RESTAT denique ſcire, an fides debeat prius in executione credere ſuum obiectum materiale primarium, nempè, deitatem, antequam credat alia obiecta ſecundaria, & an ex obiectis ſecundarijs debeat in executione credere aliqua prius alijs. Et quidem, quantum ad obiecta ſecundaria, nullam invenio rationem, vt debeant in executione ſervare ordinem prioritatis, aut poſterioritatis, nam cum omnia ſint ſecundaria, & immediatè revelata, poteſt fides ex obiecto primario credito, ad quælibet immediatè ſe extendere, quia fides non credit ea propter connexionem vnius cum alio, ſed immediatè, quia revelata.

34. Quantum autem ad obiectum primarium, maior eſt difficultas. Primo: Quia de ratione virtutis theologicę videtur eſſe, vt prius attingat Deum, non ſolum in intentione, ſeu ex parte inclinationis ipſius virtutis, ſed etiam in executione, nam charitas theologica non poteſt diligere obiecta ſecundaria, nempè, bonitatem creaturarum, niſi dilecta prius in executione bonitate primaria Dei: Et ſpes theologica non poteſt prius ſperare aliquod bonum creatum in ordine ad Deum, niſi prius ſperando Deum ipſum, vt eſt beatitudo obiectiva: Ergò nec fides, cum etiam ſit virtus theologica, poteſt credere obiecta ſecundaria, niſi prius credendo obiectum primarium, nempè Deum. Explicatur: Quia propterea charitas, & ſpes hunc ordinem neceſſario ſervant, quia ſunt participationes voluntatis divinę, & voluntas divina prius in executione reſpicit obiectum ſuum primarium, quam ſecundaria: Sed etiam fides eſt ſimili modo participatio intellectus divini, & prius in executione terminatur ad obiectum primarium, quam ad ſecundaria: Ergò.

35. Secundo: Quia fides debet ſervare in credendo eundem ordinem, qui debet ſervari in propoſitione credendorum, quia debet credere credenda, vt illi proponuntur: Sed credenda debent proponi in executione, proponendo prius obiectum primarium, nempè Deum, & conſequenter ſecundaria, vndè in Symbolis, & in Articulis prius proponitur Deus credendus, quam alia, & Apoſtol. inquit: *Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt*, & Auguſtinus, inquit: *Primum officium fidei eſſe vt in verum credatur Deum*, & Apoſtoli, omneſque viri Apoſtolici, qui fidem Mundo prædicarunt, in primis proponebant verum, & vnum Deum credendum, & conſequenter alia ſecundaria: Ergò: Confirmatur: Quia iuxta omnes, ſaltem inclinatio fidei per prius inclinat ad credendum obiectum primarium, quam ſecundaria: Ergò, cum alias primo proponatur obiectum primarium, & nullus ſit obex impediens fidem, primo in executione debet credere primarium.

36. Dices forſan: Poſſe proponi alicui aliquod myſterium ſecundarium, quin illi proponatur primarium: Ergò, ſaltem per accidens, poterit credi tunc primo in executione ſecundarium. Sed contra: Quia nequit proponi ſecundarium, niſi in ordine ad primarium: Sed nequit proponi in ordine ad primarium, niſi vel ſupponendo primarium iam propoſitum, & creditum, vel illud prius proponendo, nam qui infideli, v. g. proponeret primo Sacramenta, nullo modo proponendo illi Deum, qui Author eſt Sacramentorum, non proponeret illi Sacramenta, vt aliquid ſpectans ad Deum, & conſequenter nec in ordine ad ipſum: Ergò.

37. Confirmatur: Quia ſi Deus primo in executione revelaret alicui infideli aliquam veritatem ſecundariam, non revelando ei ſe ipſum, talis revelatio non eſſet motivum fidei theologicę, ſed ad ſummũ crederetur per ſpiritum prophetię, aut per fidem alterius generis, vt diximus, *quæſt. 4. num.* 30. Ergò pariter, ſi proponeretur alicui infideli veritas ſecundaria vt revelata, non propoſito ipſo Deo vt per prius revelato, non proponeretur illi motivum fidei theologicę, ſed ad ſummum alterius fidei. Confirmatur, quia obiectum ſpecificativum fidei non eſt Deus vt revelabilis, ſed Deus, vt actu revelatus: Ergò vt in aliquo ſit fides, debet reſpectu illius Deus eſſe, non ſolum poſsibiliter, ſed actualiter revelatus: ſed, ſi non proponatur Deus alicui, nec ſupponatur propoſitus, vt revelatus, reſpectu illius perindè eſt, ac ſi non fuerit actualiter revelatus: Ergò reſpectu illius non datur obiectum ſpecificativum fidei theologicę: Ergò nec poſſet credere fide theologica.

38. Dices ſecundo: Quod adhùc ſuppoſita propoſitione obiecti ſecundarij, & primarij, poſſet voluntas prius applicare intellectum ad credendum obiectum ſecundarium, quam primarium. Sed contra: Quia ex parte voluntatis eſt maior difficultas, ſiquidem voluntas non applicat intellectum ad credendum, niſi ex mo-

tu pię affectionis: Sed voluntas per motum pię affectionis non poteſt prius affici erga obiecta ſecundaria, quam erga Deum, qui eſt obiectum primarium, cum ex affectione erga Deum afficiatur erga ea, quę ad Deum ſpectant: Ergò nequit prius voluntas applicare intellectum ad credenda alia, quim prius applicaverit ad credendum ipſum Deum.

39. In contra tamen videtur eſſe: Quod omnia obiecta materialia, quantumvis ſecundaria ſunt immediatè revelata, ac per conſequens immediatè credibilia: Ergò poſſunt immediatè credi per fidem theologicam, non expectato aſſenſu alterius prioris obiecti. Secundo: Quia ad rationem obiecti primarij non exigitur, qnod prius attingatur in executione, ſed ſatis eſt, quod ſit prius in intentione; vt diximus *ſuprà quæſt.* 10. *num.* 28. Ergò. Tertio: Quia, ſi fides deberet prius credere in exercitio vnum myſterium, quam aliud, crederet diſcurrendo ex vno ad aliud: Sed hoc eſt falſum, quia fides non eſt diſcurſiva: Ergò.

40. Hæc tamen non multum vrgent: Quia reſponderi poteſt: ad primum diſtinguendo antecedens: ſunt immediatè revelata, in mediatione excludente medium connexionis, concedo antecedens: excludente ordinem illorum in revelari, & credi, nego antecedens, & diſtinguo conſequens eodem modo, negoque vltimam conſequentiam: Quia licèt omnia obiecta, tàm primarium, quàm ſecundaria fidei, ſint immediatè revelata, quia ſunt revelata in ſe ipſis, & non præcisè in medio connexo cum illis, tamen ſunt revelata cum quodam ordine, nempè, ita vt divina revelatio primo revelet ipſum Deum, & ſecundario, ſeù ex conſequenti alia, nam divina revelatio theologica, nempè, quę eſt obiectum ſpecificativum fidei theologicę, per prius eſt de Deo, quam de alijs. Sic ergò fides theologica neceſſario debet credere primo Deum, & ex conſequenti alia; nec hoc obeſt. vt alia etiam ſint immediatè revelata, & immediatè credibilia. Sicut inter principia, illa, quę ſunt de obiecto primario intellectus, nempè, de ente in tota ſua latitudine, vt, *quodlibèt eſt, vel non eſt, impoſsibile eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe*, primo cognoſcuntur ab intellectu, quam quælibèt alia, licèt omnia ſint immediatè cognoſcibilia: Ergò pariter in fide, licèt omnia ſint immediatè credibilia.

41. Ad ſecundum, diſtinguo antecedens: Ad rationem obiecti primarij in genere, concedo antecedens: ad rationem obiecti primarij virtutis theologicę, nego antecedens, propter dicta ſuprà. Ad tertium, nego maiorem: Quia non quilibèt ordo in cognoſcendo eſt diſcurſus, ſed quando intellectus tranſit ex vno ad aliud, tanquam ex motivo præcognito, & connexo cum alio: Dum autem fides tranſit ex Deo primo credito ad cognoſcendam per fidem Incarnationem, non tranſit vi connexionis Dei vt primario crediti, quia Deus, vt primo creditus, nullam dicit connexionem cum Incarnatione, ſed tanquam ex obiecto primario ad ſecundarium.

42. Et ex his colliges, ex duabus ſolutionibus *ſuprà datis quæſt.* 10. *num.* 28. ſecundam potuis ſubſtinendam eſſe quam primam, licèt prima pro tunc ſufficeret.

QUÆSTIO XIV.

Quid comprehendat obiectum materiale fidei extenſivum?

1. DICO primo: *Obiectum materiale fidei extenſivum, comprehendit omnia, quę divinitus ſunt revelata, ſivè in Scriptura, ſivè in traditionibus Apoſtolicis.* Patet: Quia omnia ea ſubſunt rationi formali fidei, nempè, divinę revelationi, & ordinantur ad Deum tanquam ad obiectum materiale primarium, quatenus ſunt aliquid Dei, vel ad Deum ſpectans: Sed nihil amplius requiritur, vt ſint obiecta materialia fidei: Ergò omnia ea comprehenduntur ſub obiecto materiali extenſivo fidei. Maior tamen reſtat difficultas circa ea, quę actu non ſunt revelata, ſed ſolum revelabilia, aut poſsibiliter revelata, an videlicèt, opus ſit, quod actualiter revelentur, vt ſint obiectum materiale fidei. Cui, vt reſpondeam.

2. Dico ſecundo: *Solum ea, quę actu ſunt revelata ſunt obiectum materiale actualiter fidei.* Ita communiter Thomiſtę Recentiores, contra Suarez *diſput.* 2. *de fide, ſect.* 2. *nu.* 2. *&* 3. & contra Torres *diſput.* 2. *de fide*, & probatur facilè, quia ſolum illud eſt obiectum materiale alicuius facultatis, quod participat rationem formalem talis facultatis: Ergò ſolum illud eſt obiectum materiale fidei, quod participat rationem formalem obiectivam fidei: Sed ſolum ea, quę actu ſunt revelata, participant rationem formalem obiectivam fidei: Ergò ſolum ea, quę actu ſunt revelata ſunt actu obiectum materiale fidei. Probo minorem ſubſumptam: Quia ratio formalis obiectiva fidei eſt ratio revelati, nam fides reſpicit ſuum obiectum ſub ratione formali divinitus revelati, vt ex ſupradictis conſtat:

Sed

Sed ſolum ea, quę actu ſunt revelata, participant rationem revelati: Ergò ſolum ea, quę actu ſunt revelata participant rationem formalem obiectivam fidei.

3. Confirmatur: Nam ſolum ea, quę participant rationem obiectivam veri, ſunt obiectum materiale intellectus, non alia ratione, niſi quia ratio formalis *ſub qua* intellectus eſt ratio veri: Sed ratio formalis ſub qua fidei divinę eſt ratio actualiter revelati: Ergò ſolum ea, quę actualiter ſunt revelata, ſunt obiectum materiale fidei. Probo minorem: Quia ratio formalis *ſub qua* fidei divinę non eſt ratio revelati poſſibiliter, nec ratio revelabilis: Ergò eſt ratio actualiter revelati. Probo antecedens: Quia, ſi ratio revelabilis, vel revelati poſſibiliter eſſet ratio *ſub qua* fidei, quidquid eſt revelabile, poſſet credi fide divina, quia revelabile: Sed hoc eſt falſiſſimum, nam alias omne verum poſſet credi fide divina, quia omne verum eſt revelabile, vel poſſibiliter revelatum; quod quidem nemo concedit: Ergò.

4. Dices: Quod licèt ratio revelati poſſibiliter non ſit ratio *ſub qua* reſpectu actus fidei, aut reſpectu fidei, vt actualiter credẽtis, tamẽ eſt ratio *ſub qua* reſpectu habitus, quia licèt actus fidei reſpiciat neceſſario ſuum obiectũ, quia actualiter revelatũ, hoc provenit ex eo, quod illud actu credit, & nequit actu credi, niſi quod actu eſt revelatũ. Attamen habitus ſolum eſt facultas credendi, ad quam non requiritur, quod actu credat obiectum, ſed ſatis eſt, quod poſſit illud credere; ad hoc autem non requiritur, quod actu ſit revelatum, ſed ſufficit, ſi poſſit revelari, aut ſi poſſibiliter ſit revelatum. Ita Torres.

5. Sed contra, quia habitus fidei non eſt facultas ſolum remota credendi, ſed facultas proxima, & habitualis: Ergò requirit obiectum proximè credibile: Sed obiectum ſolum revelabile, vel poſſibiliter revelatum, non eſt proximè credibile, ſed ad ſummum remotè, & conditionatè, nempè, ſub conditione, quod Deus velit illud revelare: Ergò, adhùc reſpectu habitu fidei, non eſt ratio formalis *ſub qua* ratio revelati poſſibiliter, ſed ratio revelati actualiter.

6. Sed obijcies primo: Licèt obiectum formale actus pœnitentię, ſit peccatum actuale, tamen reſpectu habitus, ſeù virtutis pœnitentię ſufficit peccatum poſſibile; nam in Beata Virgine nullum fuit peccatũ actuale, & tamẽ in ipſa fuit virtus infuſa pœnitẽtię propter peccatũ poſſibile: Ergò pariter, licèt reſpectu actus fidei obiectum illius ſit revelatum actualiter, tamen reſpectu habitus, ſeù virtutis fidei ſufficit revelatum poſſibiliter. Reſpondeo, diſtinguendo antecedens: Sufficit peccatum proximè poſſibile ex facultate habentis virtutem pœnitentię, concedo antecedens: Peccatum purè remotè, & ab extrinſeco poſſibile, nego antecedens, & conſequentiam, quia dato quod in B. V. fuerit virtus infuſa pœnitentię, obiectum illius erat peccatum proximè poſſibile, ex facultate ipſius, quia videlicèt ipſa habuit facultatẽ, ſaltem phyſicã, peccandi ſi velet. Attamen, quod actu non eſt revelatum, non eſt poſſibile revelari ex facultate, aut arbitrio ipſius habentis fidem, quia non eſt in mea poteſtate, quod reveletur id, quod revelatũ nõ eſt, ſed vnicè id eſt poſſibile ab extrinſeco ex divina potentia, licèt autem habitus poſſit ſpecificari ex obiecto poſſibili ex facultate proxima habentis, non tamen ex obiecto ſolum poſſibile ab extrinſeco: Vndè in Beatis non datur habitus pœnitentię, quia peccatum non eſt illis ab intrinſeco ex illorum facultate poſſibile, licèt ab extrinſeco ſit poſſibile, quatenus beatitudo eſt ab extrinſeco amiſſibilis.

7. Obijcies ſecundo: Intellectus non reſpicit ſolum verum actuale, ſed verum poſſibile: Ergò etiam fides poteſt reſpicere, non ſolum revelatum actualiter, ſed revelatum poſſibiliter. Reſpondeo, diſtinguendo antecedens: intellectus vt apprehẽſivus, concedo: Intellectus vt iudicativus, ſubdiſtinguo: Reſpicit, non ſolum verum actuale, ſed verum poſſibile, poſſibilitate entitativa, ſeù ad exiſtendum, omitto antecedens: Poſſibilitate veritatis obiectivę, ſeù ad eſſe verum obiectivè, & ſignatè, nego antecedens, & conſequentiam: Quia in primis, loquendo de intellectu, vt apprehenſivo, licèt ille reſpiciat verum vt poſſibile, nulla eſt paritas ad fidem, quia fides non eſt purè apprehenſiva: loquendo autem de intellectu vt iudicativo, dico, quod ille non ſpecificatur à poſſibiliter verò, quia intellectus nihil iudicat ſub ratione poſſibiliter veri, alias iudicare poſſet falſũ, actualiter falſum, quia poſſibiliter eſſet verum, v.g. Deum creaſſe de facto mille Mundos, ſolũ quia id poſſibiliter verũ eſt, quod nemo dicet: Solum ergò ſpecificatur ab actualiter verò obiectivè, vndè nihil poteſt iudicare, niſi ſub ratione veri actualiter obiectivè veri: Quia tamen poteſt, quod actualiter obiectivè verum eſt, eſſe poſſibile entitativè, poſſibilitate nimirum ad exiſtendum phyſicè, v. g. Poſſibilitas alterius Mundi, quę actualiter obiectivè vera eſt, & propterea iudicabilis ab intellectu, licèt poſſibilis entitativè, vt explicavi in Curſ. Philoſoph. in Metaphyſi. ideò purè poſſibile entitativè poteſt eſſe obiectum intellectus vt iudicativi, ſi nimirum conſideratur ſub ratione actualiter obiectivè veri, quia ra-

ratio ſpecificativa intellectus eſt ratio formalis veritatis obiectivę. Cum autem ratio formalis ſpecificativa fidei ſit ratio revelati re ipſa, ſeù revelatio realis, & vera in re; quod actualiter non participat rationem ſic revelati, ſeù quod actualiter non eſt revelatum in re, non ſubiacet rationi formali fidei: Non ergò eſt obiectum materiale fidei.

8. Ex quo inferes differentiam inter fidem ex vna parte, & intellectum, Metaphyſicam, Philoſophiam, Mathematicam, & alias Scientias ſpeculativas ex alia: Nam intellectus, & iſtę Scientię, ſpecificantur quidem à ſuis obiectis vt veris, ſed non vt veris actualiter in re, & phyſicè, ſed ſolum ab illis vt actualiter obiectivè veris, actualitate ſignata, non actualitate exercita, quia reſpiciunt ſuas rationes formales in vniverſali, & in ſtatu quidditativo, abſtrahendo ab exiſtentia; attamen fides non eſt ita, quia non verſatur circa revelationem divinam in ſtatu quidditativo, nec in vniverſali, quaſi eius officium ſit indagare quid ſit revelatio divina vt ſic, hoc enim alieniſsimum eſt à fide; ſed verſatur circa revelationē vt veram in re, & vt actualiter in re revelantem; non enim credit ea, quę credit, quia poſsibiliter, aut in ſtatu quidditativo ſunt revelata, ſed quia actu ſunt revelata à Deo; vndè non ſpecificatur à revelatis poſsibiliter, imò nec à revelatis actualiter ſolum obiectivè, ſed à revelatis actualitater in re actualitate exercita, non actualitate ſolum ſignata.

9. Obijcies tertio: Non minus requiritur vt aliquid videatur, quod ſit coloratum, quam ad hoc, vt credatur, quod ſit revelatum: Et tamen potentia viſiva poteſt ſpecificari à colorato poſsibili, ſi nimirum Deus, deſtructis omnibus coloratis, conſervaret potentiam viſivam, quia tunc non ſpecificaretur ab actualiter colorato, cum non daretur: Ergò pariter fides poteſt ſpecificari à revelato poſsibiliter. Reſpondeo, conceſſo antecedenti, vel omiſſo, diſtinguendo minorem: Potentia viſiva poteſt ſpecificari à colorato poſsibili, poſsibilitate ſubiectiva ad eſſe coloratum, nego minorem: à colorato poſsibili, poſsibilitate ad exiſtendum, ſed actualitate ſignata coloratum, omitto minorem, & diſtinguo conſequens eodem modo. Itaque omitis habitus exigit, ad minus connaturaliter, & de Lege ordinaria, obiectum ſpecificativum proximè attingibile ab habente habitum, & ſimiliter quælibèt potentia proxima, vndè ex hac parte, ſaltem ſequitur, quod habitus fidei de Lege ordinaria ſpecificari non poſsit à revelato poſsibiliter, ſed ſolum à revelato actualiter, & idem de potentia viſiva, quia ſolum obiectum actu coloratum eſt proximè viſibile, & ſolum obiectum actu revelatum eſt proximè credibile. Si autem loquamur de potentia proxima, & habitu, ſecundum quod eſſentialiter exigit, damus quod de potentia abſoluta poſsit conſervari potentia, deficiente obiecto ſpecificativo proximè attingibili; ex hoc autem ad ſummum ſequitur, quod poſsit etiam de potentia abſoluta conſervari habitus fidei abſque obiecto proximè credibili, ſeù actualiter revelato, quia habitus, nec potentia eſſentialiter non ſpecificatur à ſuo obiecto vt actualiter, ſeù proximè attingibile, ſed à ſuo obiecto vt eſſentialiter, & quidditativè attingibile. Notandum autem eſt, quod coloratum, & revelatum poſſunt dupliciter conſiderari vt poſsibilia, nempè, vel cum poſsibilitate ſubiectiva ad eſſe, vel non eſſe coloratum, aut revelatum, & ſic coloratum non eſt formaliter attingibile à viſu, ſed ſolum contingenter ſe habet ad hoc vt ſit, vel non ſit formaliter attingibile, quia contingenter ſe habet ad rationem formalem obiectivam viſus, nempè, ad colorem; & ſimiliter revelatum poſsibile cum ſola poſsibilitate ad eſſe, vel non eſſe revelatum: Si tamen coloratum poſsibile conſideretur reduplicativè vt coloratum actuale actualitate ſignata, cum ſola poſsibilitate obiectiva exiſtendi, & ſimiliter revelatum actualiter actualitate ſignata, ſub hac, inquam, conſideratione iam imbolvunt rationem formalem obiectivam quidditativè, & obiectivè actualem, & conſequenter quidditativè attingibilem, & poſſunt quidditativè, & eſſentialiter ſpecificare habitum, & potentiam de potentia Dei abſoluta, licèt hoc non ſufficiat vt connaturaliter, & de Lege ordinaria ſpecificentur.

10. Obijcies quarto: Obiectum materiale debet diſtingui à formali; ſed obiectum vt revelatum non diſtinguitur ab obiecto formali, quia vt revelatum importat formaliter ipſam revelationem, quę eſt ratio formalis obiectiva fidei: Ergò non eſt obiectum materiale vt revelatum, ſed ſolum vt revelabile. Reſpondeo, conceſſa maiori, diſtinguendo minorem; Obiectum, vt revelatum reduplicativè, non diſtinguitur ab obiecto formali, concedo minorem: vt revelatum ſpecificativè, nego minorem, & diſtinguo conſequens eodem modo, negoque vltimam conſequentiam. Fateor enim, quod obiectum reduplicativè vt revelatum importat formaliter ipſam rationem formalem obiectivam fidei, & eſt obiectum potius formale, quam materiale; attamen noſtra concluſio ſolum aſſerit, quod obiectum materiale debet eſſe actu revelatum; quod intelligendum eſt ſpecificativè, ita vt ſit obiectum materiale id ſolum, quod

quod denominatur revelatum, non reduplicativè, vt formaliter revelatum, ſed in quantum eſt id, quod ſubeſt revelationi, licèt ſit conditio neceſſaria, quod actualiter ſubſit revelationi, vt actualiter ſit obiectum materiale.

11. Si dicas: Revelatio non poteſt eſſe conditio requiſita ex parte obiecti, cum ſit ratio formalis: Ergò non eſt conditio exacta vt ſit obiectum materiale. Reſpondeo: Quod nequit eſſe conditio ad ſpecificandam fidem, nec reſpectu obiecti formalis, vt talis, quia in hoc ſenſu eſt ratio formalis: At reſpectu obiecti materialis, vt actualiter ſit obiectum materiale, cõditio eſt, & non ratio formalis, quia nõ conſtituit obiectum materiale, in eſſe obiecti materialis, ſed ad hoc ſolum eſt conditio.

12. Obijcies quinto: Non eſt de ratione obiecti materialis, quod actu ſubſit rationi formali, ſed quod poſsit illi ſubeſſe: Sed revelabile, vt revelabile, licèt actualiter non ſubſit rationi formali ſpecificativę fidei, poteſt tamen illi ſubeſſe: Ergò. Probo maiorem: Quia obiectum materiale Logicę eſt omne ens, ſeù omnia obiecta, in quantum ex illis poſſunt formari inſtrumenta ſciendi, ſivè in quantum poſſunt ſubeſſe formę artificiali Logicę, quę eſt obiectum formale ipſius, & ſimiliter obiectum materiale cuiuslibèt artis eſt materia ipſius, non vt formata, ſed vt formabilis per artem: Ergò de ratione obiecti materialis non eſt, quod actu ſubſit, ſed quod poſsit ſubeſſe rationi formali. Confirmatur: Obiectum materiale temperantię, non eſt cibus, v. g. vt actu proportionatus exigentię naturę, ſed vt proportionabilis, & obiectum prudentię, non eſt actu ordinatum ad finem, ſed ordinabile: Ergò pariter obiectum materiale fidei non eſt actu revelatum, ſed revelabile.

13. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: Non eſt de ratione obiecti materialis, quod reſpicitur practicè, & vt ſit ſub formali, quod actu ſubſit rationi formali, concedo maiorem: De ratione obiecti materialis, quod reſpicitur ſpeculativè, quia eſt ſub formali, nego maiorem. Ad cuius probationem conſtat diſtinctione data, quia Logica, cum ſit reſpectu ſui obiecti ſecundum quid practica, ſeù directiva, non reſpicit ſuum obiectum materiale, quia iam ſupponit illud ſub formali, ſed dirigendo ad hoc vt ſit ſub forma artificioſa Logicę, quę eſt eius formale obiectum; & ſimiliter qualibèt ars, quia cum ſit directiva ad ſui obiecti conſtructionem, reſpicit materiam, non quia formatam. Sed vt formetur ratione formali artificioſa, quę eſt obiectum formale artis: At fides non reſpicit ſua obiecta materialia vt revelentur, dirigendo ad illorum revelationem, ſed purè ſpeculativè, quia iam revelata, vndè debet ea ſupponere revelata, vt actu ſint obiecta materialia ipſius, nam cum fides non poſsit ea facere revelata, ſi ea revelata non ſupponat, non poterit ea attingere, & conſequenter non erunt actu obiecta materialia eius. Et ſimiliter ad confirmationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam: Quia prudentia, & temperantia, & cæterę virtutes circa agibilia, non ſunt ſpeculativę reſpectu ſuorum obiectorum, ſed practicę, & factivę illorum, & ideò non poſſunt reſpicere ſua obiecta materialia ſupponendo ea ſub ratione formali, ſed dirigendo, vel faciendo, vt ſint ſub ratione formali; contra verò contingit in fide.

14. Obijcies ſexto: Revelatio poſsibilis eſt ſufficiens obiectum formale fidei: Ergò poſsibiliter revelatum eſt obiectum materiale illius. Probatur antecedens. Primo: Quia revelatio futura eſt ſufficiens obiectum formale fidei: Ergò & revelatio poſsibilis. Probo antecedens: Nam qui ſciret Deum cras revelaturum aliquid, & illud crederet, quia *cras revelandum*, elicieret actum fidei divinę: Ergò revelatio futura eſt ſufficiens obiectum formale fidei divinę. Probo antedens: Quia ille non elicieret actum ſcientię, nec opinionis, cum non haberet motivum ſcientię, nec opinionis, ſed revelationem, quę eſt proprium motivum fidei: Ergò elicieret actum fidei divinę.

15. Secundo probatur primum antecedens: Quia revelatio poſsibilis ęquè reddit obiectum revelatum poſsibiliter, infallibile, ac revelatio actualis: Sed revelatio actualis, eo eſt obiectum formale fidei divinę, quia reddit obiectum infallibile: Ergò etiam revelatio poſsibilis eſt ſufficiens obiectum formale fidei divinę. Probo maiorem: Quia ęquè repugnat quod Deus poſsit revelare falſum, ac quod actu revelet falſum: Ergò ęquè eſt infallibile id quod Deus poteſt revelare, ac id quod actu revelat. Confirmatur: Nam ęquè eſt de fide quod conſtat poſſe revelari à Deo, ac id, quod conſtat, eſſe actu revelatum: Sed hoc eſt actualiter de fide, & conſequentet actu obiectum materiale fidei: Ergò, & illud. Probo maiorem: Quia, ſi aliquis diceret, eſſe falſum id, quod conſtat poſſe revelari à Deo, ęquè eſſet Hæreticus, ac ſi diceret eſſe falſum, quod conſtat eſſe actu revelatum: Ergò quia ęquè eſt de fide, quod poteſt revelari, ac quod eſt actu revelatum. Confirmatur ſecundo: Quia aſſenſus obiecti poſsibiliter revelati, quia talis, convenit cum aſſenſu obiecti actu revelati, quia talis, & vterque aſſenſus convenit in ratione formali motivi, nempè, revelationis, abſ-

abſtrahendo ab actuali, vel poſsibili: Sed aſſenſus ex eo, quod reſpicit pro ratione formali motiva revelationem, abſtrahendo ab exiſtenti, vel poſsibili, eſt formaliſsimè actus fidei: Ergò.

16. Reſpondeo: Hoc argumentum nimis probare, quia probat, non ſolum de fide habituali, ſed de actuali, poſſe moveri ex revelatione purè poſsibili, aut nondum facta à Deo; quod ſanè falſiſsimum eſt, quia alias omne verum poſſet de facto credi fide divina, v. g. Neapolim exiſtere, Regem Anglię viuere, Ariſtotelem ſcripſiſſe Philoſophiam, Leonem eſſe rugibilem, & ſic de alijs, quę omnino diſparate ſe habent ad fidem divinam. Quinimo, & quę falſa ſunt contingenter, poſſent credi fide divina, quia revelari etiam poſſunt, cum poſsint eſſe vera. V.g. poterit quis credere fide divina, Matritum cras comburendum, quia id revelari poteſt à Deo, cum poſſet Deus illud facere verum; hoc autem quis dicat? Vndè: Nego primum antecedens, ſivè aſſumptum.

17. Ad primam probationem, nego antecedens. Ad probationem, nego etiam antecedens. Ad probationem, dico, quod vel ille ſciret obiectum cras revelandum ex motivo ſcientię, vel ex motivo opinionis, vel ex alia revelatione divina modo facta de revelatione facienda cras. Si hoc vltimum, fateor, quod eliceret actum fidei divinę, ſed non propter revelationem craſtinam, ſed propter hodiernam, craſtina enim ſolum eſſet credita, non motivum formale credendi, Nec valet, ſi dicas, quod vt iam credita, poſſet eſſe motivum credendi eius obiectum. Quia iam non eſſet motivum credendi, ſed ſciendi, moveret enim vi connexionis per diſcurſum, nempè, vt obiectum prius cognitum vt *quod* ex alio motivo; non verò per modum teſtificationis actualis, & rationis formalis credendi. Si verò revelatio craſtina cognita eſſet ex motivo opinionis, aſſenſus ex illa opinativè cognita, eſſet opinativus. Si autem eſſet cognita ex motivo aliquo ſcientifico, eſſet ſcientia, minimè autem eſſet fides pro vt inixa revelatione fienda cras, quia de ratione fidei, non eſt credere aliquid quia dicendum, ſed quia dictum, & teſtificatum.

18. Ad ſecundam probationem, nego maiorem. Ad eius probationem, nego antecedens: Quia quod Deus poſsit revelare falſum, ſolum repugnat in ſenſu compoſito falſitatis, non autem in ſenſu diviſo; quippè Deus poteſt, vt dicebam, revelare Matritum cras euertendum, quamvis id falſum ſit, quia nimirum poteſt illud revelare in ſenſu diviſo falſitatis, faciendo, vt poteſt, illud verum: At, *quod Deus actu revelet falſum*, omnino repugnat, nullaque potentia, & in nullo ſenſu fieri poteſt. Deindè, omiſſo antecedenti, nego conſequentiam: Quia ex eo quod Deus non poſsit revelare falſum, ad ſummum ſequitur, quod id quod poteſt revelare, poſsit illud facere infallibile, quatenus poteſt illud facere actu revelatum; non verò quod revelatio ſolum poſsibilis illud faciat modo actu infallibile, ſola enim revelatio actualis facit obiectum actu infallibile, vndè ſola illa facit illud actu obiectum fidei: Revelatio ergò poſsibilis, ſolum de poſsibili facit ſuum obiectum obiectum fidei. Ex quo ad primam confirmationem, nego maiorem. Ad probationem, nego antecedens: Nam de facto conſtat, Deum, ſi velit, poſſe revelare craſtinam euerſionem Matriti; & tamen, ſi quis dicat falſum eſſe, quod cras ſit euertendum Matritum, Hæreticus minimè erit.

19. Sed dices, ſolum eſſe proximè revelabile, quod ſupponitur verum actualiter; ac proindè ſolum poſſe conſtare aliquid eſſe proximè revelabile, dum conſtat illud eſſe verum: De euerſione verò craſtina Matriti non conſtat eſſe veram, ac proindè non conſtat eſſe proximè revelabilem. Rectè quidem. Sed, admiſſa gratis hac doctrina, ſic argumentor: Ergò revelatio, vt proximè poſsibilis, cognoſci nequit niſi ex veritate ſui obiecti: Ergò motivum vnicum cognoſcendi, an revelatio ſit proximè poſsibilis, ſeu an obiectum ſit proximè revelabile, eſt veritas intrinſeca obiecti revelabilis: Ergò revelatio illa, vt proximè poſsibilis, non poteſt eſſe motivum formale credendi veritatem ſui obiecti, cum potius veritas obiecti ſupponatur cognita, vt motivum cognoſcendi revelationem vt proximè poſsibilem. Ex quo rurſus infertur: Implicare in adiecto, quod aliquis cognoſcat certo aliquid eſſe proximè revelabile, & neget illud eſſe verum: Quia, ſi ſolum ſcire poteſt aliquid eſſe proximè revelabile, ex eo quod ſciat eſſe verum, quomodo negabit eſſe verum. Si autem quis diceret, quod quāvis falſum, eſſet proximè revelabile Deum, dicens, poſſe revelare falſum in ſenſu compoſito falſitatis; fateor, quod eſſet Hæreticus, non tamen, quia opponeretur obiecto poſsibiliter revelato, ſed quia opponeretur veritati actualiter iam revelatę, nempè veracitati, & infallibilitati Dei in dicendo, quę ſæpè revelata eſt in Scriptura.

20. Ad ſecundam confirmationem, in primis negari poteſt ſuppoſitum *aſſenſus obiecti quia poſsibiliter revelati*, quia, cum poſsibilitas revelationis non aliunde conſtet, quam ex veritate obiecti, implicat quod ex tali poſsibilitate aſſentiat intellectus veritati obiecti. Sed, hoc omiſ-

omiſſo, dico, quod ille aſſenſus non conveniret vnivocè cum *aſſenſu obiecti quia actu revelati*, ſed ſolum analogicè, vel æquivocè, quia quod cognoſcitur quia poſsibiliter dictum, non creditur propriè, & vnivocè quia dictum, aut revelatum, non enim eſt dictum, aut revelatum, niſi æquivocè, quod ſolum poſsibiliter eſt dictum, aut revelatum; vndè abſtrahi nequit *à poſsibiliter dicto*, & ab *actu dicto*, ratio vnivoca, imò nec propriè analoga motiva fidei.

21. Dico denique: *Omne obſcurè revelabile, eſt poſsibiliter obiectum materiale fidei.* Patet, quia omne illud, ad quod ſe poteſt extendere ratio formalis obiectiva fidei, eſt poſsibiliter obiectum materiale fidei; ſed ratio formalis motiva fidei, nempè, divina revelatio, ſe poteſt extendere ad omne revelabile, vt per ſe patet, quia omne revelabile, revelari poteſt: Ergò. Sed hinc oritur ingenioſa difficultas, nempè, ſequens.

QUÆSTIO XV.

An omne verum poſsibile ſit revelabile?

1. Reſpondent aliqui RR. Ieſuitæ negativè, quià datur, inquiunt, aliquod verũ poſsibile, intrinſecè irrevelabile. Sed quodnam hoc eſt? Inquiunt: Eſſe hoc decretum: *Decerno nihil omnino revelare.* Quod eſſe poſsibile, facile probant, hoc pacto: Poteſt Deus, abſolutè loquendo, nihil omnino revelare, quia quidquid revelat, libere revelat, & conſequenter cum poteſtate abſoluta illud non revelãdi: Sed poteſt decernere ſe non facturum, quod poteſt abſolutè nõ facere: Ergò poteſt decernere, ſe nihil vnquam revrlaturum: Ergò poſsibile abſolutè eſt Deo hoc decretum: *Decerno nihil omnino vnquam revelare.*

2. Quod autem hoc decretum ſit intrinſecè irrevelabile, facilè etiam probant, ſic: Hoc decretum ab intrinſeco repugnat revelari: Ergò eſt intrinſecè, & eſſentialiter irrevelabile. Probant anteeedens: Quia revelari hoc decretum eſſet fruſtrari, ſiquidem decernit efficaciter nihil omnino revelare, ſi autem revelaretur, iam aliquid revelaretur, & conſequenter fruſtraretur quod decernit: Sed eſſentialiter, & intrinſecè repugnat cuilibèt decreto divino efficaci fruſtrari: Ergò prædicto decreto repugnat ab intrinſeco, & eſſentialiter, revelari. Idem argumentum faciunt de decreto efficaci nihil vnquã producendi: Idem, de ſcientia qua cognoſceret Deus ſe nihil vnquam revelaturum, aut producturum ad extra: Idem, de omiſsione libera vniverſali omnis revelationis, ſeù operationis ad extra.

3. Cui argumento, reſpondent aliqui: Quod hoc argumentum ſolùm probat, non poſſe tale decretum revelari in ſenſu compoſito, non autem quod non ſit revelabile in ſenſu diviſo. Sed hæc ſolutio, quamvis in alijs valdè proficua, non prodeſt in hoc puncto, nec enim, vt aliqui ineptè cogitant, eſt ſolutio vniverſalis in omni dubio de poſsibili, vel impoſsibili, ſeù, vt vulgò dicitur: *Sanalo todo.* Vndè facilè impugnatur: Quia tale decretum multo minus revelari poteſt quoad ſui exiſtentiam (hoc eſt, revelatione aſſerente ipſum exiſtere, de qua tantum loquimur) in ſenſu diviſo, quam in ſenſu compoſito: Ergò ruit ſolutio. Probo aſſumptum: Quia revelatio aſſerens tale decretum exiſtere, eſt eſſentialiter inſeparabilis ab exiſtentia talis decreti: Ergò eſſentialiter impotens exiſtere in ſenſu diviſo talis decreti, quia aliàs eſſet falſificabilis, ſi quidèm poſſet exiſtere ſine obiecto affirmato, ſeù deficiente obiecto affirmato: Ergò tale decretum non eſt revelabile in ſenſu diviſo ſuæ exiſtentiæ: Immò nec aliquid aliud eſt revelabile in tali ſenſu diviſo ſui: Quia nihil eſt revelabile à Deo exiſtere, niſi in ſenſu compoſito, ſeù coniuncto cum ſui exiſtentia, aliàs poſſet Deus revelare, obiectum exiſtere, in ſenſu diviſo exiſtentiæ obiecti, quod eſt chimericum. Multo ergò minus tale decretum eſt revelabile in ſenſu diviſo ſuæ exiſtentiæ, quàm in ſenſu compoſito.

4. Rurſus: Quia ſi ab intrinſeco eſt irrevelabile in ſenſu compoſito ſui: Ergò ab intrinſeco eſt inconiungibile cum ſui revelatione: Ergò ab intrinſeco eſt irrevelabile abſolutè; quia eſſe irrevelabile abſolutè eſt eſſe intrinſecè, & eſſentialiter inconiungibile cum ſui revelatione. Nec paritas vſitata de voluntate, quæ, dum eſt prædeterminata, poteſt ad oppoſitum in ſenſu diviſo prædeterminationis, at non in ſenſu compoſito, eſt ad rem, quia voluntas intrinſecè eſt coniungibilis cum carentia prædeterminationis, & ab intrinſeco poteſt exiſtere, & facere actum oppoſitum, ſcilicèt, odium, ſine prædetermin atione ad amorem, immò non niſi dependenter à carentia talis prædeterminationis, & ideò poteſt odium ponere in ſenſu diviſo prædeterminationis ad amorem: At decretum, vel obiectum quodlibèt revelari nequit quod exiſtat, dependenter ab eo quod non exiſtat, ſeù dependenter à carentia ſuæ exiſtentiæ, immò eius revelatio eſt inconiungibilis eſſentialiter cum carentia obiecti; ac per conſequens obiec-

tum eſt irrevelabile in ſenſu diviſo ſui: Ergò eſt impoſsibile revelari in ſenſu diviſo ſui, ſeù ſuę exiſtentię.

5. Tota ergò difficultas eſt, an tale decretum ſit revelabile in ſenſu compoſito, ſeù coniungibile cum ſui revelatione?

NOSTRA SENTENTIA.

6. ET dico: *Tale decretum eſſe ſic revelabile, vel non eſſe verum poſsibile, ſed chimericum, ac proindè omne verum poſsibile eſſe revelabile à Deo.* Eſt contra pleroſque RR. Ieſuitas. Contra quos ſic eam probo, primo: Quia omne verum poſsibile eſt affirmabile ab intellectu divino: Sed omne affirmabile ab intellectu divino, eſt revelabile: Ergò. Maior patet: Quia obiectum intellectus divini in tota ſua latitudine eſt omne verum abſque vlla exceptione: Ergò, eo ipſo quod aliquid ſit verum poſsibile, hoc eſt, potens verè exiſtere, eſt cognoſcibile, ſeù potens cognoſci à Deo quod verè exiſtat, ſi enim poſſet verè exiſtere in aliquo caſu, & Deus pro nullo caſu poſſet cognoſcere quod illud exiſteret, eſſet poſsibilis caſus, in quo aliquid exiſteret, quin in eo caſu Deus cognoſceret eius exiſtentiam, quod eſt planè chimericum: Ergò omne verum poſſibile eſt cognoſcibile à Deo quod exiſtat, ſeù quod idem eſt affirmabile. Minor verò probatur: Quia quidquid Deus poteſt affirmare, poteſt dicere, ſeù loqui, vt per ſe videtur euidens; quid enim poteſt Deum impoſsibilitare ad loquendum id, quod clarè affirmat ſuo intellectu? Ergò.

7. Dices forſan: Deum poſſe dicere, ſeù loqui ad intra quidquid poteſt iudicare, ſeù affirmare ſuo intellectu; at non poſſe loqui ad extra id omne: Quia poteſt dari obiectum intrinſecè indicibile, ſeù irrevelabile ad extra.

8. Sed contra: Quia implicat obiectum, quod non ſit affirmabile à Deo ad intra, vt fatetur ſolutio: Sed, eo ipſo quod ſit affirmabile à Deo ad intra, eſt affirmabile ad extra: Quia ſi Deus illud affirmat ad intra, nihil poteſt ipſum præpedire, aut impoſsibilitare, ne loquatur illud ad extra: Ergò. Confirmatur primo: Quia homo, & quælibèt creatura intellectualis eſt ab intrinſeco potens loqui ad extra quidquid cognoſcit ad intra, abſque vlla omnino exceptione: Sed non minus vniverſalis eſt potentia loquutiva Dei, quàm loquutiva hominis, nec minus potens: Ergò etiam Deus poteſt loqui ad extra quidquid poteſt cognoſcere ad intra, abſque omni exceptione, aliàs Deus minus poſſet in loquendo, quàm homo, aut haberet eius potentia loquutiva limitationem, quam non haberet potentia loquutiva hominis: Quod quis dicat?

9. Confirmatur ſecundo: Nullum eſt ſecretum poſsibile Dei, quod non ſit cognoſcibile ab intellectu humano; ſed ſecreta Dei vnicè ſunt cognoſcibilia ab intellectu humano per revelationem: Ergò nullum eſt poſsibile ſecretum Dei, quod non ſit revelabile intellectui humano: Ergò nec decretum, quod non ſit revelabile. Probo maiorem: Quia nullum eſt ſecretum poſsibile Dei, quod non contineatur ſub obiecto intellectus humani; ſiquidem obiectum intellectus humani eſt verum vt ſic, & omne ſecretum Dei eſt verum, ſeù continetur ſub *verò vt ſic*: Sed intellectus humanus eſt intrinſecè potens cognoſcere quidquid continetur ſub ſuo obiecto formali: Ergò & omne ſecretum Dei.

10. Tertio: Quia omne verum continetur ſub ratione formali obiectiva potentię revelativę Dei, ſeù revelabilitatis: Ergò omne verum eſt intrinſecè revelabile. Conſequentia patet: Quia non ob aliam rationem omne verum eſt intelligibile, niſi quia continetur ſub ratione formali obiectiva intellectus, ſeù intelligibilitatis. Maior probatur: Quia nulla eſt ratio formalis obiectiva aſsignabilis potentię loquutivę Dei, niſi ratio veri cogniti à Deo: Sed ſub hac ratione continetur omne verum, & ipſum decretum, quod ponunt contrarij, ſi eſt verum poſsibile: Ergò. Probo maiorem: Quia non alia ratio aſsignari poteſt, cur aliquid ſit intrinſicè revelabile à Deo, niſi quia eſt verum cognoſcibile à Deo: Sicut nec alia ratio aſsignatur, an aliquid ſit cognoſcibile, niſi quia eſt verum, nec alia ratio, cur ſit verum, niſi quia eſt ens: Ergò.

11. Explicatur: Aliqua ratio formalis, & à priori debet aſsignari, cur ea, quę revelantur, ſint à Deo revelabilia: Sed alia aſsignari nequit, niſi quia ſunt verum cognitum à Deo: Ergò ratio formalis, & à priori, cur aliquid ſit revelabile à Deo, eſt, quia verum cognoſcibile ab ipſo. Sed illud decretum, ſi eſt verum poſsibile, eſt verè cognoſcibile à Deo: Ergò eſt intrinſecè revelabile.

12. Dices forſan, rationem à priori, cur aliquid ſit revelabile, non eſſe præcisè, quia eſt verum cognoſcibile à Deo, ſed quia eſt verum non repugnans, nec contradicens ſuę revelationi. Sed contra: Quia aliquid non repugnare intrinſecè ſuę revelationi, non eſt primum prædicatum rei revelabilis, vel non repugnantis ſuę revelationi, ſed fundatur in alio priori poſitivo prædicato; aſsignent ergò contrarij, in quo alio

alio priori, & vniverſali prædicato fundari poteſt? Non ſanè in alio, niſi in eo quod ſit verum à Deo cognoſcibile: Ergò ex eo quod aliquid ſit verum à Deo cognoſcibile, probatur à priori, aliquid non repugnare intrinſecè revelationi ſui: Ergò, vel tale decretum non eſt verum à Deo cognoſcibile, vel eſt intrinſecè non repugnans ſuę revelationi.

13. Dices forſan: Hoc ad ſummum probare, quod tale decretum, quantum eſt ex ratione communi *veri cognoſcibilis à Deo*, ſit revelabile; ſed non abſolutè, quia poteſt ex ratione particulari *talis* eſſe intrinſecè irrevelabile, quia infert ſui non revelationem intrinſecè, & eſſentialiter.

14. Sed contra: Quia implicat obiectum ex ratione communi intelligibile, & ex ratione particulari *talis* repugnã. intelligi, & ideò tale eſſet chimericum: Ergò pariter de revelabili ex ratione communi, & non eſt ratione particulari. Secundo: Quia, etiam ratio particularis talis decreti eſſet formaliter verum cognoſcibile à Deo, ſi tale decretum eſt verum poſsibile: Ergò eſſet etiam quantum ad rationem particularem revelabile. Tertio: Quia, quamvis poſsit aliquid repugnare obiecto ex ratione particulari, quod non repugnet ei ex ratione communi, implicat tamen quod ei repugnet ex ratione particulari id, quod eſſentialiter poſitivè dicit ex ratione communi; aliàs enim ratio particularis repugnaret eſſentialiter rationi cõmuni, & conſequenter obiectum illud eſſet compactum ex prædicatis repugnantibus mutuo, & chimericum: Ergò, ſi ex ratione communi eſſet intrinſecè, & poſitivè revelabile, non poſſet ex ratione particulari ei repugnare revelabilitas, & conſequenter nec revelari; alioquin eſſet decretum chimericum.

15. Sed obijciunt: Quia prædictum decretum (& alia, quę excogitant) eſt verum poſsibile: Aliundè eſt intrinſecè irrevelabile, vt probatum manet: Ergò. Ad hoc argumentum, ſi facilè, & compendiosè velis reſpondere, fugiendo replicas ſatis intricatas, ac difficiles, reſponde hoc pacto: Prædictum decretum eſt verum poſsibile, ſi ſit intrinſecè revelabile, concedo; ſi ponatur intrinſecè irrevelabile, nego maiorem. Et diſtinguo minorem: Eſt intrinſecè irrevelabile, ſi ſit verum poſsibile, nego minorem: Si non ſit verum poſsibile, ſed chimericum, concedo minorem: Id eſt, brevius loquendo: Si ſit falſa minor, concedo maiorem: Si ſit vera minor, nego maiorem: Et idem de minori: Si ſit falſa maior, concedo minorem: Si ſit vera maior, nego minorem. Quia nunc nolumus diſputare, an tale decretum ſit poſsibile, aut chimericum; ſolum dicimus, quod ſi ſit verum poſsibile, conditionaliter loquendo, ſequitur quod ſit revelabile; & ſi ſit, aut ponatur intrinſecè irrevelabile, non poteſt eſſe verum poſsibile, quod ſatis probatum manet; & ſic ſemper conditionaliter affirmabis, aut negabis, recuſando diſputationem abſolutam, vt faſtidioſam.

16. Verumtamen, ſi velis vlterius procedere, & talem diſputationem admittere. Sic diſtingues: Prædictum decretum eſt verum poſsibile, ſi ponatur ita vniverſale, vt decernat etiam de ſe ipſo non revelari, nego maiorem: Si ſolum decernat de alijs à ſe diſtinctis, concedo maiorem: Et diſtinguo minorem: Tale decretum eſt intrinſecè irrevelabile, ſi ponatur decernens de ſe ipſo non revelandum, concedo minorem: Si ponatur decernens tantum de alijs à ſe diſtinctis, nego minorem, & conſequentiam.

17. Itaque dupliciter poteſt poni tale decretum, vel ita vt decernant de ſe ipſo non revelandum eſſe, vel ita vt decernat ſolum de alijs. Si hoc ſecundum, non contradicit ſuę revelationi, & manet revelabile. Si primum, dico, tale decretum non eſſe verum poſsibile, ſed chimericum, & conſequenter nihil mirum quod ſit intrinſecè irrevelabile. Probatur, primo: Quia decretum liberum nequit decernere de ſe ipſo; huiuſmodi enim reflexio eſt chimerica; vndè decretum de nullo actu libero exercendo, implicat quod etiam decernat de ſe ipſo: Ergò. Secundo, & principaliter, quia implicat quod decernat de ſe ipſo neceſſario; quia Deus per decretum liberum nihil neceſſario decernit: deinde nec liberè: ergò. Probo hanc minorem; Quia, dum Deus decernit liberę aliquid non revelandum, ſupponi debet illud eſſe contingenter revelabile; quia, ſi eſſet, vel neceſſario omnino revelandum, vel impoſsibile revelari, Deus liberè non decerneret illud revelandum; Deus enim decernere nequit liberè non revelaturum, quod neceſſariò revelaturus eſt, nec item, quod impoſsibile eſt revelari. Tunc ſic; ſed illud decretum non poteſt ſupponere de ſe ipſo eſſe contingenter revelabile, & decernere de ſe ipſo non revelandum; quia ſi eſſet decretum non revelandi ſe ipſum, intrinſecè eſſet repugnans revelari, & non eſſet contingenter revelabile: Ergò.

18. Explicatur: Si tale decretum ſit decretum non revelandi ſe ipſum, in primis, cum ſit eſſentialiter infruſtrabile, vt ſupponitur, erit eſſentialiter connexum cum ſui non revelatione, & eſſentialiter repugnans revelari: Erit ergò eſſentialiter irrevelabile: Sed ſi eſt eſſentiali-

ter irrevelabile, implicat, quod decernat de ſe ipſo non revelandum; quia de aliquo eſſentialiter irrevelabili fruuum foret, & conſequenter chimericum in Deo, decernere decreto libero, illud non revelandum: Ergò implicat contradictionem tale decretum, ſi ponatur decernens de ſe ipſo non revelandum.

19. Hoc argumentum convicit iam RR. Ieſuitas, vt faterentur, decretum hoc, vt ſit verum, & non chimericum, ponendum eſſe, ita vt decernat tantum hoc pacto: *Decerno nihil ex revelabilibus revelare*; vel: *Nolo revelare aliquid ex revelabilibus.* Et nihilominus cenſent, illud manere intrinſecè irrevelabile. Quod ſic probant; quia, ſi maneret intrinſecè revelabile, de ſe ipſo decerneret non revelari, quia decernit, nihil ex intrinſecè revelabilibus revelare, & ipſum eſſet vnum ex intrinſecè revelabilibus: At hoc eſt chimericum, vt oſtenſum manet: Ergò tale decretum, ne decernat de ſe ipſo, debet ſupponi vt non revelabile intrinſecè, ſeù vt intrinſecè irrevelabile.

20. Sed contra ſic arguebam: Tale decretum per vos non poteſt decernere de ſe ipſo non revelandum: Ergò tantum decernit nihil revelare ex revelabilibus à ſe diſtinctis, ſeù nihil à ſe diſtinctũ revelare: Sed eo ipſo non eſt cur ſit intrinſecè irrevelabile, ſeù cur nõ maneat intrinſecè revelabile: Ergò. Probo minorem: Quia, ſi aliqua eſſet ratio, eſſet, quia, ſi revelaretur, fruſtraretur; ſed quamvis actu revelaretur, non ideò fruſtraretur: Ergò non eſt cur maneat intrinſecè irrevelabile. Negabat contrarius minorem. Sed ſic illam apertè probabam: Quia, ſi illud decretum præcisè revelaretur, & nihil aliud, nihil revelaretur diſtinctum ab ipſo, ſeù nihil revelaretur ex revelabilibus diſtinctis ab ipſo: Sed hoc ipſo impleretur quidquid decernit tale decretum; quia ſolum decernit nihil revelare ex revelabilibus diſtinctis ab ipſo: Ergò non fruſtraretur, ſed impleretur quidquid decernit.

21. Diſtinguebat propugnans: Nihil revelaretur ex revelabilibus diſtinctis ab ipſo, & aliàs revelaretur aliquid intrinſecè irrevelabile, concedebat: Et aliàs non revelaretur aliquid intrinſecè irrevelabile, negabat. Sed contra, primo: Quia, dato quod revelaretur aliquid intrinſecè irrevelabile, dummodo nihil revelaretur ex his, quę decernit non revelari, non fruſtraretur, ſed potius impleretur quidquid decernit: Sed ſolutio concedit, quod nihil revelaretur ex his, quę decernit non revelari, nimirum ex revelabilibus diſtinctis ab ipſo: Ergò. Secundo: Quia quid eſt illud intrinſecè irrevelabile, quod revelaretur? Non ſanè aliquid diſtinctum ab ipſo decreto, quia ſolutio fatetur, quod nihil revelaretur diſtinctum ab ipſo decreto: Eſt ergò ipſummet decretum: Ergò ſolutio ſupponit, quod ipſummet decretum eſt intrinſecè irrevelabile, & reſpondet cum concluſione ipſa, petendo maniſeſtè principium. Quod ſic oſtendo: Nam ego probo, tale decretum manere intrinſecè revelabile; quia quamvis revelaretur, nulla fieret ei contradictio, nec fruſtraretur, quia nulla eſt contradictio in eo, quod decernat efficaciter nihil revelandum ex revelabilibus à ſe diſtinctis, & quod nihilominus reveletur ipſummet; ſicut nulla eſt contradictio in eo, quod Deus decernat efficaciter nihil amare à ſe diſtinctum, & quod nihilominus ſe ipſum amet; nec per hoc fruſtratur tale decretum, vt per ſe eſt euidens: Ergò reſpondere quod fruſtraretur, & eſſet contradictio, quia revelaretur ipſummet, quod eſt intrinſecè irrevelabile, eſt reſpondere, quod eſſet contradictio, ſi revelaretur, quia ipſummet eſt intrinſecè irrevelabile. Hoc autem planè eſt reſpondere cum concluſione, ſupponendo, quod probandum eſt, & quod à nobis impugnatur.

22. Et quidem; qui affirmat implicationem, ſeù contradictionem in aliquo facto, tenetur eam probare; vndè igitur probare poterunt, quod implicat contradictionem tale decretum revelari? Videamus.

23. Sic obijciunt: Tale decretum decernit vniverſaliter nihil revelare ex revelabilibus: Ergò habet connexionem intrinſecam cum eo quod nihil omnino reveletur ex omnibus revelabilibus: Ergò habet connexionem intrinſecam cum eo quod ipſummet non reveletur, quia ſi revelaretur ipſum, iam revelaretur aliquid revelabile: ſed eo ipſo eſt intrinſecè irrevelabile, quia eſt intrinſecè connexum cum ſui non revelatione; Ergò.

24. Hæc eſt tota probatio. Sed vide quàm faciliter eliditur ex ipſorum contrariorum confeſſione, diſtinguendo antecedens: Decernit vniverſaliter nihil revelare ex revelabilibus à ſe diſtinctis, concedo, & concedunt ipſi contrarij: Ex revelabilibus, includendo ſe ipſum, nego, & negant ipſi contrarij; quia aliàs ipſummet decretum ſupponeret ſe ipſum ex parte obiecti, vt vnum, ex revelabilibus, & aliàs eſſet intrinſecè connexum cum ſui non revelatione, quod eſt chimericum; tale verò decretum debet poni vt non chimericum, nec implicans contradictionem, cum ponatur verum poſsibile. Ex quo pariter, diſtinguo conſequens: quia ſolum infertur habere connexionem intrinſecam cum eo, quod nihil omnino reveletur ex omnibus revelabilibus à ſe diſtinctis, quia

ſo-

ſolum hoc decernit: Et nego ſecundam conſequentiam: Quia minimè infertur habere connexionem cum eo, quod nec ipſummet reveletur, quia hoc non decernit.

25. Vndè ſic arguebam: Prædictum decretum ſolum excludit revelationem eorum, quę decernit non revelari, ſeù quę revelare non vult: Sed ſolum decernit non revelare revelabilia à ſe diſtincta, non autem de ſe ipſo: Ergò ſolum excludit per ſe, & intrinſecè, quod cætera revelentur, non autem excludit, ſed potius permittit, quod ipſummet reveletur.

26. Reſpondebat propugnans: Quod illud decretum non excludit ex parte obiecti ſui revelationem; quia non decernit de ſe ipſo ex parte obiecti non revelari; illam tamen excludit ex parte actus, & ex vi tendentię vniverſalis, quia per tendentiam vniverſalem omnino decernit nihil revelare. Sed contra inſiſtebam: Quia tendentia talis decreti non eſt ita vniverſalis, vt ſub eadem vniverſalitate comprehendat ſe ipſum, aliàs decerneret etiam de ſe ipſo non revelari: Ergò eſt vniverſalis cum aliqua limitatione, nimirum, non cōprehendendo ſe ipſum ſub ſua vniverſalitate: Sed eo ipſo ex modo tendendi vniverſali non excludit ſui revelationem: Ergò. Secundo: Quia decretum, quod diceret: *Nolo exercere vllum actum liberum*, ſeù *Decerno nullum decretum liberum concipere*, habet etiam modum tendendi vniverſalem: & tamen non eſt cum excluſione ſui ipſius, vt euidenter patet; quia licèt excludat exercitium aliorum actuum, vel decretorum, non excludit ſe ipſum, adhùc ex modo tendendi: Ergò licèt decretum nihil revelandi habeat modum tendendi vniverſalem, non ſequitur quod ex tali modo tendendi excludat revelationem ſui.

27. Tertio: Quia poſſet Deus revelare, ſe nihil revelaturum, & promittere, ſe nihil promiſſurum; quę quidem revelatio, vel promiſsio haberet modum tendendi vniverſaliſsimum: & tamen ex tali modo tendendi non excluderet ſe ipſam, ſed tantum cæteras promiſsiones, aut revelationes: Ergò pariter decretum nihil revelandi, quamvis tendens modo vniverſaliſsimo, non excludit ſui revelationem.

28. Quarto ſic arguebam: Poteſt Deus decernere vniverſaliter, nihil revelare ex revelabilibus diſtinctis ab hoc decreto non excludendo, ſed permittendo revelationem ipſius decreti: Ergò, ex quo preciſè decernat, nihil revelare ex revelabilibus diſtinctis, non probatur excluſio revelationis ipſius, adhùc ex modo tendendi. Probo conſequentiam: Quia vel modus excludens revelationem ipſius decreti convenit ipſi decreto eſſentialiter ex eo quod eſt decretum de tali obiecto, vel non convenit illi eſſentialiter, ſed ex arbitrio decernentis? Si primum: Ergò non potuit Deus decernere tale obiectum, id eſt: *Nihil ex revelabilibus diſtinctis revelare*, niſi modo excludente revelationem ipſius, cuius contrarium ſupponimus. Si dicatur ſecundum: In primis ſequitur, quod tale decretum nō erit eſſentialiter ex obiecto ſuo irrevelabile, ſed ſolum accidentaliter, & contingenter ex modo liberè ei affixo. Deindè, quia ſi licerèt ponere tale decretum ex modo tendendi eſſentialiter irrevelabile, licèt non ex parte obiecti, pariter poſſet dici, quod decretum non revelandi diem iudicij eſſet intrinſecè irrevelabile, immò, & decretum prædeſtinativum hominis; nam ſanè poſſet dici, quod licèt talia decreta ex obiecto ſuo non repugnent revelari, repugnant tamen ex modo tendendi.

29. Et quidem rogo, vndè probari poterit, quod decretum non revelandi diem iudicij eſt intrinſecè revelabile? Sanè non aliundè, niſi quia componitur optimè, Deum non revelare diem iudicij, & nihilominus revelare tale decretum; ſivè quia obiectum talis decreti, ſcilicèt, non revelare diem iudicij, non dicit contradictionem cum eo quod ipſum decretum reveletur: Sed hæc probatio nulla foret, ſi liceret recurſus ad modum tendendi non exactum ab obiecto: Quia poſſet reſponderi, quod licèt tale decretum ex obiecto non repugnaret ſuę revelationi, repugnaret tamen ex modo tendendi: Ergò non licèt talis recurſus ad modum tendendi. Probo minorem: Quia etiam eſt compatibile, & nullam dicit contradictionem obiectum noſtri decreti, ſcilicèt, nihil revelare ex revelabilibus diſtinctis ab ipſo, cum eo quod ipſummet reveletur: Et tamen contrarij recurrunt ad modum tendendi, dicendo, quod ex modo tendendi eſſet intrinſecè irrevelabile: Ergò, in omni decreto poſſet fieri hic recurſus. Vndè poſſet quis dicere, quod decretum non creandi Petrum excludit eſſentialiter creationem Pauli, licèt non eſt parte obiecti, tamen ex parte modi tendendi, & ſic de alijs; quia ſi decretum non revelandi hoc excludit ex modo tendendi revelationem alterius diſtincti; cur decretum non producendi hoc, non poterit etiam ex modo tendendi excludere productionem alterius. Vide ſimilem recurſum ad modum tendendi in divinis decretis impugnatum *Tractat. de Provident. quæſt. 6. num. 107.*

*** ✠ ***   *** ✠ ***

SOL-

SOLVVNTVR OBIECTA.

30. Nihilominus argues: Poſsibile eſt decretum ita vniverſale, vt de omni revelabili, abſque vlla exceptione decernat non revelare illud: Sed hoc decretum eſſet eſſentialiter irrevelabile: Ergò. Minor patet: Quia decerneret de omni revelabili, abſque vlla exceptione; ſed non de ſe ipſo: Ergò ipſum eſſet extra omne revelabile: Ergò non eſſet revelabile. Reſpondeo, in primis inſtando: Quia, vel eſt poſsibile decretum decernens de omni verò poſsibili, abſque vlla exceptione, illud non revelare, vel non eſt poſsibile? Si non eſt poſsibile, pariter negabo eſſe poſsibile de omni revelabili, abſque omni exceptione. Si eſt poſsibile, En tuum argumentum: Tale decretum decernit de omni verò poſsibili, abſque vlla exceptione: Sed non decernit de ſe ipſo: Ergò ipſum eſt extra omne verum poſsibile: Ergò non eſt verum poſsibile tale decretum: Ergò tale argumentum eſt fallax, vel decretum ita vniverſale non eſt verum poſsibile.

31. Vndè nego maiorem? Quia ſicut non eſt poſsibile decretum decernens de omni verò, abſque vlla exceptione, non revelandum, quia aliàs ipſum eſſet verum poſsibile, & non eſſet verum poſsibile; ita non eſt poſsibile decretum decernens non revelare omne revelabile, abſque vlla exceptione: Quia ſequeretur ipſummet decretum eſſe verum revelabile, & non eſſe verum revelabile. Immò eſſet verum poſsibile, vt ſupponitur, & non eſſet verum poſsibile, quia non eſſet revelabile, cum tamen omne verum poſsibile ſit revelabile, vt ſuprà probatum manet à priori.

32. Sed replicabis: Si decretum illud non excluderet revelationem ſui, ad excludendam ipſius revelationem opus eſſet alio decreto diſtincto: Sed hoc nequit dici: Quia ſequeretur proceſſus in infinitum: Ergò tandem concedi debet poſsibile decretum aliquod ita vniverſale, quod excludat revelationem ſui.

33. Dicunt aliqui, poſſe tale decretum excludere revelationem ſui per terminationem ſecundariam, & reflexam, ita vt per primariam terminationem directam excludat aliorum revelationẽ, per ſecundariã autẽ, & reflexã excludat revelationẽ ſui. Sed contra: Quia, vel hæc ſecundaria terminatio, & reflexa eſt eſſentialis terminationi directę, & primarię; vel eſt contingens, & ei ſuperveniens liberè? Si primum, erit ęquè primaria, & non ſecundaria; rurſuſque primaria erit eſſentialiter connexa cum ſecundaria, & conſequenter erit eſſentialiter connexa cum ſui non revelatione, ſeù erit eſſentialiter irrevelabilis; ex quo vlterius ſequeretur, terminationem ſecundariam eſſe ſuperfluam, immò, & fatuam; quia fatuùm, & ſuperfluum eſſet decernere per terminationem ſecundariam non revelare primariam, quam ſupponit eſſentialiter irrevelabilem. Si autem terminatio primaria, & directa ſupponitur intrinſecè revelabilis, ſequitur ſecundum, ſcilicèt, quod terminatio ſecundaria, & reflexa liberè ſupervenit primarię, & contingenter, ac ſeparabiliter, ita vt liberè potuerit Deus, vel addere terminationem ſecundariam, & reflexam, nolendo reflexè revelare primariam, vel addere terminationem oppoſitam, volendo reflexè revelare primariam, & directam.

34. Si autem hoc dicatur, planè non ſunt tantum duę terminationes, ſed ſunt etiam duo decreta ſuo modo diſtincta, & ſeparabilia, nam ſunt duę terminationes liberę ſeparabiles; niſi autem quæſtio ſit de nomine, iuxta multiplicitatem terminationum liberarum, & ſeparabilium, plurificantur decreta ex noſtro modo concipiendi, ſeù intelligendi. Sivè autem illam terminationem reflexam appelles terminationem, ſivè decretum novum reflexum; ſaltem illa nequit excludere revelationem ſui ipſius per ſe ipſam, quia nequit reflectere ſuprà ſe ipſam, decernendo de ſe ipſa non revelari: Si enim primaria terminatio nequit per ſe ipſam decernere de ſe ipſa, ſed opus eſt alia reflexa: Ergò nec reflexa poterit decernere de ſe ipſa, ſed opus erit alia, quę decernat de ipſa non revelare ipſam, ſeù quę excludat revelationem ipſius: Rurſuſque ad excludendam revelationem huius tertię terminationis, erit opus alia quarta terminatione reflexa, & ſic in infinitum: Ergò opus erit infinitis terminationibus reflexis, & dabitur proceſſus in infinitum terminationum, in quo non minor apparet repugnantia, quam in proceſſu infinito decretorum.

35. Propterea alij dicunt: Quod ad excludendam revelationem illius decreti, non requiritur poſitivum aliud decretum, ſed ſufficit pura omiſsio, quam in Deo poſsibilem admittunt. Sed adhùc non videtur ſatisfacta difficultas; quia in primis probabilior videtur oppoſita ſententia negans in Deo poſsibilem puram omiſsionem. Deindè, quia illa pura omiſsio, vel eſſet revelabilis, vel non? Si non: Ergò iam eſt poſsibile aliquod exercitium divinę libertatis intrinſecè irrevelabile: Cur ergò non erit poſsibile ſimile decretum? Si eſſet revelabilis: Ergò ad excludendam illius revelationem opus eſſet alio decreto, vel alia omiſsione libera, & de hac eſſet eadem difficultas: Ergò

vel

vel daretur proceſſus in infinitum in decretis liberis, vel in liberis omiſsionibus, quod ęquè videtur repugnans.

36. Vndè cenſeo concedendas eſſe in Deo ex noſtro modo cōcipiendi infinitas omiſſiones liberas, vel infinita decreta negativa, aut permiſsiva ad extra iuxta modum explicādi decreta Dei circa negationes; nec in hoc eſſe inconveniens, aut repugnantia, immò, id eſſe neceſſario concedendum, facilè oſtenditur. Tum: Quia res poſsibiles, ſeparabiles, & inconnexę ſunt infinitę: Ergò negationes rerum poſsibilium ſeparabiles, & inconnexę ſunt etiam infinitę: Sed decreta divina, ſivè omiſsiones circa negationes contingentes rerum poſsibilium cōputari debent per ipſas negationes inconnexas; ſicuti decreta poſitiva circa creaturas contingentes multiplicantur iuxta multitudinem creaturarum inconnexarum: Ergò decreta circa negationes contingentes ſunt infinita, vel ſi Deus circa negationes habet putas omiſsiones, iſtę erunt infinitę.

37. Ex quo ad replicam factam facilè reſpondeo: Quod decretum non revelandi, quantumvis vniverſale ponatur, ſemper debet eſſe cum exceptione ſui, ſeù manente ipſo extra vniverſalitatem obiecti, & concedo, quod ex hoc ſequitur proceſſus in infinitū in decretis nō revelandi, vel ſaltem in omiſsionibus revelandi, dico tamen hoc non eſſe inconveniens; quia hic proceſſus infinitus non repugnat in voluntate divina, cum ſit infinita in decernendo, vel omittendo; nec repugnat ex parte obiecti; quia negationes revelationum poſsibilium ſunt infinitę, ſicut, & revelationes poſsibiles infinitę ſunt: Ergò non repugnat talis proceſſus infinitus in voluntate divina, immò de facto datur circa negationes revelationum poſsibilium.

38. Quod ſic facile oſtenditur: Quia potuit Deus revelare diem iudicij, & non revelavit: Ergò datur in Deo vel decretum liberum hoc non revelandi, vel omiſsio libera huius revelationis. Rurſus: Deus potuit, vel poteſt revelare talem omiſsionem, & illam non revelavit: Ergò datur in Deo omiſsio libera huius ſecundę revelationis. Item, Deus potuit revelare hanc ſecundam omiſsionem liberam, & eam non revelavit: Ergò datur in Deo omiſsio tertia libera revelationis. Item, potuit Deus revelare hanc tertiam omiſsionem liberam, & eam non revelavit: Ergò datur in Deo de facto omiſsio quarta libera revelationis tertię omiſsionis; & ſic in infinitum: Ergò datur in Deo proceſſus infinitus omiſsionum liberarum.

39. Ex quo rurſus ſequitur: Nullam dari omiſsionem liberam revelationis, quę non ſit intrinſecè revelabilis per aliam, & ſic ſempe ſalvatur, quod omne exercitium liberum divinę voluntatis, adhùc omiſsivum, manet intrinſecè revelabile; & ratio eſt, quia omiſsio libera revelationis non poteſt eſſe omiſsio libera revelationis ſui ipſius; ſicut decretum liberum non poteſt eſſe decretum liberum non revelandi ſe ipſum, ſeù de non revelatione ſui ipſius: Ergò quælibèt omiſsio libera revelationis non excludit revelationem ſui poſsibilem: Ergò manet intrinſecè revelabilis per aliam.

40. Sed replicabis: Poteſt Deus omiſsione vna libera omittere omnem revelationem poſsibilem: Sed illa excluderet ſui revelationem: Ergò. Confirmatur; Poteſt Deus vno actu decernere nullam revelationem facere: Sed hoc decretum excluderet revelationem ſui: Ergò. Diſtinguo maiorem: Omiſsione vna libera realiter vna ex parte Dei, licèt virtualiter infinita, immò, & realiter ex parte obiecti, concedo: Vna virtualiter ex parte Dei, & ex parte obiecti, nego maiorem, & diſtinguo minorem: Illa excluderet ſui revelationem adæquatè, nego: Inadæquatè, ita vt ſecundum vnam virtualitatem excluderet revelationem alterius, & per aliam huius, manentibus omnibus virtualitatibus ſeorſim revelabilibus, concedo minorem, & nego conſequentiam. Et ſimiliter ad confirmationem, diſtinguo maiorem: Vno actu realiter ex parte Dei, licèt multiplici virtualiter, & realiter ex parte obiecti, concedo maiorem: Vno actu virtualiter ex parte Dei, & realiter ex parte obiecti, negò maiorem, & diſtinguo minorem: Hoc decretum excluderet revelationem ſui adæquatè, nego minorem: Inadæquatè, hoc eſt, per vnam virtualitatem excludendo revelationem alterius virtualitatis, & per aliam revelationem huius, & ſic in infinitum; ita vt nulla virtualitas excluderet revelationem ſui ſecundum eandem virtualitatem, concedo minorem: Ita, vt per eandem virtualitatem excluderet revelationem ſui, nego minorem, & conſequentiam: Quia nunquam ſequitur dari aliquid intrinſecè, & eſſentialiter irrevelabile, non enim eſt intrinſecè irrevelabile, quod ſecundum quamlibèt virtualitatem ſui eſt revelabile.

41. Sed dices: Saltèm collectio illa infinita omnium omiſsionum, ſeù virtualitatum eſſet intrinſecè irrevelabilis; quia ſuprà collectionē illam omnium omiſsionū non eſt poſsibilis alia revelatio; alias eſſet poſsibilis alia omiſſio extra collectionem illam omnium omiſsionū, & alia virtualitas extra collectionē omniū virtualitatū: Ergò iam datur aliquid intrinſecè, & eſſentialiter irrevelabile. Reſpondeo primo, collectionem infinitam eſſe chimericam: Quia om-

omnis collectio à nobis concepta per modum collectionis concipitur vt vnus conceptus obiectivus terminis circumſcriptus, cum hoc autem implicat quod ſit infinita. Vide in Phyſica *lib. 3. quæſt. 3. num. 33.*

42. Reſpondeo ſecundo, diſtinguendo antecedens: Saltèm collectio illa infinitá eſſet intrinſecè irrevelabilis collectivè, tranſeat antecedens: Irrevelabilis diſtributivè, & per partes, nego antecedens, & conſequentiam: Quia nos non negamus, aliquam collectionem eſſe collectivè irrevelabilem; nam collectio omnium creáturarum poſsibilium, ſicuti eſt impotens exiſtere collectivè, eſt etiã impotens revelari collectivè. Et collectio omnium negationũ poſsibilium ſimiliter eſt collectivè irrevelabilis. Solum ergò defendimus, omne verum poſsibile, diſtributivè loquendo, eſſe intrinſecè revelabile; ad quod ſufficit quod omnis omiſsio libera, vel omne decretum liberum, diſtributivè loquendo, ſit intrinſecè revelabile, & non requiritur, quod omnis omiſsio, aut omnis negatio, aut omne decretum, collectivè loquendo, aut collectio omnium ſit revelabilis intrinſecè collectivè. Sicut ſalvatur; quod omne ens poſsibile eſt intrinſecè producibile; quamvis non ſalvetur, quod collectio omnium ſit producibilis collectivè.

43. Sed non quieſces: Eſt poſsibile aliquod decretum virtualiter vnicum, intrinſecè irrevelabile, ſeù excludens omnem ſui revelationem: Ergò non ſolum collectivè, ſed etiam diſtributivè verum eſt, quod non omnia decreta ſunt revelabilia. Probatur antecedens. Primo: Quia Deus per vnicum virtualiter decretum poteſt decernere nihil omnino revelare, nec ſe ipſum. Secundo: Quia ſaltèm per vnicum virtualiter decretum poteſt decernere, nullam omnino creaturam ad extra producere: Sed hoc decretum eſſet intrinſecè irrevelabile: Ergò. Probatur minor: Quia nulli creaturę eſſet revelabile; ſiquidem eſſet connexum intrinſecè cum eo quod nulla omnino creatura exiſteret; & creaturis non exiſtentibus, nihil revelari poteſt: Ergò. Item: Quia eſſet incompatibile cum exiſtentia cuiuſvis creaturę: Ergò, & cum ſui revelatione: Siquidem implicat revelari, niſi exiſtente aliqua creatura, cui reveletur: Ergò entrinſecè pugnaret cum ſui revelatione.

44. Reſpondeo, negando antecedens. Ad probationem primam, nego antecedens: Quia vt iam oſtenſum manet, repugnat decretum, quod de ſe ipſo per eandem virtualiter terminationem decernat non revelari. Ad ſecundam, nego etiam maiorem: Quia decretum de nulla omnino creatura producenda, non eſt virtualiter vnicum; quia decretum ſolum poteſt eſſe virtualiter vnicum, quando reſpicit vnicum obiectum, vel connotatum; hoc autem obiectum: *Nullam creaturam producere*, non eſt vnicum, ſed infinitè multiplex, & ſeparabile, cum importet infinitas carentias creaturarum inconnexàs, & ſeparabiles, quę nullam vnitatem poſſunt habere in mente divina: Quia vel haberent vnitatem ordinis ad vnum tertium, & hoc eſt impoſsibile; quia carentię omnium creaturarum poſsibilium non poſſunt ordinari ad vnam aliam carentiam, vt per ſe patet: Nec vnitatem compoſitionis, vt magis patet: Quia negationes omnium poſsibilium non componunt vllo modo vnam negationem: Nec vnitatem vniverſalitatis, aut confuſionis in ſuo conceptu communi, quia Deus non ita concipit res, ſed ſigillatim, & individualiter; vndè nec poteſt decernere omnes negationes per modum vnius. Vndè ſi forſan habere poteſt decretum poſitivum nullam creaturam producendi, debet eſſe virtualiter multiplex, iuxta multitudinem creaturarum inconnexarum, quas non producere decernit; quaſi dicat: *Nec volo producere hanc, nec volo hanc, nec hanc*; & ſic in infinitum, per virtualem infinitam ſeriem decretorum, ſeù ſi mavis; per infinitam ſeriem terminationum; non autem per vnicam terminationem, aut virtualitatem. Ex quo patet, quod decretum illud infinitè multiplex virtualiter, de nulla creatura producenda; eſſet quidem irrevelabile collectivè, ſed non diſtributivè; quia licèt eſſet irrevelabile ſecundum omnes terminationes collectivè ſumptas, eſſet tamen revelabile ſecundum quamlibet ſeorſim; & diſtributivè; quia ſecundum terminationem ad negationem vnius creaturę, maneret revelabile, licèt non illi creaturę, benè tamen alteri, & ſic nulla eſſet terminatio in illo decreto virtualiter ſimplex, quę non eſſet revelabilis intrinſecè diviſivè ab alijs.

45. Ex quo patet ad idem argumentum, quod ſic ſub alia forma proponunt: Deus libere produxit quamlibèt creaturam, quam produxit: Ergò potuit nullam omnino creaturam producere. Tunc ſic: Ergò potuit decernere nullam omnino creaturam producere: Ergò hoc decretum eſt poſsibile: Sed hoc decretum eſt intrinſecè irrevelabile: Ergò. Reſpondetur, conceſſo antecedenti, & prima conſequentia, diſtinguendo conſequens ſubillatum: Ergò potuit decernere nullam omnino creaturam producere per vnicum virtualiter decretum, nego conſequentiam: Per multiplex virtualiter decretum, concedo conſequentiam: Et diſtinguo minorem ſubſumptam: Hoc decretum eſt intrinſecè irrevelabile collectivè, ſecundum

dum quod decernit omnes negationes creaturarum, concedo: Diviſivè, ſecundum quod decernit quamlibèt, negò minorem, & conſequentiam: Quia illud decretum non eſt vnicum, ſed multiplex, ſeù plura, ac infinita decreta. Et ratio eſt: Quia maiorem vnitatem dicunt inter ſe omnes creaturę productę, & producendę, quam omnes negationes creaturarum; ſiquidem creaturę productę ordinantur inter ſe, & componunt Vniverſum; at negationes omnes nullum inter ſe ordinem, aut compoſitionem habent, ſed ſunt totaliter inconnexę, & abſque omni vnitate: Sed creaturas productas, & producendas non decrevit Deus vnico virtualiter decreto, ſed per plura decreta, vt omnes fatentur, quamvis habentes inter ſe ordinem, & componentes Vniverſum: Ergò potiori iure, ſi decreviſſet, nullam omnino creaturam producere, hoc non decreviſſet vnico decreto, ſed pluribus iuxta infinitum numerum negationum inconnexarum. Hoc autem decretum infinitè multiplex revelari quidem non poſſet collectivè; poſſet tamen revelari ſecundum quamlibèt ſui terminationem diviſivè, ita vt nulla in illo eſſet terminatio determinata irrevelabilis, ſed omnes diſtributivè eſſent revelabiles in ſenſu diviſo aliarum.

46. Hæc dixerim admittendo decreta divina libera poſitiva circa negationes rerum, & conſiſtentia in terminatione activa defectibili ex parte Dei. Si tamen dicatur, vt probabilius cenſeo, decretum divinum pro recto nihil importare defectibile ex parte Dei, ſed ſolum entitatem, & actualitatem actus neceſſarij, de connotato verò importare effectum ad extra, ſi ſit decretum poſitivum, ſi verò negativum, negationem, ſeù carentiam. Si, inquam, hoc dicatur, facilius reſponderi poteſt, diſtinguendo ſic: Decretum nullam creaturam producendi eſt intrinſecè irrevelabile, ſecundum quod dicit pro recto, nego, quia entitas actus neceſſarij revelabilis eſt: Secundum quod dicit de connotato, ſubdiſtinguo: Et aliàs connotatum eſt ens verum poſsibile, nego: Et alias connotatum eſt vera carentia, & negatio, & ens purè fictum, concedo; ex quo ſolum ſequitur, quod aliqua carentia vniverſaliſsima compacta ex omnibus carentijs rerum, quę eſſet connotatum dicti decreti, eſſet irrevelabilis; non tamen quod aliquod ens verum, & poſsibile ſit irrevelabile, quod ſolum aſſerimus in noſtra concluſione. Et quidem in caſu illius decreti, quid tunc exiſteret, quod nunc non exiſtit? Nihil ſanè: Sed nunc nihil exiſtit intrinſecè irrevelabile: Ergò, nec tunc.

47. Sed nec hoc ſequitur: Quia & illa carentia, licèt non eſſet collectivè revelabilis, quia tota collectio carentiarum non eſſet ſimul revelabilis, eſſet tamen diviſivè revelabilis, & penès quamlibèt diſtributivè, quia nulla eſſet carentia determinata ex omnibus talem collectionem componentibus, quę revelabilis non eſſet.

48. Et hæc ſufficiant dicta de hac quæſtione, per ſe quidem, fateor, parùm vtili, ſed propter ſolvendas argutias ab aliquibus excogitatas ex decretis divinis reflexis, valdè neceſſaria; nam ſæpè vidi ingenioſos argnentes triumphantes, & propugnãtes implexos, vel perplexos, & obrutos, argumentis deſumptis, ex hoc, vel illo decreto excogitato poſsibili, v. g. ex decreto non dandi auxilium intrinſecum ad actum fidei, quod ſi revelaretur, probant, illam revelationem credi poſſe fide divina, abſque auxilio intrinſeco: Item, ex decreto conſervandi Iuſtum in gratia per totam ęternitatem, quod decretum, ſi revelaretur, indè probant aliqui, quod Iuſtus poſſet illi diſcredere, & coniungere diſcreditionem, quę eſſet peccatum grave, cum perſeverantia in gratia: Et ſic alia decreta excogitant, ex quibus argumenta ſumunt in varijs dificultatibus Theologicis. Quibus tamen facilius reſponderi poterit, obſervatis, quę in hac quæſtione præmiſſa manent, nam ea nunc alijs difficultatibus applicare non vacat, vt ad aliam diſputationem iam accedam.

V DIS-

Digitized by Google

DISPUTATIO II.

DE OMNIMODA INFALLIBILITATE, ET certitudine fidei divinæ.

VT promiſsis ſtemus, poſt diſputationem de obiecto fidei, hanc ſubiungimus de eius infallibilitate, quæ præcipua eſt in præſenti Tractatu, correſpondetque Textui Div. Thom. articul. 3. in quo inquirit: An fideì poſsit ſubeſſe falſum. *Quia tamen aliquem credendo falli, poteſt contingere, vel ex parte cauſæ obiectivè moventis, nempè, ex parte dicentis, qui falſum dicat: Vel ex parte cauſæ efficientis ſubiectivè moventis, & inclinantis ad credendum falſum; propter eà primò videndum eſt, qualiter ex parte Dei dicentis non poſsit fidei ſubeſſe falſum. Secundo, qualiter ex parte ipſius Dei, vt ſubiectivè moventis, aut inclinantis ad fidem, falſitas illi provenire nequeat. Sit igitur.*

QUÆSTIO I.

An Deus poſsit mentìri, ſeù falſum loqui per ſe, vel per alium?

1. QUÆSTIO iſta, per ſe ſatis indigna videtur excitari apud Catholicos, quinimo, & apud homines, cum omnibus ratione vtentibus naturaliter inſitum ſit Deum mentiri non poſſe, eaque propter potius vt per ſe notum ſupponendum eſſet, quàm diſputandum. Verumtamen, quia non defuere, qui contra tam apertam veritatem erraverunt: More Theologorum, ſeù Scholaſticorum quæſtionem iſtam proponimus, non tàm vt eam veritatem perſuadeamus, quàm vt quiſque videat quibus fundamentis ſuaderi poſsit, & qualiter oppoſitę argutię ſolvi debeant.

PLURA PRÆMITTUNTUR DUBIA.

2. DEUM poſſe loqui creaturis ita certum eſt, vt nullus ſit, qui neget. Et ex Sacris Scripturis patet: Quia in eis ſæpè refertur Deus loquens hominibus, vt Adamo, Noemo, Abrahamo, & alijs Patribus; ab actu autem ad potentiam eſt euidens conſequentia. De modis verò, quibus loquitur hominibus, agunt Myſtici ex profeſſo, diſtinguētes loqutiones Dei in auriculares, ſeù externas, quę exteriori ſenſu auditus percipiuntur: Imaginarias, quę tantum percipiuntur ſenſu interno phantaſię: Et in purè intellectuales, quę nimirū ab intellectu purè ſpiritualiter percipiū-tur. Quibus ſignis, vel effectibus iſtę Dei loqutiones diſcerni valeant, illorum eſt explicare, alienum verò à præſenti inſtituto.

DUBIUM PRIMUM.

3. DUbitant tamen, aliqui in præſenti, an Deus, purè vt Author naturę, loqui poſsit creaturę. Probabilius iudico, Deum, vt præcisè Authorem naturalem, propriè loqui non poſſe creaturis, ſed

ſed tantum hoc pertinete ad ipſum vt Authorem ſupernum. Eſt contra Ripalda *diſp. 5. ſect. 5.* & contra Arriaga *diſput. 4. ſect. 4.* Moveor tamen ad hanc ſuppoſitionem, primo, quia Deus vt Author naturę loquitur impropriè creaturis intellectualibus per lumen naturale ipſis náturaliter inditum, per quod ipſis ſufficienter manifeſtat ea omnia, quę intra ordinem naturalem ſrire oportet, & quę exiguntur vt cognoſcanr ſuum vltimum finem naturalem, & rectè In illud tendere poſsint, ſi enim peccatum, non obeſſet, nec originale, nec perſonale, creatura intellectualis, abſque vlla Dei revelatione, aut loquutione propria, ſolo lumine naturalirer indito, debita applicatione mediante, cognoſcere poſſet ſuum Anthorem, & veritates quaslibèt naturales neceſſarias vr in illum rectè ten leret: Ergò loquutio propria, ſeù revelatio Dei manifeſtè eſſet ſuprà exigenriam naturę intellectualis, & omnino illi indebita: Ergò eſſet à Deo vt Authore ſupernaturali, & gratię.

4. Inquies: Quod licèt Deus, vt Author naturę, non poſsit loqui veritates ſupernaturales, nec naturales vt ordinatas ad finem ſupernaturalem, benè tamen verirates naturales in ordine ad finem naturalem. ita Lumbier *in præſent. num. 656.* Srd contra eſt: Quia veritares naturales illę dieuntur, quę non exeedunt in ſui cognoſcibilitate lumen naturale, non autem, quę entirarivè ſunt naturales, ſed cognoſcibilirer ſupernaturales, nam ſecreta cordium, euentus futuri, & alia huiuſmodi ſunt entitativè naturalia, ſed non numerantur inter veritates narurales, quia in ſui cognoſcibilitate exeedunt lumen narurale intellectus. Tum ſic, ſed ſuprà exigentiam naturę inrellectualis eſt, quod Deus illi loquatur propriè, aur revelet veritates, quę in ſui cognoſcibilitate non excedunt lumen eius naturalè: Ergò, adhùc loqnutio, ſeù revelatio veritatum naruralium foret neceſſario ſuprà exigentiam naturę, & cnnſequenter non poſſet eſſe, niſi à Deo vr Authore ſupernaturali. Probo minorem: Quia ſuprà exigentiam creaturę intellectualis eſt, quod Deus manifeſtet illi veritates prædictas modo alteriori, & certiori ad modum proportionatum, quo ei ſufficienter manifeſtantur ex vi luminis naturalis, & propriè applicationis: Sed ſi Deus propriè loqueretur illas veritates creaturę intellectuali, manifeſtaret illas modo alriori, & eminentiori ad modum proportionatum ipſius creaturę rationalis, ſiquidem modus manifeſtandi illas per revelationem, abſdubio eſt altior, & eminenrior, ac certior, quam modus manifeſtandi illas per lumen naturaliter inditum, & hic eſt modus creaturę intellectuali naturaliter proportionatus: Ergò ſuprà exigentiam creaturę intellectualis neceſſario foret, quod Deus illi loqueretur propriè veritates naturales.

5. Contra ſecundo: Quia, ſi Deus, vt Author naturę, poſſet revelare veritates naturales, poſſet crearura viribus naturę, ſeù naturaliter credere Deo tales veritates revelanti purè propter ipſius teſtimonium: Sed hoc eſt impoſsibile: Ergò. Probo minorem: Quia ſi creatura intellectualis crederet eas verirates propter teſtimonium Dei, crederet eas fide verè divina, & alias purè acquiſita, & naturali: Sed repugnat fides divina naturalis: Ergò eſt impoſsibile, quod creatura intellectualis eredat viribus naturę Deo revelanti purè propter ipſius teſtimonium. Probo minorem: Quia fides divina naturalis, qua divina, eſſet ęquè infallibilis, ac fides infuſa, ſiquidem niteretur motivo formali ęquè infallibili, nempè, divino teſtimonio; aliundè, qua naturalis, & acquiſita, eſſet fallibilis, nam de ratione fidei acquiſitę, & naturalis eſt fallibilitas: Ergò eſſet fallibilis, & infallibilis: Ergò repugnat. Vide, quę diximus *ſuprà quæſt. 9. nu. 35.*

9. Confirmatur: Quia ſi eſſet poſsibilis fides verè divina, & alias naturalis, nullo pacto probari poſſet, quod actus fidei divinę ex ſpecie ſua eſt ſupernaturalis, aut excedens vires naturę: Sed hoc eſt contra omnes Theologos: Ergò. Probatur ſequela: Quia actus fidei totam ſuam ſpeciem ſortitur ex motivo formali: Sed non poſſet probari ex motivo formali, quod eſſet ſupernaturalis: ergò. Probo minorem: Quia fides naturalis verè divina, verè haberet idem motivum formale, ac fides noſtra, nempè, divinum teſtimonium re ipſa tale: Et tamen non eſſet ſupernaturalis: Ergò ex motivo formali probari nequit, quod ſit ſupernaturalis. Nec valet, ſi dicas, probari poſſe ex obiecto terminativo ſupernaturali. Non, inqnam, valet, primo: Quia ſæpè credimus fide ſupernaturali obiecta naturalia, vt quando illiteratus credit exiſtentiam Dei Authoris naturę, Drumque eſſe Creatorem, & Animam rarionalem immortalem: Sed tunc probari nequit illam fidem eſſe ſupernaturalem ex obiecto terminativo: Ergò probari drbet ex obiecto motivo. Secundo: Quia, vt infrà videbimus, fides verè divina, non ſolum eſt ſupernaturalis ex obiecto terminativo, ſed potiſsimè ex obiecto motivo: Ergò probari nequit ex obiecto terminativo tantum eius ſupernaturalitas. Tertio: Quia obiectum ſupernaturale, ſi non attingitur ex motivo ſupernaturali, ſed ex motivo naturali, non probat in aſſenſu ſupernaturalitatem: Ergò ſi ſupernaturalitas non prnbatur ex motivo, nec poteſt probari ex obiecto terminativo.

Digitized by Google

7. Confirmatur: Quia Deus in Sacro Textu ſæpè loquitur veritates purè naturales: Et tamen eius loquutio eſt intrinſecè ſupernaturalis, & à Deo vt Authore ſupernaturali: Ergò de ratione divinę loquutionis, quamvis cadat ſuprà veritates naturales, eſt quod ſit ſupernaturalis: Ergò repugnat loquutio propria Dei purè naturalis. Reſpondet Lumbier *num.* 657. quod tales loquutiones non ſunt naturales, nec fides noſtra propter illas eſt naturalis, quia tales loquutiones imbibunt eſſentialiter divinam intentionem ſignificandi, quę de facto eſt ſuperna propter finem ſupernum, tamen in pura natura eſſent naturales. Sed contra: Quia hoc non probat illas loquutiones eſſe ſupernaturales intrinſecè, ſed ſolum extrinſecè, & ex fine: Ergò pariter fides illis adhibita non foret ex ſpecie ſua, ſeù ex obiecto ſupernaturalis, ſed ſolum extrinſecè, & ex fine. Probatur antecedens: Quia plura Deus operatur, vt Author naturę, quę intrinſecè ſunt naturalia, licèt ea Deus operetur ex intentione finis ſuperni, communiter enim Theologi aſſerunt dona naturalia collata prædeſtinatis eſſe effectus imperatos prædeſtinationis, & conſequenter ex intentione finis ſupernaturalis: Ergò ex quo revelationes factę in Sacr. Scriptur. de rebus naturalibus ſint ex fine ſuperno, non probatur eas eſſe intrinſecè ſupernaturales, ſed ſolum extrinſecè, & ex fine, & ſimiliter de fide illis adhibita.

8. Nec prodeſt dicere, quod *eſſentialiter imbibunt intentionem finis ſuperni*, quia ſi loquutio divina obiecti naturalis ex ſe, & ex ſua eſſentia non eſt ſupernaturalis, ſed poteſt eſſe à Deo vt Authore naturę, vt tenet Lumbier, ex ſe, & eſſentialiter imbibere nequit intentionem finis ſuperni, ſed potius erit indiferens vt imperetur ex fine ſuperno, vel ex fine naturali: Ergò, vel dicendum eſt, quod loquutio divina, ex conceptu eſſentiali loquutionis divinę, eſt ſupernaturalis, ita vt in nulla providentia poſsit eſſe à Deo vt Authore naturę, vel quod plures revelationes factę in Sacr. Scriptur. ſunt intrinſecè naturales, & intrinſecè, ſeù elicitivè à Deo, vt Authore naturali, licèt extrinſecè, & imperativè ſint ab ipſo vt Authore ſupernaturali. Quod ſi dicatur, pariter dicendum erit, quod fides illis adhibita erit intrinſecè naturalis, ſicut actio gratiarum pro beneficio naturali ex ſe, & intrinſecè eſt naturalis, licèt Deus tale beneficium exhibuerit ex intentione ſupernaturali: Hoc autem nullus dicit: Ergò.

9. Propterea, Doct. Ferreras, inquit, Deum quidem non poſſe, vt Authorem naturę loqui creaturę aſſertivè, promiſsivè, aut confabulatoriè: Non aſſertivè: Quia eſſet immediatus Magiſter illius: Et hoc eſt ſuprà exigentiam creaturę: Nec item promiſsivè: Quia eſt ſuprà exigentiam creaturę, quod Deus illi aliquid promittat pro obſequio alias ipſi Deo debito: Nec denique confabulatoriè: Quia ſuprà exigentiam ſervi eſt, quod Deus familiariter cum illo loquatur: Verumtamen inquit, poſſe Deum naturaliter loqui creaturę in pura natura, imperando, aut præcipiendo ei aliquid non excedens vires naturę.

10. Sed contra: Quia in primis rationes huius Authoris parum vrgent: Siquidem, quod Deus, vt Author naturę ſit immediatus Magiſter creaturę rationalis, non repugnat titulo immediati Magiſterij, nam per lumen naturaliter inditum, & per interiorem inſtinctum immediatè inſtruitur à Deo, vt Authore naturali, creatura intellectualis, ſaltèm circa principia vniverſalia ſpeculativa, & practica, vt ſatis conſtat ex à nobis dictis *Tractat. de Conſcient. quæſt.* 9. & id exigitur ex ipſa natura intellectuali, quę à ſemetipſa, nec ab alio poteſt diſcere illa prima principia, vndè neceſſario exigit illa diſcere immediatè à Deo, vt Authore naturę per lumen naturale: Solum ergò eſt ſuprà exigentiam naturę intellectualis, quod Deus ſit immediatus Magiſter illius per loquutionem propriam, & ſpecialem: Ergò ineptè aducitur titulus Magiſterij, cum ſupernaturalitas non ſtet in tali titulo, ſed in modo loquutionis ſpecialis. Deindè, nec eſt ſuprà exigentiam creaturę intellectualis, quod Deus illi polliceatur præmium pro obſequijs, licèt alias titulo ſervitutis ipſi debitis, nam lumine naturali mediante, Deus ſufficienter ſe manifeſtat creaturę intellectuali vt remunerator bonorum, & punitor malorum, vndè creatura qualibèt intellectualis ex ipſo lumine naturę edocta, de bona vita, & legis naturalis obſervantia ſpetat vitam beatam, & fœlicem in præmium, & de mala vita, & tranſgreſsione legis naturalis formidat pœnam: Et id quidem omnino exactum eſt à natura intellectuali, vt tali: Ergò non eſt ſuprà exigentiam illius, quod Deus illi promittat præmium, & minetur pœnam: Sed ſolum erit ſuprà exigentiam illius modus promittendi, nempè, per loquutionem propriam, & ſpecialem.

11. Deindè inconſequenter aſſerit: Quod poſsit Deus, vt Author naturę, loqui creaturę intellectuali, illi præcipiendo aliquid, nam ſi hoc poteſt Deus vt Author naturę, cur non poterit ſe gerere vt immediatus Magiſter illius? Cur non poterit præcipere cominando pœnam ſi nolit obedire, & promittendo præmium, ſi obediat? Sanè, ſi ſemel non eſt ſuprà exigentiam

tiam naturę intellectualis, quod Deus illi loquatur propriè, præcipiendo, nec erit ſuprà eius exigentiam, quod illi promittat remunerationem ſi obediat, nec quod illi loquatur aſſertivè, cum omnis promiſsio aſſertionem includat ſaltèm de animo implendi promiſſum: Ergò.

12. Sed obijcies: Deus creaturę intellectuali conſtitutę in pura natura poteſt naturaliter aliquid imperare, & præcipere non tranſcendens ordinem naturę: Sed hoc non poteſt eſſe ſine loquutione: Ergò naturaliter poteſt loqui creaturę. Probatur maior: Quia Deus eſt Dominus naturalis creaturę intellectualis: Sed Dominus eo ipſo, quod Dominus eſt, poteſt præcipere ſervo: Ergò Deus poteſt aliquid præcipere creaturę intellectuali. Confirmatur: Quia Deus naturaliter eſt Proviſor, Gubernator, & Rector creaturę intellectualis conſtitutę in pura natura: Sed Gubernator, & Rector poteſt colloqui eis, quos regit: Ergò Deus poteſt naturaliter loqui creaturę.

13. Reſpondeo, diſtinguendo antecedens: Poteſt creaturę conſtitutę in pura natura aliquid præcipere naturaliter non tranſcendens ordinem naturę, loquutione ſumpta impropriè pro impreſsione legis naturalis per ſinderesim, & lumen naturaliter inditum, concedo: Loquutione propria, & ſpeciali, nego ſuppoſitum, nempè, quod hæc ſit naturalis creaturę. Ad probationem dico: Quod Deus eſt dominus creaturę rationalis, non homogeneus, ſed ętcrogeneus, hoc eſt, non naturę ſocialis, aut ſimilis naturę ſervi, ſed naturę valdè eminentioris, & excedentis ſocialitatem, & colloquutionem propriam cum ſervo; licèt autem de ratione domini homogenei, & naturę ſimilis, ac ſocialis cum ſervo, ſit poſſe illi præcipere loquutione propria, & ſpeciali; attamen de ratione domini ęterogenei, & excedentis ſocialitatem, & communicationem cum ſervo, ſicut eſt Deus, ſolum eſt poſſe illi præcipere per impreſsionem legis naturalis medio lumine naturaliter indito, non verò poſſe illi præcipere loquutione propria, & ſpeciali, quę ſecum affert neceſſario ſocialitatem, & communicationem cõceptuum per ſigna, aut verba vtrique communia, & ab vtroque intelligibilia, niſi elevando ſervum per gratiam indebitam ad ſui ſocialitatem, & communicationem cõceptuum, per verba, aut ſigna ſervo intelligibilia; quod ſi faciat cum creatura intellectuali, iam illam non relinquet in pura natura, ſed illam elevabit ad ordinem gratię. Ad confirmationem eadem diſtinctione reſpondeo: Quod Deus eſt Proviſor, & Rector creaturę intellectualis, ſed non naturę ſocialis, & ſimilis cum illa, ſed eminentioris, ac proindè ſolum petit poſſe præcipere *illi* eo modo, quo illam gubernat vt Author naturę, nempè, per impreſsionem legis naturalis, & per lumen naturale, aut mediantibus alijs cauſis ſecundis, niſi forſan velit, illam elevare ad ſuperiorem communicationem, & ſocialitatem, ſed tunc iam non aget vt Author naturę, ſed vt Author gratię.

14. Sed replicabis: Poteſt Deus vt Author naturę præcipere modum, ſeù materiam determinatam Sacrificij, v. g. quod ſibi offeratur ovis potius quam bos, aut aliud animal, ſiquidem hoc non excedit ordinem naturę: Sed hoc nequit præcipere per impreſsionem legis naturalis, quia licèt Sacrificium ſit de iure naturę, & lege naturali præceptum, tamen materia determinata non eſt de iurę naturę, nec illam Deus per legem naturalem determinat: Ergò ſolum poteſt illam præcipere præcepto poſitivo: Sed hoc eſſe nequit ſine loquutione propria, & ſpeciali: Ergò. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: Poteſt præcipere materiam determinatam Sacrificij, mediante ſuperiore creato, hoc eſt, movendo naturaliter ſuperiorem creatum vt illam præcipiat, concedo maiorem: Immediatè per ſe ipſum, nego maiorem. Et cum probas: Quia talis materia determinata non excedit ordinem naturę, dico, quod ipſa in ſe, aut vt præcepta à Deo media cauſa ſecunda, non excedit; attamen vt præcepta à Deo immediatè præcepto divino poſitivo, iam excedit ordinem naturę, quia Lex Divina poſitiva ordinem naturę excedit, ſicut & naturę Legem, ſiquidem eſt communicatio liberę voluntatis divinę, ſeù liberę ordinationis divinę per verba, aut ſigna intelligibilia creaturę, quę importat quandam ſocialitatem, & communicationem ſecreti liberi, nempè, occultę voluntatis, quę apertè ſuperat exigentiam naturę, & illi nequit convenire cum Deo, niſi elevetur ad ordinem gratię per Deum vt Authorem ſupernum.

ALIA DUBIA DE MENDACIO.

15. DUbitant ſecundo aliqui in præſenti, quid ſit mendacium? Cui dubio, cum communi ſententia reſpondeo: Non eſſe idem falſum loqui, ac mentiri; ſed tamen reſpectu Dei, vtrumque neceſſario connecti. Ratio primi eſt: Quia mentiri eſt contra mentem ire, hoc eſt, loqui de re contra id, quod mentaliter de illa ſentit; poteſt autem aliquis falſum dicere, quin loquatur de re contra id, quod mentaliter de illa ſentit, ſi nimirum per ignorantiam putet eſſe verum, quod re ipſa falſum eſt.

16. Sed

16. Sed dices: Iſte non dicit falſum, ſed verum, licèt inveniatur eſſe falſum quod dicit: Ergò non datur dicere falſum, quod mentiri non ſit. Probatur antecedens: Nam qui per ignorantiam putat falſum quod dicit, non dicit verum, licèt inveniatur eſſe verum quod dixit: Ergò qui per ignorantiam putat verum quod dicit, non dicit falſum, licèt inveniatur eſſe falſum quod dixit. Probatur antecedens ex Div. Auguſtino *tom. 3. in Enchirid. cap.* 18. ſic aiente: *Qui non, quod ſentit, hoc dicit, non verum dicit, quamvis inveniatur eſſe verum, quod dicit*: Quod etiam obſervabit Div. Thom. *infrà quæſt.* 110. *articul.* 1. Ergò. Reſpondeo: Quod dicere verum, cum ſit de linea boni, intelligitur per ſe, & ex integra cauſa; dicere verò falſum, cum ſic de linea mali, intelligitur per accidens, & non petit eſſe ex integra cauſa, vndè magis requiritur ad dicendum verum, quam ad dicere falſum, quia ad dicere verum requiritur per ſe intendere veritatem in loquutione, & quod re ipſa ſit vera loquutio; ad dicere falſum, ſatis eſt, quodlibèt ex his, nempè, vel quod per ſe intendat falſum in loquutione, vel quod per accidens ſit falſa loquutio. Et hæc quidem doctrina tenenda eſt pro modo loquendi, re ipſa tamen, & materialiter, ſeù ex parte rei dictę, etiam dicit verum, qui illud dicit putans eſſe falſum. Notat autem Div. Auguſt. *Quod melior eſt, qui neſciens falſum dicit, quoniam id verum putat, quam qui mentiendi animum ſciens gerit, neſciens verum eſſe, quod dicit; namque ille aliud non habet in animo, aliud in verbo, iſte verò aliud habet clauſum in pectore, aliud in lingua, quod malum proprium eſt mentientis.*

17. In Deo autem dari non poſſet falſum dicere, quod mentiri non foret: Quia cum Deus non poſsit putare verum, quod re ipſa falſum ſit, quia in eo nequit dari ignorantia, propter ſummã eius ſcientiam, ſi diceret falſum, diceret illud ſciens eſſe falſum, ac proindè loqueretur contra mentem, & mentiretur: Ergò reſpectu Dei connectitur omnino dicere falſum cum mentiri.

18. Solet tertio hic inquiri, an, qui putat falſum, quod dicit, ſi re ipſa ſit verum, incurrat re ipſa, & conſummatè mendacium, an ſolum affectivè, & per conſequens, an, ſi ita iuret, incurrat periurium conſummatum, & ſubijciatur pœnis impoſitis, & reſervationi, ſi impoſita fuerit periurio, v. g. ſi quis iuravit ſe ſolviſſe pecuniam, quam putabat nondum ſolviſſe, & poſteà invenerit, eam ſolviſſe. Reſpondet Lugo *in præſent. diſputat. 4. ſect. 1. num. 5.* cum Suarez *diſputat. 3. ſect. 5. num. 1.* & cum Hurtado *diſputat. 17. num. 9.* Quod illud eſt mẽdacium conſummatũ, & ſimiliter periurium. Et quidem quantũ ad mendacium merito, quia D. Auguſtinus inquit: *Illud eſſe proprium malum mentientis*; & idem ſentit D. Thom. *loco citato.* Sed ratio, qua id probat Lugo, non placet; nempè, quia tali loquutioni deſuit veritas, tàm moralis, quàm phyſica; quod ſic probat, quia dum dico: *Solvi pecuniam*, quod immediatè, & directè ſignifico, & teſtor, non eſt ſolutio realis pecunię, ſed mens mea, nempè, me credere ſolviſſe pecuniam: Vel ergò, id credo, vel non: Si credo, voces illę habent vtramque veritatem, quia conformantur cum mente, & ex hac parte habent veritatem moralem, & conformantur cum obiecto directè ſignificato, & ex hac parte habent veritatem phyſicam. Si non credo, iam habent vtramque falſitatem, phyſicam, & moralem, moralem quidem, quia non conformantur cum mente, & ſimiliter phyſicam, quia id quod affirmo directè, nempè, mea exiſtimatio vel fides de ſolutione pecunię non datur à parte rei: Ergo mendacium illud, ſeù periurium eſt in omni ſenſu conſummatum, & completum, non ſolum quia iuratur contra mentem iurantis, ſed quia Deus affertur in teſtem falſitatis, non ſolum exiſtimatę, ſed verę, & realis falſitatis.

19. Non inquam placet hæc ratio: Quia loquutio directa, qua dico: *Solvi pecuniam*, minimè ſignificat directè, & ſignatè, vt *quod*, me *credere*, aut *exiſtimare* ſolviſſe pecuniam, nec tale *credere* eſt obiectum directè teſtificatum, ſed ſolum indirectè, exercitè, & argulivè: Vndè, ſi re ipſa præceſsit ſolutio pecunię, loquutio phyſicè, & re ipſa vera eſt, quamvis id non credam, ſolumque loquitur contra mentem, non verò contra veritatem realem rei loquutę, & directè ſignificatę. Ratio eſt: Quia loquutio illa: *Solvi pecuniam*; non poteſt directè, & vt *quod* enunciare duo obiecta diſtincta ęquè in recto: Sed ſignificat directè, vt *quod*, & in recto, me ſolviſſe pecuniam: Ergò non ſignificat directè, vt *quod*, & in recto, me credere ſolviſſe pecuniam, cum hoc ſit valdè diſtinctum obiectum à primo. Secundo: Quia, ſi ſignificaret directè, & in recto, me credere ſolviſſe pecuniam, ſolum in obliquo ſignificaret me ſolviſſe pecuniam, quia *credere ſolutionem pecunię* in recto importat ſolum ipſum *credere*, & ſolutionem pecunię in obliquo: Sed eſt falſum, quod, dum dico: *Solvi pecuniam*, ſolum in obliquo dicam, me ſolviſſe pecuniam: Ergò. Tertio: Quia illud tantum eſt obiectum *quod* directum loquutionis, quod eſt obiectum conceptus interni, ſeù interni iudicij, quia officium proprium loquutionis, non eſt manifeſtare conce-

cep-

ceptum formalem, aut iudicium proprium formaliter ſumptum; ſed manifeſtare illud objectivè, hoc eſt, non ipſum in ſe ipſo, ſed quod iudico, & exiſtimo per ipſum, vndè, vt aliquid directè loquamur, debemus prius de illo iudicare, an ita ſit in re: *Sed credere ſolviſſe pecuniam*, non eſt obiectum iudicij interni, ſed ipſum iudicium internum: Ergò ipſum credere non eſt obiectum *quod*, directè loquutum.

20. Confirmatur: Quia iuxta omnes non eſt idem mentiri, ſeù contra mentem loqui, ac dicere falſum in re; ſed ſi mens propria eſſet obiectum directè loquutum, non poſſet ire contra mentem, niſi loquendo directè falſum in re, vt probatur ex ratione, qua vtitur Lugo: Ergò. Vrgetur: Quia in ſola diſconformitate loquutionis cum mente nemo diſtinxit duas falſitates, moralem, & phyſicam, minuſque duas diſconformitates, vnam cum mente, aliam cum re: Sed Lugo in ipſa ſola diſconfirmitate cum mente has duas falſitates ponit: Ergò procedit contra communem ſententiam.

21. Dicendum ergò eſt: Quod ſi re ipſa præceeſsit ſolutio pecuniæ illa loquutio: *Solvi pecuniam*, habet quidem diſconformitatem cum mente, ſeù cum obiecto prout in mente, quæ eſt falſitas moralis, ſeù intentionalis; at non habere falſitatem realem, & phyſicam, ſeù materialem, quia hæc apud omnes conſiſtit in diſconformitate cum obiecto, ſeù cum re directè loquuta, pro vt in re. Nihilominus dico, mendacium conſummari in ratione mendacij per ſolam primam diſconformitatem, licèt non conſummetur, nec compleatur in ratione loquutionis falſæ. Ratio eſt: Quia mendacium, vt tale, eſt diſtinctum à loquutione falſa, ac per conſequens tota eius difformitas plenè conſiſtit in diſconformitate cum mente, quidquid ſit de diſconformitate cum re loquuta prout in re, nam mentiri ex propria definitione eſt contra mentem ire, ſeù, vt loquitur Div. Auguſt. *tom. 3. in Enchirid. cap. 18. Eſt dicere ſcienter aliquid aliter, ac ſentimus*: Ergò in ſola diſconformitate cum mente conſummatur propria deformitas mendacij.

22. Verumtamen de periurio loquendo, ſeù de iuramento falſo, non ita hoc certum eſt, nam licèt certum ſit, iurantem contra mentem incurrere peccatum periurij, ſicut furantem rem ſua exiſtimatione ſacram incurrere peccatum ſacrilegij, & occidentem feram, quam putat hominem, incurrere peccatum homicidij, tamen non ita certum eſt, an illud peccatum periurij ſit executivè, & effectivè conſummatum, ita vt ſubijciatur reſervationi, pœnis, & cenſuris contra iurantes falſum. Et quidem probabilius cenſeo, quod, ſi quis iuret in ſua exiſtimatione falſum, quod poſteà inveniat fuiſſe verum, non committit peccatum conſummatum periurij, ac per conſequens, nec ſubijcitur pœnis, aut reſervationi impoſitis periurio. Moveor, quia licèt affectivè, & exiſtimativè iuret falſum tamen effectivè, & re ipſa non iurat falſum, quod re ipſa falſum ſit, ſicut qui furatur rem ſolum in ſua falſa exiſtimatione ſacram, furatur rem ſacram affectivè, & exiſtimativè, ſed non effectivè, & re ipſa ſacram: Ergò ſicut iſte non committit peccatum conſummatum ſacrilegij, ſic nec ille periurij conſummati, & ſicut furans non ſubijcitur pœnis, nec reſervationi impoſitis furto ſacrilego, ſic nec iurans pœnis, nec reſervationi, impoſitis iuramento falſo.

23. Dicere autem: Quod illud iuramentum, non ſolum habet falſitatem moralem, ex diſconformitate cum mente, ſed etiam falſitatem realem, & phyſicam per diſconformitatem cum obiecto directè, & immediatè dicto, vt inquit Lugo, iam eſt impugnatum. Et præterea impugnatur, nam pœnæ, & cenſuræ, quæ imponuntur iuramento falſo, non imponuntur contra diſconformitatem internam iuramenti cum mente ratione ſui, ſed contra diſconformitatem externam cum re externa loquuta; tum, quia huiuſmodi pœnæ imponuntur ab Eccleſia, quæ non iudicat de occultis; tum, quia imponuntur contra peccata ex ſe, & per ſe iuridicè probabilia, licèt per accidens occulta; tum, quia imponuntur contra iuramentum falſum in illis rebus, in quibus à Iudicibus, & Superioribus poteſt experi iuramentum: Sed à Iudicibus nequit exigi directè, per ſe, & ratione ſui iuramentum de interno ſenſu, ſed ad ſummum ratione rei externæ ſciendæ, nec diſconformitas pura cum mente eſt per ſe iuridicè probabilis, ſed potius eſt per ſe incapax probationis iuridicæ, itemque eſt omninò interna, & per ſe occulta: Ergò, cenſuræ, & reſervatio non cadunt ſuprà illam diſconformitatem ratione ſui, ſed ad ſummum ſuprà illam ratione falſitatis externæ, ſeù diſconformitatis realis cum re loquuta: Ergò, quando hæc non fuerit, diſconformitas ſola cum mente non ſubijcitur cenſuris, nec reſervationi. Vndè obſervatione dignum eſt, quod cenſuræ, & reſervatio non imponuntur iuramento *mendoſo*, ſub hac appellatione, ſed iuramento falſo, ſivè periurio, quia, nempè, iuramentum formaliter vt *mendoſum* ſolum importat diſconformitatem cum mente, quam ſe ſolam, & rationę ſui non reſpiciunt cenſuræ, aut reſervatio. Hæc obiter dixerim contra Lugo, quæ amplius poſſent confirmari ex peccatis commiſsis contra conſcientiam,

Digitized by Google

tiam, ſed non re ipſa contra legem, & ex alijs, quorum ſola difformitas interna, ſi deſit externa, non ſubijciuntur pœnis à iure humano poſitis. Sed Theologum moralem nunc non ago.

24. Solet demum inquiri, an mendacium importet eſſentialiter, aut ſaltèm completivè, intentionem, & animum fallendi. Affirmant aliqui, moti ex Div. Auguſtino *in Enchirid. cap.* 18. vbi inquit: *Mendacium eſſe falſam vocis ſignificationem cum animo fallendi.* Et lib. contra Mendac. *cap.* 14. *Quod mentiri eſt dicere falſam, ex quo alius decipiatur.* Sed plures ſunt, qui cum Div. Thom. cenſent animum fallendi non pertinere ad eſſentialem ſpeciem mendacij, ſed eſſe quandam perfectionem acceſſoriam illi. Vndè.

25. Dicendum exiſtimo, quod de ratione, & ſpecie mendacij eſt, quod proferatur cum animo fallendi ſpecificativè, ſed non quod proferatur cum animo fallendi reduplicativè, hoc eſt, cum animo loquendi loquutione de ſe fallaci, ſed non cum animo, & affectu erga fallaciam ipſam, aut deceptionem proximi. Et hoc probatur ex D. Thom. Nam S. D. *infrà quæſt.* 110. *articul.* 1. reſolvit: *Quod ratio mendacij ſummitur à formali falſitate, ſecundum hoc, ſcilicèt, quod aliquis habet voluntatem falſum enunciandi. Vndè mendacium nominatur ex eo, quod contra mentem dicitur.* Sed voluntas falſum enunciandi eſt animus fallendi ſpecificativè, quia falſum enunciare eſt ex ſe fallere audientem: Ergò mendacium ex ſua eſſentia, & ſpecie importat animum fallendi ſpecificativè. Et in hoc ſenſu intelligo Div. Auguſtin. *ſuprà relatum.* Confirmatur: Quia omne dicere falſum eſt ex ſe inducere audientem in falſam opinionem, & exiſtimationem: Sed hoc eſt ipſum fallere: Ergò omne dicere falſum eſt fallere: Ergò voluntas dicendi falſum eſt voluntas fallendi, ſaltèm ſpecificativè.

26. Sed dices: Poſſet quis proferre voces falſum dicentes ſine animo loquendi, aut ſignificandi aliquid per eas, ſed ſolum cum intentione exercendi linguam latinam, v. g. aut aliam: Ergò poſſet dicere falſum, ſine animo enim dicendi falſum, & conſequenter ſine animo fallendi, adhùc ſpecificativè. Reſpondeo: Quod vel exprimeret, & ſignificaret ex modo, vel ſignis, aut verbis, ſe non velle aliquid ſignificare per illa verba, vel id non exprimeret vllo modo: Si primum, fateor quod ille non haberet voluntatem dicendi falſum, nec falſum diceret, ſed purè exerceret linguam materialiter more pſytaci, & ſic non mentiretur. Si ſecundum, dico: Quod eo ipſo quod vellet proferre verba ſignificantia falſum modo, quo per illas naturaliter falſum ſignificatur, non poterat nolle falſum ſignificare, nam qui vult id ipſum, & eo modo, quo eſt falſum ſignificare, per hoc ipſum velle vult falſum ſignificare. Alias poſſet quilibèt ſcienter vbilibèt dicere falſum, & excuſari à mendacio, dicendo ſe ſolum habuiſſe animum exercendi linguam; quod ſanè ridiculum eſt.

27. Dices ſecundo: Poſſet aliquis apud ſe, ſine vllo teſte, dicere ſcienter falſum. Nunquid hic mentiretur? Reſpondeo contra Lugo; quod re ipſa mentiretur, quia ſcienter loqueretur contra mentem, & haberet voluntatem enunciandi falſum. Sed contra arguit Lugo. Primo: Quia contrariorum eadem eſt ratio: Sed nemo poteſt eſſe ſibi verax, quia veracitas, vti pars poteſtativa iuſtitię, eſt ad alium: Ergò nemo poteſt eſſe ſibi mendax: Ergò nec apud ſe mentiri. Secundo, & à priori: Quia turpitudo mendacij ſummitur ex eo, quod impediat commercium, & convictum hominum ad invicem, quia non poſſent ſibi credere: Sed, ſi aliquis apud ſe voces falſas proferat, non impeditur ex hoc commercium humanum, ſicuti nec mutua fides: Ergò. Tertio: Quia, ſi coram alijs proferas voces falſas, facta prius proteſtatione, quod per illas nolis ſignificare tuam mentem, non incurreres mendacium: Sed, proferens voces falſas apud ſe ſcit optimè ſe nolle ſignificare ſuam mentem: Ergò non mentitur.

28. Verumtamen hæc non vrgent. Ad primum, dico: Quod veracitas eſt ad alium, vel realiter, vel apprehenſivè alium, cum autem quis loquitur ſecum, loquitur ſecum tamquàm cum alio, apprehendendo ſe vt alium, & ſic poteſt ſibi eſſe verax, & mendax, iuxta illud: *Mentita eſt iniquitas ſibi.* Vel melius dico, quod de eſſentia loquutionis externę eſt etiam eſſe ad alium, nam loquutio externa eſſentialiter eſt manifeſtatio proprij conceptus; implicat autem manifeſtatio proprij conceptus ex natura ſua ordinata ad ipſum cuius eſt conceptus, nemò enim ſibi poteſt manifeſtare proprium conceptum. Igitur, cum quis loquitur externè apud ſe, nullo audiente, per ſe, & ex natura loquutionis loquitur ad alium, licèt per accidens nemini loquatur in actu exercito, ob defectum audientis; & ſic per ſe loquendo, ſi falſum profert ſcienter, mentitur, & per ſe fallit, licèt per accidens nullus ſit, qui fallatur, habetque animum fallendi ſpecificativè ex parte loquutionis, licèt nollit alium falli, aut fallere cum effectu: Vndè non ſibi eſt mendax, ſed alijs per ſe ex parte loquutionis, licèt per accidens, & cum effectu, nulli.

29. Ad ſecundum: Quod vocatà

prio

priori, dico: Quod turpitudo mendacij non ſumitur à priori ex impeditione commercij humani, ſed ſolum à poſteriori, tanquam ab effectu perverſo, & incōvenienti, ſecuto ex mēdacio, à priori autem ſumitur ex diſconformitate loquutionis cum mente, quę eſt contra naturam ipſius loquutionis per ſe ordinatę ad manifeſtanda obiecta ſecundum regulam mentis: Diſcōformitas verò cum propria regula loquutionis eſſentialiter eſt turpis, licèt ex tali diſconformitate per accidens non impediatur commercium, nec fides mutua hominum, nec alius malus ſequatur effectus.

30. Ad tertium, dico: Quod in illo caſu integra prolatio externa non eſt loquutio formalis, ſed tantum materialis, quia per illam externam proteſtationem voces ſubſequentes determinantur ad ſuppoſitionem purè materialem, abſque ſignificatione: Attamen illa externa proteſtatione non facta, loquutio manet per ſe formalis loquutio, & propriè ſignificativa, quia propria ſignificatio verborum ſolum poteſt tolli per aliam vocem, aut ſignum externum limitans, aut negans talem ſignificationem, non verò per purè interiorem intentionem, aut ſcientiam de voluntate non ſignificandi.

31. Et quidem, iuxta omnes Theologos, ſiquis internè hæreticus, nullo audiente, proferat loquutionem hæreticam, etiam ſi nolit per illam vlli hæreſim manifeſtare, & quærat locum ſecretum, & remotum, vbi nullus poſsit audire, incurrit hæreſim externam, imò ſubijcitur cenſuris, & reſervationi contra illam, & id fatetur ipſe Lugo: Cur ergò, ſi nulli manifeſtat, nec vult manifeſtare hæreſim, ſi ad alium non loquitur, ſed ſecum ipſo tantum? Sanè, quia loquutio illa per ſe ex parte operis, & ex natura ſua eſt manifeſtatio, & ad alium, & ſolum per accidens, & ex voluntate operantis, nemini manifeſtat cum effectu: Ergò idem de loquutione contra mentem dicendum eſt, vt ſit propriè mendacium.

32. Item, ipſe Lugo aſſerit: Quod ſi quis loquens cum Deo, proferret voces ſcienter falſas, verè mentiretur. Et rationem reddit: Quia licèt Deum fallere non poſsimus, poſſumus tamen proferre voces aptas ex ſe ad dandam ei notitiam falſam, cum voluntate id ipſum ex parte noſtra faciendi: Sed, licèt, nullo audiente, non poſsimus alium fallere, poſſumus tamen proferre voces ex ſe aptas alios fallere, cum animo ex parte noſtra id faciendi, quia eo ipſo, quod quis vult proferre voces ex ſe fallaces, vult alios fallere, quantum eſt ex ſe, licèt nolit quemquam fallere cum effectu: Ergò mentitur re ipſa. Nec poteſt dici, quod qui ſic loquitur, poteſt nolle quemquam fallere, adhuc quantum eſt ex ſe. Nam ſi vult proferre voces, quę ex ſe ſunt fallaces, vult idipſum, *quod eſt alios fallere quantum eſt ex ſe*: Ergò nequit in ſenſu compoſito idipſum nolle.

33. Ex quo rurſus infertur: Quod, ſi nullo audiente, confirmaret iuramento loquutionem illam, incurreret periurium re ipſa, nam ſcienter iuraret falſum. Infertur etiam, quod, ſi quis falſum ſcienter proferat, ſciens non credituros audientes, & volens quod non credant, ſi tamen loquutio externa integram ſuam ſignificationem falſam retineat, verè mentitur, &, ſi iuramento confirmet, peierat, quia ex parte loquutionis fallit, & eo ipſo, quod vult ita loqui, vult fallere ex parte ſua. Ita Lugo, cum Lorca *in præſent.*

34. Infertur demum ſecunda pars præcedentis aſſerti, nempè, quod non eſt de eſſentia mēdacij, quod proferatur cum animo fallendi reduplicativè, quia id ad minimum probant argumenta facta, & colligitur ex Auguſtin. *in* 2. *Soliloq.* vbi ſic ait: *Mendaces hoc à fallacibus differunt, quod omnis fallax appetit fallere: Sed non omnis vult fallere, qui mentitur.* Conſentit Div. Thom. *infrà quæſt.* 110. *articul.* 1. dicens: *Quod autem aliquis intendat falſitatem in opinione alterius conſtituere, fallendo ipſum, non pertinet ad ſpeciem mendacij, ſed ad quandam perfectionem ipſius.* Experientia etiam conſtat, quia, qui fingit de ſe magna, vt opinionem acquirat apud audientes, non vult falſitatem, nec quod illi fallantur in tali opinione, immò vellet talem opinionem eſſe veràm, ſolumque vult abſolutè eos in talem opinionem inducere, quę re ipſa falſa eſt ſpecificativè: Ergò non vult eos fallere formaliter, & reduplicativè, ſed ſolum materialiter, & ſpecificativè; & tamen mentitur: Ergò. His præmiſsis, ſit.

PRIMA CONCLUSIO.

35. DICO igitur primo: *Deus de facto nunquam falſum loquutus eſt, nec poteſt iuxta regularem providentiam.* Eſt hæc veritas Catholica, vel potius fundamentum totius Catholicę fidei, adeòque certa, vel ipſo lumine naturę, vt vel ipſi Ethnici, qui Dei aliquam notitiam habuere, ipſum in dictis ſuis infallibilem faterentur, venerantes, vt infallibilia, Deorum ſuorum oracula. Nihilominus communiter Theologi, vt inquit in præſenti. Ferreras, alij ex alijs mutuantes, oppoſitum errorem adſcribunt Priſcilianiſtis, nempè, Deum ſæpè mentitum eſſe. Sed ſanè, vndè hoc diſcere potuerint, non facilè apparet. Referunt quidem Div. Auguſtin. *lib. contra Mendac. cap.* 2.

*& lib. de Hæreſib. hæreſ.*70. Sed in primo loco, ſolum Div. Auguſtin. tribuit Priſcilianiſtis, eam ſententiam, qua dicebant, licitum eſſe mentiri, & quod in huius confirmationem adducebant teſtimonia Sacr. Script. & exempla Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Angelorum: *Non dubitantes*, inquit, *addere, & ipſum D. Chriſtum, nec ſe aliter arbitrantes veracem ſuam oſtendere falſitatem, niſi veritatem dicant eſſe mendacem.* Vbi D. Auguſtinus ſolum tenet Priſcilianiſtas docuiſſe Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, Angelos, quin, & ipſum Chriſtum vt hominem, quo pacto etiam dicitur veritas, iuxta illud: *Ego ſum via, veritas, & vita*, mentitos fuiſſe; at Priſcilianiſtas docuiſſe Deum, vt Deum, mentitum fuiſſe, non aſſerit Auguſtinus ibi, vt legenti conſtabit. Nec etiam *hæreſi* 70. nam ibi ſolum refert, Priſcilianiſtas habuiſſe pro licito mentiri, & periurare pro ſecreto ſervando, dicentes: *Iura, periura, ſecretum prodere noli.* Vndè veriſimile eſt, Priſcilianiſtas ſolum aſſeruiſſe in aliquibus caſibus licitum, & laudabile eſſe mendacium, ac proindè ſæpè à Sanctis viris, & à Chriſto D. laudabiliter prolatum: Ex quo, fateor, inferri poteſt id ipſum de Deo: Non autem ipſos directè, & expreſsè aſſeruiſſe Deum mentitum fuiſſe, potiſsimè, cum in Synodis Tarraconenſi, Burdigalenſi, Toletano, & Bracharenſi, in quibus damnantur eorum errores, talis erroris nulla mentio fiat, ipſique, vt teſtatur Auguſti. *lib. de Hæreſ.* admitterent Sacras Scripturas, licèt pravè, more aliorum Hæreticorum, ad ſuos ſenſus detortas. Nec etiam videtur certum Armenos in talem errorem incidiſſe, nam licèt Guido Carm. id aſſerat, contradicit Caſtro *de Hæreſib.* Et quidem error iſte adeò repugnat lumini naturali ex prima terminorum apprehenſione, vt incredibile videatur fuiſſe homines rationis compotes, qui illum ſibi ex animo perſuadere potuerint, indignuſque, vt, vel Hæreticos Patronos habeat.

36. Et indè ſumitur potiſsimum fundamentum ad noſtram Catholicam aſſertionem probandam. Nam, ſi Deus actu mentitus fuiſſet, aut poſſet iuxta ordinariam providentiam, nec lumen naturale principiorum, nec tota Sacra Scriptur. eſſet firmum fundamentum veritatis, ſed in omnibus intellectus vacillare deberet; ſed hoc deſtruit omnes ſcientias naturales, & Theologiam ipſam, omneque principium humani diſcurſus, & etiam omnem fidem ſcripturarum: Ergò prædictus error reijciendus eſt vt penitus contrarius creaturę intellectuali, & eius virtutes intellectuales à fundamento euertens. Minor patet, ex Doctrina Div. Thom. *quæſt.* 16. *de veritate* vbi inquit: *In omnibus naturalibus operibus, ſemper principia ſunt permanentia, & immutabilia, & rectitudinem conſervantia, principia enim manere oportet, vt dicitur in primo phyſic. Non enim poſſet eſſe aliqua firmitas vel certitudo in his, quę ſunt à principijs, niſi principia eſſent firmiter ſtabilita, & indè eſt, quod omnia mutabilia reducuntur ad aliquod primum immobile, & indè eſt, quod omnis ſpecifica cognitio derivatur ex aliqua certiſsima cognitione, circa quam error eſſe non poteſt*: Ergò ſi nullum eſſet firmum fundamentum veritatis, ſed in omnibus vacillare deberet intellectus, periret penitus omnis ſpecifica cognitio, & omnis diſcurſus, fides, & ſcientia, quia omnia hæc derivari debent ab aliqua cognitione certiſsima, veluti à principio immobili, ſicuti, deficiente principio immobili in ordine phyſico, periret omnis motus, & ſeries cauſarum naturalium. Maior verò non eſt minus certa, nam, ſi Deus poſſet mentiri, & falſum dicere, tota Scriptur. Sacr. fallibilis foret, & incerta, vtpote quę dictis Dei conſtat, immò, & ipſum lumen naturale à Deo naturaliter inditum, nam tota infallibilitas illius luminis ex Deo derivatur, & ex eius infallibilitate, tanquam ex naturę Magiſtro: Si autem Deus in dicendo fallibilis foret, multo magis in lumine illo infundendo, & in inſtruendo naturam, non ergò eſſet vndè lumen illud principiorum firmitatem, & certitudinem haberet: Ergò, ſi ſemel admitatur Deum mentiri, & falſum dicere, nec lumen ipſum principiorũ, nec tota Sacr. Script. eſſet firmum fundamentum veritatis, ſed in omnibus intellectus vacillare deberet: Si autem hoc quis aſſerere auderet, negando firmitatem infallibilem in ipſis principijs, cum illo diſputãdum non eſt, nam contra negantes principia non eſt arguendum, ſed relinquendus pro inſenſato, vel convutendus vt peſtis, & infamia quædam humanę naturę.

37. Explicatur, nam ſi quis auderet dicere primam veritatem interdum eſſe fallacem, & fallere re ipſa, nullum aliud principium infallibile poſſet admittere, nam vndè illi infallibilitas, ſi hæc primę veritati deficeret? Sicuti, qui negaret efficaciam infallibilem primę cauſę, nulli alteri cauſę poſſet tribuere efficaciã infallibilem: Sed qui auderet aſſerere Deum interdũ fallere in ſuis dictis, eo ipſo aſſereret, & primam veritatem interdum eſſe fallacem, & fallere re ipſa: Ergò nullum relinqueret principium firmum, & infallibile, ac per conſequens nutaret intellectus in omni ſua cognitione, & nihil eſſet certum in rerum natura. Et hæc ſola probatio ſufficiat, contra errorem adeò per ſe falſum, ne dicam fatuum. Nam contra ipſum argumentum firmum ſumi nequit ex Sacr. Scriptura; ſi-

qui-

quidem, qui Deum interdum fallere in ſuis dictis diceret, pariter poſſet dicere, falſum dixiſſe, quoties dixit in Sacr. Textu ſe eſſe veracem, aut ſe non mentiri.

SECVNDA CONCLVSIO.

38. DICO ſecundo: *Nec de potentia abſoluta poteſt Deus mentiri, ſeù falſum dicere per ſe ipſum.* Ita omnes Theologi, vno, vel altero ex antiquatis excepto: Eſtque adeò certa hæc ſententia, quod Suarez inquit eſſe ęquè certam ac primam, nempè de fide. Valentia inquit, contrariam eſſe temerariam. Lorca, erroneam. Hurtado, hæreticam, Coninch. apertam blaſphemiam. Turrianus, ſine iniuria fidei defendi non poſſe. Bañez, & Granados, noſtram ſententiam aſſerunt, vel eſſe de fide, vel fidei proximam. Lugo, quod oppoſitam tenens proximè ad hæreſim accederet. Probaturque primo ex Sacr. Textu, quia *Num. 24.* dicitur: *Non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur*, cuius ſenſus eſt, quod ſi Deus mentiretur, degeneraret à divinitate, & dignitate Dei, & vilem hominis mendacis conditionem indueret; veluti cum dicitur de viro probo: *Non eſt ille quaſi ſcurra, vt nenias, & fabulas narret*, quo dicto apertè ſignificatur, quod ſi nenias, & fabulas narraret, degeneraret à probitate viri ad vilitatem ſcurrę: Sed Deus, nec de potentia abſoluta poteſt degenerare à dignitate Dei ad vilitatem hominis mendacis: Ergò, nec de potentia abſoluta mentiri poteſt.

39. Confirmatur ex Apoſt. *ad Hebr. 6.* ſic aiente: *Interpoſuit ius iurandum, vt per duas res immobiles, quibus impoſsibile eſt mentiri Deum, firmiſsimum ſolatium habeamus.* Vbi dici non poteſt, quod ly *impoſsibile eſt mentiri Deum*, intelligitur de potentia ordinaria, non de abſoluta. Non inquam; tum, quia quod in Sacr. Scriptura dicitur abſolutè impoſsibile Deo, intelligitur de impoſsibili ſecundum omnem potentiam, nam quod de potentia abſoluta eſt illi poſsibile, non poteſt dici abſolutè, & ſine addito impoſsibile Deo, iuxta illud: *Non erit impoſsibile apud Deum omne verbum.* Tum, quia in illa impoſsibilitate mentiendi, fundat Apoſt. firmiſſimum ſolatium; ſi autem Deus, ſaltèm de potentia abſoluta, mentiri poſſet, non poſſet noſtrum ſolatium eſſe firmiſsimum in dictis Dei, quia non eſſet vndè certificaremur Deum de facto non fuiſſe mentitum, vt ſtatim dicam: Ergò debet intelligi Textus Apoſtol. etiam ſecundum abſolutam Dei potentiam. Vrgetur: Quia ſi de potentia abſoluta eſſet poſsibile Deum mentiri, non eſſet hoc magis impoſsibile, quam Cœlum, & terram perire, ſiquidem hoc etiam de lege ordinaria eſt impoſsibile, & ſolum eſt poſsibile de potentia abſoluta: Sed magis impoſsibile eſt Deum mentiri, aut fallere in ſuis verbis, quam Cœlum, & terram perire, iuxta illud Luc. 21. *Cœlum, & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt*: Ergò Deum mentiri etiam de potentia abſoluta repugnat.

40. Confirmatur ſecundo: Non eſt Deus minus verax in aſſertis, quam Fidelis in promiſsis: Sed nec de potentia Dei abſoluta poteſt deficere à fidelitate in promiſsis, iuxta illud Apoſtol. 2. ad Timoth. 2. *Ille Fidelis eſt, negare ſe ipſum non poteſt*: Ergò nec de potentia abſoluta poteſt deficere à veritate in aſſertis. Confirmatur tertio: Quia ſi Deus de potentia abſoluta mentiri poſſet, non eſſet firmitas in Sacro Textu, ac proindè periret infallibilis authoritas Sacrę Scripturę, & conſequenter fidei Catholicę, Theologiaque certa nō eſſet, nec ſcientia fundata incertis principijs, ſed formidoloſa, tanquam incertis nixa principijs: Sed hoc eſt abſurdum intolerabile, vt ſuprà vidimus: Ergò. Probatur ſequela: Quia ſi ſemèl eſt poſsibile Deum mentiri de potentia abſoluta, vndè ſcire quis poterit in dictis Sacr. Scriptur. mentitum non fuiſſe, vtendo ſuo abſoluto poſſe?

41. Si enim dicas, id conſtare ex ipſo Deo id teſtificante. Contra eſt: Quia vbi eſt Textus expreſſus, in quo hoc teſtificetur Deus? Sanè nullibi eſt; oporteret autem id Deum expreſsiſsimè dixiſſe, vt nos certificaret, ſi ſemèl de potentia abſoluta mentiri poſſet: Si ergò non fecit, ſignum euidens eſt, quod mentiri non poteſt, adhùc abſolutè. Sed quamvis id expreſsiſsimè diceret, adhùc non poſſet nos omnino ſecuros reddere, nam in hoc ipſo dicto, poſſet abſolutè falſum dicere: Ergò.

42. Secundo probatur concluſio ex SS. PP. in primis D. Dionyſius *de Divin. Nomi. cap. 8.* explicans illud Paul. 2. ad Timoth. 2. *Ille fidelis permanet, negare ſe ipſum non poteſt*, inquit: *Negatio ſui eſt à veritate prolapſio: Eſt ab eo, quod eſt, prolapſio: Deus ab eo, quod eſt prolabi non poteſt.* Athanaſius *lib. de Incarn. Verb. Abſurdum eſt*, inquit, *Deum in ſuis verbis mentiri, non enim Deus eſſet.* Baſilius *Serm. de Abdic. rerum*, inquit: *Hæc verba Dei ſunt, & ideò falſa eſſe non poſſunt.* Auguſt. *tom. 9. lib. 1. de Symb. in princ.* ait: *Deus omnipotens eſt, mori non poteſt, falli nō poteſt:::: nam ſi mori poſſet, non eſſet omnipotens: Si mentiri, ſi fallere, ſi falli poſſet, non eſſet omnipotens.* Et lib. 22. de Civitat. Dei cap. 25. inquit: *Si volunt invenire quod omnipotens non poteſt, habent prorſus: Egò dicam: Mentiri non poteſt.* D. Chriſoſt. Homil. 1.

In Symbol. Apoſt. ſic ait: *Creditis Deo omnipotenti, quia poſſe ipſius non poteſt invenire non poſſe, tamen aliqua non poteſt, vtpotè falli, fallere, mentiri.* S. Ambr. lib. 6. Epiſtol. Epiſtol. 37. *Impoſſibile eſt ei mentiri. Impoſſibile iſtud non infirmitatis, ſed virtutis, & Maieſtatis eſt. Quia veritas non recipit mendacium, nec Dei virtus levitatis errorem.* S. Cyril. Alexand. lib. 1. in Ioan. cap. 69. *Qui verba eius accipit, qui deſurſum venit, hic ſapientia ſua, quaſi cõcinſum quoddam, & certum ſignavit, non poſſe divinam mẽtiri naturam.* S. Anſelm. *lib. 1. Cur Deus homo, cap. 21.* inquit: *Non ſequitur, ſi Deus vult mentiri, iuſtum eſſe mentiri, ſed potius Deum illum non eſſe, nam nequaquam poteſt velle mentiri voluntas, niſi in qua corrupta eſt veritas.* Div. Bern. Serm. de Omnibus Sanct. *Deus neque falli, neque fallere poteſt.* En igitur, qualiter omnes PP. conſpirant in eo, quod Deus mentiri nequit, adeò, vt ſi mentiri poſſet, Deus non eſſet.

43. Sed vt mireris, vel potius ſtupeas, & horreſcas, confer cum his PP. Sententijs, Holcot, alias Catholici, ſequentem ſententiam, vel potius hæreticalem blaſphemiam, nempè *in 2. quæſt. 2. articul.* 8. *memb.* 3. vbi hæc habet: *Nulli autem dubium, quin Deus poſſet aſſerere falſum ſcienter, & cum intentione fallendi creaturam, & credo quod dæmones meruerunt decipi, & iuſtè à Deo, ita quod Deus multa facit intentione fallendi eos. Neque video cauſam, quarè Deus non poteſt velle creaturam decipere per ſe ipſum.* Quis ſanè non ſtupeat, Theologum alias Catholicum, tanquàm in dubium pronunciaſſe errorem, quem nec ipſos perditiſsimos Hæreticos tradidiſſe certum, aut in dubium eſt! Sanè hinc diſcere licèt, quantum poſsit homo, etſi Doctus, & Catholicus, à veritate decidere, ſi deſit Deus, à quo illuminetur, & adiuvetur homo. Cum Holcot, quantum ad potẽtiam abſolutam mentiendi, licèt non de facto, nec de lege ordinaria, ſenſerunt, Adamus *in* 3. *diſt.* 14. *quæſt.* 4. *articul.* 2. Petrus de Aliaco, ſeù Aliacenſis, *in* 1. *quæſt.* 12. *articul.* 3. *dub.* 3. Gabriel *in* 3. *diſt.* 12. *quæſt. vnica, notab.* 3. *articul.* 2. *& concluſ.* 2.

44. Hi igitur reſpondent, vel quod PP. & Sacr. Textus, loquuntur de potentia ordinaria, vel quod loquuntur de mẽdacio vt malo moraliter, quo ſenſu fatentur repugnare omnino Deo mendacium, quia ſub hoc nomine importat malitiam moralem; verumtamen inquiunt, poſſe Deum denudare mẽdacium à malitia morali, & ſic falſum ſcienter dicere, & tunc non fore propriè mendacium, nec turpè.

45. Sed, prima euaſio apertè fribola eſt, quia SS. PP. abſolutè proferunt, Deum quamvis omnipotentem, mentiri, aut fallere non poſſe; omnipotentia autem dicitur talis reſpectu omnium quę poteſt, etiam de potentia abſoluta: Ergò ſenſus eorum eſt, quod nec de potẽtia abſoluta mentiri poteſt. Item, dicunt, quod ſi Deus poſſet mentiri, Deus non eſſet: Patet autem, quod nec de potentia Dei abſoluta poteſt Deus non eſſe: Et demum, quia quod abſolutè dicitur Deo impoſsibile, ſeù Deum non poſſe, intelligitur ex terminis etiam de potentia abſoluta: Ergò.

46. Nec ſecunda euaſio alicuius eſt momenti; tum, quia SS. PP. apertè dicunt Deum mentiri non poſſe, fallere non poſſe, falli non poſſe, nullam mentionem faciendo malitię moralis: Ergò cenſent falſam loquutionem, ex ipſa ratione falſitatis, omnino repugnare Deo. Tum, quia in Deo loquutio falſa eſt omnino inſeparabilis à ratione mendacij, vt ſuprà diximus *nu.* 17. Ergò. Tum denique: Quia ſi loquutio ſcienter falſa purgari poſſet à malitia morali, & ſic à Deo exerceri, ęquè eſſet poſsibilis Deo, ac hominis occiſio: Sed PP. euidenter innunt magis impoſsibile eſſe Deo falſum ſcienter loqui, quam hominem occidere, nunquam enim aſſererent abſolutè, Deum non poſſe hominem occidere, cum tamen abſolutiſsimè aſſerant Deum non poſſe falſum loqui, nec fallere: Ergò. Vrgetur: Quia religio, ac pietas erga Deum, quę maximè vigebat in SS. PP. de ſe inclinat ad magnificandam Dei potentiam, adeò, vt ſi SS. PP. invenirent modum aliquem, quo Deus ſine imperfectione ſui poſſet falſum loqui, neutiquam abſolutè negaſſent hoc poſsibile Deo, cum id Deus abſolutè poſſet modo ſibi licito: Ergò dum abſolutè proferunt Deum mentiri non poſſe, nec falſum dicere, ideò hoc dicunt, quia nullus eſt excogitabilis modus, quo Deus poſsit ſine ſui imperfectione loqui falſum.

RATIONES PRO CONCLUSIONE.

47. PRima deſumitur ex D. Thom. in præſenti, illis verbis: *Sub prima veritate nullum falſum ſtare poteſt, ſicut nec non ens ſub ente, nec malum ſub bonitate.* Quod quidem deſumpſit Angel. Præcep. ex Div. Dionyſio *ſuprà citato*, aiente: *Negatio ſui eſt à veritate prolapſio, Deus ab eo quod eſt prolabi non poteſt.* Ex quibus ſic arguo: De eſſentia primę, & ſummę veritatis eſt non poſſe mendaciter, ſeù falſo loqui: Sed Deus eſt prima, & ſumma veritas: Ergò de eſſentia eius eſt non poſſe mendaciter, ſeù falsò loqui: Ergò nec de potentia abſoluta id poteſt: Quia nec de potentia abſoluta poteſt ſuam eſſentiam negare, aut ab ea degenerare. Probatur maior:

Quia non minus opponitur falſitas veritati, quam malitia bonitati; ſed de eſſentia primę, ac ſummę bonitatis eſt, non poſſe malè, ſeù pravè agere: Ergò de eſſentia primę, & ſummę veritatis eſt non poſſe falsò, ſeù mendaciter loqui.

48. Confirmatur primo: Quia in Deo invenitur virtus veracitatis, iuxta illud *ad Rom. 3. Eſt autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* Et Ioan. 3. *Qui accipit eius teſtimonium ſignavit, quia Deus verax eſt*: Sed omnis virtus in Deo eſt ſumma, & infinita, ita vt non admittat mixtionem vllam ſui contrarij: Ergò in Deo eſt veracitas ſumma, & infinita non admittens vllum mendacium, adhuc de potentia abſoluta, quia nec de potentia abſoluta poteſt non eſſe ſumma, nec deficere ab infinita perfectione in ratione talis. Explicatur: Quo veracitas eſt perfectior, tanto magis repugnat falſitati loquutionis: Ergò veracitas ſumma, & infinita, ſummè, & infinitè repugnat falſitati: Ergò ita determinat Deum ad loquendum verum, quod repugnat metaphyſicè, & de potentia abſoluta ipſum loqui falſum.

49. Confirmatur ſecundo: Quia Deus eſt ſummè bonus in eſſendo, ſequitur à priori eſſe ſummè bonum in operando, & ideò non poteſt malè, ſeù pravè operari: Sed Deus eſt etiam ſummè verus in eſſendo: Ergò indè à priori ſequitur ipſum eſſe ſummè verum in operando, ſeù in loquendo, & conſequenter non poſſe fallacìter, ſeù falsò loqui: Et ratio vtriuſque eſt, quia operari ſequitur ad eſſe, & ad eſſe ſummè bonum, & ſummè verum ſequitur operari ſummè bonum, & ſummè verum.

50. Confirmatur tertio: Sicut regula propria naturę intellectualis in agendo eſt dictamen proprię conſcientię, vel ſapientię de agendis, ita propria, & naturalis regula in loquendo eſt iudicium proprium de loquendis: Sed ſi Deus aliquid ageret contra dictamen proprium de agendis, pravè ageret, & difformiter, & ideò id omnino repugnat bonitati divinę: Ergò ſi aliquid loqueretur contra proprium iudicium de loquendis, pravè, & difformiter loqueretur, & conſequenter id omninò repugnat veritati divinę. Explicatur: Loquutio ex natura, & eſſentia ſua inſtituta eſt ad inſtruendum audientem de re ſcita à loquente, & ignorata ab audiente, vndè loquutio ex eſſentia ſua eſt quædam communicatio notitię, vel ſcientię audienti, & depulſio ignorantię ab eo: Ergò ſi Deus loqueretur contra propriam ſcientiam, & notitiam de re loquuta, vteretur loquutione contra propriam loquutionis naturam, & inſtitutionem, nempè abutendo loquutione ipſa ad communicandũ errorem, & ignorantiam audienti de re loquuta: Ergò inordinatè loqueretur: Sed Deo repugnat metaphyſicè inordinata loquutio, ſicut & omnis actio inordinata: Ergò, & loquutio contra propriam notitiam, & mentem de re loquuta.

51. Dices forſan, quod cum Deus ſit Author, & inſtitutor cuiuſvis naturę, non tenetur in agendo conformari tali inſtitutioni, ſed poteſt ſuprà, & contra exigentiam talis inſtitutionis agere; vndè poſſet vti igne ad infrigidandum, & aqua ad calefaciendum. Sed contra eſt: Quia alia eſt inſtitutio naturalis principiorum, alia actionum; inſtitutio enim principiorum ſolum importat naturalem exigẽtiam, contra quam Deus agere poteſt, inſtitutio verò actionum non ſolum importat exigentiam, ſed vſum exercitum principij, & inſtitutionis, & ſic Deus non poteſt vti actione vlla cõtra propriam inſtitutionem, vndè nequit vti calefactione ad infrigidandum, nec infrigidatione ad calefaciendum, hoc enim implicat manifeſtam contradictionem: Sed loquutio eſt actio de ſe communicativa proprię notitię, & conceptus: Ergò implicat contradictionem, quod Deus ea vtatur ad finem contrarium.

52. Contra ſecundo: Quia, dato quod Deus vteretur igne ad infrigidandum, non vteretur igne ſecundum propriam, & peculiarem naturam ab eo inſtitutam ad comburendum, ſed ſolum illo ſub ratione communi entis obedientialiter ſubditi Deo: Ergò nec vti poteſt Deus loquutione ſecundum propriam naturam loquutionis ad finem contrarium ei ad quem eſt ab ipſo Deo naturaliter inſtituta: Sed, dum Deus loquitur, vtitur loquutione ſecundum propriam naturam loquutionis, alias non loqueretur: Ergò implicat, quod tunc vtatur loquutione, ſivè loquatur, contra proprium finem loquutionis.

53. Contra tertio, & principaliter: Quia licèt Deus poſſet vti principijs, ſeù inſtrumentis naturarum inferiorum, quę ſunt naturę purè phyſicę, in quo quidem nulla apparet turpitudo, tamen principijs, ſeù inſtrumentis proprijs naturę intellectualis, vt talis, vti nequit contra proprium finem, vndè, quia præceptum eſt proprium inſtrumentum ad præcipiendum bonum, ſeù ad intimandam divinam ordinationem, & legem creaturę rationali, Deus vti nequit præcepto contra propriam inſtitutionem, præcipiendo nimirum aliquid contrarium ſuę divinę ordinationi, quia in hoc eſſet manifeſta turpitudo contra naturam intellectualem, & conſequenter contra naturam ipſius Dei, vt intellectualis eſt: Sed loquutio eſt inſtrumentum crea-

creaturę intellectualis, vt intellectualis eſt, per ſe inſtitutum ad communicandam propriam notitiam, & conceptum de re loquuta: Ergò ſine manifeſta turpitudine repugnanti divinę intellectuali naturę, nequit ea vti, ad ſignificandum conceptum oppoſitum.

54. Confirmatur: Si Deus præciperet vt bonum, quod interiori ſuę ſapientię dictamine reprobat vt malum, incurret inordinationem turpiſsimam, & contrariam ſuę bonitati: Ergò pariter, ſi Deus aſſereret vt verum, quod interiori iudicio ſuę ſcientię reijceret vt falſum, incurreret turpitudinem contrariam ſuę veritati. Vrgetur: Si Deus præciperet contra legem ſuam internam, deficeret in præcipiendo à propria regula præcipiendi, quia propria regula præcipiendi eſt lex, ſeù dictamen internum: Sed propria regula loquendi eſt interior cognitio, ſeù iudicium de re loquuta: Ergò pariter, ſi loqueretur contra tale iudicium, deficeret in loquendo à propria regula loquutionis: Sed implicat Deum deficere in loquendo, ſicut in agendo à propria regula, alias eſſet in agendo defectibilis, ſicut creatura: Ergò.

55. Secunda ratio pro concluſione: Quia repugnat metaphyſicè Deo actio eſſentialiter turpis, & mala moraliter: Sed mendacium, ſeù loquutio ſcienter falſa eſt eſſentialiter turpis, & mala moraliter: Ergò repugnat metaphyſicè Deo. Probatur minor, primo ex terminis: Quia omnis ratione vtens, ex ipſa apprehenſione terminorum apprehendit mendacium, vt quid turpe, vile, & indecorum naturę rationali: Indè enim provenit, quod omnes, etiam pueri ipſi, vt proboſam reputant vocem illam: *Mentiris*, nec vllus eam audit ſibi dictam, qui non offendatur, tanquam de turpitudine ſibi impoſita, nemoque eam alteri profert, niſi animo offendendi, & vituperandi: Et etiam, quod homines mendaces ab omnibus viles habentur: Et hoc quidem, non inter Catholicos tantum, & Chriſtianos, ſed inter barbariſsimas etiam Nationes: Ergò, quia ex ipſis terminis mendacium eſt quid turpe, & indecorum, ac inhoneſtum moraliter. Secundo: Quia eſſentialirer eſt abuſus verborum, ſeù loquutionis, quia loquutio externa eſſentialiter eſt inſtituta, vt per illam manifeſtemus proprium ſenſum, & ita poſsit eſſe inter naturas intellectuales comercium, fidelitas, & ſocietas: Qui autem ſcienter loquitur falſum, evidenter abutitur verbis contra hunc finem: Ergò loquutio ſcienter falſa, eſſentialiter eſt abuſus verborum, ſeù loquutionis, contra naturam illius: Sed omnis abuſus eſſentialiter eſt moraliter inordinatus, inhoneſtus, & turpis: Ergò.

56. Nec dicas, honeſtari poſſe ex bono fine. Tum, quia non ſunt facienda mala, vt eueniant bona, Tum, quia ſolę illę actiones honeſtari poſſunt ex fine, quę ex eſſentia ſua ſunt indifferentes: Mendacium autem ex eſſentia ſua non eſt indifferens, ſed determinatè turpe, cum importet eſſentialiter diſconformitatem ad propriam regulam proximam, nempè, ad iudicium, & mentem loquentis. Vndè ſicut agere contra conſcientiam ex nullo fine poteſt honeſtari, ita nec loqui contra propriam ſcientiam. Tum, quia in Concilio Lateranenſ. ſub Leon. X. *Seſsion.* 3. graviter reprehenduntur Miniſtri Dei, qui mendacijs, aut falſis revelationibus vtuntur ad virtutem perſuadendam: Ergò, quia mendacium, adhùc ex fine honeſto illicitum eſt. Tum, quia, adhùc, ad propriam tuendam vitam illicitum eſt mentiri, vt dicitur *in cap. Super eo, de Vſuris*: Ergò multo minus honeſtari poteſt ex alio fine. Tum, quia Deus ad nullum finem honeſtum indigere poteſt mendacio, iuxta illud Iob. 13. *Nunquid Deus indiget veſtro mendacio?* Si noſtro nō indiget, qualiter indigebit proprio? Ac demum, quia nullus finis honeſtus poteſt præponderare authoritati divinę: Sed Deus per quodlibèt, etſi minimum mendacium, amitteret ſuam authoritatem; nam ſi homo, ſemèl comprehenſus in mendacio, aut falſo teſtimonio, amittit ſuam, qualem, qualem authoritatem, quantò magis Deus ſupremam authoritatem amitteret? Ergò impoſsibile eſt, quod Deus, adhùc ex fine honeſto, mendacium proferat; ſiquidem impoſsibile eſt, quod velit ſe privare ſua ſuprema authoritate divina, quę eſt ei eſſentialis. Vndè rectè dixit Plato 2. *de Republic.* quod quamvis mendacium interdum homini eſſet vtile, Deo tamen ſemper eſt indignum. Idemque aſſerit Clemens Alexād. *lib. 6. Stromat.* §. 6. & Euſeb. *lib. 13. de Præparat. Evangelica, cap. 3.*

57. Nec item dicas: Deum diſpēſare poſſe, vt mēdacium liceat. Non inquam, quia mēdaciū non eſt malum, quia prohibitū, ſed prohibitum quia eſſentialiter, & ex natura ſua malum; licèt autem Deus poſsit diſpenſare in legibus ſuis poſitivis, non autem in eſſentijs, & naturis rerum, vndè ſicut non poteſt diſpenſare, vt liceat agere contra conſcientiam, ita nec vt liceat loqui contra mentem.

58. Tertia ratio pro concluſione: Quia ſi Deus de potentia abſoluta poſſet loqui ſcienter falſum, periret firmitas noſtrę fidei, indignuſquè eſſet Deus vt illi crederemus ſumma certitudine, & firmitate, nempè infallibiliter: Ergò dicere, Deum de potentia abſoluta poſſe falſum loqui, euertit à fundamento certitudinem, & infallibilitatem fidei Catholicę; & con-

ſe-

ſequenter ipſam fidem Catholicam. Probatur ſequela: Quia tota certitudo fidei inititur teſtimonio divino, & divina loquutione, ac per conſequens ſi divina loquutio, ex eo quod loquutio Dei eſt, non ſit infallibilis, nec fides illa inixa infallibilis eſſe poteſt: Sed, ſi Deus de potentia abſoluta falſum loqui poteſt, eius loquutio, ex eo quod loquutio Dei eſt, non eſt infallibilis, quia non repugnat ex eſſentia ſua falſam eſſe: Ergò.

59. Dices primò, ſatis eſſe, quod de lege ordinaria non poſsit Deus falſum loqui. Sed hoc, inquit Suarez, valdè frivolum eſt, nam ſi Deus abſolutè mentiri poſſet, vndè certo, & infallibiliter conſtare poſſet nunquam dicturum mendacium? Nam dicere, quod ita ſtatuit, & affirmavit; in hoc ipſo eſt eadem contingentia falſitatis, & mendacij, ſi ſemel de potentia abſoluta mentiri poteſt.

60. Dices ſecundo, cum Nominalibus: Fidem noſtram eſſe infallibilem: Quia Deus ratione Supremi Dominij præcipit, vt aſſentiamur infallibiliter dictis eius. Sed contra: Quia Deus, adhùc ratione Supremi Dominij, non poteſt præcipere vt infallibiliter, & certiſsimè aſſentiamur motivo fallibili; vndè non poteſt præcipere, quod ſcientificè, & euidenter aſſentiamur motivo purè probabili, nec quod præſtemus fidem infallibilem dictis hominis mendacis; quia certitudo cognitionis pendet ex certitudine motivi tanquam ex cauſa formali, & Deus ſupplere nequit defectum cauſę formalis: Ergò. Secundo: Quia ſi Deo licèt mentiri de potentia abſoluta, forſan mentitur, quando præcipit vt ei credamus. Audi Auguſtin. lib. de Mendac. cap. 8. *Quo modo*, inquit *credendum eſt illi, qui putat aliquando eſſe mentiendum? Nam fortè tunc mentitur, quando præcipit vt illi credamus.* Et infrà: *Quo admiſſo omnis omnino diſciplina fidei ſubvertitur*: Ergò.

61. Dices tertio: Infallibilitatem fidei ſumendam eſſe ex inclinatione habitus fidei, quę talis eſt, quod ſolù inclinat ad aſſentiendum loquutioni verę, ita vt ſi forſan loquutio Dei falſa eſſet, illi non aſſentiretur. Sed contra: Quia licèt talis foret inclinatio fidei, ipſa per ſe diſcernere nequit quando revelatio divina foret vera, & quando falſa: Ergò ęquè aſſentiretur illi, ſi falſa foret, quia ęquè omninò tunc Deus diceret, & teſtaretur, & nulla eſſet ratio formalis obiectiva diſpar in caſu, quo eſſet falſa, ac in caſu quo eſſet vera. Vide ſuprà *diſput. 1. quæſt. 9. à num. 42. & 53.* Contra ſecundo: Quia ſi fides ſolum aſſentiretur revelationi, quando vera eſſet, & non quando falſa: Ergò non aſſentiretur veritati revelatę, quia revelata, ſed revelationi, quia verę obiectivè: Ex quo rurſus ſequeretur, revelationem divinam nullius eſſe authoritatis ad movendam fidem, nam etiam dictum hominis mendacis, quando verum eſt, poteſt credi, licèt non quia dicit, benè tamen, quia verum eſt quod dicit: Quinimò, nec revelatio conduceret ad aſſenſum fidei, quia ad credendum, ſeù cognoſcendum aliquid quia verum, & non quia dictum, ſuperfluit omninò revelatio: Ergò.

TERTIA CONCLUSIO.

62. Dico tertio: *Repugnat etiam metaphyſicè, Deum per alios loqui falſum, nō minus quam per ſe ipſum.* Ita omnes Theologi, exceptis vno vel altero ex antiquatis relatis *ſuprà num.* 42. vndè, vt inquit Suarez, benè intellecta, non minus eſt certa, & de fide quam præcedentes. Primo: Quia ęquè eſt fundamentum fidei loquutio Dei per Miniſtros, ac per ſe metipſum: Ergò ęquè debet eſſe de fide eius infallibilis authoritas: Sed non eſſet ęquè infallibilis, ſi Deus per Miniſtros, v. g. per Apoſtolos, & Prophetas poſſet loqui falſum, quia iam loquutio Dei per ipſos eſſet fallibilis: Ergò. Probatur antecedens, quia fides Catholica potiſsimè fundatur in loquutione divina, vt facta per Miniſtros, v.g. per Apoſtolos, & Prophætas, dicitur enim *fundata ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum*, id eſt, ſuper teſtimonium Dei vt dictum per Prophætas, & Apoſtolos. Vndè in Symbolo, dicitur de Spiritu Santo: *Qui loquutus eſt per Prophætas.* Et Luc. 1. *Sicut loquutus eſt per os Sanctorum*: Et in hoc divino teſtimonio potiſsimè nititur Catholica fides, ſiquidem ſæpius invenitur Deus in Scrip. loquens per Prophætas, PP. & Apoſtolos, quam per ſe ipſum immediatè: Ergò loquutio divina per Miniſtros, ęquè eſt fundamentum fidei Catholicę, ac loquutio per ſe ipſum.

63. Secundo: Quia quod alicui non licèt facere per ſe ipſum, nec licèt per alios, vt conſtat *ex lege 1. §. 1. ff. de Adminiſt. rerum.* Vndè ſi Deus per alium mentiretur, tota malicia mendacij refunderetur in Deum, nam creatura per quam loqueretur ſolum ſe haberet vt Miniſter, & inſtrumentum, Deus autem in illa & per illam eſſet principaliter loquens. Vndè *ad Hebr. 1*, dicitur: *Olim Deus loquens Patribus in Prophetis*, quaſi non tam Prophętę, quam Deus in illis loqueretur. Et ipſi Prophętę dicebant: *Hæc dicit Dominus*: Ergò ęquè repugnat Deum falſum loqui per alios, quam per ſe ipſum. Confirmatur: Quia vel Deus loquere-

tur

tur per alium moraliter, hoc eſt, dictando ei immediatè, quod nomine Dei diceret; & tunc opus eſſet, quod Deus immediatè loqueretur Miniſtro, id ipſum, quod per Miniſtrum diceret: Ergò hoc pacto non poteſt loqui falſum per Miniſtrum, niſi loquendo falſum per ſe immediatè: Et conſequenter ęquè repugnat hoc pacto Deum loqui falſum per alium, ac per ſe ipſum immediatè. Vel loqueretur per alium purè phyſicè, hoc eſt, tanquam inſtrumento purè phyſico ad loquendum: Et tunc etiam Deus loqueretur immediatè, quia inſtrumentum purè phyſicum, non loquitur, nec audit prius quod loquatur, ſed per illud vnicè loquitur Deus, & conſequenter immediatè, quia non mediat alius loquens: Ergò ſi hoc pacto Deus per alium loqueretur falſum, etiam immediatè loqueretur falſum: Ergò vtrumque ęquè repugnat.

64. Ex dictis infertur, Deum nec per ſe, nec per alium poſſe fallere in promittendo, ſeù falsò promittere. Tum, quia hæc eſſet loquutio falſa, cum promitteret ſinè animo faciēdi. Tum quia Deus eſt fidelis in promiſsis; non minus, quam verax in aſſertis, iuxta illud: *Fidelis Deus in omnibus verbis ſuis*: Ergò.

SOLVUNTUR OBIECTA.

65. Contra primam concluſionem arguitur primo ex pluribus Sacrę Scriptur. teſtimonijs, in quibus Deus dicitur eſſe cauſam erroris, deceptionis, & mendacij; vt eſt illud 3. Reg. 22. *Dedit Dominus ſpiritum mendacij in ore omnium Prophetarum ſuorum*. Et Ezechiel. 14. *Propheta cum erraverit, ego Dominus decepi illum*. Et 2. ad Theſſal. 2. *Mittet illis Deus ſpiritum erroris, vt credant mendacio*: Ergò Deus mentiri poteſt. Sed in primis, quamvis indè probaretur, quod Deus eſſet cauſa poſitiva erroris, & mendacij, non tamen hoc eſt idem, ac Deum mentiri, ſeù falſum loqui. Quia non deſunt Theologi, qui tenent Deum poſſe infundere errorem, & eſſe cauſam ſpecialem illius, quin tamen dicant Deum poſſe falſum loqui. Sed nec illud probatur ex dictis teſtimonijs, quia ea communiter explicantur ab Expoſitoribus in ſenſu permiſsivo, circa deformitatem erroris, aut mendacij, ita vt Deus ad ſummum ſit cauſa vniverſalis poſitiva actus errorei, aut mendoſi, quantum ad entitatem, & actualitatem poſitivam, quam dicit, ſed ſolum permiſsiva erroris, & deceptionis formaliter ſumptę, eo modo, quo de concurſu Dei ad actum peccati, loquuti ſumus *Tract. de Provid. quæſt.* 19. & 20.

66. Secundo arguitur ex alijs teſtimonijs Sacr. Scripturę, quę videntur aſſerere cōtraria, ex quibus opus eſt aliquod eorum eſſe falſum; Nam ex duabus propoſitionibus contrarijs neceſſariò vna eſt falſa, cum repugnet eſſe, ſimul veras. Vt cum dixit Baptiſta: *Elias non ſum*. Et Chriſtus D. *Ipſe eſt Elias*: Huius generis innumera poſſent afferri loca. Sed reſpondeo; Omnia ea rectè intellecta, ſibi invicem cohærere, minimèque eſſe contraria: Quo autem ſenſu intelligi debeant, ne contrarientur, prolixum foret opus hic explicare. Videri poteſt Div. Auguſtin. *de Concordia Evangeliſtar.* & alij Expoſitores; nam licèt aliqui Theologi in præſenti plura conciliare loca aggreſsi ſint, paucisſima tamen ſunt omnium reſpectu, quę in Sacr. Scriptur. paſsim occurrunt, non vt credatur Divinum Spiritum ſibimet contradicere, ſed vt apparenti contrarietate provocet intellectum humanum ad indagandos ſenſus ibi arcanos, nam ſacrę doctrinę teſtimonia, dum facilè non percipiuntur: *Intentos debent facere homines, non adverſos*. Ergò in loco obiecto, nulla eſt contrarietas, quia quod Ioannes denegat de perſona, Chriſtus aſſeruit de ſpiritu, nulla autem eſt contrarietas, in eo, quod Baptiſta eſſet Elias in ſpiritu, & non eſſet Elias in perſona.

67. Tertio obijciuntur alia plura loca, in quibus dicitur Deum aliquid prædixiſſe, quod tamen poſteà non euenit: Ergò cum Deus futura non ignoret, falſum ſcienter promiſsit, nempè, quod ſciebat non eventurum: V.g. cum *Iſaię cap.* 38. prædixit Ezechię: *Cras morieris, & non vives*, & tamen vixit pluribus annis poſteà, & cum *Ion.* 3. iuſsit illi prædicare: *Adhuc quadraginta dies ſunt, & Ninive ſubvertetur*. Et tamen non eſt ſuberſa. Sed facilè reſpondetur ex Div. Thom. 1. *part. quæſt.* 19. *articul.* 6. & *in hac* 2.2. *quæſt.* 174. *art.* 1. & *de Veritat. quæſt.* 12. *articul.* 10. Et alibi ſæpè, diſtinguente duplex genus prophetię, vel prædictionis, nempè, vnam præſcientię, & prædeſtinationis, & hæc eſt abſoluta, & ſemper impletur, quia tunc prædicit euentum, prout eſt in eius præſcientia, & prædeſtinatione abſoluta: Aliam comminationis, quę non eſt abſoluta, quia ſolum prædicit euentum vt futurum ex ordine, & diſpoſitione cauſarum ſecundarum, vel meritorum, vndè eſt conditionata, ſub conditione, ſcilicèt, quod non impediatur, vel emendetur ordo cauſarum, & in hoc ſenſu prædictio, nec promiſsio nunquam eſt falſa. Vndè cum dixit: *Morieris, & non vives*, verum erat intellectum ex vi egritudinis, & diſpoſitionis, & re ipſa moreretur, niſi Deus motus ex interceſsione, & oratione Iſaię diſpoſitionem illam impediret: Et ſimiliter, cum prædixit euerſionem Ninive: Vel intelligendum eſt,

de euerſione morali, id eſt, quantum ad mores, qoo pacto re ipſa euerſa eſt, vel ſi intelligatur de euerſione phyſica, eſt prophetia comminationis, ex vi demeritorum, & peccatorum, quę iuſtè exigebant vindictam illam, & intelligitur prædictio ſub conditione, niſi emendentur, cum autem emendati fuerint, ideò prædictio in ſenſu quo prædixit, vera fuit, ſed non impleta.

68. Quarto arguitur ex pluribus locis, in quibus refertur perſonas ſanctas, quę Spiritu Divino agebantur, ſæpè mentitas fuiſſe, ac proindè Deum per alios mentiri poſſe, & de facto mentitum fuiſſe. Exemp.g. Cum Iacob dixit *Geneſ.* 27. Patri ſuo Iſac: *Ego ſum primogenitus tuus Eſaù*: Quod aperte erat mendacium; & ſic de alijs pluribus. Reſpondetur tamen, hæc loca dupliciter explicari poſſe, nempè, vel admittendo, quod in illis dictis regebantur ab Spiritu Sancto Sancti viri, vel id negando, prout negari poteſt in pluribus caſibus, nam non ſemper, nec in omnibus ſuis dictis viri Sācti, de quibus loquitur Sac. Textus, agebantur ab Spiritu Divino, ſed permittebantur regi ab ſpiritu proprio, & errare, ac peccara venialia linguę incurrere, vt ſunt mendacia. Si hoc ſecundum dicatur, concedi poteſt mentitos fuiſſe, ſed ex indè non infertur, nec per ſe, nec per alios Deum mentitum fuiſſe. Si verò dicatur primum, cenſendum eſt, loquutiones illas, quę ſuperficietenus videntur mendacia, re ipſa, & in ſenſu, quo prolata ſunt ex motione Spiritus Sancti, mendacia non fuiſſe: Exemp. g. cum dixit Iacob: *Ego ſum primogenitus tuus Eſaù*, intelligendum eſt in iure, quia in iure erat primogenitus, ſiquidem primogenitoram emerat ab Eſaù: Et ſic alia explicanda ſunt, vel ſymbolicè, & figuraliter, vel alio ſenſu, quo veritatem contineant, nam ex motione ſpeciali Spiritus Sancti non proferebantur niſi in ſenſu vero.

69. Quinto objicitur: Quia loquutio Ironica eſt quædam ſpecies mendacij, vt docet Div. Thom. *infrà quæſt.* 110. *articul.* 2. Sed Deus ſæpè loquutus eſt ironicè, vt cum dixit Adamo, Gen. 3. *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt*: Ergò. Confirmatur: Quia Deus ſæpè loquutus eſt amphybologicè, & cum reſtrictione mentali: Sed talis loquutio, vel mendax eſt, vel mendacio ęquivalet in ordine ad fallendum: Ergò. Reſpondeo, dupliciter ironiam proferri poſſe, nempè, vel ita, vt ex ipſo modo loquendi non varietur vocis ſignificatio, vt cum qois de ſe malum dicit, quod non ſentit, vel bonum refert, qood in ſe non agnoſcit, & de hac inquit Div. Thom. *infrà quæſt.* 113. *articul.* 1. quod eſt peccatum mendacij. Vel ita vt ex ipſo modo loquendi ſignificatio verborum varietur, ita quod per ipſom modum irridendi quod dicitur, ſignificetur oppoſitum, ſeù eſſe falſom quod voces directè ſignificant de ſe præciſivè à tali modo; & in hoc ſenſu Deus vſus eſt ironia cum dixit: *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt*, quia eo ipſo, quod id dixit irridendo ipſum Adamum ob pollicitationem Serpentis, quę dixerat: *Eritis ſicut Dij*, propria ſignificatio erat, improperare illi falſitatem talis promiſsionis. Et hoc modo etiam ſancti viri vtebantur verbis ironicis, vt Elias 3. *Reg.* 18. Prophetas falſos Baal irridebat: *Clamate voce maiori: Deus eſt enim Baal, & forſan loquitur, &c.* Quę quidem verba ex ipſo modo irriſorio potius indicant Deum minimè eſſe. Ad confirmationem infrà patebit ſpeciali ſectione.

70. Sexto objicitur: Quia, vt inquit Div. Thom. *infrà quæſt.* 111. *artic.* 1. *Sicut veritati opponitur, quod aliquis per verba exteriora aliud ſignificat, quam quod habet apud ſe, quod ad mendacium pertinet, ita etiam opponitur, quod aliquis per aliqua ſigna factorum, vel rerum aliquid ſignificet contrarium eius, quod in eo eſt, quod propriè ſimulatio dicitur: Vndè ſimulatio propriè eſt mendacium*: Sed Chriſtus Dominus de facto ſimulavit, cum *Luc. vlt. Finxit ſe longius ire*: Ergò mentitus eſt: Ergò & Deus mentiri poteſt de lege ordinaria. Reſpondeo, ex ipſo Div. Thom. *loco citato ad* 1. vbi ſic ait: *Dicendum, quod ſicut Auguſtin. dicit in lib. 2. de quæſt. Evang. cap. 5. Non omne, quod fingimus, mēdacium eſt, ſed quando aliquid fingimus, quod nihil aliud ſignificat, tunc eſt mendacium. Cum autem fictio noſtra refertur ad aliquam ſignificationem, non eſt mendacium, ſed aliqua figura veritatis, & ſubiungit exemplum de figuratis loquutionibus, in quibus fingitur quædam res, non vt aſſeratur ita eſſe, ſed eam proponimus figuram alterius, quam aſſerere volumus. Sic ergò Dominus in Evangelio finxit ſe longius ire, ad aliud figuratè ſignificandum, ſcilicèt, quod ipſe ab eorum fide longè erat, vt Greg. dicit homil. 23. in Evangel. vel vt Auguſtin. dicit lib. 2. Quæſt. Evang. cap. vltim. Quia cum longius receſſurus eſſet aſcendendo in Cælum, per hoſpitalitatem quodammodo retinebatur in terra.* Et etiam exemplum ſumi poteſt ex Parabolis à Chriſto D. ſæpè vſitatis, nam, quamvis, quod in eis narratur, in ſenſu proprio fingeretur, & quaſi componeretur à Chriſto, non ideò erant mendacia, quia non proferebantur ad illud ſignificandom, ſed ad aliud figuratè, & per metaphoram docendum.

71. Objicies ſeptimo, contra ſecundam concluſionem: Mendacium poteſt in aliquo caſu purgari à malitia, & eſſe honeſtum, & laudabile: Ergò, & poteſt dici à Deo, quia ſemel depuratum ab imperfectione non eſt cur

Deo non liceat. Probatur antecedens. Primo ex Sacr. Textu: Quia obſtetrices Ægypti laudantur *Exod.* 1. eo quod Pharaonem decipientes ſervarunt pueros Hebræorum. Iudith etiam, in eius hiſtoria, laudatur, quia decepit Holofernem. Raab item meretrix laudatur ab Apoſtol. *Ad Hebræos* 11. quia exploratores occultavit proprijs civibus, per mendacium: Ergò aliquando eſt laudabile mendacium. Secundo: Quia non minus eſt intrinſecè malum furtum, & homicidium, quam mẽdacium: Sed furtum, & homicidium poſſunt aliquando depurari à malitia, & imperfectione morali: Ergò & mendacium. Minor probatur, quia Deus poteſt præcipere homicidium, vt cum præcepit Habrahamo occiſionem filij: Et ſimiliter furtum, vt cũ præcepit Iſraelitis in egreſſu ab Ægypto, quod ab eis deprædarent vaſa ſibi mutuata, & idem de fornicatione, cum præcepit Oſeę, vt acciperet mulierem fornicariam: Sed quod Deus præcipit, ipſo præcepto depuratur à malitia morali: Ergò. Tertio: Quia nulla eſt actio mala moraliter, niſi quia contra voluntatem Dei, & eius legem: Sed Deus poteſt ſuſpendere ſuam voluntatem, & legem: Ergò & purificare omnem actionem à malitia morali, nam ablata, vel ſuſpenſa lege, non manet actio contraria legi: Ergò pariter de mendacio.

72. Reſpondeo, negando antecedens. Ad primam probationem, dico, quod tam Obſtetrices Ægypti, quam Iudith, & Raab, & ſiquis alius ex bono fine mentitus eſt, laudari quidem poteſt propter bonam intentionem benefaciendi, ſed non propter mendacium ipſum, quod intrinſecè malum eſt, & ſimiliter præmio naturali remunerari, vt vidimus *Tractat. de Cõſcient. quæſt. 5. num. 55.* Ad ſecundam, omiſſa maiori, diſtinguo minorem: Poſſunt depurari à malitia, variata eſſentia propria furti, & homicidij vt ad mores pertinet, concedo minorem: Non variata eſſentia, nego minorem, & conſequentiam; & ratio eſt, quia furtum, vt ad mores attinet, eſſentialiter eſt ablatio rei alienę, invito Domino, ſeù contra ius illius: Semel autem, quod hæc eſſentia perſeveret, purgari nequit à malitia: Si autem Deus præcepit Iſraelitis, vt ſumerent ſibi ſpolia, eo ipſo fecit ea ſpolia propria Iſraelitarum, & non iam aliena, vndè iam non fuit ablatio rei alienę, nec furtum. Et ſimiliter de homicidio, quod vt ad mores attinet, eſt occiſio hominis, non vt cumque, ſed contra ius, ſeù abſque legitimo iure, vndè cum Iudices Reum morti adiudicant, ſi iuſtè pronuncient ſententiam, non ſunt homicidę: Et quando Deus præcipit, vt præcepit Abrahamo, iam non eſt contra ius, nec ſine iure, quia Deus, qui omnium Dominus eſt, & ius habet ſuprà omnium vitas, & facultates, poteſt, quando velit dare ius cuilibet, ſuprà vitam, & facultates cuiuſvis hominis, & tunc, quamvis ſit occiſio hominis, non eſt homicidium moraliter; at in mendacio non militat hæc ratio, quia non ideo eſt tale, quia ſit contra ius proximi, ſed quia involuit intrinſecam contrarietatem verborum ad mentem, ſeù ad propriam regulam, & ab hac contrarietate purgari nequit, vt per ſe patet.

73. Ad tertiam, diſtinguo maiorem: Nulla eſt actio mala moraliter, niſi quia contra voluntatem Dei, & eius legem liberam, & poſitivam, nego maiorem: Niſi quia contra voluntatem Dei neceſſariam, & eius legem naturalẽ, vel quia contra legem, & voluntatem liberam, concedo maiorem, & diſtinguo minorem: Deus poteſt ſuſpendere ſuam voluntatem, & legem naturalem, nego: Liberam, & poſitivam, concedo minorem, & nego conſequentiam: Quia Deus voluntate naturali, & non libera, diligit ſe ipſum, & omnia ſua attributa, & per conſequens diſplicet, & reprobat naturaliter ſua lege, quidquid tendit obiectivè contra ſua attributa, aut contra ſuam eſſentiam: Vndè neceſſario, & non liberè reprobat ſuo ęterno dictamine odium Dei, negationem divinitatis, & omnem contradictionem factibilem cuilibet divinę perfectioni; mendacium autem eſt eſſentialiter contradictio quædam divinę ſcientię, quia cum ſit per ſe contradictio veritati, & Deus ſua ſcientia affirmet omnem veritatem, qui mentitur, eo ipſo, quod quantum eſt ex ſe loquitur contra veritatem, loquitur contra divinam ſcientiam, & ei contradicit: Huiuſmodi autem contradictio naturaliter eſt odioſa Deo, & eius dictamine ęterno reprobata, ita, vt Deus, non poſsit illam non reprobare, & odio habere, ſi detur; eſt enim naturale in quolibet intellectuali ſuppoſito, vel natura, odio habere, & reprobare contradictionem ſibi factam, & ſimiliter in Deo: Et hoc ſufficiat pro nunc, nam alibi forſan ſermo erit de lege naturali Dei, deque regula primaria bonitatis, & malitię moralis.

74. Si dicas: Deus nihil ad extra vult, nec odio habet neceſſario, ſed omnia liberè: Ergò liberè odio habet mendacium, quod eſt obiectum ad extra: Ergò poteſt illud non odio habere. Diſtinguo antecedens: Nihil ad extra vult, nec odio habet neceſſario quoad exercicium, concedo: Neceſſario quoad ſpecificationem, nego antecedens, & conſequentiam in eodem ſenſu, quia licèt Deus poſsit non exercere odium contra mendacium, caſu, ſcillicèt, quod nec exiſtat, nec immineat eius exiſtentia, tamen nunquam poteſt illud diligere, &

ne-

ceſſario illud odit, ſi exiſtat, & exoſa eſt ipſi Deo eius exiſtentia, & hoc ſufficit, vt nunquam poſsit purgari à malitia. Niſi forſan velis, quod per non exiſtentiam, manendo intra cancelos purę poſsibilitatis, purgatur à malitia, quia tunc non terminat diſplicentiam Dei. Quod quidem ſi ſenſus ſit, quod in illo ſtatu purgatur à malitia actuali, fatebimur: Sed non à malitia poſsibili, & neceſſario futura, ſub conditione, quod mendacium exiſtat. Vndè nunquam ſalvari poteſt, quod mendacium exiſtat ſine malitia, & ſine contrarietate ad voluntatem Dei.

75. Objicies octavo: Deus poteſt producere quamlibet vocem, vel ſignum ad extra, cum ſit omnipotens: Ergò & poteſt producere ſignum, ſeù verbum falſum: Hoc eſſet mentiri: Ergò poteſt mentiri. Reſpondeo, diſtinguendo antecedens: Poteſt producere quodlibet ſignum, ſeù verbum ad extra ex ſuppoſitione quod detur obiectum ſignificatum, & in ſenſu compoſito ipſius, concedo antecedens: In ſenſu diviſo, coniungendo verbum cum defectu obiecti, nego antecedens, & conſequentiam: Quia quamvis Deus ſit omnipotens, ex hoc ſolum infertur, quod poſsit producere omne verbum poſsibile, coniungendo illud cum veritate obiecti ſignificati, at non coniungendo illud cum defectu obiecti, quia hoc non eſt poſsibile, ſed chimericum Deo, quia eſſet loqui contra regulam propriam loquutionis, ſeù contra veritatem.

76. Objicies nono: Deus, adhùc facta aliqua promiſsione, poteſt non ſtare promiſsis: Ergò & dicere falſum. Probatur antecedens: Adhùc facta promiſsione eſt liber: Ergò poteſt non facere rem promiſſam, & non ſtare promiſsis. Nego antecedens. Ad probationem, diſtinguo antecedens: Adhùc facta promiſsione eſt liber, libertate iam determinata ad ponendum promiſſum concedo: Libertate, adhùc indiferenti, ſeù nondum determinata, nego antecedens: Et diſtinguo conſequens: Ergò poteſt poteſtate antecedenti non facere rem promiſſam, concedo conſequentiam: Poteſtate conſequenti, & ex ſuppoſitione promiſsionis, nego conſequentiam. Quia, ſi in nobis, adhùc ex ſuppoſitione promiſsionis, remanet poteſtas conſequens, non faciendi rem promiſſam, ideò eſt, vel quia poſſumus fallaciter promittere ſine animo faciendi, vel quia poſſumus mutare propoſitum propter inconſtantiam, & mutabilitatem noſtrę voluntatis. At Deus, nec poteſt fallaciter promittere ſine animo implendi, nec eſt mutabilis in propoſito, ſed ſemel tantum determinat, & proponit, & facta determinatione ſeù propoſito, immutabiliter in eo perſiſtit, ſine libertate mutandi determinationem, quod quidem non arguit defectum libertatis, ſed potius ſummam eius perfectionem.

77. Objicies decimo: Verbum in natura aſſumpta: nempè, Chriſtus vt homo, mētiri potuit: Ergò & Deus. Reſpondetur, negando antecedens: Quia in noſtris principijs Chriſtus vt homo eſt intrinſecè impeccabilis, ac per conſequens ſicut peccare nequit, ita nec mentiri.

78. Sed replicabis primo: Chriſtus vt homo eſt capax ignorantię, non enim de facto cognovit omnes veritates poſsibiles, ſed aliquas ignoravit: Ergò potuit in eo cadere ignorantia invincibilis de eo, quod mendacium ſit peccatum; ſed cum hac ignorantia poſſet mentiri, licèt non peccare: Ergò. Secundo; Quia ſicut potuit ignorare, potuit errare: Ergò potuit dicere ſaltem ex errore falſum: Tunc ſic, ſed Chriſtus eſt Deus: Ergò Deus poteſt ſaltèm per naturam aſſumptam dicere falſum. Si verò hoc admittatur: Ergò multo melius per alios, vt Miniſtros, poterit falſum dicere, contra tertiam concluſionem. Tertio: Quia licèt in noſtris principijs Chriſtus non poſsit peccare, probabile tamen eſt ex ſententia Scoti Chriſtum potuiſſe peccare: Ergò & potuiſſe mentiri.

79. Reſpondeo, diſtinguendo antecedens: Eſt capax ignorantię negativę, aut ſpeculativę, quę magis propriè dicitur neſcientia, concedo antecedens: Ignorantię privativę, aut practicę, nego antecedens, & conſequentiam: Quia ignorantia de eo, quod mendacium ſit peccatum, eſt practica, & privativa, ſicut omnis alia ignorantia de agendis, & loquendis, & hæc repugnat metaphyſicè Chriſto, ſicut peccatum. Præterquam, quod malitia mendacij eſt à Deo per ſe nota, vt nec à nobis poſsit invincibiliter ignorari, quanto minus à Chriſto. Ad ſecundum, nego antecedens: Quia vt inquit Div. Thom. quæſt. 3. de Malo, articul. 7. in corp. *Error eſt approbare falſa pro veris, vndè addit actum quendam ſuper ignorantiam, poteſt enim dari ignorantia ſine eo, quod aliquis de ignotis ſententiam ferat, & tunc eſt ignorans, ſed non errans. Sed quando iam falſam ſententiam fert de his, quę neſcit, tunc propriè dicitur errare: Et quia peccatum in actu conſiſtit, error manifeſtè habet rationē peccati, non enim eſt abſque præſumptione, quod aliquis de ignoratis ſententiam ferat.* Ex qua doctrina apertè cōſtat, quomodo Chriſtus potuerit ignorare negativè, ſeù ſpeculativè, non tamen errare, nec falſum proferre. Quod quidem etiam probari poſſet efficaciſsimè, quia cum Fides Catholica potiſsimè fundata, & innixa ſit dictis Chriſti, vt hominis, ſi Chriſtus, vt homo, falſum dicere poſſet,

mutaret fundamentum noſtrę fidei, vt ſuprà probabamus *num*. 62. Ad tertiam, omiſſo antecedenti, nego conſequentiam: Quia ſi illa ſententia ſit probabilis de alijs peccatis, quę non poſſunt obeſſe infallibilitati fidei, non tamen poteſt admitti vt probabilis de peccato mendacij, vel falſę loquutionis, quia ſi hæc eſſet probabiliter poſsibilis Chriſto, non eſſet teſtimonium Chriſti infallibile, quo admiſſo, nec fides exhibita dictis Chriſti poſſet eſſe infallibilis.

80. Obijcies deníque argumento illo communi deſumpto ex amphibologica loquutione. Etenim Deus poteſt loqui amphibologicè, ſeù cum reſtrictione mentali; ſed huiuſmodi loquutio eſt mendacium: Ergò poteſt mentiri. Confirmatur: Probabile eſt Deum loqui poſſe amphibologicè: Sed etiam eſt probabile loquutionem amphibologicam eſſe mẽdacium: Ergò probabile eſt Deum poſſe mentiri, ſiquidem ex præmiſsis probabilibus rectè concluditur concluſio probabilis.

81. Hoc argumentum, nullam aliam, vim habet, quam exigere explicationem loquutionis amphibologicę, & quo ſenſu ſit licita, vera, vel mendoſa, de quo agunt latè Theologi Moraliſtę. Verumtamen, ſi ab ea quæſtione quis abſtrahere velit, reſpondeat diſtinguendo ſic: Si eſt vera minor, nego maiorem: Si eſt falſa minor, concedo maiorem, & ſimiliter, diſtinguendo minorem; nam ſi loquutio amphibologica ſit mendacium, negandum eſt Deum poſſe loqui amphibologicè; ſi vero quis contendat poſſe Deum loqui amphibologicè, negandum eſt, quod loquutio amphibologica mendacium ſit, & ſemper reſpondendum conditionaliter, recuſando diſputationem abſolutam cuiuſvis opinionis ſeorſim, quia noſtra ſententia de impotentia Dei ad mentiendum certior eſt, quam vt dependeat eius certitudo ab vlla opinione. Ad confirmationem, diſtinguo maiorem: Probabile eſt Deum poſſe loqui amphibologicè, & comprobabile cum probabilitate minoris, nego maiorem: Eſt probabile ſeorſim a probabilitate minoris, & in ſenſu diviſo, concedo maiorem: & eodem modo diſtinguo minorem: Quia tunc ſolum ex præmiſsis probabilibus legitimè infertur concluſio probabilis, quando præmiſſę, non ſolum ſunt probabiles ſeorſim, & vnaquæque ſecundum ſe, ſed comprobabiles in ſenſu compoſito: Hoc autem modo non eſt probabile ſimul, Deum poſſe loqui amphibologicè, & loquutionẽ amphibologicã eſſe mendacium, quia vtrumque ſimul à nemine probabiliter aſſeritur: Explicatur hoc, exemplo prædeterminationis: Etenim, probabile eſt, quod ſi voluntas prædeterminaretur in omni ſuo actu, in nullo eſſet libera: Et probabile eſt, quod in omni ſuo actu prædeterminatur: Et tamen non eſt probabile, quod non ſit libera: Quarè? Quia illa duo ſunt probabilia diviſim, ac ſeorſim, non tamen comprobabilia, ſeù ſimul, & in ſenſu compoſito probabilia: Ergò etiam in noſtro caſu.

82. Verumtamen, ne omnia prætermittamus, quę ad intelligentiam loquutionis amphibologicę conducunt, notandum eſt, loquutionem amphibologicam ex ipſius nominis ethymologia, eſſe loquutionem ambigui ſenſus, vel ambiguę ſignificationis, ita vt ſimul admittat duplicem ſignificationem, & dubitari poſsit in qua proferatur à loquente. Hoc tamen poteſt contingere quadrupliciter. Primo, quando verba ęqualiter accipi poſſunt in vtraque ſignificatione, vt ſi dicas: *Ille eſt Dux*, quod poteſt ęquè intelligi, vel de ducente agmẽ militum, vel de Duce titulari Regni. Vel ſi dicas: *Hic liber eſt Petri*, poteſt intelligi, quod ſit illius, vt Domini, vel vt Authoris. Secundo, ita vt verba magis propriè inclinent in vnum ſenſum, quam in alium; vt ſi quis dicat: *Vidi Leonem quendam*, quod magis propriè intelligitur de Leone naturali, & minus propriè, ſeù per metaphoram intelligi poteſt de homine vehementer irato, animo generoſo prædito. Tertio, quando verba ex ſe determinata ſunt ad vnum ſenſum, ſed ex modo ea proferendi, nempè, ironicè, determinantur ad contrarium, vt patet in qualibet loquutione ironica. Quarto, quando licèt verba habeant vnum ſenſum, ex circunſtantijs tamen ſenſibilibus, aut ex aliqua actione externa, & per ſe ſenſibili, determinantur ad alium; v. g. ſi quis interrogatus, an Petrus hàc tranſierit, reſpondeat, mittens manum in manicam: *Hàc non tranſivit*, quia per illam actionem determinat verba, vt ſignificent non tranſiſſę per manicam; vel ſi quis interrogatus in confeſsione, dicat: *Non commiſsi tale peccatum*, verba determinantur ad tempus ex vltima anteriori confeſsione tranſectum, non anteà, quia Confeſſarius ſolum interrogat de peccatis non confeſsis, & ſimiliter, quando Iudex legitimè non interrogat, poteſt Reus negare delictum, quia reſponſio Rei, ex circunſtantia, talis intelligitur ſolum de eis, quę legitimè interrogari poſſunt: & item Confeſſarius, interrogatus, an audierit à Pœnitente delictum aliquod, poteſt dicere: *Non audivi*, quia ex circunſtantijs determinatur reſponſio ad hunc ſenſum: *Non audivi vt homo* aptus ad id manifeſtandum, quidquid ſit an audierit vt Dei Miniſter. Et huius generis mille caſus inter Moraliſtas referuntur, quos longum eſſet hic referre.

83. No-

83. Nota ſecundo: Quod eſt aliud genus loquutionis, quod licèt ab aliquibus amphibologia nominetur, tamen amphibologia non eſt, ſed reſtrictio purè mentalis. Et contingit, quando verba ex ſe habent quidem vnum ſenſum, ſed ſubintellecto alio verbo purè mentaliter addito, licèt non ſenſibiliter explicato, reddunt alium ſenſum. Vt ſi quis dicat: *Non comedi*, ex vi verborum apertè ſignificat ieiunum eſſe, ſeù comeſtionem non fuiſſe, tamen ſi intelligatur cum interiori verbo mentaliter addito, nempè, *piſces*, diverſiſsimum ſenſum facit, quia hoc pacto non negat comediſſe carnem, nec comediſſe abſolutè, ſed cum reſtrictione, nempè, *piſces*, & hæc vocatur reſtrictio purè mentalis

84. Igitur, licèt ante ann. D. 1679. non deeſſent Theologi, qui hunc vltimum modum loquendi licitum dicerent, alijs contradicentibus, eo tamen anno, die 2. Martij Innocent. XI. ſanctę Memorię, eam ſententiam proſcripſit inter alias, quę Decreto ſuo damnavit, nã 26. ex damnatis, huius erat tenoris: *Siquis, vel ſolus, vel coram alijs, ſivè interrogatus, ſivè propria ſponte, ſivè recreationis gratia, ſivè quocumque alio fine iuret ſe non feciſſe aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quod vis aliud additum verum, re vera non mentitur, nec eſt periurus.* Iam igitur à nemine defendi poteſt, quod loquutio cum reſtrictione purè mentali licita ſit, ſed neceſſario tenendum eſt eſſe mendoſam, & illicitam, ac proindè Deo repugnare omninò.

85. Loquendo autem de alijs quatuor amphibologijs ſenſibilibus, & externis, communiter tenent Authores, eſſe licitas cum cauſa ſufficienti, ac proindè non eſſe mendacia. Vndè concedendum eſt, Deum poſſe loqui amphibologicè quolibet ex illis quatuor generibus amphibologię, quia in illis non intervenit mendacium, & id quidem ſatis conſtat ex pluribus locis Sacrę Scripturę, quorum ſenſus obſcurus, dubius, & in ambiguo eſt. Vt, cum *Marc.* 13. interrogatus Chriſtus D. de die iudicij, reſpondit: *De die autem illo, vel hora, nemo ſcit neque Angeli in Cælo, neque filius hominis ſuper terram*; cum tamen certum ſit Filium hominis, nempè, Chriſtum, id minimè ignoraſſe. Et Ioann. 7. dixit: *Vos aſcendite ad diem feſtum hunc, ego autem non aſcendo.* Et tamen ſubditur: *Ipſe aſcendit ad diem feſtum*; in quibus loquutionibus neceſſario eſt amphibologia, quia prima in ſenſu apparenti falſa eſſet, & ideò ſolum intelligitur in alio minus proprio, nempè, quod Filius hominis non ſcit diem iudicij ſcientia manifeſtabili, vt Confeſſor, cum dicit, ſe neſcire, quę peccata confeſſus fuit pœnitens, intelligitur de ſcientia manifeſtabili. Secunda etiam loquutio, ſi intelligeretur in ſenſu obvio, falſa eſſet, & ideò intelligitur iuxta ſenſum interrogantium. Dixerant enim Chriſto diſcipuli: *Vade in Iudæam, vt & Diſcipuli tui videant opera tua, quę facis, nemo quippè in occulto quid facit, manifeſta te ipſum mundo, &c.* Et reſpondit Chriſtus: *Vos aſcendite ad diem feſtum hunc, ego autem non aſcendo*, nempè, manifeſtè, & in publico: Poſteà: *Autem aſcendit ad diem feſtum, non manifeſtè, ſed quaſi in occulto*, in quo non mendacium, ſed ſola amphibologia interfuit.

86. Fines autem, cur Deus in Sacr. Textu vſus fuerit ſæpè his loquutionibus amphibologicis luculenter exprimunt PP. Salman, *in præſent. num.* 28. nempè, vel ad conciliandam ipſa obſcuritate Maieſtatem, vel ad zelanda ſecretiora fidei myſteria, vel ad excitandos Fideles, vt recurſum faciant ad Sacros Doctores, & Doctores ad Supremum Eccleſię Caput pro legitimo ſenſu indagando, & hoc pacto conſtituatur debita ſubordinatio in Eccleſię Corpore, vel etiam vt Doctores ipſi excitentur ad ſtudium Sacrę Scripturę, orantes, & meditantes die, ac nocte, pro ſenſibus eius detegendis, & declarandis.

87. Sed dices: Semel admiſſo in Deo hoc genere loquutionis, per illam ęquè fallere poteſt Deus Fideles, ac per mẽdacium, ſiquidem poſſunt Fideles intelligere divinam loquutionem in vno ſenſu magis apparenti, in quo forſan non loquitur Deus, ſed in alio: Ergò ęquè redditur fallibilis authoritas divina, ſeù etiam fallax per loquutionem amphibologicam, ac per mendacium: Ergò vel vtrumque, vel neutrum repugnat Deo, ex capite infallibilitatis. Confirmatur: Homines ęquè ſolent decipere alios loquutione amphibologica, ac mendacio, vndè cum Div. Athanaſius ſe quærentibus reſpondit, Athanaſium non longè abeſſe, & quando Div. Franciſcus Aſsiſius interrogatus de quodam, an illinc tranſiſſet, reſpondit, mittens manum in manicam, non tranſivit hac, deceperunt, & illuſſerunt manifeſtè interrogantes: Ergò ęquè deceptiva, & illuſſoria eſt loquutio amphibologica, ac mendacium: Ergò ſi illa Deo non repugnat, nec iſtud.

88. Reſpondeo, negando antecedens: Quia aliud eſt, quod homines poſsiunt falli, & decipi ex loquutione amphibologica, aliud quod Deus per talem loquutionem eos decipiat, & fallat. Primum quidem admitti poteſt: Quia vt homines fallantur, & decipiantur ex loquutione amphibologica ſatis eſt, quod

Deo

Deo purè permittente, ipſi fallantur ſumpta occaſione ex tali loquutione ambigua: Ad ſecundum verò requiritur quod ipſa loquutio ſit ex ſe deceptiva, & quod per ſe cauſet deceptionem, quod nunquam eſt admittendum in loquutione divina, quia Deus licèt poſsit permittere deceptionem, & præbere occaſionem paſsivam deceptionis, hoc eſt, ex qua homines ſua culpa, & arbitrio decipiantur; non tamen per ſe decipere, nec præbere occaſionem activam erroris, aut deceptionis: Quod magis conſtabit ex Quæſtione ſequenti.

89. Ad confirmationem, nego antecedens: Quia per mendacium, qui mentitur, poſitivè decipit alium, vt cauſa per ſe deceptionis, ſiquidem mendacium per ſe, & ex eſſentia ſua ordinatur ad fallendum audientem: Attamen, qui loquitur amphibologicè, per talem loquutionem ſolum permiſsivè, & occaſionaliter decipit, quia loquutio amphibologica ex natura ſua non ordinatur ad decipiendum audientem, ſed ad zelandam veritatem, & ſub ambiguo relinquendam; & hoc ſolum fecerunt Div. Athanaſius, & Div. Franciſcus Aſsiſius ex natura ſuę loquutionis amphibologicę; quod ſi interrogantes deluſi ſunt, & decepti, ſibi debent imputare, non loquutioni, quę ex modo, & intentione reſpondentium vera erat, & non deceptoria, nec Divi illi conati ſunt interrogantes decipere, ſed ſolum eis veritatem zelare, quia licèt præviderent eos decipiendos, cum tamen non teneręntur vitare eorum deceptionem, ſed magis damna imminentia, ſi veritatem manifeſtarent, curarunt zelare veritatem, licèt indè ipſi deciperentur, non tamen vt deciperentur, ac proindè ſolum permiſsivè ſe habuerunt ad deceptionem.

90. Ex quo inferes, loquutionem amphibologicam, ad hoc vt licitè exerceatur, debere proferri, non eum intentione directa alium decipiendi, aut fallendi, ſed ſolum ex intentione zelandi veritatem, purè permittendo deceptionem alterius. Ratio eſt: Quia omnis volitio directa deceptionis alterius eſt illicita: Quod ſic probatur: Quia omnis volitio qua, quis vult malum proximo contrarium naturę intellectuali vt tali, eſſentialiter illicita eſt: Sed deceptio, & falſitas eſt malum naturę intellectuali, vt tali, contrarium: Ergò omnis volitio directa deceptionis alterius eſt illicita.

91. Hæc tamen illatio, ſeù advertentia non placet P. Sendin, vndè *controverſ. 5. ſect. 2. num.* 68. inquit, quod quando malum imminens eſt maius, quam deceptio paſsiva proximi, tunc licèt velle directè deceptionem, non vt finem, ſed vt medium, ad vitandum maius malum. Additque *num.* 69. Quod ſivè præceptum non decipiendi proximum ſit affirmativum, ſivè ſit negativum, iuſta interveniente cauſa, ſemper licebit. Nam præceptum affirmativum non ſemper obligat, neque negativum, dum maius ſequitur emolumętum ex non obſervatione illius, vt patet in precepto negativo de non retentione bonorum alterius, ſi reſtitutio eſſet ceſura in damnum Domini, aut in maius notabile damnum reſtituentis: Ex quo infert, quod quotieſcumque licèt velle maius damnum proximo, quam ipſa deceptio, fas erit velle deceptionem. Nam ſi in bello iuſto licèt velle mortem inimicorum, cur non licebit velle deceptionem.

92. Sed hæc doctrina mihi falſiſsima eſt. Primo: Quia ſi liceret velle directè deceptionem proximi, liceret etiam illam per ſe cauſare, ac proindè liceret proximum per ſe decipere, nam quod poſſumus directè velle proximo, poſſumus illi facere per ſe, & ex propria intentione illud faciendi. Quod exemplo ipſo belli iuſti confirmari poteſt, nam ſi in bello iuſto licèt velle mortem inimicorum, etiam licèt illos occidere, adeò vt ſi non liceret illos occidere, nec fas eſſet velle efficaciter mortem illorum: Ergò pariter, ſi fas eſt velle directè deceptionem proximi, fas erit directè, & per ſe illum decipere. Quod amplius currit in Deo, quia quidquid Deus poteſt directè, & poſitivè velle, poteſt directè, & poſitivè facere: Poterit ergò Deus & velle deceptionem hominis, & hominem per ſe decipere, & fallere, cum intentione directa eum fallendi, & decipiendi, & hoc per loquutionem, nempè, amphibologicam, de qua loquimur. Hoc autem, quam abſurdum ſit, ſatis patet ex ſupradictis *num.* 42. & 43, nam ibi PP. ęquo iure removent à Deo, hoc quod eſt, fallere, & decipere, ac ipſum mendacium, vt legenti eius verba conſtavit. Et Holcot, turpiſsimè erravit, non ſolum dicens: *Deum poſſe aſſerere falſum ſcienter*, ſed potiſsimè dicens: *Quod Dæmones iuſtè à Deo ſunt decepti, & quod Deus multa facit intętione fallendi eos, & quod Deus poteſt creaturam decipere per ſe ipſum*: Qui autem dicit Deum poſſe per loquutionem amphibologicam per ſe decipere alios, & velle directè, & poſitivè eos decipere per ſe, quid minus dicit? Licèt poſteà contendat loquutionem amphibologicam non eſſe mendacium.

93. Deindè, quod inquit de medio ad vitandum maius malum, certum quidem eſt, licere permittere minus malum ad vitandum maius malum, at licere velle poſitivè, & directè minus malum, ad vitandum maius malum, falſiſsimum eſt, quia ſicut non ſunt facienda mala, vt eueniant bona, ſic nec ſunt volenda directè ma-

mala, ad vitanda alia mala. Alias liceret velle, & patrare mortem vnius, ad vitandam mortem duorum, & conſequenter poſſet adultera prægnans, ne ſimul cum feru animato occideretur à Marito, procurare abortum: Et etiam, ſi medici reſtarentur ſanguine infantis occiſi liberandum fore à morte virum Reipublicè neceſſarium, liceret infantem occidere, & ſic de alijs, quę longum eſſet refere. Nec paritas belli vrget, quia bellum iuſtum ſolum eſt defenſivum, & ſolum licèt occidere inimicos, cum moderamine inculpatę tutelę, hoc eſt, non directè volendo illorum mortem, nec occiſionem, ſed ſolum directè volendo propriam defenſionem, & exercẽdo omnes actiones defenſivas animo ſolum defendendi proprium ius, vel proprias vitas, licèt indè ſequantur mors aliorum, nam ad illam, vt malum eſt proximi, purè permiſsivè ſe debet habere voluntas. Et dato quod liceret velle poſitivè mortem inimicorum, non tamen errorem, & deceptionem intellectus: Quia hæc, vt infradicemus, eſt obiectivè malum morale, & malum proprium naturę intellectualis, vt talis, quod quidem malum, eo ipſo, quod ſit directè volitum, imputatur ad culpam, & peccatum volenti, & cauſanti illud. At mors non eſt proprium malum naturę intellectualis vt talis; nec eſſentialiter eſt malum morale, adhùc obiectivè, vndè alia eſt ratio.

QVÆSTIO II.

An Deus poſsit patrare miracula in confirmationem doctrinę falſę?

1\. SUPPONO primo, quod miraculum eſt opus arduum & inſolitum totius naturę exuperans facultatem. Ità Div. Auguſt. *Tractat.* 8. *in Ioan. & lib.* 3. *de Trinit. cap.* 5. & Div. Thom. *quæſt.* 3. *de Potent. articul.* 2. Ac proindè ſoli Deo competere patrare vera miracula, iuxta illud *Pſalm.* 71. *Qui facit mirabilia ſolus, & Pſalm.* 135. *Qui facit mirabilia magna ſolus*, nam etſi Sancti, & Angeli faciant miracula vera, ſolum ea faciunt inſtrumentaliter, tanquam inſtrumenta divinitatis, vel phyſicè, vel moraliter, ſolus autem Deus ea facit vt cauſa principalis.

2\. Suppono ſecundo: Dupliciter excogitari poſſe, quod miraculo confirmetur aliqua doctrina. Primo per ſe, & ex intentione Dei, ita vt Deus miraculum faciat ex intentione confirmandi doctrinam: Et hoc eſt, propriè loquendo, Deum patrare miraculum in confirmationem doctrinę. Secundo, ita vt intentio Dei non ſit confirmare talem doctrinam, ſed ſolum reſuſcitare mortuum ad vitam, Miniſter autem, ſeù Prædicator vtatur tali miraculo ad confirmationem ſuę doctrinę, proponens videntibus, quod Deus illud patrat in confirmationem ſuę doctrinę. Quod, adhùc, dupliciter excogitari poteſt. Nempè, vel ita vt attentis omnibus circunſtantijs, tale miraculum appareat patratum in confirmationem doctrinę, abſque vlla ratione prudenter dubitandi; vel ita vt concurrant aliquę circunſtantię, vel aliqua, vi cuius periti, & docti prudenter poſsint, & debeant dubitare, an miraculum illud ſit factum in confirmationem doctrinę. Igitur.

PRIMA CONCLVSIO.

3\. DICO primo: *Repugnat, non ſolum de lege ordinaria, ſed etiam de potentia abſoluta, Deum patrare miracula in confirmationem falſę doctrinę, per ſe, ſeù ipſo Deo intendente talem doctrinam confirmare.* Ita omnes Theologi, nec ſcio aliquem diſſentire, ex his qui catholicè tenent Deum non poſſe loqui falſum. Et probatur facile: Quia repugnat, etiam de potentia abſoluta, Deum conteſtari, aut teſtificari falſam doctrinam; ne ſit teſtis falſus, aut falſę doctrinę: Sed patrare miracula in confirmationem falſę doctrinę, per ſe intendendo illam confirmare, eſſet formaliſsimè conteſtare, ſeù teſtificari falſam doctrinam: Ergò id Deo repugnat etiam de potentia abſoluta. Minor probatur ex Apoſtol. *ad Hebræos* 2. vbi ait: *Quę ſalus, cum initium accepiſſet enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt, in nos confirmata eſt, conteſtante Deo ſignis, & portentis.* Vbi Div. Thom. *Sciendum, quod teſtimonium eſt per loquelam, loquela autem eſt ſignum ſenſibile: Deus autem duplici ſigno ſenſibili conteſtatus eſt, ſcilicèt, verbo, & miraculis.* Et quæſt. 6. de Potent. articul. 5. in corpore: *Operatio miraculoſa eſt quodam divinum teſtimonium, indicativum divinę virtutis, & veritatis.* Ergò patrare miracula in confirmationem falſę doctrinę per ſe intendendo illius confirmationem, eſſet formaliſsimè illam atteſtari, & teſtificari. Confirmetur: Non minus eſt Deus infallibilis in teſtificando verbis, quam in teſtificando ſignis, & operibus miraculoſis, vndè Chriſtus Div. Ioan. 10. aiebat Iudæis: *Si mihi non vultis credere, operibus credite*, quaſi opera miraculoſa eſſent certius, & infallibilius teſtimonium, quam verba. Et Baptiſtę per Diſcipulos

Digitized by Google

los interroganti: *Tu eſt, qui venturus eſt, an alium expectamus?* Chriſtus reſpõdit, non per verba, ſed per opera miraculoſa, dicens: *Renunciate Ioanni, quę audiſtis & vidiſtis: Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, &c.* Sed Deus, dum aliquid verbis teſtificatur, ita infallibilis eſt, vt repugnet etiam de potentia abſoluta falſum teſtificari: Ergò pariter, dum operibus miraculoſis loquitur, ſeù falſam doctrinam confirmat. Non amplius immoror in huius probatione, quia magis ex ſequentis concluſionis probatione conſtabit.

SECVNDA CONCLVSIO.

4. DICO ſecundo: *Similiter repugnat de potentia abſoluta, Deum patrare miracula in circumſtantijs, in quibus per ea falſa doctrina confirmaretur re ipſa, licèt ſolo Miniſtro, & non Deo intendente eius confirmationem.* Eſt contra Ripalda, *in præſ. at.* qui licèt alios referat Theologos pro ſe, illi tamen non loquutur in circumſtantijs, in quibus omnibus in ſpectis falſa doctrina re ipſa confirmaretur, ſed ita quod ex aliqua, vel aliquibus maneret prudens fundamentum dubitandi. Vndè noſtra ſententia debet reputari communis omnium Theologorum, & probatur, in primis contra ipſum Ripalda, quia inter hanc concluſionem, & præcedentem, ſola eſt differentia, quod in prima Deus intenderet errorem, in ſecunda verò Deus non intenderet errorem confirmare, ſed ſolus Miniſter: Sed hæc differentia nulla eſt in doctrina ipſius Ripaldę, ſiquidem ipſe cenſet Deum poſſe per ſe intendere errorem, ſicut, & illum ſpecialiter cauſare: Ergò, vel debet dicere, Deum poſſe miraculis confirmare falſam doctrinam per ſe intendens errorem confirmare, vel debet id negare, quamvis non intendat Deus errorem confirmare.

5. Secundo, & principaliter probatur: Quia ſivè Deus intendat, ſivè ſolus Miniſter confirmare doctrinam falſam, Deus tamen in prædictis circumſtantijs patrans miraculum, illam re ipſa confirmaret, & conteſtaretur: Sed repugnat etiam de potentia Dei abſoluta Deum re ipſa confirmare, & conteſtari doctrinam falſam: Ergò, & patrare miracula in dictis circumſtantijs. Probo maiorem: Quia quod Deus, vel ſolus Miniſter habeat intentionem confirmandi eam doctrinam, eſt omnino, & per ſe occultum, ſiquidem intẽtio Dei eſt per ſe occulta: Ergò dummodo omnes circumſtantię externę indicarent miraculum illud fieri in confirmationem illius doctrinę, Deus in illis circumſtantijs patrans miraculum, illam doctrinam re ipſa confirmaret, & conteſtaretur, quamvis id non intenderet, quia intentio ſola, & per ſe occulta non variat conteſtationem externam.

6. Confirmatur: Nam qui profert verba in circumſtantijs, in quibus per ea aliquid teſtificatur determinatè, quamvis non habeat animum illud teſtificandi, ſi tamen ex ſignis externis concurrentibus aliud colligi nequit, niſi quod illud teſtificatur, re ipſa illud teſtificatur, velit, nolit, & ſi illud eſt quid falſum, erit falſus teſtis: Ergò ſimiliter ſi Deus edat miracula, quibus, attentis omnibus circumſtantijs externis, aliqua doctrina confirmatur, illam re ipſa confirmabit, & conteſtabitur, licèt per impoſsibile nolit eam confirmare, quia doctrina non ſuadetur, nec perſuadetur hominibus per intentionem internam Dei, aut Miniſtri, quam nemo videt, ſed per ſenſibile ſignum externum.

7. Confirmatur ſecundo: Quia Chriſtus D. ad confirmandam, & ſuadendam ſuam doctrinam, non proponebat intentionem Dei in patrandis miraculis, ſed vnicè ipſa miracula, vndè aiebat: *Vt autem ſciatis, quia Filius hominis habet poteſtatem dimittendi peccata, &c. Surge, & ambula.* Item, alibi: *Si opera non feciſſem, quę nemo alius fecit, excuſationem haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo*, nempè, infidelitatis. En vbi Chriſtus ſola opera miraculoſa proponit ad confirmandam ſuam fidem, nihil exprimens de intentione occulta Dei: Ergò ſola opera miraculoſa præſcindendo ab intentione occulta Dei ſunt conteſtationes, & confirmationes doctrinę. Vrgetur: Quia credentes non moventur ex intentione occulta Dei, ſed ex ſignis externis, prout factis in circumſtantijs, in quibus per ea confirmatur doctrina. Vndè aiebat Nicodemus: *Rabbi ſcimus, quia à Deo veniſti Magiſter* (attende) *quia nemo poteſt hæc ſigna facere, quę tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.* Item, audientes alibi aiebant: *Quod ſignum oſtendis nobis?* Nempè, parati ad credendum ex motivo ſignorum. Et in Concilio dicebant: *Hic homo multa ſigna facit: Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum.* Item, alibi: *Sequebatur eum multitudo magna*, nempè; per fidem, *quia videbant ſigna, quę faciebant*, & nunquam fit mentio de intentione occulta Dei in patratione miraculorum: Ergò quia præſcindendo ab ea intentione, ſi concurrant cæterę circumſtantię, miracula conteſtantur doctrinam: Ergò ſi Deus patraret miracula in circumſtantijs, in quibus confirmaretur falſa doctrina, re ipſa Deus ipſe confirmaret, & conteſtaretur falſam doctrinam, licèt per impoſsibile, eius intentio non eſſet illam confirmare.

8. Con-

8. Confirmatur tertio: Quia, dum Apoſtoli prædicaverunt vbique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis, illi omnes qui crediderunt ex vi ſignorum, & miraculorum, ſolum videbant miracula ipſa in circunſtantijs, in quibus per ea confirmabatur doctrina, an autem Deus ea patraret ex intentione confirmandi doctrinam non videbant: Et tamen negari nequit, quod prudentiſſimè credebant eam doctrinam, tanquam cõteſtatam ab ipſo Deo, & quod ipſe Deus per ea miracula re ipſa conteſtabatur eam doctrinam: Ergò huiuſmodi conteſtatio non pendet formaliter ex illa intentione per ſe occulta, ſed ex operibus ipſis miraculoſis in talibus circunſtantijs.

9. Ex quo impugnatur ſolutio Ripaldę aientis, quod in præſenti providentia verum eſt, quod opera miraculoſa ſunt conteſtationes doctrinę prædicatę, quia Deus ſic determinavit, nempè, non patrare miracula in circunſtantijs prædictis, niſi ex intentione confirmandi doctrinam. At in alia providentia poſſet miracula edere ob alios fines, quo caſu non eſſent conteſtationes doctrinę prout à Deo. Impugnatur inquam: Quia quod miracula ſint conteſtationes doctrinę non conſiſtit in determinatione occulta Dei, aut eius intentione formaliter, ſed ſolum in circunſtantijs externis cognoſcibilibus ab audientibus doctrinam. Vndè, ſi Miniſter prædicans doctrinam de ſe non contrariam lumini rationis naturalis, ſed de ſe honeſtam, propter incredulitatem audientium petat à Deo reſurrectionem mortui, vt illi credant, Deuſque in his circunſtantijs, reſurgere faciat mortuum, nihil aliud ſenſibiliter declarando, quamvis per impoſsibile id faceret ſine intentione confirmandi doctrinam, ſed ſolum ex intentione, vt mortuus faceret pœnitentiam, vel ex alio fine, nihilominus re ipſa confirmaret eam doctrinam, & illam æquè conteſtaretur, ac ſi illum reſuſcitaſſet ex intentione confirmandi illam: Ergò in quacumque providentia id Deus in ſimilibus circunſtantijs faceret, re ipſa confirmaret, & conteſtaretur doctrinam à Miniſtro propoſitam.

10. Vndè rectè Lumbier *de fide, quaſt. 4. articul. 2. num. 264.* inquit, quod vt Deus patrans miracula non eſſet cauſa moralis deceptionis per ea miracula, deberet præmittere præconium generale in eo tunc, de eo, quod miracula non erant atteſtatio Dei pro doctrina, ſed ex alio fine. Nam tali præconio non præmiſſo, miracula ſunt quaſi ſigna, & nutus Dei, per quę homines efficaciter inducuntur ad credendam doctrinam, ſuprà quam cadunt talia miracula: Sed qui per ſigna, vel nutus inducit efficaciter alios ad credendam doctrinam falſam, re ipſa eſt ſeductor, & deceptor illorum: Ergò, ſi Deus, non præmiſſo præconio, vel ſaltem alia declaratione in contra, patraret miracula in prædictis circunſtantijs, in quacumque providentia id faceret, eſſet deceptor, & ſeductor.

11. Ex quo inferes, repugnare, etiam de potentia abſoluta, quod Miniſter, vel Propheta vtatur miraculo vero ad confirmandam doctrinam falſam in talibus circunſtantijs, in quibus non eſſet ratio prudenter dubitandi, in contra: Quia cum Deus ſit, qui tanquam cauſa principalis miraculum facit, & ipſe prævideat omnes circunſtantias, & quod facere miraculum in illis eſſet re ipſa confirmare doctrinam falſam Miniſtri, minimè poteſt in eis circunſtantijs externis invariatis miraculum facere, ſicuti nequit falſum per ſigna, & nutus teſtificari.

12. Quod quidem amplius confirmatur: Si Miniſter Regius, ſciente Rege, falſa in Epiſtola aliqua nunciaret, & Rex ipſe ſubſcriptione ſua firmaret, & ſigillo conſignaret litteras illas, abſdubio conteſtaretur, vellet, nollet, falſitates contentas in Epiſtola illa, niſi contrariam intentionem declararet lecturis Epiſtolam: Sed miracula facta, aut expetita à Miniſtro pro doctrina confirmanda, ſunt quaſi ſubſcriptio Dei, & Regale ſigillum, quo firmat, & conſignat talem doctrinam: Ergò, niſi Deus expreſsè, & ſenſibiliter aliam intentionem declararet, aut ſaltem præberet fundamentum prudens dubitandi, non poſſet patrare talia miracula, niſi teſtificando falſam doctrinam.

13. Totum hoc confirmatur ex D. Thom. qui 2. *ad Theſſal.* 3. inquit, quod Antichriſtus non faciet vera miracula, & reddit rationem: *Quia nullus contra fidem facit vera miracula, quia Deus non eſt teſtis falſitatis. Vndè aliquis prædicans falſam doctrinam non poteſt facere vera miracula, licèt aliquis habens malam vitam poſsit:* Ergò ſentit Div. Thom. quod ſi aliquis faceret vera miracula, vtendo eis ad confirmandam falſam doctrinam, Deus eſſet teſtis falſitatis. Item, *quaſt. 6. de Potentia articul. 5. in corp.* inquit: *Si Dæmonibus, quorum eſt tota voluntas ad malum, aliqua poteſtas daretur faciendi miracula, Deus falſitatis eorum teſtis exiſteret.* Vndè inquit: *Quod ad ea, quę ſunt ſupra facultatem naturę ipſorum, eis à Deo nulla datur poteſtas.* Item, *in hac 2. 2. quaſt. 78. articul. 2. ad 3.* dicendum: *Quod ſemper miracula ſunt vera teſtimonia eius, ad quod inducuntur, vndè à malis, qui falſam doctrinã enunciant, nunquam fiunt vera miracula ad confirmationem ſuę doctrinę.* Quę quidem doctrina, non ſolum probat in præſenti providentia, ſed abſolutè in

quacumque providentia, ſi ſemel attentis omnibus circunſtantijs ſenſibilibus, per vera miracula confirmaretur falſa doctrina, quia tunc Deus eſſet teſtis falſitatis, vt inquit Div. Thom. Ergò. Nihilominus.

TERTIA CONCLUSIO.

54. DICO tertio: *Non repugnat Deum patrare miraculum in circunſtantijs, in quibus ex abuſu Miniſtri, & ignorantia, errore, vel in circumſpectione videntium confirmetur falſa doctrina.* Probatur primo: Quia hoc non eſſet Deum re ipſa confirmare, aut teſtificari falſam doctrinam, ſed ſolum quod videntes per errorem putarent eam doctrinam à Deo confirmari: Sed non repugnat, Deo patrante miraculum, ita quod videntes ex abuſu Miniſtri, & ignorãtia, ſeù in circumſpectione ſua, (quia videlicèt non conſiderant omnes circunſtantias) putent per tale miraculum doctrinam illam, quę alias ſit falſa, confirmari. Ergò. Probo minorem: Quia non repugnat Deum verbis aliquid loqui, ita quod audientes per errorem, vel abuſum Miniſtri putent Deum reſtari aliquid, alias falſum: Etenim de facto Deus loquutus eſt, & revelavit plura in S. Scriptura, quibus abutuntur Hæretici ad falſa dogmata confirmanda, v.g. dum dixit Chriſtus: *De die illa nemo ſcit, neque Filius hominis*, aiebant Ariani, in illo teſtimonio Deum teſtificaſſe, quod Chriſtus ipſe nullo modo ſciebat diem iudicij, ac proindè non eſſe Deum, & ſic de alijs, quin tamen indè inferre liceat, quod Deus ex vi illius teſtimonij teſtatus fuerit, nec directè, nec indirectè falſam doctrinam Arij: Ergò pariter, ſi Miniſter vellet abuti miraculo, & perſuadere, quod per illud Deus confirmaret doctrinam ſuam, & id crederent videntes per errorem, aut inconſiderationem, non ideò Deus doctrinam illam confirmaret, nec directè, nec indirectè.

55. Dices forſan, in primo caſu Miniſtrum non vti loquutione Dei vera, quia Deus verè non revelavit Chriſtũ neſciſſe diem iudicij omnimodo, ſed ſolum ad dicẽdum, vt ſ.pra explicavi *quæſt. 1. nu. 85.* ac proindè ſolũ vti loquutione falſo Deo impoſita: At in caſu miraculi ſupponimus miraculum eſſe verum. Sed contra: Quia licèt ſupponamus miraculum eſſe verum in eſſendo, tamen eſt falſum quantum ad finem ad quem eo abutitur Miniſter. Vndè Div. Thom. 2. *ad Theſſalon.* 3. ſic ait: *Si alicui adeſt gratia miraculorum, & non vtatur eis ad hoc*, nempè ad confirmandas veritates fidei, ſed falſam doctrinam, *miracula quidem ſunt vera quoad rationem rei factę, & quoad rationem miraculi, ſed ſunt falſa quantum ad finem debitum*: Ergò Miniſter, qui abuteretur miraculo, licèt vteretur miraculo vero in eſſendo, non tamen miraculo vero ex parte finis, ſed falſo, nempè, in teſtificando: Quo pacto etiam qui vteretur teſtimonio Chriſti citato ad perſuadendam ignorantiam Chriſti de die iudicij, vteretur etiam teſtimonio, ſeù revelatione vera in eſſendo, ſed falſa quãtum ad finem, & obiectum, imponendo ſcilicèt illi revelationi falſum obiectum, pro quo facta non fuit.

SOLVUNTUR OBIECTA.

56. OBIJCITUR primo, ex Ripalda præſertim contra ſecundam concluſionem: Quia Deus poteſt per ſe intendere errorem, & illum per ſe cauſare: Ergò poteſt etiam per ſe adhibere media, per quę error cauſetur: Sed miraculum in circunſtantijs, in quibus per illud falſa doctrina confirmaretur, eſſet medium ad cauſandum errorem: Ergò poteſt Deus in dictis circunſtantijs pattare miraculum. Reſpondeo, in primis hoc argumẽtum nimis probare: Quia probat Deum poſſe patrare miraculum, non ſolum per accidens confirmando ex abuſu Miniſtri falſam doctrinam, ſed per ſe intẽdendo illam confirmare, & perſuadere videntibus; quod nec ipſe Ripalda admittit. Secundo, reſpondeo, negando antecedens, quod licèt ſit familiaris ſententia Ripaldę, falſiſsimum tamen eſt, vt *quæſt. ſequẽti* monſtrabimus. Tertio, reſpõderi poteſt, diſtinguendo antecedens: Deus poteſt intendere errorẽ, & illum perſe cauſare, vt cauſa purè phyſica, & efficiens, tranſeat antecedens: Vt cauſa moralis teſtificativa ipſius erroris, nego antecedens: Et diſtinguo ſimiliter conſequens: Quia indè ad ſummum infertur, Deum poſſe adhibere media, quibus error phyſicè, & purè efficienter cauſetur, quia hoc ſolummodo admittunt alii qui, Deum poſſe cauſare errorem per ſe. Attamen miracula patrata in prædictis circunſtantijs, non cauſarent errorem ſolum phyſicè & efficienter, ſed moraliter, & teſtificando, perſuadendoque errorem obiectivè: Hoc autem modo nullus Catholicus aſſerit Deum poſſe cauſare errorem.

57. Obijcies ſecundo: Quamvis Deus patraret miraculum in circunſtantijs, in quibus per illud re ipſa doctrina falſa confirmaretur, poſſet tamen Deus non conteſtari illo miraculo doctrinam illam: Sed ſemel quod Deus doctrinam falſam non conteſtaretur, non eſt vndè repugnet Deum tale patrare miraculum in illis circunſtantijs: Ergò. Probatur maior: Quia poſ-

poſſet Deus patrare miraculum in illis circunſtantijs ex alio fine, quam confirmandi doctrinam, ſeù ſine intentione confirmandi doctrinam illam: Sed eo ipſo, quod Deus non haberet intentionem confirmandi doctrinam illam, eam non confirmaret poſsitivè, & per ſe, ſed ad ſummum permiſsivè, permittendo nimirum Miniſtro, quod eam tali miraculo confirmaret: Ergò. Probo minorem: Quia Deus nihil poteſt facere poſsitivè, & per ſe, niſi cum intentione illud faciendi, quod enim fit præter intentionem Dei, non fit ab eo per ſe, & poſsitivè, ſed ad ſummum permiſsivè: Ergò eo ipſo, quod Deus non haberet intentionem confirmandi talem doctrinam, eam non confirmaret poſsitivè, & per ſe, ſed ad ſummum permiſsivè.

18. Confirmatur: Ponamus enim, quod aliquis Propheta per revelationem didiceret Deum eras hora ſexta facturum miraculum, v.g. reſurectionem mortui, quam Deus patrare vellet, vt defunctus ille ageret pœnitentiam, & non ex alio fine; tunc ſanè poſſet Propheta ille cras ante horam ſextam prædicare falſam doctrinam, & promittere audientibus in confirmationem illius doctrinę reſurectionem illius mortui, ita quod omnibus videntibus, & audientibus reſurgeret mortuus, nam quod revelatum fuerat neceſſe erat euenire, nec Deus poſſet, aut deberet omittere reſurrectionem promiſſam propter malitiam Prophetę: Sanè in eo caſu Deus minimè intenderet confirmationem falſę doctrinę, vt ſupponimus; aliundè attentis omnibus circunſtantijs falſa doctrina confirmaretur: Ergò poteſt Deus patrare miraculum in circunſtantijs, in quibus falſa doctrina confirmetur, quin Deus ipſe intendat eam confirmare, & conſequenter quin illam confirmet poſsitivè, & per ſe.

19. Hoc eſt potiſsimum fundamentum opinionis adverſę. Reſpondeo tamen, negando maiorem. Ad probationem, diſtinguo maiorē: Poſſet Deus patrare miraculum in illis circunſtantijs ex alio fine, ſeù ſine intentione confirmandi doctrinam illam, variando illas circunſtantias, hoc eſt, addendo declarationem externam, & ſenſibilem, vi cuius intelligere poſſent audientes, ſeù videntes miraculum non confirmare illam doctrinam, ſeù ſaltem prudenter dubitare, concedo maiorem: Non variando circunſtantias illas, nego maiorem, & concedo minorem, quę ibi benè probatur, nego tamen conſequentiam: Quia cum Deus ſciat, quod patrare miraculum in illis circunſtātijs invariatis eſſet formaliſsimè confirmare, & conteſtari doctrinam illam, minimè poſſet velle miraculum in illis invariatis circunſtantijs, ſine intentione confirmandi doctrinam illam, quia alias vellet ſeù intenderet id quod formaliſsimè eſſet confirmare doctrinam, & non vellet nec intenderet confirmare doctrinam, quod eſt chimericum in Deo. Vndè ſicut ille, qui vellet proferre voces falſum ſignificantes eo modo, quo per illas falſum ſignificatur, non poſſet non velle falſum ſignificare, vt vidimus *ſuprà quæſt. 1. numer. 26.* nec ab hoc excuſſaretur, licèt interius haberet intentionem ſolum exercendi linguam; ita ſi Deus vellet patrare miraculum, eo modo, & in talibus circunſtantijs, quod per illud re ipſa falſa doctrina confirmaretur, non poſſet non eo ipſo velle confirmare falſam doctrinam, licèt etiam haberet alios fines. Ex quo

20. Ad confirmationem, reſpondeo: Quod, eo caſu admiſſo, Deus neceſſariò declararet videntibus miraculum, ſe per illud talem doctrinam non confirmare, quia non aliter decreviſſet patrare reſurectionem illam. Ratio eſt: Quia, dum Deus decernit patrare miraculum, & id prænunciat Prophetę, ſolum decernit, & prænunciat ſe patraturum miraculum modo ſibi decenti, & poſsibili, ſeù in talibus circunſtantijs, quod per illud non confirmetur re ipſa falſa doctrina, vndè ex vi talis decreti tenetur non permittere, quod in caſu, & tempore patrationis miraculi concurrant tales circunſtantię, quod ex illo re ipſa confirmetur falſa doctrina, & ſic teneretur, vel non permittere quod Propheta ille prædicaret falſam doctrinam, & offerret ad eius confirmationem miraculum illud, vel declarare videntibus, & audientibus malitiam illius Prophetę, ſufficienter, vt ſaltem prudenter dubitari poſſent, nam aliter non decreverat, nec prænunciaverat miraculum illud patraturum. Vndè cum arguis, quod in eo caſu Deus minimè intenderet confirmationem illius doctrinę, concedo: Immò & dico, quod intenderet non confirmare illam, quia Deus, non aliter intendit miraculum patrare, niſi ita vt per illud falſa doctrina non firmetur, & ideò neceſſariò ex ſuppoſitione intentionis patrandi miraculum, variaret circunſtantias illas per novam declarationem, aut ſignum aliquod ſenſibile.

21. Sed dices: Caſus, in quo loquitur Ripalda, eſt quod Deus patraret miraculum ſine intentione confirmandi per illud falſam doctrinam, ita vt hæc intentio ſolum eſſet in Miniſtro, & in hoc caſu inquir, quod Deus non eſſet teſtis falſę doctrinę: Ergò caſus ille ſupponendus eſt vt poſsibilis, & inquirendum, ſeù diſputandum, an in eo Deus teſtaretur doctrinam illam: Sed nos concedimus, quod ſine intentione Deus non poſſet teſtificari doctrinam illam: Ergò

daretur tunc euidentia Dei teſtificantis, ſed res, ſeù doctrina teſtificata maneret in ſe obſcura: Et adducunt in ſui fauorem Div. Thom. in præſent. *quæſt. 5. art. 2.* dicentem: *Si aliquis Propheta prænuntiaret in ſermone Domini aliquid futurum, & adhiberet ſignum mortuum ſuſcitando, ex hoc ſigno conuinceretur intellectus videntis, vt cognoſceret manifeſtè hoc dici à Deo, qui non mentitur, licèt illud futurum, quod prædicitur, in ſe euidens non eſſet, vndè per hoc ratio fidei non tolleretur:* En quomodo ipſe Div. Thom. conciliat euidentiam ex miraculo de teſtificatione Dei, cum fide, & conſequenter reſpondet argumento. Qui autem cenſent euidentiam in atteſtante incompatibilẽ eſſe cũ fide, reſpondent, quod videns miraculum non conuinceretur euidentia metaphyſica, ſed ad ſummum euidentia morali, quod illud eſſet verum miraculum à Deo patratum, & ſic ſolum haberet euidentiam moralem de eo, quod Deus teſtificaret illam doctrinam, cum qua euidentia rectè compatitur fides. Quænam autem ex his ſolutionibus tenenda ſit, infrà dicemus.

26. Obijcies ſecundo: Poteſt Deus conferre alicui poteſtatem patrandi miracula pro ſuo arbitrio, qua poſſit ille abuti: Sed tunc caſus ille poſſet patrare miracula in circunſtantijs, in quibus falſa doctrina confirmaretur per illa: Ergò. Maior patet: Quia Deus de facto cõtulit Sacerdotibus poteſtatem conſecrandi Corpus Chriſti, quę non videtur minor, quam poteſtas patrandi miracula, & Sacerdotes poſſunt abuti ad malos fines poteſtate illa: Cur ergò non poſſet Deus ſimiliter conferre alicui poteſtatem patrandi miracula. Minor verò probatur: Quia ille, qui talem poteſtatem haberet, poſſet peccaminosè vti tali poteſtate ad fines pravos, vel avaritię, vel ambitionis, &c. Ergò etiam ad finem confirmandi falſam doctrinam. Confirmatur primo: Quia, ſicut de facto contulit Deus Sacerdotibus poteſtatem conficiendi inviſibiliter Corpus Chriſti ex pane, potuit illis conferre poteſtatem conficiendi illud, ita vt appareret viſibiliter: Cur ergò tunc non poſſent Sacerdotes vti illa conſecratione miraculoſa ſenſibili ad cõfirmandum aliquem errorem? Confirmatur ſecũdo: Quia poſſet Rex tradere ſigillum Regium alicui, quo ille abuteretur ad ſubſcribendam, & muniendam falſitatem aliquam, quin tamen indè ſequeretur Regem falſitatem conſignaſſe: Ergò pariter Deus poſſet tradere facultatem edendi miraculum, quo tanquam ſigillo abuteretur Miniſter ad conſignandam falſam doctrinam, quin indè ſequeretur Deum talem doctrinam munire, aut conſignare.

27. Confirmatur tertio: Quia caſu quo Miniſter abuteretur tali miraculo, poſſet Deus concurrere poſitivè, & per ſe ad miraculum, & non ad abuſum, nec ad confirmationem doctrinę falſę: Sed eo ipſo nullum eſt inconveniens in tali abuſu: Ergò poſſet Miniſter abuti tali miraculo ad doctrinam falſam confirmandam. Probatur maior, primo: Quia, ſi Sacerdos vtatur poteſtate conſecrandi ex fine avaritię, v.g. Deus concurrit principaliter, & per ſe ad conſecrationem, & non ad abuſum, nec ad avaritiam: Ergò pariter, ſi Miniſter abuteretur miraculo ad confirmandam falſam doctrinam. Secundo: Quia non minor connexio eſt inter materialem entitatem peccati, & eius malitiam, quam inter miraculum, & eius abuſum: Sed non obſtante prima connexione, poteſt Deus poſitivè concurrere ad entitatem, purè permiſſivè ſe habendo ad malitiam: Ergò, non obſtante ſecunda connexione, poteſt concurrere poſitivè ad miraculum, purè permiſſivè ſe habendo ad abuſum, & confirmationem falſę doctrinę.

28. Reſpondeo ad argumentum, diſtinguendo maiorem: Poteſt Deus conferre alicui poteſtatem faciendi miracula, qua poſſit ille abuti ad alios fines pravos, tranſeat maior: Ad finem confirmandi, vel authorizandi falſam doctrinam, aut malam vitam in circunſtantijs, in quibus, omnibus inſpectis, re ipſa authorizaretur, & confirmaretur, negò maiorẽ; Qua diſtinctione patet ad probationes maioris, & minoris. Et Ratio eſt, quia miraculum ad alios pravos fines ſolum haberet rationem medij cõducentis ex abuſu Miniſtri, non verò rationem ſigni falſi, aut falſę conteſtationis, quam rationem haberet, ſi abuteretur eo Miniſter ad confirmandam falſam doctrinam, ſiquidem abuteretur eo tanquam Regio ſigillo, & tanquam divina conteſtatione: Licèt autem Deus poſſit permittere, quod ſuis miraculis abutatur Miniſter, tanquam medijs ad avaritiam, aut alios fines pravos, non tamen quod vtatur eis tanquam ſigillis divinis, & conteſtationibus falſę doctrinę, quia eo ipſo Deus id ſciens, & patrans miraculum, re ipſa illam doctrinam falſam confirmaret, muniret, & patrocinaretur, vt oſtenſum manet. Ex quo patet ad primam confirmationem, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam: Quia ille abuſus eſſet abuſus miraculi, tanquam ſigni, & conteſtationis divinę, ſciente, & prævidente Deo: Et hic abuſus repugnat Deo, quia eo ipſo ipſe Deus conteſtaretur falſam doctrinam. Similiter ad ſecundam, dico, quod ſi Rex permitteret, quod ſciente, & vidente ipſo, ſuo ſigillo Regio Miniſter conſignaret falſitatem aliquam, & illi ſubſcriberet, eo ipſo Rex ipſe conteſtaretur, & autorizaret falſita-

tem

tem illam, ſecùs, ſi, neſciente Rege, Miniſter ſe ſolo id faceret: Deus autem conferens Miniſtro poteſtatem faciendi miraculum, ante patrationem miraculi viderat quod Miniſter eo volebat confirmare falſam doctrinam, & ideò non poſſet patrare miraculum permittendo illum abuſum, niſi pariter conſignando, muniendo,& authorizando ſcienter doctrinam illam; quod Deo omnino repugnat. Et ſimiliter

29. Ad tertiam confirmationem, nego maiorem: Ad cuius primam probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam: Quia Miniſter conſecrationis non vtitur conſecratione ipſa, tanquam ſigno, & ſigillo Regio, ſed ſolum tanquam medio vtili ad avaritiam; & id Deus permittere poteſt, quin ei tribuatur avaritia illa, vel abuſus: At in caſu noſtrę quæſtionis Miniſter vteretur miraculo tanquam ſigillo Regio ad muniendam falſam doctrinam; & id Deus nequit ſcienter permittere, niſi conſignando ipſe falſam doctrinam. Sicut Rex poſſet permittere, quod Miniſter venderet ſigillum Reginm, non in ratione ſigilli, ſed in ratione pretioſę materię, ex avaritia, quin talis avaritia Miniſtri tribueretur Regi, nec Rex propterea eſſet avarus: At, ſi ſcienter permitteret, quod Miniſter conſignaret falſitatem ſuo ſigillo, eo ipſo Rex ſuo ſigillo poſitivè authorizaret falſitatem, & eſſet fallax in teſtificando. Ad ſecundam probationem, diſtinguo maiorem: Non eſt minor connexio inter entitatem & malitiam peccati, quam inter miraculum & eius abuſum, cōnexio, inquam, in eſſendo, tranſeat maior: In cauſari, & imputari, ſubdiſtinguo: Si ſermo ſit de abuſu miraculi in ratione medij vtilis ad alios fines, omitto maiorem: Si ſit de abuſu miraculi in ratione ſigni, & conteſtationis, nego maiorem, & conceſſa minori, conſequentiam. Ratio eſt: Quia miraculum in ratione ſigilli,& conteſtationis ita eſt proprium Dei, vt Deus ipſe cenſeatur ſigillare, & conteſtare, quidquid tali miraculo conſignatur, & conteſtatur, ipſo vidente, & ſciente: At entitas peccati non eſt ita propria Dei, quod ſi creatura in illius elicientia deficiat, & abutatur entitate illa à Deo participata peccando, peccatum, & abuſus imputetur Deo. Vndè tota diſparitas ſtat in ratione peculiari ſigilli, & conteſtationis, quę non invenitur in alijs Dei operibus, quibus creatura poteſt abuti, nec ipſis in miraculis prout ad fines alios poſſent detorqueri à Miniſtro: Sed ſolum invenitur in miraculis, quando vtitur eis Miniſter ad confirmandam doctrinam in circunſtantijs, in quibus doctrina re ipſa omnibus inſpectis per ea confirmaretur: Hic enim vſus eſt vſus ſigilli, & conteſtationis divinę formaliter vt talis: Vſus autem ſigilli Regij formaliter vt talis ſemper imputatur principaliter Regi, quia in eo eſt depoſita authoritas ipſius, ac proindè ad talem vſum non poteſt Rex, nec Deus purè permiſsivè ſe habere.

30. Sed replicabis: Demus, quod Martyre aliquo patiẽte propter chriſtianam Religionem, Deus in eius Religionis confirmationem patret miracula,& quod ibi adſtet Hæreticus aliquis, à quo Gentilis interroget, quid ea miracula ſignificent: Reſpondeat Hæreticus, Deum per illa conteſtari veritatem doctrinę illius Martyris. Rurſus Gentilis roget, quænam ſit ea doctrina, aut quę myſteria contineat: Reſpondeat Hæreticus, computando ſuos errores in doctrina illius Martyris, nempè dicendo, quod Martyr ille prædicat Chriſtum eſſe tantum Deum, & non verum hominem, & alia huiuſmodi falſa dogmata. Sanè hic Hæreticus abutitur miraculis illis tanquam ſignis divinis ad confirmanda falſa dogmata: Et tamen hic abuſus non tribueretur Deo: Ergò. Reſpondeo, diſtinguendo hoc vltimum: Hæreticus abuteretur miraculis illis ad confirmanda dogmata in circunſtantijs, & modo, quo re ipſa falſa dogmata per miracula confirmarentur, nego: In circunſtantijs, & modo, quo falſa dogmata, ſolum ex ignorantia Gentilis, & fallentia Hæretici confirmarentur, concedo. Ex quo ſolum ſequitur veritas tertię noſtrę concluſionis, nihil verò contra primam, nec contra ſecundam: Quia, vt miraculo aliquo doctrina aliqua re ipſa confirmetur, opus eſt, quod præmittatur prædicatio doctrinę, & quod ad eius authoritatem,& perſuaſsionem petatur, promittatur, vel patretur miraculum: In caſu autem propoſito, non ſic contingeret, ſed patratis miraculis, Hæreticus conſequenter ad miracula imponeret Martyri ſuos errores, eoſque inter doctrinam re ipſa confirmatam falsò computaret, & falleret Gentilem, Gentiliſque ex ignorantia crederet tales errores eis miraculis confirmari; at re ipſa minimè confirmarentur, ſed ſolum doctrina antecedenter prædicata à Martyre illo, ex quo nihil contra nos.

31. Sed dices: Poſſet contingere, quod, dum Catholicus prædicaret doctrinam ſidei in vno loco, Hæreticus in alio eodem tempore, & hora prædicaret dogma falſum: Et quod Catholicus pro confirmatione ſuę doctrinę peteret à Deo miraculum, v.g. plubiam vniverſalem ſereno Cœlo, aut eclypſim ſolis, & quod ſimiliter Hæreticus idem miraculum promitteret, aut poſtullaret ex ſuggeſtione Dæmonis prævidentis Catholicum alibi poſtullantem: Sanè tunc Deus poſſet annuere petitioni Catholici, & confirmare doctrinam illius miraculo poſ-

poſtullato: Sed tunc caſus eodem miraculo confirmaretur re ipſa doctrina falſa Hæretici, nam audientes Hæreticum, & vidẽtes eclipſim pariter ſuaderentur de veritate doctrinę Hæretici, ac audientes Catholicum, de doctrina Catholica: Ergò. Reſpondeo, quod in tali caſu poſſet Deus annuere Catholico, ſed prouidendo medium conveniens, quo vitaretur conteſtatio doctrinę ab Hæretico propoſitę, vel per declarationem ſenſibilem, vel faciendo, quod eclipſis non appareret in loco, quo prædicabat Hæreticus, vel alio medio: Servatis tamen eiſdem circumſtantijs in vno loco, ac in alio, nõ poſſet Deus patrare miraculum, quo æquè conteſtaretur doctrinam Hæretici.

32. Denique obijcies: Poteſt Deus permittere quod falſa doctrina reddatur prudenter credibilis falſis miraculis, ſi nempè talem ſimilitudinem habeant cum veris, quod ab omnibus videntibus ea, iudicentur invincibiliter vera: Ergò etiam poterit permittere, quod falſa doctrina reddatur prudenter credibilis veris miraculis, ſi nempè invincibiliter iudicentur facta in confirmationem illius doctrinę: Sed hoc eſſet falſam doctrinam confirmari veris miraculis: Ergò. Confirmatur: Quia vera doctrina poſſet reddi prudenter credibilis falſis miraculis: Ergò & falſa veris miraculis. Confirmatur ſecundo: Quia prudens credibilitas falſę doctrinę nullum importat malum morale, ſi quidem abſque peccato poteſt ruſtico proponi vt prudenter credibile falſum Myſterium: Ergò Deus poteſt cauſare, ſeù concurrere ad talem prudentem credibilitatem, redendo nempè falſam doctrinam prudenter credibilem: Sed nihil amplius faceret patrando miraculum in confirmationem doctrinę falſę: Ergò.

33. Reſpondeo, omiſſo antecedenti, negando conſequentiam: Quia falſa miracula ſunt à Deo purè permiſsivè, & ſic prudens credibilitas ex illis redundans in falſam doctrinam eſſet à Deo purè permiſsivè, & Deo non imputaretur, ſed magicis artibus hominis, vel dæmonis: at vera miracula non poſſunt eſſe à Deo purè permiſsivè, ſed neceſſariò ſunt ab ipſo poſitivè, & per ſe, & vt cauſa ſpecialis operanti: vndè prudens credibilitas ex illis redundans in falſam doctrinam per ſe, & ſpecialiter eſſet à Deo, quod omninò repugnat. Ex quo ad primã confirmationem, omiſſo antecedenti, nego conſequentiam, quia ſi veris miraculis redderetur prudenter credibilis falſa doctrina, Deus eſſet cauſa ſpecialis, & per ſe reddens credibilem prudenter falſam doctrinam, quod omninò Deo repugnat: At ex eo quod vera, ſivè falſa doctrina reddatur prudenter credibilis falſis miraculis, hoc inconveniens non ſequitur, ſed ſolum quod Deus ſit cauſa permiſsiva illius credibilitatis ex falſis miraculis. Ad ſecundam, diſtinguo antecedens: Nullum importat malum morale formaliter, ſeù voluntarium, concedo antecedens: Nullum importat malum morale obiectivè, & fundamentaliter, nego antecedens, & conſequentiam; Quia prudens credibilitas falſę doctrinę neceſſariò importat aliquem errorem, ſeù falſitatem, quia falſa doctrina nulli poteſt eſſe prudenter credibilis, niſi ex errore aliquo: Omnis autem error, quamvis ſit invincibilis, eſt malum morale obiectivè, & fundamentaliter, vt quæſtione ſequenti conſtabit; Vndè prudens credibilitas falſę doctrinę neceſſariò importat malum incauſabile à Deo, & cõſequenter nequit per ſe à Deo cauſari.

34. Sed contra ſpecialiter replicabis: Prudens credibilitas eſt virtuoſa credibilitas, ſiquidem eſt credibilitas iuxta regulas prudentię: Ergò eſt credibilitas moraliter honeſta, & bona: Sed credibilitas virtuoſa, moraliter, quę honeſta, & bona, poteſt eſſe à Deo poſitivè tanquam à cauſa per ſe, inimò debet, quia omnis effectus virtuoſus, moraliterque honeſtus, & bonus neceſſariò procedit à Deo vt cauſa per ſe, & non purè permiſsivè: Ergò Deus poteſt vt cauſa per ſe reddere prudenter credibilẽ falſam doctrinam. Cõfirmatur: Prudens credibilitas falſę doctrinę, per ſe ſolum inducit ad aſſenſum prudentem falſę doctrinę, & conſequenter ad aſſenſum virtuoſum, & moraliter honeſtum; Sed Deus, vt cauſa per ſe, poteſt inducere ad aſſenſum prudentem, virtuoſum, & moraliter honeſtum: Ergò & reddere prudenter credibilem falſam doctrinam vt cauſa per ſe.

35. Hæc replica, non levem difficultatem ingerit pleriſque Theologis admittentibus poſsibilem in aliquibus caſibus credibilitatem, & aſſenſum re ipſa prudentem falſę doctrinę, vt cum ruſtico proponitur falſum myſterium; Nàm credibilitas, & aſſenſus re ipſa prudens eſt re ipſa virtuoſus, & honeſtus: Et videtur innegabile, Deum poſſe per ſe cauſare credibilitatem, & aſſenſum re ipſa prudentem, & virtuoſum, ac moraliter honeſtum. Veruntamen contra nos, qui *Tract. de Conſcient. quæſt. 5. à num. 159.* negavimus iudicium re ipſa erroneum eſſe re ipſa prudens, & diximus ſolum eſſe prudens exiſtimativè, re ipſa tamen imprudens materialiter, parum vrget; nam pariter dicimus, quod credibilitas doctrinę falſę ad ſummum poteſt in aliquo caſu eſſe prudens, honeſta, & virtuoſa exiſtimativè, ſed non re ipſa, vndè repugnat credibilitas re ipſa prudens doctrinę falſę, & propterea in pręcedenti ſolutione, ſolum

ſolum omiſsimus, & nos conceſsimus, quod doctrina falſa poſsit reddi prudenter credibilis.

36. Igitur alij viderint, quid reſpondeant, nos autem reſpondemus diſtinguendo antecedens: Prudens credibilitas eſt virtuoſa credibilitas, & honeſta, eo modo, quo eſt prudens, nempè ſi re ipſa ſit prudens, re ipſa virtuoſa, & honeſta, & ſi ſolum ſit exiſtimativè prudens, ſolum exiſtimativè honeſta, & virtuoſa, concedo antecedens: Aliter, nego antecedens, & conſequentiam ſub eadem diſtinctione: Et diſtinguo pariter minorem ſubſumptam: Credibilitas re ipſa virtuoſa, moraliterque honeſta, & bona poteſt eſſe à Deo vt cauſa per ſe, concedo minorem: Si purè exiſtimativè ſit virtuoſa, & honeſta, nego minorem, & conſequentiam, vel ſuppoſitum illius, nempè, quod falſa doctrina poſsit eſſe prudenter credibilis re ipſa, ſeù credulitate re ipſa prudenti. Ad confirmationem pariter diſtinguo maiorem: Prudens credibilitas falſę doctrinę, exiſtimativè ſolum prudens, ſolum inducit ad aſſenſum exiſtimativè prudentem talis doctrinę, concedo maiorem: Prudens credibilitas falſę doctrinę re ipſa prudens, nego ſuppoſitum: Et diſtinguo minorem: Deus vt cauſa per ſe poteſt inducere ad aſſenſum re ipſa prudentem, & virtuoſum, concedo minorem: Ad aſſenſum ſolum exiſtimativè prudentem, & virtuoſum, re ipſa tamen materialiter imprudentem, & vitioſum, nego minorem, & conſequentiam.

37. Ratio diſtinctionis eſt, quia imprimis credibilitas falſę doctrinę non poteſt eſſe re ipſa prudens prudentia ſupernaturali, alias prudentia ſupernaturalis poſſet per ſe dictare creditionem, ſeù aſſenſum doctrinę aliàs falſę, in aliquo caſu, & poſſet aſſenſus falſus eſſe re ipſa ſupernaturaliter prudens, & ſupernaturaliter virtuoſus: Quod ſanè nullus Theologus ex Thomiſtis admittet; Credibilitas autem prudens ex vi miraculum de qua in præſenti debet eſſe ſermo, debet eſſe prudens prudentia ſupernaturali, quia eſt credibilitas ex motivis ſupernaturalibus, & in ordine ad fidem ſupernaturalem: Cum ergò, quando Myſterium, aut doctrina propoſita eſt falſa, ſolum exiſtimativè poſſit eſſe prudenter credibilis prudentia ſupernaturali; Indè eſt, quod ſolum debet admitti prudens credibilitas, exiſtimativè talis, doctrinę falſę: Hæc autem non petit eſſe à Deo per ſe, & poſitivè; Sed cum conſiſtat in erronea exiſtimatione, licèt invincibili, ſolum poteſt eſſe à Deo permiſsivè. Si verò contendas eſſe poſsibilem credibilitatem falſę doctrinę prudẽtem re ipſa prudentia humana, & naturali, ſeù acquiſita, in primis credibilitas ita prudens non eſt ad rem, quia in ordine ad fidem divinã, & ſupernam non ducuntur homines credibilitate prudenti prudentia humana ſolum, ſed prudenti prudentia proportionata, nempè ſuperna, quę ſolum poteſt eſſe exiſtimata reſpectu doctrinę falſę. Deindè dico, quod nec credibilitas falſę doctrinę, nec aſſenſus illius poteſt eſſe prudens re ipſa prudentia humana, ſed ſolum exiſtimativè, quia etiam prudentia humana eſt virtus, licèt acquiſita, & in quantum virtus, nequit eſſe erronea, nec in errore conſiſtere, ſicut conſiſtit credibilitas falſę doctrinę, & aſſenſus illius; Solum ergò poteſt talis aſſenſus elici, aut imperari per accidens ab habitu prudentię acquiſitę, ex quo non ſequitur, quod ſit re ipſa prudens, ad huc prudentia acquiſita, nec re ipſa virtuoſus aut honeſtus, quia à prudentia acquiſita poteſt, per accidens elici, & imperari aſſenſus, aut iudicium re ipſa non prudens, nec virtuoſũ, nec honeſtum, vt vidimus loco citato.

QUÆSTIO III.

An Deus poſsit infundere errorem, vel illum ſpecialiter, & per ſe cauſare.

1. AB Aliquibus excitatur quæſtio iſta ſub hoc titulo: *An Deus poſſit infundere errorem.* Sed, cum error nõ ſit, niſi in actu elicito intellectus, & actus elicitus ab intellectu non poſsit propriè infundi à Deo, ſed ad ſummum impropriè, provt eſt idẽ ac cauſari à Deo tãquã ab Authore ſpeciali per ſe operante in intellectu actum eius, propterea in ipſo titulo addimus, *vel illum ſpecialiter, & per ſe cauſare*, quo explicamus, quid debeat intelligi per *infundere errorem.*

2. Nota tamen, dupliciter Deum poſſe cauſare in intellectu, ſeù in alijs potentijs aliquem actum, nempè, vel vt cauſa, & Author vniverſalis, vel vt cauſa, & Author ſpecialis. Quid autem ſit cauſare vt Author ſpecialis, & quid, vt Author vniverſalis, non omnes vno modo explicant. Cenſeo igitur, quod Deus cauſat aliquid, vt Author ſpecialis, quando illud per ſe cauſat ſub ratione ſpecifica talis, nempè per providentiam, & cauſalitatem determinantem illum effectum ad ſpeciem talis, vndè cauſaret Deus actũ erroneum vt Author ſpecialis, ſi cauſaret illum providentia, & cauſalitate determinante ad actum erroneum ſpecificè talem, hoc eſt, ſub ratione ſpecifica actus erronei.

cauſat verò Deus aliquid, vt Author vniverſalis, quando illud cauſat ſub ratione aliqua vniverſali tantum, quę per cauſas medias limitatur, & determinatur ad ſpeciem magis coarctatam, & contractam; & ſic dicimus Deum cauſare, vt Author vniverſalis, actum peccati, & etiam actum erroneum, quia illos cauſat ſub ratione communi actus, cauſalitate, & providentiæ vniverſali determinante, & movente ad talem rationem in vniverſali, ſed non determinante ad actum, vt ſpecificè erroneum, aut peccaminoſum, nec ſub ratione ſpecifica talis, nam ad ſpecialem rationem erronei, ſeu peccaminoſi non determinatur actus per cauſalitatem divinam, ſed per cauſas medias, nempè, per ſpecies, ſuaſiones, aut alias cauſas errandi, vel peccandi.

3. Rurſus diſtinguitur in Deo duplex modus cauſandi, nempè, per ſe, vel per accidens: Dicitur cauſare per ſe aliquem effectum, quando per ſe intenditur à divina cauſalitate effectus ſub formalitate, ſub qua exprimitur: v. g. cauſat per ſe actum bonum, quia non ſolum per ſe intendit rationem actus, ſed rationem boni. Dicitur cauſare aliquem effectum per accidens, quando per ſe quidem intendit, & cauſat effectum ſub aliqua ratione, cui per accidens, & præter intentionem Dei coniungitur ratio ſpecialis, ſub qua exprimitur talis effectus; v. g. Cauſat per accidens actum erroneum, & actum malum, quatenus cauſat per ſe rationem actus, cui per accidens, & præter Dei intentionem ex cauſis medijs coniungitur error, aut malitia. Omnia iſta facilè patent ex à nobis dictis *Tractat. de Provident. quaſt. 19. à numer. 54.*

4. Quibus ſuppoſitis, iam intelligitur clarè titulus quæſtionis: Inquirimus enim, vtrum Deus poſsit eſſe cauſa, & Author ſpecialis erroris? Hoc eſt, non ſolum ita, quod ratio vniverſalis actus contracta per errorem, cauſetur à Deo, ſed ipſe error, ſeu actus vt ſpecialiter erroneus ſit à Deo. Item, inquirimus, an Deus poſſit eſſe cauſa per ſe erroris, aut actus erronei? Hoc eſt, non ſolum cauſalitate vniverſali per ſe tantum reſpiciente rationem actus, cui per accidens coniungatur ratio erronei, ſed ita vt ratio erronei ſit etiam per ſe à Deo intenta, volita, & cauſata. Nec enim admittimus, quod cauſare per accidens ſit purè concurrere Deum invitum, & ab alio determinatum, contra propriam inclinationem, licèt cauſalitate, & actione poſitiva; nam quantum abſurdum hoc ſit, ſatis explicavi, & probavi loco citato *à numer. 83.*

5. Notandum eſt ſecundo, errorem alium poſſe eſſe peccaminoſum, & malum moraliter, vt iudicium temerarium: Alium non peccaminoſum, nec moraliter malum, vt cum quis putat alium iuſtum ex charitate, cum tamen ſit in peccato mortali. Rurſus, error alius eſt practicus, vt cum quis errat putans bonum, ac licitum, quod re ipſa eſt malum, ac prohibitum, alius ſpeculativus, vt cum quis putat ſtellas eſſe in primo Cœlo, in quo non ſunt.

6. His præmiſsis, plures ex Ieſuitis, & Scotiſtis tenent, Deum poſſe eſſe cauſam per ſe, & ſpecialem erroris, quorum cathalogum invenies apud PP. Salmant. *in præſent. num. 45.* Ex quibus tamen aliqui, ſolum errorem ſpeculativum circa res non pertinentes, nec ad fidem, nec ad mores, inquiunt, poſſe à Deo per ſe cauſari, alij id etiam admittunt de errore practico invincibili, & inculpabili: Alij de errore, quo ſubiectum vti nequeat in praxi: Alij de omni errore non peccaminoſo: Nullus tamen de errore formaliter culpabili, & malo moraliter. Thomiſtę tamen omnes, cum quibus Suarez, & alij ex Ieſuitis, vniverſaliter negant, Deum poſſe eſſe cauſam, aut Authorem ſpecialem, & per ſe erroris, qualiſcumque ſit. Cum quibus.

NOSTRA CONCLUSIO.

7. DICO: *Minimè poteſt Deus, adhuc de potentia abſoluta, eſſe cauſa per ſe, aut Author ſpecialis erroris:* Probatur primo: Quia Deus n. quit per ſe cauſare, quod in ſe non continet: Sed in ſe non continet errorem: Ergò nequit illum per ſe cauſare. Hæc ratio à Ieſuitis, etiam ex tenentibus noſtram ſententiam, communiter reijcitur, quia plura, inquiunt, Deus cauſat per ſe, quę in ſe non continet, cauſat enim per ſe pœnitentiam, humilitatem, fidem, obedientiam, &c. Quę tamen longè abſunt à Deo formaliter loquendo; ſolum enim continentur in ipſo virtualiter, hoc eſt, in eius virtute productiva, in qua etiam, dicunt Contrarij, cótineri errorem, quandoquidem dicunt, Deum habere virtutem productivam erroris, ſicut habet virtutem productivam humilitatis, pœnitentię, &c.

8. Sed contra eſt, nam hi Authores militant contra apertam, & evidentem Philoſophiam: Etenim aperta, & clara Phyloſophia eſt, quod virtus, & potentia productiva alicuius effectus probari debet à priori ex continentia talis effectus in cauſa, cum enim cauſa efficiens cauſet effectum, dando illi ſuam entitatem, & perfectionem, niſi à priori conſtet cauſam continere entitatem, & perfectionem effectus, probari nequit, quod ipſum producere, aut cauſare

Aa poſ-

poſsit, quia nemo dat, quod non habet. Igitur prædictam rationem ſic inſtauro: Implicat Deum cauſare per ſe effectum, quem in ſe non præcontineat, nec formaliter, nec eminenter: Sed errorem non continet, nec formaliter, nec eminenter: Ergò implicat, quod Deus illum per ſe cauſet. Minor patet: Quia in Deo non eſt formaliter error, aliundè nec eminenter, quia aliàs eſſet eminentiori modo Deus errans, quam homo, quod abſurdiſsimum eſt. Maior verò probatur: Quia implicat, quod Deus cauſet efficienter per ſe effectum, quin tribuat, & communicet effectui ſuum eſſe; cauſare enim efficienter effectum aliquem formaliſsimè eſt dare, communicare, & tribuere illi ſuum eſſe: Sed implicat Deum communicare, dareque effectui ſuum eſſe, quin in ſe præcontineat, vel formaliter, vel eminenter ipſum eſſe effectus: Ergò. Confirmatur: Quia Deum cauſare, & producere errorem in intellectu importat formaliſsimè emanationem, & efluxum erroris à Deo in intellectu: Sed implicat contradictionem, quod error emanet à Deo in intellectu, niſi per prius ſit in Deo, vel formaliter, vel eminenter: Ergò.

9. Nec dicas, ſatis eſſe, quod contineatur virtualiter, hoc eſt, in eius virtute productiva, in quo nulla eſt implicatio, quia hoc nihil aliud eſt, quam Deum habere virtutem productivam erroris. Contra enim eſt: Quia, quod in præſenti diſputamus, eſt, an Deus habeat virtutem productivam erroris? Hoc autem debet reſolvi ex continentia, vel non continentia erroris in Deo: Ergò ex continentia alia priori ad ipſam virtutem productivam, ſeù ad continentiam virtualem, quę iuxta Contrarios eſt ipſiſsima virtus productiva: Sed pro priori ad hanc non intelligitur in Deo continentia, niſi vel formalis, vel eminentialis: Ergò, vt Deus habeat virtutem productivam erroris, debet ipſum pręcontinere, vel formaliter, vel eminentialiter: Quod ſi illum hoc modo non præcontinet, infertur à priori, non habere virtutem productivam illius.

10. Nec exempla in oppoſitum, nempè humilitatis, obedientię, fidei, &c. aliquid probant contra hanc doctrinam, immò illam confirmant, nam Deus, ideò eſt cauſa per ſe pœnitentię, humilitatis, obedientię, &c. quia iſtę virtutes, cum ſint perfectiones creaturę intellectualis, eminenter continentur in Deo, ſeù in divinis perfectionibus: Si enim pœnitentia eſt deteſtatio peccati præteriti, & affectus reſarciendi, & compenſandi offenſam Deo illatam, hæc deteſtatio, & affectus eminentiori modo invenitur in Deo, & ideò Deus poteſt illum communicare creaturę. Si item humilitas eſt ęſtimatio creaturę, ſecundum quod de ſuo habet, & contemptus illius, eiuſque pro nihilo reputatio, in Deo etiam hoc eminenter reperitur, ſiquidem Deus ęſtimat creaturam ſecundum quod de ſuo habet, tanquam nihil, & pro nihilo eam reputat, eminentiori modo, quam id faciat creatura ipſa. Item, ſi fides cōſiſtit in adhæſione, qua intellectus adhæret primę veritati, Deus etiam ſummè adhæret ſuę primę, & ſummę veritati: Et obedientia, ſi importat ſubordinationem voluntatis ad divinam ordinationem; in Deo hæc eminenter reperitur, nam divina voluntas intranſitivè, & per identitatem ſubordinata eſt in operādo divinę ordinationi, & ſic ſimiliter in alijs virtutibus, & affectibus, ſecundum quod per ſe cauſantur à Deo, relucet ſemper aliqua perfectio, in qua Deū imitantur, & quę vel formaliter, vel eminenter in Deo reperitur: Sed in errore, formaliter vt error eſt, nulla perfectio reſplendet, ſed defectus, & imperfectio pura creaturę intellectuális, nempè falſitas, & diſconformitas ad veritatem ipſam: Ergò implicat quod error, ſeù falſitas per ſe cauſetur à Deo, quia in Deo nec formaliter, nec eminenter continetur, nec Dei eſſentiam, aut perfectiones vllo modo participat, nec imitatur, ſicut humilitas, obedientia, pœnitentia, fides, &c.

11. Nec dicas, pœnitentiam non eſſe quamlibet deteſtationem peccati, ſed peccati proprij, & ſimiliter humilitatem non eſſe quamlibet vilipenſionem, ſed vilipenſionem ſui, & fidem non eſſe quamlibet adhæſionem primę veritati, ſed adhæſionem obſcuram primę veritati vt revelanti, & ſic de alijs, quo pacto minimè ſunt in Deo. Contra enim eſt: Quia etiam viſio beatifica, non eſt viſio, qua Beatus videt ſe ipſum vt Deum, ſed qua videt Deum à ſe diſtinctum; & charitas creaturę non eſt amor, quo creatura amat propriam divinitatem, ſed divinitatem ſuppoſiti diſtincti; quo pacto minimè repetiuntur in Deo, quia Deus non videt alium vt Deum, nec amat divinitatem alterius ſuper omnia; & tamen hæc differentia non tollit quod viſio beata dicatur participatio formalis divinę viſionis, & amor charitatis formalis imitatiō divini amoris, & quod contineantur formaliter in Deo, licèt eminentiori modo, & ſeclusis imperfectionibus, quibus in creaturis miſcentur: Ergò nec differentię aſsignatę in humilitate, pœnitentia, fide, &c. obſunt, vt perfectiones, quas illę virtutes explicant, contineantur formaliter, aut eminenter in Deo, id eſt, ſecluſis imperfectionibus, quibus in creaturis miſcentur.

12. Qui hanc doctrinam penetrare vo-

voluerit, legat, quę de rerum differentijs docuimus, *in Methaphy. quæſt. 22. & de diſtinctione, quæſt. 21. & præſertim de limit. quæſt. 4. & 5. num. 5.* Ex ibidem enim dictis agnoſcet, quomodo omnes perfectiones, & eſſentię creatę importent eſſentialiter perfectionem, & imperfectionē, ſaltem negativam, entitatem, & defectum, & ideò omnes continentur eminenter in Deo, idest, ſine defectibus, & imperfectionibus, quibus in ſe ipſis eſſentialiter mixtę ſunt, cum infinito nempè exceſſu perfectionis: & ſecundum quod imperfectionem, defectum, & limitationem important, non ſunt per ſe à Deo, quia ex ipſo, nec ab ipſo non poſſunt trahere defectum, imperfectionem, aut limitationem, quę in Deo nec eminenter reperitur: Undè ſolū ſunt per ſe à Deo, ſecundū quod dicunt de perfectione, entitate, actualitate, & imitatione Dei: Igitur, vt, quid Deus per ſe cauſare poſſit, agnoſcas, diſtingue tria genera obiectorum. Alia enim ſunt, quę ex ſuo conceptu obiectivo explicito nullam dicunt imperfectionem, ſed puram perfectionem, & hæc, dicunt Theologi, formaliter contineri in Deo, v. g. intellectus, voluntas, ſapientia, bonitas, &c. Et de his nulli dubium eſt, quod per ſe cauſentur à Deo, licèt vt cauſata, & effecta diſtinta à Deo, iam importent eſſentialiter imperfectionem ſaltem negativam limitationis, & inadæquationis, quam à Deo non participant, ſed ex ſe habent. Alia ſunt, quę ex ſuo conceptu obiectivo important in recto puram imperfectionem, & defectum, nullamque explicant perfectionem; huiuſmodi ſunt, *malitia, defformitas, falſitas, error, privatio, negatio, defectus, imperfectio, &c.* Et de his dici nequit, quod contineantur in Deo nec formaliter, nec eminenter, quia cum ſint purę imperfectiones in abſtracto conſideratę, & nullam explicent perfectionem in ſuo conceptu, ex terminis implicat quod ſint in Deo, adhuc eminenter; tùm quia Deus eſt ſumma, & pura perfectio abſque imperfectione etiam negativa; eſt ſummum, & purum ens, abſque omni defectu, etiam negativo; eſt pura, & ſumma bonitas, abſque omni mixtione malitię; eſt pura, & ſumma veritas, abſque omni mixtione falſitatis, & erroris, & conſequenter continere nequit in ſe vllo modo quod nihil entitatis, aut perfectionis explicat, ſed puram imperfectionem, & defectū. Tùm, quia contineri aliquid eminenter, eſt contineri quantum ad id, quod dicit perfectionis, ſecluſis imperfectionibus: Ea autem, quę nullam explicant perfectionem, ſed puram imperfectionem, implicat in adiecto, quod contineantur ſecundum id, quod perfectionis explicant, ſecluſis imperfectionibus, cum ſint ipſę imperfectiones. Alia denique ſunt, quę in ſuo conceptu explicant perfectionem cum imperfectione, vt diſcurſus, fides, pœnitentia: Et de iſtis dici poteſt, quod ſunt per ſe à Deo, & quod continentur eminenter in Deo, nempè ſecundum perfectionem, quam explicant, vt depuratam ab imperfectionibus.

13. Valdè autem notandum eſt, quod ea, quę ſimul explicant perfectionem, & imperfectionem, ſunt in duplici differentia, alia enim explicant perfectionem cum ſola imperfectione negativa, vt in exemplis proximè alatis: Et hæc ſimpliciter, & abſolutè dici poteſt, quod cauſantur per ſe à Deo, & quod continentur eminenter in Deo, quia imperfectio, quam dicunt, cum ſit purè negativa, non inficit, nec malificat, aut deturpat perfectionem, cui adiungitur, & ſic relinquit tale ens abſolutè, & ſimpliciter in ratione perfectionis, & bonitatis, & conſequenter abſolutè, & ſimpliciter cauſabile à Deo per ſe ſub ratione perfectionis: Quamvis, ſi fiat præciſio, & reduplicatio imperfectionis illius negativę, nequit dici quod ſit per ſe à Deo reduplicativè vt ſic imperfectum, ſeù quantum ad talem imperfectionem; quia ſolum per accidens eſt, & permiſsivè reſpectu divinę cauſalitatis, quod effectus eius exeat imperfectus, quocumque genere imperfectionis, quia nullam imperfectionem contrahere poteſt ex ipſo Deo, in quo nullo modo invenitur. Alia ſunt, quę explicant perfectionem, & imperfectionem privativam de genere mali: Et hæc abſolutè, & ſimpliciter dici nequeunt, quod ſint per ſe à Deo, quia illa imperfectio privativa deturpat totum ens, in quo reperitur, & reddit illud ſimpliciter malum, & imperfectum, prævaletque in ipſo hæc denominatio abſolutè, & ſimpliciter loquendo; & ideò dici nequit abſolutè, quod tale obiectum ſimul importans perfectionem cum imperfectione privativa, ſit per ſe à Deo, nec quod in Deo continetur eminenter: V. g. actus erroneus, actus malus, mendacium, periurium, &c. Verumtamen, ſi fiat præciſio, & reduplicatio perfectionis, actualitatis, & entitatis, quam important, dici poteſt ſub illa reduplicatione, & præciſione, quod ſint per ſe à Deo, & quod in Deo eminenter continentur, nempè, quantum ad actualitatem, perfectionem, & entitatem, quam important, præciſivè ſumptam ab imperfectione, & malitia.

14. Quam doctrinam ideò præmiſi, quia per eam evaneſcunt innumerę inſtantię contrariorum, quibus non tam reſpondent rationibus ſolidis Thomiſtarum, quam earum ſoliditatem cummulo difficultatum offuſcant

bet peccati, ſeù mali moralis, niſi quia importat contradictionem affectivam, ſeù in affectu ad Deum, vel ad eius divinam voluntatem, & legem ęternam, quę perfectiones divinę ſunt: Et ſimiliter nullus admittit, quod Deus poſsit eſſe cauſa per ſe hæreſis, aut infidelitatis poſitivę, quia hæc importat contradictionem intentionalem revelationi divinę, & divinę cognitioni: Ergò repugnat Deum eſſe cauſam per ſe effectus vt importantis contradictionem, ſivè affectivam, ſivè intentionalem, ſuis divinis perfectionibus. Minor verò non minus patet: Quia error eſt iudicium affirmans oppoſitum veritati reali obiecti, vel negans, quod re ipſa eſt: Sed eo ipſo importat eſſentialiter contradictionem intentionalem divinę cognitioni, quia cognitio divina affirmat, quod error negat, vel negat, quod error affirmat: Ergò error importat eſſentialiter contradictionem intentionalem divinę cognitioni. Explicatur: Supponamus quod error ſit iudicium, quo quis exiſtimat ſtellas eſſe in primo Cœlo, Deus iudicat, & iudicio ſuo affirmat non eſſe eas in primo Cœlo, ſed in octavo: Ergò iudicium errans contradicit intellectualiter, ſivè obiectivè, & intentionaliter divino iudicio, & divinę cognitioni: Sed implicat quod Deus ſit cauſa per ſe actus, ſeù iudicij vt contradicentis obiectivè, & intentionaliter ſuo iudicio: Ergò & iudicij erronei, vt talis. Confirmatur: Quia iudicium erroneum afirmans ſtellas eſſe in primo Cœlo, ex vi ſuę tēdentię intentionalis falſificat obiectivè ſcientiam divinam aſſerentem eas non eſſe, niſi in octavo: Sed implicat quod Deus ſit cauſa per ſe iudicij vt falſificantis obiectivè ſuam ſcientiam: Ergò & iudicij erronei vt erronei. Minor patet: Quia Deus non eſt cauſa per ſe, niſi illius, quod per ſe intendit: Implicat autem quod per ſe intendat iudicium, vt falſificativum ſuę ſcientię, aliàs intenderet falſitatem, & conſequenter deſtructionem ſuę ſcientię: Ergò.

20. Reſpondet Recentior, cui iſta ratio non placet, quod hic modus loquendi eſt invſitatus, & nihil continet veritatis præter ſonum verborum & vmbram inanem. Quia error, inquit, non falſificat à parte rei obiectum, cum illud non immutet, ſed ſolum eſt formalis falſitas falſificans intētionaliter obiectum apud ſubiectum, in quo eſt; ad falſificationem autem ſcientię divinę de obiecto, opus eſſet, quod falſificaret obiectum à parte rei. Item alij reſpondent, quod iudicium erroneum nullam dicit contrarietatem, aut oppoſitionem ad iudicium infallibile Dei, quia, licèt vnum neget, quod aliud affirmat, ſunt in diverſis ſubiectis: Et in diverſis ſubiectis nullam dicunt oppoſitionem.

21. Sed contra, nam ſolutio potius iſta eſt, quę nihil veritatis ad rem continet, ſed puram non intelligentiam prædicti fundamenti. Etenim ratio præfata non nititur in eo, quod iudicium erroneum, vt tale, ſit phyſicè deſtructivum, aut phyſicè falſificativum ſcientię divinę, nullus enim mentis compos id exiſtimare poſſet, cum omnes pro comperto agnoſcant, ſcientiam divinam nunquam poſſe ita re ipſa falſificari, cum ſit eſſentialiter infallibilis: Solum ergò nititur in eo, quod illi contradicit obiectivè, & obiectivè eam falſificat, negando, quod ipſa affirmat, & affirmando, quod ipſa negat: Sed ad hoc modo falſificandam ſcientiam Dei, & illi contradicendum, minimè requiritur quod re ipſa falſificet, aut inmutet obiectum, nec quod iudicium erroneum, & ſcientia Dei ſint in eodem ſubiecto: Ergò prædicta ſolutio nihil continet, niſi non intelligentiam prædicti fundamenti. Minor patet: Quia duo teſtes contradictorij, aut duo Authores circa eandem rem contrariam tenentes ſententiam, ſe ipſos contradicunt, & iudicium vnius re ipſa contradicit iudicio alterius, & illud falſificat, non quidem phyſicè, aut in eſſe entis, ſed intentionaliter, & obiectivè, ſeù ex parte obiecti: & tamen nemo immutat per ſuum iudicium phyſicè obiectum, nec iudicia illa ſunt in eodem ſubiecto: Ergò, vt iudicium erroneum re ipſa contradicat, & falſificet obiectivè, & intentionaliter iudicium divinę ſcientię, minimè requiritur, quod falſificet, aut immutet phyſicè obiectum in ſe ipſo, nec quod ſit in eodem ſubiecto.

22. Confirmatur ex dicto ipſius contrarij, nam iuxta ipſum, error eſt formalis falſitas, falſificans intentionaliter obiectum apud ſubiectum, in quo error eſt: Ergò errans falſificat apud ſe intentionaliter obiectum ſcientię divinę: Sed eo modo, quo quis falſificat obiectum ſcientię divinę, falſificat ipſam ſcientiam divinam, vt per ſe patet, quia falſitas obiecti affirmati per ſcientiam eſt formaliſsimè falſitas illius ſcientię: Ergò error, qua talis, falſificat intellectualiter apud errantem ſcientiam ipſam divinam: Sed Deus nequit velle, nec intendere, quod alius apud ſe falſificet intentionaliter ſuam ſcientiam: Ergò, nec poteſt intendere, aut per ſe velle errorem.

23. Confirmatur primo: Quia error importat eſſentialiter contrarietatem, & diſconformitatem ad intellectum divinum, qui regula prima eſt omnis veritatis, ſicut peccatum importat contrarietatem, & diſconformitatem voluntatis creatę ad voluntatem divinam, quę regula eſt omnis bonitatis: Sed implicat in

tar-

re, ſubordinari, & conformari, non autem vt velit eam ſibi contradicere, à ſe diſcordare, & diſsimilari: Ergò. Explicatur; quia effectus proprius odij Dei non poteſt eſſe effectus proprius amoris Dei: Sed, ſi quis Deum odio haberet, ex hoc odio nihil principalius velle poſſet, quam quod omnes illi aduerſarentur, & contradicerent obiectivè: Ergò implicat quod ex amore Dei ſuper omnia poſſet quis velle quod alius Deo aduerſetur, & contradicat intentionaliter,& obiectivè. Et ſanè ridiculum videretur, ſi quis diceret: *Quia Deum ſuper omnia diligo, ideò volo quod aliquis eius iudicio, & ſententię contradicat, ſaltem inſcienter.* Non minus, quam ſi diceret: *Quia Deum ſuper omnia diligo, volo quod aliquis contradicat ex ignorantia eius legi, & voluntati*: Ergò multò magis repugnat, quod Deus poſſet cum veritate dicere: *Quia me ipſum infinitè diligo ſuper omnia volo quod homo ignoranter ſuo iudicio contradicat meo, ſivè: Volo quod iudicet diſconformiter, & contrariè, ad meum iudicium.*

Tertia ratio etiam ſpecialis.

29. TERTIO ſuadetur concluſio, ratione etiam ſpecialiter probante de errore, & non de alijs malis phyſicis. Etenim, repugnat metaphyſicè, quod Deus ſeducat, ac decipiat, ſeù fallat creaturam, aliàs enim Deus eſſet ſeductor, deceptor, & fallax; quo nihil magis repugnans Dei veracitati excogitari poteſt: Sed,ſi infunderet,aut per ſe cauſaret errorem in creatura vt Author ſpecialis,illam per ſe deciperet, ſeduceret, & falleret: Ergò repugnat metaphyſicè Deum per ſe cauſare, aut efficere errorem in creatura. Probatur minor: Quia error eſſentialiter eſt deceptio,ſeductio, & falſitas;omnis enim qui errat ſuo iudicio, fallitur, decipitur, & ſeducitur: Ergò, ſi Deus per ſe cauſaret errorem in creatura, per ſe cauſaret in illa falſitatem, deceptionem,& ſeductionem: Sed cauſare, & efficere per ſe in creatura falſitatem, deceptionem, & ſeductionem eſt formaliſsimè eam fallere, decipere, & ſeducere: Ergò ſi Deus per ſe cauſaret, & efficeret in creatura errorem, illam per ſe falleret, ſeduceret, ac deciperet. Probatur hęc minor: Nam cauſare formā in ſubiecto, eſt formaliſsimè præſtare ſubiecto effectum formalem illius;vndè efficere calorem in ligno eſt formaliſsimè lignum calefacere, efficere albedinem in pariete eſt formaliſsimè dealbare parietem, & ſic de alijs: Ergò cauſare,& efficere per ſe in creatura falſitatem, deceptionem, & ſeductionem ipſius eſt formaliſsimè eam fallere, ſeducere,ac decipere, ſiquidem eſt efficere per ſe formam, quâ formaliter decipitur, ſeducitur, & fallitur.

30. Dices, decipere, ac fallere alium dupliciter intelligi poſſe, nempè vel obiectivè per verba, vel phyſicè, & efficienter efficiendo phyſicè in intellectu formam, qua formaliter intellectus fallitur, ac decipitur: Primo modo,Deum non poſſe fallere ac decipere, quia non poteſt loqui falſum, nec mentiri, vt oſtenſum manet, *quæſt.* 1. benè verò ſecundo modo. Quia ad errorem cauſandum ſecundo modo,non requiritur loqui falſum: Sed contra eſt, Primo, quia non minus voluntariè,& liberè cauſaret Deus errorem,cauſando illum efficienter phyſicè, quam cauſando illum obiectivè, & moraliter per verba,immò magis voluntariè, & liberè: Ergò magis ei imputaretur error creaturę, eiuſque deceptio, ſi cauſaret illum efficienter phyſicè per ſe, quam ſi illum cauſaret purè obiectivè: Ergò magis propriè ſeduceret, falleret, ac deciperet creaturam: Ergò magis propriè eſſet fallax, ſeductor, & deceptor: Sed hoc ex terminis repugnat Deo, & quo magis propriè accipiatur, tanto illi magis repugnat: Ergò.

31. Secundo, quia mendacium non ideò præciſſe eſt malum,& veracitati loquentis adverſum, quia importat diſconformitatem verborum ad mentem, ſed potiſsimè, quia importat volūtatem fallendi alium; Sed licèt Deus cauſando efficienter phyſicè deceptionem & errorem in creatura non incurreret diſconformitatem verborum ad mentem, ſiquidem non loqueretur, tamen incurret voluntatem fallendi, & decipiendi; Ergò ęquè, vel magis hoc Deo repugnat, quam illud. Maior probatur, tum ex Auguſtino,& Div.Thom. *ſupra expenſis, quæſt.* 1 *num.* 34. ex quibus conſtat, quod aliquem eſſe fallacem, ſupra mendacium addit maiorem malitiam, nempè voluntatem fallendi alium: Ergò ex voluntate fallendi peius eſt mendacium, quam ex diſconformitate verborum ad mentem. Tum quia veracitas, cum ſit pars potentialis iuſtitię, eſſentialiter importat rectitudinem in ordine ad alium, & non ſolum in ordine ad ſe: Sed mendacium, ſecundum quod dicit diſconformitatem verborum ad mentem, ſolum opponitur rectitudini veracitatis in ordine ad ſe, & ſecundum quod importat voluntatem fallendi,opponitur rectitudini veracitatis in ordine ad alium: Ergò. Vndè non ſolum eſt eſſentialiter turpè, ac perverſum diſconformare verba cum mente, ſed etiam fallere alios, ac decipere eſt ex terminis peius

ſolum eminenter competit Deo: Ergò quod malum fuerit naturę intellectuali ex conceptu naturę intellectualis, malum erit creaturę ex conceptu, in quo formaliter aſsimilatur Deo: Sed implicat Deum per ſe inferre malum creaturę in ea ratione, & conceptu, in quo formaliter aſsimilatur ipſi: Ergò, & implicat Deum inferre malum naturę intellectuali vt tali. Probo minorem: Quia Deus non poteſt non amare creaturam ſecundum eam rationem, in qua ipſi aſsimilatur, ſi enim omne animal diligit ſibi ſimile, in quantum ſimile, qui quidem amor ſimilitudinis ex Deo ipſo derivatur ad creaturas: Ergò multò magis Deus diligit creaturam ſecundum rationem, & naturam, in qua eſt ſibi ſimilis formaliter: Sed implicat quod per ſe, & ex intentione inferat malum creaturę ſecundum rationem, & naturam, ſecundum quam eam neceſſariò diligit, ex ſuppoſitione, quod exiſtat; Alias enim ſecundum eandem rationem illam amaret, & vellet, ac inferret illi malum, quod manifeſtam contradictionem implicat: Ergò.

36. Confirmatur; Quia, ſi Deus vellet malum creaturę ſecundum conceptum naturę intellectualis, in quo ſibi aſsimilatur, vellet malum ſibi ipſi, ſaltem indirectè: Sed implicat Deum velle malum ſibi, adhuc indirectè: Ergò. Probo maiorem: Quia vellet malum ſuę ſimilitudini, vt tali: Sed velle malum ſuę ſimilitudini, vt tali, eſt velle malum ſibi, ſaltem indirectè: Ergò. Secundo: Quia ſi vnus homo vellet alteri homini, quatenus homini formaliter, & ſibi ſimili, malum, hic vellet ex conſequenti malum ſibi, quia vellet malum ſuę ſpeciei: Ergò, ſi Deus, qui eſt natura intellectualis, vellet malum alteri naturę intellectualis, vt tali, & vt ſibi ſimili, vellet ex conſequenti malum ſibi, ſiquidem vellet malum ſuę ſimilitudini, vt tali.

37. Secundo probatur minor, impugnando diſtinctionem familiarem Contrarijs de malo phyſico, & malo morali: Etenim iuxta ipſos, Deus non poteſt per ſe, vt Author ſpecialis, cauſare malum morale: Sed malum naturę intellectualis, vt talis, eſſentialiter eſt malum morale: Ergò Deus nequit per ſe, vt Author ſpecialis, cauſare malum naturę intellectualis, vt talis. Probatur minor: Quia malum naturę intellectualis, vt talis, eſt cõtra eius inclinationẽ: Sed malum contra inclinationẽ naturę intellectualis, vt talis, eſſentialiter eſt malum morale: Ergò. Probo minorem: Quia inclinatio naturę intellectualis, vt talis, eſt regula naturalis moralitatis: Sed malũ contra regulam moralitatis, eſſentialiter eſt malum morale: Ergò. Probo maiorem, quia regula moralitatis, ea eſt, contra quam ſi quis voluntariè agit, malè moraliter agit, & iuxta quam, ſi quis voluntariè agit, benè moraliter agit: Sed qui voluntariè agit contra inclinationem naturę intellectualis, vt talis, malè moraliter agit, & qui iuxta illam voluntariè agit benè moraliter agit: Ergò. Minor patet, quia de eſſentia vicij, & peccati eſt eſſe contra naturam rationalem, vt talem, hoc eſt, contra eius inclinationem, & de eſſentia virtutis eſt eſſe iuxta naturam rationalem, vt talem, ideſt, iuxta eius inclinationem. Confirmatur, quia lex ęterna, iuxta omnes, regula eſt boni, vel mali moralis: Sed non alia ratione, niſi quia talis eſt, quod voluntariè agere contra ipſam eſt malum morale, & voluntariè agere iuxta ipſam eſt bonum morale: Ergò, ſi inclinatio naturę rationalis, vt talis, talis eſt, quod voluntariè agere contra ipſam ſit malum morale, & voluntariè agere iuxta ipſam ſit bonum morale, regula moralitatis erit.

38. Confirmatur, ex Div. Thom. 1. 2. *quaeſt.* 91. *artic.* 2. in corpore. Vbi ſic ait: *Cum omnia, quę divinę providentię ſubduntur, à lege ęterna regulentur, & menſurentur, manifeſtum eſt, quod omnia participant aliqualiter legem ęternam, in quantum ſcilicet ex impreſsione eius habent inclinationes in proprios actus, & fines. Inter cętera autem, rationalis natura excellentiori quodam modo divinę providentię ſubiacet, vndè, & in ipſa participatur ratio ęterna, per quam habet naturalem inclinationem ad debitum actum, & finem:* Ergò inclinatio naturę rationalis, vt talis, eſt participativè lex ęterna, & conſequenter regula moralitatis.

39. Dices, verum eſſe, quod inclinatio naturę rationalis, vt talis, eſt regula moralitatis, in quantum agens voluntariè iuxta illam benè moraliter operatur, & agens contra illam voluntariè malè moraliter operatur; Cęterum ex hoc ad ſummum ſequitur, quod error voluntarius ſit malum morale, & conſequenter quod Deus non poſsit, vt Author ſpecialis, per ſe cauſare errorem voluntarium; Non tamen, quod error involuntarius ſit malum morale, ſed ſolum phyſicum, & ideò poterit Deus illum cauſare.

40. Sed contra eſt, quia ſi Deus, vt Author ſpecialis, cauſaret errorem in intellectu, cauſaret illũ voluntariè, eſſetque error volũtarius reſpectu Dei: Sed iuxta ſolutionem, error, ſi ſit voluntarius, eſt malum morale: Ergò erit malum morale reſpectu Dei. Confirmatur primo: Quia Deus non poteſt facere, quod intellectus iudicet contra inclinationem naturę rationalis, vt talis, niſi faciendo quod iudicet

contra legem naturalem, quia inclinatio naturę rationalis, vt talis, eſt participativè lex naturalis, ſeù lex ęterna Dei, & per illam menſuratur iuxta, Div. Thom. loco citato, & conſequenter idem formaliſsimè eſt errare contra inclinationem naturę rationalis, vt talis, ac errare contra legem ęternam, ſeù naturalem : Sed Deus nequit, vt Author ſpecialis, facere quod intellectus erret, adhuc involuntariè, contra ſuam legem ęternam, aut naturalem : Ergò nec quod erret contra inclinationem naturę rationalis, vt talis. Probatur minor : Quia licèt error ille contra Dei legem eſſet involuntarius reſpectu creaturę errantis, tamen eſſet voluntarius reſpectu Dei illum efficientis : Sed implicat Deum voluntariè efficere, ſeù agere aliquid contra ſuam legem, aliàs enim malè moraliter operaretur : Ergò.

41. Confirmatur ſecundo : Quia Deus, vt Authur ſpecialis, nequit efficere quod voluntas erret contra inclinatiunem naturę rationalis, vt talis: Ergò nec quod intellectus erret contra inclunationem naturę rationalis, vt talis. Antecedens patet, quia error voluntatis contra inclinationem naturę intellectualis, vt talis, eſſentialiter eſt peccatum, quia eſſentialiter eſt deviatio à fivè ſibi præſcripto ab Authore ſuo; Deus autem nequit eſſe Author ſpecialis peccati. Conſequentia verò probatur : Quia inclinatio naturę intellectualis non minus læditur, & contradicitur per errorem intellectus in iudicando, quam per errorem voluntatis in volendo, nec natura intellectualis minus inclinat in rectitudinem intellectus, quam in rectitudinem voluntatis, immò, ſi cõparatio facienda eſt, per prius inclinar in verum, quod eſt bonum intellectus, quam in bonum voluntatis, quia iuxta veriorem ſententiam, inclinatio ad verum eſt primaria, & intellectus eſt nobiliur potentia, inclinatio autem ad bonum eſt ſecundaria, & voluntas eſt potentia minus nobilis : Ergò ſi Deus nun poteſt, vt Author ſpecialis, efficere quod voluntas erret contra inclinationem naturalem ad bonum, minus poterit efficere quod intellectus erret contra inclinationem naturę rationalis ad verum, cum hæc ſit primaria, & nobilior.

42. Dices, errorem voluntatis contra inclinationem naturę rationalis eſſe eſſentialiter peccatum, & malum morale, at errorem intellectus in iudicando non eſſe eſſentialiter peccatum, nec malum morale. Sed contra, quia ideò error voluntatis eſt eſſentialiter peccatum, & malum morale, quia eſt eſſentialiter contra naturam rationalem, vt talem : Sed magis, & per prius eſt contra naturam rationalem, vt talem, error intellectus, quia eſt contra primariam eius inclinationem ad verum, & in primaria, & nobiliori potentia : Ergò etiam erit eſſentialiter peccatum, & malum morale.

43. Dices, eſſe diſparitatem, quia error intellectus, de quo loquimur, non eſt voluntarius, at error voluntatis nequit non eſſe voluntarius. Sed contra eſt, quia etiam voluntas poteſt involuntariè errare, vt cum ſequitur conſcientiam invencibiliter errantem contra legem Dei, tunc ſanè, ſicut errat conſcientia involuntariè, ita errat voluntas involuntariè ſequens errorem, vt latè monſtravi, *Tractat. de Conſcientia, quæſt.* 5. Rogo igitur, an Deus poſſit, vt Author ſpecialis, facere quod voluntas involuntariè, & inſcienter erret? Si poteſt, ergò poterit, vt Author ſpecialis, facere, quod involuntariè violet ſuam ęternam legem, quo nihil abſurdius excogitari poteſt. Si non poteſt, ſic arguo : Peius malum eſt ex genere ſuo error intellectus involuntarius, quam error voluntatis involuntarius, cum ſit contra primariam, & nobiliorem inclinationem, & in cæteris nulla ſit diſparitas, ſiquidem vterque error ſupponitur involuntarios : Sed Deus per ſe cauſare nequit, vt Author ſpecialis, errorem volũtatis, etiam involuntarium : Ergò minus poterit cauſare, vt Author ſpecialis, errorem intellectus, etiam involuntariom.

44. Sed, vt magis conſtet vis huius fundamenti, notandum eſt, quod malum morale formaliter, iuxta omnes, importat diſconformitatem, ſeù contrarietatem ad legem, vel ad naturam rationalem, vt talem, quia iſtę ſunt potiſſimę regulę muralitatis : Verumtamen, ſi hoc quis rectè examinet, inveniet, quod ratio voluntarij ex ſe, & ex ſuo genere malitiam non importat, licèt ſit neceſſarium omninò ad moralitatem formaliter talem. Attamen diſconformitas ad legem, vel ad naturam rationalem, vt talem, eſſentialiter, & ex ſuo genere malitiam moralem importat, cum importet diſconformitatem, ſeù contrarietatem ad regulam moralitatis, ſeù privationem debitę conformitatis ad ipſam. Hæc autem malitia moralis dicitur formalis, quando eſt voluntaria, quia tunc ſolum eſt imputabilis ad culpã : Dicitur verò materialis, quando eſt involuntaria, quia licèt tunc retineat totam illam diſformitatem ad regulam moralitatis, in qua malitia moralis eſſentialiter conſiſtit, non tamen eſt imputabilis ad culpam, ſed à culpa excuſatur ex ignorantia invincibili. Vbi valdè notandum eſt, quod id, quod illam malitiam conſtituit voluntariam, totum, eſt de linea boni, & per ſe cauſabile à Deo. Quid enim eam malitiam voluntariam conſtituit? Sanè

cog-

cognitio eius, vel obligatio,& poteſtas eam advertendi, & vitandi : Nam in hoc præciſè differt malitia voluntaria ab involuntaria,quod involuntaria eſt talis, quia non fuit agnita,nec debuit,aut potuit agnoſci, voluntaria tamen eſt talis, quia vel fuit agnita,vel potuit, & debuit agnoſci ; cognitio autem malitię, & poteſtas, obligatioque eam agnoſcendi de linea boni ſunt, & per ſe à Deo procedunt : Ergò, ſi malitia,aut diſconformitas ad legem , & naturam rationalem, quando voluntaria eſt , ſeù quando eſt formaliter moralis , eſt à Deo incauſabilis, non eſt incauſabilis ratione illius,per quod differt ab involuntaria , ſed ratione ſolius difformitatis ad legem,& naturam rationalem : Sed hæc difformitas tota, & eadem manet, quando non eſt voluntaria, nec moralis formaliter : Ergò remanet tota ratio incauſabilitatis à Deo.

45. Vndè ſic arguo : Error,quando voluntarius eſt , eſt malum moraliter , & incauſabilis à Deo : Sed,dum involuntarius eſt, retinet eandem rationem mali moralis , & incauſabilis à Deo : Ergò tunc etiam eſt incauſabilis à Deo. Maior patet,nam error voluntarius manifeſtè habet rationem peccati,vt inquit Div. Thom. *quæſt. 3. de malo , articul. 7. in Corp.* Minor verò probatur : Quia error , dum eſt voluntarius, non eſt moraliter malus, nec incauſabilis à Deo, ex eo , per quod conſtituitur volũtarius, & differt à ſe ipſo, vt involũtario,nã quod error ſit voluntarius præ involuntario, ſolum conſiſtit in eo , quod præviè ad errorem præcedat poteſtas illum vitandi , aut advertentia, ſuſpitiove falſitatis ; poteſtas autem vitandi errorem, advertentiaque,aut ſuſpicio falſitatis , de linea boni ſunt , & per ſe cauſabiles à Deo : Solum ergò conſtituitur malus moraliter, & incauſabilis à Deo per diſconformitatem ad legem naturalem, & ad naturam rationalem, vt talem : Sed quando eſt involuntarius totam hanc diſconformitatem retinet, licèt non imputabilem ad culpam erranti : Ergò retinet totam rationem mali moralis , & incauſabilis à Deo , licèt non imputabilem erranti ad culpam.

46. Confirmatur : Quia peccatum materiale, ſeù error voluntaris , quo involuntariè deviat à lege,eſt malum morale ſufficienter, vt nõ poſsit per ſe cauſari à Deo, quia videlicèt retinet totam diſconformitatam ad legem,& ad naturam rationalem, per quam formaliter malum morale conſtituitur, licèt non voluntariam, nec imputabilem : Sed error intellectus,quando eſt involuntarius, eandem diſconformitatem retinet ad naturam rationalem , & ad legem natutę : Ergò eſt malum morale ſufficienter , vt ſit incauſabile per ſe à Deo.

PROBATVR CONCLVSIO ad Abſurdis.

47. QVINTO probatur Concluſio : Nam ſi Deus poſſit per ſe cauſare,aut infundere errorem , poterit cauſare per ſe,ſeù infundere errorem,quo quis iudicet mendacium eſſe licitum, & honeſtũ,imò,& obligatorium, & ſimiliter homicidium , adulterium , & alia huiuſmodi contra ipſam legem Dei : Sed hoc eſt intolerabile abſurdum , quia aliàs poſſet Deus per ſe,& vt Author ſpecialis,movere hominem ad mendacium , homicidium , adulterium, ſacrilegium , periurium , &c. Ergò.

48. Dices primo, Deum ſolum poſſe infundere errorem invincibilem , ſeù involuntarium citra dicta : cæterum , ſuppoſito tali errore , mendacium , homicidium, adulterium, &c. iam fore reſpectu errantis licita , & honeſta , ac per conſequens nullum eſt abſurdum , quod tunc poſſet Deus movere ſpecialiter hominem ad ea. Sed contra eſt , quia potius ſuppoſito tali errore ineſſe erroris,mendacium,& ſic dè reliquis, maneret prohibitum,& illicitum, & minimè licitum , & honeſtum illi, quia aliàs non erraret iudicando illud ſibi licitum,& honeſtum : Ergò Deus movendo , vt poſſet, ad illud, moveret, vt Author ſpecialis,ad mendacium re ipſa prohibitum,& contra ſuam legem. Contra ſecundo : Quia Deus infundendo talem errorem ſupponimus non diſpenſare, nec abolere ſuam legem naturalem , primo, quia non poteſt , ſecundo , quia, diſpenſata, vel abolita lege naturali , iam non eſſet error iudicare mendacium licitum : Ergò Deus infundendo,vel cauſando ſpecialiter talem errorem, moveret,vt Author ſpecialis,hominem, vt iudicaret, & ageret contra ſuam legem naturalem in ſuo robore permanentem : Hoc autem quis dicat? Contra tertio : Quia aliàs poſſet Deus honeſtare mendacia , periuria , ſacrilegia , homicidia , &c. Quod quis audeat dicere? Ergò.

49. Propterea reſpondebis ſecundo , Deum non poſſe infundere errorem practicum ad mores ſpectantem,poſſe tamen infundere errorem ſpeculativum circa logicalia , vel res purè philoſophicas , quia hic error eſt malum purè phyſicum.Sed contra,quia error practicus ad mores ſpectans , ſi ſit invincibilis , eſt etiam malum purè phyſicum , & non morale iuxta Contrarios , quia eſt involuntarium , & non

non morale : Ergò, vel vtrumque, vel neutrum cauſare poteſt. Dices forſan non eſſe malum morale formaliter, eſſe tamen cauſaliter malum morale, quia cauſaret, & induceret ad peccatum, ſcilicèt, ad mentiendum. Sed contra, quia ſolum induceret ad peccatum materiale, quod etiam iuxta contrarios non eſt malum morale, quia non eſt voluntarium : Ergò non eſſet cauſaliter malum morale. Propterea dices ſecundo : Eſſe malum morale materialiter; & hoc ſufficere, vt Deus non poſsit illud per ſe cauſare. Rectè. Sed ſic infero : Ergò Deus nequit eſſe cauſa per ſe, nec Author ſpecialis mali moralis, licèt materialiter talis ex defectu voluntarij. Tunc ſic, ſed error etiam ſpeculativus, & purè philoſophicus eſt malum morale, licèt materialiter, defectu voluntarij : Ergò illius Deus nequit eſſe cauſa per ſe, nec Author ſpecialis. Probo minorem ſubſumptam, primò, quia error ſpeculativus, etſi purè philoſophicus, eſt contra naturam rationalem, ſeù intellectualem formaliter vt talem, & conſequenter contra legem naturę, quę naturę inclinationem comitatur ; ſicut enim veritas, etiam ſpeculativa, eſt iuxta inclinationem naturę intellectualis, vt talis, & iuxta legem naturę, quę iubet etiam in ſpeculabilibus inquirere veritatem ante judicium deciſivum, ita falſitas, ſeù error ſpeculativus eſt contra talem inclinationem, & contra legem naturę, quę iubet vitare, pro poſſe falſitatem, & errorem in iudicando, etiam de ſpeculabilibus, & philoſophicis ; imò per prius inclinat natura ad veritatem ſpeculativam, quam ad practicam, quia per prius eſt intellectus ſpeculativus quam practicus, & conſequenter per prius aborret falſitatem ſpeculativam, quam practicam, loquendo ex genere : Sed malum morale, eò dicitur tale, quia eſt contra inclinationem, & legem naturę intellectualis, vt talis: Ergò error purè philoſophicus eſt malum morale, licèt materialiter tale, defectu voluntarij.

50. Secundò probatur minor: Quia illud eſt malum morale materialiter, quod ſi voluntariè incurratur, eſt malum morale formaliter, & ſic ſolum deficit ratio voluntarij, vt ſit formaliter malum morale : Sed error, etiam ſpeculativus, eſt talis : Ergò. Probo minorem: Quia qui errat voluntariè, etiam in ſpeculabilibus, & philoſophicis, peccat re ipſa : Sed peccatum eſt malum morale formaliter : Ergò error etiam in ſpeculabilibus, & philoſophicis, ſi voluntariè incurratur, eſt malum morale formaliter. Probo minorem ex Div. Thom. *quæſt. 3. de malo, articul. 7. in Corp.* vbi inquit ; *Error autem eſt approbare falſa pro veris, vndè addit actum quendam ſuper ignorantiam; Poteſt enim eſſe ignorantia, ſine hoc quod aliquis de ignotis ſententiam ferat ; & tunc eſt ignorans, & non errans : Sed quando iam falſam ſententiam fert de his, quæ neſcit, tunc propriè dicitur errare: Et quia peccatum in actu conſiſtit, error manifeſtè habet rationem peccati, non enim abſque præſumptione eſt, quod aliquis de ignoratis ſententiam ferat, & maximè in quibus periculum exiſtit* : Ergò error, ſaltèm quando voluntarius eſt, manifeſtè habet rationem peccati. Vbi valdè notanda ſunt illa verba: *Et maximè vbi periculum exiſtit*, quibus S.D. nõ negat, quod in his, vbi periculũ non eſt, vti in rebus purè philoſophicis, error ſit peccatum, ſed potius ſupponit eſſe peccatum, licèt leviſsimum, comparatione ad errorem in rebus moralibus, in quibus periculum eſt : Et hoc ſenſu dixit etiam Auguſt. *in Enchyrid. cap. 21. Quod talis error, non arbitrandum eſt eſſe peccatum, vel ſi eſt, minimum eſſe, atque leviſsimum*, loquitur enim facta comparatione ad errorem contra fidem, & rectam doctrinam morum : Ergò iuxta Div. Thom. error etiam ſpeculativus, & in rebus purè philoſophicis, peccatum, & malum morale, licèt leviſsimum, eſt.

51. Tertio : Quia omnis operatio naturę intellectualis deficiens à rectitudine ſibi debita ſecundum ius, & exigentiam ſuę naturę, ſi voluntariè deficiat, eſt formaliter peccatum, & malum moraliter, ſiquidẽ eſt operatio voluntariè prava : Sed error, ſeù iudicium erroneum etiam in ſpeculabilibus, & philoſophicis, eſt operatio deficiens à rectitudine ſibi debita ſecundum ius, & exigentiam ſuę naturę : Ergò eſt formaliter peccatum, & malum moraliter, ſi voluntariè deficiat, hoc eſt, ſi ſit error voluntarius. Minor probatur : Nam rectitudo debita iudicio intellectuali ex iure, & exigentia ſuę naturę eſt veritas, ſeù conſormitas cum obiecto, & hoc etiam in ſpeculabilibus, & philoſophicis: Sed ab hac rectitudine deficit error, ſeù iudicium erroneum : Ergò.

52. Confirmatur : Quia error, etſi ſpeculativus, & philoſophicus, eſt malum, nam, vt inquit Div. Auguſt. *in Enchyrid. ad Laurent. cap. 19. Ipſe per ſe ipſum error, ſivè parum in re parva, ſivè magnũ in re magna, ſemper tamẽ malum eſt.* Et Div. Thom. *quæſt. 18. de veritate, artic. 6. in Corp. Falſitas, non ſolum eſt carentia veritatis, ſed etiam ipſius corruptio : Vndè ſicut verum eſt bonum ipſius intellectus, ita falſum eſt malum ipſius, vndè dicit Comment. in 3. de Anima: Quod falſa opinio ita ſe habet in cognoſcibilibus, ſicut monſtrum in natura corporali* : Sed malum intellectus, & monſtrum in linea cognoſcitiva

non

non eſt malum purè phyſicum,ſed morale, quia eſt contra naturam intellectualem, vt talem, quę regula moralitatis eſt : Ergò error, adhùc ſpeculativus, & philoſophicus eſt malum morale, & conſequenter incauſabile per ſe à Deo.

53. Confirmatur ſecundò : Quia rationes, quibus hucuſque probavimus errorem non poſſe cauſari per ſe à Deo, ęquè probant de errore ſpeculativo philoſophico, ac de errore practico morali : Ergò vel vtetquè, vel neuter eſt cauſabilis per ſe à Deo. Probo antecedens : Quia prima ratio conſiſtebat in eo quod error non poteſt contineri in Deo, qui eſt ſumma,& pura veritas : Sed Deus, non ſolum eſt ſumma,& pura veritas in linea practica morali, ſed etiam in omni linea ſpeculativa : Ergò ea ratio,non ſolum probat errorem practicum, non poſſe in Deo contineri, ſed nec errorem ſpeculativum philoſophicum, & conſequenter nec poſſe cauſari à Deo. Item, ſecunda ratio conſiſtebat in eo, quod error eſt contradictio intentionalis, & obiectiva divino intellectui, ſeù iudicio : Sed error ſpeculativus philoſophicus contradicit etiam intentionaliter, & obiectivè divino intellectui oppoſitum iudicanti : Ergò. Item,tertia ratio conſiſtebat in eo,quod,ſi Deus cauſaret per ſe errorem,ſeduceret, ac deciperet intellectum : Sed Deus,non ſolum nequit decipere intellectum in practicis, ſed nec in ſpeculativis, & philoſophicis : Ergò. Item, quarta ratio procedebat ex eo, quod error eſt malum naturę intellectualis, vt talis : Sed error,adhùc ſpeculativus, & philoſophicus,eſt etiam malum naturę intellectualis vt talis, vt oſtenſum manet : Ergò prædictę rationes,vel probant de errore ſpeculativo,licèt purè philoſophico, vel nòn probant de errore practico morali.

SOLVUNTUR OBIECTA.

54. OBIJCITVR primo ex M. P. Auguſt. qui *lib. de bono perſev.* ſæpè ait: *Irriſoria eſt gratiarum actio, ſi ob id gratię agantur ipſi,quod non donavit ipſe, neque fecit* : Ergò iuxta ipſum, Deus eſt cauſa per ſe, & ſpecialis cuiuſvis rei,pro qua meritò gratię agunturDeo: Tunc ſic ; ſed iuxta ipſum pro errore poſſunt meritò gratię Deo agi : Ergò Deus poteſt eſſe cauſa per ſe, & ſpecialis erroris. Minor probatur : Nam *in Enchyrid. cap.* 17. ſic ait: *Nonnullis errare profuit, ſed in via pedum, non in via morum : Nam nobis ipſis accidit, vt in quodam bivio falleremur,& nō iremus per eum locū,vbi obvians tranſitum noſtrum Donatiſtarum manus armata ſubſederat ; atque ita factum eſt, vt eo, quo tendebamus, per devium circulum veniremus, cognitiſque inſidijs illorum,nos gratularemur erraſſe, atque indè gratias ageremus Deo. Et fortaſſe ideò apud ſummum illum Poëtam. Eclog.* 8. *loquens quidam amator ait : Vt vidi, vt perij,vt me malus abſtulit error, quoniam, & eſt error bonus, qui non ſolum nihil obſit, verum etiam proſit*: Ergò à M. P. Auguſt. collatę ſunt Deo gratiarum actiones pro errore ſaltèm ſpeculativo, qualis fuit error ille vię, ſeù in via pedum, vt inquit ipſe. Hoc argumentum magnifacit P. Sendin. Et poteſt confirmari, quia ſæpè error poteſt eſſe bonus, & proficuus ad finem honeſtum, v. g. Si quis intendens occidere aliquem hominem, exiſtimet per errorem, illum eſſe alium ab eo,quem occidere intendit, & ſic retrahatur ab homicidio ; vel ſi quis intendens facere aliquid, quod eſt tantum veniale, retrahatur ex errore,quo iudicet eſſe mortale; vel ſi quis ex falſa narratione deceptus circa nimiam paupertatem alicuius, exindè moveatur ad actum miſericordię,& ſic de alijs : Sed error bonus, & proficuus honeſto fini poteſt cauſari per ſe à Deo : Ergò.

55. Reſpondebis forſan ex Lumbier, gratias deberi Deo,non ſolum pro eis, quę facit, vt Author ſpecialis, ſed etiam pro eis,quę facit, vt Author, & cauſa generalis ; Deum autem poſſe eſſe Authorem, & cauſam vniverſalem erroris. Sed contra eſt, quia in primis, pro eis,quę Deus facit ſolum,vt cauſa generalis, ſolum debentur ipſi gratię generales, & communes, vt pro pluvia, pro fructibus terrę, &c. At gratię ſpeciales ſolum debentur Deo pro beneficio ſpeciali, quod Deus ſpeciali providentia alicui concedit, & facit,vt Author ſpecialis ; & huiuſmodi videtur fuiſſe actio gratiarum M. P. Auguſt. Nam quod per illum errorem liberatus fuit ab Inſidijs inimicorum fuit ex providentia ſpeciali Dei, & conſequenter ab ipſo Deo, vt Authore ſpeciali. Deindè, nec communes gratię debentur Deo pro eis, quę per accidens,aut purè permiſsivè facit,vt Author,& cauſa vniverſalis,ſed ſolum pro eis,quę facit, vt cauſa per ſe,licèt vniverſalis: Deus autem adhùc,vt cauſa vniverſalis,non poteſt cauſare poſſitivè, & per ſe errorem, quia adhùc, vt cauſa vniverſalis,non poteſt cauſare per ſe, quod in ſe non continet, quod ſuę ſcientię contradicit, quod ſi cauſaret per ſe, argueret Ipſum eſſe ſeductorem, & quod eſt malum contra naturam rationalem, vt talem, vt probant rationes,prælactę. Ac demùm, quia vel Deus cauſaret poſſitivè actum erroneum, quoad ſpecialem differentiam erronei, vel ſolum quoad rationem

com-

communem actus, & entis? Si hoc ſecundum, fateor quod ſolum concurreret, vt Author, & cauſa vniuerſalis, ſed non, vt cauſa per ſe erroris, ſed ſolum per accidens, & permiſsivè, quia ſolum cauſaret per ſe rationem communem actus, & entis, cui præter Dei intentionem, ex cauſa ſecunda adiungeretur differentia ſpecialis erroris. Si primum: Ergò non ſolum cauſaret errorem, vt cauſa vniuerſalis, ſed etiam, vt cauſa ſpecialis, iuxta explicationem, *ſupra præmiſſam, num. 2.*

56. Reſpondeo igitur: Ex prædictis Auguſt. verbis ad ſummum inferri, quod errare in via pedum fuerit in eo caſu bonum, & beneficium à Deo, vt Authore ſpeciali; at quid fuit errare in via pedū? Nō ſanè errare intellectualiter in iudicio viæ, ſed errare in ingreſſu, & motu pedum, phyſicè ambulando per aliam viam ab ea, quę directè ducebat in locum intentum, nempè, per viam obliquam, quę per circulum eo tendebat: Hic autem error non eſt de quo loquimur, quia in præſenti ſolum loquimur de errore intellectuali, non de errore illo purè phyſico, & materiali, nempè, in motu phyſico, & progreſsivo, nam error iſte purè denominativè eſt error, nempè, reſpectivè ad intentionem progrediendi per directam viam; at reſpectivè ad finem ſpecialiter intentum à Deo, nempè, liberandi Auguſtinum ab inſidijs, error non fuit, ſed motus rectè condnecens ad hunc finem: Et ſub hac ratione fuit à Deo, vt Authore ſpeciali, qui ſpeciali prouidentia permiſit, vt in biuio ductor itineris alio diſtractus exiſtimaret viam directam, quę erat obliqua, & hac permiſsione ſuppoſita, movit ſpecialiter, vt tenderent per obliquam ad vitandas inſidias: Et hæc diſtinctio infertur ex Auguſt. ipſo, qui *infra, cap. 19. ſic* ait: *Aliud eſt ipſam viam putare, quę non eſt, aliud ex hoc erroris malo, aliquid boni conſequi, veluti à malorum hominum inſidijs liberari.*

57. Sed dices: Div. Auguſt. non ſolum loquitur de errore phyſico progreſsivo, ſed de intellectuali, ſic enim ait: *Nobis ipſis accidit, vt in quodam biuio falleremur, & non iremus per eum locum, &c.* Falli autem non pertinet ad pedes, ſed ad intellectum: Ergò ruit ſolutio. Secundo: Quia Deus non poſſet eſſe cauſa ſpecialis erroris phyſici pedum, niſi cauſando per prius errorem intellectus in exiſtimatione vię, ſiquidem propterea moti fuerunt ad progreſſum per viam obliquam, quia eam exiſtimarunt directam: Ergò ſi Deus fuit cauſa ſpecialis erroris phyſici pedum, per prius fuit cauſa ſpecialis erroris intellectualis. Tertio: Quia Div. Auguſt. inquit: *Nos gratularemur erraſſe,* non diſtinguens inter errorem intellectualem, & progreſsivum: Ergò de vtroque eſt intelligendus.

58. Sed hæc parum vrgent. Ad primum dico, quod Auguſtinus de vtroque errore mentionem facit, dum refert caſum illū; Sed dum ait: *Nos gratularemur erraſſe, atque indè gratias ageremus Deo*, non egit gratias pro errore intellectuali, ſeù pro falſitate iudicij, ſed ſolum pro errore phyſico itineris, quo liberatus fuit ab inſidijs. Ad ſecundum, nego antecedens: Quia licèt propterea ierint per viam obliquam, quia per errorem eam exiſtimarunt rectam, potuit Deus purè permiſsivè ſe habere ad errorem, &, illo ſuppoſito, movere ſpecialiter, vt irent per eam viam, quam, eo permittente exiſtimaverant rectam. Sicut poteſt Deus permittere, quod aliquis fallatur exiſtimans aliquem pauperem, qui re vera pauper non eſt, & tali exiſtimatione erronea permiſſa, movere ſpecialiter ipſum ad dandam illi eleemoſynam, quem per errorem iudicat pauperem. Ad tertiam dico: Quod licèt Div. Auguſt. non diſtinguat expreſsè, debet tamen intelligi cum diſtinctione, quia error, de quo inquit: *Nos gratularemur erraſſe*, debet eſſe error bonus, vt bonus, nam de malo, vt malo, nemo ſibi, aut alijs gratulatur: Error autem conſiſtens in falſitate iudicij intrinſecè, minimè bonus eſt, vtpote dicens contradictionem ad intellectum divinum, & ad naturam rationalem: Undè ſolus error phyſicus in motu progreſsivo, fuit bonus, & proficuus re ipſa, & in quo nulla contradictio fuit ad intellectum divinum, ſed potius conformitas cum illo, quia intellectus divinus iudicavit tunc ea via eundem eſſe ad declinandas inſidias, nec contra naturam intellectualem, vt talem, quia potius natura intellectualis, ſi prævidiſſet inſidias, iudicaſſet etiam eo itinere eſſe pergendum: Undè, propriè loquendo, error ille in via pedum, fuit rectum ab errore, & ſic potuit eſſe materia gratulationis, & gratiarum actionis. Non verò error intellectus in iudicio de via, quia hic, iuxta ipſum Auguſtinum, neutiquam bonus dicitur.

59. Audi ipſum *in eodem cap. 19. Porrò, ſi per errorem euadit quiſque perniciem, ſicut ſuperius dixi nobis in itinere contigiſſe, etiam aliquid boni homini errore confertur. Sed eum dico, in quibuſdam rebus nullo malo aliquem, vel nonnullo etiam bono falli, non ipſum errorem dico nullum malum, vel nonnullum bonum, ſed malum, quo non venitur, vel bonum, quo venitur errando, id eſt, ex ipſo errore, quid non eueniat, aut quid proveniat: Nam ipſe per ſe ipſum error, aut magnum in re magna, aut parvum in re parva, ſemper tamen ma-*

malum eſt. Quis enim, niſi errans, malum neget approbare falſa pro veris, aut improbare vera pro falſis, aut habere incerta pro certis, aut certa pro incertis: Ergò iuxta Div. Auguſt. error intellectus per ſe ipſum minimè bonus, ſed purè malus eſt, & conſequenter nec poteſt cenſeri beneficium, pro quo gratię meritò agantur Deo; ſed gratię ſolum aguntur pro beneficio indè ſequuto, nempè evaſione inſidiarum, quę per errorem phyſicum pedum, ſeù per iter obliquum conſequuta eſt.

60. Et indè in forma ad Argumentum, *ex num.* 54. patet ſolutio, conceſſo antecedenti, & prima conſequentia, diſtinguendo minorem ſubſumptam; pro errore poſſunt meritò gratię agi Deo, pro errore propriè tali, qui eſt error intellectus, nego minorem: Pro errore phyſico, qui dicitur rectum ab errore, concedo minorem: Et id ſolum probat textus Auguſtini, vt explicatum manet. Et ſimiliter ad confirmationem, diſtinguo maiorem: Error poteſt eſſe bonus, & proficuus intrinſicè, & per ſe, nego maiorem: Per accidens, & ratione eventus ſecuti, concedo maiorem: Quia error, cum ſemper ſit præter intentionem, immò contra intentionem naturę, nihil cauſare poteſt per ſe, ad nihilque per ſe conducit, ſed ſolum per accidens, & præter intentionem operantis, ſicut patet in caſibus ibi relatis: Nam ſi error conantis occidere aliquem liberat illum à morte, eſt quia error exiſtimatur veritas, & ſic de alijs: Error ergò, vt error formaliter, ad nihil poſitivè, & per ſe conducit, ſed ſolum per accidens, vt infra dicemus de Conſcientia erronea: Ex hoc autem malè infertur, quod per ſe ipſum bonus ſit, aut per ſe à Deo cauſabilis.

61. Obijcies ſecundo: Deus poteſt, vt Author ſpecialis, cauſare per ſe malum phyſicum creaturę: Sed error purè philoſophicus eſt malum purè phyſicum creaturę: Ergò poteſt illum per ſe cauſare, vt Author ſpecialis. Maior patet, quia Deus eſt ſupremus dominus creaturę: Ergò poteſt illi inferre malum quodlibet purè phyſicum. Confirmatur: Error ſæpiſsimè cauſatur in creatura ex occurſu, & concurſu cauſarum naturalium: Ergò, tunc Deus medijs cauſis ſecundis cauſat errorem: Sed quod Deus cauſat medijs cauſis ſecundis, poteſt illud cauſare ſe ſolo, & per ſe: Ergò. Confirmatur ſecundo: Deus poteſt per ſe cauſare ignorantiam, hebetudinem intellectus, amentiam, & phreneſim creaturę rationalis: Ergò, & errorem. Probo conſequentiam: Primo, quia non minus mala ſunt prædicta, quam error: Ergò ſi ea Deus cauſare poteſt, etiam errorem. Secundo, quia ex illis ſequuntur per ſe plures errores: Sed qui poteſt per ſe cauſare id, ex quo ſequitur per ſe error, poteſt per ſe cauſare errorem: Ergò.

62. Reſpondeo primo, negando maiorem de malo phyſico, quod verè ſit malum: Nam, vt alibi oſtendam, malum phyſicum verè tale formaliter conſiſtit in privatione perfectionis phyſicè debitę ſubiecto, cui malum infertur: Privatio autem, cum ſit formaliter non ens, minimè poteſt à Deo efficienter cauſari per ſe, ſed ſolum permiſsivè. Et item, quia Deus ſolum eſt efficienter perfectivus, bonificativus, meliorativus, & actuativus cuiuſvis naturę: cum ſit pura, & ſumma bonitas, pura, & ſumma perfectio, primus, & ſummus actus, ac proindè de ſe, & per ſe nihil poſsit creaturis communicare, niſi bonitatem, perfectionem, & actualitatem, non verò poteſt vllam naturam per ſe, & ex ſe efficienter maliſicare, inficere, deteriorare, imperficere, aut defectuoſam reddere, cum iſta ex Deo per ſe deſcendere non poſsint, in quo minimè ſunt; ſicut Sol, quatenus eſt pura lux, ſeù plenitudo lucis, minimè poteſt cauſare per ſe tenebras, nec reddere per ſe corpus aliquod tenebroſum, aut luce orbatum: Ergò repugnat Deum eſſe per ſe cauſam efficientem mali phyſici, quod verè ſit malum.

63. Dixi, *quod verè ſit malum*, quia plura nominantur mala, quę re ipſa bona ſunt, quia ſunt mala malo ſubiecto, ſeù defectuoſo, vt tali, & ita ſunt plura bona, poſitivè bona, immò, & ex capite bonitatis: V.g. invidioſo malum dicitur bonum ſui proximi, vtpote ipſum contorquens, & affligens, & ſæpè Deus eum punit augendo, & promovendo bonum proximi: Sed hoc re ipſa bonum eſt, & à Deo per ſe cauſabile, quia ſolum eſt malum malo, non malum bono, vt bono, & ſic ſunt plura mala pœnę, quę à Deo per ſe efficienter cauſantur: V. g. lux quædam ſuperna, qua probabiliter cenſent plures, Deum torquere damnatos, illuſtrando eorum mentem, vt quid amiſerint, & in quid inciderint, vividius agnoſcant; & ſimiliter vermis conſcientię, qui nunquam morietur, per ſe quidem eſt lumen ſindereſis, quod per ſe à Deo cõſervatur, & nunquam extinguitur, & per ſe bonum eſt, licèt malis ſit malum terribiliſsimum: Et exceſsiva lux materialis de ſe bona eſt, licèt ſit mala oculis defectuoſis noctuę, vel oculis aliàs ęgris. Omnia iſta, vt ſunt à Deo, re ipſa bona ſunt, & ſolum ſunt mala malis, vel defectuoſis ſubiectis, & ideò poſſunt per ſe cauſari à Deo; ea verò, quę re ipſa mala ſunt bonis naturis, & contra inclinationem bonam, & ac-

tuam

tualem inditam à Deo, in quantum ſic mala, minimè poſſunt per ſe cauſari ab ipſo Deo, ſed ſolum permiſivè, & per accidens, ad cauſationem alicuius entis, ſeù perfectionis, cui aliundè, & præter Dei intentionem, adiungitur privatio boni, ſeù malitia. Nec probatio in contra tenet, quia licèt Deus ſit Supremus Dominus creaturę, ex hoc ſolum probatur, quod poſsit illi permittere quodlibet malum, & quod poſſit in ea cauſare quidquid voluerit, etſi indè illi malum proveniat alio ex capite ortum, quia cum Deus, vti Supremus Dominus, non teneatur vitare malum creaturę, ex hoc ipſo, ſi aliundè malum ei ſequatur, poſsita Dei operatione, malum illud non imputatur Deo, ſed vel alijs cauſis, vel ſubiecto ipſi, ex cuius defectibilitate, & limitatione malum eſt illi, quod provt à Deo bonum eſt: Sicut lux meridiana mala eſt occulis noctuę, ſed quod ſit mala non eſt per ſe à Sole, ſed ex defectu, & limitatione potentię viſivę noctuę.

64 Ex quo patet, quo pacto Deus non ſit cauſa efficiens per ſe, nec mortis, nec ęgritudinis, nec cæcitatis, nec vulneris, nec aliorum malorum phyſicorum, vt talium, licèt ſit cauſa per ſe formarum poſsitivarum, quibus à Deo cauſatis in ſubiecto, neceſſariò ſequitur, vel mors, vel cæcitas, vel ęgritudo, &c. Quia nempè hæc mala nō ſequuntur per ſe ex entitatibus, aut formis à Deo procedentibus, ſed ex alijs cauſis deficientibus intermedijs, aut, ſi nulla cauſa interveniat defectuoſa, ex defectu, & limitatione ſubiecti: Et quia Deus non tenetur vitare mala creaturę, ſed iure ſui ſupremi Dominij poteſt quidquid voluerit operari, quamvis ſequatur creaturę malum, quia id ſolum permiſivè ipſi imputari poteſt; ſicut ſolum permiſsive, imputatur mors agreſoris ei qui illum occidit ob defenſionem proprię vitę cum moderamine inculpatę tutelę, quia ius habet propriam vitam tuendi, quidquid ſit, an indè ſequatur agreſori mors. Quę doctrina, ſi rectè percipiatur, ſatis eſt ad reſpondendum pluribus obiectionibus, quibus contendunt Contrarij Deum poſſe per ſe cauſare efficienter plura mala phyſica: Quo negato, nihil eſt, quod Contrarios iuvare poſsit ad ſuam ſententiam tuendam.

65. Si dices: Creatura cauſans efficienter aliquid poſsitivum, ex quo cæcitas, vel mors, aliudve malum, ſeù privatio ſequitur, dicitur cauſare per ſe, ſaltem indirectè, malum illud, ſeù privationem: Ergò pariter Deus. Nego conſequentiam: Tum quia illud poſsitivum ſæpè, provt cauſatur à creatura, affert ex illa defectum, ſeù privationem boni oppoſiti, quia ex creatura limitata, & deficienti poteſt effectus trahere limitationem, & defectum, qui reſpectu ſui ſit privatio, & malū, ex Deo autem cum ſit ipſa plenitudo eſſendi, nullus effectus trahit defectum, aut privationem. Tum quia creatura vna reſpectu alteriús non habet Dominium abſolutum, nec ius abſolutum operandi quodlibet, licèt indè ſequatur alteri malum; ſed vnaquęque eſt conſtricta ſuis legibus ne noceat alteri: Vndè, ſi ſuum ius excedat, aut à proprijs legibus exorbitet, & ſic ſequatur alteri nocumentum, dicitur indirectè cauſa per ſe mali, ſeù privationis alteri ſequutę: At Deus contra ſe habet, nulliſque legibus, aut terminis eius Dominium, aut vis operativa coartatur, ſed habet ius abſolutum operandi quodlibet propter ſe ipſum, ſine obligatiooe vitandi nocumentum alterius, ac proindè, quando ſequitur nocumentum alicuius naturę, non imputatur per ſe Deo, nec directè, nec indirectè.

66. Sed quia error, alijs etiam titulis à Deo incauſabilis eſt, propterea, omiſſa maiori argumenti præfati, nego minorem: Quia error eſſantialiter importat contradictionem obiectivam ad intellectum divinum, eſtque contra naturam intellectualem, vt talem, quę regula moralitatis eſt. Nec obeſt, ſi dicas: Nihil poteſt eſſe malum morale creaturę, niſi dependenter ab eius libertate: Sed error involuntarius incurritur ſine libertate: Ergò nequit eſſe malum morale creaturę. Diſtinguo enim maiorem: Nihil poteſt eſſe malum morale creaturę formaliter, ſeù imputabiliter, independenter ab eius libertate, concedo maiorem: Materialiter, aut alio modo, nego maiorem, & conceſſa minori, conſequentiam: Etenim fomes peccati, ſeù concupiſcentia carnalis, qua caro concupiſcit adverſus ſpiritum, malum morale eſt creaturę intellectualis, & tamen non eſt illi libera, ſed eam patitur independenter à ſua libertate: Item, peccatum materiale commiſſum ex ignorantia invincibili malum morale eſt ſufficienter, vt non poſsit per ſe cauſari à Deo; & tamen non eſt liberum nec voluntarium: Hoc ergò pacto poteſt error eſſe malum morale, nempè materialiter, quamvis non ſit liber, nec voluntarius erranti, ſufficienter tamen, vt non poſsit cauſari per ſe à Deo. Vel dic: Errorem involuntarium non eſſe malum morale formaliter reſpectu creaturę, cui involuntarium eſt, at eſſe malum morale formaliter reſpectu cuiuslibet cauſantis illum voluntariè, & liberè, vndè nemo, & conſequenter neque Deus, poteſt voluntariè, & per ſe cauſare errorem, deceptionem, aut falſitatem alterius, niſi cauſando malum morale formaliter tale reſpectu ſui, quia eo ipſo

reſ:

reſpectu ſui voluntarium foret, & ſolum defectu voluntarij non erat malum morale formaliter reſpectu creaturę deceptę. Vnde ſicut, qui moveret amentem, aut ebrium ad blaſphemandum, eſſet cauſa mali moralis formaliter talis reſpectu ſui, quia blasphemia illa eſſet ipſi moventi voluntaria, licèt non eſſet malum morale formaliter reſpectu amentis, quia ipſi voluntaria non foret; ita pariter, ſi Deus moveret ſpecialiter hominem ignorantem ad errorem. Vide *ſupra num.* 40.

67. Ex quo iam ad confirmationem argumenti, diſtinguo antecedens: Error ſæpè cauſatur ex occurſu, & concurſu cauſarum naturalium, vt deficientium, concedo antecedens: Vt efficientium, nego antecedens, & conſequentiam: Quia, cum Deus movet cauſas ſecundas, ſolum cauſat per ſe medijs illis, quod per illas efficienter cauſatur, ſiquidem Deus ſolum eſt efficiens non deficiens, ipſę verò cauſę ſecundę ſunt primo deficientes: Error autem formaliter non eſt effectus, ſed defectus in cognoſcendo; hic autem defectus ſolum oritur ex cauſis ſecundis, vt deficientibus, & conſequenter non eſt per ſe à Deo, ſed ab ipſis cauſis ſecundis, vt primo deficientibus.

68. Ex quo patet ad idem argumentum alio modo propoſitum, nempè ita: Deum eſſe ſpecialem cauſam erroris nihil eſt aliud, quam eſſe cauſam omnium principiorum determinantium ad errorem; Sed Deus poteſt eſſe cauſa per ſe talium principiorum: Ergò & erroris. Reſpondeo enim, diſtinguendo maiorem: Nihil eſt aliud, quam eſſe cauſam omnium principiorum determinantium ad errorem ſecundum eam rationem, ſecundum quam errorem determinant, concedo maiorem: Secundum aliam rationem, ſecundum quam errorem non cauſant, nec determinant, nego maiorem, & diſtinguo minorem eodem modo, quia Deus non cauſat principia determinantia errorem ſecundum rationem principiorum deficientium, ſed ſolum ſecundum rationem principiorum efficientium; ipſa autem principia non determinant ad errorem, quatenus ſunt principia efficientia, ſed quatenus ſunt deficientia, & ſic error imputatur ipſis, vt primis deficientibus, non verò Deo, qui non habet rationem principij deficientis.

69. Ad ſecundam confirmationem, omiſſo antecedenti, poſſet negari conſequentia, & ad primam probationem, negari antecedens, quia ignorantia involuntaria non eſt actus aliquis contra inclinationem naturę rationalis, nec contradicens divino intellectui obiectivè, nec redderet Deum ſeductorem, nec ignorantia per ſe habet rationem peccati, ſicut error, vt vidimus ſupra, ex Div. Thom. *num.* 50. Ad ſecundam etiam probationem, poſſet negari antecedens, quia ex ignorantia non ſequuntur per ſe errores, ſed per accidens, nam potius ignorantia retrahere debet à iudicando de ignoratis, & conſequenter ab errore, & idem de hebetudine mentis.

70. Veruntamen huic ſolutioni non multum fido, quia licèt plures ſint diſparitates inter ignorantiam, & errorem, pluresque rationes probantes de errore non poſſe cauſari à Deo, quam de ignorantia, tamen etiam ignorantia, propriè talis, eſt defectus privativus naturę intellectualis, vt talis, & malum privativum illius, & Deus minimè poteſt eſſe efficiens cauſa per ſe talis defectus, nec mali, immò nec talis defectus poteſt habere cauſam per ſe effectivam, cum non ſit propriè effectus aliquis poſitivus, ſed ſolum poteſt habere cauſam deficientem per ſe, ex qua per ſe proveniat: Deus autem, cum non ſit cauſa deficiens, nequit eſſe per ſe cauſa illius. Itemque, cum Deus ſit plenitudo ſapientię, implicat quod per ſe ſit cauſa ignorantię, aut quod per ſe faciat aliquem ignorantem, hebetem, aut amentem, aut phræneticum, licèt enim poſsit Deus per ſe efficere aliquos effectus, quibus poſitis, ſequantur iſta mala, non tamen ſequuntur per ſe ex illis effectibus prout ſunt à Deo, ſed ſub alia ratione deficienti, ſub qua non ſunt à Deo, aut ex alijs cauſis ſecundis intermedijs, vt deficientibus, vel ex ipſa limitatione ſubiecti, quę per ſe non eſt à Deo cauſaliter, vt alibi dixi.

71. Immò, nec neſcientię, quę ſolum eſt defectus negativus, poteſt eſſe Deus cauſa per ſe, quia, cum ſit defectus, & imperfectio negativa, à Deo per ſe emanare nequit. Et item, quia ſi ignorantia, hebetudo mentis, neſcientia, immò & fallibilitas ipſa naturę in cognoſcendo, aut eius limitatio, ex qua fallibilitas ortum ducit, eſſent per ſe à Deo, Deus, ſaltem mediatè, eſſet cauſa per ſe erroris, quia ex his per ſe cauſatur, & oritur error in iudicando; error enim, præſertim invincibilis, procedit per ſe ex ignorantia, aut neſcientia incognita, & ex fallibilitate naturę, aut ex hebetudine mentis: Vndè ſi Deus eſſet horum cauſa per ſe, etiam mediatè ſaltem eſſet cauſa per ſe erroris. Sicut ſi eſſet cauſa per ſe naturę rationalis, vt peccabilis, ſeù peccabilitatis illius, aut defectibilitatis in operando, vel fomitis, aut concupiſcientię, vel inordinatę cogitationis, eſſet cauſa per ſe peccati, ſaltem mediatè, quia ex illis per ſe cauſatur peccatum. Nec valet dicere, quod ignorantia retrahere debet à iudicando de ig-

neratis, ne incurratur error. Tum quia ſæpè ignorantia eſt incognita, & tunc qualiter retraheret poterit? Tùm quia ignorantia non eſt, quę per ſe retrahit, ſed cognitio ignorantię, & prudentia, eſt quę retrahit, vel amor veritatis; ignorantia autem cum ſit defectus, defectum per ſe cauſare ſolum valet, vndè omnis error per ſe ex ignorantia procedit. Sicut, cognita concupiſcentia, retrahere debet à conſenſu, & peccato, non quia per ſe concupiſcentia ab eo retrahat, ſed quia eius cognitio, prudentia, & amor honeſtatis debet ab eo retrahere; ſed hoc non tollit, quod concupiſcentia ſit per ſe cauſa peccati.

72. Sed dices: Ignorantia, dementia, aut hebetudo mentis ſolent eſſe pœna peccati; ſed pœna eſt per ſe à Deo, vt iuſto Iudice: Ergò & ignorantia, &c. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: Solent eſſe pœna permiſſa, concedo: Pœna efficienter per ſe cauſata, nego maiorem: Et diſtinguo minorem: Pœna eſt per ſe à Deo, vel permiſsivè, vel cauſaliter, concedo minorem: Cauſaliter ſemper, nego minorem, & conſequentiam; quia etiam error ſolet eſſe pœna peccati; ſed ad hoc opus non eſt, quod Deus ſit cauſa per ſe, aut ſpecialis erroris, ſed ſufficit, quod illum permittat in pœnam præcedentis peccati: Sicut ſolet punire homines permittendo peccata, vt inquiunt PP. Salmant. *in præſenti*, *num.* 45. vndè pœna peccati diſtinguenda eſt, penes pœnam permiſſam, & pœnam poſitivè cauſatam, vt alibi oſtendam.

73. Obijcies tertiò: Poteſt Deus, vt Author ſpecialis, conſervare viſionem corporalem in oculo in abſentia obiecti, ſeù producere in oculo ſpeciem repræſentantem obiectum, quod re ipſa non exiſtat: Sed hoc eſt illudere ac decipere videntem, & cauſare per ſe in ipſo errorem: Ergò Deus poteſt cauſare per ſe errorem. Maior patet ex Div. Thom. *qui* 3. *part. quæſt.* 76. *articul.* 8. Loquens de Apparitionibus Chriſti in Sacramento in forma Carnis, vel pueri, inquit: *Dupliciter poteſt contingere talis apparitio: Quandoque enim hoc contingit ex parte videntium, quorum oculi immutantur tali immutatione, ac ſi expreſsè viderent exterius Carnem, vel Sanguinem, vel puerum; nulla tamen immutatione facta ex parte Sacramenti*: Ergò tunc Deus, vt Author ſpecialis, conſervat, ſeù producit in oculo viſionem, ſeù ſpeciem repræſentãtem obiectum, quod re vera non eſt. De indè probatur minor, quia ſic videns putat eſſe re ipſa ibi puerum, vel Sanguinem, aut Carnem viſibilem, cum non ſit: Ergò decipitur: Sed non eſt alia cauſa per ſe deceptionis illius, niſi Deus producens talem ſpeciem: Ergò producere talem ſpeciem eſt illudere, ac decipere. Secundò, quia Magi, dum ſuis perſtigijs faciunt apparere, quod non eſt, cauſant per ſe deceptionem, & errorem in videntibus, non alia ratione, niſi quia faciunt apparere, quod non eſt; Sed Deus producens talem ſpeciem facit etiam apparere, quod non eſt: Ergò eſt cauſa per ſe deceptionis.

74. Reſpondeo, ex Div. Thom. conceſſa maiori, negando minorem. Ad eius primam probationem, omiſſo antecedenti, & prima conſequentia, nego minorem ſubſumptam: Quia eſt alia cauſa, nempè, inconſideratio, vel ignorantia ſic exiſtimantis, non verò Deus, quia Deus per ſe nõ cauſat apparientiam illam, vt putetur ibi eſſe puerum, vel Carnem viſibilem, aut viſibilem Sanguinem, ſed, vt credatur eſſe ibi vere Corpus Chriſti, quod per talem apparientiam intendit Deus repræſentare. Vidè ſupra *quæſt.* 1. *numer.* 70. Ad ſecundam probationem, diſtinguo maiorem: Non alia ratione, niſi quia faciunt apparere, quod non eſt, animo decipiendi, ſivè, vt putetur eſſe, quod non eſt, concedo maiorem: Animo aliquid verum ſignificandi, nego maiorem: Et diſtinguo minorem eodem modo, negoque conſequentiam. Solutio eſt Div. Thom. vbi ſupra aientis: *Nec hoc tamen pertinet ad aliquam deceptionem, ficut accidit in Magorum perſtigijs; quia talis ſpecies divinitus formatur in oculo ad aliquam veritatem figurandam, ad hoc, ſcilicèt, vt manifeſtetur verè eſſe Corpus Chriſti ſub hoc Sacramento.*

75. Sed replicabis: Accidentia panis ſine ſubiecto per ſe fallunt videntes, ſiquidem per ſe inducunt exiſtimationem de eo, quod ibi ſit ſubſtantia panis, quę exiſtimatio falſa eſt: Sed Deus, vt Author ſpecialis conſervat accidentia panis ſine ſubiecto: Ergò poteſt, vt Author ſpecialis, eſſe cauſa per ſe deceptionis. Reſpondent aliqui, accidentia panis ſine ſubiecto per ſe fallere, niſi aliundè manifeſtetur miraculum eſſendi ſinè ſubiecto, & propterea Deum monuiſſe homines de tali miraculo, ne deciperẽtur, & ne deceptio ei imputaretur. Quod ſi dicas: Deum poſſe ea conſervare ſine ſubiecto, non manifeſtando hominibus miraculum. Reſpondent hi Authores, negando id Deum poſſe, quia alias deceptio communis omnium videntium per ſe tribueretur Deo. Sed hic modus reſpondendi non placet, quia abſdubio poteſt Sacerdos, nullo vidente, validè conſecrare panem, & illum ponere in loco, vbi nullus ſuſpicari poſſit, quod ſit conſecratum; rogo igitur vtrum tunc Deus conſer-

va-

varet accidentia ſine ſubiecto? Et id quidem ſine periculo in fide negari nequit, quia ſemèl facta conſecratione, de fide eſt, accidentia manere ſine ſubiecto vſquedum corrumpantur. Dicere autem Deum teneri tunc de neceſsitate metaphyſica manifeſtare, quod accidentia illa panis ſunt ſine ſubiecto, prorſus fundamento caret, cum ſæpè permittat evolare particulas cõſecratas per acerem, aut per negligentiam diſparere, & iacere incognitas, vſquedum corrumpantur.

76. Dicendum ergò eſt, poſſe Deum de potentia abſoluta conſervare, aut ponere accidentia panis, & cuiuſvis alterius ſubſtantię ſine ſubiecto, id non manifeſtando vllo modo videntibus: Et cum arguitur, quod accidentia ſic conſervata per ſe fallunt videntes, nego maiorem, quia per ſe ſolum inducerent exiſtimationem, & iudicium quod ibi ſit ſubſtantia correſpondens attenta exigentia connaturali, & naturali curſu rerum, hoc eſt, niſi Deus per miraculum occultum aliud ibi operetur; & in hac exiſtimatione nulla eſt deceptio, nec error: Quod autem de facto Deus tale miraculum non operetur, aut quod etiam per miraculum occultum non deſit ibi ſubſtantia correſpondens, hoc non ſuadent per ſe accidentia illa viſa, nec de hoc per ſe generant iudicium, aut exiſtimationem, ſed aliundè id iudicari debet, nempè vel ex eo quod Deus miracula non operatur fruſtra, vel ex alijs capitibus, non verò ex ipſis accidentibus vt conſervatis ſine ſubiecto: Non ergò ea accidentia, vt conſervata ſine ſubiecto, per ſe cauſant deceptionem.

77. Quod amplius explico, quia video RR. aliquos hic hærere. Etenim accidentia illa, vt conſervata occultè ſine ſubiecto, non cauſant per ſe deceptionem obiectivè: Aliundè, neque efficienter phyſicè: Ergò nullo modo. Quod non cauſent efficienter phyſicè deceptionem, eſt per ſe notum, quia accidentia illa vt ſic exiſtentia non movent efficienter phyſicè intellectum ad iudicandum ibi eſſe ſubſtantiam. Quod verò nec obiectivè per ſe cauſent deceptionem, vt miraculosè conſervata ſine ſubiecto, non minus patet, primo, quia, vt conſervata miraculosè ſine ſubiecto, non movent obiectivè per ſe intellectum ad exiſtimandum ibi eſſe ſubiectum, aut ſubſtantiam, immò ſi moverent obiectivè vt ſic miraculosè conſervata, per ſe moverent ad iudicandum ibi non eſſe ſubiectum. Secundo, quia non movent obiectivè, vt omninò incognita, & vt nullo modo repreſentata, nihil enim movet obiectivè intellectum, niſi vt cognitum, aut repreſentatum: Tunc autem, vt conſervata ſine ſubiecto, ſunt omninò incognita, & non repreſentata: Ergò, vt conſervata ſine ſubiecto, non movent obiectivè ad deceptionem: Ergò licèt Deus, vt Author ſpecialis, conſervet ea ſine ſubiecto, minimè eſt cauſa per ſe deceptionis ex hac parte. Sequitur ergò, quod vnica cauſa per ſe deceptionis ſit intellectus, vt neſciens, & ignorans, miraculum illud; cum autem Deus non ſit cauſa per ſe illius neſcientię, & ignorantię, quia illam intellectus habet à ſe, ratione ſuę limitatę intellectualitatis, & quia factus ex nihilo, indè eſt, quod Deus minimè eſt cauſa per ſe illius erroris, aut deceptionis.

78. Dices forſan, Deum, vt occultantem illud miraculum, eſſe cauſam per ſe deceptionis. Sed contra eſt, quia Deus non occultat cauſalitate aliqua poſitiva, aut per ſe miraculum, ſed merè negativè non revelando, quod revelare non tenetur, & relinquendo intellectum in ſua neſcientia, quam de ſe habet circa ſecreta Dei: Sed hic concurſus, ſeù cauſalitas eſt purè permiſsiva: Ergò Deus, vt occultans, & celans illud miraculum, purè permiſsivè cauſat ignorantiam, & errorem indè ſequutum. Sicut, qui zelat ſua ſecreta, ſi ea zelat abſque poſitiva fictione, purè per non manifeſtationem eorum, ſi aliquis indè fallatur, & decipiatur, non indè poteſt dici eſſe cauſam per ſe deceptionis, aut falſitatis alterius, ſed ſolum permiſsivè ſe habere.

78. Obijcies quarto: Exiſtente in intellectu iudicio aliquo de obiecto, poteſt Deus immutare obiectum, faciendo quod aliter ſe habeat, ac iudicatur: V. g. faciendo quod ſit albus, ſi iudicatur niger, vel faciendo quod moveatur, ſi iudicatur quieſcere: Sed falſitas talis iudicij formaliter conſiſtit in eo, quod obiectum aliter ſe habeat, ac iudicatur: Ergò Deus poteſt per ſe efficere falſitatem talis iudicij: Ergò & per ſe cauſare errorem. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: Poteſt Deus immutare obiectum faciendo quod aliter ſe habeat, eo fine, & intentione, vt falſificet iudicium intellectus, nego maiorem: Ex alio fine, & intentione, purè negativè, ſeù permiſsivè ſe habendo ad talem falſitatem, concedo maiorem: Et diſtinguo minorem: Falſitas talis iudicij formaliter conſiſtit in eo, quod obiectum aliter ſe habeat, ac iudicatur, præſcindendo ab eo, quod ſic iudicatur, nego minorem; & ſimùl in eo, quod ſic iudicatur, concedo minorem, & nego conſequentiam; Quia Deus immutans obiectum, ex vi huius actionis, omninò præſcendit ab eo, quod intellectus ita, vel aliter iudicet de obiecto; Deus enim operans in rebus provt vult, non tenetur prius obſervare

Digitized by Google

quid de illis ſentiat intellectus humanus, nec illius iudicio ſe conformare, immò nec nos, dum aliquid facimus, hanc obligationem habemus, vndè ſicut iure poſſumus agere, & operari aliter, ac proximus de nobis iudicat, quin indè arguatur nos fallere, aut decipere proximum, nec cauſare per ſe falſitatem, aut errorem eius, ſi nimirum, quod agimus, non agamus intentione fallendi, ſicut hypocritę, ſed alio fine diverſo; quia tunc purè permiſsivè nos habemus ad falſitatem iudicij in proximo; ita, & potiori iure, Deus poteſt agere in rebus quidquid velit, quamvis indè ſciat falſificandum fore iudicium hominis; quin indè arguatur Deum hominem fallere, aut per ſe cauſare falſitatem in illo, quia Deus non operatur eo fine, vt falſificet iudicium, nec tenetur in operando attendere humanum iudicium, nec vitare falſitatem eius.

90. Sed replicabis: Poteſt Deus non ſolum immutare obiectum, ſed ſimùl conſervare in intellectu iudicium idem ac antea: Sed falſitas, & error talis iudicij conſiſtit formaliter in eo, quod ſimùl varietur obiectum, & conſervatur idem iudicium ac antea: Ergò Deus poteſt eſſe cauſa per ſe falſitatis illius iudicij. Reſpondeo, diſtiguendo maiorem: Et ſimùl conſervare idem iudicium ac antea, vt Author, & cauſa ſpecialis, nego malorem: Vt cauſa vniverſalis, ſubdiſtinguo: Conſervare idem iudiciũ ſub ratione communi entis, & actus præſcindendo à diſconformitate illius cum obiecto, concedo minorem; ſub ratione ſpeciali diſconformitatis cum obiecto, nego minorem, & conſequentiam. Dico enim primò, quod Deus, vt Author ſpecialis, non poteſt infundere, nec per ſe cauſare, nec conſervare iudicium intellectus, niſi curando de ipſius veritate, & conſequenter de eo, quod obiectum ita ſe habeat, quia Deus, vt Author ſpecialis, cauſans, vel conſervans iudicium intellectus, eſt rector ſpecialis, & director illius in iudicando de rebus, & conſequenter gerit ſpecialem curam ne fallatur, aut falſum iudicet: Si ergò obiectum varietur, & aliter ſe habeat, ac iudicabatur antea, non poteſt iam Deus, vt Author, & director ſpecialis intellectus, conſervare in illo idem iudicium, aliàs enim intellectus, ex directione, & motione ſpeciali Dei erraret, & falleretur, quod omnino repugnat. Dico item ſecundo, quod Deus poteſt conſervare per ſe idem iudicium, vt Author, & cauſa vniverſalis, quia videlicèt ſub hoc munere ſolum conſervat, & cauſat iudicium quantum ad rationem communem actus, & entis, & ſecundum quod dicit de perfectione poſitiva, non verò quantum ad deformitatem, ſeù diſconformitatem cum obiecto, qnia concurſus Dei, vt Anthoris vniverſalis, ab hac difformitate præſcindit, & purè permiſsivè ad illam ſe habet, pari modo, ac id ipſum diximus de concurſu Dei ad actum peccati, *Tract. de Provid. quæſt.* 19.

91. Sed replicabis: Diſconformitas talis iudicij cum obiecto formaliter conſiſtit in eo, quod iudicium repræſentet obiectum ita eſſe, & quod obiectum aliter ſe habeat: Sed Deus poteſt facere, vt cauſa per ſe ſaltem vniverſalis, quod iudicium repræſentat obiectum ita eſſe, & quod obiectum aliter ſe habeat: Ergò poteſt cauſare, ſeù conſervare per ſe tale iudicium, etiam quantum ad diſconformitatem illius cùm obiecto. Reſpondeo primo, diſtinguendo maiorem: Conſiſtit in eo, quod iudicium repræſentat obiectum ita eſſe, & quod obiectum aliter ſe habeat, ſumptis his duobus diviſsim, ſeù abſoluiè, nego maiorem: Sumptis ſimùl, ſeù in formali ſimultate vtriuſque, concedo maiorem: Et diſtinguo minorem: Deus poteſt facere, vt cauſa per ſe, quodlibet illorum diviſsim, præſcindendo à ſimultate cum alio, concedo minorem: Utrumque ſimùl per ſe, id eſt, intendendo ſimultatem vtriuſque, nego minorem, & conſequentiam.

92. Ratio diſtinctionis eſt, quia Deus ex munere cauſę primę vniverſalis movet intellectum, vt iudicet obiectum ita eſſe, ſicut per ſpecies ſibi repræſentatur, permittendo ex hoc munere, quod obiectum aliter ſe habeat. Item Deus, vt immutans obiectum iudicij non curat per ſe an intellectus ita, vel aliter ſentiat de obiecto, vt vidimus, *num.* 89. Sequitur ergò, quod Deus per ſe, vt cauſa vniverſalis, movet intellectum ad iudicandum de rebus, ſecundum exigentiam apprehenſionis, vel ſpeciei, qua intellectus prævieè invenitur informatus, permittendo ex vi huius concurſus, quod res aliter ſe habeat in rei veritate. Item, quod Deus in rebus operatur quidquid vult, præſcindendo ex vi huius operationis ab eo, quod intellectus ita ſentiat vel aliter. Vndè Deus nec ex vi operationis, qua movet intellectum ad iudicandum eſt cauſa per ſe erroris, quia ex vi huius non facit per ſe, quod obiectum aliter ſe habeat, ſed id ſolum permittit. Nec etiam ex vi operationis, qua immutat obiectum, eſt cauſa per ſe erroris, quia ex vi huius omninò præſcindit ab eo, quod intellectus ita, vel aliter ſentiat, & ad id purè permiſsivè ſe habet. Sc' ura ergò eſſet cauſa per ſe erroris, & falſitatis, ſi vnica actione, & intentione, per ſe intenderet ſimultatem vtriuſque, nempè, iudicij affirmantis obiectum ita eſſe, & immutationis obiecti ad alie-

Digitized by Google

alietatem eſſendi : Cæterum Deus, vt cauſa vniverſalis, hanc ſimultatem, & contrarietatem iudicij ad obiectum non intendit, nec cauſat per ſe, ſed ad illam ſolum permiſsivè ſe habet.

93. Exempli, g. Si quis, duobus exigentibus à ſe gladium, cuilibet daret ſuum gladium, eo fine, quantum eſſet ex parte dantis, vt eo vterentur in ſui defenſionem, licèt prævidens eus mutuo pugnaturos eis gladijs; ſi nulla lege teneretur vitare diſcordiam, & pugnam; iſte ſanè non eſſet cauſa per ſe eorum pugnę, & diſcordię, ſed ſolum permiſsivè ſe haberet. Sic ergò Deus, vt cauſa vniverſalis ad exigentiam intellectus, vt informati per ſpecies, movet ipſum ad iudicandum de rebus, præſtando illi ſuum concurſum prævium : Et ſimiliter ad exigentiam rerum, & aliarum cauſarum præſtat ſuum concurſum ad immutationem rerum, vt aliter ſe habeant, ac ſunt in iudicio intellectus, prævidens diſconformitatem ſequendam inter iudicium, & res : Sed non indè Deus eſt cauſa per ſe talis diſconformitatis: Sed ſolum permiſsiva, quia nec Deus talem ſimultatem, aut diſconformitatem per ſe intendit, nec eam vitare tenetur, & aliàs, dum movet intellectum, ea intentione movet ipſum, quantum eſt ex parte ſua, vt tendat in conformitatem cum rebus.

94. Sed dices : Ergò nec Deus eſt cauſa per ſe conformitatis intellectus cum rebus, ſed hæc eveniet, purè per accidens, & Deo ſolum permittente : Hoc autem videtur abſurdum. Sequela probatur, quia ſi Deus movens intellectum ad iudicandum, præſcindit, & non curat, an res ita, vel aliter ſe habeant : Ergò ęquè permiſsivè ſe habet ad hoc quod ita ſe habeant, & ad hoc quod ita non ſe habeant: Ergò ęquè permiſsivè ſe habet ad conformitatem, & ad diſconformitatem. Reſpondeo, negando ſequelam. Ad probationem, dico, Deum movendo intellectum, vt cauſa vniverſalis, ex vi huius motionis non curare an res ita re ipſa ſe habeant, an aliter: Verumtamen per ſe movet intellectum, ipſumque inclinat, vt iudicet de rebus prout ſunt, & vt ipſis adæquet ſuum iudicium. Cæterũ, quando intellectus invenitur pravè informatus intẽtionaliter per ſpecies, ſuaſiones, aut apparientias fallibiles, & falſas, tunc detorquet concurſum divinum, vt ſic dicam, ad iudicium in particulari diſconforme, & hæc diſconformitas, non ſolum eſt præter, ſed contra Dei intentionem antecedentem, & vniverſalem, quam de ſe habet, vt cauſa vniverſalis movens intellectum ad ſuum finem vniverſalem, nempè, ad verum. Quando verò intellectus invenitur rectè informatus de rebus, & per ſpecies rebus conformes, tunc concurſus Dei non detorquetur in oppoſitum fini intento, nempè, ad iudicium diſconforme, ſed exequitur in particulari finem intentum, nempè, conformitatem, & veritatem in iudicando; & ideò Deus movens intellectum eſt cauſa per ſe conformitatis, & veritatis, ſed tantum permiſsiva diſconformitatis, & falſitatis, quia ad illam per ſe movet, etiam quando iudicium evadit diſforme; ad iſtam verò neutiquam movet, nec inclinat, ſed evenit præter, & contra eius intentionem antecedentem.

95. Nec hoc debet iudicari captu difficile. Tum, quia intellectus ipſe, etiam dum errat, per ſe conatur in ſuo iudicio conformari cum obiecto, & ipſum eius iudicium per ſe tendit, & inclinat in veritatem, licèt illam per accidens non aſſequatur, ſed præter, & contra conatum ſuum, diſconformitatem incurrat: Illa ergò tendentia, & inclinatio iudicij in conformitatem, eſt à Deo, vt cauſa vniverſali: Diſconformitas verò per accidens, & contra conatum, & naturam intellectus incurſa, purè permiſsivè eſt à Deo, cauſaliter verò ex defectibilitate intellectus, vt malè informati per ſpecies. Tum exemplo ſagittę impulſę in ſcopum, quę ſi recta ſit, hoc eſt, rectè formata, directè tendit in ſcopum, & hoc per ſe eſt ab impellente ipſam : Si verò obliqua ſit, & pravè formata, detorquet impulſum ſagittantis, & aberrat ab ſcopo; & hæc aberratio non eſt per ſe à ſagittante, ſed ex prava diſpoſitione ſagittę. Vt hanc doctrinam plenius intelligere poſsis, vide *in Curſ. Philoſoph. tom. 2. lib. 2. quæſt. 29.* quomodo vniformitas, & ſympatia cauſarum ſecundarum ſit à Deo, vt cauſa per ſe, ſecus verò diſcordia, & antypatia. Vide etiam *Tractat. de Provident. quæſt. 20. à num. 11.* Quomodo defectus conformitatis in actu voluntatis ad legem, & rationem, non reducitur in Deum moventem, ſed in voluntatem ipſam, vt informatam aprehenſione defectuoſa : Sic enim diſconformitas iudicij cum obiecto non reducitur in Deum moventem intellectum, ſed in ipſum intellectum, vt informatum ſpecie defectuoſa. Vide etiam *ibidem, num. 19.* quomodo Deus movens voluntatem, in ipſo actu, quo aberrat à fine, illam nihilominus per ſe, & quantum eſt ex ſua motione ad finem debitum inclinat, licèt ipſa deflectat ab ipſo fine, & concurſum Dei detorqueat ad finem pravum contra Dei intentionem antecedentem, *vt magis explico, num. 148.* Ex indè enim facilè explicari poteſt, quomodo Deus movens intellectum ad actum ipſum, quo aberrat à veritate, ni-

nihilominus per ſe illum movet, & inclinat ad veritatem, quę eſt finis intellectus, licèt intellectus ipſe contra Dei intentionem antecedentem, & vniverſalem detorqueat Dei concurſum, & declinet à veritate ipſa.

96. Secundò replicę factę, n. 80. reſpondeo, diſtinguendo maiorem: Diſconformitas iudicij cum obiecto conſiſtit in eo quod iudicium repreſentet obiectum ita eſſe, & quod obiectum aliter ſe habeat, in eo, in quam, quod repreſentet obiectum ita eſſe, defectibiliter, & regulando ſe per formam defectibilem, nempè per ſpeciem defectuoſam, concedo maiorem: In eo quod repreſentet indefectibiliter, nego ſuppoſitum; & diſtinguo minorem: Deus poteſt facere, vt cauſa per ſe, quod iudicium repræſentet obiectum ita eſſe, ſecundum quod talis repreſentatio dicit de actualitate, & perfectione, ſeù de tendentia, inclinatione, & conatu ad veritatem, concedo minorem: Secundum quod dicit de deficientia, ſeù defectibilitate à veritate, nego minorem, & conſequentiam. Pro cuius intelligentia notandum eſt, quod actus contingenter ſe habens ad veritatem, eſt deficiens in repreſentando, defectu ſequuto ex ſpecie etiam defectuoſa, qui quidem defectus per ſe ſolum eſt defectus negativus; ſed dum obiectum aliter ſe habet, redditur privativus, quia iam eſt defectus repræſentationis debitę, ſeù debitę conformitatis; & quia iudicium, vt taliter defectuoſum in repræſentando, non eſt per ſe à Deo, ſed ab intellectu, vt informato ſpecie deficienti; ideò error, qui in tali defectu formaliter conſiſtit, non tribuitur per ſe Deo, ſed ſoli intellectui. Quod explicari poteſt doctrina à nobis tradita, *Tract. de Provid. quæſt. 10. num. 117.* Vbi explicavi, quomodo actus contingenter prohibitus, ante prohibitionem ſolum habet defectum negativum perfectionis, ſed poſita prohibitione, ille defectus iam eſt privativus, & reddit actum malum.

97. Et quidem præcedens argumentum cum ſuis replicis, plures patitur inſtantias. Inſtatur enim primo in iudicio practico morali, quod poteſt tranſire de vero, & recto, in erroneum, ſi obiectum tranſeat de licito in prohibitum: Rogo ergò, an tunc conſervetur à Deo per ſe ſicut antea, quando erat rectum? Si affirmas: Ergò non ſolum Deus erit cauſa per ſe erroris ſpeculativi, & philoſophici, ſed practici, & in rebus moralibus, quod pauci ex contrarijs admittent. Si neges: Ergò pariter negari poterit de iudicio ſpeculativo tranſeunte de vero in falſum, quod ſpecialiter conſervetur à Deo ſicut antea. Rurſus: Error iudicij de moribus conſiſtit formaliter in eo, quod iudicium repreſentet obiectum eſſe honeſtum, & quod obiectum re ipſa ſit prohibitum: Sed Deus poteſt facere per ſe quod intellectus iudicet, ſeù repræſentet obiectum eſſe honeſtum, & item poteſt facere per ſe obiectum prohibitum, quia prohibitio obiecti per ſe eſt à Deo: Ergò eſt eadem difficultas. Si verò dicas, non eſſe inconveniens, quod iudicium practicum de moribus, etiam quando eſt erroneum inculpabiliter, ſit per ſe à Deo.

98. Inſtatur etiam ſecundo, in iudicio inculpabiliter erroneo, quod adveniente advertentia aliqua, poteſt manſire in erroneum culpabiliter. Rogo ergò, an tunc conſervetur à Deo, vt Authore ſpeciali, & cauſa per ſe, ſicut antea? Si affirmes: Ergò error, etiam dum eſt culpabilis in rebus practicis, & moralibus, poteſt eſſe per ſe à Deo, vt ab Authore ſpeciali, quod nullus ex contrarijs vnquam aſſeruit. Si neges, eſt eadem difficultas, nam Deus per vos per ſe cauſabat actum, quando erat inculpabiliter erroneum, & per ſe cauſat advertentiam, quę bona eſt, & ſæpè beneficium ſpeciale: Ergò. Inſtatur etiam tertio in actu voluntatis contingenter honeſto, quod poteſt tranſire in malum, ſi obiectum tranſeat de licito in prohibitum. Rogo enim ſimiliter, an tunc Deus poſſit ſpecialiter, & per ſe conſervare illũ actum voluntatis ſicut antea. Si neges, pariter negari poterit de actu intellectus tranſeunte de vero in falſum. Si affirmes: Ergò Deus conſervare poterit, vt Author ſpecialis, actum voluntatis reduplicativè vt diſconformem, & contrarium legi prohibenti; ſiquidem, quod talis actus ſit contrarius legi prohibenti formaliter conſiſtit in eo, quod tendat in tale obiectum, & quod tale obiectum ſit à Deo prohibitum, quorum vtrumque per ſe eſt à Deo, ſi actus ille ſpecialiter vt talis à Deo conſervatur: Hanc autem ſequelam, quis concedat?

99. Nec effugies inſtantiam, ſi dicas primo, quod quamvis obiectum tranſeat de licito in prohibitum, ſi intellectus id non advertat, actus voluntatis non tranſit in malum moraliter, & ſic poteſt per ſe, adhuc poſtea conſervari à Deo. Contra enim eſt, primo, quia ſaltem tranſit in malum morale materialiter tale, & eſt peccatum materiale contra legem, licèt in cognitam: Deus autem nec peccatum materiale poteſt per ſe cauſare, vt ſupra dicebam, *num. 27. & 43.* Secũdo, quia etiam ſi advertatur prohibitio, poteſt perſeverare idem actus voluntatis intrinsecè, & tranſire de bono in malum formaliter, iuxta opinionem probabilem ponentem libertatem ex trinſecam actibus voluntatis: Ergò tunc tenet inſtantia.

100 Nec

100. Nec ſi ſecundò dicas, quod, tranſeunte iudicio in erroneum culpabiliter, & ſimiliter actus voluntatis in malum formaliter, tunc error, & malitia vnicè imputantur voluntati, aut libertati, quia ſunt defectus, vel actus liberi: At, cum error eſt invincibilis, eſt neceſſarius, & ſic ſolum in Deum reduci poteſt per ſe, ſicut omnes affectus, vel actus neceſſarij. Contra enim eſt, quia ſicut defectus lliberi redducuntur per ſe in cauſam liberam deficientem, ita defectus neceſſarij redducũtur per ſe in cauſam neceſſariam deficientem: Ergò quod defectus in actu ſit liber, vel neceſſarius, omninò impertinenter ſe habetvt debeat per ſe redduci in Deum, potius quam in ſolam cauſam ſecundam deficientem, vel liberam, vel neceſſariam: Quod enim error ſit liber, & culpabilis, ſolum probat, quod debeat redduci in cauſam ſecun lam deficientem libetè, & culpabiliter: Quod autem ſit invincibilis, & neceſſarius, vnicè probat, quod debeat redduci in cauſam ſecundam neceſſariò, & inculpabiliter deficientem: Quod autem debeat redduci in Deum, qui eſt cauſa purè efficiens, nullo ex capite probatur.

101. Dicere autem, quod omnes defectus, vel affectus defectuoſi, quando ſunt neceſſarij, & inculpabiles, imputantur, & redducuntur in Deum, vt cauſam per ſe illorum, pluſquam falſum eſt: Nam aliàs omnis error inculpabilis, etiam practicus, & circa mores, etiam circa fidem, & motus primò primi contra rationem, omniaque peccata materialia, & alia huiuſmodi, per ſe redducereutur in Deum, vt cauſam ſpecialem, & per ſe illorum; quod quis dicere audeat?

RELIQVA ARGVMENTA.

102. OBIJCIES quintò: Conſcientia erronea eſt per ſe à Deo: Conſcientia erronea eſt error: Ergò error poteſt per ſe cauſari à Deo. Probatur maior: Conſcientia erronea obligat errantem: Sed omnis obligatio eſt per ſe à Deo: Ergò & conſcientia erronea. Confirmatur: Conformitas cum conſcientia erronea neceſſariò eſt error, ſiquidem errori non concordat veritas, nec rectitudo, ſed ſolus error: Sed Deus poreſt cauſare per ſe, vt Author ſpecialis, conformitatem cum conſcientia erronea: Ergò & errorem, vt talem. Probo minorem: Tum quia illa conformitas eſt honeſta, & ſæpè meritoria: Tum quia Deus cauſat per ſe, & ſpecialiter, id quod cauſat præcipiendo illud: Sed Deus præcipit conformitatem cum conſcientia erronea: Ergò cauſat per ſe, & vt Author ſpecialis, conformitatem cùm conſcientia erronea.

103. Confirmatur ſecundò; ponamus enim, quod Parrochus proponat Ruſtico myſterium falſum inter alia vera, v. g. Chriſtum Dominum ſolum apparenter fuiſſe hominem; ſanè tunc Ruſticus obligatur in conſcientia id credere: Sed Deus præcipit obedire conſcientiç, ſeù facere id, ad quod obligat conſcientia: Ergò Deus tunc præcipit credere myſterium illud, aliàs falſum: Ergò præcipit actum erroneum.

104. Communis ſolutio diſtinguit in formatione conſcientię erroneę duplex iudicium, vnum quaſi ſpeculativum, quo falsò iudicatur obiectum præceptum, quando præceptum non eſt, ſeù prohibitum, quando non eſt prohibitum. Aliud practicum, quo conſcientia practicè dictat eſſe faciendum quod exiſtimatur præceptum, & omittendum, quod iudicatur prohibitum. Illud primum, inquiũt, eſſe erroneum, & conſequenter non rendduci per ſe in Deum. Secundũ verò, inquiũnt, eſſe rectum, & non erroneum, habereque rationem legis internę, & conformari cum lege Dei reflexa, qua præcipit operari iuxta conſcientiam, & ideò redduci per ſe in Deum.

105. Sed hanc doctrinam latè refutavi *Tractat. de Conſcientia, quæſt. 5. & 6.* Tum, quia iudicium directum (quod vocant ſpeculativum) quo falsò iudicatur obiectum præceptum, re ipſa obligat independenter à iudicio reflexo (quod vocant practicum) quia ſemel quod quis iudicet hodie eſſe in præcepto audire Sacrum, quamvis nullam reflexionem faciat, ex vi præcisè illius iudicij, tenetur audire Sacrum, ita vt, ſi ſtante illo præciſo iudicio, omittat Sacrum, neceſſariò peccabit, vt latè probavi *quæſt. 5. cit. à numer. 21. & quæſt. 6. à num. 26.* Nec valet reſpondere, quod ad iudicium directum neceſſariò reſultat reflexum: Quia oppoſitum ibidem probavi, *à num. 11.* Tum etiam, quia falſum eſt, quod iudicium illud reflexum, ſeù practicum, ſit rectum, & non erroneum, conformarique cum vera lege reflexa. Primò quia aliàs conſcientia propriè ſumpta, quę in tali vltimo iudicio conſiſtit nunquam eſſet erronea formaliter, ſed ſemper recta. Quod quam abſurdum ſit, oſtendi *quæſt. 5. cit. à num. 24.* Secundò quia falſum eſt, quod detur vera lex reflexa ſequendi conſcientiam erroneam, nec ſequendi omnem conſcientiam, ſivè rectam, ſivè erroneam, vt etiam oſtendi, *quæſt. 6. cit. à num. 34.* Et vniverſaliter, quidquid in illis duabus quæſtionibus diſ-

diſſerui, militat contra prædictam ſolutionem, & doctrinam, oſtenditque quam falſa illa ſit. Vndè ex doctrina ibidem tradita.

106. Reſpondeo aliter, nempè vel negando, vel diſtinguendo maiorem: Conſcientia erronea eſt per ſe à Deo, ſecundum quod importat applicationem erroneam, & falſam veri dictaminis vniverſalis ſynderefis, nego maiorem: Secundum quod importat verum dictamen vniverſale ſynderefis, concedo maiorem; & diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam. Ad probationem maioris, diſtinguo maiorem: Conſcientia erronea obligat errantem in vi dictaminis vniverſalis ſyndereſis veri, concedo maiorem: In vi falſę applicationis, & erroris, ſubdiſtinguo: Obligat in vi erroris applicativè, concedo: Formaliter, & motivè, nego maiorem: Et diſtinguo minorem; omnis obligatio eſt per ſe à Deo motivè, ſeù formaliter ſumpta, concedo minorem: Applicativè, quando applicatio eſt falſa, nego minorem, & conſequentiam. Eſt dicere, quod Conſcientia erronea obligat, quatenus applicat, licèt falsò, verum dictamen vniverſale ſyndereſis dictans eſſe faciendum quidquid Deus præcipit, ad materiam particularem falsò exiſtimãdo illam præceptam: Vndè tota vis obligandi convenit ei ex vi principij veri ſyndereſis; quod quidem nemo negat eſſe per ſe à Deo; & ideò vis obligandi in Conſcientia erronea per ſe eſt ex Deo; non tamen applicatio, quę fit per errorem, quia ille qui errat, ſe ipſum obligat applicativè, quatenus ex ſe, & non ex Deo, falsò applicat ſibi in materia particulari obligationem vniverſalem ſyndereſis. Hanc ſolutionem latius explico, *quæſt. 6. cit. à num.* 80.

107. Ad confirmationem, diſtinguo maiorem: Conformitas cum Conſcientia erronea, in eo in quo errat, non poteſt eſſe niſi error, concedo maiorem: Conformitas cum illa in eo, quod habet rectitudinis, nego maiorem: Et diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam. Ad probationem minoris eadem diſtinctione, reſpondeo, quod Conſcientia erronea, quamtumvis erronea, importat dictamen vniverſale ſyndereſis falsò applicatum ad materiam particularem, vndè habet aliquid rectitudinis, & conformitatis cum vera lege Dei, & cum principijs vniverſalibus ſyndereſis: Conformitas ergò cum illa, in eo, in quo errat, nõ poteſt eſſe niſi error, & ex hac parte minimè eſt honeſta, laudabilis, aut meritoria, ſed ad ſummum excuſatur à culpa, vt oſtendi, *quæſt. 5. cit à num.* 1. Vndè nec poteſt eſſe per ſe à Deo, quidquid plures RR. dicant: Conformitas autem cum illa ſecundum quod dicit de rectitudine, quę eſt conformitas ſecundũquid cum principijs vniverſalibus ſyndereſis, ex hac parte non eſt error, ſed rectitudo aliqualis, ſeù ſecundum quid, & ex hac parte eſt poſitivè honeſta, & poteſt eſſe meritoria, & ideò eſt per ſe à Deo; vndè non ſequitur quod error ſit per ſe à Deo, ſed ſolùm id quod rectitudinis invenitur in Conſcientia erronea, & in ſequela illius: Quomodo autem Conſcientia erronea, & ſequela illius habeant aliquid rectitudinis, latè explicavi, *quæſt. 5. cit. à num.* 68.

108. Ad ſecundam probationem, conceſſa maiori, nego minorem, quia falſum eſt, quod Deus præcipiat ſequelam, aut conformitatem cum Conſcientia erronea, ſolum enim præcipit conformitatem, aut ſequelam cum Conſcientia recta; ex quo præcepto, ſeù lege, quiſque obligatur per accidens ad ſequelam Conſcientię erroneę, eo quod exiſtimat ſuam Conſcientiam, aliàs erroneam, eſſe rectam, & derivatam à Deo. Idque expreſsè aſſerit Div. Thom. 1. 2. *quæſt.* 19. *artic.* 1. Vbi inquit: ***Dicendum, quod iudicium rationis errantis, licèt non derivetur à Deo, tamen ratio errans iudicium ſuum proponit, vt verum, & vt à Deo derivatum, à quo eſt omnis veritas.*** Vide *quæſt. 6. cit. à num.* 34. & 59.

109. Ad ſecundam confirmationem, primo reſpondeo, diſtinguendo maiorem: Ruſticus obligaretur in Conſcientiâ id credere ſub tacita conditione; *Si ita tenet S. M. E.* Concedo maiorem: Sine hac tacita conditione, nego maiorem, & omiſſa minori, diſtinguo conſequens eodem modo, quia actus, quo ruſticus crederet illud myſterium, aliàs falſum, ſub illa tacita conditione, non eſſet erroneus, ſed verus, & ſupernaturalis, vt vidimus, ſupra, *diſp. 1. quæſt. 9. à num.* 61. Vel ſecundo reſpondeo, admiſſo, quod ruſticus deceptus, exiſtimaret ſe obligatum ad credendum illud myſterium ſine tacita conditione, omiſſa maiori, diſtinguo minorem: Deus præcipit obedire Conſcientię rectę, concedo minorem: Obedire Conſcientię ſive rectę, ſive erroneę, nego minorem, & conſequentiam, quia cum Conſcientia illa ſupponatur erronea, Deus non præcipit illi obedire, & ſic non præcipit credere illud myſterium falſum. Si verò quæras, quomodo obligatur ad obediendum illi Conſcientię, ſi Deus id non præcipit? Reſpondeo, quod obligatur per accidens, quia exiſtimat illam Conſcientiam eſſe rectam, & Deus per ſe precipit obedire Conſcientię rectę. Vide, *quæſt. 6. cit. à num.* 63.

110. Objicies ſexto: Poteſt Deus

eſſe

eſſe cauſa per ſe principiorum influentium in errorem : Sed eo ipſo poteſt eſſe cauſa per ſe erroris : Ergò. Probatur maior primo, quia Deus eſt cauſa per ſe principiorum vniverſaliũ ſynderesis, quibus homo iudicat honeſtum eſſe faciendum, & turpè fugiendum : Sed hæc principia poſſunt influere in errorem, vt ſi quis ita diſcurrat : *Honeſtum eſt faciendum : Sed honeſtum eſt mentiri pro vitando malo proximi: Ergò mentiri licèt pro vitando malo proximi.* Sanè maior huius ſyllogiſmi influit in concluſionem, movetque ad aſſenſum illius : Sed concluſio eſt erronea : Ergò. Secundo : Quia præmiſſa ſupernaturalis eſt à Deo, vt Authore ſpeciali, v. g. actus, quo quis credit fide Divina, *Omnes Infantes rectè baptizatos eſſe in gratia* : Sed hæc poteſt influere in errorem, ſi nimirùm quis falsò exiſtimet aliquem Infantem eſſe ritè baptizatum, nam hoc ſuppoſito, præmiſſa vniverſalis movet ad credendum talem, Infantem eſſe in gratia, quod eſt falſum, & erroneum: Ergò.

111. Confirmatur primo, quia Deus eſt cauſa ſpecialis, & per ſe prudentię ſupernaturalis; ſed prudentia ſupernaturalis ſæpè influit, & cauſat aſſenſum falſum : Ergò Deus eſt cauſa ſpecialis, & per ſe aſſenſus falſi. Minor probatur : Quia prudentia ſupernaturalis imperat ſtudioſitati, vt eligat opinionem probabiliorem : Sed poteſt contingere, quod opinio probabilior ſit aſſenſus falſus : Ergò ſæpè imperat, ſeù imperare poteſt aſſenſum falſum. Confirmatur ſecundo : Nam Charitas, quę eſt virtus ſupernaturalis, & conſequenter à Deo, vt Authore ſpeciali, imperat quod benè ſentiamus, & iudicemus de proximo : Sed ſæpè hoc iudicium eſt falſum : Ergò imperat aſſenſum falſum. Tertio : Nam pia affectio etiam eſt ſupernaturalis, & à Deo, vt Authore ſpeciali: Sed hæc in caſu, quo ruſtico proponatur myſterium falſum, inclinat in aſſenſum illius : Ergò idem quod prius. Quarto : Quia omnis aſſenſus ſupernaturalis eſt à Deo, vt Authore ſpeciali : Sed aliquis aſſenſus ſupernaturalis poteſt eſſe falſus : Ergò aliquis aſſenſus falſus poteſt eſſe à Deo, vt Authore ſpeciali. Probatur minor : Quia iudicium, quo beatus iudicat ſuam beatitudinem duraturam in ęternum, eſt iudicium ſupernaturale : Sed hoc poteſt eſſe falſum; quia ſi illi repugnaret eſſentialiter falſitas, repugnaret etiam eſſentialiter deſtrui, eſſetque viſiu beata eſſentialiter indeſtructibilis; quod repugnat conceptui creaturę : Ergò. Quinto : Quia non repugnat actus ſupernaturalis malus : Ergò nec falſus. Probatur antecedens, primo, quia non repugnat actus ſupernaturalis à Deo prohibitus, poteſt enim Deus prohibere actus ſupernaturales, quo caſu, ſi quis eliceret actum ſupernaturalem prohibitum, ille eſſet malus : Ergò. Secundo, quia poteſt quis elicere actum ſupernaturalem ex fine pravo, vt ex vanagloria : Sed tunc eſſet malus : Ergò non repugnat actus ſupernaturalis malus.

112 Reſpondeo, ad hoc argumentum, quod eſt potiſsimum fundamentum Ripaldę, Diſtinguendo maiorem : Poteſt Deus eſſe cauſa per ſe principiorum influentium per accidens in errorem, concedo maiorem : Principiorum influentium per ſe, vt à Deo procedunt, in errorem, nego maiorẽ, & minorem. Ad probationem maioris, conceſſa maiori, diſtinguo minorem diſtinctione data, & dico, quod, vt Deus ſit cauſa per ſe, & ſpecialis erroris, ſivè actus erronei, adhuc mediatè, non ſufficit, quod ſit cauſa per ſe principiorum influentium in actum erroneum, ſi illa principia non influunt per ſe errorem in illo actu; ſed requiritur, quod illa principia, ſecundum quod ex Deo ſunt, per ſe influant in errorem, ſivè in actum erroneum: Principia autem vniverſalia ſynderesis per ſe ex Deo procedunt, quia ſunt veriſsima, & lumen in nobis à Deo ſignatum : Sed ea principia non influunt per ſe errorem, nec in actum, vt erroneum; quia, quando ſubſumitur minor falſa, & concluditur dictamen erroneum, illud dictamen non habet quod ſit erroneum ex principijs vniverſalibus, & veris ſynderesis, ſed vnicè ex particulari falſa ſubſumpta: Vndè principia illa vniverſalia per ſe non influunt errorem in illo actu, ſed ſolum cauſant per accidens aſſenſum erroneum, hoc eſt, aſſenſum, qui per accidens evadit erroneus reſpectivè ad ipſa principia; ipſa autem principia influunt per ſe, quod actualitatis, & rectitudinis manet in illo aſſenſu, qui neceſſariò debet habere aliquid rectitudinis, & perfectionis ab ipſis derivatum, vt oſtendi *Tractat. de Conſcientia, quæſt. 5. à num. 70. & quæſt. 6. num. 94.*

113. Undè non admitto ſolutionem communem RR. Thomiſt. qui negant abſolutè, maiorem vniverſalem veram influere in cunclusionem falſam, aientes, eſſe ſolam conditionem ad aſſenſum concluſionis. Non, inquam, hoc admitto, tum quia maior vniverſalis, admiſſa ſemel minori ſubſumpta, cogit, & obligat intellectum ad aſſenſum concluſionis, vt per ſe patet, exercetque vim motivam, & ſuaſivam ad extorquendum talem aſſenſum : Ergò verè movet, & influit, & non ſe habet per modum purę conditionis. Tum, quia in diſcurſu, ſivè ſpeculativo, ſivè practico, prima principia vniverſalia, & neceſſaria ſe habent ſicut cauſę

vniuerſales in ordine phyſico, & principia, ſeù minores particulares ſubſumptę, ſicut cauſę particulares medię. Vndè, ſicut in ordine phyſico, ſi cauſa prima vniuerſalis benigna, influat media particulari defectuoſa, vel maligna, effectus quidem euadit defectuoſus, & malignus: Et tamen nemo dicet cauſam vniuerſalem benignam nihil influere in ipſum, ſeù eſſe puram conditionem, ſed omnes fatentur influere in illum effectum, non quidem malignitatem, aut defectum, ſed aliquid bonitatis, & perfectionis, quod de ſuo effectui communicat, cui per accidens ex cauſa intermedia adiungitur malignitas, & defectus: Sic ergò ſimiliter, quando ex maiori vniuerſali vera, media minori particulari falſa, infertur concluſio, ſeù aſſenſus falſus, dici nequit, quod vniuerſalis nihil omninò influit in illum aſſenſum, ſeù quod eſt pura condicio; ſed debet dici, quod influit, non quidem errorem, aut falſitatem, ſed aliquid rectitudinis, & veritatis, vel ſaltem entitatem, cui per accidens adiungitur falſitas ex minori particulari falſa.

114. Et hæc doctrina, quamvis parum vſitata, non mea eſt, ſed Ang. Præcep. *Quodlib. 3. art. 26. ad 1.* aientis: *Dicendum, quod principia particularis habent virtutem concludendi ex primis principijs vniuerſalibus: Vndè concluſio attribuitur principaliter primis principijs, ſicut effectus cauſę primę. Et eadem ratione, quia virtus Conſcientię principaliter dependet ex principijs primis iuris naturalis, principaliter Conſcientia dicitur lex naturalis*: Loquitur autem expreſsè de Conſcientia erronea, quę eſt concluſio falſa, deducta ex principijs ſynderesis, media minori falſa. Item *queſt. 16. de veritate, quę eſt de Synderesi, ad 2.* ſic ait: *Dicendum, quod quando in aliquo ſylogiſmo concluſio falſa deducitur ex duabus propoſitionibus, quarum vna eſt vera, & alia falſa, peccatum concluſionis non attribuitur verę, ſed falſę: Et ideò in illo arbitrio, quo occiſores Apoſtolorum arbitrabantur ſe obſequium præſtare Deo, peccatum non proveniebat ex vniverſali iudicio ſynderesis, quod eſt Deo obſequendum, ſed ex falſo iudicio ſuperioris rationis, quę arbitrabatur occiſionem Apoſtolorum eſſe beneplacitam Deo, & ideò non oportet concedere, quod per actum ſynderesis inclinarentur ad peccatum.* Item, *ad 6.* inquit: *Dicendum, quod ſicut in ſpeculatiuis ratio falſa, quamvis originem ſumat à principijs, non tamen à primis principijs falſitatem habet, ſed ex malo vſu principiorum, ita etiam in operatiuis accidit. Et queſt. 17. de Conſcient. artic. 2. ad 4.* inquit: *Quod Conſcientia dicitur lex intellectus, ſecundum illud quod habet à ſynderesi, & ſecundum hoc nunquam errat, ſed aliundè*, nempè ex particulari falſa.

115. Ex qua Div. Thom. doctrina iam vides, quo pacto reſpondet argumento præiacto, non quidem dicens, maiorem vniverſalem veram eſſe puram conditionem, ſed potius admittens eſſe principium, ex quo principia particularia habent virtutem concludendi, & quod concluſio attribuitur principaliter primis principijs, ſicut effectus cauſę primę. Verumtamen cum hoc componit, quod ſi concluſio euadit falſa, aut erronea, falſitas, & error non attribuitur primis principijs, ſed ſubſumptę minori falſę, quamvis concluſio originem habet ex primis principijs, quia ex illis non habet falſitatem, ſed ex minori falſa; nec concluſio errat in eo quod habet à ſynderesi, id eſt, à primis principijs ſynderesis, ſed in eo quod aliundè habet, nempè ex falſa minori, vel ex malo diſcurſu. Et quidem maior repugnantia eſt, in eo, quod influat in errorem Deus, qui eſt prima, & ſumma veritas, quam in eo, quod maior vniverſalis vera influat in errorem: Et tamen, ne Deus ſit cauſa erroris, nemo dixit ipſum eſſe puram conditionem reſpectu actus erronei, nihilque in illo influere, ſed omnes admittimus eſſe cauſam vniverſalem per ſe influentem in illum, non quidem errorem, aut falſitatem, ſed quod entitatis, & perfectionis eſt in illo: Ergò, ne vniverſalis vera ſit cauſa erroris in concluſione, opus non eſt dicere ipſam reſpectu concluſionis eſſe puram conditionem, aut nihil influere in illam, ſed dici debet, quod in illam influit, vt principium vniverſale, non quidem errorem, & falſitatem, ſed aliquid entitatis, perfectionis, & veritatis, licèt falſificatum ex minori falſa, tanquam ex cauſa particulari media. Quam doctrinam ideò præmiſi, quia ex illa facilis conſtat ſolutio ad cætera, quę objiciuntur.

116. Ad ſecundam enim probationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: Præmiſſa ſupernaturalis influit per ſe in errorem, nego minorem: Per accidens ex minori falſa falſificante influxum maioris verę, concedo: Vel aliter: Influit in errorem aliquid perfectionis, & entitatis, concedo: Influit ipſum errorem, & falſitatem, nego minorem: Quia aliud eſt influere in errorem, aliud influere errorem, Deus enim iuxta omnes influit in errorem, vt cauſa vniverſalis, ſed non influit errorem ipſum, aut falſitatem; ſic ergò præmiſſa ſupernaturalis. Et ne patiatis ęquivocationem, nota, quod error poteſt ſumi in concreto, provt eſt idem ac aſſenſus, vel actus falſus; vel in abſtracto, provt eſt idem ac falſitas, ſeù diſconformitas cum obiecto: Cum admittimus Deum, & præmiſſam ſupernaturalem influere in errorem, non ſumimus erro-

erroneum in abſtracto, quia in errore abſtractivè ſumpto, id eſt, in ipſa falſitate pura actus, nihil eſt, quod poſsit influere Deus, aut præmiſſa ſupernaturalis, quia nihil eſt perfectionis, aut veritatis; ſumimus ergò errorem in concreto, pro actu erroneo, in quo influit Deus, & præmiſſa ſupernaturalis, non falſitatem, aut errorem, ſed aliquid perfectionis, & veritatis.

117. Nec obeſt, quod prædicti RR. obijciunt: Nempè, quod ex vero nunquam ſequitur falſum: Ergò ex præmiſſa ſupernaturali, & vera ſequi non poteſt, nec inferri concluſio falſa. Reſpondeo enim, explicando antecedens: Ex vero nunquam ſequitur falſum, per ſe, & immediatè, concedo antecedens: Per accidens, & mediantè propoſitione falſa, nego antecedens, & conſequentiam in eodem ſenſu. Vel aliter: Ex vero ſolo tanquam ex cauſa vnica, & ſpeciali inferendi, concedo: Ex vero tanquam ex cauſa vniverſali, aut partiali inferẽte, medio principio falſo, ſubdiſtinguo: Ex illo non ſequitur falſum per ſe, concedo: Falſum per accidens, nego antecedens, & conſequentiam, quę ſolutio patet ex dictis, eſtque manifeſta in Div. Thom.

118. Sed dices: Vel præmiſa ſupernaturalis vera influit aliquid per ſe in concluſione erronea, vel nihil? Si nihil: Ergò eſt pura conditio: Item, ergò nihil influit per accidens, quia cauſalitas per accidens fundatur in cauſalitate per ſe, & ad illam reducitur, vt alibi oſtendi. Si influit aliquid: Quid eſt illud aliquid? Nam ſanè præmiſſa purè, & adæquatè vera, ſolum poteſt influere per ſe veritatem: Sed non influit per ſe veritatem in concluſione, quia in concluſione nulla eſt veritas, ſupponimus enim concluſionem eſſe adæquatè falſam: Ergò.

119. Reſpondeo, influere aliquid: Et cum rogas, quid ſit illud aliquid? Dico, quod eſt aliquid de veritate, ſeù aliquid veritatis, quod per præmiſſã falsã, falsò applicatur determinatę, & indebitę materię. Et cum arguis: Quod non influit veritatem: Dico, quod non influit veritatem ſimpliciter talem, quia hæc eſt, ſeù eſſe debet ex integra cauſa: Influit tamen veritatem ſecundum quid, hoc eſt, aliquid veritatis, ſeù de veritate maioris participatum. Et cum inquis: Quod concluſio adæquatè eſt falſa: Diſtinguo: Adæquatè eſt falſa, & adæquatè eſt falſitas, nego: Adæquatè eſt falſa, ſed ſolum inadæquatè falſitas, concedo: Vel aliter: Adæquatè eſt falſa, loquendo in ſenſu reali, concedo, quia ſufficit falſitas ex vno capite, vt in ſenſu identico, & reali tota concluſio dicatur falſa, quia falſitas ex vno ſolum capite, eſt maligna tis naturę, & totam cognitionẽ deturpat, & falſam reddit: Adequatè eſt falſa, loquẽdo in ſenſu præciſivo, ſeù præſcindendo formalitates correſpondentes principijs diverſis in concluſione illa, nego. Quia, ſi quis velit in illa concluſione præſcindere, quid habeat ex maiori vniverſali vera, & quid ex minori particulari falſa, cum hac præciſione, dici nequit, quod adæquatè, hoc eſt, ex omni eo, quod habet ab vtraque, falſa ſit, quia vt aiebat Div. Thom. *Non errat ex eo quod habet de ſynderesi, ſed aliunde.*

120. Et quidem obiectio iſta inſtatur in cauſa vniverſali benigna influente media maligna in effectum, qualitatem malignam. Rogo enim, quid influit cauſa vniverſalis benigna in illa qualitate maligna? Si nihil: Ergò non erit cauſa vniverſalis reſpectu illius, ſed pura conditio; quod nemo concedit. Si aliquid: En tuum argumentum: Cauſa vniverſalis eſt adæquatè benigna (quod ſi ambigis id concedere in cauſa vniverſali creata, indubitabile tamen eſt in cauſa vniverſali increata:) Sed cauſa adæquatè benigna nihil influere poteſt per ſe, niſi benignitatem: Ergò influit benignitatem in qualitate maligna. Hoc autem, quo pacto explicari poterit, quandoquidem ipſa qualitas maligna eſt adæquatè maligna? Quidquid dixeris dicam de principio vniverſali vero influẽte in concluſionem, vel aſſenſum falſum. Vide *Tractat. de Conſcientia, locis ſupra citatis,* vbi explicatur, quomodo concluſio erronea habeat aliquid rectitudinis, & veritatis.

121. Quod amplius explicari poteſt: Quia concluſio illa, ſivè aſſenſus, licèt falſus, eſt actus intellectus per ſe tendens in veritatem obiectivam, eſtque conatus, ſeù inclinatio per ſe in illam, & adhæſio illi, ſaltem in communi, & ex genere; nam propterea adhæret, aſſentiturque illi obiecto, quia apparet obiectivè verum; ergò importat adhæſionem veritati obiectivę vt ſic: Sed ex hoc capite falſus non eſt ille aſſenſus, ſed potius hæc adhæſio eſt aliquid veritatis formalis, ſeù veritas formalis ſecundum quid, licèt aſſenſus ſit ſimpliciter falſus, eo quod quærit, inclinat, adhæret, & aſſentitur veritati obiectivę, vbi ea re ipſa non invenitur: Ergò compatitur in illo aſſenſu, quod ſit ſimpliciter falſus, & quod ex ratione communi importet aliquid veritatis, ſeù veritatem formalem ſecundum quid, nempè adhæſionem, & aſſenſum veritati obiectivę in genere propter ſe ipſam, quę ex genere ſuo vera eſt, licèt falsò exiſtimata, & applicata particulari materię. Et hæc quidem adhæſio eſſentialiter includitur in omni

aſſenſu, & iudicio intellectus, licèt falsò, tanquam ratio generica, & vniverſalis in qualibet ſpecie; & ſecundum hanc rationem per ſe procedit, tum ex Deo efficienter, tum ex primis, veris, & vniverſalibus principijs luminis naturalis obiectivè, & intentionaliter influentibus, & moventibus, licèt talis aſſenſus, vt falſus, per accidens procedat ex illis, quatenus præter, & contra intentionem vniverſalem Dei, & luminis principiorum interponitur cauſa media falſa, ex qua aſſenſus ſimpliciter euadit falſus, contra talem intentionem, & inclinationem. Ex quo

122. Ad primam confirmationem, ex *numer.* 91. conceſſa maiori, diſtinguo minorem: Prudentia ſupernaturalis ſæpè influit, & cauſat aſſenſum falſũ, elicitivè, nego minorem, quia actus elicitus virtutis ſupernaturalis implicat, quod ſit falſus, vt infra dicam: Imperativè, ſubdiſtinguo: Cauſat aſſenſum falſum per ſe, & ex intentione propria, nego: Per accidens, & contra propriam inclinationem concedo minorem. Ad cuius probationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: Sæpè contingit quod opinio probabilior ſit falſa, contingit inquam præter, & contra intentionem prudentię imperantis, concedo: Ex intentione illius, & per ſe, nego minorem: Quia propterea prudentia ſupernaturalis eligit, & dictat aſſentiri opinioni probabiliori, quia conatur pro poſſe iudicare ſecundum veritatem, & vitare falſitatem, quę in rebus opinabilibus non aliter magis vitari poteſt, quam eligendo opiniones probabiliores; quia in illis non eſt regula certior; ſi igitur opinio electa ſit vera, hoc per ſe erit ex prudentia imperante, quia id conatur, & intendit, & pro poſſe facit ad id aſſequendum: Si verò ſit falſa, hoc per accidens erit reſpectu illius, præter, & contra eius inclinationem, ex defectu regulę aſſumptę. Vide *Tract. at. de Conſcient. quæſt.* 5. *à num.* 123.

123 Ad ſecundam confirmationem, dico, quod Charitas non præcipit, vt ſemper benè ſentiamus poſitivè de proximo, ſed ſolum quod non iudicemus illum malum, quando non conſtat moraliter ipſum eſſe malum; & quod, quando exteriora eius honeſtatem præſeferunt, iudicemus eum probum, non omninò abſolutè, & quantum ad eius internam diſpoſitionem, ſed attentis ſignis, & vita externa, & quantum eſt ex vi eius, nam de interiori ſtatu hominis iudicare omninò abſolutè, & independenter à vita eius externa, temerarium foret, quia *homo iudicat ſecundum faciem, Deus autem intuetur cor; &, quæ ſunt hominis nemo novit niſi ſpiritus Dei, qui ſcrutatur renes, & corda*: Iudicium autem, quo ex charitate de homine exterius honeſto iudicamus, quod, quantum apparet ex vita exteriori, honeſtus, ac iuſtus eſt, relinquendo Deo iudicium abſolutum de eius interno ſtatu, vel nunquam eſt falſum, vel rarò, & tunc per accidens contingit eſſe falſum, & contra intentionem ipſius charitatis, quia charitas ſic inclinans, potius vult quod tale iudicium verum ſit, quam falſum.

124. Ad tertiam confirmationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: Inclinat in aſſenſum illius tacitè conditionatum, ſub conditione ſcilicèt, quod ita teneat S. M. E. concedo: In aſſenſum omninò, & intrinſecè abſolutum, negò maiorem, & minorem de aſſenſu conceſſo; quia aſſenſus ille tacitè conditionatus, nunquam eſt falſus, ſed infallibilis. Quod ſi ex Conſcientia erronea iudicet ruſticus ſe obligari ad aſſenſum abſolutum, poterit pia affectio ſupernaturalis per accidens inclinare in aſſenſum, qui præter, & contra ſuam intentionem ſit falſus, non verò per ſe, & ex propria inclinatione.

125. Ad quartam confirmationem, conceſſa maiori, nego minorem. Ad cuius probationem, conceſſa maiori, nego minorem, quia quamvis illud iudicium ſit infallibile, eſt contingenter identificatum cum viſione beata, de qua durationem perpetuam affirmat, & ſic manet viſio beata, non eſſentialiter, ſed ſolum contingenter indeſtructibilis, ex ſuppoſitione nempè ipſi contingenti, ſicut diximus *lib.* 8. *phyſic. quæſt. vlt. num.* 20. vbi hoc argumentum ſoluimus. Ad quintam, nego antecedens. Ad primam probationem, nego antecedens, quia omnis actus ſupernaturalis importat immediatum ordinẽ ad ipſum Deum, & adhæſionem ipſi; Deus autem prohibere nequit ne creatura ipſi adhæreat. Et ſimiliter ad ſecundam probationem, nego antecedens, quia creatura intellectualis operans ex fine pravo, immò, & ex fine naturali, non operatur ſupernaturaliter, ſed purè naturaliter, in eis actibus, in quibus principaliter ipſa agit; quamvis poſſit aliqua eius actio naturalis, & prava participare vim ſupernaturalem, & eſſe ſupernaturalis participativè, in quantum Deus ea actione vtitur, tanquam inſtrumento ad effectum ſupernaturalem, vt contingit in actione conſecrantis ex fine vanę gloriç.

126. Sed dices: Deus eſt Author ſpecialis charitatis: Sed ex charitate poteſt quis elicere actum erroneum, immò, & peccaminoſum materialiter, quando, ſcilicèt, ex amore Dei ſuper omnia iudicat per errorem invincibilem aliquid eſſe faciendũ in obſequium eius, quod

quod re ipſa eſt prohibitum: Ergò Deus poteſt, ſaltem mediante charitate, eſſe author ſpecialis erroris, & peccati materialis. Reſpondeo, conceſſa maiori, diſtinguẽdo minorem: Ex charitate poteſt quis elicere actum erroneum, & peccaminoſum materialiter, ex charitate per ſe inclinante in illum, nego: Per accidens, & contra intentionem ipſius charitatis, nego minorem, & conſequentiam: Quia charitas per ſe intendit, & conatur iudicare quid ſit faciendum in obſequium Dei iuxta veritatem, & iuxta veram Dei legem: Vndè, ſi aliquando contingat in hoc errare invincibiliter, non eſt ex charitate per ſe, ſed potius contra eius intentionem & conatum. *Vidè Tractat. de Conſcient. quæſt. 5. à numer.* 111. *& præſert. à numer.* 119. vbi plura invenies notatu digna ad præſens inſtitutum.

127. Obijcies ſeptimo: Nulli divinę perfectioni opponitur cauſare per ſe errorem: Ergò non repugnat Deo. Probatur antecedens: Quia in primis non opponitur veritati divinę in eſſendo, quia huic ſolum opponitur pura apparientia eſſendi, ſeù ratio entis ficti: Actus autem erroneus non eſt ens fictum, ſed verum ens reale. Deindè, nec opponitur veritati eius in cognoſcendo, nã huic ſolum opponitur cognitio falſa in eodem intellectu. Nec item veritati in dicendo: Quia huic ſolum opponitur mendacium: Deus autem poteſt efficienter cauſare errorem, non menciendo: Ergò.

128. Confirmatur primo: Quia cauſare per ſe mortẽ in alio ſubiecto nõ opponitur ſummę Dei vitę, non alia ratione, niſi quia mors in vno ſubiecto, & vita ſumma in alio nullã cõtrarietatem important: Sed error in vno ſubiecto, & veritas ſumma in Deo nullam contrarietatem importat: Ergò error in intellectu creato non contrariatur, nec opponitur ſummę veritati divinę. Vrgetur: Quia non minus opponitur ignorantia, ſummę ſcientię, quam error veritati ſummę: Sed ignorantia intellectus creati non opponitur vllo modo ſcientię divinę; quia eſt in diverſo ſubiecto: Ergò nec error in intellectu creato, ſummę Dei veritati.

129. Reſpondeo, negando antecedens. Ad probationem, nego antecedens, quoad omnes partes. Quoad primam, quia Deus non poteſt per ſe cauſare errorem, niſi faciendo quod res, ſeù obiectum appareat eſſe quod non eſt, & conſequenter cauſando per ſe fictionem obiectivam in eſſendo: Id autem opponitur, & repugnat ſummę veritati in eſſendo: Quia omninò implicat quod ab ente ſummo, ſeù ſummè verò in eſſendo procedat per ſe defectus veritatis in eſſendo, ſeù fictio obiectiva in eſſendo, ſeù ens vt fictum in eſſendo: Et item quia error pro formali non eſt ens verum, & reale, ſed conſiſtit formaliter in defectu privativo ſpecialis rationis eſſendi, & conſequenter ſolum poteſt eſſe ens fictum, non tamen verè factum. Nego etiam antecedens, quoad ſecundam partem, quia ex illa ſolum probatur, quod error non opponatur formaliter veritati Dei in cognoſcendo, id eſt, tanquam forma contraria excludens formaliter à Deo veritatem eius in cognoſcendo: Cum hoc tamen comparitur quod opponatur obiectivè, & intentionaliter, eo modo, quo vnius authoris ſententia opponitur veritati, & ſententię alterius oppoſitum iudicantis: Et hoc ſufficit, vt Deus non poſſit cauſare per ſe, adhùc in alio intellectu, errorem, quia nequit efficere per ſe quod alius ſuo iudicio contradicat, vt ſatis oſtenſum manet *ſuprà à numer.* 19. Nego Demum tertiam partem: Quia veritas in dicendo non ſolum inclinat ad conformitatem loquutionis cum mente, cui immediatè opponitur mendacium, ſed per prius inclinat ad veritatẽ in re alijs perſuadendam, & hoc ex amore veritatis in alijs loquitur, quia veracitas eſt ad alios: Huic autem amori, & inclinationi omninò opponitur cauſare per ſe errorem, & falſitatem in alijs, id eſt, illam cauſare ex propria intentione, & cum voluntate inducẽdi eos in errorem. Et quidem, ſi hoc argumẽtum aliquid probat, probat, quod non opponitur divinę veracitati, & ſanctitati per ſe cauſare in alijs mendacium, & peccatum; quia mendacium in vno ſubiecto non opponitur veracitati alterius, nec peccatum vnius ſanctitati alterius.

130. Dices, eſſe diſparitatem: Quia ſi Deus cauſaret per ſe peccatum, in alio, in ſe ipſo peccaret; at quamvis cauſaret per ſe errorem in alio, non proindè erraret. Sed contra: Quia etiamſi cauſaret in alio per ſe mendacium efficienter, non proindè mentiretur: Et tamen cauſare per ſe mendacium in alio opponitur divinę veracitati: Ergò, quamvis, ſi Deus cauſaret per ſe errorem in alio, non erraret, hoc non tollit oppoſitionem prædictam. Dices, quod ſi Deus cauſaret mendacium in alio, per alium mentiretur. Rectè: Sed etiam ego dicam, quod ſi per ſe cauſaret errorem in alio, per alium erraret, & poſſet per alium loqui falſum, vt ſupra arguebam, *numer.* 33. Contra ſecundo, quia etiamſi cauſaret per ſe errorem, in ſe erraret: Nam cur cauſando per ſe peccatum peccaret? Sanè, quia eo ipſo approbaret, & vellet peccatum; approbare autem, & velle peccatum, peccare eſt: Sed, ſi cauſaret per ſe errorem, approbaret, & vellet errorem, hoc autem erra-

errore eſt : Ergò pariter erraret.

131. Ad primam confirmationem, omiſſa maiori (quę etiam falſa eſt, quia ſummę vitę opponitur, quod ab ea per ſe emanet, & procedat mors; nam mors eſt privatio vitę, & à ſumma vita, quo pacto per ſe procedet privatio vitę?) diſtinguo cauſalem : Niſi, quia mors in vno ſubiecto,& vita in alio nullam contrarietatem important, nec formalem, nec obiectivam, concedo : Solum formalem, nego cauſalem, & minorem, quia licèt error ſit in diſtincto ſubiecto ac ſumma veritas Dei incognoſcendo, hoc ſolum tolli contrarietatem formalem, & ſubiectivam, non tamen contrarietatem, ſeù potius contradictionem obiectivam, & intentionalem : Mors autem, & vita in diſtinctis ſubiectis nullam habent oppoſitionem: Non formalem, & ſubiectivam, quia non ſunt in eodem ſubiecto : Nec item obiectivam, quia mors non importat tendentiam intentionalem in obiectum oppoſitum obiecto divinę vitę, nec vita Dei,& mors corporalis hominis ſunt circa idem obiectum ſe contradicendo, vt per ſe patet: Niſi forſan ſit ſermo de morte ſpirituali per peccatum commiſsionis, quia illa mors, cum ſit voluntas contraria divinę voluntati, quę etiam vita Dei eſt, poteſt dici obiectivè contradicens divinę vitę.

132. Ad ſecundam confirmationem, nego maiorem, quia ignorantia, cum actus non ſit, nec in actu, non tendit in obiectum contradictorium obiecto divinę ſcientię, & ſic illi nullatenus contradicit: At error, vt inquit Div. Thom. in actu conſiſtit, iudicante oppoſitum divinę ſcientię, vndè ſicut mihi non contradicit,qui ignorat quod ego ſcio, ſed qui iudicat oppoſitum,quod ego iudico, ita pariter reſpectu Dei. Præter quam, quod nec ignorantia poteſt per ſe cauſari à Deo, vt oſtenſum manet ſupra, licèt alio titulo.

COROLARIVM EX DICTIS.

133. EX dictis planè ſequitur, Deum non poſſe infundere, nec cauſare ſe ſolo in intellectu habitum erroris. Patet, quia habitus erroris per ſe inclinat ſpecialiter in errorem, non quidem ſub aliqua ratione vniverſali dicente perfectionem, & indifferenti ad actum rectum vel errorem, ſed ſpecificè,& determinatè ad actum erroneum, vt erroneum, alioquin non eſſet habitus erroris : Ergò, ſi Deus ſe ſolo cauſaret, vel infunderet habitum erroris, per ſe, & vt Author ſpecialis,inclinaret intellectum ad errorem, & falſitatem : Sed hoc repugnat non minus, quam per ſe cauſare errorem : Ergò. Confirmatur : Quia ſi intellectus ex inclinatione habitus erraret, ille error,ſaltem mediatè, tribueretur Deo per ſe,& vt cauſę ſpeciali, quia tribueretur Deo, vt cauſę ſpeciali per ſe cauſanti principium, quod etiam per ſe, & vt cauſa ſpecialis cauſaret errorem : Hoc autem eſſet mediatè ſaltem cauſare per ſe errorem : Sed repugnat Deum, adhuc mediatè, per ſe, & vt cauſam ſpecialem cauſare errorem : Ergò.

134. Sed obijcies : Poteſt Deus ſe ſolo conſervare habitum erroris : Ergò, & ipſum ſe ſolo cauſare. Conſequentia videtur certa, quia conſervatio eſt continuata productio. Antecedens verò probatur: Quia habitus erroris perſeverat in intellectu, tranſactis actibus erroneis, quibus genitus fuit: Sed tunc conſervatur à ſolo Deo, quia intellectus nullam tunc actionem conſervativam talis habitus exercet : Ergò poteſt Deus conſervare, immò de facto conſervat ſe ſolo habitum erroris. Confirmatur : Licèt Deus ſe ſolo conſervet habitum erroris,ſaltem quoad entitatem, non indè ſequitur Deum inclinare intellectum habitualiter ad errorem : Ergò licèt produceret ſe ſolo habitum erroris, non indè inclinaret intellectum per ſe ad errorem. Confirmatur ſecundo : Quia potentia peccandi influit in peccatum, ſicut habitus erroris in errorem:Sed Deus ſe ſolo produeit potentiam peccandi,quin propterea influat in peccatum : Ergò pariter poteſt ſe ſolo producere habitum erroris, quin propterea influat per ſe in errorem. Confirmatur tertio : Quia non repugnat, Deum infundere ſpeciem repræſentatem obiectum eſſe, quamvis obiectum non ſit, vel ſaltem eam conſervare, quamvis obiectum deſinat eſſe : Ergò nec habitum erroris. Quarto : Quia non repugnat Deum infundere habitum opinionis, quamvis habitus opinionis ſæpè influat in opinionem falſam : Ergò nec habitum erroris, quamvis iſte ſit cauſa erroris.

135. Reſpondeo, omiſsis aliorum ſolutionibus, diſtinguendo antecedens : Poteſt Deus ſe ſolo conſervare habitũ erroris, quoad entitatem, & per modum cauſę vniverſalis, concedo antecedens : Quo ad defectum, & deformitatem erronei, nego antecedens. Ad cuius probationem, diſtinguo minorem eodem modo :Quia hæc eſt diſtinctio inter in primam productionem habitus,& eius conſervationem, quod, ſi Deus ſe ſolò produceret talem habitum, alia cauſa non cooperante, in primis illum produceret, vt cauſa ſpecialis, quia non produceret illum ad exigentiam alterius cauſę ſecun-

dę;

dę, nec cum cauſa ſecunda concurrendo, nec cauſam ſecundam movendo ad eius productionem, ſed ex ſpeciali, & proprio motu, vt ſic dicam: Ex quo ſequitur, quod defectus erronei in tali habitu, nulli cauſę ſecundę tribueretur, nec habitus talem defectum contraheret ex vlla cauſa ſecunda, ſed vnicè ex Deo; hoc autem prorſus repugnat. At verò conſervatio habitus aliter ſe habet, nam ſemèl producto habitu à Deo, vt cauſa vniverſali concurrente cum cauſa ſecunda, & ad exigentiam illius, Deus, quamvis ſolus continuet illam actionem conſervativam, cauſa ſecunda ceſſante in ſua actione, non ideò eſt in illa conſervatione cauſa ſpecialis, ſed vniverſalis conſervans in poſterum, ad exigentiam ipſius cauſę ſecundę antea producentis, ipſum habitum, immò, & ad exigentiam ipſius habitus iam producti; vndè conſervat per ſe habitum, eo modo quo illum primò produxit, nempè, vt cauſa vniverſalis, & ſolum quo ad entitatem; & hoc ex eadem ratione arguentis, nempè, quia conſervatio eſt continuata productio, & ſic Deus conſervando, ſolum continuat primam productionem; cum autem prima productio ſolum fuerit habitus erronei, quoad entitatem, permittendo defectum erroneitatis contractum ex cauſa ſecunda, ita conſervatio ſolum per ſe conſervat habitum quoad entitatem, permittendo in ipſo defectum contractum ex cauſa ſecunda in prima eius productione: Vndè deformitas, ſeù defectus perſeverans in habitu à Deo conſervato non imputatur cauſaliter Deo, ſed ſoli cauſę ſecundę, ex qua illum contraxit habitus.

136. Sed dices: Quęnam cauſa conſervat habitum quantum ad erroneitatem, ſeù quantum ad illum defectum? Nam cauſa ſecunda, nempè, intellectus, iam ceſſavit in ſuis actibus erroneis, & in omni alia actione erga ipſum habitum. Reſpondent PP. Salmant. conſervari à ſubſtantia intellectuali medio intellectu. Tum, inquiunt, ob generalem rationem, nam accidentia dependēt à ſubſtantia, nedum in genere cauſę materialis, ſed etiam in genere cauſę efficientis, alioquin Deus non poſſet ſupplere aliquem influxum ſubſtantię in accidentibus Euchariſticis. Tum ob ſpecialem rationem; nam intellectus tandiù conſervat habitum erroris, quandiù ad eius deſtructionem non operatur eliciendo actus contrarios. Sed hæc ſolutio non ſatisfacit, nec benè fundatur. Non quidem ſatisfacit, nam argumentum probat intellectum talem habitum non conſervare, & cōſequenter, nec ſubſtantiam medio illo; quia non continuat actionem, vel actiones, quibus illum habitum produxit, ſed ceſſavit in omni ſua actione erga illum; conſervatio autem eſt continuata productio, vel actio aliqua erga effectum conſervatum; hanc autem non aſsigat ſolutio: Non ergò ſatisfacit. Nec item benè fundatur, quia accidentia, quę dependent à ſubſtantia in genere cauſę efficientis, non ſunt accidentia communia, quę ab ipſa ſubſtantia non emanant naturaliter, ſed ſolum accidentia propria, quę naturaliter emanant à ſubſtantia: Habitus autem erroneus non eſt accidens proprium ſubſtantię intellectualis, vndè non eſt cur ab illa emanet, nec ab ea efficienter conſervetur. Nec exemplum de accidentibus Euchariſtię quidquam probat, tum quia illa ſunt accidentia propria, ſeù ex his, quę emanant naturaliter à ſubſtantia, & ideò nihil mirum, quod efficienter à ſubſtantia dependeant. Tum, quia nec hoc probatur ex eo, quod Deus ſuppleat aliquem influxum ſubſtantię in accidētia, quia Deus non ſupplet talem influxum, exercendo eundem, vel ſimilem influxum; ſupplet enim influxum cauſę materialis, & non exercet Deus influxum cauſę materialis; & ſupplet influxum cauſę efficientis per emanationem, qui non eſt per veram actionē elicitum à ſubſtantia, & tamen Deus talē influxum, non exercet erga accidētia Euchariſtię, quia ſolum ea conſervat efficienter propriè, & per veram actionem, non per naturalem emanationem: Non ergò probatur rectè, quod ſubſtantia influit efficienter in accidencia, ex eo quod Deus ſuppleat efficienter influxum illius. Nec ſecūda ratio tenet, quia non operari ad deſtructionem habitus per actus contrarios, non eſt cauſaliter talem habitum conſervare, ſed ad ſummum permiſsivè, vt ex ſe liquet, præcipuè, quando non inſtat obligatio agendi ad deſtructionem habitus; & caſu, quo adeſſet, ad ſummū non agere ad deſtructionem habitus eſſet moraliter conſervare illum, non tamen conſervare illum per modum cauſę phyſicę, quo in ſenſu, quærit argumentum cauſam conſervativam illius, nempè, phyſicam, & non moralem.

137. Reſpondeo ergò, erroneitatis defectum permanere in habitu erroneo, abſque cauſa activè, ſeù efficienter illum cōſervāte: Nā defectus, præſertim privativi, nō indigent cauſa propriè cōſervativa, vt permaneant, & durēt, diſtincta à cauſa primò cauſativa eorū quia defectus, purè ſunt nō eſſe, ſeù carētia alicuius perfectionis debitę; & ſemèl cauſata tali carentia in ſubiecto, nulla eget cauſa propriè tali, vt permaneat, ſed ſolum permiſsiva, quia defectus, ſeù carentię, ex ſe ſunt ęternę, niſi poſsitivè diſtruantur: Et indè eſt, quod ſimiles defectus non egent ad ſui perſeverantiam cauſa vlla poſsitivè,

aut

aut cauſaliter eos conſervante, ſed ſatis eſt, cauſa permittens eos defectus. Exempl. gratia, qui nocte extingueret lucernam in cubiculo cauſaret in eo tenebras, quę ſunt defectus privativus lucis; at, ſemèl cauſato tali defectu, ex ſe, & à ſe perſeverabit abſque cauſa vlterius poſitivè, aut cauſaliter conſervante: Item, vt homo incurrat cœcitatem, aliqua cauſa requiritur; at, vt ſemèl cœcus, perſeveret in eo cœcitas, nulla cauſa conſervante opus eſt. Item, vt homo moriatur ſpiritualiter Deo per peccatum, actio aliqua neceſſaria eſt, nempè, actio peccaminoſa; at, vt, ſemèl mortuus, perſeveret mortuus, & in peccato habituali, nulla cauſa, nec actio conſervativa neceſſaria eſt; quod exemplo mortis corporalis ſatis patet. Idem, vt homo, cui ex natura ſua debetur potentia viſiva expedita, naſcatur cœcus, aliqua cauſa neceſſarla eſt, quę in eius ortu, ſeù conceptione cœcitatem inducat; at, ſemèl nato cœco, abſque vlla cauſa conſervante poſitivè cœcitatem, cœcus perſiſtet impoſterum.

138. Sic ergò, vt generetur habitus erroneus cum defectu veritatis, ſeù rectitudinis, opus eſt quod in ipſa eius generatione interveniat cauſa erroneitatis, ſeù talis defectus, quia cum habitus intellectualis ex ſuo genere, & natura exigat rectitudinem, & ordinem per ſe ad veritatem, non poteſt generari cum defectu privativo talis rectitudinis, niſi in eius generatione interveniat cauſa, ex qua originetur talis defectus; at, ſemèl genito habitu cum tali defectu, opus non eſt ad eius defectus perſeverantiam cauſa aliqua, vel actione conſervativa; ſed quandiù conſervetur habitus quoad entitatem, manebit in eo talis defotmitas, & defectus, abſque vlla cauſa, quę actualiter talem defectum conſervet efficienter.

139. Et ratio omnium eſt, quia ea, eſt diſtinctio inter effectum, & defectum, inter perfectionem, & eius carentiam, quę inter eſſe, & non eſſe. Nempè, quod creatura, ſi eſt, non à ſe eſt, quod eſt, ſed vnicè ab alio primo entè: At, ſi non eſt, à ſe poteſt non eſſe, quod non eſt, & non indiget alio primo non entè, à quo accipiat carentiam eſſendi, quia ipſa poteſt eſſe primum non ens reſpectu ſui, ſeù prima radix non eſſendi, quod non eſt: Et hinc infertur, quod, vt ens quodlibèt perſeveret in eſſe, quod eſt, indiget cauſa poſsitiva conſervante, quia cum ſit eſſentialiter ens per participationem, ſi non perſeverat actu participando, non poteſt perſeverare actu eſſendo: At, vt perſeveret in non eſſe quod non eſt, non requiritur, quod perſeveret actu participando, quia ratio non entis non convenit ei eſſentialiter per participationem ab alio, ſed ſufficienter ſibi convenit à ſe, nam à ſe nihil eſt, & poſtquam ab alio accipit eſſe hoc præciſsè, & nō plus, à ſe non eſt, quod nō eſt, & ſic non eget cauſa actu cauſante talem defectum eſſendi, nam quodlibet ens finitum per ſe, & à ſe eſt primum deficiens ab eſſe, & à perfectione, ſine qua primo productum fuit: Sic ergò, vt habitus erroneus perſeveret in entitate ſua poſsitiva, indiget cauſa actu conſervante, & communicante ei quidquid entitatis habet, quia non eſt ens à ſe, ſed eſſentialiter per participationem: At, vt perſeveret quantum ad defectum rectitudinis ſibi ex ſuo genere debitę, hoc eſt, vt perſeveret deficiens à tali rectitudine, non eget cauſa actu ei communicante talem defectum, quia per ſe, & à ſe eſt deficiens, & carens ea rectitudine, ſine qua fuit productum. Quę doctrina valdè notanda eſt pro pluribus difficultatibus circa conſervationem rerum quantum ad imperfectiones, defformitates, & defectus.

140. Ex quo iam ad primam confirmationem ex *numer.* 114. Conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; diſparitas enim eſt, quod in prima productione habitus, vt generetur cum defectu rectitudinis, debet aſignari aliqua cauſa deficiens productiva: Si ergò Deus eſſet vnica, & ſola cauſa productiva illius habitus, ſoli Deo imputaretur defectus rectitudinis in habitu producto; & conſequenter Deus eſſet cauſa, cur habitus deficienter inclinaret intellectum ad errorem: At, quamvis ſe ſolo conſervet habitum, non ſequitur quod ei imputetur defectus, ſeù deformitas ipſius, adhuc conſervativè, quia talis defectus vnicè imputatur cauſę, vi cuius habitus illā contraxit in prima productione, de cætero autem cauſa conſervativa non eget, ſed habitui convenit à ſe: Vndè Deus conſervans habitum, ſolum permiſsivè conſervat defectum ipſius, ad exigentiam cauſę ſecundę deficientis, quę eius productioni interfuit.

141. Ad ſecundam, diſtinguo maiorem: Sicut, & eodem modo, nego maiorem: Sicut, & diverſo modo, concedo maiorem, & minorem, & nego conſequentiam; quia in primis, potentia peccandi non influit in peccatum inclinando ad ipſum, ſed ſolum cum indifferentia: At habitus ex natura ſua influit in actum inclinando ad ipſum, & conſequenter habitus erroneus influeret in actum erroneum inclinando ad ipſum. Secunda diſparitas eſt, quod potentia peccandi eſt potentia activa deficienter indiſtincta à potentia benè agendi, vndè eſt potentia vniverſaliter activa circa bonum, licèt defectibiliter, vndè ad actum peccati non

com-

comparatur, vt cauſa ſpecialis, particularis, & determinata, ſed, vt cauſa vniverſalis ad rationem communem actus: At habitus erroneus reſpectu actus erroris comparatur, vt cauſa ſpecialis, particularis, & determinata ad actum erroneum, vt talem præcisè, & non ſub ratione communi actus: Et ex hac duplici diſparitate oritur, quod licèt Deus ſe ſolo producet potentiam peccandi, nō proptereà diceretur cauſa ſpecialis, adhùc mediata peccati; & tamen, ſi ſe ſolo produceret habitum erroris, eſſet cauſa ſpecialis mediata erroris.

142. Prætèrquàm, quod Deus non producit potentiam peccandi ita ſe ſolo, quod ad illam non concurrat etiam natura intellectualis, in qua radicatur, Deus enim producit potentiam volitivam, quę eſt potentia peccandi, ad exigentiam naturę intellectualis, & in ipſa natura intellectuali, ex qua natura, vt limitata, & vt facta ex nihilo, contrahit illa potentia defectum peccabilitatis, & defectibilitatis: Undè quod ſit potentia agendi habet ex Deo, ſed quod ſit potentia deficiendi, ſeù peccandi, radicaliter participat ex natura intellectuali, vt finita, & ex nihilo facta, quia ab illa emanat, & iuxta exigentiam illius. At ſi Deus ſe ſolo infunderet habitum erroris; habitus erroris non poſſet contrahere erroneitatem ex natura intellectuali, nec ex potentia intellectiva, quia nec ab illa emmanat; nec produceretur ad exigentiam illius cum tali defectu, quia nec natura intellectualis, nec potentia intellectiva ſunt principium emmanationis talis habitus erronei, præſertim infuſi, nec exigunt habitum erroneū, vt talem, nec cum tali defectu, ſed potius per ſe petunt habitus rectos, & rectificantes potentiam iuxta ſuam inclinationem; vndè ſi in habitu infuſo eſſet erroneitas, illa ſolum ex Deo eſſet.

143. Ad tertiam confirmationem, nego antecedens; quia Deus per ſe nequit infundere ſpeciem, niſi, vt conformem obiecto repræſentato, & conſequenter nequit infundere ſpeciem repræſentantem obiectum eſſe, niſi vel ſupponendo obiectum ita eſſe, vel faciendo quod obiectum ita ſit: Quod ſi obiectum poſteà aliter ſe habeat, Deus ceſſabit conſervare talem ſpeciem, nec enim illam conſervare poteſt, niſi ſupponendo aliundè obiectum permanens in eodem eſſe, vel ipſum in tali eſſe conſervando. Ad quartam, omiſſo antecedenti, nego conſequentiam, quia habitus opinionis per ſe inclinat in aſſenſum verum, licèt cum contingentia errandi, ex defectu regulę, vel motivi, cui innititur, quia cum ſit ſolum probabile, ſeù probabiliter connexum cum obiecto, poteſt aliquando per accidens deficere à veritate, & ideò, licèt Deus infunderet talem habitum, non proptereà inclinaret ſpecialiter, & per ſe intellectum ad errorem: At habitus erroneus per ſe eſt determinatus ad errorem, & non niſi ad errorem inclinat: Vndè, ſi Deus illum infunderet, determinatè inclinaret intellectum ad errorem. Prætèrquàm, quod Deum poſſe infundere habitum opinionis, aut eſſe cauſam ſpecialem aſſenſus opinativi, non ita certum eſt, quod non ſit mihi probabilius oppoſitum. Et quidem habitum per ſe infuſum non poſſe eſſe opinativum certiſsimum eſt, quia habitus per ſe infuſus eſt ſupernaturalis, & conſequenter infallibilis in ſuo aſſenſu. Solum ergò poteſt eſſe difficultas, an Deus poſsit habitum opinativum per accidens infundere? Sed hoc etiam videtur difficilè, quia vt à Deo infuſus; ſpecialiter eſſet ex Deo, vt Authore ſupernaturali; ſub hac autem conſideratione non videtur conciliabile, quod retineret contingentiam errandi, & inclinandi in aſſenſum falſum. Sed de hoc alias.

QVÆSTIO IV.

An Fidei Divinę poſsit ſubeſſe falſum?

1. ITA expreſsè inquirit Div. Thom. *in præſent. art.* 3. Alij tamen ſub alio titulo eam excitant, nempè: *An fides poſsit elicere aſſenſum falſum*, ſeù: *An actus fidei divinę elicitus ab ea poſsit ex aliquo capite, ſaltèm per accidens, eſſe falſus.* Reſolutio tamen abundè patet ex dictis. Vndè

2. Dico: *Actus elicitus fidei divinę, adhùc per accidens, nequit eſſe falſus: Idque repugnat, non ſolum moraliter, ſed metaphyſicè.* Quo ad primam partem eſt communis inter Theologos, vno, vel altero ex antiquatis excepto: Quo ad ſecundam ſolum contradicit Oviedo *controv.* 4. *punct.* 7. &, vt refert, Araujo, Peſantius *in præſent. diſput.* 3.

3. Probatur autem primo ex cauſa efficienti, quia actus elicitus fidei divinę eſſentialiter eſt à Deo, vt Authore ſpeciali, cum ſit neceſſario actus ſupernaturalis, vt infra conſtabit: Sed ex quæſtione præcedenti conſtat Deum nō poſſe cauſare per modum Authoris ſpecialis actum falſum, non ſolum repugnantia morali, ſed metaphyca, vt liquet ex præiactis fundamen-

tis : Ergò repugnat, non ſolum moraliter, ſed etiam metaphyſicè, quod actus fidei Divinę, adhuc per accidens, ſit falſus. Explicatur, licèt actus à Deo procedens, vt ab Authore vniverſali, poſſit per accidens evadere falſus, ideò eſt, quia ex cauſa ſecunda mota, & concurrente poteſt concurſus Dei detorqueri, & determinari ad falſitatem, quin illa falſitas tribuatur Deo: Sed vbi Deus concurrit, vt Author ſpecialis, ad aliquem actum, nempè, ad actum fidei Divinę, non concurrit ita, vt eius concurſus poſſit detorqueri, & determinari à cauſa ſecunda ad falſitatem præter eius intentionem, quia hoc eſſet concurrere non de propoſito, & ſpecialiter ad hunc determinatum actum, vt talem, ſed vniverſaliter ad rationem communem actus particularizandam, & determinandam à cauſa ſecunda ad ſpeciem determinatam erronei : Ergò actus à Deo procedens, vt ab Authore ſpeciali, qualiter procedit actus fidei, adhuc per accidens, & præter Dei intentionem non poteſt evadere falſus.

4. Confirmatur, quia actus intellectus non poteſt per accidens evadere falſus, niſi vel ex defectu principij, vel ex defectu obiecti moventis, quia ab obiecto, & potentia paritur notitia, vndè ſi nec ex parte obiecti moventis, nec ex parte potentię elicientis ſit defectus, adhuc per accidens, actus nequit evadere cum defectu veritatis debitę, ſeù cum falſitate : Sed nec ex parte principij, nec ex parte obiecti poteſt eſſe defectus : Ergò. Quod ex parte principij non poſſit eſſe defectus, ſeù deviatio à veritate, patet quia licèt potentia intellectiva de ſe defectibilis ſit in cognoſcendo, & deficere poſſit à veritate quantum eſt ex ſe, tamen ad actum fidei divinę non concurrit, vt ſibi relicta, ſed vt determinata, formata, & ſpecificata per habitum fidei ſupernum, qui eſt participatio ſpecialis divini intellectus, & luminis infallibilis Dei: Sed ratione talis habitus nullum poteſt importare defectum in cognoſcendo, vi cuius deviare poſſit à veritate : Ergò ex parte principij non poteſt eſſe talis defectus. Quod autem nec poſſit eſſe ex parte obiecti motivi, iam probatur.

5. Secundò, & principaliter probatur concluſio ex cauſa obiectiva, ſeù ſpecificativa actus fidei, nempè ex eius motivo formali, & hæc eſt ratio Div. Thom. Etenim implicat quod aſſenſus fidei falſus ſit, niſi ſub eius motivo formali lateat falſitas, nam ſi ad aſſenſum alicuius aſſerti moveor ex aliquo motivo ſuadente, ſi illud motivum non me fallit, nec ſub eo lateat falſitas, implicat, quod meus aſſenſus evadat falſus; ob hoc enim aſſenſus opinativus poteſt evadere falſus, quia nititur motivo, vel apparentia purè probabili, ſub qua aliquando ſolet latere falſitas, & idem de aſſenſu fidei humanę: Itemque pro ‚terea aſſenſus ſcientificus non poteſt evadere falſus, quia nititur motivo evidenter connexo cum obiecto, ſub quo proindè repugnat latere falſum : Tum ſic; ſed actus fidei nititur motivo, cui metaphiſicè, & non ſolum moraliter repugnat ſubeſſe falſum : Ergò repugnat, non ſolum moraliter, ſed metaphiſicè aſſenſum fidei divinę evadere falſum. Minor probatur : Quia motivum formale fidei divinę in omni ſuo actu eſt veritas prima in dicendo, vt ſatis oſtenſum manet *in præced. diſput.* Sed ſub veritate prima in dicendo repugnat latere falſum, aut ei falſum ſubeſſe : Ergò. Minor probatur : Quia latere falſum ſub prima veritate in dicendo eſt formaliſſimè falſum re ipſa eſſe quod prima veritas dicit: Sed repugnat metaphiſicè falſum eſſe quod prima veritas dicit quia repugnat metaphiſicè Deum dicere falſum, vt oſtenſum manet *quæſt.* 1. Ergò ſub prima veritate in dicendo repugnat latere falſum.

6. Dices primo, ex hoc ſolum probari, quod actus fidei non poſſit eſſe falſus ex obiecto, ſeù ex parte motivi; attamen cum hoc componitur, quod poſſit eſſe falſus ex parte ſubiecti, quia licèt id quod prima veritas dicit, non poſſit eſſe falſum, poteſt tamen homo, quantum eſt ex parte ſua, iudicare dictum à Deo, quod revera ab ipſo dictum non ſit. Sed hæc ſolutio iam præoccupata manet, quia implicat aſſenſum fidei falſum eſſe, niſi ſit falſus ex obiecto, & ex parte motivi : Sed iuxta ſolutionem hoc pacto falſus eſſe nequit : Ergò abſolutè repugnat ipſum eſſe falſum. Maior iam probata manet, & vlterius probatur : Quia implicat actum fidei eſſe falſum, niſi credendo obiectum re ipſa falſum, hoc eſt, obiectum quod re ipſa non ſit ſicut creditur eſſe; nam ſi obiectum eſt re ipſa, ſicut creditur eſſe, aſſenſus verus, & non falſus erit : Sed implicat credere obiectum re ipſa falſum, niſi aſſenſus ſit falſus ex obiecto, & ex parte motivi : Ergò. Probo minorem, quia implicat credere obiectum re ipſa falſum, niſi ſub motivo formali talis aſſenſus ſubſit obiectum falſum re ipſa : Sed hoc eſt formaliſſimè eſſe falſum ex parte motivi, ſiquidem iam motivo fidei ſubeſſet falſum re ipſa : Ergò. Probo maiorem : Quia fides nihil poteſt credere, niſi, vt ſubſtans ſuo motivo formali, nam motivum formale fidei, ſicut cuiuſvis alterius facultatis, eſt ratio formalis *ſub qua* fides omnia attingit : Ergò nequit credere obiectum re ipſa falſum, niſi obiectum re ipſa fal-

falſum ſubſit eius motivo formali.

7. Confirmatur: Nulla facultas poteſt attingere ex parte obiecti, adhuc per accidens, niſi quod continetur ſub eius ratione formali *ſub qua* adæquata, quia videlicèt, ſi poſſet attingere aliquid extra illam, iam illa non eſſet ratio formalis *ſub qua* adæquata; vide ſupra, *diſput.* 1. *quæſt.* 9. *à num.* 47. Sed ratio formalis *ſub qua* adæquata fidei divinę eſt veritas prima in dicendo, vt ſupponimus: Ergò nec fides poteſt attingere ex parte obiecti, adhuc per accidens, niſi quod contineatur ſub prima veritate in dicendo: Ergò nequit attingere, adhuc per accidens, obiectum re ipſa falſum, niſi obiectum re ipſa falſum contineatur ſub prima veritate in dicendo: Sed hoc prorſus repugnat, etiam metaphiſicè: Ergò & quod fides credat, adhuc per accidens, obiectum re ipſa falſum.

8. Dices ſecundo: Rationem formalem *ſub qua* fidei divinę non eſſe eſſentialiter veritatem divinam, vt actualiter dicentem, ſed ſolum, vt poſſibiliter dicentem, hoc eſt, eſſe revelationem, vt præſcindentem ab exiſtenti, & poſſibili: Licèt autem obiectum falſum non poſſit cadere ſub veritate prima, vt actualiter dicente, ſivè ſub revelatione actuali, benè verò ſub poſſibili, quia quod modò eſt falſum, ſi poſſit eſſe verum, eſt poſſibile revelari.

9. Sed contra primo: Quia, quod modò eſt falſum, vt falſum, & in ſenſu compoſito eſt impoſſibile revelari, quia non ſolum Deus de facto non revelat falſum, ſed etiam eſt impoſſibile metaphiſicè revelare falſum: Ergò falſum, durante falſitate, nequit ſtare adhuc ſub revelatione poſſibili: Ergò, quamvis hæc foret ratio formalis *ſub qua*, falſum, durante falſitate, nunquam poſſet ſtare ſub illa, & conſequenter, nec attingi à fide divina. Secundo, quia ratio formalis *ſub qua* fidei non eſt revelatio, vt præſcindens ab exiſtenti, & poſſibili, ſed ſolum revelatio, vt actu exiſtens, vt ſupra probavimus *diſput.* 1. *quæſt.* 15. *pr. eſert. à numer.* 14. Ergò.

10. Dices tertio: Rationem formalem *ſub qua* fidei eſſe quidem, connaturaliter loquendo, revelationem veram in re, & phiſicè exiſtentem, ſed eſſentialiter ſolom eſſe revelationem, præſcindendo à vera in re, vel in exiſtimatione prudenti, & ſub hac poſſe cadere obiectum falſum per accidens, ſi nimirum exiſtimetur prudenter, vt verè revelatum, quod re ipſa revelatum non eſt. Sed contra, quia huiuſmodi ſolutio, quæ præcipua eſt ſententię contrarię, ſatis ſuperque reiecta manet. *diſput.* 1. *quæſt.* 9. *per tot.* in qua latè probavimus, rationem formalem *ſub qua* fidei divinę non eſſe revelationem præſcindentem à vera, vel exiſtimata, ſed eſſentialiter, vt veram in re. Vndè abſtineo ab huius ſolutionis impugnatione, quia ſupervacancum foret eadem hic repetere.

11. Tertio probatur concluſio ſpecialiter contra Oviedo: Quia, ſi ſolum moraliter repugnaret fidei divinę ſubeſſe falſum, fides divina non poſſet aſſentiri myſterijs certitudine, & infallibilitate metaphiſica, ſed ſolum certitudine morali: Sed hoc eſt abſurdum: Ergò non ſolum moraliter, ſed etiam metaphiſicè repugnat fidei ſubeſſe falſum. Maior patet, quia certitudo, & infallibilitas fidei non poteſt eſſe maior, quam repugnantia falſitatis illius, cum idem formaliter ſit aſſenſum fidei eſſe infallibilem, ac illi repugnare falſitatem. Minor verò probatur, primo, quia certitudo moralis de myſterijs fidei haberi poteſt ex motivis credibilitatis per ſolum lumen naturale, & ex viribus naturę diſcurrendo: Sed certitudo fidei divinę maior eſt, quam quę haberi poſſit ſolo lumine naturali, & viribus naturæ: Ergò non eſt ſolum certitudo, & infallibilitas moralis, ſed metaphiſica: Secundo, quia, ſi ſolum eſſet certitudo, & infallibilitas moralis, non repugnaret metaphiſicè, ſed ſolum moraliter, totam Eccleſiam falli in myſterijs creditis, ac proindè falli in Myſterio Trinitatis, Incarnationis, Redemptionis, &c. Siquidem de his omnibus non habet Eccleſia aliam certitudinem, niſi certitudinem fidei: Sed repugnantia moralis non eſt talis quę vinci non poſſit aliquando, in aliquo caſu ſaltem rariſſimo, & quę non relinquat aliquam contingentiam: Ergò contingere poſſet, eſſetque aliqua contingentia falſitatis in myſterijs creditis à tota Eccleſia, non eſſetque metaphiſica, & omnimoda ſecuritas, & firmitas, ſed ſolum firmitas moralis, & moralis ſecuritas: Hoc autem, quis non videat abſurdum eſſe contra ipſam fidem Catholicam, quę fundamentum eſt, & petra fundamentalis totius Eccleſię, noſtrę ſalutis, & Redemptionis, de qua dicitur: *Portę inferi non prævalebunt adverſus eam.* Sanè, ſi hoc ita eſt, metaphiſicè, & eſſentialiter loquendo, non repugnabit, omnes Catholicos deluſos eſſe in eo quod credunt, & ſperant, ſeù in incertum currere, omni ſua ſpe, & fide fruſtrandos: hoc autem quis dicat, nec metaphiſicè quidem loquendo?

12. Confirmatur ex illo Apoſt. *Ad Hebreos* 6. vbi ait: *Vt per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, firmiſſimum ſolatium habeamus.* Ex quibus verbis ſic ar-

arguo: Firmiſsimum ſolatium nō eſt firmum ſolum moraliter, ſed etiam metaphiſicè, quia quod ſolum moraliter eſt firmum, poſſet eſſe firmius, nempè metaphiſicè : Sed iuxta Apoſtolum ſolatium fidei eſt firmiſsimum : Ergò non ſolum moraliter, ſed metaphiſicè eſt firmum, & conſequenter fides eſt metaphiſicè infabililis. Secundo: Quia totam firmitatem fidei fundat Apoſtolus in impoſsibilitate mentiendi Deum : Sed non ſolum moraliter, ſed etiam metaphiſicè eſt impoſsibile Deum mentiri : Ergò firmitas fidei, ſeù infallibilitas eius non eſt ſolum moralis, ſed metaphiſica. Explicatur : Nam fides non aliter poteſt eſſe falſa, niſi Deus ſit fallax in dicendo, iuxta illud Cypriani : *Domine, ſi error eſt, quod credimus, à te decepti ſumus*, vndè credens fide diuina debet ita firmiter aſſentire myſterio credito, vt equè impoſsibile cenſeat myſterium à ſe creditum non eſſe ita, ac Deum mentiri, & ita certus debet eſſe quod myſterium ita eſt, ſicut certus eſt, quod Deus non poteſt mentiri, nec fallere, aut falli; & qui tanta certitudine non credit, ſanè in alio nititur eius aſſenſus, quam in diuina veritate, & teſtimonio : De quo vide *diſp. 1. quæſt. 9. à num. 36.* Sed Deum non poſſe mentiri credimus certitudine metaphiſica, & non ſolum morali : Ergò & myſteria alia.

13. Nec id quidem negare poteſt Oviedo ipſe, qui ſatis ęquivocè, vel inconſtanter loquens, inquit *numer. 33.* repugnantiam moralem ab ipſo aſſertam *reſultare formaliter ex bonitate, & perfectione Dei, ratione cuius abſolutè, & ſimpliciter implicat dari actum fidei ſupernaturalis tendentem in reuelationem falsò exiſtimatam, ita, vt nec diuinitus oppoſitum poſsit contingere. Repugnantia*, inquit, *iſta eadem eſt cum illa qua repugnat Deum mentiri, quę eſt ſumma omnium, quę poſſunt excogitari:* Sanè repugnantia Dei ad mendacium non ſolum eſt moralis, ſed phyſica, & metaphiſica; tum quia Deo phiſicè, & metaphiſicè repugnat mentiri: Tum quia per te eſt ſumma omnium, quę poteſt excogitari; ſi autem eſſet ſolum moralis, non eſſet ſumma omnium, quę poſſunt excogitari, quia poteſt excogitari repugnantia phyſica, & metaphiſica, quę maior eſt repugnantia purè morali : Sed per te repugnantia actus fidei tendentis in reuelationem falsò exiſtimatam eadem eſt cum illa, qua repugnat Deum mentiri : Ergò non ſolum eſt repugnantia purè moralis, ſed phiſica, & metaphiſica : Itemque: Ergò (vt dicebamus) ęquè impoſsibile eſt actum fidei diuinę eſſe falſum, ac Deum mentiri.

14. Sed dices, cur hic Author citatur plerumque contra noſtram ſententiam, quandoquidem, tātam, ſicut nos, repugnantiam fatetur? Reſpondeo, meritò pro oppoſita citari, quia ſatis expreſit ſuam mentem, licèt eam verbis ambiguis celare videatur. In primis enim omnes Theologorum rationes pro repugnantia falſitatis fidei inefficaces, nulluſque roboris eſſe ait, & concludit : *Rem diutius attentè contemplatus ſum, & nunquam invenire potui principium, ex quo poſſem aliquam repugnantiam purè phiſicam reperire in eo, quod diuinitus poſsit dari actus fidei falſus: Cumque aſſerere id poſſe contingere, ſit contra communem Doctorum ſententiam, in re graui non placuit ab ea recedere, nec mihi onus imponere excutiendi cenſuras, quibus non pauci impetunt proferentem poſſe diuinitus actum fidei Theologicę eſſe falſum.* Etenim, qui omnes rationes probatiuas Theologorum circa aliquam ſententiam reijcit, vt nullius roboris, ſatis exprimit eam ſententiam fundatam non eſſe, fundamentoque ſolido carere, & conſequenter illam reijcere, & in oppoſitam inclinare.

15. Dices primo, ipſum nihilominus aliam rationem aſsignare, nempè ex indecentia, quę eſſet in Deo, ſi contra exigentiam habitus fidei, concurreret ad actum falſum; quia hoc eſſet actum illum infundere. Sed contra, quia hæc potius ratio nullius roboris eſt, multoque omnibus inefficatior, nā omnis actus falſus eſt contra exigentiam intellectus, qui per ſe inclinat ſemper in verum, falſumque eſt contra inclinationem eius; & nihilominus ſæpè Deus concurrit ad actum intellectus falſum, quin cenſeatur illū infundere: Ergò. Et quidē ſunt exigentię aliquę, quę abſque miraculo connaturaliter vinci poſſunt, vt exigentia aquę ad frigiditatem, corporis grauis ad motum ſurſum, & ſic de alijs, & contra has exigentias Deus poteſt concurrere, vt Author vniverſalis : Sed iuxta Oviedo, exigentia, qua habitus fidei exigit veritatem in ſuo aſſenſu, non eſt exigentia, quę ſine miraculo vinci nequat, quia iuxta ipſum non eſt exigentia phyſica fundata in natura actus, & ſola exigentia phyſica fundata in natura rei, ęſt quę miraculo vinci poteſt; ſed eſt ſola exigentia moralis, quę ſine miraculo ſæpè vincitur : Ergò poſſet Deus abſque miraculo, contra exigentiam habitus fidei, concurrere ad actū fidei falſum, vt Author vniverſalis, abſque eo quod cenſeretur infundere ipſum : Ergò prædicta ratio prorſus eſt inefficax, ſi habitus fidei non habet connexionem phyſicam ex natura rei cum veritate ſui actus, quam non habere aſſerit Oviedo.

16. Et hoc quidem benè vidit ipſe, qui *contr. 7. de Anima*, hanc rationem inefficacem dixerat, in præſenti tamen inquit : *Cum aliam*

aliam firmiorem invenire non potuerim, nec in oppoſitam ſententiam abire æquum iudicem, prædictam rationem amplecti mihi neceſſe eſt. Neceſsitate ergò compulſus,& non ex ingenua ſententia, & iudicio talem ſequitur rationem. Et,vt intelligas, quęnam eſt iſta neceſsitas, recolle, quę ſupra aiebat: *Nec mihi onus imponere excutiendi cenſuras, quibus non pauci impetent, &c.* Ergò timore cenſurarum,potius quam ingenuo iudicio, adſtruere videtur Oviedo repugnantiam illam moralem,& Theologicam, quam, inquit eſſe eandem, ac repugnantia Dei ad mendacium.

17. Dices ſecundo, præfatum Authorem non inveniſſe fundamentum ſolidum,& efficax ad illam repugnantiam, veruntamen eam ex ingenua ſentētia defendere: Nā poſſumus,& nos,inquit Ripald. *diſp. 10. ſect. 3. num. 35.* profiteri veritatem fidei divinę eſſentialem propter ſolam Scholaſticorum Authoritatem, quamvis nulla ratione demonſtratam credamus, quod tantum abeſt ab audacia, & temeritate, vt nullum ſit maius modeſtię argumentum, & fidei alienę obſequium, quam ſoli aliorum teſtimonio iudicium ſumittere in ea re, quam nullę rationes evincunt,& oppoſitam plurimę perſuadere videntur, ſiquidem plus aliorum Authoritati, quam proprię rationi defertur. Sic Ripalda.

18. Verumtamen non arridet methodus iſta venerandi Authoritatem Scholaſticorum, eique obſequendi; nam ſanè,qui cenſet omnes Scholaſticos in vnam, & candem convenientes ſententiam, ad eam aſſerendam nullam habuiſſe efficacem rationem,eoſque omnes abſque fundamento ſolido loquutos fuiſſe, quamvis aliàs dicat,ſe illis aſſentire, nihilominus eorum Authoritatem magna ex parte contemnit, eique contradicit, quia licèt non aſſerat eorum ſententiā falſam eſſe,aſſerit tamē ſine vrgenti ratione eam aſſeruiſſe, & abſque ſolido fundamento. Et quidem mirum eſſet Theologos omnes in re gravi eandem tenuiſſe ſententiam, *quam* (inquit Ripalda) *nullę rationes evincunt, & oppoſitam plurimę perſuadere videntur.* Hoc enim de vno,vel altero Theologo dici quidem poſſet,ſed de omnibus collectivè id aſſerere, videtur, eos omnes levitatis ſaltem, ſi non temeritatis arguere, in re graviſsima;quod an ſit maximum modeſtię argumentum,& fidei erga ipſos obſequium,videat quiſque. Præter quam quod Scholaſticorum Authoritas,potiſsimè nititur in eo, quod præſumi debet, eos in rebus gravibus non protuliſſe abſolutam ſententiam, niſi ex ratione, vel rationibus convincentibus, & fundamentis ſolidis innixos: Ergò qui eos cenſet vnam tenuiſſe ſententiam, *quam nullę rationes evincunt, plurimis oppoſitam perſuadentibus*, quique omnia eorum fundamenta comminuere nititur, à fundamentis evertit eorum Authoritatem. Nec iuvat Ripaldam exemplum, quo ſe munire conatur, dicens: Omnes enim Theologi aſſerunt Myſterium Trinitatis nulla ratione demonſtrari, licèt omnes illud veriſsimum propter divina teſtimonia profiteantur.Non inquam, id iuvat, ſed potius contra ipſum militat; nam ſi quis diceret:Deus,dum teſtificatur Myſterium Trinitatis, nullo motivo evidenti nititur,ſed ſola ducitur ratione inefficaci, nihilominus in eius Authoritatis reverentiam illud credo, iſte ſanè revereretur ex animo divinam Authoritatem in dicendo? Vel potius ipſi illuderet? Non ergò eſt recta methodus reverendi Theologorum Authoritatem, omnium illorum motiva,& fundamenta parvi pendere, vt inefficacia, quamvis aliàs ipſis in ſententia dicatur aſſentiri.

19. Sed videre liceat rationes, quas alijs impugnatis,efficaciores adducit Ripalda,& quibus ipſe convinci videtur, non convictus alijs. Prima: Quia non repugnat ſpecies aſſenſus ſupernaturalis eſſentialiter infallibilis: Credibile autem eſt eiuſmodi eſſe ſpeciem divinę fidei; tum quia in ſupremo virtutum Choro conſtituta, nempè Theologicarum; tum quia divina Authoritas, ex qua intrinſecè movetur, vendicare ſibi videtur poſſe derivare in aliquam ſui aſſenſus ſpeciem infallibilitatem eſſentialem: Nulla autem eſt huiuſmodi ſpecies,niſi fides. En totum robur rationum Ripaldę. Quę tamen mihi prorſus ineficaces ſunt, nam in primis, quod non repugnet ſpecies aſſenſus ſupernaturalis obſcuri eſſantialiter infallibis, aſſeritur quidem à Ripalda, ſed non probatur, immò nec probari ab ipſo poteſt, quia ipſe tenet alios aſſenſus ſupernaturales dari falſos, quia tendunt in obiecta,vt falsò exiſtimata: Hæc autem ratio pariter probat apud ipſum de omni actu fidei poſsibili,quia ipſe nō admittit, quod actus fidei moveri poſsit à revelatione divina provt in re, ſed ſolum ab illa provt prudenter exiſtimata, & poteſt prudenter exiſtimari, quamvis vera non ſit in re.Deindè,dato,quod talis ſpecies aſſenſus eſſentialiter infallibilis ſit poſsibilis, inefficaciter probatur ex hoc,talem debere eſſe aſſenſum fidei Theologicę, tum quia ſolum id probat,quia *credibile eſt, &c.* intellige,fide humana; eſſe autem credibile aliquid fide humana, ſatis inefficax probatio eſt veritatis. Tum quia ſpecies talis aſſenſus eſſentialiter infallibilis invenitur in ſcientia clara infuſa, in evidentia in atteſtante: Non ergò opus eſt,quod talis ſpecies ſit aſſenſus obſ-

tibus obiectivè media cognitione, vel repreſentatione intentionali, quo pacto diximus *2. Phyſic. quæſt. 24. num. 2.* Cauſam finalem non eſſe propriè cauſam phyſicam, & in hoc ſenſu etiam dicimus, actum fidei non dependere phyſicè, ſeù tanquam à cauſa phyſica, à revelatione movente; quia in hoc ſenſu cauſalitas, & influxus phyſicus ſolum convenit cauſis moventibus ex parte ſubiecti, vel principij efficientis, aut ſine media cognitione, nec repreſentatione; revelatio verò movet obiectivè. Secundo poteſt ſumi dependẽtia, & influxus phyſicus minus propriè, provt ſonat influxum verum, & realem: Et hoc pacto finis, licèt ſolum obiectivè moveat, dicitur movere verè, & realiter, verèque, & realiter influere, & poteſt numerari inter cauſas phyſicas, licèt impropriè, & ſimiliter revelatio movens ad aſſenſum fidei. Nec ad hoc requiritur, quod modò exiſtat phyſicè, ſicut nec requiritur quod finis phyſicè exiſtat, quando movet; ſed ſatis eſt, quod exiſtat intentionaliter modo ſtatim explicando, ex cuius non explicatione, ſeù non intelligentia, tota contrariorum difficultas oritur. Igitur

24. Ad Confirmationem, conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequens: Ergò actus fidei ſolum exigit revelationem, vt intentionaliter exiſtentem media repreſentatione eſſentialiter conformi revelationi repræſentatę, concedo conſequentiam: Media repræſentatione, vt indifferente ad conformitatem, vel diſconformitatem cum revelatione, vt repræſentata, nego conſequentiam. Et diſtinguo minorem ſubſumptam eodem modo, negoque conſequẽtiam: Quia licèt actus fidei conveniat cum omni alio actu intellectus in eo quod ſolum obiectivè moveatur à ſuo obiecto, ſolumque immediatè dependeat ab illo, vt intentionaliter exiſtente, differt tamen valdè in exiſtentia intentionali requiſita ex parte ſui obiecti motivi; nam alij actus naturales obſcuri de obiecto contingente, immò, & de neceſſariò, non petunt eſſentialiter moveri à ſuis obiectis intentionaliter exiſtentibus media exiſtentia intentionali, ſeù repræſentatione eſſentialiter conformi cum re repræſentata, immò ſæpè moventur à ſuis obiectis, vt exiſtentibus intentionaliter, ſive repræſentatis aliter ac ſunt in re, quia obiecta eorum repræſentantur defectibiliter, & ſæpè deficienter, per ſpecies, aut ſigna, vel teſtimonia deficientia à veritate. Attamen actus fidei divinę ob ſuam excelentiam eſſentialiter petit moveri à ſuo obiecto, vt intentionaliter exiſtenti, ſeù repręſentato, exiſtentia intentionali, & repreſentatione eſſentialiter conformi obiecto ipſo provt in re; huiuſmodi autem repræſentatio, & exiſtentia intentionalis ex natura rei, immò, & eſſentialiter connectitur cum revelatione, vt re ipſa exiſtenti ſicut repræſentatur: Undè etiam actus fidei divinę eandem connexionem habet.

25. Ratio autem cur actus fidei eſſentialiter petit moveri à ſuo obiecto, vt repreſentato repræſentatione eſſentialiter conformi ad ipſum, vt in re, eſt, quia eſſentialiter petit moveri à divina revelatione, non ſolum, vt propoſita ſenſibiliter per Miniſtros Eccleſię exterius; ſed interius etiam perpoſita lumine ſuperno dante propoſitioni ſenſibili vim occultam, & ſupernam movendi obiectivè, vt prænotavi, *diſp. 1. quæſt. 9. à num. 58. & 84.* Sed, vt propoſita interius lumine ſuperno, repræſentatur intellectui eſſentialiter provt in re, nam repreſentatio vi illius ſupernę illuſtrationis, cum ſit à Deo, vt Authore ſupernaturali, & ſpeciali, repugnat eſſe diſconformem obiecto repræſentato: Ergò. Secundo: Quia fides divina non movetur à revelatione, vt ſubeſt præciſę propoſitioni humanę, aut humano iudicio, vel alteri motivo creato, ſed movetur à revelatione immediatè, & vnicè propter ſe ipſam, vt divinitus menti obiectam; ſed licèt revelatio, vt intentionaliter exiſtens in mente vi propoſitionis purè humanę, aut propriè exiſtimationis, vel iudicij naturalis de illa, & provt illis ſubeſt, poſſit aliter ſe habere in re, tamen, vt movens immediatè propter ſe ipſam, vt divinitus menti obiectam, implicat, quod aliter ſe habeat in re: Ergò. Uide quę diximus, *quæſtion. cit. à numer.* 87.

26. Explicatur: Nam propterea actus fidei acquiſitę poteſt eſſe falſus, quia Deus ad illum movet ſolum, vt cauſa vniverſalis, iuxta diſpoſitionem cauſarum ſecundarum, ſivè loquendo de motione ſubiectiva, qua movet efficienter ex parte principij, ſivè loquendo de motione obiectiva, qua movet interius illuminando obiectum, vt moveat, nam vtramque motionem exercet, vt motor vniverſalis, iuxta diſpoſitionem cauſarum ſecundarum recipientium illam motionem; vndè, ſi cauſę ſecundę proponentes obiectum motivum, deficienter proponant, & repræſentent, deficiendo à conformitate cum obiecto motivo provt in re, motio Dei, vt Authoris vniverſalis, detorquetur etiam, & obliquatur à veritate ex prava diſpoſitione cauſarum ſecundarum: Sed ad actum fidei divinę, & Theologicę Deus movet, vt Author ſpecialis, non ſolum ſubiectivè, & ex parte principij, ſed etiam obiectivè ordinando, & illuminando ſupernaturaliter ſpecies, aut propoſitionem factam per Miniſtros, quę quidem motio, cum ſit à Deo, vt Authore ſpeciali non commenſuratur iuxta diſ-

po

poſitionem pravam ſpecierum, aut cauſarum ſecundarum proponentium, nec ex illis poteſt detorqueri à veritate, ſed vnicè eſt iuxta ſpecialem, & determinatam intentionem Dei, ſpecificè determinantis obiectivè ad illum aſſenſum quo ad ſpeciem, & non tantum in vniverſali, adeò vt ſi ex parte cauſarum ſecundarum proponentium eſſet aliqua deviatio à veritate, motio, & illuſtratio Dei non detorqueretur à veritate ipſa, ſed potius corrigeret defectum cauſarum proponẽtium, & rectificaret repræſentationem, & propoſitionem illam: Hoc enim eſt proprium Dei, vt ſpecialiter moventis, ad diſtinctionem ipſius, vt moventis vniverſaliter, nempè, non commenſurari, nec ſpecificari eius motionem, aut influxum iuxta diſpoſitionem, & exigentiam cauſarum ſecundarum, ſed potius ipſas cauſas ſecundas ſuę motioni commenſurarē, & illas ad ſpeciem actus determinare: Cum autem actus fidei theologicę, ſeù infuſę eſſentialiter exigat moveri obiectivè à Deo, vt Authore ſpeciali hoc ſecundo modo; indè eſt, quod eſſentialiter exigit moveri à divina revelatione, vt intentionaliter repræſentata repræſentatione obiectiva eſſentialiter conformi ad veritatem in re, ſecus verò actus fidei acquiſitę.

27. Sed dices: Ipſa exiſtentia intentionalis, ſivè repræſentatio revelationis vi ſupernę illuſtrationis non dependet phyſicè à revelatione provt in re exiſtenti; quia revelatio olim facta Iſaię, modo non influit phyſicè in repræſentationem ſui: Ergò non habet connexionem phyſicam cum illa, vt re ipſa facta. Probatur conſequentia: Quia talis connexio ſolum poſſet eſſe tanquam effectus cum ſua cauſa: Ergò ſi ab illa non dependet tanquam à cauſa phyſica, non habet connexionem phyſicam cum ipſa. Reſpondeo, omiſſo antecedenti, negando conſequentiam: Ad probationem, nego antecedens, quia, vt tradit Div. Thom. *quæſt.* 2. *de verit. artic.* 14. *in corp.* Aſimilatio ſcientię ad ſcitum (& idem dic de conformitate cuiuſlibèt repræſentationis intentionalis cum obiecto repræſentato) triplici ex capite provenire poteſt, nempè, vel quia ſcientia ſit cauſa ſciti, vel quia ſcitum ſit cauſa ſcientię, vel quia ambo ab vna cauſa cauſentur: Igitur, vt repræſentatio obiectiva revelationis ſit eſſentialiter conformis cum revelatione repræſentata, opus non eſt, quod revelatio ſit cauſa phyſica illius repræſentationis, nec quod repræſentatio ſit cauſa revelationis, ſed ſatis eſt tertium caput, nempè, quod ambo ſpecialiter ab vna cauſa cauſentur; cum enim Deus operans ſpecialiter non poſsit ſibi eſſę contrarius, eo ipſo, quod ipſe ſit, qui revelavit, & qui eandem revelationem interius repræſentat lumine ſpeciali intellectui, huiuſmodi repræſentatio eſſentialiter eſt conformis illi revelationi, repugnatque phyſicè, & metaphyſicè, eſſe diſconformem talem repræſentationem illi revelationi, quia ambo ab vna cauſa, nempè, à Deo, ſpecialiter procedunt, qui nequit ſibi de propoſito eſſe contrarius. Solum reſtabat explicare, qualiter repræſentatio revelationis ſit ſuperna, & à Deo? An videlicet ratione ſpecierum, an ratione ordinationis illarum, vel altero modo. Sed hoc explicandum eſt infra, dum de ſpeciebus concurrentibus ad fidem ſermo erit: Ex quo ad ſecundam confirmationem argumenti patet ſolutio, negando antecedens, quoad primam partem, quia dependentia actus fidei à revelatione, nec eſt ſolum inclinatio quædam ad ſuum obiectum, nec dependentia actionis à ſuo principio, ſed eſt, alterius generis, nempè, dependentia à revelatione, vt ſpecificante, & movente, non purè naturaliter, media repræſentatione defectibili à veritate; ſed media repræſentatione eſſentialiter conformi, nempè, media repræſentatione ſuperna ſpecialiter à Deo procedente.

28. Objicies ſecundo: PP. antiqui, credebant fide theologica Chriſtum venturum, quem aſſenſum fidei continuare potuerunt, etiam poſt Chriſti Nativitatem, ignorantes inculpabiliter ipſam: Sed eo in caſu aſſenſus ille, vt continuatus, falſus eſſet; quia Chriſtus iam non erat venturus, ſed natus: Ergò poteſt aſſenſus fidei eſſe falſus. Reſpondent aliqui, actum de obiecto contingenti non durare, niſi pro eo inſtanti, pro quo elicitur, quia variato inſtanti, variatur obiectum ipſius. Sed hanc doctrinam efficaciter impugnavi *in Dialect. lib.* 2. *quæſt.* 14. *à num.* 12. Probans actum prædictum poſſe permanere eundem per plura inſtantia. Propterea reſpondendum eſt cum Div. Thom. *in præſent. art.* 3. *ad* 3. *Dicendum, quod ad fidem credentis pertinebat poſt Chriſti Nativitatem, quod crederent eum quandoque naſci: Sed illa determinatio temporis, in qua decipiebatur, non erat ex fide, ſed ex coniectura humana; poſsibile eſt enim ex coniectura humana hominem fidelem falſum aliquid ęſtimare: Sed quod ex fide falſum exiſtimet hoc eſt impoſsibile.* Itaque PP. illi, & credebant Nativitatem Chriſti, præſcindendo à tempore determinato illius, ſivè præſenti, ſivè futuro, ſivè præterito, credendo Chriſtum *quandoque naſci*, & credebant Chriſtum naſciturum determinatè de futuro: Primum credebant fide divina per aſſenſum omnino infallibilem; ſed ſecundum illis temporibus circa tempus adventus Chriſti non erat ita certum, quod credi poſſet fide divi-

vina, ſed ad ſummum ex coniectura humana. Quod ſi aliqui forent, qui non praeſcinderent, modo explicato, ſed vno eodemque aſſenſu crederent, Chriſtum naſciturum, inquit Gonet, talem aſſenſum fore à fide theologica, quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum falſitatis ex alijs coniecturis, quibus poteſt ſubeſſe falſum; ſicut idem actus virtutis moralis poteſt tranſire de bono in malum, quo caſu ab eadem virtute procedit quoad ſubſtantiam, licèt non quoad malitiam accidentalem contractam.

29. Sed impugnatur à PP. Salmant. in praeſenti. Primo: Quia videlicèt indè ſequitur, actum fidei divinę ab ea elicitum poſſe eſſe falſum, ſaltèm per accidens, falſitate, nempè, non orta ex ipſo habitu fidei; ſed ex alio principio deficiendi: Quod & nihil aliud voluit contrarij. Secundo: Quia exemplum de actu tranſeunte de bono in malum, nihil probat, quia licèt idem actus, ſivè exterior, ſivè interior in eſſe phyſico tranſeat de bono in malum, tamen cum redditur malus, exuit rationem formalem, ſecundum quam correſpondet virtuti, vt ex ſe liquet; non ergò tunc procedit ab eadem virtute. Ita Salmant. Sed hanc doctrinam, non ita certam exiſtimo, quod per ſe liqueat, quia cum actus bonus ex obiecto ſit malus ex fine, non ita certum eſt, quod amittat, vel exuat bonitatem ex obiecto, ſecundum quam virtuti determinatè correſpondebat; cum ſatis probabile ſit, retinere bonitatem moralem ex obiecto eandem intrinſecè, ac antea.

30. Aliter igitur impugnatur praedictum exemplum, tum quia licèt actus virtutis acquiſitę poſſit tranſire de bono in malum, & tunc procedere à propria virtute, quoad ſubſtantiam, non tamen id verificari quaeit de actu virtutis infuſę: Sed actus fidei divinę eſt actus virtutis infuſę, & non acquiſitę: Ergò de illo verificari nequit quod tranſeat de vero in falſum, & tunc procedat à fide infuſa, quoad ſubſtantiam. Tum, quia actua fidei non poteſt tranſire de vero in falſum, niſi ex variatione obiecti, non vero ex fine, quia actus intellectus non dicitur verus, vel falſus ex fine, ſed vnicè ex obiecto: Sed actus virtutis, adhùc acquiſitę, non poteſt tranſire de bono ex obiecto, in malum ex obiecto, quia iam non haberet idem omnino obiectum virtutis: Ergò nec actus fidei divinę, Immò, nec virtutis acquiſitę intellectualis poteſt tranſire de vero in falſum ex obiecto, & conſequenter nullo pacto. Demùm: Quia idem actus intellectus non poteſt moveri intrinſecè ex divina revelatione, & ex coniecturis, aliàs haberet motiva ſpecie, immò & genere diverſiſsima; ſed Gonet ſupponit, illum actum moveri ex coniecturis, nam, cum D. Thoma, aſſerit, quod haberet falſitatem ex coniecturis humanis, quibus poteſt ſubeſſe falſum: Ergò non moveretur immediatè, & intrinſecè ex divina revelatione; non ergò eſſet actus fidei quoad ſubſtantiam. Vndè dicendum eſt, quod qui circa tempus adventus Chriſti, vno, eodemque actu, ſiue praeciſione, crederet Chriſtum de facto naſciturum, id non crederet actu fidei divinę, quoad ſubſtantiam, ſed ſolum ex coniecturis, trahendo ad ſuum ſenſum revelationem divinam, qui modus credendi deſtruit ſubſtantiam, & eſſentiam fidei theologicę, quę non ſubijcit revelationem, nec ſenſum eius coniecturis humanis, ſed eas potius contemnit, vel captivat in obſequium revelationis divinę propter ſe vnicè attactę.

31. Obijcies tertio: Actus, quo credimus, Chriſtum eſſe in Sacramento Altaris, eſt actus fidei divinę, ſeù theologicę: Sed hic actus poteſt aliquando eſſe falſus, ſi nimirum Hoſtia non ſit ritè conſecrata, quia tunc non eſt in ea Chriſtus: Ergò. Reſpondet D.Thom. *in praeſent. articul. 3. ad 4. Dicendum, quod fides credentis non refertur ad has ſpecies panis, vel illas, ſed ad hoc, quod verum Corpus Chriſti eſt ſub ſpeciebus panis ſenſibilis, quando rectè fuerit conſecratum: Vndè, ſi non ſit rectè conſecratum, fidei non ſuberit propter hoc falſum*: Vndè in forma, diſtinguo maiorem: Actus, quo credimus Chriſtum eſſe in Sacramento Altaris, ſub tacita conditione, ſi ſit ibi verum Sacramentum, & verè conſecratum, eſt actus fidei theologicę, concedo maiorem: Actus, quo id credimus, ſine hac tacita conditione, nego maiorem, & minorem; quia ſi non ſit Hoſtia verè conſecrata, non ibi eſt Sacramentum verum Altaris, & ſic non falſificatur aſſenſus, quo credimus Chriſtum eſſe in Sacramento Altaris, quia hoc intelligitur, quandocumque ibi fuerit verum Sacramentum Altaris, & vera conſecratio praeceſſerit.

32. Sed dices primo: Iuxta praxim Eccleſię, quam reprobare magna temeritas foret, quãdo hoc Sacramentum cõfertur, vt Viaticum infirmis, Miniſter interrogat infirmo: *Credis, quod hoc, quod meis manibus teneo, eſt verum Corpus Chriſti?* Er reſpondet cum adſtantibus, *Credo*, nempè, per fidem theologicam, & ſupernam, nam acquiſita, vel humana non eſt apta diſpoſitio ad recipiendam gratiam, quę ibi conferi intenditur: Ergò falſum eſt, quod inquit D.Thom. nempè, quod fides credentis non refertur ad has ſpecies panis, vel illas, &c. Secundo: Quia Chriſtus adoratur, & colitur, non conditionatè, ſed abſolutè in Hoſtia determinata, & hoc per virtutem ſupernaturalem Religio-

Ff nis;

nis: Sed actus abſolutus Religionis ſupernaturalis regulari debet per actum fidei abſolutum erga obiectum Religionis: Ergò actus fidei de exiſtentia Chriſti in Hoſtia determinata debet eſſe abſolutus, & ſine tacita conditione.

33. Reſpondeo, praxim illam Eccleſię Sanctiſsimam, & rectiſsimam eſſe, verumtamen, notandum eſt, quod prius infirmus interrogatur in vniverſali, an credat, quod in qualibet Hoſtia ritè conſecrata à vero Sacerdote, licèt indigno, & peccatore, ſit Corpus Chriſti? Et tunc reſpondet, *Credo*, quod intelligitur omninò abſolutè, & ſine tacita conditione, quia circa Hoſtiam ritè conſecratam in vniverſali, opus non eſt apponere illam cōditionem, eo quod cōditio exprimitur in ſubiecto, vel obiecto ipſo credendo. Cum autem poſteà interrogatur circa illam ſingularem Hoſtiam, quam Sacerdos præ manibus tenet, reſpondet item, *Credo*, non expreſſando conditionem, ſed tamen eam ſubintelligendo, quia illa creditio in ſingulari ſolum debet intelligi de Hoſtia, de qua crediderat immediatè in vniverſali continere Corpus Chriſti; ſolum autem id crediderat de Hoſtia ritè conſecrata; vndè cum credit in ſingulari, debet ſubintelligi, *ſupponendo quod hæc eſt ritè conſecrata*, & ſub hac tacita conditione; quę conditio exprimi non debet, immò foret imprudentia illam exprimere, quando nulla eſt ratio dubitandi de vera conſecratione, & ideò fides illa poteſt dici abſoluta extrinſecè, ex fide humana de rita conſecratione, modo, quo explicavimus, *ſuprà diſput. 1. quæſt. 9. à numer. 76.* Vndè minimè eſt falſa doctrina Div. Thom. quia ſenſus illius eſt, quod fides divina ex intrinſeca tendentia non refertur abſolutè, & ſine tacita conditione ad has determinatas ſpecies, ſed ſolum poteſt referri ad illas, ſub tacita conditione, ſi ritè fuerit conſecratum.

34. Ad ſecundam, iam reſpondi *quæſt. citata, num. 99.* quod obiectum proprium Religionis in adoratione Hoſtię non eſt rita conſecratio, nec exiſtentia Corporis Chriſti in Hoſtia, ſed honeſtas ſpecialis cultus: Ex qua doctrina, conceſſa maiori, & minori, negatur conſequentia; quia actus fidei de obiecto immediato Religionis, non eſt, quo creditur exiſtentia Chriſti in Hoſtia, quia hæc non eſt obiectum proprium, & immediatum Religionis, ſed erit actus fidei, quo credatur practicè cultum exhibitum Chriſto in illa Hoſtia eſſe honeſtum. Vel ſecundò reſponderi poterit, & forſan verius, quod cultus etiam ſupernaturalis internus, qui eſt proprius actus Religionis, non refertur per virtùtem ſupernaturalem omninò abſolutè, & ſine tacita conditione *ritę conſecrationis*, ad exiſtentiam Chriſti in illa Hoſtia; ſed, ſicut fides implicat illam conditionem, ita Religio infuſa; quę quidem imperat omninò abſolutè, cultum externum, ſed non ordinando illum omninò abſolutè, & ſine tacita conditione, quam prudentialiter fide humana credit purificatam. Mitto alia argumenta, quia ſoluta manent, tum *quæſt. præced.* tum *diſput. 1. quæſt. 9.* per totam.

COROLARIA EX DICTIS.

35. Colliges primo, eos Authores, qui tenent, fidem infuſam non eſſe magis certam obiectivè, quam acquiſitam, ex modo quo proponitur obiectum, vt tenet P. Sendin *ſuprà citat. diſp. 1. quæſt. 9. à nu. 29.* & ex alia parte tuentur Deum poſſe infundere habitum erroris, vt tenet idem Author *Tractat. 7. de fide actuali, controverſ. 5. ſect. 1.* nullo ex capite poſſe probare infallibilitatem fidei. Quod ſic oſtendo: Quia in primis eam probare non poſſunt ex obiecto motivo, eo modo, quo proponitur, nam iuxta ipſos idem omninò eſt obiectum motivum, eodemque modo propoſitum, reſpectu fidei acquiſitę, & reſpectu fidei infuſę, eodemque modo poteſt tali obiecto, vt propoſito ſubeſſe falſum reſpectu vtriuſque fidei: Sed reſpectu fidei acquiſitę ita proponitur, quod illi poteſt ſubeſſe falſum, & de facto illi ſubeſt, in caſu falſę propoſitionis, vt tenēt iſti Authores: Ergò iuxta ipſos ex obiecto motivo, vt propoſito, probari nequit fidei non poſſe ſubeſſe falſum, ſeù fidem eſſe infallibilem. Deindè nec ex parte principij, aut ex cauſa efficienti, nempè, ex eo, quod ſit fides infuſa à Deo; quia iuxta ipſos Deus poteſt infundere errorem, & habitum inclinātem ad ipſum: Ergò ex eo quod ſit fides infuſa, minimè probatur falli & errare non poſſe in ſuo aſſenſu. Confirmatur: Iuxta hos AA. fides infuſa in eo, in quo convenit cum acquiſita, nempè, in obiecto motivo, & modo propoſitionis illius, fallibilis eſt: Sed etiam eſt fallibilis ex capite, in quo differt ab illa, nempè, in ratione infuſę, quia habitus erroris poteſt eſſe infuſus à Deo, immò & ipſe error: Ergò fides, ex principio, & obiecto, adæquatè fallibilis erit, iuxta ipſos.

36. Colliges ſecundo: Quod ſi quis dicat, obiectum formale motivum fidei eſſe divinam revelationem, non quidem eſſentialiter, prout eſt in re propoſitam, ſed propoſitam interius, & exterius, eum contingentia aliter eſſendi in re, tenetur dicere, aſſenſum fidei eandem contingentiam habere attingendi ſuum obiectum aliter ac ſi in re, quia fides ſemper poteſt attingere ſuum formale motivum, quotieſcumque illi proponatur formaliter, vt tale.

37. Di-

37. Diceacum Oviedo, quod licèt habitus fidei ex natura ſua poſsit ferri in revelationem propoſitam tanquam motivum formale, etiam quando propoſitio, vel exiſtimatio eſt falſa, tamen id repugnat theologicè ex parte Dei, quia eſſet indecentia Dei concurrere ad actum falſum. Sed contra: Quia non eſt indecentia Dei concurrere cum cauſa ſecunda proximè expedita, tam ex parte principij, quam ex parte obiecti, ad actum ſecundum, ad quem eſt expedita, immò ex munere cauſę primę vniverſalis tenetur talem concurſum exhibere: Sed ſemèl, quod intellectus ſupponatur informatus habitu fidei infuſę, & revelatio ſufficienter propoſita ex parte obiecti, vt obiectum formale motivum, cauſa ſecunda, nempè, intellectus, eſt proximè expedita ad aſſenſum, tam ex parte principij, quam ex parte obiecti: Ergò implicat, quod tunc ſit indecentia Dei, repugnans ipſi, præbere ſuú concurſum ad illum actum, vel aſſenſum.

38. Vel aliter: Implicat contradictionem cauſam ſecundam eſſe proximè, & adæquatè expeditam ad actum, ad quem Deus nec divinitus concurrere poteſt, quia cauſa ſecunda eſſentialiter eſt ſubordinata Deo in agendo, & conſequenter implicat, quod poſsit aliquid expeditè, ad quod Deus concurrere nequeat, alias poſſet expeditè agere ſine concurſu Dei, quod nemo concedet: Sed iuxta Oviedo, Deus propter indecentiam moralem, nec divinitus concurrere poteſt ad actum fidei, quando revelatio proponitur falsò: Ergò tunc cauſa ſecunda non eſt proximè, & vndèquaqua expedita ad aſſenſum talis revelationis. Quid ergò deficit, vel ex qua parte non eſt expedita? Sanè non ex parte principij, quia ſupponimus ex parte principij intellectum cum habitu fidei, quo pacto eſt adæquatum principium ad credendum, nec amplius quiſquam exegit ex parte principij: Ergò defectus expeditionis eſt ex parte obiecti, nempè, quia tunc deficit obiectum motivum, vt motivum, ſeù ſufficienter propoſitum: Ergò non ſufficit propoſitio revelationis, quę contingenter ſe habeat ad veritatem in re, ſed requiritur propoſitio revelationis, quę eſſentialiter illam proponat prout in re. En cur nos exigimus ad rationem formalem motivam fidei, quod proponatur interius obiectivè per illuſtrationem ſupernam, quia niſi per illam, proponi nequit eſſentialiter, ſeù indefectibiliter prout in re; ad diſtinctionem fidei acquiſitę, reſpectu cuius non exigitur eſſentialiter, quod revelatio illi proponatur eſſentialiter, & indefectibiliter prout in re, ſed ſatis eſt, quod illi proponatur defectibiliter, & contingenter ad ita eſſe in re, quo pacto proponitur per lumen naturale.

39. Dices ſecundo, cum Ripalda, & alijs, habitum fidei exigere connaturaliter, quod revelatio propoſita ita ſit in re, ſicut proponitur, ac per conſequens, quando non eſt ita in re, non inclinare ad aſſenſum, ſed potius naturaliter illi repugnare, licèt non eſſentialiter, quia non deficit obiectum motivum, & formale, ſecundum quod eſſentialiter importat in ratione motivi, ſed ſolum ſecundum quod naturaliter exigit. Sed hæc doctrina multis capitibus falſa eſt, primo. Quia, cur Thomiſtę potiori titulo non poterimus dicere, habitum fidei exigere eſſentialiter, quod revelatio propoſita ita ſit in re, & quod obiectum motivum, non ſolum connaturaliter, ſed eſſentialiter importat ita eſſe in re? Secundo: Quia iuxta hos Authores, quod revelatio ita ſit phyſicè in re, ſicut proponitur, non movet phyſicè, & incognito modo ad aſſenſum fidei, nec hoc modo eſt motivum formale illius, quod etiam nos ſatis probavimus *ſuprà diſputat. 1. quæſt. 9. à num. 53.* Vndè ſolum eſt motivum, vt obiecta menti credentis: Sed iuxta hos AA. eodem ipſiſsimo modo objicitur, quando eſt falſa in re, ac quando eſt vera in re: Ergò eodem ipſiſsimo modo erit tunc fides ex parte ſua, & ex parte obiecti expedita ad aſſenſum, ſivè revelatio ſit vera, ſivè falſa in re: Sed quando eſt vera in re, fatentur, quod non ſolum divinitus, ſed naturaliter poteſt illi aſſentiri: Ergò pariter licèt falſa ſit in re; quia falſitas in re, vtì non obiecta menti, ſed omninò latens, non apparet quomodo poſsit minuere, vel tollere habilitatem, & facultatem nativam habitus ad aſſenſum.

40. Explicatur hoc, nam video hic hærere non paucos: Etenim habitus intellectualis, licèt ex natura ſua inclinet, & conetur ad verum in re, tamen in executione, ſivè in actuali attingentia, non regulatur immediatè, adhùc connaturaliter, per verum, vt eſt in re, quia non attingit contactu phyſico ipſum verum prout in re, ſed ſolum attingit illud intra ſe intentionaliter, & conſequenter regulatur immediatè, & connaturaliter per ipſum verum, vt ſibi intra intellectum obiectum, & repræſentatum, non enim regulatur, nec ſpecificatur, adhùc connaturaliter, ex vero phyſicè ſumpto, & in eſſe rei, ſed ex vero obiectivè ſumpto, ſeù in eſſe obiecti, hoc eſt ex vero, vt taliter obiecto, ſeù repræſentato menti: Ergò, dummodo objiciatur, & repræſentatur menti eo pacto, quo objicitur, & repræſentetur, quando eſt verum in re, implicat, quod habitus fidei non poſsit nativa ſua facultate, hoc eſt, naturaliter, & abſque miraculo, illud attingere, eo modo, ac ſi eſſet verum in re. Vrgetur: Implicat, quod propoſitis duabus

revelationibus eodem modo in eſſe obiectivo, & intentionali, habitus fidei poſsit expeditè, & naturaliter credere vni, alteri verò non poſsit, ſed potius naturaliter, ſeù ex natura ſua reſiſtat credere illi, hoc enim aliter intelligi nequit, niſi intellectus habeat aliquam rationem obiectivam, cur vni poſsit credere, & non alteri; hanc autem rationem obiectivam habere non poteſt, quando vtraque revelatio eodem ipſiſsimo modo obijcitur: Ergò. Vide *quæſt. cit. à num.* 43.

41. Secundo: Falſa eſt prædicta doctrina, quia ſi habitus non poteſt naturaliter elicere aſſenſum revelationis in re falſę, nec divinitus poterit. Quod duplici ex capite probatur, primo: Quia habitus fidei non poteſt elicere actum fidei per potentiam obedientialem, tunc quia potentia obedientialis non eſt immediatè activa actus, ad quem eſt obedientialis, vt probavimus in Phyſic. *lib. 2. quæſt. 22. à num.* 8. Tùm quia dato, quod ſit activa, ſolum eſt activa cum alia virtute elevante; mirum autem eſſet, vel potius ridiculum, quod habitus fidei indigeret nova virtute elevante ad aſſenſum falſum, cum tamen ea non egeat ad aſſenſum verum, qui perfectior videtur: Præterquàm, quod habitus fidei, cum ſit vltima determinatio, & elevatio potentię, elevari alia virtute non poteſt: Non ergò poteſt elicere actum fidei falſum per potentiam obedientialem: Ergò ſi poſſet, poſſet per potentiam naturalem: Ergò vel non poteſt divinitus, vel poteſt naturaliter. Secundo, quia ſi non poſſet naturaliter, eo quod eſſet contra exigentiam naturalem illius, Deus non poſſet contra hanc exigentiam concurrere ad actum falſum, quia Deus concurrens contra exigentiam principij activi, concurreret, vt Author ſpecialis, & magis diceretur infundere actum illum, quam concurrere cum habitu ad illum: Sed Deus, nec divinitus poteſt infundere actum erroneum, nec illum cauſare, vt Author ſpecialis: Ergò. Tertio, quia implicat contradictionem, actionem aliquam eſſe contra inclinationem, & exigentiam ſui principij proximi activi, ſeù non eſſe illi connaturalem, vt ſatis efficaciter probavi, *Tract. de Provid. quæſt.* 19. *à num.* 85. Ergò implicat actum fidei falſum elici ab habitu fidei contra propriam exigentiam, & inclinationem, ſeù non eſſe illi connaturalem, cum habitus ſit principium proximum illius: Ergò pariter implicat contradictionem elici ab illo præternaturaliter, & per potentiam obedientialem.

42. Denique colliges, quam neceſſaria ſit illa ratio, qua omnes Thomiſtę, cum Div. Thom. probant infallibilitatem fidei, nempè, quia obiectum formale motivum illius eſt veritas prima in dicendo, ſeù divina revelatio eſſentialiter prout in re, id eſt, vt obiecta menti cum repugnantia eſſentiali aliter eſſendi in re: Nam ſi ab hac ratione præſcindatur, dicendo, ſufficere revelationem propoſitam prudentialiter ſine repugnantia aliter eſſendi in re, & in hoc ſalvari eſſentialiter motivum formale fidei divinę; fides divina, nec metaphyſicè, aut divinitus erit infallibilis, nec phyſicè, & ex natura rei, immò, nec moraliter, quia nec moraliter repugnet, revelationem re ipſa nunquam factam, exiſtimari prudentialiter veram in re, proponente illam, vel Parracho, vel Theologo, vel cætu aliquo Theologorum, vel Concilio aliquo Provinciali, quia non ſemèl contigit Concilia Provincialia erraſſe in rebus fidei proponendis: Ergò nec moraliter repugnabit fidem falli in illis caſibus, quia innegabile videtur fidem theologicam credere poſſe ſuo obiecto formali motivo, quotieſcumque ſibi proponitur, vt tale formaliter, & eſſentialiter: Ergò nec moraliter erit infallibilis in ſuo aſſenſu. Dixi *moraliter*, loquendo de impoſsibilitate morali in ſummo gradu, quę nimirum nunquam vincitur, aut incredibile eſt victam aliquando fuiſſe.

43. Sed obijcit Ripalda in ſui favorem: Quia ſtat optimè, quod actus elicitus ſcientię naturalis non poſsit naturaliter eſſe falſus, & tamen, quod poſsit divinitus: Ergò ſtat, quod habitus non poſsit connaturaliter influere in aliquem actum falſum, & quod poſsit divinitus: Ergò id poterit defendi in habitu fidei. Primum antecedens non probat Ripalda, ſed illud ſupponit. Secundo, quia ſtat etiam, quod oculus corporalis non poſsit connaturaliter videre colorem non exiſtentem, & tamen quod poſsit divinitus, poteſt enim Deus miraculosè conſervare viſionem alicuius coloris in oculo, tali colore re ipſa non exiſtente: Ergò ſtabit etiam, quod connaturaliter non poſsit actus fidei ferri in revelationem, quin revelatio re ipſa detur, & tamen quod divinitus id poſsit contingere.

44. Reſpondeo, negando antecedens, quia actus ſcientię naturalis etiam eſt metaphyſicè infallibilis, cũ innitatur principijs vniverſalibus, & neceſſarijs metaphyſicè infallibilibus, vndè nec divinitus poteſt eſſe falſus, quia Deus nec de potentia abſoluta poteſt falſificare illa principia, quibus nititur, ſunt enim ęternę veritatis: Quod ſi intellectus acciperet principium aliquod purè probabile, aut connexionem probabilem, pro principio, & connexione neceſſaria, tunc quidem falli poſſet, & falleretur re ipſa,

ſa, ſed ille actus non eſſet re ipſa actus ſcientię naturalis,ſed opinionis,& ſolum exiſtimativè eſſer actus ſcientię. Er item,quia ſi habitus ſcientię non poteſt naturaliter elicere actum falſum, multò minus divinitus, tum ob rationes expenſas circa habitum fidei , quę pariter probant de habitu ſcientię naturalis. Tum,quia divina potentia ſolum iuvare poteſt,vt cauſa ſecunda poſſit plus in efficiendo, non verò, vt poſsit plus in deficiendo; nam divina potentia ſolum eſt infinita, & excedens exigentiam, & vim naturę in efficiendo, non verò in deficiendo : Sed poſſe errate non eſt plus poſſe in efficiendo , ſed plus poſſe deficere , qnod re ipſa non eſt plus poſſe, ſed minus,ſicut in Deo poſſe falli, & errare non eſſet plus,ſed minus poſſe , ſiquidem eſſet poſſe deficere, quod modò non poteſt : Ergò divina potentia non poteſt iuvare habitum ſcientię , vt ſi non poteſt ex natura rei elicere actum falſum, poſsir divinitus , immò minus poterit ratione divinę potentię , quę magis indefectibilis eſt quam habitus ſcientię naturalis,& cui magis repugnat eſſe auctricem falſitatis. Undè, quotieſcunique diſputatur de aliquo principio,vel cauſa ſecunda,an poſsit aliquid explicans imperfectionem, ſeù an poſsit aliquam imperfectionem incurrere,præſertìm per actionem à ſe elicitam, vt peccare,errare, &c. Si ſemèl non poteſt ex natura rei , ſupervacaneum eſt quærere,an poſſsit divinitus.

45. Ad ſecundam , reſpondent aliqui, concedendo antecedens , & negando conſequentiam , & reddunt diſparitatem , quia in oculo corporali,cum nihil affirmet,nec neget de obiecto viſo,nō poteſt dari deceptio propriè ſūpra,ſicuti neque falſiras, quamvis obiectū re ipſa non detur, ſicuti per viſionem ocularem repreſentatur. Verumtamen non placet iſta ſolutio, quia licèt non daretur in oculo deceptio propriè ſumpta, deficiente re ipſa obiecto viſſo, daretur tamen aliqualis deceptio in linea ſenſationis externę : Sed iſta etiam eſt impoſsibilis, vndè Div. Thom. inquit , quod in Sacramento Altaris permanent accidentia, quamvis ſine ſubſtantia, *vt ſenſus à deceptione reddantur immunes , qui de accidentibus iudicant ſibi notis* ; ſi enim in ſenſibus externius poſſet eſſe deceptio,in illo miraculorum maximo compendio non ita curaſſer Div.Thom.ſalvara ſenſus immunes a deceptione : Ergò.

46. Vndè melius reſpondeo,*vt 2.de Anim. quæſt. 2. à num. 18. & præſertim. à num. 23.* vbi clarè monſtravi , qualiter nec divinitus poſsit occulus decipi, nec falli circa colorem viſum,& reſpondi ad Authoritatem Div. Thom. expenſam, *quæſt. præc.num.73.* quę communiter ſolet adduci ad oppoſitum probandum ; dixi enim,adhùc divinitus non poſſe viſionem corporalem terminari ad colorem non exiſtentem, quia in apparitionibus Chriſti in Sacramento, quamvis aliquando non fiat immutatio in ipſo Sacramento,vt aſſerit Div.Thom. fit tamen immutatio in diaphano intermedio , vbi fit à Deo verus color carnis, vel pueri, vt ſenſus à deceptione ſalvetur immunis, vndè nunquam terminatur viſio ad colorem non exiſtentem. Nec fallitur per potentiam Dei abſolutam.

47. Dices : Poteſt Deus iuvare hominem auxilio ſpeciali,vt credat tanquam de fide myſterium falſum. Ponamus enim in caſu illo ruſtici,de quo latè egi *diſp. 1. quæſt.* 9.Quod ruſticus ille obligatus ex conſcientia erronea ad credendum myſterium falſum,tentetur graviter ad non credendum : Sanè tentatio gravis vinci nequit abſque gratia, & auxilio ſpeciali : Ergò tunc Deus poſſet illum hominem iuvare gratia , & auxilio ſpeciali ad credendum illud myſterium falſum , ſibi vt verum intimatum. Ita Arguit P. Sendin ad ſuadendum Deum poſſe eſſe cauſam ſpecialem erroris. Quod vrgeri poteſt, quia ſi ille tentatus rogaret Deum,vt ſibi innueret, quid deberet facere in illo caſu, Deus reſpondere non poſſet,niſi dicendo : *Crede*. Ergò Deus tunc iuvare poſſet ſpecialiter ad aſſenſum falſum, quem homo graviter tentatus , ſaltem moraliter, elicere non poterat viribus proprijs.

48. Reſpondeo , quod vel tentatio eſſet contra fidem præſtandam Deo, vt revelanti,& Eccleſię, vt proponenti ; vel ſolum contra fidem præſtandam Parrocho , vt intimanti : Si ſolum contra hanc, tentatio illà re ipſa non eſſet tētatio, ſed inſpiratio,quia ſuggeſtio interior ad non credendum Miniſtro falſo,in eo in quo fallit , tentatio dici non poteſt , dummodo non ſuggerat contra fidem Deo,& Eccleſię debitam, ſed illam firmam relinquat,vndè ſi caſus ita ponatur , negandum eſt ſuppoſitum tentationis gravis. Si autem tentatio eſſet contra fidem debitam Eccleſię,aut Deo, dico quod indigeret gratia ſpeciali iuvante per ſe tantum ad credendum vniverſaliter à Deo,& Eccleſię, non tamen gratia ſpeciali iuvante ad credendum in ſingulari Parrocho : Et vniverſaliter dico, quod ad vincendam tentationem contra conſcientiam erroneam invincibilem , non requiritur gratia ſpecialis per ſe iuvans ad ſequelam illius in ſingulari ea parte, qua errat , ſed ſufficit gratia ſpecialis ad ſequelam dictaminis vniverſalis de ſervanda vera lege Dei , quę, ſuppoſito errore conſcientię,per accidens purè iuvaret ad ſequelam

lam conſcientię erroneę in ſingulari : Ex quo ad confirmationem, nego quod Deus aliud reſpondere non poſſet, immò illud minimè poſſet, poſſet verò reſpondere , vel dicendo *non credas* huic Patrocho,quia falſo intimat : Vel, ſi ſupponamus Deum relinquere Ruſticum in ſua erronea conſcientia , poſſet illi reſpondere per dictamen vniverſale, nempè, ſic : *Crede quidquid Deus dicit : Crede quidquid Eccleſia proponit, vt dictum à Deo* : Ex qua quidem ſuaſione,Ruſticus per accidens incideret in fidem myſterij falſi, non autem per ſe,quia illę ſuaſiones per ſe non ſuadent myſterium illud falſum; vndè per ſe,ſolum ex errore Miniſtri,& ex erroneę conſcientię obligaretur ad credendum myſterium falſum. Vide *Tract.de Conſcient.quæſt.*12. *à numer.* 5.

QUÆSTIO V.

An fides certior ſit ſcientijs naturalibus.

1. EX dictis ſatis conſtat fidem theologicã certiſsimam eſſe, abſolutè loquendo, vt potè omnino infallibilem in ſuis actibus. Verumtamen, quia comparatione huius certitudinis cum certitudine ſcientiarum,magis eluceſcit , propterea præſens excitatur quæſtio , de qua Div. Thom. infra *quæſt.* 4. *artic.* 8. Igitur.

ALIQVA PRÆNOTANTVR de certitudine.

2. NOTANDUM eſt primo, non eſſe idem in cognitione , vel iudicio certitudinem, ac veritatem, poteſt enim cognitio aliqua eſſe incerta, quamvis vera ſit , vt cum ex motivo purè probabili, vel coniecturali cognoſcitur aliquid re ipſa verum, licèt cum formidine falſitatis. Item,nec eſt idem certitudo,ac neceſsitas veritatis , poteſt enim cognitio eſſe neceſſario vera, quamvis purè probabilis , vt cum per medium probabile cognoſcitur veritas neceſſaria.

3. Noto ſecundo,quod certitudo alia eſt obiectiva , quę eſt immobilis determinatio obiecti ad veritatem,ſeù ad ita eſſe,& hæc convenit omnibus veritatibus neceſſarijs,quę ex habitudine terminorum immobiliter determinatę ſunt ad ita eſſe , ſine vlla contingentia aliter ſe habendi; convenire etiam poteſt,magis, vel minùs,effectibus in ſuis cauſis,iuxta determinationem,quam in illis habent ad eſſe,vt eccliypſis in motu Cœlorum,aut alia futura in determinatione, ſeù Decreto Dei. Hæc autem certitudo obiectiva aliquando eſt tantum in eſſe rei , & materialiter tantum obiectiva : Aliquando in eſſe obiecti , & formaliter obiectiva. Tunc eſt in eſſe obiecti , quando obiectum menti proponitur ſub illa certitudine, hoc eſt , ſub tali luce, quod intellectui manifeſtatur,non ſolum obiectum,ſed eius immobilitas , & determinatio ad veritatem. Tunc ſolum eſt in eſſe rei, quando,licèt obiectum cognoſcatur,non tamen cognoſcitur in eo illa firmitas , vel immobilitas, aut determinatio ad ita eſſe.

4. De certitudine verò formali magis certant Authores , vt videre eſt apud Ripaldam, & Lugo , alij plures , alij pauciores exigentes conditiones ad rationem certitudinis. Sed clariorem,& veriorem Div.Thom.explicationem alijs præferimus : Ille enim in 3. *diſt.* 26. *quæſt.* 2. *artic.* 4. *in corpore*, inquit : *Certitudo eſt firmitas adhæſionis virtutis cognoſcitivę ad ſuum cognoſcibile.* Nihil enim amplius ad certitudinis explicationem requiri , cenſeo,quia per hoc præcisè,quod intellectus firmiter,id eſt, ſine hæſitatione vlla, adhæreat ſuo cognoſcibili,dicitur eſſe certum de veritate illius, ſeù illud cum certitudine cognoſcere;nęc aliud videtur, intellectum eſſe certum de aliquo, quam firmiter illi adhærere,vel aſſentiri : Ergò per talem firmitatem adhæſionis ſatis explicatur notio certitudinis;&,quidquid vltra exigitur,non exigitur.

5. In primis enim aliqui exigunt, quod ponatur in definitione certitudinis , quod ſit firmitas adhæſionis *ad verum* , ſiquidem ſi obiectum cui intellectus adhæret,eſt falſum,nulla erit certitudo. Sed contra eſt,quia certitudo moralis, & prudentialis aliquando eſt de obiecto re ipſa falſo, vt infra dicam : Et tamen eſt certitudo incluſa in ratione communi certitudinis : Non ergò debet poni in definitione certitudinis,quod ſit de vero,in re vero.

6. Alij exigunt, quod certitudo excludat omnem actualem formidinem de oppoſito, ita Lugo *diſput.* 7. *ſect.* 1. Sed nec iſta conditio exigitur, quia rectè cohæret fides theologica cum actuali formidine involuntaria de oppoſito : Sed non ſalvatur fides ſine certitudine : Ergò certitudo non exigit excludere omnem actualem formidinem de oppoſito. Maior probatur,quia in ſcrupuloſis,& tentatis contra fidem ſæpè datur huiuſmodi formido , & qua-

quaſi hæſitatio, licèt involuntaria, quia cum fides, & eius certitudo ſit obſcura, & non convincens euidenter intellectum, relinquit locum huiuſmodi hæſitationibus involuntarijs: Sed per huiuſmodi hæſitationem, aut formidinem indeliberatam, & involuntariam non excluditur fides, aliàs tentati, & ſcrupuloſi fidem emitterent, & illam amitterent involuntariè, quod dicere, abſurdiſsimum eſt: Ergò fides theologica rectè cohæret cum huiuſmodi formidine.

7. Alij exigunt, quod aſſenſus habeat intrinſecam connexionem cum veritatè obiecti. Verumtamẽ, licèt hæc intrinſeca connexio neceſſaria ſit ad certitudinem formalem, non rectè per illam explicatur certitudo, quia poteſt cognitio habere connexionem cum veritate obiecti, quamvis certa non ſit, ſed formidoloſa immò & dubia: Quia omnis cognitio importat eſſentialem connexionem cum obiecto in eſſe obiecti; aliquando autem obiectum in eſſe obiecti eſſentialiter eſt in re, prout repræſentatur: Vt cum quis exiſtimaret, cum formidine, aut dubitatione aliqua, Angelum eſſe immaterialem; Angelus enim eſſentialiter eſt immaterialis, vndè cognitio illius, etſi formidoloſa, cum eſſentialem connexionem importet cum Angelo, & hic ſit eſſentialiter immaterialis; cognitio illa etiam erit intrinſecè connexa cum immaterialitate, & conſequenter, cum ſui veritate. Vndè in Metaph. *quæſt.* 13. *num.* 15. probavimus, actus, licèt naturales, de obiectis ęternę veritatis ab intrinſeco exigere eſſentialiter ſui veritatem. Tunc ſic: Sed prædicta cognitio formidoloſa non habet certitudinem intrinſecam: Ergò certitudo, non rectè explicatur per talem connexionem. Niſi forſan loquaris de connexione ex modo tendendi cum firma adhæſione; ſed tunc caſus firmitas adhæſionis erit, in qua eſſentialiter conſiſtat certitudo, non verò connexio, quia connexio non eſt eſſentia certitudinis, ſed proprietas conſequuta. Quod amplius vrgeri poteſt, quia huiuſmodi cognitio: *Datur ſpecies impreſſa*, in aliquibus non eſt certa, ſed formidoloſa, nempè, in illis, qui dubitant, an detur ſpecies impreſſa ad cognitionem requiſita: Et tamen cognitio prædicta, ſicut quælibet alia, eſſentialem connexionem habet cum ſpecie impreſſa, quia repugnat cognitio, quę ex ſpecie impreſſa non procedat, vel eam non ſupponat: Ergò ſtat connexio cum obiecto ſine certitudine formali: Non ergò per talem connexionem explicari debet certitudo formalis, ſed ſolum, per *firmitatem adhæſionis virtutis cognoſcitivę ad ſuum cognoſcibile*, vt inquit D. Thom.

8. Sed contra hanc D. Thom. definitionem obijcies, quia Herætici, & alij ſeducti, ſolent adhærere firmiter ſuis erroribus, non minus quam Catholici per fidem: Et tamen non habent veram certitudinem de illis erroribus: Ergò ad veram certitudinem non ſatis eſt firmitas adhæſionis. Reſpondeo, dupliciter excogitari poſſe firmam adhæſionem, nempè, firmam intrinſecè, hoc eſt, ex modo intrinſeco tendendi exacto ex meritis obiecti: Et firmam extrinſecè, nempè, ex paſsione, aut voluntate, ſupra obiecti merita, vel ex inconſideratione motivorum. Igitur: Dico, D. Thom. loquutum fuiſſe de firmitate intrinſeca adhæſionis, & non de firmitate extrinſeca, quia inquit certitudinem eſſe firmitatem adhæſionis virtutis cognoſcitivę ad ſuum cognoſcibile, ſolum conſiderando firmitatem illam ex meritis obiecti cognoſcibilis, & virtutis cognoſcitivę, & modo adhæſionis: In Heræticis autem non datur hæc firmitas intrinſeca circa ſuos errores, ſed ſolum firmitas, ſeù pertinatia extrinſeca, ex paſsione, vel amore proprij iudicij, & ex inconſideratione affectata motivorum credibilitatis, vt infra dicemus. Vndè firmitas adhæſionis, per quam D. Thom. explicat certitudinem, non datur in Heræticis, & ideò nihil mirum, quod in eis non detur vera certitudo. Quamvis poſsit etiã dici, quod in illis datur certitudo, ſicut firmitas adhæſionis; nempè, extrinſeca, & affectata ex paſsione, & amore proprij iudicij, quę ſolum eſt certitudo ęquivocè, ſicut illa firmitas adhæſionis intellectualis ſolum ęquivocè eſt firmitas, & propriè pertinacia.

9. Ex quo reijciendus venit P. Sendin. Qui diſtinguit in fide certitudinem formalem, à certitudine adhæſiva, inquitque certitudinem adhæſivem conſiſtere in eo, quod intellectus præferat veritates fidei alijs quibuslibet veritatibus. Et inquit, hanc certitudinem adhæſivam non eſſe intrinſecam actui ipſo fidei, ſed extrinſecam, provenientem ex imperio voluntatis. Et probat, primo: Quia aſſenſus præferens veritatem fidei omnibus alijs veritatibus, ab intrinſeco repugnat formidini: Sed cum aſſenſu fidei ab intrinſeco non repugnat formido inculpabilis, ſeù indeliberata, vt iam diximus: Ergò aſſenſus fidei ab intrinſeco non habet certitudinem adhæſivam. Maiorem probat: Quia formido eſt dubitare hoc aliter poſſe ſe habere: Sed aſſenſus præferens veritatem fidei omnibus alijs veritatibus ab intrinſeco excludit hanc dubitationem, quia inter alias veritates plures ſunt euidentes, quę talem dubitationem non admittunt: Ergò. Secundo: Quia licèt ſuprema authoritas exigat ſupremum cultum intellectualem, opus eſt, quod hæc applicetur per revelationem, vndè formidans de myſterio, non for-

mi-

midat, an myſterium ita ſit, ex ſuppoſitione revelationis, ſed purè quia ſuſpicatur revelationem non exiſtere: Sed aſſenſus erga revelationem excludens formidinem vnicè eſt à voluntate: Ergò ab illa vnicè procedit firmitas adhæſiva aſſenſus fidei.

10. Verumtamen certo tenendum eſt contra hunc Authorem, & iuxta Div. Thom. aſſenſum fidei intrinſecè eſſe certum certitudine adhæſiva. Primo, quia iuxta omnes aſſenſus fidei eſt certus certitudine formali: Sed certitudo formalis eſſentialiter conſiſtit in firma adhæſione intellectus ad obiectum, ſeù in firmitate talis adhæſionis, vt conſtat ex Div. Thom. & ſatis etiam per ſe patet, quia intellectum formaliter certum eſſe de obiecto, formaliter, & intrinſecè importat adhærere firmiter ipſi, nec eſt intelligibilis certitudo formalis intellectualis ſine firma adhæſione intellectuali ad obiectum: Ergò prædictus Author ineptè diſtinguit certitudinem formalem à certitudine adhæſiva; falsòque affirmat actú fidei non eſſe intrinſecè certú certitudine adhæſiva. Secundo, quia aſſenſus fidei divinę eſſentialiter, & intrinſecè eſt adhæſio intellectualis, qua intellectus adhæret divinę revelationi, vt propoſitę ab Eccleſia, iuxta merita talis obiecti, & inhærendo illi, myſterijs revelatis: Sed divina revelatio, vt propoſita per Eccleſiá, ex meritis proprijs exigit quod intellectus illi firmiter adhæreat, & non vacillando, cum ſit motivum eſſentialiter infallibile infallibiliter propoſitum: Ergò aſſenſus fidei eſſentialiter, & intrinſecè eſt adhæſio firma intellectus ad motivum fidei, & conſequenter, eſſentialiter, & intrinſecè eſt certus certitudine adhæſiva. Tertio, quia alias, ſequeretur aſſenſum Catholici circa divinam revelationem non eſſe intrinſecè intra lineam adhæſionis intellectualis firmiorem, & certiorem aſſenſu hæreticali, nec intellectú Fidelis firmiorem adhæſionem habere ex parte intellectus, quam intellectum hæretici; & cum alias ex parte voluntatis, hæretici ſæpè habeant maiorem adhæſionem ſuis erroribus, nempè, cum obſtinatiſsima voluntate; ſequeretur aſſenſum fidei theologicę, nec intrinſecè, & ex parte intellectus, nec extrinſecè, & ex parte voluntatis eſſe certiorem certitudine adhæſivá, aſſenſu hæreticali: Quod quis non videat ſatis abſurdum eſſe.

11. Tenendum ergò eſt, aſſenſum fidei theologicę intrinſecè, & ex meritis ſui obiecti motivi, vt formaliter attacti, eſſe firmú, firmitate adhæſionis intellectualis, & conſequenter certú certitudine adhæſiva indiſtincta à certitudine formali. Nec contra hoc eſt, quod talis certitudo adhæſiva proveniat, ex imperio voluntatis, quia provenit ex illo imperativè, & applicativè, ſed non elicitivè, nec conſtitutivè; ſicut etiam certitudo formalis, immò, & aſſenſus ipſę procedit ex imperio voluntatis, quin tamen indè liceat inferre, quod aſſenſus non eſt intrinſecè aſſenſus, nec intrinſecè certus formaliter, ſed ſolum extrinſecè ex imperio voluntatis: Igitur certitudo illa, ſivè appelletur formalis, ſivè adhæſiva, imperativè eſt à voluntate, ſed elicitive ab intellectu, & conſtitutivè intrinſeca ipſi aſſenſui, tanquam modus intrinſecus aſſentiendi, ſeù adhærendi revelationi, tanquam motivo infallibili, infallibiliter propoſito, quia videlicet voluntas imperat intellectui, ipſumque applicat, vt aſſentiatur revelationi, aſſenſu intrinſecè firmo, & firmiſsima adhæſione, nempè, iuxta merita ipſius revelationis. Vndè Div. Thom. *in Epiſtol. ad Hebr. cap.* 11. *lect.* 1. ſic ait: *Per quam electionem*, nempè, voluntatis imperantis, *determinatur intellectus, vt firmiter inhæreat his, quę ſunt fidei, & eis certiſsimè aſſentiat.* Ex quo

12. Ad obiecta. Ad primum, diſtinguo maiorem: Aſſenſus præferens veritatem fidei alijs veritatibus ab intrinſeco repugnat formidini deliberatę, concedo maiorem: Formidini indeliberatę per modum primi motus, nego maiorem. Ad cuius probationem, in primis, nego maiorem, quia formido valdè diſtincta eſt à dubitatione propriè ſumpta, dubitatio enim eſſentialiter importat ſuſpenſionem iudicij, & eſt incompatibilis cum iudicio determinato vnius partis contradictionis, formido verò talem ſuſpenſionem non importat, ſed compatitur cum iudicio determinato. De quo vide à nobis dicta *Tract. de Conſcient. quæſt.* 13. *& quæſt.* 33. *à num.* 46. vbi explicavimus, qualiter formido non ſit actus intellectus, ſed voluntatis, quę quidem provenire poteſt, vel ex iudicio intellectus, quo iudicèt obiectum poſſe aliter ſe habere, ac iudicatur, & creditur; & tunc eſt formido deliberata, & hæc incompatibilis eſt cú aſſenſu firmo, & firma adhæſione fidei divinę ad revelationem; nam eo ipſo quod quis iudicaret revelationem propoſitam ab Eccleſia poſſe aliter ſe habere, amitteret firmitatem eſſentialem fidei, & ipſam fidem. Vel etiam provenire poteſt ex apprehenſione, vel imaginatione proponente, vt poſsibilem, falſitatem revelationis propoſitę ab Eccleſia, & myſteriorum, quę quidem apprehenſio, & imaginatio ſæpè vitari nequit, nec cohiberi, quia procedit, vel ex ſuggeſtione Dœmonis, vel ex inquietudine imaginationis, & cogitationis noſtrę: Illa tamen imaginatione, cogitatione, vel apprehenſione ſuppoſita, ſequitur in voluntate motus primo pri-

mus

tous timoris, & formidinis de falſitate fidei, etiam inevitabilis,& inculpabilis, quo ſæpè anguntur, & torquentur tentati,& ſcrupuloſi, ſed cum omni hoc componitur in eis firmiſsimum Iudicium de veritate noſtrę fidei, firmiſsimaque adhæſio intellectualis ad divinam revelationem, vt propoſitam per Eccleſiam,vi cuius præferunt talem revelationem,& veritates revelatas omnibus alijs veritatibus evidentibus, adeò, vt ſi cogerentur has,vel illas negare, prius negarent veritates evidentes naturales, quam veritates fidei,& hoc quamvis actu torqueantur contrarijs cogitationibus, & motivis formidinis involuntarię. Nec obeſt, quod alię veritates naturales ſint evidentes, & talem formidinem non admittant, quia benè poteſt intellectus præferre veritatem obſcuram divina authoritate, divinoque lumine ſibi manifeſtatam, alijs veritatibus evidentibus naturali ſolum lumine ſibi manifeſtis, & hoc, quamvis contra illam quatiatur ſcrupulis, apprehenſionibus, & cogitationibus ingerentibus indeliberatam formidinem, ſecus verò contra iſtas: Nam in hoc relucet maximè firmitas, & certitudo fidei ſuprà certitudinem ſcientiarum naturalium, vt ſtatim oſtendam. Sit igitur.

NOSTRA CONCLVSIO.

13. DICO igitur, *quod fides certior eſt ſimpliciter omnibus alijs ſcientijs, & evidentijs naturalibus.* Ita communiter Theologi, quos longum eſſet referre. Probatur autem primo ex S. Textu, in quo adeò extollitur fidei certitudo, vt manifeſtè præferatur omnibus ſcientijs,& evidentijs naturalibus. In primis enim 2. *Petri* 1. poſtquàm Div. Petrus refert viſionem ocularem, ſeu intuitivam,qua viderunt Apoſtoli gloriam,& magnitudinem Chriſti,inquiens: *Speculatores facti illius magnitudinis,* ſubiungit: *Habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benè facitis attendentes,ſicut lucernę lucenti in caliginoſo loco*: Si eſt firmior ſermo fidei lucens in obſcuro loco, nempè,in intellectu, quam viſio intuitiva, & ocularis: Ergò firmior erit,ac certior alijs evidentijs naturalibus. Item, Actor. 2. *Certiſsimè ſciat,* nempè per fidem, *Domus Iſrael, quia, & Dominum eum, & Chriſtum fecit Deus hunc Ieſum, quem vos Crucifixiſtis*: En vbi vocat fidem certiſsimam ſcientiam, hoc eſt, certiſſimam ſupra omnes ſcientias. Et *cap.* 26. *Quoniam certiſsimam ſectam noſtrę Religionis, &c.* Vbi ſectam, id eſt, fidem noſtrę Religionis certiſsimam vocat. Eandem certitudinem, & firmitatem expoſuit Chriſtus. Math. 16. dicens: *Super hanc Petram* (nempè, fidei,quia fides petra, & fundamentum eſt rerum ſperandarum, vt inquit Apoſt.) *fundabo Eccleſiam meam, & portę inferi non prævalebunt adverſus eam,* id eſt, Dæmonum impugnatio, qui magna ſcientia naturali pollent: Quia videlicèt, quamvis omnis ſcientia naturalis Dæmonum pugnaret, & contradiceret fidei, fides tamen firma perſiſter, quia videlicèt firmior, & certior omni ſcientia naturali. Quod item inſinuavit Apoſt. ad Timoth. 1. dicens: *Scio, cui credidi, & certus ſum*, vbi ſuprà ſcire,certitudinem addit,nempè,fidei,quia,nempè,fides magis certificat. Et 2. ad Chorinth. 10. dicens: *Arma militię noſtrę,* quorum præcipuum eſt ſcutum fidei, *non ſunt carnalia, ſed potentia à Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.* Sanè tanta firmitas, & victoria, de nulla ſcientia naturali prædicari poſſet: Ergò fides certior, firmiorque eſt omni ſcientia naturali.

14. Deindè probatur ex SS. PP. nam in primis Dioniſius, *de divin. nominib. cap.* 7. ſic ait: *Divina fides eſt ſtabilis credentium ſedes, quę nos in veritate locat, & in perſuaſibilitatem certam, & ſimplicem veritatis notionem*: Div. Baſilius, *in Pſalm.* 115. *Fides*, inquit, *ſuprà rationales methodos animum ad aſſenſum trahens*: Div. Chriſoſtomus *Homil.* 12. *ad Hebræos,* ſic ait: *Nec fides dici poteſt,niſi cum circa ea, quę non videntur,amplius, quam circa ea, quę videntur, certitudinem quis habuerit*: Ergò ex PP. fides certior eſt alijs evidentijs naturalibus.

15. Deindè probatur ex Div. Thom. Qui concluſionem noſtram tenet, explicat, & probat infrà, *quæſt.* 4. *artic.* 8. *in corpore*, vbi omiſsis virtutibus intellectualibus,quę ſunt circa contingentia, vt ars,& prudentia,quibus abſdubiò præfertur fides in certitudine, quia eſt de ęternis, quę non contingit aliter ſe habere, ſic ſubiungit: *Tres autem reliquę intellectuales virtutes, ſcilicèt, ſapientia, ſcientia, & intellectus ſunt de neceſſarijs. Sed ſciendum eſt, quod dupliciter dicuntur, vno modo, ſecundum quod ponuntur virtutes intellectuales à Philoſopho in 6. Ethic. Alio modo ſecundum, quod ponuntur dona Spiritus Sancti. Primo modo dicendum eſt, quod certitudo poteſt conſiderari dupliciter, vno modo ex cauſa certitudinis, & ſic certius eſt illud quod habet certiorem cauſam: Et hoc modo fides eſt certior tribus prædictis, quia fides innititur veritati divinę, tria autem prædicta innituntur rationi humanę. Alio modo poteſt conſiderari certitudo ex parte ſubiecti, & ſic dicitur eſſe certius, quod plenius conſequitur intellectus hominis: Et per hunc modum, quia ea, quæ ſunt*

fidei ſunt ſuprà intellectum hominis, non autem ea, quæ ſubſunt tribus prædictis, ideò ex hac parte fides eſt minus certa. Sed quia vnumquodque iudicatur ſimpliciter quidem ſecundum cauſam ſuam, ſecundum autem diſpoſitionem, quę ex parte ſubiecti eſt, iudicatur ſecundum quid, indè eſt, quod fides eſt ſimpliciter certior, ſed alia ſunt certiora ſecundum quid, ſcilicèt, quoad nos. Similiter autem ſi accipiantur tria prædicta, ſecundum quod ſunt dona præſenti vitę, comparantur ad fidem, ſicut ad principium, quod præſupponunt, vndè etiam ſecundum hoc fides eſt eis certior : Ergò iuxta Div. Thom. fides eſt ſimpliciter certior ſcientia, ſapientia, & intelligentia naturalibus, quinimò, & eiſdem provt ſunt dona Spititus Sancti : Ergò multo magis omni evidentia naturali.

16. Denique probatur ratione deſumpta ex eodem Div. Thom. Nam certitudo ſimpliciter iudicatur maior, vel minor ex motivo, & cauſa certificante intellectum, ſiquidem ex illo ſpecificatur, & menſuratur : Sed cauſa, ſeù motivum certificans intellectum per fidem certior eſt, quam cauſa, & motivum certificans intellectum per ſcientiam, ſapientiam, aut aliam quālibet evidentia in naturalē: Ergò fides certior eſt ſimpliciter omnibus alijs. Probatur minor : Quia cauſa, & motivum certificans intellectum per fidem, ſeù in credendo eſt divinum verbum, ſeù eius teſtimonium, & revelatio : Sed hoc eſt certius, & firmius omni motivo, & cauſa certificante intellectum in ſcientijs naturalibus, quia hoc ad ſummū ſunt principia creata manifeſtata puro lumine naturali, quibus firmius valdè eſt verbum Dei, iuxta illud : *Cælum, & Terra tranſibunt; verba autem mea non præteribunt*; id eſt, prius deficient omnia creata, quam verba mea deficiant : Ergò.

17. Confirmatur: Quia ex omni capite, ex quo procedere poteſt firmitas aſſenſus, excedit aſſenſus fidei quaslibet ſcientias naturales : Ergò abſolutè, & ſimpliciter firmior eſt aſſenſus fidei omnibus alijs. Antecedens probatur: Nam ſi firmitas aſſenſus attendatur penes cauſam efficientem moventem, maximè excedit aſſenſus fidei alios aſſenſus naturales, ſiquidem ad alios movet Deus, vt cauſa, & Author vniverſalis intra ordinem naturalem, ex quo modo movendi non repugnat falſitas per accidens in aſſenſu, ad quem movet; cæterum ad aſſenſum fidei movet Deus, vt Author ſpecialis, & ſupernaturalis, ex quo modo movendi repugnat eſſentialiter, quod actus, ad quem movet, adhùc per accidens evadat falſus, vt ſuprà oſtenſum manet.

18. Si verò firmitas aſſenſus ſumatur ex principio elicitivo, longè etiam præſtat aſſenſus fidei alijs, quia eius principium elicitivum eſt habitus fidei, qui eſt lumen ſupernum, & divinum per participationem, participans ex intellectu divino, licèt non evidentiam obiecti, certitudinem, & infallibilitatem, non naturalem, & humanam, ſed ſupernaturalem, & divinam; attamen habitus ſcientię, & ſapientię, ſeù luminis principiorum, quamvis evidenter reſpiciant ſua obiecta, non ſunt lumen ita divinum, & ſupernaturale, ſed lumen inferius, & purè naturale, quod licèt reſpectu principiorum, & concluſionum evidentium ſit infallibile, tamen ex ſuo genere, & reſpectu aliorum fallibile eſt: Quin, & eius infallibilitas circa principia eſt inferioris ordinis ad infallibilitatem fidei, vtpotè purè naturalis, & rationi naturali ſolum innixa, vndè Div. Thom. *in præſenti, queſt. 2. art. 4. in corp.* probat neceſſarium fuiſſe, quod homini traderentur per fidem ea etiam, quę naturali ratione poſſint demonſtrari, ex tribus capitibus, & tertium ſic proponit : *Tertio propter certitudinem. Ratio enim humana in rebus divinis eſt multum deficiens: Vt ergò eſſet indubitata, & certa cognitio apud homines de Deo, oportuit, quod divina eis per fidem traderentur, quaſi à Deo dicta, qui mentiri non poteſt.* Quia videlicèt lumen rationis humanę multum deficiens, lumen verò fidei indeficiens eſt à veritate in eo, quod credit, vndè plus multo certificat intellectum.

19. Si item attendatur certitudo ex obiecto *quod*, longè etiam excedit fides ſcientias naturales, nam obiectum *quod* fidei eſt Deus ipſe, quo nihil firmius excogitari poteſt : *Apud quem*, nempè, *non eſt mutatio, nec viciſſitudinis obumbratio* : Obiecta autem ſcientiarum naturalium, ſunt res naturales, quę non tanta firmitate gaudent, cum de illis dictum ſit : *Mutabis ea, & mutabuntur, tu autem idem ipſe eſt, & anni tui non deficient.* Si verò attendatur certitudo penes obiectum *quo* motivum, iam oſtenſum manet, quantum præſtat obiectum *quo* fidei, nempè, divina veritas in dicendo, motivis aliarum ſcientiarum. Si verò recurras ad modum propoſitionis obiecti, in quo videtur fides excedi ab alijs ſcientijs, quia illarum motiva proponuntur evidenter, & motivum fidei proponitur ſolum obſcurè, adhùc tamen in hoc fides præſtat, & vincit, quia licèt eius obiectum proponatur obſcurè, proponitur tamen exterius per Eccleſiam, quę eſt Columna, & Firmamētum veritatis, multo firmius, quam lumen evidens naturalis rationis, & interius per illuſtrationem Spiritus Sancti, qui regit intus ipſam Eccleſiam, quę quidem illuſtratio indeficiens eſt in veritate, multo etiam magis, quam lumen naturale: Ergò attentis omnibus cauſis, & principijs, ex quibus atten-

attendi poteſt certitudo cognitionis, certior valdè eſt cognitio fidei omnibus alijs cognitionibus, præſertim naturalibus.

20. Nec dicas, obiectum motivum ſcientię determinare intellectum ad aſſenſum quoad ſpecificationem, ita, vt diſſentire non poſsit, convictus, & neceſsitatus ab ipſo motivo, motivum autem fidei ex ſe taliter non determinat, nec convincit intellectum, ſed movet cum indifferentia ad aſſenſum. Contra enim eſt, quia defectus iſte ex parte motivi fidei, ſuppletur cum exceſſu per piam affectionem voluntatis, ſeù per voluntatis electionem ex motione, & inſpiratione Spiritus Sancti provenientem, hæc enim facere poteſt, vt intellectus certius aſſentiatur obiecto propter divinam authoritatem, licèt obſcurè propoſitam, & non convincentem, quam ſi convinceret per evidentiam intellectum: Vndè Div. Thom. *in Epiſtol. ad Hebr. e. cap. 11. lect. 1.* poſtquam explicavit, quod fides eſt media inter ſcientiam, & opinionem, quia ſcientia eſt certa, & evidens, opinio nec certa, nec evidens, fides verò certa, ſed non evidens, & ideò, nec ſicut ſcientia videt, quia non eſt evidens, nec ſicut opinio dubitat, quia eſt certa, ſubiungit: *Sed determinatur ad alteram partem, cum quadam certitudine, & firma adhæſione, per electionem voluntariam. Hanc autem electionem facit divina authoritas; per quam electionem determinatur intellectus, vt firmiter inhæreat his, quę ſunt fidei, & eis certiſsimè aſſentiat*, nempè, maiori certitudine, quam dum neceſsitatur ab obiecto per evidentiam.

21. Sed dices, ex his ſolum probari, quod attentis omnibus cauſis, & principijs, ex quibus pondet certitudo fidei, fides ſit certior, non tamen abſolutè, & ſimpliciter; quia propter indiſpoſitionem, & incapacitatem intellectus noſtri, non poſſunt abſolutè refundere in eios aſſenſum totam certitudinem, quam ex ſe important, quia intellectus noſter reſpectu illorum ex ſe improportionatus eſt: At reſpectu principiorum ſcientię naturalis ex ſe capax eſt, & proportionatus, vndè ex illis capere poteſt maiorem certitudinem. Quod confirmari poteſt ex Div. Thom. in Textu eius ſuprà expenſo, nam ibi inquit, quod fides ex parte ſubiecti, ſeù attenta ſubiecti diſpoſitione, minus certa eſt, quam cæterę ſcientię, & quod iſtę certiores ſunt, quoad nos.

22. Sed contra eſt, quia iuxta Div. Thom. fidas ſimpliciter certior eſt, ſcientia, & ſapientia naturalibus, hoc enim obſolutè affirmat, & concludit in Textu relato: Sed implicat quod ſimpliciter, & abſolutè ſit certior, quin intellectus ſit capax talis maioris certitudinis: Ergò ex incapacitate ſubiecti, negari nequit fidei, quod ſit abſolutè, & ſimpliciter certior. Minor patet, quia licèt fides non ſit forma connaturalis intellectui, vtpotè ſupernaturalis illi, tamen intellectus eſt ſubiectum connaturale, & connaturaliter exactum à fide, nec enim fides exigit aliud ſubiectum, cui inhæreat, niſi intellectum creatum: Sed implicat, quod ſubiectum connaturale fidei ſit incapax certitudinis quam fides ex ſe, & ex ſua ſpecie ſimpliciter importat: Ergò implicat, quod fides ex ſe ſit certior, & quod intellectus non ſit capax talis maioris certitudinis. Minor probatur: Nam de eſſentia ſubiecti connaturalis, ſeù connaturaliter exacti ab aliqua forma eſt, quod poſsit illi communicare omnem perfectionem, quam ex ſe, & ex ſua ſpecie ſimpliciter importat, quia omnis forma eſt de ſe communicativa ſuę perfectionis, nulli autem melius illam poteſt communicare, quam ſuo ſubiecto connaturali: Ergò pariter de eſſentia ſubiecti connaturalis fidei eſt, quod fides poſsit illi communicare totam ſuam certitudinem, quam ex ſe ſimpliciter importat: Ergò & quod ſubiectũ ſit capax talis certitudinis Confirmatur: Quia implicat actum eſſe ex ſe, & ex ſuo motivo èvidentem, & non communicare intellectui talem evidentiam de obiecto: Ergò pariter implicat actum eſſe de ſe, & ex ſuo motivo certum in aliquo gradu certitudinis, & non communicare intellectui talem gradum certitudinis: Ergò implicat eſſe certiorem prę aſſenſu ſcientię evidentis, & non reddere abſolutè intellectum certiorem.

23 Dices: Hoc verum tenere, ſi actus fidei, vel habitus intrinſecè eſſet certior habitibus, & actibus naturalibus; cæterum talem certitudinem non habere, quia quamvis cauſę, à quibus procedit, ſint firmiores, tamen non communicant totam illam firmitatem actui fidei propter incapacitatem ſubiecti. Sed contra: Quia licèt intellectus ex ſe, & ratione ſui videatur incapax talis certitudinis, tamen ratione luminis divini participati ex divino lumine certificari poteſt, & eſt capax certitudinis exactę ex meritis proprij motivi fidei. Quod ſic probatur: Nam ratione talis luminis poteſt intellectus attingere motivum fidei tanta certitudine, quantam exigit tale motivum ex meritis proprijs: Sed prædictum motivum, nempè, divina veritas in dicendo, ex meritis proprijs exigit attingi certitudine excedente omnem certitudinem naturalem aliorum actuum, vel habituum naturalium, vt ſuprà dicebamus: Ergò. Confirmatur: Nam iuxta Div. Thom. fides ex ſuis cauſis eſt ſimpliciter certior alijs habitibus naturalibus: Sed, ſi tales cauſę, propter incapacita-

tem ſubiecti, non communicarent fidei ſuam firmitatem, fides ex illis eauſis non eſſet certior, nam ex eauſis non communicantibus aliquam perfectionem actui, actus non poteſt euadere perfectior: Ergò.

24. Difficultas ſolum reſtat in explicanda mente Div. Thom. PP. Salm. in præſenti, inquiunt, quod cum Div. Thom. dixit, quod attenta diſpoſitione ſubiecti, & quoad nos, cæteri habitus naturales certiores ſunt fide, loquutus fuit de certitudine çquivocè, ſumpta pro maiori comprehenſione obiecti, non verò pro maiori, & firmiori adhæſione ad obiectum. Et probant, nam Div. Thom. ſic ait: *Poteſt conſiderari certitudo ex parte ſubiecti, & dicitur certius, quod plenius conſequitur intellectus hominis.* Et ad 1. inquit: *Illa dubitatio non eſt ex parte cauſç fidei, ſed quoad nos, in quantum non plenè aſſequimur per intellectum ea, quç ſunt fidei,* id eſt, quia non perfectè penetramus, ſeù cum euidentia cognoſcimus obiecta fidei: Ergò Div. Thom. accipit *maiorem certitudinem* çquivocè pro euidentia, aut maiori penetratione, non propriè pro firmitate adhæſionis.

25. Verumtamen, non acquieſco huic interpretationi, quia Div. Thom. doctrinaliter loquens de certitudine fidei, non eſt credibile, quod çquivocè loquatur, iam accipiens certitudinem propriè, iam illam accipiens purè çquivocè, præſertim in loquutione adverſativa; nam hic modus loquendi, ſanè non eſt doctrinalis, ſed potuis eſt ludere terminis. Vndè ſentio, Div. Thom. de certitudine propriè ſumpta loquuntum fuiſſe, minimè confundendo illam cum euidentia: Hanc autem certitudinem in fide repertam, inquit, quod ſi conſideretur in quantum illi convenit ex ſuis cauſis, excedit certitudinem habituum naturalium; ſi verò ex parte ſubiecti, & diſpoſitionis ipſius, certiores ſunt habitus naturales euidentes; & ratio eſt, quia certitudo euidentiç, cum per illam intellectus plenè aſſequatur cognitionem rei, non relinquit in intellectu locum diſpoſitioni contrariç, ſed plenè ipſum convincit, & excludit ab eo omnem formididem, & hæſitationem, quç eſt diſpoſitio contraria, immò in intellectu ita convicto nullam vim habent rationes vllç, quç in contra proponantur: At certitudo fidei non totaliter excludit diſpoſitionem contrariam ex parte ſubiecti, quia, cum intellectus non plenè aſſequatur ea, quç ſunt fidei, quamvis certiſſimus reddatur de illis, relinquit tamen locum contrariç diſpoſitioni ex parte intellectus, nempè, illis hæſitationibus, apprehenſionibus, & cogitationibus indeliberatis contra fidem; vi cuius contrariç diſpoſitionis ex parte ſubiecti fides non eſt tam firma in ſubiecto, nec tam inamiſſibiliter illi inhærens, ſicut aliç euidentiç naturales, ſed potius eſt impetita, tentata, & impugnata illis cogitationibus, apprehẽſionibus, & hæſitationibus, quas importat cõtraria diſpoſitio ex parte ſubiecti. Vndè, nullus timet amittere lumẽ euidens principiorũ, nec ſcientiam, aut ſapientiam ſemel acquiſitam, ſed firmiter, & abſque illa formidine in eis perſiſtit, quia videlicet, in ſe nihil ſentit diſpoſitionis contrariç poſtquam plenè aſſequutus eſt euidentiam: At, qui credit fide divina res ſupernaturales ſibi obſcuras, ſæpè ſentit in ſe diſpoſitionem contrariam explicatam, & ideò timet amittere fidem, & orat Deum pro firmitate in illa, vt aiebat Centurio ille: *Credò Domine, ſed adiuva incredulitatem meam*: Vocat enim incredulitatem, contrariam diſpoſitionem, quam in ſe ſentiebat, & quam ſe ſolo vincere non poterat, ſed timebat ab ea vinci. Et ad hanc diſpoſitionem contrariam vincendam datur pia affectio ſupernaturalis, quç contra omnes cogitationes, & hæſitationes adverſantes, captivet intellectum in obſequium Chriſti.

26. En igitur quomodo certitudo fidei, adhùc ſumpta pro firmitate adhæſionis ad vetum, quo pacto ſumitur propriè, ſi attendatur ex parte diſpoſitionis ſubiecti, cui hæc certitudo inhæret, non eſt tanta, quanta certitudo ſcientiç, ſed minor, quia minus firma in ſubiecto, quantum ex parte ſubiecti eſt: Et hoc intelligit Div. Thom. cum inquit eſſe minus certam quoad nos, quod ex ſulutione ipſius *ad* 1. iam relata manifeſtè patet. Cum quo tamen compatitur, quod maior certitudo fidei ex motivo, & cauſis ſuis, abſolutè communicetur intellectui, & illum abſolutè certiorem reddat, quia, nempè, redditur intellectus certior ex motivo, & ex omnibus cauſis fidei, quç omnes firmius certificant intellectum, quam cauſç habituum naturalium; ſed non redditur certior ex parte ſubiecti, quia ex parte ſubiecti eſt diſpoſitio contraria quodammodo reſiſtens illi maiori certitudini, contra quam diſpoſitionem prævalet fides, dũ in ſubiecto manet. Eſt dicere, quod fides eſſẽtialiter eſt adhæſio firmior ad obiectũ, & quod intellectus firmius per illam adhæret obiecto, quam per euidentiã naturalẽ propter maiorem firmitatem obiecti: Sed tamen eſt adhæſio minus firma in ſubiecto, quia, nempè, intellectus propter ſui contrariam diſpoſitionẽ minus firmus, conſtans, & immobilis eſt in illa, quam in adhæſione per euidentiam naturalem: Et hoc intelligit Div. Thom. per eſſe minus certam *quo ad nos*, quia videlicèt, licèt nos per illam firmius adhæreamus obiecto, non tamen

men firmiores ſumus ex nobis in tali adhæſione, ſed potius infirmiores propter ſubiectivam diſpoſitionem. Ex quo patet ad motiva PP. Salm. quę magis confirmant, quam oppugnant hanc noſtram expoſitionem. Vbi valdè obſervandum eſt, aliam eſſe formidinem de cauſa,& motivo fidei; aliam de fide ipſa ex parte ſubiecti : De cauſa quidem,& motivo fidei,non poteſt dari formido deliberata, & voluntaria ſimul cum ipſa fide: At de fide ipſa ex parte ſubiecti poteſt dari prudens timor, & formido non perſeverandi firmiter in illa, aut ne forſan intellectus mutetur ; qui prudens timor rectè cohæret cum ipſa fide : Hic ſecundus timor, propter minorem certitudinem, & firmitatem ex parte ſubiecti:Ille verò primus propter ſummam firmitatem, certitudinem, ac immutabilitatem ex parte obiecti.

SOLVVNTVR OBIECTA.

27. OBIICITVR primo : Ille aſſenſus eſt ſimpliciter certior, qui magis excludit formidinem, & dubitationem : Sed aſſenſus euidens naturalis magis excludit formidinem,& dubitationem, quam aſſenſus fidei : Ergò ille eſt ſimpliciter certior iſto. Minor probatur, quia fides non excludit formidinem indeliberatam, ſimilemque dubitationem : Item, nec excludit formidinem,ne intellectus mutetur, vt in conſtans, in fide : Sed has dubitationes, & formidines excludit euidentia naturalis, potiſsimè circa principia : Ergò. Reſpondeo, ex Div. Thom. Diſtinguendo maiorem : Ille aſſenſus eſt ſimpliciter certior, qui magis excludit formidinem,& dubitationem ex parte motivi cui innititur, & ex parte omnium cauſarum moventium ad ipſum, concedo maiorem: Qui magis excludit dubitationem, & formidinem, quantum eſt ex parte ſubiecti, & attenta eius diſpoſitione, nego maiorem,& diſtincta minori eodem modo,nego conſequentiam; quia,vt inquit Div. Thom. vnumquodque iudicatur ſimpliciter ex cauſis ſuis ;& certitudo aſſenſus ſimpliciter menſuratur ex infallibilitate motivi,cui innititur; non verò ex diſpoſitione ſubiecti : Si autem fides permittit ſecum dubitationem, & formidinem indeliberatam, hoc ſolum contingit ex indiſpoſitione ſubiecti,quod propter obſcuritatem,poteſt quati, & impeti motivis contrarijs; ſed quantum eſt ex obiecto, & cæteris cauſis,magis excludit dubitationem fides, quam euidentia naturalis,quia obiectum eius, & cæterę cauſę movent cum maiori infallibilitate, & ſecuritate,& magis certificant, & aſſecurant intellectum, licèt impetitum illis motivis contrarijs, quam euidentia naturalis, nullo motivo contrario tentata : Imò ex hac parte eminet longè fides præ naturali euidentia; ſiquidem in ſubiecto obſcuro, tentata, & impetita motivis contrarijs,non ſuccumbit, ſed prævalet victrix cum ſecuritate invincibili ex ſuo motivo ; at euidentia naturalis, ſolum ſine hoſte regnat,ſine contrario vincit, ſolumque non tentata,nec impetita,eſt firma, quin immò, ſi per impoſsibile euidentia naturalis militaret contra fidem, intellectus ex vi motivi fidei contemneret euidentiam naturalem, illamque deſereret in obſequium fidei.

28. Obijcies ſecundo : Intellectus in aſſenſu euidenti, præſertim circa prima principia, aſſentitur ſine indifferentia, & ſine libertate, per modum naturę,& omninò determinatus, ac ſine potentia proxima dubitandi, aut diſſentiendi : In aſſenſu autem fidei, aſſentitur liberè, cum indifferentia, & cum potentia proxima diſſentiendi,aut dubitandi: Sed illud,quod eſt omninò determinatum, & ſine flexibilitate ad partem contrariam, certius, & firmius eſt, quam illud, quod eſt cum flexibilitate, & indifferentia : Ergò. Reſpondeo, conceſſa maiori, diſtinguo minorem : Quod eſt omninò determinatum, & ſine flexibilitate,certius, & firmius eſt, quam quod eſt cum flexibilitate, & indifferentia ex parte motivi orta, concedo minorem: Quam quod eſt cum flexibilitate, & indifferentia ſolum ex parte ſubiecti, ſubdiſtinguo : Si ex parte motivi non ſit exceſſus, concedo : Si ex parte motivi ſit exceſſus, qualis eſt in motivo fidei, nego minorem,& conſequentiam : Itaque, ſi intellectus in aſſenſu fidei retinet indifferentiam, flexibilitatem, & potentiam diſſentiendi, & dubitandi, tota hæc ſe tenet ex parte ſubiecti, propter illius obſcuritatem, & ineuidentiam, ſeù propter contrariam diſpoſitionem iam explicatam, non verò ex parte obiecti & motivi, quod determinatiſsimum eſt, & inflexibile, ſeù infallibile,multo magis,quam motivum euidentię naturalis, etiam ſi ſit circa prima principia; vndè ad ſummum ſequitur, quod euidentia illa naturalis ſit certior *ſecundum quid*, hoc eſt, ex firmiori diſpoſitione ſubiecti, fides tamen ſempermanet ſimpliciter certior ex ſuo motivo, & obiecto, & alijs cauſis, vt ſupra explicavimus: Vel ſolum ſequitur, quod intellectus ex parte ſua ſit firmior in aſſenſu euidenti principiorum, & minus firmus, ſeù conſtans in aſſenſu fidei, ſeù in fide, non verò quod fides ipſa non ſit firmior adhæſio ad ſuum obiectum, certiorque, quam lumen principiorum.

29. Obijcies tertio, ſeù replicabis: Mo-

Motivum evidentię naturalis fortius movet, quam motivum ſupernaturale fidei; ſed obiectum, quod fortius movet, magis firmat aſſenſum, & certificat intellectum : Ergò etiam ex parte obiecti, & motivi, certior erit evidentia naturalis, quam fides. Maior probatur : Primo, quia motivum evidentię naturalis eſt evidens, & motivum fidei obſcurum : Sed fortius movet motivum evidens, quam obſcurum: Ergò. Secundo, quia motivum fidei, cum ſit divinum teſtimonium, eſt motivum extrinſecum, motivum verò ſcientię eſt intrinſecum ſæpiſsimè : Sed fortius movet motivum intrinſecum, quam extrinſecum : Ergò.

30. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem : Motivum evidentię naturalis fortius movet relativè ad diſpoſitionem ſubiecti, concedo maiorem: Relativè ad obiectum, ad cuius aſſenſum movet, nego maiorem. Ad cuius primam probationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem diſtinctione data : Vel ſic : Fortius movet motivum evidens, quam obſcurum, ſi in cæteris ſit ęqualitas, concedo : Si motivum obſcurum ſit ſuperioris ordinis, & infallibilius, nego minorem, & conſequentiam. Et ſimiliter ad ſecundam dico, quod motivum intrinſecum fortius movet, quam extrinſecum, ſi ſit eiuſdem ordinis, & ęqualis infallibilitatis: At divinum teſtimonium, licèt ſit obſcurum relatè ad ſubiectum, & extrinſecum obiecto credito, nihilominus fortius movet relatè ad obiectum creditum, hoc eſt, movet ad aſſenſum fortiorem talis obiecti, & ita fortiorem, quod ſi per impoſsibile in contra opponeretur motivum evidens, prævaleret ex vi motivi, cui talis aſſenſus innititur, quia eſt infallibilius, & eminentius, & attingitur à fide præferente ipſum omni alio motivo evidenti; licèt non fortius moveat relatè ad ſobiectum, & eius diſpoſitionem, propter obſcuritatem, vi cuius ſubiectum non manet ita immobiliter firmus in fide, ſicut in evidentia ; & ratio eſt, quia, licèt ex parte ſubiectivę firmitatis in aſſenſu, excedatur fides ab evidentia naturali propter maiorem proportionem ſubiecti mobilis ad tale motivum, tamen ex parte motivi, excedit longè fides evidentiam naturalem, quia motivum fidei eſt ſuperioris ordinis, magis infallibile, &c. Et hic exceſſus eſt ſimpliciter talis, ille ſolum ſecundum quid.

31. Obijcies quarto : Certius eſt Deum eſſe, vel non eſſe trinum, quam determinate eſſe trinum, cum certior ſit disiunctiva ex contradictorijs, quam vna ex contradictorijs determinatè ſumpta, ex illo principio : *Quodlibet eſt, vel non eſt* : Sed Deum eſſe, vel non eſſe trinum, cognoſcitur per lumen principiorum in vi præfati principij : Deum verò determinatè eſſe trinum, cognoſcitur per fidem: Ergò certius eſt lumen principiorum, quam fides. Confirmatur : In hoc ſyllogiſmo : *Quidquid Deus dicit eſt ita : Deus dicit ſe eſſe trinum: Ergò eſt trinus*, concluſio eſt de fide, maior verò lumine naturali nota, & concluſio creditur propter maiorem, cum credatur propter præmiſſas : Sed propter quod vnumquodque tale, & illud magis : Ergò certius cognoſcitur maior lumine naturali, quam concluſio per fidem : Ergò certius eſt lumen naturale, quam fides.

32. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: Certius eſt Deum eſſe, vel non eſſe trinum in vi disiunctionis, & ex vi illius principij : *Quodlibet eſt, vel non eſt* : Quam determinatè eſſe trinum ex vi revelationis, nego maiorem : Certius eſt, ſi ſumatur præciſivè à disiunctione, & ab illo principio, in vi veritatis vnius partis, nego ſuppoſitum, nempè, quod ita ſit diſtinctus aſſenſus : Et eodem modo diſtinguo minorem. Itaque, *Deum eſſe, vel non eſſe trinum*, cognoſci poteſt, vel in vi disiunctionis, ex vi, nempè, illius principij, *quodlibet eſt, vel non eſt*; & ſic dicimus, quod non eſt magis, ſed potius minus certum ſimpliciter, quam *Deum determinatè eſſe trinum*, vt cognitum in vi revelationis, quia certior eſt divina revelatio, quam illud principium naturale : Vel poteſt cognoſci, non in vi disiunctionis, ſed in vi vnius partis, quia videlicèt, ad veritatem disionctivę ſatis eſt veritas vnius partis, & quod *Deus ſit, vel non ſit trinus*, ſalvatur per hoc quod *ſit trinus* determinatè : Et hoc pacto disiunctiva eſt de fide, & revelata, ſicut pars ipſius, & ideò etiam eſt de fide; ſed hoc pacto non eſt certior, nec diſtincta veritas, ſed eadem, & ęquè certa.

33. Ad confirmationem, diſtinguo maiorem: Concluſio, vt concluſio, & vt formaliter deducta, eſt de fide, nego: Vt propoſitio immediatè revelata, concedo maiorem : Hoc autem pacto non creditur propter maiorem ſolo lumine natorali notam, ſed vnicè propter divinã revelationem ſuperno lumine manifeſtatam, & obiectam menti. Præterquam, quod adhùc, vt concluſio, non creditur propter ſolam maiorem, ſed propter maiorem, vt elevatam per minorem, quę eſt ordinis ſupernaturalis, & ideò poteſt eſſe certior, quam maior ſecundum ſe.

34. Obijcies quinto : Quia ęquè ſaltèm infallibilis, ac certa eſt evidentia naturalis, v.g. primorum principiorum, quam fides : Ergò hæc non eſt certior. Probatur : Quia ęquè impoſ-

poſsibile eſt prima principia falſificari, ac fidei obiecta: Ergò ęquè certa eſt evidentia principiorum. Probatur antecedens: Quia prima principia, nec phyſicè, nec metaphyſicè, nec naturaliter, nec divinitus, nec de potentia ordinaria, nec abſoluta, poſſunt falſificari: Sed non poteſt dari maior impoſsibilitas falſitatis, & conſequenter, nec maior infallibilitas, quam iſta: Ergò. Confirmatur: Quia vna propoſitio non poteſt eſſe verior altera: Ergò nec vna poteſt eſſe certior altera: Ergò ad ſummum poterit fides eſſe ęquè certa, ſed non certior evidentia naturali, ſicut nequit eſſe verior. Confirmatur ſecundo: Poteſt dari aſſenſus naturalis innixus divino teſtimonio, ſicut fides theologia ſuperna: Ergò ſaltèm hic erit ęquè certus, & dabitur aſſenſus naturalis ęquè certus, ac fides ſuperna.

35. Reſpondeo, negando antecedens. Ad primam probationem, claritatis gratia, diſtinguo antecedens: Æquè impoſsibile eſt, &c. quantum ad fundamentum poſitivum impoſsibilitatis, nego antecedẽs: Quãtũ ad carentiã poſsibilitatis, concedo antecedens. Ad cuius probationem eadem diſtinctione, reſpondeo: Quod infallibilitas, ſeù impoſsibilitas falſitatis poteſt ſumi, vel poſitivè, vel privativè; poſitivè, id eſt, quantum ad perfectionem fundamentalem talis impoſsibilitatis, ſivè quatenus infallibilitas eſt poſitiva perfectio. Privativè, id eſt, in quantum ſignificat carentiam fallibilitatis: Igitur in hoc ſecundo ſenſu, fatemur non poſſe dari maiorem infallibilitatem, & impoſsibilitatem falſitatis, nempè, quã vt nec phyſicè, nec metaphyſicè, nec naturaliter, nec divinitus ſit poſsibilis falſitas, & in carentia huius fallibilitatis, non excedit fidea lumen principiorum: In primo verò ſenſu excedit, quia motivum, & fundamentum poſitivum infallibilitatis in fide firmius eſt, & robuſtius poſitivè, quam motivum luminis principiorum. Sicut vnus Angelus dicitur magis immaterialis alio, non ſumpta immaterialitate privativè, aut negativè pro carentia materię, quia quilibet Angelus caret omni materia phyſicè, ſed ſumpta immaterialitate poſitivè, nempè, pro fundamento poſitivo talis carentię, quę eſt poſitiva actualitas, quę maior eſt in vno Angelo, quam in alio, ex maiori acceſſu ad actum purum.

36. Ad primam confirmationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam: Quia veritas conſiſtit formaliter in adæquatione actus cum obiecto in re, & in hoc non poteſt eſſe exceſſus, quia ſi obiectum adæquarè eſt prout repræſentatur per actum, non poteſt magis adæquari, quia non poteſt magis ita eſſe ſicut repræſentatur: At certitudo conſiſtit in adhæſione intellectus ad obiectum: Et intellectus poteſt magis, vel minus firmiter adhærere ſuo obiecto. Ad ſecundam: Conceſſa maiori, nego minorem: Quia talis aſſenſus naturalis non inniteretur divino teſtimonio, vt obiecto menti eſſentialiter prout in re, ſed vt obiecto menti cum contingentia ex modo repræſentationis naturalis aliter eſſendi in re; & ideò non eſſet ęquè infallibilis: Nec obeſt, quod etiam quando divinum teſtimonium movet ad fidem ſupernaturalem, applicatur per lumen naturale iudicans de eius credibilitate, exiſtentia, & veritate. Non inquam, quia hę cognitiones naturales ſolum per modum conditionis præcedunt remotè ad fidem, non verò per modum applicationis immediati motivi ad aſſenſum, quia hæc eſt ſupernaturalis ſemper: De quo infrà, & ſuprà, *diſput.* 1. *quæſt.* 8.

COMPARATVR CERTITVDO fidei, cum alijs.

37. POTEST fides vlterius comparari in certitudine, cum viſione beata, cum ſcientia infuſa, cum lumine prophetico, & cum donis intellectus, ſapientię, & ſcientię, quę ſunt dona Spiritus Sancti. Et quantum ad primum, probabilius cenſeo cum PP. Salm. *in præſent.* quod viſio beata eſt certior ſimpliciter: Quia ex parte motivi, beatus etiam certificatur de Deo ex ipſo Deo, ſeù ex prima veritate, licèt non in dicendo, tamen ex prima veritate in eſſendo, quę non minus firma eſt, immò, ſi admittatur exceſſus, firmior eſt, quam veritas in dicendo, quia hæc fundatur, & radicatur in illa: Aliundè certificatur ex ipſa clarè viſa in ſe ipſa, quod non poteſt non augere valdè certitudinem poſitivam: Ergò viſio beata certior eſt, quam fides, ſimpliciter loquendo. Quantum ad ſecundum, ſentio, vt probabilius, fidem eſſe certiorem ſcientia infuſa, quia hæc, licèt ſit ſupernaturalis, non tamen innititur motivo ęquè certo, ac eſt motivum fidei; motivum enim ſcientię infuſę eſt veritas obiectiva rerum, vt lumine ſuperno manifeſtata menti, per ſpecies, nempè, vel ſupernaturales, vel ſupernaturaliter illuminatas; at motivum fidei eſt veritas prima, & divina, etiam, vt ſuperno lumine manifeſtata: Sed hoc motivum certius, & firmius eſt: Ergò ex motivo, ex quo aſſenſus debet iudicari ſimpliciter, firmior eſt fidea, quam ſcientia infuſa: Ergò ſimpliciter certior.

38. Quantum ad tertium, probabilius cenſeo, lumen propheticum in eo, in quo eſt, certius eſſe, quam lumen fidei. Tum ex Div. Petro, qui ad ſuadendam firmitatem fidei, inquit: *Habemus firmiorem propheticum ſermonem,*

vem, quaſi firmitas fidei ex propheticis loquutionibus, & revelationibus factis Patribus, & Prophetis deſcendat, & in eis fundetur : Sed firmius, & certius debet eſſe lumen, in quo fundatur certitudo fidei noſtrę, quam fides noſtra: Ergò. Tum ex Div. Thom. infrà, *quæſt.* 171. *articul.* 6. dicente : *Dicendum, quod prophetia eſt quædam cognitio intellectui prophetę impreſſa, ex revelatione divina per modum cuiuſdam doctrinę. Veritas autem cognitionis eſt eadem in diſcipulo, & in docente, quia cognitio addiſcentis eſt ſimilitudo cognitionis docentis : Oportet igitur eandem eſſe veritatē propheticę cognitionis ac divinæ, cui impoſsibile eſt ſubeſſe falſum.* Ex quibus verbis ſic arguo: Lumen prophetię innititur divinę revelationi, per modum quo diſcipulus, vt diſcipulus, innititur dictis, & teſtimonijs ſui Magiſtri : Ergò innititur eodem motivo, ac fides theologica: Ergò ex hac parte ad minus ęquat in certitudine fidem theologicam : Aliundè revelatio per donum prophetię attingitur clarè, ſeù cum evidentia in atteſtante, & per lumen fidei obſcurè, quod nequit non augere certitudinem, quia magis certificat divina revelatio evidenter percepta, quam obſcurè cognita, ſaltèm maiori firmitate, & certitudine ſubiectiva : Ergò lumen propheticum ex parte motivi ęquat in certitudine, & firmitate fidem, & ex alia parte, ſeù ex alio capite ſuperat ipſam : Ergò ſimpliciter, & omnibus in ſpectis certior eſt. Confirmatur, quia fides theologica dicitur innixa, & fundata ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, id eſt, ſuper revelationem factam Prophetis, & Apoſtolis : Sed hæc illis innotuit per lumen propheticum, ſiquidem fuit cognitio intellectui eorum impreſſa ea revelatione divina per modum cuiuſdam doctrinę, in quo prophetia cōſiſtit iuxta Div. Thom. Ergò lumen propheticum certius eſt in illo, cui datur, quam fides theologica.

39. Reſpondent Salmant. qui oppoſitam in hac parte ſequuntur ſententiam, fidem ſolum reſolvi, & fundari in certitudine prophetarum ex parte applicationis, & credibilitatis, non verò ex parte motivi. Sed contra eſt, quia licèt hoc verum ſit, quia fides ex parte motivi formalis vnicè fundatur in revelatione divina, tamen recta ratio exigit quod hæc revelatio, quę ipſis primo fuit facta immediatè, vt ex illis ad nos per traditionem, & applicationem deveniret, illis fieret cum maiori certitudine, & firmitate, nempè, tanquam fundamentis huius traditionis, & primis diſcipulis huius cœleſtis doctrinę: Sicut primi diſcipuli Div. Thom. qui eius doctrinam immediatè ab ipſo edocti ſunt, certiores fuerunt de eo, quod talis doctrina ipſius eſſet, quam qui ex eorum ſcriptis per traditionem illam poſteà exceperunt : Sed revelatio divina certius percepta, & cognita certius movet, & magis certificat de re revelata : Ergò revelatio facta Prophetis per lumen propheticum certius eos movebat, & magis illos certificabat, quam poſteros, quibus talis revelatio traditione ex illis ad nos huſque delata applicatur.

40. Nec fundamentum PP. Salm. oppoſitum convincit. Sic enim obijciunt : Revelatio, vt ſpecificat fidem, magis certificat, quam, vt ſpecificans lumen propheticum : Ergò. Antecedens probant, quia revelatio ſpecificat fidem, in quantum revelat nobis ipſum Deum, qui eſt obiectum primarium *quod* noſtrę fidei, & alia per ordinem ad ipſum : Specificat verò prophetiam, in quantum revelat aliquid temporale, nempè, ſecreta cordium, & futura contingentia; vel ſaltèm cum indifferentia, vel ęterna, vel temporalia, vel creata, vel divina, quia obiectum *quod* prophetię abſtrahit à creato, vel divino: Sed revelatio divina, vt primario revelans ipſum Deum, & cætera per ordinem ad ipſum, eſt motivum certius, & magis firmum, quam dum revelat indifferenter, vel temporalia, vel ęterna, vel creata, vel divina, quia in prima conſideratione obiectum *quod*, nempè, Deus, eſt firmius, quam obiectum *quod* prophetię, quod abſtrahit à Deo, & creaturis : Ergò magis certificat revelatio divina, vt ſpecificans fidem, quam vt ſpecificans prophetiam.

41. Reſpondeo enim, negando antecedens. Ad cuius probationem, admiſſa gratis maiori, quę ſatis incerta eſt, quia de obiecto *quod* prophetię non vna omnium eſt ſententia, nego minorem, quia revelatio divina non minus certificat intellectum, cum revelat aliquid purè creatum, quam dum revelat aliquid divinum, ęquali enim certitudine credimus peccatum originale, quia à Deo revelatum, ac Myſterium Trinitatis, quia à Deo revelatum, nec certitudo cognitionis augetur, vel minuitur ex maiori, vel minori firmitate obiecti *quod* in eſſe rei conſiderati, ſed ex maiori firmitate illius formaliter conſiderati, vt ſtat ſub obiecto *quo*, id eſt, ſub motivo : Hoc autem pacto, licèt obiectum *quod* prophetię in eſſe rei ſit aliquando quid contingens, tamen, vt ſtat ſub motivo, ſeù obiecto formali *quo*, nempè, ſub divina revelatione, non eſt contingens, ſed omninò neceſſarium, quod ita ſit, ſinè vlla contingentia. Præterquàm, quod, etſi prophetia ex ſe non petat obiectum eius revelari in ordine ad Deum, vt primo revelatum, tamen id poſitivè non excludit, ſed permittit, nam ſanè revelationes factę primis Prophetis, quę hodie ſunt motivum formale noſtrę fidei, revela-

bant

Digitized by Google

bant myſteria per ordinem ad Deum: Ergò lumen propheticum reſpectu illarum revelationum, & myſteriorum ex parte obiecti *quod*, & *quo* æquabat fidem: Aliundè illam excedebat ex parte evidentiæ, & claritatis: Ergò.

42. Quantum ad quartum, de donis intellectus, ſapientiæ, & ſcientiæ, reſpondet Div. Thom. vt vidimus in eius Textu: *Quod ſi accipiantur tria prædicta, ſecundum quod ſunt dona præſentis vitæ, comparantur ad fidem, ſicut ad principium, quod præſuponunt, vndè etiam ſecundum hoc fides eſt illis certior.*

43. Sed in contra obijcitur: Per dona intellectus, ſcientiæ, & ſapientiæ perficitur, & roboratur fides: Ergò perfectiora ſunt iſta dona, quam fides: Ergò certiora. Reſpondet Div. Thom. *ad* 3. dicendum: *Quod perfectio intellectus, & ſcientiæ* (& idem de ſapientia) *excedit cognitionem fidei, quantum ad maiorem manifeſtationem, non tamen, quantum ad certiorem inhæſionem, quia tota certitudo intellectus, vel ſcientiæ, ſecundum quod ſunt dona, procedit à certitudine fidei, ſicut certitudo cognitionis concluſionum procedit ex certitudine principiorum.*

QVÆSTIO VI.

AN FIDES, ET OPINIO poſsint cohærere in eodem intellectu circa idem obiectum?

1. ANTE huius quæſtionis deciſionem plura communiter prænotantur circa naturam, & conditiones opinionis, & probabilitatis: Sed quia de his latè tractavi in Opere *de Conſc.* à *quæſt.* 22. & ſparſim toto illo tractatu, ideò breviter ex ibidem dictis, noto primo, quod opinio eſſentialiter eſt *iudicium vnius partis contradictionis cum formidine alterius.* Vndè etiam noto ſecundo, formidinem eſſe de eſſentia opinionis. Sed quænam formido? Actualis, an aptitudinalis? Radicalis, an formalis? Non deſunt qui affirmant quod actualis, & formalis. Sed immerito, quia formido actualis, & formalis eſt actus voluntatis, vt explicavi ſupra, *quæſt. præc. num.* 12. Sed actus voluntaris nequit eſſe de eſſentia intrinſeco opinionis, ſed ad ſummum poſſet eſſe conditio: Ergò. Secundo, quia nec conditio eſſentialis poteſt eſſe; quia non requiritur indiſpenſabiliter, quod dum quis opinatur aliquid, actualiter advertat ad oppoſitum, ſeù quod poteſt oppoſitum contingere: Sed ſinè hac advertentia non poteſt dari formido actualis, & formalis: Ergò hæc non requiritur, adhùc per modum conditionis indiſpenſabilis. Dicendum ergò eſt ſolam formidinem radicalem eſſe de eſſentia opinionis, nempè, quod ita infirmiter, & debili motivo innitendo aſſentiatur, quod ex tali modo, & motivo importet radicem, & fundamentum formidandi, ne obiectum aliter ſe habeat, adeoque, ſi intellectus advertat, ſequetur actualis, & formalis formido.

2. Sed dices primo: Ariſtotel. tradit 7. *Ethicor. capit.* 3. Quod aliqui tenent ſuas opiniones ita firmitèr, ſicut alij concluſiones ſcitas: Ergò. Reſpondeo, quod iſti, ſolum habent certitudinem affectatam, per quam excludunt, formidinem actualem, quia ex paſsione nollunt advertere motiva oppoſita, aut debilitatem ſui motivi; at non excludunt formidinem fundamentalem, & radicalem, quia illorum aſſenſus, vtpotè intrinſecè fallibilis ex vi ſui motivi, ſemper eſt radix, & fundamentum formidandi, ſi prudenter, & ſine paſsione inſpiciatur.

3. Dices ſecundo: Dantur aliqui aſſenſus opinativi immediati ex ſola explicatione terminorum: Vt hic: *Omnis Mater diligit filium ſuum*: Sed hi aſſenſus non ſunt formidoloſi, nam alias intellectus non aſſentiret illis immediatè: Ergò. Reſpondeo, omiſſa maiori, negando minorem, quia licèt aſſenſus illi ſint immediati per immediatam connexionem ſubiecti cum prædicato, illa tamen connexio eſt ſolum probabilis, quæ, nimirum, ſolum vt in pluribus infert prædicatum dilectionis, cum contingentia deficiendi in paucioribus, & ideò aſſenſus illi ſubſunt formidini falſitatis in hoc aut in illo particulari.

4. Dices tertio: Datur fides humana omnem excludens formidinem, vt qua credimus Romam exiſtere: Et tamen fides humana eſt opinio, vel quaſi opinio: Ergò non eſt de eſſentia opinionis aſſentire cum formidine. Reſpondent aliqui, fidem humanam, quando eſt cum certitudine morali maxima, vt de exiſtentia Romæ, excludere quidem formidinem prudentem, & moralem, ſed non excludere formidinem metaphyſicam, eo quod licèt repugnet moraliter falſitas cum tali certitudine, non repugnat metaphyſicè. Sed non placet hic modus diſtinguendi formidinem in moralem, & metaphyſicam: Quid enim eſt formido metaphyſica? Inquiunt; quod eſt formido falſitatis metaphyſicè poſsibilis. Sed rogo, an ipſa formido ſit ſolum metaphyſicè poſsibilis, an detur, vel dari poſsit de facto? Si datur, vel dari po-

Digitized by Google

9. Nos autem longè probabilius exiſtimamus incertitudinem, ſeù formidinem radicalem opinionis conſiſtere formaliter in defectu, & carentia certitudinis, non verò in poſitivo aliquo, quod à priori inferat talem carentiam. Primo ex prædicti ipſorum PP. Salmant. ſolutione, iuxta quam aſſenſus opinativus dicit aliquid poſitivum, & aliquid negativum, & creſcente poſitivo, decreſcit negativum: Sed hoc eſſet impoſsibile, ſi negativum radicaretur ſeù fundaretur radicaliter, & à priori in poſitivo vt tali, quia creſcentere radice, vt tali, implicat quod decreſcat, & minuatur radicatum: Ergò ſi ſolutio vera eſt, aſſenſus opinativus conſiſtit partim in poſitivo, & partim in negativo, in poſitivo quidem, quatenus dicit poſitivum aſſenſum, in negativo autem, quatenus dicit defectum, ſeù carentiam certitudinis. Secundò, quia differentię rerum creatarum conſiſtunt formaliter in poſitivo, & negativo, vt oſtendi in Metaph. *quæſt.* 22 *à num.* 11. & ex doctrina ibi data, & *quæſt.* 21 *à num.* 8. ſatis efficaciter oſtendi poteſt, differētiam aſſenſus opinativi, ea ratione, qua differt ab aſſenſibus perfectioribus, & certis, conſiſtere formaliter in negatione certitudinis: Ergò.

10. Ad probationes autem in contra, reſpondeo. Ad primam quidem, conceſſa maiori, negando minorem, quia etiam inevidentia fidei conſiſtit formaliter in defectu claritatis, & evidentię, intriſeco, & eſſentiali ipſi aſſenſui fidei; hic enim defectus, ſeù carentia non poteſt radicari à priori in poſitiva entitate, actualitate, & perfectione ipſius fidei, quia ratio entis, & actualitatis, vt talis, non poteſt eſſe ratio à priori non eſſendi, ſeù carendi perfectione, & actualitate, niſi illa ratio entis intelligatur vt limitata, & coarctata ad talem gradum entitatis, & perfectionis; nequit autem intelligi ſic limitata, & coarctata, niſi per negationem maioris actualitatis, & perfectionis, nempè claritatis, & evidentię, vndè hæc negatio debet eſſe prædicatum incluſum in primo, & eſſentiali conceptu fidei, vt obſcurę. Ad ſecundam concedo, quod carentia certitudinis non eſt genus, nego autem, quod non ſit differentia. Ad probationem in contra, dico, quod de ratione differentię non eſt ſolum perficere, & actuare rationem genericam, ſed etiam eam limitare, & coarctare; licèt autem carentia certitudinis non ſit differentia opinionis, ſecundù quod differentia perficit, & actuat rationem communem aſſenſus, benè verò, ſecundum quod illam limitat, & coarctat. Ad tertiam dico, quod ens poſitivum nequit, in quantum poſitivum, conſtitui per negationem; ſed in quantum limitatum intra genus ſuum, & coarctatum ad ſpeciem imperfectam, per negationem debet conſtitui, quia vt ſic non eſt purè poſitivum, ſed poſitivum cum defectu, ſeù poſitivum deficiens à plenitudine poſitivi in ſuo genere; & ſic debet conſtitui per defectum, & negationem. Et hæc quidem obiter libavi propter conſequentiam principiorum, cenſeo enim quaslibet imperfectiones in quolibet genere formaliter, & eſſentialiter importare negationem, & defectum. His tamen præmiſsis, ad principale dubium.

NOSTRA CONCLVSIO.

11. RESPONDEO, *quod repugnat in eodem intellectu ſimul aſſenſus fidei divinę, & opinativus circa idem obiectum.* Ita communiter Thomiſtę, & non pauci ex extraneis. Probaturque primo ex Div. Thom. Quia certitudo aſſenſus fidei eſt incompatibilis cum aſſenſu opinativo: Ergò & aſſenſus fidei divinę, qui eſſe nequit ſine ſua certitudine. Antecedens probatur, quia certitudo aſſenſus fidei divinę eſt maior, quam certitudo ſcientię, vt oſtenſum manet, *quæſt. præced.* Sed certitudo ſcientię iuxta Ariſt. & Div. Thom. eſt incompatibilis cum aſſenſu opinativo: Ergò. Probatur minor: Primo ex Ariſtot. *qui lib.* 1. *Poſt. cap.* 26. ſic ait: *Opinio namque, & ſcientia non omninò eiuſdem eſt*, & ibidem: *Ex his autem emergit, fieri non poſſe, vt ſimul idem opinetur quiſquam, & ſciat, nam ſimul exiſtimationem haberet, & aliter, & non aliter idem ſeſſe haberet, quod fieri nequit.* id eſt, iudicaret obiectum non poſſe aliter ſe habere, quia hoc exigitur ad rationem ſcientię: Et ſimul exiſtimaret poſſe aliter ſe habere, quia hoc exigit opinio: Et vtrumque ſimul idem intellectus exiſtimare aut iudicare nequit, cum vnum alteri contradicat. Secundo, ex Div. Thom. Qui *ibidem, & in præſent. art.* 5. *ad* 4. idem docet his verbis: *Scientia enim cum opinione ſimul eſſe non poteſt ſimpliciter de eodem, quia de ratione ſcientię eſt, quod, id, quod ſcitur, exiſtimetur eſſe impoſsibile aliter ſe habere: De ratione autem opinionis eſt, quod id quod eſt opinatum, exiſtimetur poſsibile aliter ſe habere. Sed id, quod fide tenetur, propter fidei certitudinem, exiſtimatur etiam impoſsibile aliter ſe habere.* Hactenus Div. Thom. Ex quo per legitimam conſequentiam infertur: Ergò fides divina cum opinione ſimul eſſe non poteſt ſimpliciter de eodem. Item, *quæſt.* 2. *artic.* 1. *in corpore*, inquit, aliquibus actibus intellectus eſſe annexam formidinem, *vt cum quis adhæret vni parti; ſed cum formidine alterius, quod accidit opi-*

nanti : *Sed actus iſte, qui eſt credere, habet firmam adhæſionem ad vnam partem, in quo convenit credens cum ſciente* : Sed ſciens, propter certitudinem, non poteſt id ipſum opinari quod ſcit: Ergò credens nequit ſimul id ipſum opinari, quod credit. *Et* 12. *quæſt.* 67. *artic.* 3. ſic ait: *De ratione opinionis eſt, quod accipiatur vnum cum formidine alterius oppoſiti; de ratione verò ſcientiæ, quod habeat firmam adhæſionem*; ſed implicat, quod idem intellectus accipiat obiectum cum formidine oppoſiti, & quod reſpectu eiuſdem habeat firmam adhæſionem : Ergò.

12. Dices primo cum Durando, & alijs, quod ex his ſolum convincitur, quod non poſſint eſſe in eodē intellectu duo aſſenſus realiter diſtincti, vnus fidei divinę, & alter opinionis; poſſe tamen eundem intellectum aſſentire obiecto per vnum aſſenſum, innitendo ſimul motivo infallibili fidei, & motivo opinionis, ſeù probabili, qui aſſenſus eſſet ſimul fidei, & opinionis.

13. Sed contra, quia id multò impoſſibilius eſt: Nam motivum formale fidei, & motivum formale opinionis ſunt motiva formalia ſpecie, immò, & genere diverſa: Ergò non poſſunt ſpecificare eundem actum, vel aſſenſum: Repugnat ergò, quod idem aſſenſus realiter moveatur ex motivo fidei, & ex motivo opinionis. Secundo, quia talis aſſenſus non eſſet opinativus, & eſſet opinativus: Ergò implicat contradictionem. Eſſet quidem opinativus, quia aſſenſus motus ex motivo probabili, ſeù opinativo, in quantum illo innititur, opinativus eſt eſſentialiter : Deindè non eſſet opinativus, quia aſſenſus opinativus conſtituitur eſſentialiter per carentiam, & defectum certitudinis, & per radicalem formidinem, vt ex ſupradictis conſtat: Talis autem aſſenſus re ipſa certus eſſet, quia certificaretur ex motivo fidei : Non ergò careret certitudine, nec fundaret radicalem formidinem : Ergò non eſſet opinativus : Eſſet ergò, & non eſſet opinativus, formidoloſus, & firmus, certus, & incertus; quo nihil repugnantius in eodem aſſenſu excogitari poteſt.

14. Dices forſan cum Durando, quod talis aſſenſus nec eſſet fidei, nec opinionis formaliter, ſed eminenter vtriuſque, quia eſſet aſſenſus eminenter excedens fidem, & opinionem. Sed contra, quia ad hoc opus erat, quod haberet motivum ſuperius, & eminentius ad motivum fidei, & opinionis, ſiquidem actus ſpecificatur, & menſuratur in ſua intrinſeca perfectione ex obiecto formali motivo: Sed implicat, quod ex motivo formali, & infallibili fidei, & motivo probabili opinionis conſletur vnum motivum ſuperius ad motivum formale infallibile fidei: Tum, quia duo motiva formalia nunquam poſſunt facere vnum motivum formale : Tum, quia motivum ex vtroque coaleſcens non eſſet perfectius, ſed imperfectius, quia eſſet fallibile, ea parte, qua importaret motivum probabile: Tum denique, quia motivum probabile nihil poteſt addere perfectionis ad motivum infallibile fidei; non quidem certitudinem quia potius eſt incertum, nec claritatem, quia etiam motivum probabile movet obſcurè, & ſine claritate : Ergò.

15. Secundo reſponderi ſolet probationi principali, quod de ratione aſſenſus opinativi non eſt incertitudo contrariè ſumpta, ſed ſolum incertitudo præciſivè ſumpta, ſeù purè negativè; hoc autem pacto benè poſſe ſimul cum certitudine fidei divinę conciliari aſſenſum probabilem, & incertum, per hoc præciſè, quod talis aſſenſus, in quantum innititur motivo, & medio probabili, non importet certitudinem, ſed ab ea præſcindat, licèt ſubiectum aliundè ſit certum, & ſine formidine de exiſtentia obiecti, nempè per fidem.

16. Sed contra eſt, quia dum ratio communis aſſenſus intellectualis dividitur in aſſenſum certum, & incertum, ſivè in aſſenſum fidei divinę, & opinativum, dividitur per differentias oppoſitas, & contrarias, non autem per differentias conciliabiles, & purè præſcindentes vna ab alia; ſicut cum animal dividitur per rationale, & irrationale, & quodlibet genus per differentias oppoſitas : Ergò certitudo, & incertitudo, quę ſunt differentię aſſenſus certi, & opinativi, non opponuntur purè negativè, aut præciſivè, ſed contrariè. Explicatur : Incertitudo, quę eſt differentia eſſentialis opinionis, aliter excludit certitudinem, ac ratio communis aſſenſus præſcindens à certo, & opinativo, alias nihil adderet rationi communi per modum differentię contradiſtinguentis ab aſſenſu certo : Sed ratio communis aſſenſus ex ſe importat incertitudinem negativam, ſeù præciſivam, id eſt, carentiam negativam, & præciſivam certitudinis, quia ratio communis aſſenſus intellectualis ex ſe non dicit certitudinem, ſed negativè caret certitudine, quatenus eam non dicit eſſentialiter, ſed ab ea præſcindit : Ergò differentia ſpecialis, qua contrahitur ad aſſenſum incertum, & opinativum, excludit certitudinem pluſquam negativè, & præciſivè, id eſt, contrariè, & privativè. Confirmatur; quia, ſi aſſenſus opinativus ex ſe ſolum præciſivè, & negativè excluderet certitudinem, quatenus ex ſe certitudinem non diceret, quamvis illam ſecum permitteret, aſſenſus opinativus non eſſet eſ-

ſen-

ſentialiter contradiſtinctus ab aſſenſu infallibili fidei, aut ſcientię per ſuam incertitudinem, ſed potius maneret, quaſi ratio communis determinabilis per certitudinem, ſiquidem illam repugnanter nõ excluderet, ſed illam ſecum permitteret: Sed hoc evidenter eſt falſum, quia aſſenſus certus, & incertus, infallibilis, & opinativus, ſunt duę ſpecies aſſenſus eſſentialiter contradiſtincti penes certitudinem, & incertitudinem: Ergò.

17. Dices forſan: Aſſenſum opinativum importare, eſſentialiter quidem, carentiã certitudinis, nõ ſolum negativè, aut præciſivè, ſed repugnanter, nempè per repugnantiam certitudinis in ipſo aſſenſu, non per repugnantiam certitudinis in ſubiecto aſſentiente, quę aliundè proveniat: Seù excludere privativè, & repugnanter certitudinem per proprium motivum, ſeù per medium probabile habitam, ſed non per aliud medium infallibile aliundè provenientem ſubiecto. Sed contra, quia ſi ſemèl aſſenſus opinativus importat eſſentialiter carentiam rectitudinis, & repugnantiam certitudinis, non poteſt non inducere in ſubiecto aſſenſus talem repugnantiam, & carentiam, immediatè reddendo ſubiectum privatum certitudine, & certitudini repugnans: Quod ſic oſtenditur, quia aſſenſus opinativus poſitus, ſivè elicitus à ſubiecto nequit non communicare ſubiecto totam ſuam eſſentiam, tam ſecundum quod dicit de poſitivo, quam ſecundum quod dicit de privativo, ſi vtrumquè eſt de eſſentia ipſius, ſi enim non communicaret illi vtrumque, non communicaret illi eſſentiam aſſenſus opinativi, nec differentiam eſſentialem, & conſequenter ſubiectum, nempè intellectus, non redderetur aſſentiens opinativè, ſeù opinativè non aſſentiretur, quia non participaret differentiam eſſentialem adæquatam aſſenſus opinativi: Sed, vt ſupponimus, carentia realis, & privativa certitudinis, ſeù repugnantia illius eſt de eſſentia aſſenſus opinativi, tamquam differentia eſſentialis illius, ſaltèm inadæquata: Ergò aſſenſus opinativus elicitus ab intellectu, implicat, quod illi non communicet talem carentiam privativam, & repugnantiam certitudinis: Ergò neceſſario debet reddere intellectum privatum certitudine, & certitudini repugnantem: Sed implicat ſubiectum reddi repugnans certitudini, & certitudine privatum, & quod ſimul per aliud medium ſit certus de eodem obiecto: Ergò. Probatur hæc minor: Quia implicat, quod ſubiectum idem, adhùc per diſtinctas cauſas, aut per principia diſtincta ſit ſimul informatum aliqua forma, & illa privatum, ſeù illi repugnans: Ergò implicat pariter, quod idem intellectus, adhùc per diſtincta media, ſit certus de exiſtẽtia obiecti, & certitudine privatum circa idem obiectum, ſeù certitudini repugnans.

18. Confirmatur primo: Quia certitudo aſſenſus fidei non ſolum eſt in ipſo aſſenſu, ſed etiam communicatur ſubiecto, redditque ſubiectum ſimpliciter certum de obiecto: Ergò incertitudo aſſenſus opinativi, non ſolum eſt in ipſo aſſenſu, ſed etiam debet communicari ſubiecto, reddendo illud incertum ſimplicuiter de obiecto: Sed implicat ſubiectum eſſe ſimpliciter certum, & ſimpliciter incertum de eodem obiecto, quamvis hoc excogitetur per diverſa media: Ergò. Confirmatur ſecundo: Quia aſſenſus opinativus, ſeù incertus, debet inducere in ſubiecto carentiam certitudinis, cuius ſubiectum ſit capax, nempè carentiam privativam, & accidentalem, quam ſubiectum ex ſe non præhabeat eſſentialiter; ſicut aſſenſus certus debet inducere certitudinem accidentalem ſubiecto, quam ſubiectum ex ſe non habeat, ſiquidem ſubiectum, nempè intellectus, comparatur ad certitudinem, & incertitudinem, cum indifferentia, tanquam ad formam, & carentiam ipſius accidentales: Sed carentia certitudinis per medium probabile non eſt accidentalis, nec privativa reſpectu ſubiecti, quia eſt carentia certitudinis impoſsibilis, impoſsibilis enim eſt certitudo per medium probabile; carentia autem certitudinis impoſsibilis, non eſt accidentalis, nec privativa, quia carentia accidentalis, & privativa eſt eſſentialiter carentia formę poſsibilis ſubiecto, id eſt, cuius ſubiectum ſit capax, carentia enim formę impoſsibilis ſubiecto eſt carentia eſſentialis, & neceſſaria, & purè negativa, ſicut carentia diſcurſus in bruto: Ergò aſſenſus opinativus inducit in ſubiecto carentiam certitudinis per medium certum, ſeù infallibile, quia inducit carentiam certitudinis poſsibilis, & non eſt poſsibilis alia certitudo, quam per medium certum, ſeù infallibile.

19. Denique, quia aſſenſus opinativus inducit formidinem de veritate obiecti: Sed implicat formido de veritate obiecti, ſi ſemèl intellectus ſit certus, & ſecurus de tali veritate per medium infallibile fidei: Ergò.

20. Dices, inducere quidem formidinem radicalem, aut fundamentalem, non tamen opus eſſe, quod inducat formidinem actualem: ſolum autem formidinem actualem eſſe incompatibilem cum certitudine fidei. Sed contra eſt, quia etiam formido radicalis, & fundamentalis aſſenſus opinativi eſt formaliter incompatibilis cum certitudine fidei: Ergò. Probatur an-

antecedens: Quia formido radicalis, ſeù fundamentalis aſſenſus opinativi, eſt fundamentum & radix formidandi deliberatè, & prudenter, de falſitate obiecti, ſeu de eo, quod obiectum aliter ſe habeat, ſiquidem fundatur in exiſtimatione reflexa, qua intellectus exiſtimat obiectum poſſe aliter ſe habere; ſed cum certitudine fidei de veritate obiecti non ſtat fundamentum, nec radix prudenter, & deliberate formidandi ne obiectum aliter ſe habeat, nam per talem formidinem deliberatam excluderetur firmitas eſſentialis fidei, & non eſſet talis formido prudens, ſed imprudens: Ergò cum certitudine fidei non ſtat formido radicalis, aut fundamentalis aſſenſus opinativi.

21. Secundo probatur noſtra concluſio ratione fundamentali: Quia intellectus nequit ſimul moveri ad aſſenſum eiuſdem obiecti ex motivo probabili, & ex motivo infallibili fidei divinę: Ergò non poteſt ſimul aſſentire per opinionem, & per fidem divinam eidem obiecto. Antecedens probatur: Quia in conſpectu motivi certificantis omninò intellectum de obiecto nullam vim movendi poteſt exercere motivum purè probabile, & incertum in eodem intellectu reſpectu eiuſdem obiecti: Ergò non poteſt intellectus ſimul moveri ab vtroque. Probatur antecedens. Primo: Quia, vt infià videbimus, in conſpectu motivi evidentis, & convincentis intellectum non habet vim movẽdi exercitè motivum obſcurum ex ſe non convincens: Ergò in conſpectu motivi omninò certificantis non habet vim exercitè movendi motivum incertum, & purè probabile. Secundo: Quia in conſpectu motivi ſuperioris, & efficacioris motivum inferius, & minoris efficacię non poteſt exercere ſuam vim motivam, vt patet in motu phyſico, nam ſi corpus aliquod phyſicè moveatur ab impulſu aliquo vehementiori, & efficaciori, impulſus tenuis, & inefficax nihil exercitè movet, & calor vt quatuor, nihil agit in paſſo calefacto vt octo ab igne, quia videlicèt, ſi agens non agit in ſibi ſimile, multo minus aget in paſſo, vel ſubiecto perfectius iam moto, & informato: Ergò in intellectu ſummè, & omninò certificato, nullam vim exercere poteris motivum incertum, & purè probabile.

SOLVUNTUR OBIECTA.

22. OBIJCIES primo ex D. Thom. 1. 2. *quæſt. 67. articul. 3. in corp.* vbi ſic ait: *Impoſſibile eſt, quod cognitio perfecta, & imperfecta ex parto medij conveniant in vno medio: Sed nihil prohibet, quod conveniant in vno ſubiecto: Poteſt enim vnus homo cognoſcere eandem concluſionem per medium probabile, & demonſtrativum*: Sed cognitio imperfecta per medium probabile, eſt formaliter opinio, & cognitio perfecta per medium demonſtrativum eſt certa ſcientia: Ergò certa ſcientia, ſeù certitudo ſcientię poteſt, iuxta D. Thom. cum opinione convenire in eodem ſubiecto, & reſpectu eiuſdem obiecti, licèt per diverſum medium. Confirmatur ex ipſo, *qui 3. part. quæſt. 9. articul. 3. ad 2.* ſic ait: *Opinio ex ſyllogiſmo dialectico cauſata eſt via ad ſcientiam, quę per demonſtrationem acquiritur, qua tamen acquiſita, poteſt remanere cognitio, quę eſt per ſyllogiſmum dialecticum*: Sed hæc eſt opinio, ſeù aſſenſus opinativus: Ergò cum certitudine ſcientię, & conſequenter cum certitudine fidei poteſt manere aſſenſus opinativus.

23. Huic obiectioni duplex inter Thomiſtas circunfertur ſolutio. Prima eſt Caietani, Complutenſium, & aliorum, qui aiunt non eſſe idem motivum, ſeù medium probabile, ac opinativum, nec eſſe idem aſſenſum probabilem, ac aſſenſus opinativus, quia medium, & aſſenſus opinativus connotat eſſentialiter formidinem ex parte ſubiecti, at medium, & aſſenſus probabilis præſcindit ab eo, quod detur talis formido ex parte obiecti, & poteſt dari ſine formidine: Vndè, inquiunt, quod D. Thom. ſolum conciliavit cum certitudine ſcientię aſſenſum probabilem per medium probabile, non tamen aſſenſum opinativum per medium opinionis.

24. Verumtamen hæc ſolutio communiter diſplicet, quia aſſenſus ille probabilis per medium probabile nequit eſſe intrinſecè certus: Ergò erit intrinſecè incertus: Ergò debet reddere intellectum intrinſecè incertum de obiecto: Sed hoc ex dictis non componitur cum certitudine ſcientię: Ergò. Secundo: Quia inter Philoſophos non admittitur medium inter aſſenſum certum, & incertum, inter firmum, & formidoloſum, nec inter aſſenſum certum, & opinativum vllus aſsignavit tertiam ſpeciem aſſenſus, qui nec ſit certus, nec opinionis: Ergò cum talis aſſenſus per medium probabile non ſit certus, nec intrinſecè firmus, erit intrinſecè incertus, & formidoloſus, & cum non ſit ſcientię, nec fidei, erit opinionis, ſeù opinativus. Tertio: Quia ſi talis aſſenſus, vt inquit ſolutio, præſcindit à formidine: Ergò nec illam excludit ex ſe, nec illam exigit, ſed poteſt cohærere cum certitudine, & cum formidine: Ergò poterit tranſire de certo in formidoloſum, vel erit indifferens vt ſit, vel non ſit opinativus, quia ſi coniungatur cum formidine, erit opinativus, ſi cum certitudine, ſolum probabilis: Sed hoc dici nequit,

quit: Tum, quia idem aſſenſus non poteſt eſſe indifferenter iam opinativus, iam non opinativus: Tum etiam, quia alias, iam aſſenſus opinativus, quoad totam ſuam ſpeciem, componeretur cum certitudine ſcientię, licèt amitteret denominationem opinativi, ſeù opinionis, quod ferè nihil facit ad rem; & libenter dabitur à contrarijs: Ergò. Tertio: Quia motivum probabile movere nequit exercitè in cõſpectu motivi infallibiliter certificant, vt oſtenſum manet: Ergò nec motivum probabile, nec aſſenſus probabilis exercitus per medium probabile cohærere poteſt cum certitudine ſcientię.

25. Nec valet explicare dictam ſolutionem cum PP. Salm. *in præſenti*, *num.* 140. Dicendo, quod licèt non poſsint cohærere duo aſſenſus diſtincti, vnus per medium probabile, alius per medium demonſtrativum, poteſt tamen dari vnus aſſenſus, qui ex primaria ſpecie ſit ſcientificus, & per medium demonſtrativum, & ſecundum quandam extenſionem, & ſecundario probabilis, & per medium probabile. Contra enim eſt, quia implicat aſſenſum eundem moveri ex duplici motivo diſtincto, nempè ex vno evidenti, & alio probabili; nam cum motivum aſſentiendi det ſpeciem eſſentialem, & primariam actui, haberet actus duplicem ſpeciem primariam, & eſſentialem, quod apertè repugnat: Ergò. Explicatur: Nam licèt poſsit idem actus habere duplex obiectum terminativum, vnum primarium, & aliud ſecundarium, quia videlicèt ſecundarium non ſpecificat, nec multiplicat ſpeciem actus; at obiectum motivum formale ſemper ſpecificat, & conſequenter implicat quod actus habeat duplex motivum formale aſſentiendi, niſi ſit duplex actus ſpecificè. Nec eſt intelligibile, quod medium probabile ſit motivum formale, & ſit motivum ſecundarium, quia motivum formale aſſentiendi eſt ratio formalis *ſub qua*, ſeù obiectum formale *quo*, quod nullus diſtinxit in primarium, & ſecundarium, quia nemo dixit eundem actum poſſe habere duas rationes formales *ſub qua*, nec duplex obiectum formale *quo*: Nec item debet admitti, quod idem actus habeat duplicem ſpeciem, vnam primariam, & aliam ſecundariam, alias haberet duplicem eſſentiam, vnam primariam, & aliam ſecundariam, quod etiam eſt impoſsibile: Ergò implicat, quod idem aſſenſus ſit ſimul ſcientificus, & probabilis, per medium demonſtrativum, & etiam exercitè per medium probabile. Rurſus, quia medium probabile nequit movere exercitè ad aſſenſum in conſpectu medij demonſtrativi evidentis, vt ſatis oſtenſum manet, & amplius infrà conſtabit, dum probabitur nec motivum fidei poſſe movere exercitè in conſpectu motivi evidentis: Ergò non poteſt vtrumque motivum concurrere exercitè in eodem actu.

26. Præterquam, quod Div. Thom. loquitur in Textu obiecto de vtroque aſſenſu, tanquam de duplici cognitione, & non tanquam de vna; ait enim: *Impoſsibile eſt, quod cognitio perfecta, & imperfecta ex parte medij conveniant in vno medio; ſed nihil prohibet, quod conveniant in vno ſubiecto*: Ergò, ſi probat aliquid, probat duplicem cognitionem, ſeù duplicem actum, & non vnum per diverſa media. Reſpondent Salm. hoc rectè exponi, quia prædictus aſſenſus eſt modaliter multiplex, eſtque perfectus ex ſua ſpecie abſolutè ex medio demonſtrativo, & ſimul imperfectus ex vi motivi probabilis, ad quod ſecundario ſe extendit. Quod indicaſſe Div. Thom. probant, ex eo, quod 1. *part. quæſt.* 58. *artic.* 7. *ad* 3. ſic ait: *Nec iterum, quod aliquid cognoſcatur per duo media, quorum vnum eſt perfectius, & aliud imperfectius, aliquid repugnans habet. Sicut ad eandem concluſionem habere poſſumus, & medium demonſtrativum, & dialecticum.* Et *quæſt.* 62. *art.* 7. *ad* 3. inquit: *Nihil prohibet ſimul aliquid cognoſcere per diverſa media, ſicut ſimul poteſt aliquid cognoſci per medium probabile, & demonſtrativum.* Quibus locis, cum multiplicet media, non multiplicat cognitionem.

27. Sed contra eſt, quia ſi aſſenſus ille exercitè innititur, & movetur ex medio probabili, non eſt ratio, quarè probabilitas ſit ſolum modus illius aſſenſus, & evidentia ſit de eſſentia eius, quia talis aſſenſus ęquè exercitè movetur, & innititur motivo probabili, ac motivo evidenti: Ergò ſuppoſito, quod exercitè, & formaliter moveatur ex vtroque motivo, purè voluntariè dicitur talem aſſenſum ſolum modaliter eſſe imperfectum, ſeù probabilem. Secundo, quia dicere, quod *eſt imperfectus ex vi motivi probabilis, ad quod ſecundario ſe extendit*; eſt confundere obiectum motivum cum terminativo; obiectum enim terminativũ, benè poteſt eſſe ſecundarium, ſeù ad quod aſſenſus ſecundario ſe extendat; at obiectum motivum vt tale non eſt, ad quod aſſenſus ſe extendit, nec primario, nec ſecundario, quia non eſt ad quod intellectus tendit, ſed ex quo movetur, vt tendat: Et licèt aliquando intellectus tendat ad obiectum motivum, hoc ideò eſt, quia eſt etiam terminativum, in quantum ad illud tendit; & ſub formalitate terminativi eſt id, ad quod intellectus tendit, vel ſe extendit; ſed ſub formalitate motivi non eſt ad quod intellectus tendit, aut ſe extendit, & ideò idem actus ſpecificè poteſt, quidem

ti : Ergò. Confirmatur,nam poteſt eadem voluntas ſimul amare idem obiectum actu neceſſario,& actu libero, nam voluntas Chriſti ſimul amavit Deum amore neceſſariò,& amore libero, vt tradunt plures Thomiſtę, in 3. *part.* Ergò poteſt etiam idem intellectus aſſentire eidem obiecto ſimul per aſſenſum certum, & incertum. Secundò, quia non repugnant ſimul gaudium, & triſticia circa idem obiectum, in eodem ſubiecto : Sed magis opponuntur gaudium,& triſtitia, quam certitudo, & incertitudo : Ergò melius conciliari poterunt in eodem intellectu. Tertio, quia magis opponunt iudicia de obiectis contradictorijs, quam aſſenſus certus, & incertus eiuſdem obiecti : Sed per diverſa media rectè cohærent in eodem intellectu iudicia de obiectis contradictorijs,nam ex cauſis naturalibus poteſt quis iudicare : *Iſte morietur*, & tamen per revelationem poteſt iudicare : *Iſte ſanabitur*, vt cum Deus prædixit Ezecquię : *Morieris, & non vives*, & tamen ſciebat, quod re ipſa non moriturus erat ; quia videlicet primum prædicebat, attentis cauſis naturalibus, ſecundum verò ex vi miraculi : Ergò multò melius cohærere poſſunt in eodem intellectu, aſſenſus certus, & incertus de eodem obiecto, ſi ſint per diverſa media.

31. Reſpondeo, in primis hoc argumentum nimis probare, ſi enim paritas voluntatis teneret, ſequeretur, quod ſicut voluntas poteſt ſimul ex diverſis motivis velle efficaciter aliquid, & inefficaciter oppoſitum,ita poſſet intellectus evidenter, & certo iudicare vnū, & opinativè iudicare oppoſitum; quod omnes negant, quia cum evidentia vnius, nemo conciliat opinionem de contrario in eodem intellectu. Item ſequeretur, quod ſicut gaudium, & triſticia ex diverſis motivis conciliantur in eadem voluntate, ita conciliari poſſent aſſenſus,& diſſenſus eiuſdem obiecti in eodem intellectu; quod nemo concedit.

32. Deindè, diſtinguo maiorem; Ita ſe habent intellectu aſſenſus certus,& incertus,ſicut in voluntate volitio efficax, & inefficax,ſi ſervetur paritas in identitate obiecti,concedo : Si hæc non ſervetur, nego maiorem:Et diſtinguo minorem : Poteſt in eadem voluntate dari volitio efficax, & inefficax reſpectu eiuſdem obiecti identicè,& in eſſe rei eiuſdem, transeat : Reſpectu eiuſdem obiecti, formaliter eiuſdem, nego minorem,& conſequentiam. Ad probationem minoris, dico, quod voluntas inefficax Dei de ſalute Div. Petri, & cuiuſvis alterius hominis habet diſtinctum obiectum, non ſolum motivum, immò fortè motivum eſt idem ; ſed diſtinctum obiectum terminativum, ſiquidem voluntas inefficax, & antecedens, terminatur per ſe ad ſalutē omnium in genere, vt conſequibilem in actu primo per media ſufficientia omnibus hominibus conferenda : At obiectum terminativum voluntatis efficacis eſt ſalus determinati individui in ſingulari vt efficaciter, & in actu ſecundo aſſequenda per media efficacia : Quę quidem diſtinctio,non eſt diſtinctio ex obiecto motivo voluntatis divinę, ſed in obiecto terminativo *quod* : At, ſi intellectus ex vi vnius medij aſſentiret evidenter vni obiecto,v. g. quod anima rationalis eſt immortalis, & ex vi alterius exercitè moventis iudicaret idem purè probabiliter,nulla eſſet diſtinctio in obiecto terminativo, ſeù *quod*, ſed ſolum in obiecto motivo, terminativum autem eſſet omninò idem : Implicat autem circa idem omninò obiectum terminativum certitudo, & incertitudo, vt oſtenſum manet. Si autem ponatur aſſenſus certus circa obiectum in ſe ipſo, & incertus circa obiectum, vt ſignatè illatum ex medio probabili, ita vt illatio ex medio probabili ſit ſignatè cognita, & terminativè ab actu, ſed non exercita, tunc obiectum hoc eſt terminativè diſtinctum ab obiecto aſſenſus evidentis, & currit paritas; ſed in hoc ſenſu iam etiam conciliamus aſſenſum per medium evidens, & per medium probabile ſignatè attactum. Ex quo

33. Ad confirmationem, nego antecedens : Quia,vt forſan ſuo loco dicemus, amor liber Chriſti non terminatur vt *quod* ad bonitatem divinam neceſſariò ab ipſo amatam, ſed ſolum ex illa movetur, & illam attingit motivè, non verò terminativè, nam licèt ipſa moveat, movet quidem ad neceſſarium amorem ſui, & ad liberum amorem creaturarum, vndè ſolum eſt obiectum motivum amoris liberi, vt liberi,ſed non terminativum, niſi amoris neceſſarij, vt neceſſarij, vndè non ſequitur quod circa idem obiectum terminativum detur ſimul amor liber, & neceſſarius. Ad ſecundam ſimiliter dico, quod gaudium,& triſticia circa idem omninò terminativum obiectum repugnant; in Chriſto autem non fuerunt circa idem omninò terminativum obiectum : Quia triſtitia fuit de morte vt mala naturę, gaudium verò fuit de morte vt bona ad Redemptionem generis humani : Mors autem vt ſic bona, & vt ſic mala, non ſolū motivè, ſed etiam terminativè diſtinguuntur, ſiquidem ſunt obiecta terminativa diverſa:At in noſtro caſu ſupponimus obiectum terminativum fore idem omninò terminativè: Vndè non currit paritas. Ex quo ad tertiam, conceſſa maiori, nego minorem, quia vel media diverſa ſumuntur ſolum motivè ad ean-

reſpectu fidelium non poſſint eſſe motivum exercitum aſſentiendi, ſunt tamen medium explicativum, & declarativum illarum veritatum, ſeù myſteriorum; quo debent Theologi ſæpè vti ad explicandam materiam fidei fidelibus ipſis, licèt motivum formale illam credendi ſolum ſit divinum teſtimonium infallibile: Sæpè enim fidelis firmiter credunt, ſed explicitè neſciunt quod ſit hoc quod credunt, & tunc rationibus probabilibus explicatur à Theologis materia fidei ab ipſis credita, vt illam credant explicitè.

DVO COROLLARIA EX dictis.

36 EX dictis infertur, quid ſit dicendum de habitu fidei comparato cum habitu opinionis, & contra: Itemque de habitu fidei comparato cum actu opinionis, & de habitu opinionis comparato cum actu fidei. Dico enim primo, quod habitus fidei eſt inconiungibilis cum habitu opinionis circa idem obiectum, in eodem intellectu, ſi loquamur de habitu per modum habitus, non tamen loquendo de habitu per modum diſpoſitionis. Primum patet, quia implicat eundem intellectum eſſe ſimul habitualiter inclinatum ad actus contrarios, & incompoſsibiles: Sed, ſi coniungerentur ſimul in eodem intellectu habitus ſcientiæ, & opinionis per modum habitus, reſpectu eiuſdem obiecti, talis intellectus eſſet ſimul habitualiter inclinatus ad actus contrarios, & incompatibiles, nempè ad actum fidei, & opinionis circa idem obiectum, qui ſunt actus incompoſsibiles vt ex dictis conſtat: Ergò tales habitus non poſſunt coniungi in eodem intellectu circa idē obiectum. Maior patet, quia licèt vnicum ſubiectum poſſit eſſe habitualiter, & permanenter inclinatum ad vnum, & tranſeunter ad oppoſitum, vt contingit in la pide, dum movetur à proijciente ſurſum, quia ex vna parte inclinatur habitualiter deorſum, & alia actualiter, & tranſeunter ſurſum; tamen ſimul habitualiter, & permanenter inclinari ad oppoſitos actus vel terminos omninò repugnat. Deindè minor etiam patet, quia habitus non poteſt exiſtere, in intellectu per modum habitus, niſi inclinando habitualiter ipſum: Quia inclinare habitualiter, & permanenter intellectum eſt proprius effectus formalis habitus per modum habitus: Ergò ſi coniungerentur in eodem intellectu per modum habitus, talis intellectus maneret habitualiter inclinatus ad actum ſcientiæ, & ad actum opinionis circa idem obiectum, qui ſunt actus oppoſiti.

37. Dico ſecundo: Poſſunt coniungi habitus fidei, cum actu opinionis circa idem obiectum, & contra, actus fidei cum habitu opinionis, ſi actus fidei non afferat ſecum habitum ipſum fidei. Vtrunque patet, quia actus non opponitur cum habitu immediatè, & formaliter, ſed ſolum illativè ſi inferat habitum habitui contrarium, nam oppoſitio formalis, & directa ſolum eſt inter actum, & actum, vel inter habitum, & habitum: Ergò ſi actus fidei non afferat ſecum habitum per ſe non eſt inconiungibilis cum habitu opinionis, & contra, idem eſt dicendum de actu opinionis, ſi non generet habitum. Veruntamen facilius exiſtimo, quod actus opinionis poſſit non generare habitum, quam quod actus fidei habitum non afferat ſecum: Ratio eſt, quia actus fidei certificat immobiliter ac firmiter intellectum de obiecto, & ideò exigere videtur ex natura rei quod intellectus moneat permanenter, & habitualiter firmus in ea veritate, quam ſemel credidit, vndè licèt creditio actualis non generet habitum fidei, quia habitus fidei eſt infuſus, tamen eſt ita vltima diſpoſitio ad ipſum, quod ſaltem ex natura rei illum ſecum affert, ſicut actus ſpei habitum ſpei, & actus charitatis habitum charitatis, at actus opinionis, eo ipſo quod formidoloſus eſt, & non firmus, non videtur exigere ex natura rei, quod ſemel elicitus generet habitum, ſed veroſimilius eſt, quod debeat iterari pluries, vt habitum generet; mirum enim eſſet, quod quęlibet exiſtimatio, vel opinio de qualibet re generaret, & relinqueret habitualiter converſum intellectum ad illam rem, vndè facilius componerem actum opinionis cum habitu fidei circa idem obiectum, quam actum fidei cum habitu opinionis, quia actus fidei ex natura rei affert habitum. Et item, quia quamvis aliquis ſit habitualiter certus de aliquo obiecto per fidem, poteſt tamen actu non repræſentari intellectui motivum fidei, ſed ſolum aliud motivum probabile, quo in caſu videtur nullum eſſe impedimentum, quo minus intellectus moveatur ex motivo probabili ad aſſenſum illius obiecti, & de facto aſſentiatur opinativè illi, quia in primis non eſt impedimentum ex parte obiecti, quia obiectum fidei non repræsētatur pro nūc; denique nec ex parte ſubiecti, quia hoc aliud eſſe nequit, niſi habitus fidei, licèt autem aſſenſus opinativus tunc ſit contra inclinationem habitualem fidei, benè poteſt coniungi motus actualis contra inclinationem habitualem, vt patet cum lapis movetur ſurſum, & cum aqua calefit.

 38. Et

38. Er ex his patet ſolutio ad ea, quę ſolent obijci in contra:Obijcitur enim primo, contra primum corolarium : Habitus fidei, & habitus npinionis non opponuntur privativè, aut contradictoriè, ſed ſolum contrariè : Sed quę contrariè tantum opponuntur poſſunt, ſaltèm divinitus, coniungi in eodem ſubiecto;immò, & naturaliter, ſi ſint in gradibus remiſsis, vt calor, & frigus : Ergò. Reſpondeo, maiorem implicare contradictionem, quia implicat oppoſitio contraria, quę non involbat contradictoriam, & privativam, vt ſatis efficaciter monſtravi in Metaph. *quæſt.* 27. quia ex formis contrarijs vna debet eſſentialiter impottare privationem, & carentiam alterius. Deindè etiam nego minorem, quia vt ibidem, *quæſt.* 28. propugnavi, duę formę contrarię in eo gradu, in quo opponuntur, nec divinitus poſſunt coniungi in eodem ſubiecto: Calor autem, & frigus in gradibus remiſsis non opponuntur, vt ibidem dixi *numer.* 1. ſicut nec habitus fidei, & opinionis reſpectu diverſorum obiectorum: At reſpectu eiuſdem obiecti opponuntut manifeſtè, non penes magis, & minus, ſed eſſentialiter;quia eſſentialiter inclinant in actus oppoſitos, independenter à magis, vel minus intenſionis. Præterquam quod loquimur de habitu quoad ſtatum habitus ; quo pacto debet dominari ſubiecto, & quaſi ipſum permanénter poſsidere, quod quidem repugnat ex terminis, ſi ſimul ſubiectum afficiatur inelinatione habituali in cōtra etiam prædominante, & poſsidente : Quando autem duę qualitates contrarię concurrunt in eodem ſubiecto, vna in gradu intenſo, & alia in remiſſo, vel vtraque in gradu remiſſo, non verificatur, quod vtraque prædominetur ſubiecto, ſed ſolum vna; altera autem eſt ſolum per modum diſpoſitionis, non verò per modum habitus permanentis.

39. Obijcitur ſecundo : Quia ſi aliquis habens habitum fidei circa aliquod myſterium, eliciat aſſenſum probabilem circa illud, vt admittimus poſsibile, & compoſsibile, per talem aſſenſum, ſaltem ſi illum repetat, generabit habitum : Non alium niſi opinionis : Ergò conciliabitur habitus opinionis cum habitu fidei circa idem obiectum. Confirmatur : Quia ſi habenti habitum opinionis infundatur habitus fidei, non ſtatim deſtruitur penitus in illo habitus opinionis præexiſtens, tum quia manet promptitudo, & facilitas, vel ſaltèm aliqua inclinatio ad eoſdem aſſenſus opinativos. Tum quia motiva probabilia, æquè poſſunt proponi poſteà ac antea:Tum demum, quia cum homini antea vitioſo, per iuſtificationem infunduntur virtutes morales, non ſtatim deſtruuntur vitia, quia iuſtificatus ſe ipsũ experitur propenſum ad actus vitioſos, & indiget poſteà lucta, & labore diuturno ad vitia extirpanda : Ergò adhuc infuſo habitu fidei, remanet habitus opinionis.

20. Reſpondeo, negando maiorem ; quia, licèt ille aſſenſus ex ſe habeat vim generandi habitum, in illo ſubiecto habitum non generat, quia illud invenit præoccupatum habitu, & inclinatione oppoſita. Ad confirmationem, diſtinguo antecedens : Non ſtatim deſtruitur in illo habitus opinionis præexiſtens, in ratione habitus, ſeù quoad ſtatum, nego antecedens : Quoad entitatem, & per modum diſpoſsitionis, concedo antecedens. Hoc enim, & non amplius colligitur ex probationibus, nam ſi manet in illo propenſio, ſeù promptitudo aliqua ad aſſenſus opinativos, manet ſolum per modum diſpoſsitionis, & quaſi in corrumpi, non verò per modum habitus, & permanenter. Item, quod manent motiva probabilia, nihil probat, quia reſpectu illorum ſubiectum non manet iam facilè mobilis ab illis, ſed difficulter, propter habitum fidei habitualiter repugnantem tali motioni. Item ad paritatem de vitijs, communiter dicitur, quod manent vitia, poſt infuſas virtutures, non quidem in eſſe habitus, & vitij, ſed ſolum per modum diſpoſsitionis, & in corrumpi.

(.˙.) (.˙.) (.˙.)

DIS-

DISPUTATIO III.

DE REGVLA VISSIBILI FIDEI theologicæ.

AD infallibilitatem fidei cognoſcendam plurimùm iuvat diſputatio iſta, in qua oſtenditur, fidem theologicam, non ſolum inniti motivo eſſentialiter infallibili, infallibiliter interius propoſito per lumen ſpiritus Sãcti, ſed etiam vt infallibiliter propoſito exterius, & ſenſibiliter per regulam viſibilem infallibilem: Ideoque eam ſubnectimus immediatè diſputationi præcedenti, in qua de fidei certitudine, & infallibilitate actum eſt. In ea tamen brevius ſolito procedam, quia plura continet dogmatica, quæ, ſi pro meritis tractanda forent diffuſè, plura occuparent volumina; ſolum ergò compendio pleraſque quæſtiones diſſolvam, vt de illis aliqualem notitiam Scholaſticis Theologis ſubminiſtrare poſſim; nec enim decet Theologum, etſi purè ſcholaſticum, hæc penitus ignorare. Sit ergò.

QUÆSTIO I.

AN SIT NECESSARIA IN Eccleſia regula viſibilis infallibilis credendorum?

1\. INTELLIGIMVS pro regula viſibili infallibili, non divinum teſtimoniũ, aut revelationẽ divinam, quia licèt hæc ſit infallibilis, non tamen eſt per ſe viſibilis, aut ſenſibilis, ſed medio proponente ipſam; & licèt ſit regula fidei, per modum quo motivum formale eſt formalis regula, & menſura cuiuſvis virtutis, nunc tamen ſpecialiter loquimur de regula per modum proponentis, & manifeſtantis motivum formale fidei; nam de ipſo motivo iam ſupra actum eſt. Item intelligimus regulam, quę ita infallibiliter proponat, vt ei falſum ſubeſſe nunquam poſſit, vndè debet habere authoritatem permanentem, & infallibilem in applicando, & proponendo res credendas. Intelligimus etiam regulam, quę ſit vniverſalis pro omnibus fidelibus. Vndè.

2\. Supponendum eſt contra Suarez, non eſſe neceſſarium, quod proxima, & particularis regula credendorum reſpectu cuiuſque fidelis ſit infallibilis in proponendo. Patet, quia proximus proponens particulariter, ſæpè eſt Parrochus, qui falli poteſt, vel fallere in proponendis rebus fidei: Et quamvis eſſet Magiſter Doctus, & ſapientiſsimus, immò Concilium integrum Provinciale, non habet infallibilem aſsiſtẽtiam Spiritus Sancti, vt errare non poſsit; in Concilio enim Cartaginenſi, cui præfuit D. Cyprianus cum Epiſcopis pluſquam triginta, definitum eſt, Baptizatos ab Epiſcopo Hæretico, rebaptizandos eſſe; quod tamen poſtea

teà relectum fuit ab Eccleſia vt error contra fidem : Non ergò proximum proponens , & applicans motivum fidei , habet infallibilem aſsiſtentiam Spiritus Sancti; nec eſt infallibilis regula in proponendis rebus fidei : Immò nec admitto, quod infallibiliter ſit prudens in proponendo, nam quando proponit falſam doctrinam, prudenter non proponit. Sed inquies : Quare prudenter non proponeret Cætus ille Epiſcoporum Concilij Cartaginenſis? Reſpondeo, quod ſolum proponeret prudenter prudentia exiſtimata ; ſed non re ipſa , quia proponeret cum ignorantia, & cum errore ; propoſitio autem ignorans, & erronea, in eo in quo errat, & ignorat, implicat quod ſit re ipſa prudens. Videè ſupra *diſp. 1. quæſt. 9. numer. 26. & à num. 20.* Hoc ergò ſuppoſito.

3. Dico primo : *Eſſe neceſſariam in Eccleſia regulam aliquam univerſalem , & infallibilem omninò, cui omnes ſumma certitudine credere teneantur , & ad cuius normam debeant regulari Prædicatores fidei, & Eccleſię Doctores, vt doctrinam fidei debitè , & cum veritate proponant.* Hec concluſio eſt de fide, ſatiſque definita à Concil. Trid, *ſeſſ.* 4. in qua regulam iſtam proponit, & explicat, tota illa Seſsione. Et conſtat primo, quia licèt, inter nos , & hæreticos ſit diſſenſio circa determinationem huius regulę , in quo nempè ſita ſit, tamen nullus , adhuc ex hæreticis, negat dari, eſſeque neceſſariam in Eccleſia aliquam regulam infallibilem , ſaltèm Scripturam ſacram. Vndè, ſi aliquis ita perfidus eſſet, quod nullam authoritatem infallibilem admitteret , iſte non Chriſtianus, non hæreticus, nec vllo modo pertinens eſſet ad Eccleſiam, ſed Paganus, vel Atheiſta : Ergò intra Eccleſiam neceſſariò eſt talis regula admittenda. Secundo, quia fides Catholica in Eccleſia perpetua eſt , & indefectibilis vſque ad conſumationem ſeculi, dicente Chriſto Math. 16. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portę inferi non prævalebunt adverſus eam* : Item vna eſt , & erit, teſte Div. Paulo ad Epheſ. 4. dicente , *vnum Baptiſma , & vna fides* : Sed hæc fides non poteſt eſſe in ſua vnitate , & ſimplicitate perpetua vſque ad conſumationem ſeculi , niſi detur regula infallibilis vniverſalis toti Eccleſię , omnibuſque Fidelibus, cui omnes debeant cõformari in docendo, & credendo res fidei , nam apertè implicat quod omnes in credendo res fidei conveniant , & vniformentur indefectibiliter , niſi adſit aliqua regula omnibus propoſita modo explicato : Ergò.

4. Explicatur: Quia niſi adſit talis regula vniverſalis, & infallibilis , neceſſariò regulanda erit fides per plures regulas particulares non ſubordinatas vni certę : Vel ergò tales regulę eſſent vniuſcuiuſque iudicium ; & hoc ſtultiſsimum videtur, nam ſanè hominibus vulgi, & quibuſvis popularibus , non aſsignare aliam regulam credendi , niſi ſuum proprium iudicium , eſſet reddere fidem incertiſsimam, immò excludere neceſsitatem. Parrochorum, Doctorum, & Magiſtrorum, & vnumquemque idiotam in rebus divinis credendis facere ſui ipſius Doctorem, & Magiſtrum ; quo nihil ſtultius excogitari poteſt. Si verò dicatur, tales regulas particulares , eſſe particulares Doctores, & Magiſtros, ita vt quilibet populus, vel Provincia ſibi proponat pro regula credendi particularem Magiſtrum, vel Doctorem , ſine ſubordinatione ad alium : Ergò tunc tot eſſent fides, & tot Eccleſiæ , quot illi Doctores ; & conſequenter non eſſet vna Eccleſia , nec vna fides. Sequela iſta probatur , primo , quia illi Doctores non haberent in ſe inſeparabilem vnitatem, quia cum in proponendis rebus fidei non ſubordinarentur ad invicem, nec vni tertio, impoſſibile eſt, quod conſtanter ſervarent vnitatem, & concordiam, ſed ſæpiſsimè, & in multis diſſiderent , cum non haberent vnam regulam communem cui conformari tenerentur : Diſſidentibus autem illis, qui eſſent veluti Capita, & Principes primi ſuarum Eccleſiarum, & doctrinarum, neceſſariò Eccleſię ipſę deſsiderent , & non haberent vnitatem in fide , ſed fides vnius eſſet diverſa , & contraria fidei alterius : Eſſet ergò fides fidelium , non vna, ſed multiplex ; & ſimiliter Eccleſia : Eſſetque plures Eccleſię , ſicut ſunt inter Chatolicos plures Scholę, nempè Thomiſtica , Ieſuitica, Scotica , &c. Ex quo vlterius ſequeretur, illarum fidem non fore omninò certam, & infallibilem, immò nec propriè fidem, ſed puram opinionem incertam, & fallibilem, ſicut ſunt doctrinę , in quibus Scholę diverſę differũt: Nam ſanè omnes illę Eccleſię diſſidentes, & in pluribus articulis ſe contradicentes, non poſſent verum tenere , ſed opus eſſet, quod ſi vna verum crederet , altera contradicens falleretur ; & tandem periret , non ſolum vnitas, ſed certitudo fidei , eiuſque firmitas: Sed hoc eſt abſurdiſsimum , nam fides iuxta Apoſtolum eſt fundamentum ſperandarum rerum; & quod maius abſurdum , quam ponere, quod tale fundamentum incertum ſit , & ſine vlla firmitate, & ſecuritate? Ergò. Confirmatur: Quia pro fide Catholica quiſque debet eſſe paratus mori , vti pro illa mortui ſunt innumeri Martyres Chriſti : At, ſi fides eſſet ita incerta, quod ſolum inniteretur regulis illis particularibus fallibilibus, & inter ſe plerumque diſsidentibus , ſtultum foret pro illius veritate vitam ex

po-

Digitized by Google

ponere, vt per ſe patet : Ergò. Sed de his amplius infra.

5. Sed dices : Sufficit ad fidem revelatio divina, & ſufficiens illius intimatio : Ergò non requiritur regula illa vniverſalis. Nego conſequentiam, quia ſufficiens intimatio non eſt, niſi ſit propoſitio aliqua infallibilis, cui omnes alij particulariter proponentes debeant conformari ; aliàs manebit fides multiplex, & incerta, vt oſtenſum manet. Sed replicabis : In Prophetis, & Apoſtolis, & primis credentibus non fuit neceſſaria illa regula vniverſalis, ſed vnuſquiſque credebat, vel Deo immediatè, vel Apoſtolo, aut Prophetæ confirmanti ſuam doctrinam miraculis, & ſignis, abſque ſubordinatione : Ergò nec nunc eſt neceſſaria. Reſpondeo, quod in eis, quibus facta fuit revelatio immediatè à Deo, Deus ipſe per ſe ſupplevit, & exercuit munus proponentis, & intimantis, & ideò reſpectu illorum alia regula in proponendo neceſſaria non fuit. Reſpectu autem aliorum, qui ab ipſis audierunt, ſi viderunt ipſa ſigna, & miracula, quibus ſuam doctrinam cõfirmabãt Apoſtoli, & eã reddebant evidenter credibilem, tranſeat, quod alia regula ſuperiori non egeant ad credendum fide divina. Cæterum poſtquam ea miracula, & ſigna non videntur ab omnibus, nec particulares Miniſtri, & Parrochi cum talibus ſignis prædicant doctrinam fidei, omninò neceſſarium eſt, quod detur aliqua regula conſtans, & permanens infallibilis, & vniverſalis, vt omnium fides vna ſit, & certa : Quin, & inter ipſos Apoſtolos, quantum ad dubia, & controverſias fidei, hæc regula non defuit, nam congregarunt Conciliũ, cui præfuit Div. Petrus, & Concilium illud regula fuit, cui ómnes Apoſtoli in prædicanda fide conformari tenebantur : Licèt in alijs, in quibus immediatè à Deo inſtruebantur, talis regula ſolus eſſet Deus, nam hoc pacto tunc ſervabatur indefectibiliter vnitas, & certitudo fidei.

6. Dices ſecundo : Regula vniverſalis, & infallibilis, nec poteſt eſſe vna, nec multiplex : Non multiplex, quia poſſet vna diſcordare ab alia ; nec vna tantum, quia illa vel eſſet Deus ipſe ; & hæc non eſt viſibilis, nec Deus modo loquitur : Vel eſſet quid creatum; & quodcumque creatum non poteſt habere authoritatem infallibilem à ſe, neo ex ſe : Ergò. Hæc replica exigit, vt explicemus, ſecundam partem quæſiti, nempè quotuplex ſit regula fidei?

7. Dico ergò ſecundo : Regulam viſibilem, vniverſalem, & infallibilem fidei non eſſe vnicam tantum, ſed plures, tres præſertim, nempè Sacram Scripturam, Traditionem Apoſtolicam, & Eccleſiam; de quibus ſingillatim agendum eſt. Cum autem inquis, quod poſſet vna ab alia diſcordare : Nego poſsibilem eſſe hanc diſcordiam, quia mutuò inter ſe ſubordinantur, & iubantur, vnaquæque in ſuo genere, & habent inter ſe neceſſariam conformitatem modo ſtatim explicando.

8. Ratio autem huius trimembris diviſsionis eſt clara : Quia regula fidei, vel eſt inanimis, quæ ſe ipſam non poſsit interpretari, vel viua, & animata, quę ſe ipſam valeat interpretari. Si in animis, vel ſcripta, vel non ſcripta: Si ſcripta, eſt Sacra Scriptura, quæ eſt regula inanimata, quę per ſe non loquitur, nec poteſt ſuum ſenſum exponere : Si non ſcripta, eſt Traditio, quę ex Apoſtolis per continuam traditionem ad nos vſque devenit; & hæc etiam eſt mortua, ſeù inanimata, quia conſiſtit in mortuorum Patrum continua doctrina, & ſenſu. Si verò talis regula ſit viva, eſt Eccleſia, quæ ſe ipſam interpretari poteſt, & loqui. Quę tamen tripliciter conſiderari poteſt: Vel vt eſt congregatio omnium fidelium; vel vt eſt congregatio ſpecialis Principum eius, & Magiſtrorum, qui corpore miſtico ipſius præeminent : Vel vt in Supremo ipſius Capite, qui eſt Summus Pontifex : In quo autem ex iſtis infallibilis eius Authoritas ſita ſit, infra dicemus.

QUÆSTIO II.

An Scriptura Sacra ſit regula vniverſalis, & infallibilis fidei divinę?

9 DUM dixi *vniverſalis*, non eſt ſenſus, quod Scriptura ſit regula ita vniverſalis reſpectu credendorum, quod nihil ſit credendum, niſi quod in illa continetur, nam de hoc infra dicam ; ſed intelligitur de regula vniverſali reſpectu omnium fidelium, an videlicèt, in omnibus, quę continet faciat vniverſaliter fidem reſpectu omnium fidelium.

10. Et in primis ſupponendum eſt, dari in Eccleſia Sacr. Scripturam, quę nihil aliud eſt, quam certũ Canon librorum, in quibus verbum Dei ſcriptum continetur. Hoc enim nullus ex his, qui intra Eccleſiam ſe eſſe dicunt, etiamſi ſint hæretici, negant ; vndè ſolum Pagani, qui omninò extra Eccleſiam ſunt, id negant: Contra

Digitized by Google

quos, aliundè, quam ex Sacra Scriptura diſputari debet, inter Catholicos autem, aut Chriſtianos Sacra Scriptura ſupponenda eſt, tanquam primum principium innegabile, & probatione non egens.

11. Sacra autem Scriptura ſic rectè difinitur: *Eſt Scriptura inſtinctu Spiritu Sancti Scripta dictantis ipſum.* Quę definitio conſtat ex Trid. Synodo *ſeſſ.* 4. Et ex ipſo Sacro Textu, in quo ſatis oſtenditur, Libros Canonicos, quus ſcriptos nobis relinquerunt Prophetę, Apoſtoli, & Evangeliſtę, dictatos fuiſſe ab Spiritu Sancto, & eius interiori afflatu ſcriptos. Nam Matt. 10. dicitur: *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Et Div. Petrus Epiſtol. 2. cap. 1. ait: *Non voluntate humana, ſed Spiritu Sancto inſpirante, loquuti ſunt Sancti Dei homines.* Et Apoſtolus ad Hæbreos 1. *Olim Deus loquens Patribus in Prophetis, &c.* Et Exod. 4. dixit Deus Moyſi: *Ego ero in ore tuo.* Et Pſalm. 44. *Linguo mea calamus Scribę velociter ſcribentis.* Quod de Scriptore Canonico ab Spiritu Sancto moto, interpretantur communiter PP. Et 2. Reg. 23. *Spiritus Domini loquutus eſt per me, & ſermo eius per linguom meam.* Et Pſalm. 86. *Dominus narrabit in Scripturis Populorum, & Principum.* Et Luc. 1. *Sicut loquutus eſt per os Sanctorum, &c.* Non ergò de hoc dubitare licèt inter Chriſtianos.

12. Dubitant tamen aliqui, an ſit de ratione Scripturę Sacrę, quod dictata ſit à Deo, non ſolum, quoad ſenſum, ſed etiam quoad verba. Verumtamen tenendum eſt, Sacram Scripturam, etiam quoad verba, dictatam eſſe à Deo. Nam in pleriſque teſtimonis citaris, non ſolum dicitur, quod Deus movebat mentem Patrum, & Prophetarum, quod ſufficeret ad ſenſum, ſed etiam os, & linguam eorum, quod vnicè ad dictanda verba conducit. Quod amplius confirmari valet ex Matth. 22. vbi Chriſtus, ſic Iudeos Arguebat: *Quomodo ergò David vocat eum Dominum, ſi filius eius eſt.* Supponit enim Chriſtus Dominus, quod verbum illud *Dominus*, dictatum fuit ab Spiritu Divino. Item ex illo Matth. 5. *Ioto vnum, aut vnus opex non præteribit à lege*, vbi ſatis innuit, apices ipſos, & *Ioto*, ab Spiritu Sancto dictatos, aliàs non haberent tam infallibilem firmitatem. Confirmatur etiam ex SS. Patribus, qui ferè omnes id ipſum teſtantur, quorum Cathalogus videri poteſt apud Canum, *lib. 2. de Locis, cap.* 18. Et apud alios RR. Interpretes, qui de Authoritate Sacrę Scripturę egerunt.

13 Nec obeſt primo: Quod dictatio verborum neceſſaria non videtur ad infallibilitatem fidei, & Sacri Textus. Nam, forsàn ſalvari nequit infallibilitas Scripturę, ſi quoad verba non regatur Scriptor ab Spiritu Sancto. Si enim ſolum tegeretur ab ſpiritu proprio, poſſet ex ignorantia, vel malitia ſubſtituere verba contraria ſenſui interno, & ſic Scriptura in ea parte falſa eſſet. Sed licèt fortaſſe ad veritatem Scripturę Sacrę neceſſaria non foret, neceſſaria tamen eſt ad dignitatem debitam illius, nam verba ipſius debent eſſe myſterioſa, ita vt non caſualiter, ſic, vel aliter prolata intelligantur, ſed myſterioſè, & ratione divina, & ſuperna. Vndè Sacri Interpretes, hanc divinam rationem ſæpè inquirunt, & plura myſteria hoc pacto detegunt: Si autem verba purè humano Spiritu dictata forent, ſtultum foret talem rationem inquirere ſingulorum verborum, vti eſſet, id ipſum inquirere in loquutionibus purè humanis, interrogando loquentem, cur potius his verbis, quam alijs ęquivalentibus, cur hoc ordine, & non alio prolatis, ſuum ſenſum exprimit, nam regulare eſt in hominibus in hoc nullam rationem ſpecialem habere, ſed conſuetudine duci, vel ſola imaginatione ſic, vel aliter miniſtrante verba, abſque conſilio, aut electione ſingulorum verborum.

14. Nec obeſt ſecundo dicere: Quod verba Sacr. Scripturę ſæpè ſunt incongrua, & minus polita: Et conſequenter videntur indigna tanto dictatore, qualis eſt divinus Spiritus. Contra enim eſt, nam licèt talia videantur comparata cum hominum politia, & ſtyllo limittato, re ipſa tamen verba Sacrę Scripturę ſtylum habent eminentiorem, & divinum, & ſupernam eloquentiam, cui comparata omnis humana politia, barbaries eſt. Nec enim divinę Scripturę verba diiudicanda, aut metienda ſunt ex humana politia, aut ratione inferiori, ſed ex ratione ſuperna, & fide, ex fineque altiori, & eminentiori Dei loquentis, ſicut SS. Patres ea interpretantur, qui in Sacrę Scripturę verbis ſupernam eloquentiam, & energiam advertunt ſemper.

15. Nec obeſt tertio: Quod Scriptura Sacra modo non eſt in eo idiomate, quo ab Scriptoribus Canonicis ſcripta fuit, ac proindè verba illa modo non extant, ſed alia ab Interpretibus, & Traductoribus ſubſtituta, quę ab Spiritu Sancto dictata eſſe non eſt neceſſum. Contra enim eſt: Quia licèt verba illa, quę primo ab Spiritu Sancto dictata fuerunt, materialiter non extent, extant tamen formaliter, & ęquivalenter, hoc eſt, extant verba idem ſignificantia, & eundem ordinem ſignificativum ſervantia; credi enim debet Spiritum Sanctum ſpecialiter adſtitiſſe Traductoribus noſtrę Vulgatę, qua modo vtitur Eccleſia, ſicut ſpecialiter aſsiſtit

Eccle-

Eccleſię, vt conſervet incorruptam Sacram Scripturam quoad ſenſum, & quoad verba formaliter, & ſignificativè ſumpta. De quo videātur Sacri Expoſitores, & Doctores Dogmatici.

16. His autem ſuppoſitis, ad quæſtionem reſpondeo: *Quod Scriptura Sacra eſt infallibilis, & vniverſalis regula fidei.* Ita eſt de fide, atque adeò certum, vt neque hæretici hoc negare audeant, licèt Canonem Sacrorum Librorum minuant. Probatur autem primo, ex illo Ioann. 10. vbi Christus ait: *Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolvi Scriptura, &c.* Id eſt (exponunt PP.) & non poteſt falli Scriptura: Ergò ex ipſo Chriſti Teſtimonio Scriptura Sacra regula infallibilis eſt. Secundo, quia Chriſtus ſæpè vtitur Teſtimonijs Sacrę Scripturę ad ſuam doctrinam confirmandam; vndè *Ioann.* 5. inquit: *Scrutamini Scripturas, illę enim teſtimonium perhibent de me*, & infra: *Si crederetis Moyſi, crederetis vtique & mihi*, & *Luc. vltim.* Evolvebat Scripturas ad oſtendendum Diſcipulis, quod neceſſum fuit Chriſtum pati, & ita intrare in Gloriam ſuam: Sed Chriſtus non vteretur Scripturis ad confirmandam ſuam doctrinam, niſi illę eſſent regula infallibilis veritatis: Ergò.

17. Confirmatur ex Apoſtolo, qui ſæpè etiam vtitur teſtimonijs Scripturę ad ſuam doctrinam confirmandam; immò, & ſatis clarè docet S. Scripturam eſſe regulam docendi doctrinam fidei, nam 1. ad Thimoth. 3. inquit: *Ab infantia Sacras Litteras noſti, quę te poſſunt inſtruere ad ſalutem per fidem*: Et infra: *Omnis Scriptura divinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum*: Ergò.

18. Vndè id ipſum expreſsè definitur à Concilio Trident. *Seſſ.* 4. & cōſtat ex Cœtu omnium SS. PP. omnes enim illi ad doctrinas fidei confirmandas, & diſcernendas à falſis, & hæreticis, ſeù erroneis, recurſum faciunt ad Teſtimonia S. Scripturę, & ex Sacro Textu doctrinas diiudicant, tanquam ex Lydio Lapide, & regula infallibili. Videatur Auguſt. *lib.* 2. de Baptiſmo, *cap.* 3. & *lib.* 2. contra Creſcon. à *cap.* 31. & Hierony. *Epiſtol. ad Paul. de Auth. S. Scrip.* & Iræneus *lib.* 3. contra Hæreſ. à *cap.* 1. & alij PP.

19. Deindè conſtat ratione manifeſta, quia, vt ſupponimus, Scriptura eſt à Deo divinitus inſpirata, & dictata, ſeù eſt verbum Dei ſcriptum, Deo dictante, & Inſpirante: Sed implicat verbum Dei ſcriptum Deo dictāte, & inſpirante, falſum eſſe, quia implicat Deum loqui falſum, ſivè per ſe, ſivè per alium, vt ſupra oſtenſum manet: Ergò Scriptura Sacra eſt regula infallibilis credendorum.

20. Sed in contra poteſt obijci: Regula debet eſſe certa, & indubitata, quia eſt veluti menſura credendorum, & norma, dubia, & controverſias reſolvendi; ſed Sacra Scriptura non eſt ita, quia plures eius Libri dubij ſunt, an ſint Canonici: Ergò. Secundo, quia regula debet eſſe conſtans, & invariata: Sed Scriptura ita non eſt, quia per varias translationes, & traductiones impoſſibile eſt, quod corrupta, vel ſaltèm magna ex parte variata non fuerit: Ergò. Tertio, quia Regula debet eſſe clara, & cuilibet nota: Sed Scriptura obſcuriſſima eſt, & involucris ſenſibus fœcunda, incertiſſimuſque ſenſus eius, nam aliquando ſenſus litteralis tenendus eſt, aliquando littera nocet, & occidit, aliquando in ſenſu morali, aliquando in ſenſu allegorico intelligi debet: Ergò. Quarto, quia Scriptores Canonici aliqua ſcripſerunt indigna, vt dictata fuerint a b Spiritu Sancto, vt ſalutationes amicabiles, & illud Pauli ad Galat. 1. *Ecce coram Deo quia non mentior*, & *lib.* 2. Machab. in vltimis verbis, Scriptor illius, veniam petijt, ſiquid minus dignè tractavit: Ergò S. Scriptura nequit eſſe Regula infallibilis credendorum.

21. Ad primum reſpondeo, totam, & integram Scripturam Sacram; quam modo vt talem tenet, & admittit Eccleſia, omneſque eius Libros eſſe certos, nec licere de ipſis dubitare. Vndè Concil. Tridentin. *Seſſ.* 4. ſic ait: *Sacrorum verò Librorum indicem huic Decreto adſcribendum cenſuit; ne cui dubitatio ſuboriri poſſit, quinam ſint, qui ab ipſa Synodo ſuſcipiuntur: Sunt verò infraſcripti: Teſtamenti veteris, quinque Moyſi, id eſt, Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Ioſuè, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Eſdrę primus, & ſecundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Iudith, Eſther, Iob, Pſalterium Davidicum centum quinquaginta Pſalmorum, Parabolę, Eccleſiaſtès, Canticum Canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus, Iſaias, Ieremias, cum Baruch, Ezechiel, Daniel, Duodecim Prophetę minores, id eſt, Oeſſa, Ioel, Amos, Abdias, Ionàs, Michæas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum primus, & ſecundus. Teſtamenti Novi, quatuor Evangelia, ſecundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem; Actus Apoſtolorum à Luca Evangeliſta conſcripti; quatuordecim Epiſtolę Pauli, ad Romanos, duę ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſenſes, duę ad Theſſalonicenſes, duę ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos: Petri Apoſtoli duę, Ioannis Apoſtoli tres, Iacobi Apoſtoli vna, & Apocalypſis Ioannis Apoſtoli. Siquis autem Libros integros cum omni-*

Digitized by Google

bus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri Vulgata Latina editione habentur pro Sacris, & Canonicis, non ſuſceperit ::: Anathema ſit. Certus ergò, & indubitabilis eſt in Eccleſia Canon Sacrorum Librorum, nec de vlla Sacrę Scripturę parte dubitare licèt.

22. Nec obeſt, quod aliquando de aliquibus his Libris dubitatum fuerit. Pro cuius intelligentia notandum eſt, quod Libri Sacri ſunt in triplici differentia: Primi ordinis ſunt, de quibus nunquam dubitatum eſt, an ſint Sacri, & Canonici, vt ſunt omnes relati, ſequentibus exceptis. Secundi ordinis ſunt, de quibus hucuſque dubitatur, quia nondum ab Eccleſia inter Canonicos computantur: Hi ſunt Liber Tertius, & Quartus Eſdrę, & Liber Tertius Machabæorum, qui propterea ad finem Biblię Sacrę, & non in eius Corpore ſolent poni. Tertij ordinis ſunt, de quibus aliquando fuit dubitatum, ſed Iam per Eccleſiam approbati ſunt, & in Canonem adſcripti: Et hi ſunt, ex veteri Teſtamento Liber Eſther, Iudith, Tobię, duo Machabæorum primus, & ſecundus, Eccleſiaſticus, Sapientię, & Baruch: Ex novo verò Teſtamento, Epiſtola Pauli ad Hebræos, Iacobi, & Iudę, & ſecunda Petri, ſecunda, & tertia Ioannis, cum Apocalypſi: Igitur incertitudo, & dubitatio ſolum eſt de facto circa Libros illos tres ſecundi ordinis; cæteri tamen omnes, qui componunt Canonem ſupradictum, certiſsimi ſunt in Eccleſia, nec de illis licèt dubitare modo, licèt olim, quando ab Eccleſia nondum ſufficienter propoſiti erant, dubitatum fuerit de aliquibus, nempè de relatis in tertio ordine, quia ſicut olim, defectu propoſitionis Eccleſię, dubitatum fuit intra ipſam Eccleſiam de pluribus Myſterijs, & veritatibus fidei, vt de Gloria animarum ante diem iudicij, & de baptizatis ab Hæreticis, an forent rebaptizandi, & ſic de alijs; & tamen ſemèl quod Eccleſia per ſui definitionem id vt de fide tenendum ſtatuit, & propoſuit, certiſsimum iam habetur, ſicut cætera fidei Myſteria, ita contigit in Libris illis Canonicis tertij ordinis. Nec obeſt, quod Hæretici adhùc de illis dubitent, aut negent, quia etiam inter Libros olim, ac ſemper receptiſsimos dubitant de parte aliqua eorum, ſecundum quod ipſis libet, & conducit ad ſuos errores pertinaciter tuendos: Vndè in Lib. Danielis receptiſsimo, negant Hiſtoriam Suſanę, ſæpè etiam addunt ex proprio cerebro, vt Luterus ad illa Div. Pauli verba: *Fide iuſtificamur apud Deum,* addidit: *Sola fide iuſtificamur apud Deum,* de qua perticula, *ſola* dixit quidam lepidè, quod magis congruebat calceis reficiendis, quam Scripturę traducendę. Vndè in hoc Hæreticis nulla fides eſt adhibenda, quia Scripturas Sacras paſsim corrumpunt, & depravant.

23. Ad ſecundam obiectionem, ſimiliter dico, quod licèt de alijs traductionibus, ſeù tranſlationibus aliquando liceat dubitare, tamen de Vulgata Editione, qua modo vtitur, & olim ſemper Vſa eſt Eccleſia, dubitare non licèt, vt conſtat ex eodem Concil. Trident. *Seſſ.* 4. vbi ſic decernit: *Statuit, & declarat S. Synodus, vt hæc ipſa Vetus, & Vulgata Editio, quę longo tot ſæculorum vſu, in ipſa Eccleſia probata eſt, pro authentica habeatur, vt nemo illam reijcere quoquo prætextu audeat, vel præſumat.* Vndè certiſſimum debet eſſe, quod huiuſmodi Editio, quam tot ſæculorum vſu approbavit S. M. Eccleſia Spiritu Sācto afflata, facta fuerit ex ſpeciali eiuſdem Spiritus Sancti aſsiſtentia, & directione, ita vt quantum ad verborum ſenſum, & ſignificationem fideliter correſpondeat originali. Et huius ratio eſt, nam Spiritus Sanctus ſpeciali cura ab initio Mundi vſque adhùc rexit, & regit congregationem fidelium, ſeù Eccleſiam, vt poſteà dicemus; ac proindè, poſtquam per Scriptores Canonicos ei tradidit Libros Sacros, tanquam litteras ab ipſo Deo cœlitus miſſas ad Eccleſię doctrinam, & eruditionem, ad eandem curam, & regimen ſpectat providere, vt prædictę Sacrę Litterę incorruptę præmaneant, & illibatę, quo ad ſenſum, & ſignificationem, licèt non quoad Idioma, in quo primo ſcriptę fuere; nam cum prædictę Litterę Sacrę Scriptę fuerint, vt per illas Deus ipſe doceret, ac erudiret Eccleſiam; ſicut opus fuit, quod Spiritus Sanctus aſsiſteret ſpecialiter primis ſcriptoribus Canonicis, vt Eccleſia acciperet Litteras Dei iuxta ipſius Dei ſenſum, & ſignificationem, abſque omni fraude, aut fallacia, vel errore ex parte Scriptoris, ſeù cum omnimoda fidelitate, & veritate; cum Eccleſia in poſterum eadem ſit, opus etiam eſt, quod ſpecialiter adſiſterit traductoribus in tranſlatione earum Litterarum, vel Eccleſię in approbandis tranſlationibus, vt prædictę Litterę Sacrę fideliter, ſine fallacia, aut errore in Eccleſia ipſa legantur, tanquam authēticè traductę: Impoſsibile ergò eſt, quod tranſlatio, ſeù editio, quę tot ſæculorum vſu, & tandem Vniverſalis Concilij Tridentini Decreto eſt approbata, Spiritu Sancto ſpecialiter aſsiſtente, authentica non ſit, & ſuo originali fideliter non correſpondeat. Quod ſuaderi poteſt à ſimili Regis terreni, nam ad ipſius curam ſpectat, non ſolum curare, vt Secretarius immediatus ipſius fideliter excipiat litteris ſuis Decreta, quę ipſe Rex dictaverit, ſed providere, vt traductores earum fideles ſint in tranſlatione, &

quod

Digitized by Google

quod prædictę litterę incorruptę ſerventur in ſuo Regno : Cum ergò Eccleſia ſit Regnum Dei ſpecialiter ab Spiritu Dei rectum, dubitare non licèt, quin curaverit, & providerit, quod litterę ſuę incorruptę ſerventur in Eccleſia ipſa modo dicto.

23. Ad tertium dico, quod S. Scriptura re ipſa non eſt clara, & perſpicua cunctis, ſed multis ſenſibus, & aliquando ambiguis loquutionibus fœcunda, & referta; ſed hoc non probat eam non eſſe Regulam in Eccleſia, ſed ſolum non eſſe Regulam vnicam, ſed egere alia, quę decernat, & declaret ſenſum illius, vbi fuerit ambiguitas, quia Scriptura non eſt Regula animata, ſed inanimata, & ideò eget Regula animata, vt infra dicemus. Probat etiam Scripturam Sacram, vt ſit Regula, non eſſe interpretandam privato cuiuſvis iudicio, ſed vel per Eccleſię definitionem, vel iuxta vnanimem Sanctorum PP. conſenſum. Vndè Trid. Synodus *ſeſſ.* 4. ſeveriſsimè prohibet, ne vllus audeat *Scripturam ad proprios ſenſus detorquere contra eum ſenſum, quem tenuit, ac tenet S. M. Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum Sanctarum; aut etiam contra vnanimem conſenſum PP.* vndè S. Scriptura, vt expoſita per Eccleſię definitionem, aut per vnanimem PP. conſenſum, eſt Regula certa, & infallibilis fidei. Nec admittenda eſt exceptio PP. Suarez in præſenti, *diſp. 5. ſect. 3. num.* 13. nempè, quod *ſi PP ſolum tradant ſuum ſenſum, tanquam proprio ingenio inventum, ſic non facient certam fidem, licèt valdè temerarium foret illis contradicere.* Non inquam admittenda eſt hæc exceptio, quia dum PP. exprimunt ſenſum Sacrę Scripturę, illam interpretantes, non exprimunt illum ſenſum vt ex proprio ingenio inventum, ſed vt ſenſum Dei per Scripturam loquentis, nam munus Interpretis, præſertim Sacri, non eſt inventa proprij ingenij exprimere, ſed ſenſum Scripturę, quam exponit : Sed dum PP. vnanimi conſenſu intelligunt, aut exponunt verbum aliquod Scripturę in aliquo ſenſu, intelligentes quod Deus in eo ſenſu loquitur, Scriptura in eo ſenſu eſt certiſsimè de fide, & conſequenter regula infallibilis fidei, ita vt qui illam negaret in eo ſenſu, non ſolum temerarius, ſed hæreticus eſſet : Tum, quia cum PP. vnanimiter cenſent Deum loquutum fuiſſe in aliquo ſenſu, vnanimiter cenſent ſenſum illum eſſe à Deo dictum : Ergò vnanimiter cenſent veritatem dictam in eo ſenſu eſſe de fide, ſiquidem cenſent eſſe revelatam in eo ſenſu : Sed iuxta ipſum Suarez, *ſect.* 2. *num.* 5. quando PP. conveniunt aſſerendo aliquam rem eſſe de fide, applicando aliquam regulam fidei, illam rem faciunt de fide : Ergò. Tum demum, quia, cum PP. conveniunt in ſenſu alicuius Textus Sacrę Script. certiſsimum eſt, Dei ſpeciali aſsiſtentia regi, vndè Div. Auguſt. *lib.* 18. *de civit. Dei, cap.* 41. inquit: *Authores noſtri, in quibus non fruſtra Sacrarum litterarum figitur, & terminatur Canon, abſit vt inter ſe aliqua ratione diſſentiant, vndè non immerito, cum illa ſcriberent, eis Deum, vel per illos loquutum fuiſſe, tot, tantique crediderunt.*

24. Ad quartum denique reſpondeo, omnia, quę ſcripſerunt Scriptores Canonici, ſcripſiſſe ex ſpeciali aſsiſtentia Spiritus Sancti, nihilque abſque ipſius regimine inveniri in Libris Canonicis : Salutationes ergò familiares inventę in Epiſtolis Canonicis, etiam ex Spiritus Sancti regimine ſcriptę ſunt, in eiſque non levis doctrina divinitus inſpirata cernitur, ad ędificationem fidelium vtiliſsima. Et ſimiliter, quod Scriptor Lib. Machab. veniam petit, ſiquid minus dignè tractaverit, doctrinam divinam continet, nempè humilitatis, & diffidentię, quam de ſe quiſque debet habere in omnibus ſuis operibus, quamvis factis ex ſpeciali Dei aſsiſtentia, nam de ſe quidem quiſque debet humiliter ſentire, licèt de Deo poſsit, & debeat, altè cogitare, & in illo fiduciam magnā collocare, quę duo ſimùl cohærent. Et in huius confirmationem, Div. Chryſoſtomus Scripſit homiliam ſuper illa verba Pauli ad Timotheum: *Vino modico vtere, propter continuas infirmitates*, quę quidem dicta videntur Spiritu humano ; & tamen Chryſoſtomus ipſe tot myſteria, & documenta in eis paucis verbis detegit, vt clarè oſtendat ea verba divinitus dicta eſſe, indeque infert, quæcunque Sacri Textus verba, quantumvis purè humana videantur, innumera continere myſteria, & doctrinam ſalutarem divinitus inſpiratam. Pro pleniori huius quæſtionis intelligentia videantur Belarmininus, *lib.* 1. *de verb. Dei.* Cano, *lib.* 2. de locis.

QVÆSTIO III.

AN TRADITIO SIT infallibilis regula fidei?

1 TRADITIO, prout ad præſens, ſignificat doctrinā vel morem ab antiquis vſque ad nos deſcendentem, eò quod Patres Filijs, & Filij poſteris per continuam ſucceſsionem talem doctri-

Digitized by Google

nam tradiderunt, iuxta illud Pſalm. 77. *Quanta mandavit Patribus noſtris nota facere ea Filijs ſuis, vt cognoſcat generatio altera; Filij, qui naſcentur, & exurgent, & narrabunt Filijs ſuis*, & alibi addit: *Et Filij eorum generationi alterę*. Huiuſmodi traditio dividitur in provincialem, & vniverſalem, ſeù particularem, & apoſtolicam. Traditio vniverſalis,& apoſtolica eſt, quę immemorialiter deſcendit ex Apoſtolis, & ab ipſo Chriſto, & vt talis habita fuit ſemper in vniverſa Eccleſia eius. Particularis eſt, quę in aliqua tantum Provincia, vel Gremio Eccleſię viguit, ſed non eſt ut talis habita ab vniverſali Eccleſia. In præſenti ergò non eſt ſermo de traditione particulari, quia hæc non eſt regula infallibilis,nec vniverſalis, etſi habeat magnam Authoritatem in Eccleſia, ſed ſolum de traditione apoſtolica, & vniverſali. Item traditio eſt duplex, alia ſcripta, alia non ſcripta. Traditio ſcripta eſt, quę per ſcriptum authenticum deſcendit ab Apoſtolis, & hæc non eſt regula diſtincta ab Scriptura Canonica, ſed eſt ipſamet, & ideò de hac non eſt ſermo in hac quæſtione. Traditio non ſcripta eſt, quę non per Scripturam, ſed per doctrinam purè verbalem deſcendit ex Patribus ad Filios, eamque diſcunt nepotes ex Filijs, & nati natorum, & qui naſcuntur ab illis vſque ad præſens, & de hac eſt ſermo in præſenti.Igitur Hæretici huius ęvi totis viribus conati ſunt fidem auferre ab huiuſmodi traditionibus, pertinaciter contendentes ſolum verbum Dei ſcriptum facere fidem infallibilem, non autem traditiones. Sed contra illos.

2. Dicendum & tenendum eſt, *Traditionem vniverſalem, & Apoſtolicam eſſe regulam infallibilem fidei, cui omnes Chriſti fideles aſſentire tenentur*. Eſt de fide, & conſtat primo ex præfato Pſalm. 77. vbi etiam dicitur: *Quanta audivimus, & cognovimus ea, & Patres noſtri narraverunt nobis. Non ſunt occultata à Filijs eorum, in generatione altera*; vbi clarè innuitur, quod traditiones purè per auditum,& verbalem narrationem habitę accipiebantur à Fidelibus veteris Eccleſię, vt de fide credendę, & vt doctrina divina. Plura alia huiuſmodi teſtimonia habentur in eodem Veteri teſtamento.Et quidem ante Moyſem erat vera fides, & erant veri Fideles habentes,& credentes doctrinam fidei; ſed non per Scripturam, nam Scriptura Sacra incepit ex Moyſe: Ergò per traditionem: Ergò traditio non ſcripta fuit prior regula infallibilis, & vniverſalis credendorum in populo Dei, quam Sacra Scriptura.

3. Deindè ſuadetur ex Paulo 2. *ad Theſſalon.* dicente: *Non retinetis,quod cum adhuc eſſem apud vos, hæc dicebam vobis?* Et infrà: *Tenete traditiones, quas didiciſtis, ſivè per ſermonem, ſivè per Epiſtolam noſtram*. Et 2. ad Timoth. 1. *Formam habe ſanorum verborum, quę à me audiſti in fide,& dilectione; bonum depoſitum cuſtodi*, vbi doctrinam à ſe traditā ſolo verbo,*bonum* appellat *depoſitum*. Vndè Div. Ireneus,*lib.* 3.*cap.*4. ſic ait: *Non oportet apud alios quærere veritatem, quam facilè eſt ab Eccleſia ſumere,cum Apoſtoli, quaſi in depoſitorium dives pleniſſimè contulerint omnia, quæ ſunt veritatis, vt omnis, quicumque velit, ex ea ſumat potum vitę*: Ergò Div. Paulus,& cæteri Apoſtoli inſtruebant Eccleſiam per traditiones verbales,non ſcriptas,eaſque traditiones commendabant vt regulas fidei, & credendorum, non minus, ſed ęquè, ac ſcriptas, ſeù per Epiſtolas. Vndè inquit Paulus: *Tenete traditiones, quas didiciſtis, ſivè per Epiſtolam, ſivè per ſermonem*. Et ad Corinth. 11. inquit: *Ego enim accepi à Domino,quod & tradidi vobis*,nempè,per ſermonem.

4. Deindè conſtat ex pluribus Concilijs, præſertim ex Conſtantinopolitano *Actor.* 10. & ex Niczno 2. *Actor.* 1.& tandem ex Trident. *ſeſſ.* 4. in quibus definitur tenendas eſſe traditiones Apoſtolicas in Eccleſia receptas; vt regulas inviolabiles fidei, & anathematizantur, quicunque eas non receperint, tanquam hæretici: Ergò. Conſtat denique,quia S.Scriptura cœpit è Moyſe;ante Moyſem autem erat ab initio Mundi verus populus Dei,& congregatio credentium; ſed tunc non habebant pro regula S.Scripturam, quę nondum erat: Ergò ſola traditio erat ipſis pro regula credendorum: Ergò traditio eſt regula infallibilis per ſe ſufficiens in eis, quę ex ſcriptura non conſtant. In novo etiam Teſtamento, negari nequit, quod antequam doctrina Chriſti, & eius Evangelium ſcripto mandaretur, fuit vera congregatio Chriſtianorum credentium in Chriſto, eiuſque myſteria, & doctrinam per fidem theologicam, & catholicam: Sed tunc regula credendorum non erat ſcriptura, quę nondum erat, ſed traditio Apoſtolorum: Ergò traditio Apoſtolica eſt ſufficiens, & infallibilis regula credendorum. Quod amplius vrgetur contra hæreticos: Quia ipſi credunt Sacram Scripturam, quam modò tenet Eccleſia, eſſe Authenticam, & originali concordem, non verò diſcordem, aut intruſam, vel falsò ſuppoſitam: Rogo ergò,vndè id in Eccleſia conſtat? Non ſanè ex ipſa Scriptura, quia ipſa Scriptura id non dicit, & quamvis diceret, hoc ipſum eius dictum poſſet eſſe falsò ſuppoſitum, & intruſum: Vndè igitur conſtat hanc Scripturam eſſe eandem quam Evangeliſtę, & Apoſtoli reliquere nobis? Sanè aliun-

aliundè conſtare nequit, niſi ex traditione immemoriali ipſius Eccleſię, vi cuius huiuſmodi Scriptura ex Patribus ad Filios tranſmeavit, & ad nos vſque pervenit: Ergò traditio eſt regula infallibilis, ſuficiens ad fidem, immò quoad hoc neceſſaria.

5. Sed obljciunt hæretici: Quia ſi præter Scripturam, etiam traditio eſſet regula credendorum, Scriptura eſſet regula diminuta, ſiquidem extra illam eſſent alia credenda, vi traditionis, de quibus iudicium ferri non poſſet ex Scriptura Sacra: Sed hoc eſt abſurdum; tum quia Joan. *cap.* 20. inquit: *Hæc ſcripta ſunt, vt credatis* ::: *& vt credentes vitam habeatis*; hoc autem ita non eſſet, quia adhùc credentes, quę ſcripta ſunt, ſi non crederent traditiones, vitam non haberent: Ergò. Tum, quia Scriptura graviſsimè prohibet, addere quidquam ad ipſam, vt videre eſt *Deuteronom.* 4. *& Apocalypſis, vltim.* Sed ſi ſola Scriptura non ſit ſufficiens, opus erit ipſi ſuperaddere traditiones: Ergò.

6. Reſpondetur, negando ſequelam, quia Scriptura in ſuo genere, vt ſit completa regula, non exigit continere explicitè omnia credenda fide divina, ſed ſatis eſt, quod contineat myſteria præcipua, & principalem doctrinam fidei; immò lex Novi Teſtamenti id non exigit per ſe, ſed ſolum quod ſit ſcripta, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus, ita enim promiſſa fuit à Deo per Jeremiam 31. & Apoſt. innuit *ad Hæbreos* 8. *&* 10. Solum ergò ſcripta fuit vt compendiũ quoddam Doctrinę Chriſti, vndè dicitur verbum abreviatum; ad hoc autem opus non eſt, quod Apoſtoli, & Evangeliſtę ſcripſerint omnia penitus, quę à Chriſto didicerant, ſed potuerunt plura prætermittere, quę ipſi Fidelibus verbo docebant, & quę ipſis primis fidelibus iam videbant indelebiliter impreſa, vt ipſi etiam poſteris ea traderent, & docerent, vel in ipſis moribus ad poſteros tranſirent, vt ſaltem in his reluceret perfectio legis Evangelicę, quę in cordibus potius, quam in codicibus maneret ſcripta, & vt fides in his etiam, quę ſcripta non forent, exerceretur. Ex quo patet ad primam probationem in contra, quia ex hoc quod præter Scripturam ſint alia credenda vi traditionis, ſolum ſequitur, quod Scriptura non ſit regula vnica credendorum, ſeù adæquata in omni genere, quod libenter fatemur, & minimè eſt abſurdum, nam cum hoc componitur, quod ſit ſufficiens in ſuo genere. Ad ſecundam etiam patet; nam dum prohibetur aliquid addere Scripturis, ſolum prohibetur additio in illo genere Scripturę, nempè addere aliquid tanquam partem Scripturę, faciendo novam Scripturam, aut novã partem illius præter, vel ſupra eam, quę ab Scriptoribus Canonicis ſcripta eſt; non autem prohibetur, quod ſervata integritate Scripturę, addantur alia credenda, quę in Scriptura explicitè non contineantur, quia continentur in traditione Eccleſię ab Apoſtolis accepta.

7. Obijcunt ſecundo, quia Chriſtus Dominus carpit Scribas, & Phariſeos, eo quod ducebantur traditionibus, dum Math. 15. aiebat: *Quarè, & vos traſgredimini mandatum Dei, propter traditiones veſtras*, & ſimiliter reprobantur huiuſmodi traditiones *Iſaię* 29. *Galat.* 1. *& Epiſt.* 1. *Div. Petri*, 1. Ergò traditio non poteſt admitti, vt regula credendorum. Reſpondeo Chriſtum Dominum ſolum reprobare traditiones ſpiritu proprio introductas, & in ſua origine ab hominibus, & non à Deo traditas, quales erant traditiones Phariſeorum, de quibus Chriſtus loquitur Math. 15. & de ſimilibus etiam procedunt alij Textus citati; minimè autem Chriſtus, nec S. Scriptura reprobat traditiones divinitus in ſua origine traditas, ſicut ſunt in Eccleſia traditiones Apoſtolicę, immò has approbat, & proponit vt regulas credendi, vt ſupra oſtenſum manet.

8. Obijcunt tertio, quia traditiones non habent certitudinem ſufficientem ad rationem regulę, multis enim erroribus, & corruptelis vitiari poſſunt. Tum quia quicumque poteſt in illis addere, vel detrahere. Tum quia ſicut de ſeculo in ſeculum variantur mores, ita poſſunt variari traditiones, quę plerumque cum moribus transmigrant de ęuo in ęuum. Tum etiam propter oblivionem: Ergò. Reſpondetur, etiam Scripturam, ſeù doctrinam ſcriptam ex ſe expoſitam eſſe pluribus corruptelis, præſertim quando primum originale non extat, iam propter traductiones de lingua in linguam, iam propter Manuenſes, vel Typographos, iam propter hominum incuriam. Rogo ergò, cur nihilominus Sacram Scripturam tenemus, vt incorruptam, & tanquam nullo ex his capitibus vitiatam? Sanè, quia cenſemus, & firmiter credimus S. M. Eccleſiam regi, & gubernari in fide ab Spiritu Sancto, ac proindè ſpeciali ſua aſsiſtentia præſervaſe divinam Scripturam, quę in Eccleſia viget, ab his corruptelis, quibus ſæpè vitiantur ſcripta hominum. Sic ergò, licèt traditiones hominum præfatis corruptelis ſæpè ſubiaceant, tamen traditiones Apoſtolicę, quę in Eccleſia vigent, ex ſpeciali aſsiſtentia Spiritus Sancti ab his corruptelis præſervantur, quia ad regimen Eccleſię ſpectat, vt prædictę traditiones Apoſtolicę, & vniverſales incorruptę perſeverent, & de ſeculo tranſmigrent in ſeculum.

9. De-

5. Tertio probatur, quia Eccleſia debet eſſe vna, vt ſupra monſtravimus, *quæſt.* 1. quam vnitatem conmmendat *Apoſtol.* 1. *ad Corinth.* 1. dicens : *Id ipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata, ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia.* Sed huiuſmodi vnitas retineri nequit, ſi non ſit alia regula quam Scriptura intellecta ſecundum vniuſcuiuſque ſpiritum,& iudicium:Ergò præter Scripturam admitti debet regula animata, quę habeat authoritatem definiendi ſenſum Scripturę, & res fidei. Minor patet, quia ſi ſenſus Scripturę relinquatur definiendus vniuſcuiuſque ſpiritui, & iudicio, cum in rebus dubijs tot ſoleant eſſe ſententię, quot capita, impoſsibile erit ſervari vnitatem, & concordiam; quod ſatis ipſa experientia comprobavit, nam inter hæreticos, qui in his proprio ſpiritu ducuntur, innumerę ſunt ſectę, & hæreſes circa res fidei, adeò vt in eadem civitate, immò, & in eadem domo, & familia diviſio ſit ſectarum in fide cum contrarietate in rebus graviſsimis ad fidem ſpectantibus: Ergò.

6. Confirmatur, nam abſdubio poteſt circa eundem Textum S. Scripturę contingere, quod vnus habeat vnam intelligentiam,& alius contrariam : Vel ergò quiſque debet credere Scripturam ſecundum propriam intelligentiam, vel non? Si non : Ergò ambo debent recurrere ad vnam regulam animatam, cui relicto proprio iudicio, conformentur; quod nos intendimus. Si tenetur vnuſquiſque credere Scripturę ſecundum propriam intelligētiam, & Spiritum : Ergò iam fides theologica, & Catholica eſt diviſa, & contraria ſibi. Inquiunt hæretici, quod ambo debent recurrere ad S. Scripturam,quę clara eſt, & per ſe patens. Sed contra eſt, quia falſiſsimum eſt, quod S. Scriptura ita ſit per ſe patens quoad ſenſum,quod nihil difficilè contineat; nam Div.Petrus 2. *Epiſt. cap. vltim.* de Epiſtolis Pauli inquit : *In quibus ſunt multa difficilia intellectu, quę indocti, & inſtabiles depravant, ſicut, & cæteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem.* Et David Pſalm. 118. inquit : *Mirabilia teſtimonia tua, ideò ſcrutata eſt ea anima mea* : Falſum ergò eſt, quod ſenſus Sacrę Scripturę ita ſit patens cunctis, vt nullam ambiguitatem admittat.Immò eſt cōtra experientiam ipſam, nam vel inter ipſos hæreticos innumerę ſunt diſſenſiones circa ſenſum locorum S. Textus : Eſt etiam contra dignitatem ipſius Scripturę,& Dei loquentis per ipſam,nam quo ſapientior eſt qui loquitur, tanto profundior eſt ſenſus verborum eius, & intellectu difficilius, vndè qui verba Sacrę Scripturę ita facilia, & ſuperficiali tantum ſenſu clara prædicant, ſicut faciunt hæretici, vt plebem decipiant, divinę ſapientię plurimum detrahunt, & Scripturę dignitatem corrumpunt. Poteſt ergò contingere quod eadem verba illius à duobus contrario ſenſu intelligantur : Ergò ad legitimum ſenſum indagandum non poterunt iſti recurrere ad ipſam Sacram Scripturam; nam ſupponimus Scripturam reſpectu illorum eſſe ambiguam, & eius ſenſum difficilem : Manebit ergò fides diviſa, & contraria, niſi recurſus fiat ad regulam animatam.

7. In cuius confirmationē eſt, quod inquit Hilarius *lib. 2. de Trinit.* nempè, quod *Hæreſis de intelligentia, non de Scriptura eſt, & ſenſus, non ſermo eſt crimen*: Ergò, ſi in ſenſu, & intelligentia Scripturę eſt hæreſis, & crimen, & non in Scriptura ipſa, nam in illius verbis, & ſermone ſæpè non diſſentiunt hæretici, ad definiendum, quiſnam ſenſus ſit hæreticus, non ſatis eſt ipſa Scriptura, ſed opus eſt recurrere ad regulam animatam; nam illa contempta; ſequentur neceſſario ſchiſmata,& hæreſes. Vndè Cyprianus *lib. 4. Epiſtol.* 9. inquit : *Indè ſchiſmata, & hæreſes oriuntur, quod Epiſcopus, qui vnus eſt, & Eccleſię præeſt, ſuperba contentione contemnitur. Nec vnus in Eccleſia cogitatur Epiſcopus, qui Vice-Chriſti ſit Iudex*, vt inquit, *lib. 1. Epiſtol.* 3. D. etiam Hieronymus *contra Lucifer*, inquit: *Si non ſit in Eccleſia vna eminens poteſtas, tot futura ſunt ſchiſmata, quot Sacerdotes* : Ergò vnitas fidei, & Eccleſię ſervari nequit, niſi ponatur regula animata viſibilis, cuius ſit dirimere fidei controverſias.

8. Quarto probatur, ex vſu antiquiſſimo Eccleſię congregandi Concilia ad dirimendas fidei controverſias, vt videri poteſt in *Tomis* Conciliorum, ex quibus conſtat Eccleſiam à tempore Apoſtolorum, in quibuslibèt fidei litibus, ad Concilia recurſum feciſſe, vt in illis definiretur, quid tenendum eſſet : Ergò quia Eccleſia Catholica ſemper tenuit huiuſmodi controverſias dirimi debere per regulam animatam viſibilem, & non per vniuſcuiuſque iudicium, aut ſpiritum,

9. Inquiunt hæretici aliqui ex modernis, opus non eſſe has controverſias publicè, & per viſibilem regulam dirimi, ſed ſatis eſſe, quod quiſque credat prout Spiritus Sanctus illi inſpiraverit, nam hoc illi ſufficiet ad ſalutem: Et ad vnitatem fidei ſufficit, quod omnes credant in Chriſtum, ſicut credunt omnes, ſivè hæretici, ſivè catholici; circa alias verò controverſias non eſt neceſſaria vnitas, nam etiam inter ipſos Catholicos Romanos, plures ſunt controverſię, in quibus vnitas non eſt neceſſaria ad ſalutem.

10 Sed

10. Sed contra eſt, nam ſi hoc ita eſſet; ergò fruſtra, & ſine neceſsitate Ecrleſia ab initio congregaſſet Concilia, nam ſatis fuiſſet dicere : Omnes credant in Chriſtum, & de cætero vnuſquiſque abundet in ſuo ſenſu, omnia permittantur vt probabilia : Hoc autem dicare, quis non videat abſurdiſsimum fore, & contra praxim perpetuam vniverſalis Eccleſię. Secundo, nam ſi opus non eſt ad vnitatem fidei, quod omnes veri Fideles credant idem in his fidei controverſijs, v. g. circa præſentiam Chriſti in Sacramento Altaris, quia inter Chriſtianos alij negant, alij affirmant, alij admittunt ſolum in vſu Sacramenti præſentiam realem, alij nec in vſu Sacramenti, alij in vſu Sacramenti, & permanenter poſt conſecrationem : Ergò paritèr, quia inter Chriſtianos alij negabant Chriſtum eſſe verum Deum, vt Ariani; & alij affirmabant, & affirmant, vt Catholici : Salvabitur vnitas fidei, quamvis in hoc quiſque ſentiat quod voluerit : Et ſimiliter circa controverſias olim habitas inter Chriſtianos de Circumciſione imponenda Gentibus, de Baptiſmo iterando, de divinitate Filij, & Spiritus Sancti, de vnitate perſonę, & diſtinctione naturarum in Chriſto, & de alijs huiuſmodi poterit quiſque, quod voluerit ſentire, ſalva vnitate fidei, & ſine ſuę ſalutis periculo, dummodo indiſtinctę, & confusè credat in Chriſtum. En barathrum, in quem præcipites irruunt, velint nolint, qui regulam viſibilem animatam negant.

11. Certiſsimum ergò debet eſſe, quod ſunt aliquę controverſię, in quibus ſine ſalutis periculo, & ſalva vnitate fidei, poſſunt Fideles diſſentire, & vnuſquiſque ſuo ſenſu abundare, & huiuſmodi ſunt controverſię inter Catholicos durantes, etiam ſi concernant res fidei; quia in eis controverſijs nondum definitum eſt per Supremam animatam regulam fidei; quid de fide ſit tenendum, & ideò vtraque pars controverſię manet intra ſphæram opinionis, vel fidei humanę : At negari nequit, fuiſſe, & eſſe alias controverſias gravioris momenti, in quibus, ſalva vnitate fidei, & cuiuſque ſalute, non liceat Catholicis contraria ſentire, nec vnicuique abundare in ſuo ſenſu, nam aliàs, ſalva vnitate fidei, & ſua ſalute, poſſet quiſque cum Ario negare divinitatem Chriſti, cum Macedonio, divinitatem Spiritu Sancti, cum Neſtorio vnam perſonam in Chriſto, cum Monotelitis duas voluntates, & naturas in ipſo, & ſic de alijs; quod nec ipſi Luterani; aut Calviniſtę admittere audebunt : Ergò opus eſt, quod in Eccleſia ſit regula aliqua viſibilis animata, cuius ſit definire, quę nam ſint credenda de fide divina, quænam purè ex opinione, aut fide humana, quę deſignet terminum intra quem debeat intellectus captivari in obſequium fidei divinę, & extra quem liceat contraria opinari : In quibus controverſijs vna pars tenenda ſit de fide, & in quibus vtraque poſſet probabiliter ſubſtineri ſine fidei diſpendio; vt ſit certus numerus, & menſura articulorum credendorum de fide catholica; nam aliàs vnuſquiſque privatim ſibi præfigere poterit metam opinandi, aut credendi, & nihil erit certum de fide in Eccleſia, ex omnibus, quę olim inter Chriſtianos controverſa ſunt, & controvertuntur, quamvis per Concilia Æcumenica ſint definita, aut per Supremum Eccleſię Caput dirempta : Sed hoc eſt abſurdiſsimum : Ergò admittenda eſt prædicta regula viſibilis animata.

ARGUMENTA HÆRETICORUM.

12. OBIJCIUNT Hæretici primo, quia non minus fuit neceſſaria fides in Veteri Teſtamento, quam modo in lege gratię, quia ſine fide impoſsibile eſt placere Deo : Sed, hoc non obſtante in Veteri Teſtamento non fuit regula animata Infallibilis fidei : Ergò nec eſt neceſſaria modo tempore legis gratię. Probant minorem, primo, quia nullibi in lege ſcripta determinatur hæc regula. Secundo, quia ſi talis regula fuiſſet, maximè conſiſteret in Prophetis, per quos Deus loquebatur : Sed Prophetę non potuerunt eſſe regula certa, nam inter Prophetas alij erant verè tales, alij falsò, vel Pſeudo-Prophetę, iuxta illud *Tren.* 2. *Prophetę tui viderunt tibi falſa* : Ergò. Tertio, quia nec poteſt eſſe recurſus ad Summum Pontificem, qui eſſet illo tempore, quia nullibi in Scriptura attribuitur ipſi munus decidendi dubia fidei. Tum quia Aaròn, qui fuit primus Pontifex, erravit proponendo Populo vitulum aureum : Ergò.

13. Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem. Ad primam probationem, nego quod talis regula non aſsignetur in lege, aſsignatur enim locis ſuprà à nobis citatis. Ad ſecundam dico, quod Prophetę non erant prima regula animata. Nam *Deuteron.* 13. *&* 18. præcipitur, vt Propheta, quantumvis, ſigna, & portenta fecerit, ſi contra doctrinam legis docuerit, interficiatur. Erat ergò alia regula prima, & ſuperior diſcernendi veram à falſa Prophetia, veram à falſa doctrina. Sed quænam illa erat? Erat ergò Collegium Seniorum cuius Supremum Caput erat Summus Pontifex, pro tempore exiſtens, ſeù Princeps Sacerdotum; quod quidem Collegium trahebat originem ex

illis

illis ſeptuaginta duobus, quos elegit Moyſes, *Num.* 11. De quo etiam Concilio non ſemèl loquitur Sacer Textus, & ad ipſum pertinebat cognoſcere de vero, vel falſo Propheta, & de cauſis fidei, & alijs ſpiritualibus; vndè *Ioan.* 1. Miſerunt Iudæi Sacerdotes, & Levitas ad Ioannem, vt interrogarent eum: *Tu quis eſt*, quia videlicèt ad illos iure attinebant cognoſcere de vero aut falſo Propheta: *Et Ioan.* 18. Chriſtus ductus fuit ad Annam Principem Sacerdotum, tanquam ad ipſum attineret cognoſcere de vero vel falſo Propheta. In *Actis etiam Apoſtol.* 4. dicitur congregatum fuiſſe Concilium ad cognoſcendum de Doctrina Apoſtolorum, in quo primo loco ponitur Annas Princeps Sacerdotum, tanquam Præſes illius Concilij: Ergò in lege veteri erat regula animata penes illud Concilium, & Caput Supremum illius ad diſcernendas res fidei. Et quidem cum aſsiſtentia Spiritus Sancti ne errarent: Quod ſatis colligitur ex illo *Ioan.* 11. vbi cum Caiphas pro tribunali dixiſſet: *Oportet vt vnus moriatur homo, ne tota gens pereat*, additur: *Hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed cum eſſet Pontifex anni illius, prophetavit*, vbi illa cauſalis, *cum eſſet Pontifex, prophetavit*, ſatis innuit, quod Pontificatui annexa erat authoritas ſpecialis nõ errãdi, ab Spiritu Sãcto illi data: De quo Cõcilio videantur Abulenſ. 1. *Paralipom.* 26. *quæſt.* 26. Philo Iud. *lib. de temporibus*, & alij Sacri Interpretes, & Dogmatici, qui de primatu Sedis Apoſtolicę diſputarunt. Ad tertiam probationem, dicatur, vel quod Aaron per ſe non propoſuit vitulum populo, tanquam Deum, ad illud adorandum, ſed tantum ex timore populi iuvavit ad eius fuſionem, ſeù fabricam; & populum per ſe illum adoraſſe: In quo quidem non invenitur quod Aaron erraverit ex munere Pontificis proponendo populo falſum, licèt erraverit perſonaliter concurrendo ad vituli fabricam, ſicut erravit Div. Petrus, negando Chriſtum, & Marcellus negando fidem, purè perſonaliter, quamvis vterque eſſet Summus Pontifex, quia non errarunt ex Cathedra, aut ex munere Pontificio, cui ſolum annexa eſt aſſiſtentia Spiritus Sancti, & Authoritas infallibilis. Vel dicendum, quod tunc temporis Authoritas infallibilis ſolum erat principaliter in Moyſe, ad quem cauſę, & dubia referebantur, vt dicitur *Exod.* 18. Aaron autem illis diebus manſit, vti ſolum Vicarius ipſius in abſentia eius, & ideò nihil mirum quod errare potuiſſet.

14. Objiciunt ſecundo: Quia ad determinandum ſenſum S. Scripturę, & controverſias fidei ſufficit interior Dei inſpiratio, ſeù Spiritus Dei intus docens: Ergò non requiritur regula viſibilis exterior. Probatur antecedens primo ex illo 1. *Ioan.* 2. vbi ſic ait: *Et non neceſſe habetis, vt aliquis doceat vos; ſed ſicut vnctio docet vos de omnibus, & verum eſt, & non eſt mendacium*: Sed *vnctionis* nomine intelligitur inſpiratio interior: Ergò hæc ſufficit, & non requiritur regula exterior, & viſibilis. Secundo ex *Apoſtol.* 2. *ad Corinth. cap. vltim.* vbi ſic ait: *Vos metipſos tentate, ſi eſtis in fide, ipſi vos probate.* Et ad Rom. 8. *Ipſe ſpiritus reddit teſtimonium ſpiritui noſtro, quod Filij Dei ſumus.* Et 1. ad Corinth. 2. *Nos autem non accepimus Spiritum huius mundi, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, vt ſciamus, quę à Deo donata ſunt nobis.* Et rurſus: *Spiritualis omnia iudicat, & ipſe à nemine iudicatur*: Ergò quiſque ratione interioris ſpiritus poteſt iudicare, probare, & cognoſcere de fide ſua, abſque recurſu ad regulam humanam exteriorem, & viſibilem. Tertio, quia id ipſum promiſſerat Deus *Ierem.* 31. his verbis: *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, & non docebit vltra vir proximum ſuum dicens: Cognoſce Dominum, omnes enim cognoſcent me à minimo, vſque ad maximum*: Ergò non eſt neceſſum, in lege gratię ſaltèm, recurrere ad proximum pro iudicanda fide, ſed vnuſquiſque habet interiorem ſpiritum in corde ſufficienter ad id iudicandum: Ergò non eſt neceſſaria regula exterior animata.

15. Reſpondetur, negando antecedens. Ad primam probationem dico, quod vnctio interior Spiritus Sancti requiritur ſemper ad fidem addiſcendam, & ſuſcipiẽdam, & quidem tanquam ratio formalis, in qua tota motio formaliter conſiſtit: Veruntamen ex hoc non ſequitur quod non ſit neceſſaria regula exterior proponens fidem, ſed ſolum quod non ſit neceſſaria, vt ratio formalis movens ratione ſui, ſed ſolum per modum conditionis, quia fides ex auditu; vndè ibi ſolum excluditur neceſsitas docentis exterius, tanquam rationis formalis movendi, non verò per modum conditionis; hoc enim nec ipſi Hæretici poſſunt negare, quia inter ipſos etiam ſunt docentes exterius, & addiſcentes, nec quiſquam poſſet addiſcere Scripturam, niſi ab alio doceretur: Senſus ergò Ioannis Apoſtoli eſt, quod ſuppoſita doctrina exterior, & externa propoſitione fidei, tanquam conditione omninò neceſſaria, vt voluntas moveatur, & intellectus, ad fidem ſuſcipiendam, & intelligendam, ſola vnctio interior eſt quę deſideratur, & in qua tota virtus movendi ſupernaturaliter reperitur, ipſique attribuenda eſt principaliter noſtra fides, & ad fidem converſio, quia ni-

ſi ſpiritus cordi adſit audientis, inquit Beda, *otioſus eſt ſermo docentis*. Vel dicatur, quod Ioannes loquitur cum eis, qui iam habebant fidem abſque dubitatione vlla de credendis, & loquitur in ordine ad intelligentiam ſpiritualem myſteriorum, quę in nobis ſupponit fidem eorum; & quantum ad hanc intelligentiam inquit, quod vnctio docet nos, & non indigemus illam diſcere ab alijs, quia videlicet Spiritus Sanctus per dona ſuperna intellectus, ſapientię, & ſcientię communicat notitiam, & intelligentiam penetrativam eorum myſteriorum eis, qui debitè ſe diſponunt per orationem, & contemplationem: Et ad hanc notitiam, & intelligentiam myſticam fatemur non eſſe neceſſarium recurrere ad docentem exterius, quia ſolum intus addiſcitur, docente, tanquam vnico Magiſtro, Spiritu Sancto; ſed hæc fundari debet in fide illorum myſteriorum, quę eſſe nequit, niſi ex auditu, & per regulam exterius proponentem res fidei, nam ſi in hoc non fundetur, ſuſpecta erit, vel potius illuſio tota illa myſtica intelligentia.

16. Et hoc quidem ita intelligendum eſſe colligitur ex Auguſtino, *Tract. 3. in Epiſtol. Ioann.* vbi ſic ait: *Si vnctio docet vos de omnibus, quid facimus fratres, quia docemus vos? Nolite putare quemquam hominem aliquid diſcere ab homine*, nempè tanquam à principaliter docente, & ratione ſui efficaciter moventе, *ad monere poſſumus per ſtrepitum vocis noſtrę, ſed ſi non ſit intus, qui doceat, inanis eſt ſtrepitus noſter.* Et idem: *Tu dixiſti, quia vnctio ipſius docet vos de omnibus, vt quid ergò talem Epiſtolam feciſti? Quid illos tu docebas? Quid inſtruebas? Quid ędificabas? Iam hic videte magnum Sacramentum, fratres: Sonus noſtrorum verborum aures percutit, Magiſter intus eſt.* Et infra: *Magiſteria forinſecus adiutoria quędā ſunt, & admonitiones, Cathedram in Cœlo habet, qui corda docet.* Non ergò excluditur vt neceſſaria exterior doctrinę propoſitio; ſed ſolum dicitur, quod hæc non eſt principalis ratio docendi, nec efficaciter movendi, ſed potius inanis, ſi deſit interius Magiſterium Spiritus Sancti, qui totam efficatiam habet, & vim docendi.

17. Ad ſecundam dico, ex illis teſtimonijs ſolum probari, quod eos interiori examine poſſumus, & debemus examinare, & probare noſtram fidem, an videlicet firmiter, & ex debito motivo credamus; quod quidem magis pertinet ad examen conſcientię de actibus internis, quam ad examen rerum, & articulorum credendorum; nos autem ſolum exigimus regulam viſibilem ad diſcernendas res, ſivè articulos credendos fide divina, non autem ad examen conſcientię, vel fidei interioris. Et ſimiliter ex illo *ad Rom.* 8. ſolum ſequitur, quod Spiritus Sanctus per interiorem, & ſpiritualem experientiam det teſtimonium ſpiritui noſtro, quod ſumus Filij Dei, quod quidem teſtimonium nec facit fidem infallibilem de eo quod ſumus in gratia, ſed ſolum piam coniecturam, & magnam fiduciam; nec eſt teſtimonium de rebus credendis, de quibus ſolum in præſenti quærimus regulam. Et ſimiliter ex illo 1. *ad Corinth.* 2. ſolum infertur, quod per vnctionem Spiritus Sancti, ſeù per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis, datur nobis ſcientia donorum eius, vi cuius agnoſcimus, quę nobis à Deo donata ſunt; non autem quod vi illius detur nobis regula tuta, & infallibilis credendorum, quia hæc debet eſſe vna pro omnibus fidelibus, cunctis vniformiter propoſita, quod eſſe nequit, niſi ſit exterior, & viſibilis. Et denique, dum dicitur, *quod ſpiritualis iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur*, ſolum debet intelligi de ſcientia diſcretiva ſpirituum, quam ſæpè habent homines ſpirituales, vi cuius diſcernunt perſpicaciter aliorum, præſertim ſibi commiſſorum opera, & penetrant ſpiritum, quo fiunt, licèt ipſorum ſpiritus ab hominibus carnalibus minimè dignoſcatur, nec cognoſcatur, & ideò ab eis iudicari nequeat: Vel dicatur, quod iudicat omnia, quę mundi ſunt, eo quod ſpiritualis eum ſit, comparatur ad ea, vt Iudex cum quadam ſuperioritate, quam non habent homines carnales, qui miserè capti amore terrenorum, & ſic excœcati, de ipſis iudicare non poſſunt, & multo minus de viro ſpirituali. Nos autem ad id non exigimus regulam viſibilem animatam, ſed ſolum ad diſcernendas res cradendas fide divina ab omnibus fidelibus.

18. Ex quo patet ad tertiam, nam ex illa promiſſione ſolum ſequitur quod ad primam probationem dictum relinquimus, nempè, quod in lege gratię tota efficatia doctrinę exterioris eſt penes Spiritum Sanctum interius docentem, & moventem; quę quidem motio interior longè plus abundat tempore legis gratię, quam tempore legis ſcriptę, quia tempore legis ſcriptę Iudæi nimium gloriabantur de doctrina externa, & de lege ſibi exterius à Deo miniſtrata, ſcriptaque in lapidibus; & in ea fiduciam collocabant: Propterea ergò Deus pollicetur novam legem, ſeù novum modum docendi legem, nempè per ſpiritum ſuum in cordibus imprimendam, ſeù per amorem, & charitatem, & ignem Spiritus Sancti, qui datus eſt nobis: Sicut autem hic modus imprimendi legem in cordibus hominum, non tollit neceſſitatem legis ſcriptę in codicibus, alias tolleretur

lus

Digitized by Google

neceſsitas S. Scripturę, ita nec tollitur neceſsitas Magiſterij exterioris, licèt in eo non ſit vis, & efficacia, ſed in ſpiritu interiori. Et quidem ſi hæc argumenta Hæreticorum aliquid probarent contra neceſsitatem regulę exterioris viſibilis animatę, multò magis probarent contra neceſsitatem S. Scripturę, quia etiam Sacra Scriptura exterius docet, vndè ſi ſatis eſſet interior doctrina Spiritus Sancti, & lex ſcripta in cordibus ad certitudinem, & firmitatem fidei, ſuperflueret Scriptura; cum ergò hoc dici nequeat, nec dici poteſt, quod ſuperfluit regula exterior animata.

19. Objiciunt tertio: Quia regula viſibilis animata, v. g. Concilium, vel Papa, non eſt ita certa, & per ſe nota, quod non indigeat definiri, & declarari, quodnam ſit legitimum Concilium, quinam ſit verus Papa? Sed hoc non poteſt ita certo definiri, quod ſufficiat ad regulam infallibilem fidei: Ergò talis regula viſibilis animata nunquam poteſt eſſe regula infallibilis fidei. Probatur minor, quia in primis ipſe Papa, vel Concilium non poteſt de ſe ipſo id definire, quia nemo teſtimonium perhibet de ſe ipſo; deindè nec eſt à quo alio poſſit infallibiliter id declarari, aut definiri, quia non ponimus aliam regulam animatam, nam de illa eſſet eadem difficultas, eſſetque procedere in infinitum: Ergò nunquam poteſt ita certò definiri verum Concilium, aut verus Papa, quod ſufficiat ad regulam infallibilem fidei. Confirmatur primo: Quia vel creditur infallibiliter hunc eſſe verum Papam, aut hoc eſſe legitimum Concilium, abſque regula animata id proponente: vel requiritur regula id proponens? Si abſque regula animata: Ergò etiam alij articuli fidei credi poterunt abſque regula animata proponente: Si requiritur regula proponens, quænam illa eſt? Non ſanè ipſe Papa, vel Concilium, quia vt dixi nemo teſtimonium perhibet de ſe ipſo: Ergò.

20. Reſpondetur, quod ante acceptationem Eccleſię, ſeù antequam conſtet de legitima electione Papę, aut Congregatione Concilij, nec Papa, nec Concilium ſunt certa, & infallibilis regula credendorum; at, poſtquam conſtat de rita electione, aut celebratione Concilij, iam eſt certa regula, & infallibilis credendorum, tum ex Verbo Dei ſcripto, ſeù ex Sacro Textu, in quo promittitur Eccleſię, & Supremo eius Capiti, nempè D. Petro, & eius Succeſſoribus, aſsiſtentia Spiritus Sancti ad non errandum, & ex hac promiſsione, tanquam ex ratione formali, convincitur eius infallibilitas: Tum ex electione legitima, tanquam ex applicatione: Tum denique, quia ſemèl electus, electione ipſa ſe ipſum proponit vt regulam animatam toti Eccleſię. Cum autem arguitur, quod ipſe nequit de ſe ipſo definire. Dico, quod ſuppoſita rita electione, & acceptatione Eccleſię, benè poteſt ſe ipſum declarare, & definire vt verum Papam, & regulam veram animatam, ſaltèm exercitè, quia cum ſit in hoc genere primum, & perfectiſsimum, eſt ratio ſui, & cæterorum.

21. Ex quo ad confirmationem, dico, quod creditur infallibiliter hunc eſſe verum Papam, & hoc Concilium eſſe legitimum, ſed non ſine regula animata proponente, nam ipſe Papa legitimè electus, & ipſum Concilium legitimè congregatum ſe ipſum proponit vt regulā animatā, ac exercitè definit, & declarat ſe eſſe verum Papam, aut verum Concilium; quia cum ſit primum in genere regulę animatę, eſt ratio ſui, & cæterorum: Vndè non eſt neceſſum procedere in infinitum. Nec obſtat, quod nemo teſtimonium perhibet de ſe ipſo, quia hoc intelligitur de teſtibus purè humanis, non de habentibus authoritatem divinam, nam Deus teſtificatur de ſe ipſo, quia eius authoritas eſt prima, & perfectiſsima in ratione teſtificandi: Papa verò, aut Concilium legitimè congregatum, non teſtificatur de ſe ipſo formaliter, ſed Deus eſt, qui per vniverſalem revelationem in Scriptura contentam, teſtificatur omnem Succeſſorem Div. Petri, ſeù Eccleſiam legitimè in Concilio congregatam, eſſe infallibilem; ipſe verò Papa, ſeù Concilium ſolum declarativè, & applicativè teſtificatur de ſe ipſo, hoc eſt, declarat ſe ipſum contentum in revelatione vniverſali facta in Scriptura; in quo genere declarandi, definiendi, & applicandi Papa, ſeù Concilium eſt prima regula, & ideò eſt ratio ſui, & cæterorum.

22. Objiciunt denique: Nam quod proponit vt credendum Summus Pontifex, debet examinari ex Scripturis Sacris, ad id credendum, vndè *Actor.* 17. Bœrenſes, quibus Paulus prædicabat, tanquam habens Authoritatē Apoſtolicam, antequam crederent, ſcrutabantur Scripturas, vt viderent, ſi doctrina Pauli eis eſſet conformis, nec in hoc reprehenduntur vt increduli, ſed potius laudantur: Ergò quæcumque aſsignetur regula animata, non eſt prima, & infallibilis, ſed fallibilis, & regulanda per Scripturas. Confirmatur, quia ſi datetur regula animata infallibilis, quam intendimus, ad determinandum ſenſum S. Scripturę, illa eſſet regula habens authoritatem ſuprà authoritatem Scripturę, tum quia nulla Scriptura eſſet authentica, niſi quam Papa, vel Concilium declararet: Tum quia nullus ſenſus eius eſſet cer-

rus, & infallibilis, niſi quem regula animata viſibilis deſiniret: Sed hoc eſt abſurdum, nam aliàs homines, vel vnus homo habebit maiorem authoritatam, quam Verbum Dei ſcriptum, & conſequenter, quam ipſe Deus, quod quis dicat? Ergò.

23. Reſpondeo: Quod id quod proponit vt credendum regula animata, nempè Summus Pontifex, vel Eccleſia, poteſt conſiderari, vel reſpectu eorum, qui nondum ſunt intra Eccleſiam, nec ſuſceperunt fidem; vel reſpectu eorum, qui iam ſuſcepere fidem, & ſunt intra Eccleſiam. Reſpectu horum, dicimus, quod ſemèl quod Papa vel Concilium legitimum vniverſale, aut id in quo conſiſtat regula animata, de quo infrà, definiat aliquid de fide tenendum, debet à fidelibus ſine vllo prævio examine ſuſcipi vt conforme Scripturis, aut traditionibus, quia fideles debent ſupponere, & non examinare, quod regula viſibilis animata nihil definiet cōtra Scripturam, aut traditiones Apoſtolicas, eamque regulam revereri vt infallibilem in declarandis Scripturis, & earum ſenſibus proponendis; licèt poſſint examine conſequenti ſupponente fidem firmam, indagare conformitatem declarationis prædictę regulę cum Scriptura, non ad credendum, ſed ad firmandam, & confirmandam, & tuendam fidem iam habitam, ſicut facit Theologia Sacra. At reſpectu eorum, qui non ſunt intra Eccleſiam, nec ſuſceperunt fidem, & inquirunt veram Religionem, laudabile eſt, quod ad eam ſuſcipiendam ſcrutentur Sacras Scripturas, examinentque, an doctrina Eccleſię, ſeù Supremi eius Capitis, & regulę viſibilis ſit Scripturę conformis, nam ex hac conformitate tanquam ex vno motivo credibilitatis poſſunt induci ad credendum Eccleſię, eiuſque regulę viſibili, tanquam infallibili, vt fecerunt illi Bœrenſes, de quibus ibi dicitur: *Et multi crediderunt ex eis*, quia videlicèt videbant aſsiſtere Paulo omnia alia motiva credibilitatis exacta, & hoc vnum deſiderabant, an videlicèt proponeret conformiter, vel ſine contradictione ad Scripturas; quod vbi cognoverunt, ei tanquam regulę viſibili animatę, & infallibili ſe tradiderunt, ſeù crediderunt, tanquam organo infallibili, per quod Deus ſe explicabat.

24. Ex quo ad confirmationem, nego ſequelam; quia aliud eſt, quod Scriptura egeat regula animata, vt eius ſenſus certus determinetur, & definiatur quod ipſa ſit authēntica; aliud, quod ipſa accipiat à tali regula authoritatē: Dicimus enim Scripturam, ſeù Verbum Dei non accipere ab Eccleſia, ſeù à regula animata authoritatem, ſed ipſam per ſe habere ſummam, & infallibilem authoritatem, immò, & ipſam, ſeù per ipſam Deum conferre authoritatem infallibilem Eccleſię, ſeù regulę viſibili animatę: Authoritatem autem huius regulę viſibilis, ſeù Eccleſię ſolum requiri per modum conditionis, ſeù certę applicationis, & propoſitionis, ſine qua Verbum Dei ſcriptum debitè applicari nequit vt moveat ad fidem catholicam, & vniverſalem ipſius Eccleſię; authoritas autem, quæ ſolum exigitur per modum conditionis, & applicationis, non eſt maior, quam authoritas Verbi Dei ſcripti, ſed valdè minor. Nam ſicut Verbum Dei non movet ad fidem, niſi nobis innoteſceret per Scriptorem Canonicum ex quo non ſequitur Scriptorem Canonicum, habere maiorem autoritatem, quam Verbum Dei, ita Verbum Dei ſcriptum non poteſt movere ad fidem Catholicam, niſi nobis ſub certo ſenſu proponatur ab Eccleſia, ſeù regula animata, ex quo non licèt inferre regulam iſtam animatam habere maiorem authoritatem, quam Verbum Dei ſcriptum; quia ſicut Deus, dum loquitur per Scriptorem Canonicum, potius ipſi tribuit vt organo ſuo authoritatem, quam eam ab eo recipiat, ita dum Deus per organum animatum Eccleſię ſuum Verbum ſcriptum explicat, & proponit, non Verbum Dei ab organo, ſed organum potius à Verbo Dei accipit authoritatem, talem tamen, quod ſine illa Verbum Dei non proponeretur ſufficienter ad fidem Catholicam extorquendam.

QVESTIO V.

AN ECCLESIA SIT REGVLA viſibilis infallibilis verę fidei, & Religionis?

1. LOQVIMVR in præſenti de Eccleſia integraliter ſumpta pro toto corpore eius, quo ſenſu ipſa non poteſt eſſe regula credendorum reſpectu ſui ipſius: Quia aliàs ipſamet eſſet credens, & regula credendi ſecundum idem, ſeù eſſet ſibi ipſi regula ſecundum idem, quod non facilè cohæret, vt infrà conſtabit; vndè in hac quæſtione potius eſt ſermo de regula viſibili reſpectu eorum, qui nondum ſunt in Eccleſia, ſed extra illam, inquirunt tamen veram Religionem, & fidem, in qua ſalvari poſsint, & ideò ponimus in titulo: An ſit regula viſibilis, & infallibilis verę fidei,

dei, & Religionis, id eſt, an ipſa viſibiliter, & infallibiliter proponat toti mundo veram fidem, & Religionem. Pro cuius deciſione congruum exiſtimavi hic interſerere brevem de Eccleſia deſcriptionem.

SVMMARIA ECCLESIÆ explicatio.

2. DE hoc argumento latè egerunt, Cano *de locis*, Bellarminus, *de Verbo Dei*. Petrus Soto, & Hoſius, *contra Brentium*, Clythobeus, & Roffenſis *contra Luterum*, Turrecremata, *in Summa de Eccleſ.* Suarez in præſent. *diſp.* 9. de Eccleſia, & alij. Ex quibus compendioſè dicam, quę ſequuntur.

3. Igitur, *Eccleſia* ſecundum ſui nominis ethymologiam, idem ſonat, ac convocatio plurium hominum, ſeù rationalium ad aliquid audiendum, vel conſulendum; ad diſtinctionem huius nominis *Synagoga*, qui congregationi cuilibet, etiam pecudum, & brutorum, convenire poteſt: Et ideò populus antiquę legis *Synagoga* appellatur, populus verò legis gratię *Eccleſia*, quia tempore legis gratię homines ſub illa congregati magis ſunt ſpirituales, & rationales, quam tempore legis ſcriptę: De quo videatur Auguſt. *Pſalm.* 81. Beda, *Proberv.* 5. Ad illa verba: *In medio Eccleſię.*

4. Eccleſia autem, alia dicitur Triumphans, alia Militans. Triumphans eſt congregatio, ſivè cœtus omnium Beatorum Deum clarè videntium. Militans eſt congregatio omnium fidelium Viatorum in Chriſto credentium. Rurſus Eccleſia poteſt ſumi, vel pro ſolis Prælatis, & Paſtoribus, vt cum *Matth.* 18. dicitur: *Dic Eccleſię.* Vel precipuè pro integra congregatione fidelium. Item poteſt ſumi particulariter, pro Eccleſijs particularibus, vt cum vocantur plures Eccleſię, quę ſub diverſis Epiſcopis, vel in diverſis Provincijs degunt: Vel vniverſaliter pro Eccleſia vniverſali. Igitur in præſenti ſolum eſt ſermo de Eccleſia Militante vniverſali, ſumpta pro congregatione omnium Chriſti fidelium vbiquè terrarum degentium, in qua *non eſt diſtinctio, Iudei, & Græci*, vt inquit Paulus *ad Rom.* 10. *Sed omnis, qui credit in illum non confundetur*; nam vt dicitur *Actor.* 2. *Vobis, & omnibus, qui longè ſunt, quoſcumque advocaverit Dominus, eſt repromiſſo.* His ſuppoſitis.

5. Dico primo: *Eccleſia eſt Corpus Myſticum, ſeù morale ex hominibus veram Chriſti fidem profitentibus coalleſcens.* Patet manifeſtè, quia Eccleſia, de qua loquimur, non eſt vna perſona ſimplex, ſed quoddam compoſitum, ſeù congregatio ex pluribus, quę myſticè, ſeù moraliter loquēdo, dicitur Corpus; vt Corpus, Civitatis, Corpus exercitus, &c. Vndè non eſt Corpus phyſicum, ſeù naturale, ſed myſticum, aut morale. Deindè hoc Corpus non coalleſcit ex omnibus omninò hominibus, ſivè Iudeis, ſivè Paganis, vt per ſe patet, nam iſti ſunt extra Eccleſiam Catholicam; nec ex alijs infidelibus, vt ſtatim conſtabit: Ergò eſt Corpus myſticum ex hominibus profitentibus fidem Chriſti coalleſcens.

6. Dico ſecundo: *Materia huius myſtici Corporis, ſeù Eccleſię ſunt homines, qui fidem Chriſti profitentur, forma verò eſt ipſa vera fides Chriſti*: Patet primo ex Concilio Lateranenſi, vbi explicatur forma, & materia Eccleſię, ſicut à nobis. Et ex Nicolao Papa *de conſecratione*: Eſtque communis omnium Catholicorum intelligentia, & ſenſus. Secundo ex omnibus Sacri Textus locis, in quibus Eccleſia dicitur fundata in fide, vt ad *Epheſ.* 2. *Superędificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum*, quod quidem fundamentum fides eſt, ab Apoſtolis, & Prophetis accepta. Et item *Math.* 16 *Super hanc Petram ędificabo Eccleſiam meam*, nempè ſuper fidei confeſſionem à D. Petro factam: Hoc enim fundamentum forma eſt, vi cuius vniuntur omnia Eccleſię membra. Tertio ratione, quia forma Corporis moralis debet eſſe ea, vi cuius vniuntur, & concordant omnia membra, ſeù omnes partes talis Corporis: Sed non eſt alia forma, vi cuius cohæreant, & concordent omnia membra Eccleſię, niſi fides, vt reiectis erroribus ſequentibus, conſtabit: Ergò.

7. Erravit ergò primo Ioannes Hus, & Vvicleph damnati à Concilio Conſtantienſi, *Seſſ.* 15. & 26. dicens, ſolam prædeſtinationem eſſe formam Eccleſię, ſoloſque prædeſtinatos eſſe Eccleſię membra re ipſa, cæteros autem fideles, ſolum exiſtimativè eſſe Eccleſię partes. Erravit, inquam, tum quia aliàs iuſti, qui non ſunt prædeſtinati, quantumvis de præſenti ſancti ſint, eſſent extra Eccleſiam, & extra Eccleſiam haberent veram fidem, & iuſtitiam: Item ſequitur Pontifices, & Epiſcopos regentes Eccleſiam, tanquam Principes, & Capita Eccleſię, non eſſe membra, nec partes Eccleſię, quod per ſe eſt falſum; vel non eſſe verè Epiſcopos, nec Rectores Eccleſię, quod quis non videat eſſe delyrium manifeſtum. Item ſequitur Eccleſiam eſſe formaliter quid incognitum, & ſecretum in Mundo, à nullo cognoſcibile, ſiquidem prædeſtinatio, quę iuxta hos Hæreticos Eccleſiam formaliter conſtituit, omninò ſecreta, & occulta eſt: Quę quidem abſurda, licèt

de-

Digitized by Google

devorentur ad his Hereticis; ſunt manifeſta deliria, & contra Sacram Scripturam locis infra citandis.

8. Sed dices: Chriſtus *Ioan.* 10. inquit: *Oves meę vocem meam audiunt, & nemo rapiet eas de manu mea*: Sed hoc ſolis convenit prædeſtinatis: Ergò ſoli prædeſtinati ſunt oves Chriſti, & conſequenter ſoli illi ſunt vera membra Eccleſię. Secundo ex illo *Ioann.* 2. vbi dicitur: *Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis: Si enim eſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum*: Ergò qui non perſeveraturus eſt vſque in finem, id eſt, qui non eſt prædeſtinatus, non eſt re ipſa membrum Eccleſię. Tertio, nam Div. *Auguſt.* 5. *de Baptiſmo, cap.* 27. *ex Cantic.* 4. inquit, Eccleſiam vocari *Hortum concluſum*, quia ſolos continet prædeſtinatos: Ergò. Reſpondeo ex eodem Div. Auguſtino, de Corrept. & Grat. *cap.* 7. *& de bono perſeverant. cap.* 9. & alibi ſæpè, quod de hominibus, poſſumus loqui, vel ſecundum Dei præſcientiam, & finale iudicium, ſeù ſecundum ęternitatem; vel ſecundum præſentem iuſtitiam, & ſtatum, quem habent ad tempus. Igitur Eccleſia Militans, propriè accepta, ſolum eſt Congregatio hominum in fide Chriſti ſecundum præſentem ſtatum, aut iuſtitiam, eſt enim Regnum Cœlorum præſentis temporis, quod à Chriſto comparatur *Sagenę miſſę in mari ex omni genere piſcium congreganti, quam educentes, & ſecus littus ſedentes, elegerunt bonos in vaſa, malos autem foras miſerunt*, id eſt, in die iudicij: Eſt etiam Regnum illud, de quo dicitur: *Mittet Angelos ſuos, qui colligent de Regno eius omnia ſcandala*: Eſt demum agrum illud, in quo inimicus Homo ſeminat Zizania inter Triticum, & creſcit vtraque vſque ad meſſem, id eſt, vſque ad iudicium, in quo fit ſeparatio: Et huius Regni, agri, & Sagenę, ſeù Eccleſię in his ſignificatę ſunt membra omnes Chriſti fideles, ſivè prædeſtinati ſint, ſivè non prædeſtinati. Loquendo verò de ovibus Chriſti ſecundum finale iudicium, ſeù ſecundum præſcientiam, & ęternitatem, tenet illud: *Oves meę vocem meam audiunt, &c.* & illud: *Non erant ex nobis, &c.* Et quod ait Auguſtinus, Eccleſiam, nempè, numerum prædeſtinatorum, eſſe *Hortum concluſum*, quia ſolos continet prædeſtinatos; ſed hoc pacto Eccleſia ſumitur impropriè, nempè pro occulto, & ſecreto numero electorum, ſeù pro Eccleſia, quę remanebit poſt iudicium finale per ęternitatem, prout nunc eſt in Dei præſcientia, de qua nunc non loquimur, ſed ſolum de Eccleſia præſentis temporis fundata à Chriſto ſupra fidei confeſsionem, & ſupra fidem Apoſtolorum, & Prophetarum, expoſitaque toti Mundo, vt homines ad illam, tanquam ad diluvij arcam confugiant, in qua ſalventur; quo pacto non eſt hortus ita concluſus, vt numerus prædeſtinatorum, alias vbi hæc Eccleſia eſſet, aut ex quibus conſtaret prorſus eſſet ignotum, nec huiuſmodi refugij Civitas vlli hominum pateret, ſed ab oculis hominum abſcondita foret, & conſequenter fruſtra fundata. De quo amplius infra.

9. Secundo errarunt Luterus, & alij Heretici, tam antiqui, quam moderni, dicentes formam Eccleſię eſſe ſanctitatem, gratiam, & charitatem; adeò vt ſoli iuſti, qui ſunt in gratia, & charitate Chriſti, ſint membra ipſius, cæteros autem quantumvis credentes non eſſe Eccleſię membra. Errarunt, inquam, nam fide ſanctum eſt, fideles peccatores, etiam ſi non ſint in gratia, nec charitate, eſſe intra Eccleſiam tanquam membra eius. Quod ſatis patet ex præfatis Parabolis, de Regno Dei, in quo ſcandala ſunt, quę colligantur, de Sagena miſſa in mari, de agro habente zizania cum Tritico, & inſuper de decem Virginibus, in queis erant prudentes, & fatuę; & tamen Regnum Cœlorum illis decem comparatur: Et de areà continente Triticum, & paleas. Quas omnes Parabolas communis PP. & Interpretum Cætus expoſuit de Eccleſia præſentis temporis; ſicut Arcam Noè, inquiunt præfiguraſſe Eccleſiam, in qua tamen erant animalia munda, & immunda: Ergò Eccleſia præſentis temporis non ſolum ex iuſtis exiſtentibus in gratia, & charitate, ſed ex fidelibus peccatoribus coalleſcit. Vndè Apoſt. *ad Timoth.* 2. inquit: *In magna domo, non ſolum ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia*: Quę quidem magna domus Eccleſia Dei eſt, iuxta communem PP. intelligentiam, vaſa autem aurea, & argentea iuſti, lignea autem, & fictilia peccatores fideles. Vndè rectè dixit Gregorius M. *Homil.* 38. in Evang. *Sicut Eccleſia media eſt inter Cœlum, & Infernum, ita, & vtriuſque partes, & Cives intra ſe recipit*,

10, Quod quidem confirmari poteſt, nam Eccleſia iuriſdictionem propriam, ac ſpiritualem exercet in peccatores, eiuſque regimini ſubſunt, accipiuntque ab ea Sacramenta, & in Sacramentis, alijſque ſpiritualibus beneficijs cum iuſtis communicant: Itemque Supremum Eccleſię Caput in eis influit fidem, & ſpem, in quibus cú iuſtis cohærent, & copulantur: Sunt ergò membra Eccleſię, nam de his, quę foris ſunt, ad Eccleſiam non pertinet, vt colligitur ex *Apoſt.* 1. *ad Corinth.* 5. Ergò peccatores fideles, non foris, ſed intra Eccleſiam ſunt. Vndè hæc ſententia definita eſt in Concilio Conſtantienſi *Seſſ.* 15. & conſtat ex alijs etiam

Con-

Concilijs, & Decretis iuris Canonici, vbi Eccleſia communiter appellatur Congregatio Fidelium.

11. Nec in contra obeſt, quod Eccleſia dicitur in Symbolo *Sancta*, illis verbis, *Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Eccleſiam.* Nam dicitur Sancta, non ab omnibus ſuis membris, ſed ab eius inſtitutis, legibus, Sacramentis, & doctrina, quę ómnia Sancta ſunt: Et item, dicitur Sancta per ſe, quia per ſe exigit quod omnia illius membra Sancta ſint, idque ſolicitat, & curat, & conatur, licèt per accidens plura membra à ſanctitate declinent: Item, dicitur Sancta à principalioribus membris eius, qui ſunt iuſti, & animę ſanctę, in quibus principalis Eccleſię portio ſita eſt.

12. Nec obeſt ſecundo illud Pauli *ad Ephes. 5.* nempè: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſe ipſum pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam labacro aquę in verbo vitę, vt exhiberet ſibi Glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid huiuſmodi, vt ſit Sancta, & immaculata.* Non inquam obeſt, quia alirer ſe habet Eccleſia in via, aliter in Patria; vndè licèt finis Chriſti diligentis, ſantificantis, & mundantis Eccleſiam in via, ſit exhibere ſibi Eccleſiam Glorioſam, non habentem maculam, neque rugam, id tamen ſolum implebitur in Patria, nunc autem in via Eccleſia militans non poteſt eſſe ita munda, Glorioſa, & Immaculata, alias Chriſtus in illa non haberet quid mundaret, aut purgaret; vndè nunc Eccleſia eſt munda, & Immaculata in fieri, ſeù vialiter, ad quod non exigitur, quod de facto omnia membra eius ſint Sancta, & immaculata, ſed ſatis eſt, quod præcipua eius membra Sancta ſint, & quod de facto influat Chriſtus in omnibus ad eorum munditiam, & ſanctitatem cauſandam; ſicut Corpus dicitur ſanum in fieri, quando principes eius partes iam liberę ſunt ab ęgritudine, & influunt in cæteras ad ſanitatem eis communicandam: Et ſimiliter exponendum eſt illud de Canticis Cāt. 1. *Pulchra eſt amica mea, & macula non eſt in te*, nempè de Eccleſia Triumphante, non de Eccleſia Militante, & in via.

13. Nec obeſt tertio: Quod Eccleſia debet eſſe Corpus viuum, iuxta illud Hugonis de S. Victore: *In Corpore Chriſti nihil mortuum eſt, ſicut extra illud nihil viuit*: Sed exiſtentes in peccato mortali mortui ſunt ſpiritualiter: Ergò non ſunt in Corpore Chriſti, nec in Eccleſia. Quod confirmari poteſt, quia exiſtentes in peccato non ſunt Filij Dei: Ergò nec Filij Eccleſię: Ergò nec eius membra. Reſpondetur enim, duplicem eſſe vitam ſpiritualem, nempè perfectam per gratiam, & charitatem, & imperfectam per fidem ſupernaturalem: Eccleſia ergò debet eſſe Corpus viuum vtraque vita, ſed non ita quod omnia eius membra participent vitam perfectam, ſed principaliora vitam perfectam, & alia, imperfectam. Sicut Corpus hominis debet eſſe viuum vita rationali, ſenſitiva, & vegetativa, ſed non ita quod omnia eius membra participent vitam rationalem, aut ſenſitivam, ſed aliqua poſſunt eſſe, quę tãtum participent vitam vegetativam, & ſint vera membra ipſius Corporis: Peccatores ergò mortui ſunt quantum ad vitam perfectam gratię, & charitatis; ſed viui vita imperfecta fidei, vel etiam ſpei: Et ideò ſunt vera membra Corporis Chriſti. Sunt etiam Filij Dei in potentia proxima, iuxta illud *Ioann. 1. Dedit eis poteſtatem Filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius*; & hoc ſufficit vt ſint Filij Eccleſię Militantis, quia omnes, qui acceperunt per fidem poteſtatem Filios Dei fieri, iam ſunt Filij Eccleſię, quę hos ſæpè reconciliat Patri, vt eos in adoptionem recipiat.

14. An verò Schiſmatici, Excommunicati, & Catechumeni, ſint vera membra Eccleſię, dubitatur inter Catholicos. Et quantum ad Schiſmaticos, diſtinguendum eſt, nam vel ſunt tales, quod ſectam faciant contra fidem, aut negēt verum Caput Supremum in Eccleſia, aut ritè electum, & acceptatum ab Eccleſia vt talem, eſſe verum Papam: Vel nihil horum faciunt, ſed ſolum negant obedientiam Eccleſię, aut decertant de verò Papa, antequam conſtet de rita electione. Si hoc ſecundo modo ſint Schiſmatici, dico quod ſunt membra Eccleſię, quia retinent veram fidem, quę eſt Eccleſię forma, licèt aliquomodo ſcindant Eccleſiã, nempè, quoad charitatis vnitatem. Si verò primo modo ſe habent, vt eſt regulare in Schiſmaticis, iuxta illud Div. Hierony. in Epiſtol. *ad Titum. 3. Nullum ſchiſma non ſibi aliquam confingit hæreſim, vt rectè ab Eccleſia diſceſſiſſè videatur*, deſinunt eſſe membra Eccleſię, quia non ſolum ſeparantur à Corpore Eccleſię, ſcindendo vnitatem charitatis, ſed ſcindendo vnitatem fidei, qua diviſa, nulla ipſis remanet vnio cũ cæteris membris, & ideò ſunt extra Eccleſiam; & in hoc ſenſu explicari debent SS. PP. teſtimonia, quę pro vtraque parte ſolent aduci.

13. Quantum verò ad Excommunicatos, certius eſt eſſe vera membra Eccleſię, quandiu retinent veram fidem; nam aliud eſt ſeparari ad tempus à communicatione cum cæteris membris, aliud re ipſa ſcindi, & ſeparari ab illis; poteſt enim permanere vnio membrorum, prohibita, vel impedita communicatione,

ne, vt ſi in corpore humano ad aliquod tempus vnum membrum non communicet, nec influat in ſibi proximum, ſervata tamen continuitate, & vnitate vtriuſque: Excommunicatio ergò non ſcindit excommunicatum, nec illum ſeparat à Corpore Eccleſię, ſed ſolum prohibet communicationem aliorum membrorum cum eo ad tempus, iuxta illud Div. Auguſt. contra Donatiſtas, *poſt. Colot. cap.* 20. dicentis: *Non ſeparamus à populo Dei, quos degradando, vel excommunicando punimus.* Nec obeſt, quod excommunicatus dicatur habendus, *quaſi Ethnicus, & Publicanus*, quia non dicitur abſolutè Ethnicus, ſed quaſi Ethnicus, id eſt, quantum ad actualem communicationem.

16. Quantum denique ad Catechumenos eſt maior difficultas, nam ex vna parte habent veram fidem in Chriſto, & ex alia nondum ſunt Baptizati. Vndè inter Catholicos, alij eos membra Chriſti aſſerunt, alij negant. Sed diſidium ſolum eſt, ex modo loquendi, dicendum ergò eſt, eos eſſe membra Chriſti in voto, in merito, & diſpoſitione, & conſequenter imperfectè, & inchoativè, ſed non conſummatè perfectè, & formaliter. Ratio eſt, quia fides non vt cumque eſt forma Eccleſię, ſed vt authenticè profeſſa coram Ecclaſia; nam cum Eccleſia ſit Corpus viſibile, non poteſt coſtitui per formam inviſibilem vt inviſibilem, qualis eſt fides purè interna ante externam eius profeſſionem; ſed per fidem vt exterius authenticè manifeſtatam: Sed hæc authentica profeſſio, ſeù manifeſtatio fidei non fit niſi in Baptiſmo, & per Baptiſmum: Ergò ante Baptiſmum Catechumenus, quamvis credens, non eſt conſummatè, & formaliter membrum Eccleſię, ſed ſolum diſpoſitivè, ſeù inchoativè, in voto, & merito. Vndè Div. Thom. 3. *part. quaſt.* 69. *articul.* 5. *ad* 1. ſic ait: *Adulti prius credentes in Chriſtum, ſunt ei incorporati mentaliter, ſed poſtmodum cum baptizantur, incorporantur ei quodam modo corporaliter, ſcilicèt per viſibile Sacramentum, ſine cuius propoſito nec mentaliter incorporari potuiſſent.*

17. Et confirmari poteſt, nam Div. Paulus explicat vnitatem Eccleſię *Epheſ.* 4. per hoc quod ſit: *Vnum Corpus, vnus Spiritus, vna Fides, vnum Baptiſma*: Ergò vt quis ſit membrum Chriſti formaliter, & completè, non ſatis eſt, quod ſit in vno Spiritu, & vna Fide, ſed etiam in vno Baptiſmate. Item, quia Eugenius IV. in Concil. Florent. vocat Baptiſmum, ſpiritualem Ianuam ad Eccleſiam: *Per ipſum enim*, inquit, *membra Chriſti, ac de Corpore efficimur Eccleſię.* Idemque aſſerunt communiter SS. PP. & Div. Thom. 1. 2. *quaſt.* 5. *articul.* 7. *ad* 2. *& quaſt.* 113. *artic.* 3. *ad* 1. *&* 3. *part. quaſt.* 48. *artic.* 1. *in Corp. & quaſt.* 26. *artic.* 1. *in Corp. & quaſt.* 68. *artic. in Corp. & alibi ſæpè*: Ergò ante Baptiſmū nullus eſt formaliter, ſeù conſummatè, & in facto eſſe membrum Chriſti, aut Eccleſię, ſed ad ſummum in voto, in fieri, & diſpoſitivè.

18. Nec in contra obſtat, quod fides eſt forma Eccleſię. Quia ſolum eſt forma completa vt confeſſa exterius per authenticam profeſſionem, quę fit in Baptiſmo, vt iam diximus. Nec item obeſt, quod in *cap. veniens* dicitur, quod non ſolum per Sacramentum, ſed per fidei Sacramētum efficitur quiſquam membrum Chriſti. Nam dato quod per Fidei Sacramentum intelligatur fides ante Baptiſmum, hoc ſolum probat, per illam effici mentaliter, ſeù inchoactivè membrum Chriſti; non conſummatè, & in facto eſſe. Nec item obeſt, quod Catechumenus, ſine Baptiſmo ſalvari poteſt: Et nemo extra Eccleſiam poteſt ſalvari. Reſpondeo enim quod nemo extra Eccleſiam vel in re, vel in voto, poteſt ſalvari; at dummodo ſit in voto, vel in merito, vel diſpoſitivè, & inchoactivè intra Eccleſiam, ſi ob impoſſibilitatem non ſit intra Eccleſiam in re, conſummatè, & perfectè, ſalvari poteſt, quia ſufficienter eſt intra Eccleſiam, vt ſalvetur. Nec item obeſt, quod in lege veteri, ante Circuncīſionem poterat quis eſſe membrum Eccleſię antiquę. Dico enim, quod poterat eſſe inchoactivè membrum, ſed non formaliter, & in facto eſſe, ſine ſignaculo Circuncīſionis. Nec demum obeſt, quod Catechumeni aliquam fidei profeſſionem faciant ante Baptiſmum: Quia illa non eſt authentica, per quam Eccleſia eos in ſua membra recipiat; ſed ſolum privata, & diſpoſitiva ad authenticam faciendam. Et ſic explicandi ſunt PP. ſi aliquando Catechumenos numerant inter Eccleſię membra.

19. Ex quibus infertur non habentes fidem, nec Baptiſmum non eſſe membra Eccleſię: Et ſic Paganos omnes omnimodis extra Eccleſiam eſſe. De Hæreticis autem eſt alia difficultas, nam licèt non habeant veram fidem Chriſti, habent tamen caracterem Baptiſmi. Verumtamen, dicendum eſt, eos ſolum nomine tenus eſſe membra Eccleſię, non autem re ipſa. Nam ad verum membrum Chriſti, & Eccleſię vtrumque requiritur, & fides, & Baptiſmus, fides tanquam forma in recto, Baptiſmus pro connotato eſſentialiter exacto ad viſibilitatem Eccleſię, & membrorum eius: Cum autem Hæretici non habeant fidem, quamvis habeant Baptiſmum, indè eſt, eos ſolum apparēter, & exterius eſſe membra Eccleſię: Re ipſa tamen non

ſunt

ſunt membra Eccleſię, quia deficit eis forma, quę in recto membra Eccleſię vera conſtituit.

20. Et hoc quidem verum tenet, non ſolum in Hæreticis externis, ſed in quolibet Hæretico, quamvis purè mentaliter tali, & per ſe occulto, quidquid dicat Petrus Soto, & alij ex Catholicis. Nam, quamvis in exteriori cultu, & externa fidei profeſsione conveniat cum cæteris Eccleſię membris, tamen hæc pura exterioritas eſt veluti corpus ſine anima, & apparientia purè fictitia, quę non ſufficit ad verum membrum Chriſti; ſed requiritur vera forma, nempè fides, quę eſt veluti Anima Corporis Eccleſię. Sicut, qui cum omnibus ſignis exterioribus doloris accedit ad Sacramentum pœnitentię, ſi accedit ſine vero dolore interno, non facit Sacramentum verum, ſed purè apparens, quia illa ſigna exteriora ſunt veluti inanimata, ſine vero dolore interiori, qui debet eſſe vera materia Sacramenti. Hæc ſufficiant de forma, & materia Eccleſię.

Origo Eccleſię, & duratio.

21. QVANTUN autem ad Eccleſię initium, & originem, ſenſerunt aliqui incœpiſſe à Creatione Angelorum. Sed ſanè hic ſermo non eſt de Eccleſia Angelorum, quę viſibilem communionem non habet cum noſtra propriè loquendo, ſed de Eccleſia hominum. De qua quidem.

22. Dico, incœpiſſe ex Adamo, & Eva, ex quibus primo conſtituta eſt Eccleſia. Ratio eſt, nam in Adamo ſolo Eccleſia eſſe non potuit, cum Eccleſia nomen ſit collectivum, ſignificans vnitatem, ſeù convocationem plurium, vndè in vno ſolo ſalvari nequit: Formata verò Eva, iam inter illos erat vera fides Dei, & communicatio, ac per conſequens vera Eccleſia. Sed dubium eſt, an inter illos fuerit vera Eccleſia eadem, quę nunc eſt? Nam ad hanc requiritur, nō quæcumque fidei, ſed fidei Chriſti. Veruntamen probabile valdè eſt, etiam in ſtatu innocentię habuiſſe Adamum, & Evam veram fidem Chriſti; ac per conſequens ex tunc fuiſſe veram Eccleſiam fundatam in fide Chriſti, ſicut nunc; licèt non in fide Chriſti vt Redemptoris, & Liberatoris à peccato, ſicut fuit poſt lapſum. Vndè ſaltèm poſt lapſum certum eſt fuiſſe veram Eccleſiam fundatam in fide Chriſti Redemptoris.

23. Sed dices, vera Eccleſia non datur ſine externa profeſsione fidei, & Religionis per externum cultum: Sed externus cultus incœpit ex Abel, qui primus legitur obtuliſſe Deo Sacrificium: Ergò ex ipſo incœpit Eccleſia. Item: Poſt lapſum Adam, & Eva ſimul fuerunt in peccato: Sed pro tunc inter eos non poterat eſſe vera Eccleſia, quia Eccleſia debet eſſe Sancta, ſaltèm in aliquibus membris eius: Ergò Eccleſia non incœpit ab ipſis, ſaltèm poſt lapſum.

24. Reſpondeo tamen, ad veram Eccleſiam non requiri eſſentialiter cultum externum Dei, ſed ſolum tanquam proprietas connaturaliter. Exacta, quę, dato quod aliquo tempore deſeciſſet, non propterea defeciſſet vera Eccleſia, quoad eſſentiam, quia hæc per fidem, & externam eius profeſsionem conſtituitur ſufficienter; quę quidem fides externè profeſſa abſdubio fuit in Adamo, & Eva ante Abelem. Præterquàm, quod credibilius eſt, etiam ante Abelem, Adamum, & Evam obtuliſſe Deo munera, & ſacrificia, & exercuiſſe cultum externum Religionis, nam Abel, & Cain à nullo alio potuerunt diſcere talem cultum, niſi à Parentibus. Ad ſecundum dico, quod ad eſſentiam Eccleſię non requiritur ſanctitas, & gratia habitualis in membris eius, nam pro illo ſtatu, quando Eccleſia erat tantum in tribus, vel quatuor perſonis, benè poterat contingere, quod omnes eſſent in peccato pro aliqua mora, aut brevi duratione, & hoc quidem mortuo Abele, eandem haber contingentiam, ac ante Abelis ortum, nam eo mortuo remanſit Eccleſia in tribus præcisè, quorum Cain erat in peccato, ſi ergò tunc Adamus, & Eva peccatum lætale incurrerent, nunqoid propterea deficeret Eccleſia? Minimè: Ergò ſufficit quod Eccleſia ſit Sancta inſtituto, fide, & cultu, vt ſuprà dicebamus.

25. Dico ſecundo: Si Eccleſia accipiatur magis ſtrictè, & ſpecialiter, prout diſtincta à Synagoga, & à Congregatione Fidelium legis naturę, prout nempè hoc nomen *Eccleſia* pertinet ad tempus legis gratię, incœpit à Chriſto D. tamquam ab eius Inſtitutore. Patet, eſt que fide certum, ex illo *Matth.* 16. *Super hanc Petram ędificabo Eccleſiam meam.* Itemque huiuſmodi Eccleſia dicitur fundata ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum: Hoc autem fundamentum Chriſtus eſt, iuxta illud Apoſtoli: *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus:* Chriſtus ergò eſt primum fundamentum Eccleſię, & eius Inſtitutor, Caputque Supremum, iuxta illud: *Lapidem, quem reprobaberunt ędificantes, hic factus eſt in Caput anguli.* Eſt enim lapis angularis, in quo nectitur Synagoga cum Eccleſia, nam Chriſtus fuit finis, in quo terminata fuit lex ſcripta, & initium ſumpſit lex gratię.

26. De duratione Eccleſię diſputant etiam dogmatici. Ex quibus conſtat vniformiter Eccleſiam, ex quo incœpit, numquam in

terris defuiſſe, nec defecturã forè, vſque ad diẽ iudicij: Et quidem incœpit in Adamo, & Eva, qui cum eſſent Primi Parentes cæterorum, & accepiſſent a Deo fidem, indubium eſt, quod eam fidem docuerũt Filijs, ac Nepotibus, & curarunt, vt toto tempore vitę eorum in ſuis deſcendentibus conſervaretur, & promulgaretur, nempè per tempus nongentorum annorum, quibus vixit Adamus. Quo tempore iam viuebat, & vigebat fide, & iuſtitia Henoch, qui proindè fidem in ſuo populo conſervavit, ac doceri, & promulgari curavit vſquedum translatus fuit de terra ad Paradiſum. Cui quidem ſucceſſit Lamech, vir quidem magnę fidei, nam ex ea ſanè proceſsit, quod dixit in ortu Noe, *Gen. 5. Iſte conſolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum noſtrarum in terra, cui maledixit Dominus.* Tempore verò Noe, vſque ad Dilubiũ dubitari nequit, quod fides in ſuo populo perſeveraverit, nam de illo dicitur, quod *fuit vir iuſtus, atque perfectus in generationibus ſuis, & quod invenit gratiam coram Domino, & cum Deo ambulavit*: Quis ergò dubitet, & eũ in ſuo populo fidem, ac Dei doctrinam à Parentibus acceptam, pro poſſe conſervaſſe, & tradidiſſe? Poſt Dilubium autem, in quo ipſi Noe, & filijs eius ita evidenter patuerunt divina iudicia, & mandata, ac myſteria, quis dubitet fidem diutiſsimè duraſſe, ex Patribuſque ad Filios, & Nepotes promanaſſe, ſaltèm per generationem, & deſcendentiam Sèm, vſque ad tempus Abrahę, potiſsimè cum tempore Habraę adhùc viuerent Noe, & Sem. Cum autem his temporibus cœpiſſet prævalere idolatria, vocavit Deus Abraham, vt novum Fidei Patrem, qùiquidem maiora myſteria à Deo edoctus, fidem amplificavit in poſteris, & Eccleſiam conſervavit, & auxit, iam antea penè labentem. Nec item poteſt eſſe dubium, quod fides, & Eccleſia ita ab Abraham, per Iſaac, & Iacob, & eius Filios amplificata, & roborata, duraverit, vſque ad tempus Moyſis in pluribus ex Filijs Iſrael, adhùc ſub iugo Pharaonis gementibus; non enim eſt credibile, quod tàm brevi intervallo, nempè trium generationum tantum, extincta fuerit in Iſraelitis fides à ſuis Parentibus, nempè à Filijs Iacob, tàm firmiter accepta. In Moyſe autem iterum inſtaurata, amplificata, & roborata fuit fides tot portentis, ſignis, & prodigijs, & præſertim promulgatione authentica legis ſcriptę à Deo acceptę: Ex quo tempore initium ſumpſit Synagoga ex inſtitutione divina inſtructa Põtificibus, Sacerdotibus, Levitis, Miniſtris eorum, Sacrificijs, ritibuſque præſcriptis ſingulis, & ad ſingula miniſteria: Indubitabile item eſt in hac Synagoga duraſſe veram fidem, vſque ad Chriſtum Dominum, ac per conſequens veram Eccleſiam: Quam quidem, cum Deus iam propter Iudæorum vitia, & pravos mores videret penè ruentem, cum venit plenitudo temporis, miſsit Deus Filium ſuum in terra, qui legem gratię promulgaret, & Eccleſiam fundaret in ęternum duraturam. Cumque natus in terris, Apoſtolos, tanquam lapides fundamentales convocaſſet, Evangelium prædicaſſet, & fidem ſeminaſſet, ac portentis, & miraculis confirmaſſet, pro Eccleſia ſua vltro ſe Morti, & Paſsioni tradidit, vt granum frumenti cadens in terram, & mortuum in copioſiſsimos fructus reſurgeret, ſicuti & reſurrexit, & gregem illum puſillum collegit, & inſtituit, ac tandem in Monte Sion adventu Spiritus Sancti legem gratię promulgavit, eamque, non in tabulis lapideis, vt olim in Sina; ſed in cordibus impreſsit per Spiritum Sanctum; ex tuncque perfectè fundata manſit Eccleſia Chriſti, & Synagoga derelicta, data poteſtate Apoſtolis fidem, ac legem gratię per vniverſum Mundum propagandi, ſicuti & factum eſt, extenſa Eccleſia à Mari, vſque ad Mare, & à flumine, vſque ad terminos Orbis terrarum, cuius Supremum Caput, nempè Petrus à Deo in ſui Vicarium deſignatus, primum in Antyochia, ac demum Romę Cathedram ſuam collocavit; vndè merito huiuſmodi Eccleſia Chriſtianorum dicitur *Apoſtolica*, quia fundata ſuper fundamentum Apoſtolorum: Catholica, quia vniverſalis ac diffuſſa per Orbem vniverſum: Romana, quia in Roma reſidet Supremum eius Caput, ac Chriſti Vicarius. Quod autem hæc Eccleſia duratura ſit vſque ad diem iudicij, de fide etiam eſt, ex illo: *Et portę inferi non prævalebunt, adverſus eam*; & ex illo: *Regni eius non erit finis*, & ex toto penè Evangelio, in quo huiuſmodi Eccleſię Chriſti perſeverantia, & conſtantia vſque dum ipſe Chriſtus veniat iudicare viuos, & mortuos, ſatis exprimitur. Conſtat ergò Eccleſiam dicendam forè perpetuam, iuxta illud *Pſalm. 47. Fundavit eam in ęternum*, & illud *Oſeę 2. Sponſabo te mihi in fide, ſponſabo te mihi in ſempiternum*; nam licèt prout fide innixa, & per fidem, ac ſpem ambulans, ſeù prout militans, tantum duratura ſit vſque ad diem iudicij, tamen vt triumphans, & fruens Deo per viſionem ęternaliter durabit.

27. Contra quam Eccleſię continuitatem, & permanentiam ſolet opponi primo, quod tempore legis ſcriptę aliquoties contigit ita increbuiſſe hominum malitiam, vt defuiſſe videatur in omnibus fides, vel ſaltèm gratia, & ſanctitas, vt cum *Iſaias 1.* aiebat de populo Dei: *A planta pedis, vſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas*, & *Pſalm. 11. Salvum-*

me fac Deus, quoniam defecit Sanctus, & eum *Exod.* 32. totus populus, adoraſſe vitulum, dicitur, per idolatriam: Ergò tunc interrupta fuit fides, vel ſaltèm ſanctitas, & conſequenter Dei Eccleſia. Secundò in triduo Mortis Chriſti, Eccleſia à Chriſto fundata defuiſſe videtur, nam fides Chriſti defuit in omnibus, præterquàm in B. V. in cuius ſignum Eccleſia extinguit in matutinis illorum dierum omnes Candelas tenebrarij, præter vnam principalem, quę B. V. repræſentat; quia videlicèt in omnibus alijs, præter illam, extinctum fuit lumen fidei: Sed in ſola B. V. non potuit permanere Eccleſia, quia vt ſuprà diximus, Eccleſia eſt plurium Congregatio: Ergò.

28. Sed ad primum reſpondetur, nunquam tempore Synagogę, aut legis ſcriptę defuiſſe in omnibus fidem, & gratiam; vndè eum dicitur: *A planta pedis, &c.* Non eſt intelligendum eum tanta vniverſalitate, vt omnes, nullis, adhùc paucíſſimis exceptis, defecerint à fide, & charitate, ſed ſolum quod tanta fuit morum corruptio, & ita vndiquè ſerpens, quod qui fidem, & charitatem in populo conſervabant, reſpectu perditorum adeò pauci erant, quod vix apparerent. Vndè cum *Elias* 3. *Reg.* 19. quæreretur, omnes in idolatriam lapſos, & diceret: *Ego relictus ſum ſolus*, reſpondit ei Deus: *Derelinquam mihi ſeptem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal.* Et ſic ſimiliter debet intelligi illud Pſalm. *Quoniam defecit Sanctus, &c.* & illud: *Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum*; hæc enim hyperbolicè dicuntur, non tamen cum rigore vniverſalitatis, quia incredibile eſt, quod tempore Davidis, nullus omninò eſſet, qui bonum faceret, aut qui iuſtus, & fidelis eſſet. Similiter, quando populus converſus ad idolatriam adoravit vitullum, non omnes illum adoraverunt, quia Moyſes, Levitę, & alij, qui cum Moyſe vlti ſunt iniuriam Deo illatam, in ea idolatria lapſi non ſunt.

29. Ad ſecundum de triduo Mortis Chriſti, Turrecremata voluit, quod in ſola Virgine conſervata fuerit Eccleſia. Sed hanc ſententiam appellat Suarez omninò improbabilem, quia non eſt probabile, inquit, omnes Apoſtolos, & præſertim Petrum, veram fidem perdidiſſe; licèt enim defecerit in fidei confeſſione, negando Chriſtum, non tamen in ipſa fide Chriſti, cum Chriſtus Div. *Luc.* 22. dixerit: *Ego rogavi pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus, &c.* Quin immò de cæteris Apoſtolis probabilius eſt, eos non defeciſſe à vera fide Chriſti, licèt de Myſterio Reſurrectionis dubitaverint, magis ex ignorantia quā ex hæreſi, nō enim decet dicere ipſos hæreti eos, aut à fide ſemèl accepta Apoſtatas extitiſſe; idem dicendum de Sanctis Mulieribus, quę comittabantur Chriſtum, & de Centurione, qui mortuo Chriſto, dixit: *Verè Filius Dei erat iſte*, de Joſeph ab Ari-Mathæa, de Nicodemo, & alijs, qui alibi erant, & in Chriſtum crediderant; & nulla eſt ratio, cur in illo triduo fidem acceptam amiſiſſent, cum ad eorum notitiam Mors Chriſti non perveniſſet in illo triduo: Candela igitur illa, quę non extinguitur, repræſentat ſolam Virginem retinuiſſe firmam, & integram fidem, non ſolum de Chriſto, ſed de eius Reſurrectione tertia futura, & de cæteris Myſterijs, quām non conſervarunt cæteri. Hic modus ſentiendi ad minus eſt valdè probabilior, quam opinio contraria.

30. Dubitari item ſolet, an Eccleſia ſemper fuerit vna in ſpecie, & numero? Et dicendum eſt, numero, & ſpecie ſemper fuiſſe, & forè eandem: Quia forma, qua conſtituitur, eſt fides: Fides autem eadem eſt ſpecificè, fuit, & erit in membris Eccleſię, vt potè habens idem obiectum formale motivum, & primario terminativū; licèt enim de Chriſto, eiuſque Myſterijs, & de alijs Articulis magis explicita fuerit in vno tēpore, quā in alio, hoc tamen non diverſificat fidem eſſentialiter, nec ſpecificè, & conſequenter nec Eccleſiam. Nec item eam numero multiplicat diſtinctio materialis hominum, aut membrorum, quia hæc vnitas Eccleſię eſt moralis, & per modum continui ſucceſsivi, ſicut vnitas Reipublicę, aut Regni, vndè ſicut ſuccedentibus hominibus, non ſuccedit diſtincta numero Republica, aut Regnum, quia ſucceduntur per continuationem moralem, abſque interruptione, ita in Eccleſia.

31. Dubitatur rurſus, an, & quomodo Eccleſia dicatur Sancta? Et in primis Eccleſiā eſſe Sanctam eſt de fide, ex illo Symboli: *Credo in vnam Sanctam Eccleſiam.* Revelaturque in Sacro Textu, quoties Eccleſia dicitur: *Columba mea, ſpecioſa mea, amica, Regina, Domus Dei, Regnum Dei, ſiū Cælorum.* Quo autem ſenſu dicatur *Sancta*, explicant PP. & DD. primò, quatenus idem ſonat, ac *ſancita, munita, & firmata*, quia videlicèt firmiter ędificata ſupra firmam petram, & legibus munita, acque conſtituta. Secundo dicitur *Sancta* ex fine, ad quem inſtituta, & ordinata eſt, ex medijs præſcriptis ad talem finem, ex legibus; Sacrificijs, Sacramentis, cæremonijs, & alijs, quibus ornatur Eccleſia. Tertio dicitur Sancta ab eius Capite Chriſto, quatenus influit Sanctitatem in Eccleſię membra. Quarto, ab Scriptura Sacra, & fide ipſius, ſupra quam fundatur, & ex qua, tanquam ex cor-

Mm 2 de

de viuificatur. Quinto denique, eo quod extra illam non invenitur vera ſãctitas, & in illa ſãctitas invenitur à quocumque volente eam obtinere, ſeù ad illam ſe diſponere, & de facto ſelectior portio eius ſãcta eſt, nimirum iuſtorum, qui in ea degunt. Nec obeſt, quod iuſti inter peccatores, impios, & perverſos commorentur: Quia conſortium malorum eſt per accidens, & præter Eccleſię inſtitutum, & vt tales non conſtituunt Eccleſiam, ſed ſecundum quod Fideles ſunt, in quo non peccant; reduplicativè autem vt iniuſti, & vt peccatores, permiſsivè in ea tantum exiſtunt; vndè horum conſortium non poteſt tollere ſanctitatem Eccleſię; ſicut patet in qualibet communitate, v. g. in Collegio Apoſtolico, quod, non obſtante conſortio Iudę, ſanctum appellatur, & appellari debet. Nec obeſt illud proloquium: *Bonum ex integra cauſa, malum ex quocumque defectu*, quia hoc non currit in toto morali per modum communitatis ſub vno Capite ordinato: Aliàs enim Collegium Apoſtolicum abſolutè dici deberet malum, ac iniquum, immò, & proditor Chriſti, ex Iuda proditore: Quod tamen abſurdiſsimum foret; potiſsimè cum Chriſtus abſolutè dixiſſet: *Vos mundi eſtis*, licèt addiderit: *Sed non omnes*; vndè ſicut ea propoſitio: *Vos mundi eſtis*, verum tenet, quamvis non omnes eſſent mundi, ita verum tenet: *Eccleſia Sancta, munda, & immaculata eſt*, quamvis non omnia membra eius talia ſint.

32. Huiuſmodi autem ſanctitas, licèt non ſit de eſſentia Eccleſię, quia eius eſſentialis forma ſola fides eſt, tamen eſt proprietas taliter ab ea exacta; in ſtatu ſaltèm perfecto, vt nunquam inveniri poſsit Eccleſia abſque vera ſanctitate aliquibus in membris eius: Quod potiſsimè verum tenet, ac de fide eſt de Eccleſia, vt à Chriſto Domino inſtituta, & tempore legis gratię, & penè etiam ęquali certitudine in tempore legis naturę, & ſcriptę, excepto dumtaxat initio illius in primis Parentibus, nam cum tunc Eccleſia in tam paucis eſſet, ac in ſtatu imperfectiſsimo, nihil mirum quod aliqua temporis mora potuiſſet ſanctitate membrorum carere, vt ſtatim poſt primorum Parentum lapſum.

33. Cur etiam dicatur *Catholica*, id eſt, vniverſalis, & *Apoſtolica*, ex dictis patet ſufficienter: Et ſimiliter *Romana*, licèt hæc vltima nomenclatura non ita expreſſa inveniatur in Symbolis, nec tanta antiquitate gaudeat, quia impoſita fuit ad diſcernendam veram Eccleſiam Chriſti à Sectis Hæreticorum, qui contendunt ſe etiam eſſe in Eccleſia Catholica, & Apoſtolica, licèt Romana Sedes illis exoſa ſit, cum tamen Eccleſia Catholica, & Apoſtolica, ex quo eius ſupremam fidem, & Cathedram in Roma collocavit D. Petrus Chriſti Vicarius, ibi ſemper permanſerit conſtanti ſucceſsione, ac de fide ſit Sedem Romanam, prout nũc, eſſe Supremam Eccleſię Poteſtatem, & in qua ſola conſervatur Chriſti Vicarius, Div. Petri Succeſſor; licèt non ita certum ſit, an ſit de iure divino, quod illic, & non alibi Cathedra iſta ſuprema ſita ſit, de quo poſteà. His compendioſè præmiſsis.

RESPONDETVR QVÆSTIONI.

34. DICO primo: *Eccleſia Catholica eſt regula infallibilis inveniendi veram fidem, & Religionem.* Eſt de fide, primo ex illo *Matth. 16. Super hanc petram ędificabo Eccleſiam meam, & portę inferi non prævalebunt adverſus eam*: Sed ſi Eccleſia eſſet fallibilis in verè fide, & Religione, iam portę inferi poſſent prævalere adverſus eam, quia deficiente Eccleſia à vera fide, & Religione, rueret penitus Eccleſia à Chriſto fundata: Ergo. Secundo ex illo Pauli 1. *ad Timoth. 3. Vt ſcias, quomodo oporteat te in Domo Dei converſari, quę eſt Eccleſia Dei vivi, Columna, & firmamentum veritatis*: Sed non eſſet talis Columna, & firmamentum, ſi poſſet falli in fide, aut à vera fide deficere: Ergò. Tertio ex promiſsionibus Chriſti, quibus promiſsit ſuę Eccleſię ſemper adſtiturum, vt Math. vltim. *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.* Et cum *Ioann. 16.* promiſsit Spiritum Sanctum, dicens: *Cum venerit Paraclytus, ille docebit vos omnem veritatem.* Et Apoſt. *ad Epheſ. 4.* inquit: *Dedit quoſdam Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum, donec occurramus omnes in virũ perfectum*, id eſt, vſque ad diem iudicij vniverſalis. Ex quibus, & alijs conſtat Chriſtum Dominum ſemper adſtiturum Eccleſię ſuę, & Spiritum Sanctum, ſemperque in ea futuros forè veros Doctores, & Paſtores, veramque fidem, & Religionem, ac proinde Eccleſiam in vera fide, & Religione eſſe immutabilem, conſtantem, & indefectibilem: Ergò eſt regula infallibilis verę Religionis, & fidei inveniendę. Quartò, quia Div. Petrus, *Epiſt. 1. cap. 3.* ęquiparat Eccleſiam, ſivè Baptiſmum, tanquam illius ianuam, Arcę Noè, in eo quod ſicut extra illam à diluvio nemo evaſit, ita niſi in Eccleſia nemo ſalvus eſſe poteſt, aut ſalutem invenire, in qua Eccleſię comparatione conveniunt SS. PP. Ergò quicumque quærunt veram fidem, & Religionem, in qua ſalvari poſsint, non poſſunt alibi eam invenire, niſi in Eccleſia

Ca-

Catholica : Ergò hæc eſt infallibilis regula veræ Religionis, & fidei inveniendæ.

35. Nec obeſt in contra, quod de tempore Anti-Chriſti, cui ſuperveniet Chriſtus ſecundo ſui adventu, Apoſt. 2. *ad Theſſal.* 2. Videtur ſentire Eccleſiam defecturam, & omnes credituros mendacio. Et ipſe Chriſtus *Luc.* 18. inquit : *Cum venerit Filius Hominis, putas ne inveniet fidem in Terra?* Quia nempè deficient Fideles in illo ſecundo ſuo adventu. Non inquam obeſt; nam licèt tunc Eccleſia per impetum tribulationis ingruentis magna ex parte obſcurabitur, & plures à fide deficient, non tamen omnes, ſed permanebit vera Eccleſia, verique Fideles, quorum plures martyrium ſubibūt, alij fortiſsimi Confeſſores exulabunt, latitabunt alij, in quibus vera fides, & Eccleſia infallibilis perſeverabit; vndè Chriſtus *Math.* 24. exagerans perſecutionem illam, inquit, *vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi*; vbi maniſeſtè innuit electos, qui plures erunt, non poſſe in errorem contra fidem induci, ac proindè in illis perſeveraturam fidem, & Eccleſiam infallibilem. Illa ergò Chriſti interrogatio : *Putas ne inveniet fidem in Terra?* Solum indicat, quod tunc fides erit valdè diminuta, & Fideles pauciſſimi, & abſconditi, non verò, quod nulli erunt, nam ſaltèm electi perſeverabunt.

36. Nec obeſt ſecundo, ſi dicas: Omnes Eccleſiæ Epiſcopi poſſunt in hæreſim incidere, quia nullus habet aſsiſtentiam infallibilem Spiritus Sancti : Sed caſu, quo id contingeret, cæteri etiam poſſent à fide deficere : Ergò. Reſpondeo enim, diſtinguendo maiorem: Omnes diviſivè, hoc eſt, quilibet ſeorſim, tranſeat maior : Omnes collectivè, & ſimùl, nego maiorem: Quia cum Chriſtus promiſſerit aſsiſtere ſuæ Eccleſiæ, & quod fundata ſupra firmam petram, portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, impoſsibile eſt, quod ex ſuppoſitione huius promiſsionis permittat omnes Paſtores, & Epiſcopos, collectivè loquendo, qui Eccleſiam componunt, & pro ea ſupponunt, errare in fide, licèt cuilibet ſeorſim id permittere poſsit; quia nullus ſeorſim pro tota Eccleſia ſupponit.

37. Dico ſecundo; *Eccleſia, vt regula infallibilis, eſt viſibilis.* Non eſt ſenſus, quod quantum ad internam fidem, & ſpiritum ſit per ſe viſibilis, ſed ſolum quod habet proprietates externas, & ſigna viſibilia, ratione quorum hæc Eccleſia diſcerni poteſt à falſis Congregationibus, & Synagogis Satanæ, & cognoſci abſoluto, & certo iudicio, vt vera Eccleſia Dei, ab ipſo Deo inſtituta vt infallibilis regula, vel Cathedra veræ Religionis inveniendæ, & ſalutis aſſequendæ. Eſt contra Hæreticos modernos, qui Eccleſiam veram Chriſti, aiunt eſſe inviſibilem, in ſoloque interiori ſpiritu conſiſtentem, nulloque ſigno externo certò diſcernibilem, Eccleſiam autem viſibilem, inquiunt, ſolum apparenter eſſe Eccleſiam.

38. Probatur autem primo, ex Sacro Textu, nam *Matth.* 18. præcipitur : *Dic Eccleſiæ* : Cuinam? Nunquid Eccleſiæ purè apparenti, & non veræ? Quis dicat? Ergò Eccleſiæ veræ : Sed nunquid Eccleſiæ veræ incognoſcibili? Et hoc ſanè eſt delirium, nam quomodo diceret Eccleſiæ, quam diſcernere non poſſet, an eſſet ipſa? Ergò debet intelligi de vera Eccleſia diſcernibili, & cognoſcibili, ſaltèm per externa, & viſibilia ſigna. Idem argumentum ſumi poteſt ex illo *Ioann.* 20. *Paſce oves meas*, & 1. *Petr.* 5. *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem*, nam ſanè hic ſermo eſt de veris ovibus Chriſti, & de verò grege eius : Quomodo autem paſcerent gregem incognitum, & inviſum? Item ex omnibus locis, in quibus *Eccleſia* Dei nominatur, vt cum *Paulus* 1. *ad Corinth.* 15. ait: *Quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei* : Si enim Eccleſia Dei erat inviſa, & incognita, quo pacto dicere poſſet ſe illam perſecutum fuiſſe? Et alibi ſæpè nominatur Eccleſia ſygillatim, quod evidenter probat Eccleſiam eſſe cognitam, & certam inter Homines : Ergò.

39. Et confirmatur vrgentius, ex illo *Matth.* 5. *Non poteſt Civitas abſcondi ſupra montem poſita* : Quam Civitatem eſſe Eccleſiam SS.PP. communiter teſtantur; nam mons, in quo ſita eſt hæc Civitas, Chriſtus eſt, iuxta illud *Iſaiæ*, 2. *Et erit in noviſsimis diebus præparatus mons Domus Domini, in vertice montium, & venient ad eam omnes gentes, &c.* Quomodo enim venient ad hanc Domum, & Civitatem in Chriſto monte locatam, omnes gentes, ſi quænam, aut vbi ſit, ſit omninò incertum? Item ex illo *Apocalyp.* 12. *Erit Tabernaculum Dei cum Hominibus, & habitabit cum eis, & ipſi populus eius erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus.* De quo Tabernaculo exponit Div. Auguſt. illud *Pſalm.* 18. *In Sole poſuit Tabernaculum ſuum.* Nam vt Chryſoſt. ait *Homil.* 4. *in cap.* 6. *Iſaiæ* : *Facilius eſt Solem extingui, quam Eccleſiam obſcurari. Neque enim*, inquit Chriſtus *Matth.* 5. *Accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui in Domo ſunt* : Ergò Eccleſia Dei in Mundo non occulta, ſed viſibilis, & cunctis perſpicua eſt. Item ex illo *Iſaiæ* 61. vbi poſtquam Eccleſia legis gratiæ Prophetico ſpiritu prænunciatur futura, inquit Deus: *Dabo opus eorum in veritate, & fœdus perpetuum feriam cum eis : Et ſcietur in gentibus ſemen eorum,*

rum, & germen eorum in medio populorum; omnes, qui viderint eos, cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus. Quid clarius diei potuit ad oſtendendum Eccleſiam forè cunctis viſibilem, & Eccleſię Filios certò cognoſcibiles in Vniverſo? Ergò.

40. Deindè probatur ratione à priori; deducta ex ipſis S. Scripturę locis, quibus fidunt Hæretici; nempè ex illo *Luc. 17. Ecce Regnum Dei intra vos eſt.* Et ex illo *Ioann. 4. Spiritus eſt Deus, & qui adorant illum, in ſpiritu, & veritate oportet adorare.* Et ex illo *Pſalm. 44. Omnis gloria eius filię Regis ab intus*, ideſt, Eccleſię. Et ſic ex alijs locis, in quibus oſtenditur ſanctitatem, fidem, & formam Eccleſię, atque adeò, & ipſam Eccleſiam eſſe ſpiritualem, interiorem, & in ſpiritu conſiſtentem, non autem in exterioribus ſignis; Etenim damus Hæreticis, quod forma, immò, & ſanctitas, ac perfectio Eccleſię principaliter ſita ſit in fide interna, gratia, charitate, ac donis purè ſpiritualibus, & per ſe internis, per quę Deus ipſe habitat in Eccleſia, tanquam in Templo ſpirituali, non manu facto, ſed Spiritu Dei viui intus ędificato: Cæterum ex hoc ipſo ſic arguo: Eccleſia, in qua Deus ſic habitat, non poteſt non habere effectus, & ſigna externa ſenſibilia, per quę manifeſtè diſcernatur à Synagogis Satanę, & alijs conventiculis, in quibus Deus non habitat ſpiritualiter, nec per veram fidem, nec per veram charitatem: Sed ſola illa Eccleſia vera eſt, in qua Deus verè habitat per veram fidem, & charitatem, vndè Div. Petrus 1. *Epiſtol.* 1. vocat Eccleſiam *Domum ſpiritualem, Sacerdotium Sanctum.* Et Paulus inquit: *Templum Sanctum Dei, quod eſtis vos, &c.* Ergò verè Chriſti Eccleſia debet habere effectus, & ſigna externa ſenſibilia, vi quorum diſcernatur ab alijs Synagogis, & conventiculis Satanę: Et conſequenter debat eſſe viſibilis. Maior, in qua ſtat difficultas, probatur, nam impoſſibile eſt Deum ſpecialiter habitare in certa hominum congregatione, per ſui internam ſpecialem, & ſupernam communicationem, quin ex hac interna habitatione, & communicatione pullulent opera, effectus, & ſigna mirabilia, & particularia talis internę habitationis, & communicationis. Etenim videmus, quod ſi Deus ſpecialiter inhabitat in aliquo viro Sancto per internas, & heroycas virtutes fidei, & charitatis, vix abſcondi poteſt eius ſanctitas, immò occulis defæſcatis facilè diſcernibilis eſt ab alijs ſimulantibus veram ſanctitatem; nam ſiquis inter adverſa, & proſpera conſtans, & idem perſeverat, nec perſecutionibus frangitur, nec favoribus evaneſcit; item, ſi exteriora virtutum exercitia vniformiter ſervat, ac exercet; ſi oratione ſua mira impetrat in ſalutem animarum; ſi denique alia plura ſigna, & effectus in eo videntur, quę hypocritis, & ſimulatoribus nequeunt convenire, abſdubio hoc eſt, quia ſanctitas vera interna in eius ſpiritu vigens hos externos effectus, & hæc ſigna, externa ſecum affert: Sed maior eſt ſanctitas verę Chriſti Eccleſię, quam cuiuſvis iuſti particularis: Ergò magis impoſſibile eſt, quod ſit penitus abſcondita, ſeù quod non afferat ſecum plura ſigna, & effectus exteriores, quibus dignoci valeat à conventiculis, & Synagogis Satanę.

41. Confirmatur primo: Quia licèt cuiuſvis iuſti fides, & ſanctitas interna ſit, & ſpiritualis, nihilominus ſæpiſſimè, quando eſt magna, & heroyca, abſcondit nequit, ſed in opera externa prorumpit, & ignis ille divinus intus ardens ſignis, & effectibus exterioribus palam oſtenditur: Sed ſanctitas, & fides verę Dei Eccleſię maior eſt ſanctitate, & fide cuiuſvis iuſti: Ergò quamvis per ſe ſit interna, tamē per ſui effectus, & ſigna nō poteſt non manifeſtari externè: quando quidem verus Spiritus Sancti ignis in Eccleſia intus ardens non poteſt non in effectus, & ſigna externa prorumpere, quibus dignoſcatur.

42. Secundo probatur alia ratione: Quia veram Chriſti Eccleſiam Deus in Terris conſtituit, vt homines in ea ſalvari poſſent, & veram ſalutem conſequi: Sed niſi vera Chriſti Eccleſia ſit viſibilis, hoc eſt, ſignis exterioribus dignoſcibilis, fruſtra eſſet in Terris, ſiquidem homines non poſſent eam certò quærere, nec eam invenire, nec in ea certò permanere, quia videlicet incertum eſſet, quę nam hominum congregatio eſſet vera Chriſti Eccleſia: Ergò. Explicatur: Nam ſi Arcam Dilubij Deus inviſibilem feciſſet, fruſtra eſſet facta pro illis ſalvandis, quibus foret inviſibilis, nam ab ipſis ininvenibilis foret: Ergò pariter de Eccleſia in illa Arca præfigurata.

43. Tertio probatur: Nam in vera Chriſti Eccleſia debent eſſe vera Sacramenta ſenſibilia, iuxta illud *Auguſt. lib. 17. contra Fauſtum, lib. 11. In nullum nomen Religionis Congregari poſſunt homines, niſi aliquo ſignaculorum, vel Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur.* Vndè Sacramentum Baptiſmi, quod ianua eſt ad Eccleſiam, viſibile eſt, & ſimiliter cætera Eccleſię Sacramenta, de quibus Chriſoſt. *Homil. 60. ad Populum Antioch.* ſic ait: *Nihil enim ſenſibile nobis Chriſtus tradidit, ſed ſenſibilibus quidem rebus; at omnia intelligibilia. Itidem, & in Baptiſmate, per rem nempè ſenſibilem aquam, donum confertur; Intelligibile verò, quod perficitur, gene-*

ra-

ratio, & renovatio. Si enim incorporeus eſſet, nuda, & incorporea tibi dediſſet ipſe dona, ſed quoniam anima corpori conſerta eſt, in ſenſibilibus intelligibilia tibi præbet: Ergò pari ratione, quia homo non purus Spiritus, nec pura Anima, ſed Anima & Spiritus in Corpore ſenſibili, & viſibili eſt, Eccleſia pro hominibus conſtitura non poteſt eſſe purè, & nudè ſpiritualis, ſed ſpiritualis in Corpore ſenſibili, & viſibili: Debet ergò Eccleſia eſſe viſibilis, & ſenſibilis, ſicut eius Sacramenta, in quorum conſortio colligantur Eccleſię ipſius membra.

44. Quarto: Quia Eccleſia debet eſſe congregatio, ſeù Corpus Hyerarchicum, ordine Hyerarchico compactum, vndè *Apoſt. 1. ad Corinth. 12.* inquit, quod Deus: *Poſuit in Eccleſia primum Apoſtolos, deindè Prophetas, tum Paſtores, & Doctores, &c.* Quod etiam exponit *ad Epheſ. 4. & alibi*, ſæpè Eccleſiam nominat Corpus diſtinctis membris ordinatum: Sed hoc penitus repugnat, niſi Eccleſia ſit viſibilis, nam diſtinctio Paſtorum, & Doctorum, & Subditorum neceſſario viſibilis debet eſſe: Ergò, & Eccleſia.

45. Sed obijciunt Hæretici; fides vera Chriſti, & Eccleſię ſanctitas eſt quid internum, & Spirituale, ac per conſequens inviſibile, iuxta illud *Pſalm. 44. Omnis gloria eius Filię Regis ab intus*, in cuius probationem alia plura teſtimonia adduci poſſent: Sed vera Chriſti Eccleſia potiſsimè conſiſtit in fide, & ſanctitate eius: Ergò inviſibilis eſt. Sed ad hoc iam conſtat, fatemur enim fidem, & ſanctitatem Eccleſię in ſe ipſa, ſeù formaliter inviſibilē eſſe, viſibilem tamen in ſuis effectibus, & ſignis externis, quę neceſſario pullulant ex ipſa interna fide, & ſanctitate: Hoc tantùm modo dicimus Eccleſiam eſſe viſibilem.

46. Sed dices: Si Eccleſia eſt viſibilis: Ergò non erit dicendum in Symbolo, credo in vnam Sanctam Eccleſiam, ſed video vnam Sanctam Eccleſiam; quod enim videtur, non creditur. Reſpondeo, quod ſicut Thomas in Chriſto, aliud vidit, aliud credidit, nam vidit hominem, cum exterioribus ſignis, quę faciebant evidenter credibilem divinitatem eius: Sed ipſam divinitatem non vidit, ſed credidit: Ita dùm dicimus Eccleſiam eſſe viſibilem, non eſt ſenſus, quod Eccleſia ipſa quo ad formam, & ſubſtantialem eſſentiam in ſe ipſa ſit viſibilis, ſed quod Corpus eius eſt viſibile, & in ipſo ſigna, & motiva evidentis credibilitatis, quę faciunt evidenter credibilem internam fidem, & Spiritum ipſius Eccleſię, & ideò rectè cohæret, quod viſibilis ſit, & nihilominus credenda proponatur, quia eſt viſibilis, quantum ad ſigna, & motiva evidentis credibilitatis: Sed credenda proponitur, quo ad formam, & Spiritum internum ipſius.

QUÆSTIO VI.

AN SIT EVIDENTER CREDIBILE fide divina hanc numero hominum congregationem eſſe veram Chriſti Eccleſiam?

1. FAMILIARE fuit Hæreticis ſua cōventicula aſſerere eſſe veram Chriſti Eccleſiam; cum autem vrgentur, id quidem ſaltèm omninò incertum eſſe, nec vllo evidenti motivo, aut Sacrę Scripturę teſtimonio comprobari poſſe, ac per conſequens ſua conventicula minimè habent eam certitudinem, quam vera Chriſti Eccleſia requirit, nimirum fidei divinę. Inquiunt, veram Chriſti Eccleſiam credendam eſſe fide divina; nec evidenter credibile, ſed id ſolum ſub hominum opinione cadere, ac maiorem certitudinem non habere, quam humanę exiſtimationis; & hinc ſanè libertas oritur inſtituendi varias ſectas, & dogmata, iuxta vniuſcuiuſque exiſtimationem, quas volunt veram Dei Eccleſiam eſſe. Verùm tamen hinc maximè eorum cœcitas detegitur, quod ſuam ęternam ſalutem incertiſsimę Eccleſię, & conſequenter falſę credunt, nam Eccleſia incerta, neceſſario falſa eſt, ſicut vera, neceſſario debet eſſe certa. Vndè.

2. Dico primo: *Vera Chriſti Eccleſia debet eſſe evidenter credibilis fide divina, non ſolum vage, & in genere, ſed numerice, & in individuo.* Probatur: Quia fide divina debemus credere vnam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam, nam ita credenda proponitur in Symbolo, in quo tantum proponuntur res, ſeù myſteria fide divina credenda: Sed non ſufficit credere Eccleſiam vage, & in genere: Ergò tenemur credere fide divina veram Chriſti Eccleſiam, non ſolum vage, & in genere, ſed determinatè, & in individuo talem. Minor probatur: Quia ad hoc proponitur nobis vt credenda vna Sancta Catholica, & Apoſtolica Eccleſia, vt certò nobis conſtet vbi eſt vera doctrina, vera Sacramenta, & vera ſalus Animę: Sed ſi ſolum crederemus fide divina vnam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam vage, & in genere, per hanc præciſè fidem nobis non

conſ-

conſtaret vbi eſſet vera doctrina,& vera Sacramenta; veraque ſalus Animę, nam ſicut maneret incertum quænam hominum congregatio eſſet vera Eccleſia, ita maneret incertum vbinam eſſet vera doctrina,vera Sacramenta,& vera ſalus Animę : ergò vt certò nobis conſtet vbi ſit vera doctrina, vera Sacramenta, & vera ſalus Animę, non ſufficit credere vage vnam Eccleſiam, ſed requiritur credere illam determinatè, & in individuo. Credendo nimirum fide divina hanc numero hominum congregationem, & non aliam eſſe veram Chriſti Eccleſiam.

3. Ex quo ſic ſubiungo: Non poſſumus credere fide divina hanc numero eſſe veram Chriſti Eccleſiam, niſi determinatè, & in individuo ſumpta ſit evidenter credibilis, hoc eſt niſi habeat ſigna, & motiva evidentia credibilitatis; ergò vera Chriſti Eccleſia debet eſſe evidenter credibilis fide divina, non ſolum vage, ſed determinatè, & in individuo. Probatur minor ſubſumpta : Quia ad hoc vt credamus fide divina hanc numero eſſe veram Chriſti Eccleſiam, non ſufficit quod ſit credibilis purè exiſtimativè, aut opinativè, aut per fidem purè humanam,quia huiuſmodi credibilitas non fundat certitudinem fidei divinę : Ergò requiritur quod ſit evidenter credibilis fide, nempè divina.

4. Confirmatur : Quia ſi ſolum eſt penes hominum opinionem,& exiſtimationem, hanc aut illam determinatè eſſe veram Chriſti Eccleſiam, ſolum poterit haberi humana, & fallibilis certitudo de vera Chriſti Eccleſia in individuo : Sed hoc eſt abſurdum, quod nec ab ipſis hæreticis ſubſtineri poteſt : Ergò de vera Chriſti Eccleſia in individuo debet dari maior certitudo, nempè fidei divinę. Minor probatur : Quia alias nec de veris Sacramentis, nec de vera doctrina, nec de vera ſalute Animę poſſet dari determinata, & infallibilis certitudo per fidem divinam; vndè nullus habere poſſet certitudinem fidei divinę de medijs, de doctrina, aut de Sacramentis, quibus determinatè conſequi poſſet vera ſalus Animę, ſed omnia eſſent purè opinabilia, fallibilia, & incerta, ac per conſequens, & ipſa Animę ſalus : Hoc autem nec ab ipſis hæreticis ſubſtineri queit, quia potius ipſi plus iuſto extollunt certitudinem de propria ſalute in vnoquoque Fideli, dicentes, poſſe quemlibet habere certitudinem fidei divinę de propria ſalute determinatè:Quod licèt re ipſa falſum ſit, & à Concilio Tridentino proſcriptum, tamen probat cæcitatem ipſorum hæreticorum, qui ex vna parte veram Chriſti Eccleſiam non magis certam exiſtimant, quam per exiſtimationem, & opinionem fallibilem, & humanam,& ex alia ſe ipſos fide divina certos dicunt eſſe de propria ipſorum ſalute : Quo enim pacto certi erunt certitudine infallibili fidei divinę de propria ſalute, quando tantam certitudinem non habent, ſed ſolum fallibilem de vera Chriſti Eccleſia in individuo, in qua ſola vera ſalus inveniri poteſt?

5. Dico ſecundo : *De fide divina eſt, & evidenter credibile hanc numero hominum congregationem, quę ſub Innocent. XII. tanquam ſub vniverſali Paſtore gubernatur, & regitur, eſſe veram Chriſti Eccleſiam.* Probatur,nã vt ex dictis patet, aliqua datur determinata hominum congregatio, de qua ſit certum fide divina quod ſit vera Chriſti Eccleſia : Sed non eſt alia certa,& in individuo, de qua certò per fidem divinam conſtet eſſe veram Chriſti Eccleſiam, niſi hæc quę gubernatur ſub Innocent. XII. tanquam Paſtore vniverſali : Ergò, &c. Minor probatur : Quia non eſt alia hominum congregatio, quę habeat ſigna viſibilia verę Eccleſię Chriſti, & motiva evidentia credibilitatis, niſi prædicta : Ergò.Probatur antecedens, numerando ſigna viſibilia, & motiva credibilitatis, quibus dignoſci debet vera Chriſti Eccleſia, ab alijs prætenſis, & ſimulatis Eccleſijs, ſeù potius conventiculis, & Synagogis Satanę.

6. Primum ſignum verę Chriſti Eccleſię, eſt, quod ſit vniverſalis, propterea enim in Symbolo *Catholica* appellatur : Quænam autem hominum congregatio vniverſalis Eccleſia dici poteſt, niſi hæc quę ſub præfato vniverſali Paſtore fidem profitetur, & gubernatur? Nunquid in huius comparatione erit vniverſalior Secta Calvini, aut Luteri? Quis non rideat? Secundum ſignum verè Chriſti Eccleſię, eſt,quod ſit vna, nempè vnitate einſdem fidei vniformiter profeſſę, & confeſſę ab omnibus eius membris : Hanc vnitatem per ſe ſervat præfata hominum congregatio ſub Romano Pontifice, & vniverſali Paſtore gubernata, non autem vlla alia hæreticorum Secta, præſertim ſi cum noſtra Eccleſia comparetur, nam inter Luteranos ipſos,& Calviniſtas,circa ipſam doctrinam fidei innumera ſunt diſſidia,& vix duo in omnibus fidei dogmatibus conſentiunt. Tertium, & potiſſimum ſignum, aut motivum eſt, continuatio cum primitiva Eccleſia Chriſti, ſeù continuata deſcendentia ex ipſa : Nulla autem eſt in toto Orbe hominum cõgregatio,quę magis certò conſtet continuatè deſcendere ex illa primitiva Eccleſia, nec in qua magis certò, & indeficienter perſeveret illa; nam omnes Sectę hæreticorum poſteà incœperunt, & per ſciſſionem, & ſegregationem ab hac Eccleſia exortę

ſunt,

ſunt, & tandem perierunt, ſicut monſtra illa Arianorum, Pelagianorum, Neſtorianorum, & aliorum; Sectę autē modernę Luteri, & Calvini, ſi adhùc durant, tamen evidenter conſtat in eis non continuari, nec indeficienter perſeverare illam primitivam Chriſti Eccleſiam, ſiquidem Sectę iſtę cum ſuis inventoribus his vltimis ſeculis incæperunt, & exortæ ſunt, per diſceſſum, & ſeparationem, quam ſceerunt à vera Chriſti Eccleſia, quę ante ipſorum ſeparationem vera erat, & verè in ea continuabatur, & indeficienter perſeverabat primitiva: Poſt ipſorum autem ſeparationem, eadem ipſa perſeverat, ac antea, ſub eodem Paſtore vniverſali, ſub eadem fide, doctrina, & regimine; vndè hæreticis huius temporis dici poteſt, quod Cyprianus aiebat Sectarijs ſui ęvi, nempè: *Non nos à vobis, ſed vos à nobis diſceſſiſtis.* Quod amplius confirmatur ex quarto ſigno, ſeù argumento credibilitatis, nempè ex perpetua ſucceſsione ſummorum Pontificum in Sede, & Cathedra D. Petri, nam ſanè hæc nota verę Eccleſię, ſoli noſtrę convenit, non autem vlli hæreticorum Sectę, vt per ſe patet.

7. Quintum ſignum verę Eccleſię, eſt eius ſanctitas; quę potiſsimum ſita eſt in eius ſanctis legibus, doctrina, inſtitutis, Sacramentis, & cultu: Evidens autem eſt, in nulla alia hominum Secta, aut congregatione, inveniri leges, inſtituta, doctrinam, & cultum ęquè ſanctum ac in noſtra. Si autem ſanctitas Eccleſię intelligatur de ſanctitate perſonarum, quę in illa fidem profitentur, evidens etiam eſt in nulla alia hominum congregatione inveniri viros, ac mulieres ita ſanctitate conſpicuos, ſicut in noſtra, quorum numerus, & excelentia ſanctitatis talis eſt, vt in cōſpectu illorum evidenter pateat, hæreticorum omnium virtutem, ac Religionem fictam eſſe, ac ſimulatam hypocreſim. Sextum ſignum, ſeù argumentum credibilitatis ſumitur ex eo, quod vera Chriſti Eccleſia debet eſſe *Apoſtolica*, nam talis in Symbolo appellatur; hoc eſt, fundata ſuper doctrinam Apoſtolorum, & eadem cum ipſa, per continuam ſucceſsionem, quam Apoſtoli fundarunt: Conſtat autem ex dictis ſolam noſtram cum illa continuari, & ex illa deſcendere. Octavum ſignum eſt ordo, ac regimen Hyerarchicum, quod in vera Chriſti Eccleſia exigitur: Hoc autem regimen alibi minimè apparet ſicut in noſtra Eccleſia, in qua quidem invenitur imprimis Supremum Caput, & vniverſalis Paſtor, deindè Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, &c. Et quidem omnes iſti veram iuriſdictionem habentes, cum ſubordinatione illam accipientes à ſupremo Eccleſię Capite, & Paſtore vniverſali, ille verò immediatè à Chriſto; vt infra ſatis conſtabit: Apud hæreticos autem nec eſt vera Hyerarchia, quia nec eſt verum Caput, nec Paſtor vniverſalis ſuarum Sectarum, nec vera iuriſdictio ſpiritualis, nec veri Epiſcopi, aut Archi-Epiſcopi, quia nec veros ordines, nec veram iuriſditionem habere poſſunt; nam à quo illam acceperint non habent, ſiquidem poſt diſceſſum ab Eccleſia, quomodo ab illa ordines, aut iuriſdictionem accipient, ipſa nollente dare? Ex his, & alijs ſignis evidenter demonſtrari poteſt ſolam noſtram Eccleſiam eſſe credibilem fide divina; ac proindè Eccleſiam viſibilem à Chriſto, & Apoſtolis fundatam eſſe hanc, & non aliam: Quod magis patebit, dùm poſteà agemus de evidentia credibilitatis noſtrę fidei.

8. Sed dices pro hæreticis. Nulla eſt revelatio, quę aſſerat hanc noſtram Romanam Eccleſiam eſſe vnicè veram Chriſti Eccleſiam: Ergò id nequit eſſe de fide divina. Antecedens patet, quia in Sacro Textu talis revelatio non invenitur: ergò. Confirmabis: Quia Eccleſia Romana non eſt vniverſalis, ſicut nec Epiſcopus Romę eſt Epiſcopus vniverſalis, ſed tantum illius Diœceſis: Ergò vera Chriſti Eccleſia non eſt illa precisè, quę ſubeſt Epiſcopo Romano, ſed potius vera Chriſti Eccleſia eſt congregatio omnium eredentium in Chriſto, ſivè ſubſint, ſivè ſegregati ſint à regimine Epiſcopi Romani. Confirmabis ſecundo: Quia Eccleſia vera Chriſti debet eſſe vniverſalis: Sed magis vniverſalis eſt congregatio omnium credentium in Chriſto, intelligendo etiam eos, qui nolunt ſubijci Pontifici Romano, quam illos excludendo: Ergò.

9. Reſpondeo, negando antecedens. Ad cuius probationem, dico quod in Evangelio revelatur manifeſtè Eccleſia vera Chriſti viſibilis, non vagè, ſed determinatè illa primitiva, quę fundata fuit in confeſione Div. Petri, eiuſque fide; cum audita confeſione Div. Petri, dixit Chriſtus D. *Super hanc Petram ędificabo Eccleſiam meam, & portę inferi non prævalebunt adverſus eam*, & ſic in Epiſtolis etiam Div. Pauli, & in actibus Apoſtolorum apertè revelatur Eccleſia, non vagè, & in confuſo, ſed illa primitiva fundata ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, & collecta ex Iudeis, & Gentibus; extat ergò revelatio apertè de eo quod illa erat vera Chriſti Eccleſia; cum autem illa ipſa ſit, quę hodie perſeverat in hac hominum congregatione, quę ſub Romano Pontifice tanquam ſub vero ſucceſſore Div. Petri eandem fidem profitetur; indè eſt, quod revelatio illa debet intelligi de hac etiam Eccleſia, cum conſtet eſſe illam ipſam; tùm ex Chriſti revelatione,

Nn

ne, dicentis : *Et portę inferi non prævalebunt adverſus eam*, hoc eſt, quod illa ipſa perſeveratura eſſet vſque nunc, & vſque ad diem iudicij, non obſtantibus perſecutionibus. Tùm ex evidentibus ſignis, & motivis credibilitatis, quibus manifeſtè demoſtratur identitas huius Eccleſię cum illa. Ac demum, quia Eccleſia ipſa ſe ipſam proponit vt formaliter contentam in illa revelatione, & vt revelata per illam; ſufficit autem quod Eccleſia proponat aliquid vt formaliter revelatum, vt illud ſit de fide divina.

10. Ad primam confirmationem, nego antecedens, quia Eccleſia Romana ex tempore primitivę Eccleſię habita eſt ſemper vt Mater Eccleſiarum, & forma credendi, & ideò illa eſt vniverſalis, quia omnibus fidelibus proponitur vt Regula verę fidei; ſicut & Romanus Epiſcopus, non preciſè quia Romę Epiſcopus, ſed quia ſucceſſor legitimus Div. Petri in dignitate Paſtoris vniverſalis, & Vicarij Chriſti pro vniverſo Chriſtiano grege paſcendo. Ad ſecundam confirmationem, diſtinguo maiorem: Vera Eccleſia Chriſti debet eſſe vniverſalis, & vna, veram Chriſti fidem tenens, quam tenuit ſemper primitiva Eccleſia, concedo maiorem: Vniverſalis abſque vnitate in vera fide Chriſti, nego maiorem, & diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam. Et quidem argumentum hoc probat Eccleſiam eſſe congregationem ex omnibus hæreticis, Arianis, Neſtorianis, &c. Immò, & ex Apoſtatis omnibus collecta, quia ſic magis eſſet vniverſalis, vtpotè plures homines in ſinu ſuo complectens : Cum autem hoc falſiſſimum ſit, indè eſt, vniverſalitatem Eccleſię importare eſſentialiter vnitatem membrorum in vera Chriſti fide, & Religione: Servata autem hac vnitate complectere nequit hæreticos, qui ab hac fidei vnitate ſciſi ſunt. Vndè cum inquis, quod magis vniverſalis eſt congregatio credentium in Chriſto, includendo eos, qui nolunt ſubijci Pontifici Romano; dico, quod ſi præciſè nolint ſubijci, quoad obędientiam, ſervata conformitate cum illo in omni fidei doctrina, eos complectitur noſtra vniverſalis Eccleſia, vt vera ſui membra, vt ſupra diximus. Si tamen nolint ſubijci in fide, hoc eſt, nolint conformari cum doctrina fidei, quam Pontifex Romanus, vt Paſtor vniverſalis Eccleſię profitetur, & docet ex Cathedra, tunc ſi Eccleſia iſta, eos comprehenderet, non eſſet vniverſalior, quia non eſſet vna, licèt eſſet multiplicior, vel potius multiplex, & ſciſſa in fide Chriſti, quod repugnat cum vnitate, quam eſſentialiter importat Eccleſia Chriſti vniverſalis; propterea enim dicitur vniverſalis, quia eſt vna in multis.

QUÆSTIO VII.

AN VNITAS ECCLESIÆ VISIBILIS, *vnum viſibile Caput in terris requirat?*

1 CONSTAT ex ſupradictis Eccleſiam veram Chriſti eſſe regulam viſibilem inveniendi veram fidem, & Religionem: quod ſolum intelligi poteſt reſpectu exterorum, qui nondum ſunt intra Eccleſiam, & quærunt veram Religionem, & fidem. Reſtat tamen explanare, quomodo Fideles ipſi, qui iam ſunt intra Eccleſiam, regulari, & ſubordinari debeant, vt Eccleſia, Religio, & fides in omnibus illis ſit per ſe vna; & propterea excitatur præſens quæſtio.

2. Dico igitur : *Vnitas Eccleſię viſibilis per ſe requirit vnum viſibile Caput, ſeù vnam ſupremam poteſtatem viſibilem in terris, cuius ſit ſuprema iuriſdictio ſpiritualis, & ſuprema, & infallibilis authoritas definiendi res fidei.* Eſt de fide, ex illo *Ioann.* 10. *Erit vnum Ovile, & vnus Paſtor.* Et *Ezechiel* 36. *Paſtor vnus erit omnium eorum.* Et ex illo *Matth.* 24. *Quis putas eſt Fidelis ſervus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam.* Et *Idem* 23. *Qui maior eſt in vobis fiat ſicut minor*; vbi ſupponit aliquem inter Fideles fore maiorem, & alijs præpoſitum, & vnum Fidelem ſervum conſtituendum eſſe ſuper familiam ſuam. Vnum denique Paſtorem Ovile Eccleſię vniverſalis paſciturum, doctrina nempè, & regimine. Conſtat etiam ex omnibus illis Parabolis, in quibus Chriſtus in Evangelio Eccleſiam comparat, *Regno*, *Navi*, *Domo*, & ex eo quod Apoſtolus eam comparat *Corpori*, & in *Cantic. Cant.* comparatur, *Exercitui ordinato* : Nam in Regno vno vnus tantum eſt Rex, in vna Navi vnus tantum Nauclerus, ſeù Rector illius, in vna Domo, vnus tantum Pater Familias, in vno Corpore vnum tantum Caput, in vno Exercitu, vnus tantum Generalis Dux : Ergò ſimiliter in Eccleſia vna viſibili exigitur vnum viſibile Caput, vnaque ſuprema poteſtas.

3. Nec dicas, ſatis eſſe, quod Caput inviſibile in Cœlis exiſtens ſit vnum, nempè Chriſtus Dominus, penes quem ſit ſuprema poteſtas gubernativa Eccleſię. Contra enim eſt primo : Nam illud *Ioann.* 10. *Fiet vnum Ovile, & vnus Paſtor*, non poteſt intelligi de Chriſto

to Paſtore, qui tunc erat, nam certè ab ipſo Chriſto promittitur alius Paſtor futurus, qui non dum erat, vndè de vno Paſtore futuro viſibili in terris intelligunt hæc verba Cyprianus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, & Div. Thom. Secundo, quia illud *Luc.* 12. *Quis putas eſt Fidelis ſervus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?* Alium apertè ſignificat præponendum Eccleſię, in abſentia Chriſti, qui illam ſui loco regat, & paſcat, & vices ipſius gerat: Rationi enim conſonum eſt, vt abſente Patre Familias, quantum ad ſui præſentiam viſibilem alium ſubſtituat, qui viſibiliter ſui vices gerat. Tertio, quia Eccleſia viſibilis debet viſibiliter gubernari: Ergò per vnum Paſtorem viſibilem. Quarto, quia dùm dicitur, quod Chriſtus dedit Eccleſię Paſtores, & Doctores, qui eam paſcerent, & regerent, & cum inſtituuntur Epiſcopi, nemo dixit hoc intelligi poſſe de Paſtoribus, Epiſcopis, aut Doctoribus in Eccleſia exiſtentibus, qui Eccleſiam inviſibiliter regerent: Ergò cum promittitur vnus Paſtor pro tota Eccleſia, nequit intelligi de Paſtore exiſtente in Cœlis, nempè Chriſto, qui inviſibiliter paſcat, & regat Eccleſiam. Quinto, quia ſicut Eccleſia, quia viſibilis, exigit viſibilem Scripturam, & viſibilia Sacramenta, quia viſibiliter, & humano modo paſcitur, cur etiam non requiret viſibilem Paſtorem Supremum, à quo gubernetur, ſiquidem viſibiliter gubernatur.

4. Deindè ratione efficaciter probatur: Primo ex vnitate fidei, quia impoſſibile eſt ſervari in Dei Eccleſia viſibili vnitatem fidei, & Religionis, niſi ſit vna ſuprema poteſtas, ad quam recurratur pro controverſijs fidei, & Religionis determinandis; poteſt enim contingere, quod inter ſe diſſideāt de rebus fidei, & Religionis Epiſcopus ab Epiſcopo, Doctor à Doctore, immò, & Concilium Provinciale, ab alio ſimili, & in Concilio Generali poſſent congregati in pares partes diſſecari, & ſe contradicere: Quo igitur pacto in vnam ſententiam, & fidem reducentur, ſi non ſit ſuprema poteſtas, ad quam pro controverſia fidei decidenda, recurratur? Eſt ergò neceſſaria omninò ſuprema poteſtas in vno Supremo Capite conſtituta pro rebus fidei definiendis. Vide ſupra, *quæſt.* 19. *& quæſt.* 4.

5. Secundo ex Capite regiminis: Etenim Eccleſia Catholica debet credi à Chriſto D. inſtituta per modum Monarchię, hoc eſt, cum regimine Monarchico; ſed Monarchia, ſeù regimen Monarchicum eſſentialiter exigit vnum Supremum Caput, ſupremam iuriſdictionem habens: Ergò & Eccleſia, vt à Chriſto inſtituta. Minor patet, quia regimen Monarchicum in hoc eſſentialiter differt ab Ariſtocratico, & Democratico, quod Democraticum exercetur à turba populari; Ariſtocraticum à principalioribus in Senatu coniunctis, & congregatis; Monarchicum autem ab vno ſolo Principe ſupremam, & independentem poteſtatem, & iuriſdictionem habente: Ergò Monarchicum exigit eſſentialiter vnum ſupremum Caput, ſupremam, & independentem habens iuriſdictionem, & poteſtatem. Maior verò probatur, quia Eccleſia debet credi à Chriſto D. inſtituta cum perfectiori regimine: Sed perfectius eſt regimen Monarchicum, quam Ariſtocraticum, & Democraticum: Ergò. Probatur minor, primo, quia ita eſt communis ſententia Philoſophorum, & Polyticorum; Ariſtoteles enim 8. *Ethic. capit.* 13. Polytic. *capit.* 5. *&* 12. Metaph. in fine. Plato in Polytic. Plutarchus, Homerus, Philo, *lib. de Monarch.* Iuſtinus, *lib. de Monarchia*, cum quibus ſentit Div. Thom. 1. *part. quæſt.* 103. *art.* 3: & alibi ſæpè. Secundo, quia regimen eo perfectius eſt, quo magis divino ſimile: Sed regimen Monarchicum eſt divino ſimilius, nam Deus regit vniverſum vt ſupremus Monarcha: Ergo. Tertio, quia illud regimen eſt perfectius, quod magis conſervat ſubditos in concordia, & pace, nam in hac conſiſtit maximum bonum totius polytici, ſeù communitatis: Sed ad hoc magis conducit regimen Monarchicum, quam Democraticum, vel Ariſtocraticum, quia in Monarchico poteſtas gubernativa eſt magis vna, & magis incapax diviſionis, & diſcordię: Ergò. Confirmatur, nam etiam, quando poteſtas gubernativa in multis exiſtit, oportet, vt illi multi fiant aliqualiter vnum, vt ſubditos in vnitate contineant: Sed magis eſt vnus Monarcha, quam multi, dum congregantur ad gubernandum: Ergò magis conducet ad continendos ſubditos in vnitate, & concordia regimen Monarchicum in vno tantum reſidens, quam ſi in multis collocetur.

6. Quarto, quia ex hiſtoriali experientia conſtat, magis permanentia fuiſſe, firmiora, & ſtabiliora Regna, ſeù Reſpublicas, quę per Monarchiam gubernata fuera, quam quę per Democratiam, aut Ariſtocratiam, immò, quę Democraticè gubernātur, citò deſtruuntur: Sed perfectius eſt regimen, quod eſt diuturnius, ſtabilius, & firmius: Ergò. Quinto: Quia, quo maior eſt potentia, & efficacia in poteſtate gubernativa, tanto perfectius eſt regimen; tanto autem virtus, & efficacia eſt maior, quanto magis vnita, quia virtus vnita fortior: Sed magis vnita eſt in Monarcha vno, quam in pluribus gubernantibus: Ergò. Sexto, quia illud eſt

regimen perfectius, quod magis vitat, & maiora incommoda, quę vix omninò in regimine hominum vitari omninò poſſunt: Sed maiora incommoda vitantur per regimen Monarchicum, quam per alia, maioraque patiuntur incommoda alia regimina per multos Regentes, quam Monarchicum in vno ſitum Supremo Gubernatore: Ergò. Probatur minor expendendo incommoda, quę patitur regimen per multos: Etenim, ſi illa multitudo gubernans eſt popularis; cum vulgus ipſe populi cœcus ſit, & magna ex parte ex ignorantibus, & imperitis coalleſcat, regimen erit cœcum, monſtruoſum, & peſſimum. Item, difficillimum erit omnes populares, quãdo oportuerit, & neceſsitas poſcat, cõgregare; congregati autẽ, non minus difficilè convenient; & cum ſequenda ſit maior pars ſuffragiorum, & maior pars regulariter ſit imperitorum, & forſan ſceleratorum hominum, ſucumbent pauci ſapientes, Probi, & periti. Item, cum ipſi populares inconſtantiſsimi ſint, & eorum numerus variabilis, inconſtantiſsimum erit regimen, nihilque ad perfectum devenire poterit; hæc, & alia ſequẽtur abſurda, quę ſatis in omnibus Regnis experta fuere, dùm Populus per tumultum, & ſeditionem ſibi regimen, & poteſtatem arrogavit: Quot enim crudelitates? Quot violentię? Quot iniuſtitię expertę non fuere? Si autem multitudo gubernans ſit ex Principibus, & Optimatibus Reipublicę, qui vnum ſuperiorẽ non recognoſcant, quid faciendum erit vbi diſſenſerint? Vbi inter ipſos iurgia ſint, & diſcordię, quis eos ad vnitatem, & concordiam rediget? Item, cum vnuſquiſque proprium bonum quærat, magis quam alterius, vnuſquiſque regimen ordinabit, & trahere conabitur ad proprium commodum, & ſic difficiliſsima, vel impoſsibilis erit concordia in procurando bono communitatis, & ſæpiſsimè in ſeditionem degenerabit.

7. Sed dices, plura etiam abſurda ex regimine Monarchico reſultare. Primò, quia facilius eſt vnum Monarcham eſſe prabum, imperitum, aut ingenio hæbetem, quam multos: Et tunc plures inordinationes, & errores in regimine ſequentur abſque remedio. Secundo ille vnus, cum omnibus ſit ſuperior, & nullo frœno cohiberi poſsit, facilè regimen detorquebit ad ſua, & ſuorum commoda, oblitus boni communis. Tertio, quia moleſtiſsimum eſt vni ſemper ſubeſſe, abſque ſpe evadendi ſubiectionem, cum naturaliter hominibus in ſitum ſit deſiderium libertatis, & dominij. Quarto: Quia ille vnus in elationem facilè extolletur, fietque per ſuperbiam, & faſtum, tyranicum eius regimen, non habens, à quo humiliari poſsit, nec ad moderationem reduci: Quinto, eius felicitas, & amplitudo dominandi pluribus erit invisa, & ex invidia ſeditionẽs contra ipſum facilè exurgent. Demum, ſi communitas gubernanda, ſit magna, & nimis in Orbe extenſa, vt eſt Dei Eccleſia, impoſsibile eſt, quod vnius tantum regimen omnibus ſufficiat, aut provideat, nec enim poterit in partes remotiſsimas influere, cum eius regimen limitatum ſit. Ergò.

8. Sed facilè reſpondetur, huiuſmodi incommoda minora eſſe, & minus imminentia. Ad primum ergò dico, quod loquendo de Monarchia Eccleſiaſtica, ſatis difficile eſt, quod ille vnus, qui per Canonicam electionem præficitur toti Eccleſię, ſit improbus, inexpertus, aut ingenio privatus: Tum propter ſpecialem aſsiſtentiam Dei gubernantis Eccleſiam, in illa præſertim electione, tum propter curam, & peritiam eligentium; quorum ſi maior pars proborum ſit, improbum virum eligendum non current ſanè. Si autem dicas, quod maior pars eligentium improborum eſſe poteſt: Quis non videat, & hoc ipſum objici poſſe in regimine per multos? Nam, ſi maior pars pravorum ſit, regimen pravum erit. Sed demus, quod electus aut pravus, aut inexpertus ſit: Cum in eis, quę ad mores, & fidem ſpectant, ſpecialiter aſsiſtatur à Spiritu Sancto, non ſinetur in his errare, licèt in alijs poſsit pravo exemplo, vel regimine Eccleſię Dei non prodeſſe, vel ſi velis obeſſe; quod magis poſſet regimen per multos, ſi maior eorum pars pravorum eſſet. Ad ſecundum inconveniens, dico, quod cum ille, qui Monarchię præeſt, communitatem ipſam reſpiciat vt propriam, non habet aliud magis proprium commodum, quam communitatis, proptereàque ſui commodi, honoris, & boni amor, iuvare poterit ad bonum commune procurandum, potius quam cuiuſvis particularis perſonę; at in regimine, per multos, cum nullus reſpiciat communitatem vt vnicè ſuam, amor ſui non ita iuvabit ad bonum commune procurandum. Ad tertium dico, quod moleſtia illa ſubiectionis in quolibet regimine neceſſaria eſt, quia non omnes dominari poſſunt; & licèt hominibus ex amore proprio inſitum ſit deſiderium dominandi, at ex amore boni communis, qui prædominari debet amori proprio, debet eſſe ad minus conformitas in obedientia, & ſubiectione, vt ordo totius conſervetur. Ad quartum ſimiliter dico, quod licèt Monarcha regens occaſionem habeat ſuperbiendi, habet tamen innumera motiva compeſcendi faſtum, & ſuperbiam: Quod ſi ad hæc non reſpiriat, vt ſolet contingere, idem periculum eſt in dominantibus Ariſtocraticè, qui etiam ſæpè in ſuper-

perbiam efferuntur, & puſillos oprimunt, & tyranicè vexant; potiſsimè cum tempore, quo dominantur, providere ſibi velint, aut ſibi coacervare per fas, vel nefas, divitias, amicos, & partiales, pro tempore ſequenti, quo dominarui ceſuri ſunt; quod quidem motivum non poteſt tẽtare Monarcham, qui cum dominium, & iuriſdictionem habeat vitalitiam, & independentem, cum maiori libertate poteſt ęquitatem, & iuſtitiam omnibus ſervare; nec eſt cur opprimat, ac vexet puſillos, cum nec Optimatibus egeat. Er in Monarchia Eccleſiaſtica à Chriſto fundada eſt ſpecialis ratio, nam Chriſtus ipſe, qui ſpecialiter Eccleſię aſsiſtit, non patietur diu tyranicum regimen, ſi fortè contingat Supremum Rectorem violentias exercere. Ad quintum dico, quod maius periculum eſt invidię, quando poteſtas gubernativa reſidet in multis ęqualibus; nam invidia inter ęquales magis accenditur; inferiores autem, ac ſubditi ferè nunquam ſuperiori, præſertim ſupremo, invident. Ad vltimum denique dico, quod licèt Eccleſiam toto Orbe diffuſam non poſsit vnus ſolus per ſe immediatè gubernare, poteſt tamen facilè per Paſtores ſibi ſubordinatos, ordine Hyerarchico diſtributos, qui ſuis in territorijs, ac Diœceſibus ordinariam habeant iuriſdictionem; ſervato tamen ſubditis iure appellandi, & indiſidijs recurrendi ad Supremũ Caput, vt vnitas ſervetur in Eccleſia: Er quidem quænam Regio diſtantior à Roma excogitari poteſt, quam Indię Orientales, & Occidentales? Et tamen rectè gubernantur cum ſubordinatione ad Romanum Pontificem: Non ergò huiuſmodi ſubordinatio, etiam indiſsitiſsimis Regionibus, impoſsibilis eſt.

9. Tertio ſuadetur aſſumptum; nam vel volunt hæretici, quod poteſtas gubernativa Eccleſię ſit in multis ita, vt in quolibet ſit tota ſimùl, & quilibet in ſolidum habeat poteſtatem gubernativam totius Eccleſię; & hoc eſt impoſsibile, & nunquam viſum in Eccleſia: Eſt quidem impoſsibile, quia cum illi multi habeant diverſas voluntates, & intellectus, diſcordare poſſent in præcipiendo, & dictando; cui nam ergò tunc Eccleſia paritura foret? Sanè vel neutri, vel vtrique; vtrique apertè repugnat, quia præcipiunt contraria: Si neutri; ergò neuter haberet iuriſdictionem; vndè rectiſſimè dixit Athanaſius, *Orat. 9. contra Idol. Sicut multitudo Deorum nullitas eſt Deorum, ita neceſſe eſt, multitudinem Principum id efficere vt nullus Princeps eſſe videatur*: Eſt ergò impoſsibilis talis collocatio poteſtatis adæquatè in quolibet ex multis: Nunquam item eſt viſum in Eccleſia, quod ſaltèm demonſtrat, à Chriſto Domino talem modum regendi Eccleſiam minimè inſtitutum fuiſſe.

10. Vel volunt hæretici, quod talis poteſtas ſit partialiter in multis: Et tunc rogo, vel in multis congregatis in vnum, & per modum vnius? Vel in multis diviſim ſe habentibus abſque vnitate? Si hoc ſecundum; repugnat penitus Eccleſiam eſſe vnam; nam ſicut Regnum Hiſpanię, Gallię, Polonię, & Tartarię, &c. Minimè ſunt vnum Regnum, nec vna Reſpublica; quia gubernantur poteſtatibus diviſim gubernantibus abſque vnitate, & ſubordinatione; ita foret in Eccleſia, quę minimè foret vnum Dei Regnum, nec vna Eccleſia, ſed plura Regna, & plures Eccleſię. Item, quia aliàs quilibet Epiſcopus in ſua Diœceſi eſſet Supremum Caput, & haberet ſupremam poteſtatem: Hoc autem eſt contra inſtitutionem antiquiſsimam ipſius Eccleſię, in qua videmus à tempore Niceni Concilij, & antea fuiſſe ordinem talem, quod Epiſcopi ſubordinarentur Archi-Epiſcopis, Archi-Epiſcopi Primatibus, Primates Patriarchis, Patriarchę Summo Pontifici Romano; non ergò quilibet Epiſcopus in ſua Diœceſi poteſt habere poteſtatem ita ſupremam, vt nulli ſubordinetur: Itemque, quia ſi inter ipſos Epiſcopos ſit diſidium, debet eſſe ſuperior in Eccleſia poteſtas, ad quam recurere liceat; niſi fortè dicas ad bellum, & arma eſſe appellandum, quo nihil abſurdius dici poteſt de Eccleſia à Chriſto D. inſtituta: Si autem, vt Henricus VIII. voluit, dicas, vnumquemque Regem in ſuo Regno habere ſupremam iuriſdictionem Eccleſiaſticam, eadem, & maiora ſequentur abſurda: Nam tunc, ſicut ex duobus Regnis non conſtat vnum Regnum, ita nec conſtaret vna Eccleſia, & periret vnitas Eccleſię; & demum regimen Eccleſię bello, & armis, & non aliter conſiſtere poſſet. Mitto innumera, quę contra hoc præfati Henrici delyrium videri poſſunt apud Suarez *contra Regem Anglię*.

11. Si verò dicatur primum, nempè reſidere poteſtatem gubernativam in multis per modum vnius congregatis, nempè in Concilio vniverſali, ſanè oporteret ſemper Eccleſiam congregatam eſſe in Concilio vniverſali, nam aliter exerceri non poſſet poteſtas ſuprema gubernativa illius: Hoc autem per ſe eſt delytium, nam ſi Epiſcopi, & Archi-Epiſcopi ſemper in Concilio congregati forent; quomodo regerent ſuas Oves? Si autem dicatur quod ſatis foret, ſi aliquoties in Concilio congregarentur, rogo: Diſſoluto Concilio, in quo remaneret poteſtas illud iterum congregandi, & convocandi Epiſcopos? In quo cura vniverſalis Eccleſię? In quo ſolicitudo converſionis infide-

de-

delium? Et dato quod poſſent congregari, ſemel congregati, quis præſideret de iure in Concilio? Si nullus eſſet de iure Præſes, quo pacto in vnum convenirent? Quid ſi pares paribus contradicerent? Quid ſi improbi, & indocti numero plures contradicerent paucioribus Doctoribus, & probioribus? Sanè Concilium, non Concilium, ſed tumultus potius foret abſque Capite: Ergò.

12. Si denique his incommodis obviare quis velit, dicendo Poteſtatem gubernativam reſidere in multis Principibus congregatis, qui poſsint talem poteſtatem per electionem ſubſtituere in vno, qui diſſoluta congregatione gubernet loco congregationis. In primis iam vniverſa Eccleſia regeretur ab vno, & per modum Monarchię. Secundo, quia illa vniverſalis congregatio non eſt vndè habeat illam poteſtatem: Non enim ex natura ſua, vt per ſe patet, quia eſt iuriſdictio ſpiritualis, & gratuita: Nec es iure divino, nam Chriſtus, non Concilio, ſed Div. Petro dixit: *Super hanc petram, &c. Tibi dabo Claves, &c. Paſce Oves meas.* Tertio, quia nunquam legitur, quod Concilium congregatum dederit per electionem vni ſuam poteſtatem vniverſalem Eccleſiam gubernandi: Mirum autem eſſet quod modus gubernandi Eccleſiam nunquam in ea ad praxim reductus, foret à Chriſto inſtitutus. Quarto, quia vel illi vni conferretur talis poteſtas amiſsibiliter, id eſt, amobiliter ad nutum Concilij; vel inamobiliter: Si inamobiliter, poſſet ſuperbire, poſſet tyrannicè poteſtatem exercere, non eſſet à quo cohiberetur, nec deponeretur: En ergò omnia incommoda, quę excogitarunt hæretici in Pontifice Romano, in illo vno militarent. Si autem amobiliter per Concilium illud: Quis rogo ad illum de ponendum haberet ius congregandi Concilium? Convocandi Epiſcopos, & præcipiendi illis, vt concurrerent? En nodum indiſſolubilem. Ponamus enim quod ipſe, ante depoſitionem, præciperet Epiſcopis vt à ſuis Diœceſibus non recederent; quo iure poſſet quilibet Epiſcopus reſiſtere, & contra ire Supremo Paſtori non depoſito, nec amoto ab vniverſali iuriſdictione ſupra ipſum?

13. Sequitur ergò in Eccleſia ex Chriſti inſtitutione vnum debere eſſe Caput Supremum viſibile, cui cura ſit vniverſalis Eccleſię, converſionis infidelium, & concordię in ea ſervandę: Cui ſimiliter inſit poteſtas congregandi, & diſſolvendi Concilia prout oportuerit, & in eis præſidendi, eorum decreta confirmandi, vel improbandi: Cui denique inſit poteſtas deciſiva in omnibus fidei controverſis, & gubernativa totius Eccleſię, quod magis in ſequentibus patebit.

14. Sed obijciunt primo hæretici: Nam Chriſtus D. ſolus eſt Caput Eccleſię, iuxta illud Pauli *ad Ephеſ. 1. Et ipſum dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam, quę eſt Corpus ipſius*: Ergò non requiritur Caput viſibile in terris. Secundo, quia 1. *ad Corinth.* 12. & *ad Ephеſ.* 4. deſcribit Hyerarchiam Eccleſię numerãs Paſtores, & Doctores, & non meminit vnius ſupremi Paſtoris. Tertio, quia Chriſtus D. *Luc.* 22. inquit: *Reges gentium dominantur eorum, non vos autem ſic; ſed qui maior eſt fiat ſicut minor*: Ergò non vult Chriſtus aliquem eſſe omnibus maiorem. Quarto, quia Eccleſia antiqua vna erat; & tamen non habebat vnum Caput vniverſale in terris: Ergò, vt vna ſit Eccleſia legis gratię, tale Caput non requiritur. Quinto, quia non eſt in toto Orbe pro regimine temporali neceſſarius vnus ſupremus Princeps: Ergò nec in Eccleſia pro regimine ſpirituali. Sexto, quia Div. Cyprianus in ſententijs Concilij Cartaginenſis, inquit: *Quod Epiſcopi non habent in terris iudicium, ſed eorum delicta Dei iudicio reſervanda eſſe*: Ergò non agnoſcunt Supremum Caput in terris. Denique ex Hyeronimo *ad Tit.* 1. vbi inquit eccleſiam primò conſilio Presbyterorum cœpiſſe gubernari, ſed quia vnus dicebat: *Ego ſum Pauli*, alius: *Ego Apollo*, propterea conſtitutum fuit, vt vnus cæteris emineret: Ergò Caput vnum non fuit ex Chriſti inſtitutione.

15. Reſpondetur tamen facilè Ad primum, verum eſſe, quod Chriſtus eſt Caput ſuper omnem Eccleſiam, ſicut ipſe *conſtitutus eſt à Deo Rex ſuper Sion Montem Sãctum eius*: cæterum ſicut abſente Rege, opus eſt, quod relinquat loco ſui Pro-Regem, ſeù Vicarium, ſic abſente Chriſto, quantum ad præſentiam viſibilem, opus fuit, quod relinqueret ſui Vicarium in terris viſibilem, nempè Div. Petrum. Ad ſecundum, dico, ibi Apoſtolum numeraſſe quaſi in ſpecie Paſtores Eccleſię, in quibus, cum debeat eſſe ſubordinatio, includitur Paſtor Supremus, cui omnes ſubordinantur, quem opus non fuit ſignare in individuo. Ad tertium conſtat es ſupradictis, nam ibi Chriſtus D. potius ſupponit aliquem forè maiorem in Eccleſia, non autem vult, quod ille maior habeat faſtum, & appetitum dominandi, ſicut Reges gentium, ſed potius quod humilitatis exemplum præbeat reliquis; & huius Maioris ſe ipſum apppoſuit pro exemplo, qui certè maior erat omnibus, & ſuper omnes poteſtatem, & iuriſdictionem habens. Ad quartum, nego quod Eccleſia Antiqua, nempè Synagoga, non habuiſſet ſemper vnum Caput viſibile, & vnam viſibilem regu-

lam

lam animatam; quę licèt non ſit ita expreſa in Sacra Hiſtoria, in qua nempè perſona, vel dignitate locata fuerit, quia non omnia quę antiquis temporibus contingebant, ſcripta ſunt; tamen nihil in contra ſcriptum reperitur, vndè certum debet haberi fuiſſe vnam primam regulam, & ſupremam poteſtatem, & veriſimile, quod ea ſita foret, vel in Primogenitis, vel in eis, qui dignitate Sacerdocij cæteris præfulgebant, vel alio modo deſignatis perſonis, iuxta varietatem temporum legis naturę, & ſcriptę: Quod licèt facilè indagari non poſsit, credendum tamen eſt, Deum omni tempore pro fidei, & Eccleſię vnitate ſervanda providiſſe vnum Caput viſibile, & vnam viſibilem regulam animatam, licèt non cum tam expreſſa ſubordinatione, & deſignatione, ſicut tempore legis gratię; quia nec illa Eccleſia erat tam perfecta, nec tam perfectè vna, ſicut noſtra. Ad quintum, dico; quod vniverſus Orbis non eſt vnum ſolum Regnum, nec vna viſibilis Monarchia, ſed plures, & ideò nihil mirum quod non habeat vnum Supremum Regem, aut Monarcham: At de fide eſt Eccleſiam eſſe vnam, quam vnitatem nimium commendat Sacra Scriptura, vt ex dictis patet: Et ad hanc vnitatem opus eſt vno Capite viſibili. Prætérquam, quod cum regimen mundi temporale exerceatur timore, coactione, & bellorum metu, difficile admodum eſt, quod tot Nationes adeò inter ſe diſsitę violenter contineantur in ſubiectione ad vnum Caput, & ideò Deus id non inſtituit, ſed permiſsit pluralitatem Regum, & Monarcharum: At cum regimen ſpirituale animarum conſtet potius amore, & filiali ſubiectione, facilius eſt, quod omnes volentes ſalvari, & ad agnitionem veritatis venire vni Supremo Paſtori ſubordinentur modo ſupra explicato: Et ideò ſic inſtitutum fuit à Chriſto Domino. Ad ſextum ex Cypriano, dico, ipſum planè non excludere Supremum Paſtorem in terris, cui Epiſcopi debeant ſubordinari, ſed ſolum id excludere ab omnibus ſuis Collegis in Concilio illo Cartaginenſi, congregatis, verba eius ſunt: *De hac re, quid ſinguli ſentiamus, proferamus, neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem, ſi diverſum ſenſerit, amoventes: Neque enim quiſquam noſtrum Epiſcopum ſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adigit: Quando habet omnis Epiſcopus pro licentia libertatis, & poteſtatis ſuę arbitrium proprium, tamque ab alio*, nempè ex Collegis, *iudicari non poſsit, quam nec ipſe poteſt alterum iudicare*. Solum ergò excludit, quod aliquis ex Collegis poſsit vt Epiſcopus Epiſcoporum alium iudicare, non autem quod Romana Sedes poſsit de his iudicare, cum id alibi ſæpè aſſerat. Nam *Epiſtol.* 40. inquit: *Vna Eccleſia eſt, & Cathedra vna ſuper Petram Domini voce fundata: Quiſquis alibi colligerit, ſpargit*. Nec obeſt, quod ſubdit: *Expectemus vniverſi iudicium D. N. Ieſu-Chriſti, qui vnus, & ſolus habet Poteſtatem, & præponendi nos in Eccleſię ſuę gubernatione, & de actu noſtro iudicandi*. Nam per hoc ſolum aſſerit, quod ſolus Chriſtus habet poteſtatem inviſibilem, & Supremam præponendi eos in Eccleſię regimine, & eorum actus iudicandi pro dię iudicij reſervatam, ſivè vltimatè, & abſque omni ſubordinatione ad aliud iudicium, non autem excludit quod in terris ſit eius Vicarius, qui viſibiliter iudicare poſsit de externis actibus, licèt huius iudicium vltimatum, & inindicabile non ſit, & ſimiliter poteſtatem viſibilem ſibi à Chriſto commiſſam præficiendi Epiſcopos in Dei Eccleſia. Ad vltimum denique ex Hyeronimo, dico, ipſum non loqui de poteſtate Suprema in Epiſcopos; ſed de dignitate Epiſcopali in Presbyteros, quam innuit non à Chriſto, ſed iure humano inſtitutam ad componendas diſcordias, & diſſenſiones Presbyterorum: Quod quidem ad rem non facit: Et explicari poteſt, quod iure humano inſtituta ſit hæc poteſtas, & iuriſdictio, non in ſpecie; quia in ſpecie à Chriſto D. inſtituta fuit, ſed quantum ad determinationem ſubditorum, qui ei ſubeſſe deberent, vel territorijs aut Diœceſis.

QUÆSTIO VIII.

AN SUPREMA POTESTAS GUBERNATIVA totius Eccleſię, & diffinitiva rerum fidei ex Chriſti inſtitutione conveniat Soli Petro, eiuſque Succeſſoribus?

1. OSTENSUM manet præfatam poteſtatem, & authoritatem ex Chriſti D. inſtitutione debere eſſe in vno Supremo Capite viſibili totius Eccleſię: Nunc determinandum reſtat, cuinam perſonę Chriſtus hanc Capitis Supremi tradiderit dignitatem?

2. Dicendum ergò eſt primo, *eſſe de fide certum, hanc dignitatem Soli Petro traditam fuiſſe à Chriſto Domino*. Conſtat primo expreſsis Evangelij teſtimonijs. Nam in primis *Matth.* 16. dixit Chriſtus Petro: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ędificabo Eccle-*

ſiam

Digitized by Google

ſiam meam , & tibi dabo claves Regni Cælorum: Ergò inſtituit Chriſtus, quod Petrus eſſet Petra fundamentalis Eccleſię, & quod haberet claves Regni Cœlorum ; & conſequenter quod eſſet Paſtor Supremus, & regula fidei animata, cum poteſtate clavium. Item *Luc.* 22. *Ego rogavi pro te , vt non deficiat fides tua , & tu aliquando converſus confirma fratres tuos* : Ergò Chriſtus inſtituit, quod fides Petri eſſet indefectibilis, cum poteſtate confirmandi fratres in fide , vbi dubietas aliqua exorta eſſet : Item *Ioann. vlt.* interrogatus Petrus à Chriſto, an diligeret eum pluſquam cæteri Apoſtoli, tandem concluſit: *Paſce Oves meas* : Sed paſcere ſignificat poteſtatem gubernativam, vndè Rex , & Gubernator *Paſtor* appellatur in Sacris Litteris, tum *Iſaię* 44. *Qui dico Cyro : Paſtor meus eſt.* Tum *Ezechiel* 34. *Suſcitabo ſuper eas Paſtorem vnum , qui paſcet eas, ſervum meum David; ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis in Paſtorem : Ego autem Dominus ero eis in Deum, & ſervus meus David Princeps in medio eorum.* Et *Pſalm.* 22. vbi noſtra Vulgata inquit: *Dominus regit me, &c.* Div. Hierony. vertit: *Dominus paſcit me* : Ergò pro eodem accipitur paſcere, ac regere, & gubernare , ſicut Paſtor, & Rector, ſeù Gubernator : Ergò per ea verba : *Paſce oves meas* , tradidit Chriſtus Petro poteſtatem gubernativam.

3. Reſpondent hæretici ad primum locum, quod ly *ſuper hanc Petram*, non debet referri ad Petrum , ſed ad fidei confeſsionem, quam fecerat , dicendo : *Tu eſt Chriſtus Filius Dei.* Sed contra, quia dato quod ad illam confeſsionem referatur , vt exponunt aliqui ex SS. Patribus, non refertur ad illam ſecundum ſe, ſed ad illam vt factam à Petro , tanquam fides , & confeſsio Petri petra ſit fundamentalis Eccleſię, ſupra quam fundari debeat fides, & confeſsio fidei totius Eccleſię , & cui debeat tota Eccleſia conformari : Sed hoc eſt conſtituere Petrum in fide Supremam regulam : Ergò hoc habet Petrus ex inſtitutione divina. Secundò , quia multorum PP. ſenſus intelligit de Petro ea verba , *ſuper hanc Petram*, & ita tenet traditio vniverſalis Eccleſię : Ergò ita debet intelligi, potiſsimè cum vna expoſitio explicetur , & concilietur cum alia : Non autem debent referri ad eam confeſsionem vt factam à quolibet , nam alias talis confeſsionem facta à Subdito Chriſtiano, & ſæculari, poſſet dici fundamentum Eccleſię ; quod quis dicat? Cum fides ſubditorum non fundamentum , ſed fundata , & ędificata ſit, vndè de his loquens Apoſt. 1. *ad Corinth.* 3. non dixit : *Dei fundamentum eſtis , ſed Dei ędificatio eſtis.*

4. Reſpondent ſecundo , quod eſſe fundamentum Eccleſię, & habere claves ligandi, atque ſolvendi, non eſt privilegium Petri, ſed commune ei cum cæteris Apoſtolis , nam de cæteris Apoſtolis etiam dicitur, quod ſunt fundamentum Eccleſię , iuxta illud Pauli : *Fundati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarũ*, & item *Matth.* 18. omnibus Apoſtolis dixit Chriſtus : *Quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata , & in Cælo , &c.* Sed contra eſt: Nam Chriſtus non potuit magis exprimere ſingularitatem huius privilegij cum Petro, nam dixit : *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, &c.* Nam ea pro nomina *tibi, tu,* & ly *Petrus* ſingulariſsimè indicant Chriſtum ſingulariter cum Petro loqui, & non communiter cum cæteris Apoſtolis : Ergò in eis tribuit Petro rationem aliquam *Petræ* fundamentalis ſingularem ipſi , & non communem cum cæteris. Vndè cum cæteri appellantur fundamenta Eccleſię , debet intelligi cum quadam ſubordinatione ad *Petram* fundamentalem, quę eſt Petrus ex ſingulari inſtitutione Chriſti. Vndè Div. Thom. in prædicto loco *ad Epheſ.* 2. inquit : *Etſi ſuper omnes Apoſtolos Eccleſia fundata ſit , tamen ſingulariter fundatur in Petro, quia ipſe electus eſt Caput omnium*: Nam ſicut Chriſtus, & Petrus dicuntur Petra fundamentalis Eccleſię , ex quo non licèt colligere, quod in hoc munere ſit ęqualitas inter Petrum, & Chriſtum , ſed cum ſubordinatione, ita inter Apoſtolos. Item cum dicitur cõmuniter Apoſtolis : *Quæcumque ligaveritis ſuper terrã, &c.* Non eſt dictũ illis vt Supremis poteſtatibus, ſed cũ ſubordinatione, & tanquã Miniſtris Apoſtolicis; vndè ibi non dicitur Chriſtum tradidiſſe claves Apoſtolis , ſicut dicitur de Petro; *Tibi dabo claves* : Solum ergò datum fuit cæteris miniſterium ligandi, atque ſolvendi, & quaſi extenſio poteſtatis Apoſtolicę , cum ſubordinatione tamen ad Supremam ordinariam poteſtatem.

5. Reſpondent item hæretici ad illud Ioann. *Paſce oves meas*, quod Chriſtus ibi Petro nullam ſpecialem contulit Dignitatem præ cæteris Apoſtolis, ſed iam collatam , ne fortè propter negationem trinam exiſtimaretur ab ea amotus , confirmavit, nam vt inquit Cyrill. *lib.* 12. *in Ioann. cap.* 64. *Apoſtolatus eius renovatur Dignitas , ne propter negationem labefacta videatur.* Sed contra eſt, quia ea Dignitas renovatur , & confirmatur, quam Chriſtus Petro ſingulariter promiſſerat, cum dixerat : *Tu eſt Petrus , & ſuper hanc Petram, &c.* Nam ſicut tunc Petrus examinatus fuit in fide, ita nunc in charitate, & ſicut tunc Chriſtus Petrum appellavit proprio nomine, dicens: *Beatus eſt Simon Bar-Iona* , ita hic eum appellat eodem nomine dicens : *Simon Ioan-*

Ioan. Diligis me plus his? Ter autem interrogat, vt trina confeſsio trinę negationi correſpōdeat: Sed dignitas, quam promiſſerat Petro illis verbis: *Super hanc petram, &c.* fuit dignitas ſpecialis, & primatus Apoſtolicę dignitatis: Ergò hanc Chriſtus contullit, cum poſt Reſurrectionem dixit: *Paſce oves meas.*

6. Dicunt inſuper, quod per ly: *Paſce oves meas*, ſolum ei commiſsit munus prædicandi, & paſcendi oves Chriſti verbo vitę, non verò iuriſdictionem. Sed in hoc etiam apertè errant, primo, quia dignitas, quam Chriſtus obtulerat Petro, quando dixerat: *Super hanc petram, &c.* non fuit ſolum munus prædicandi, ſed vera iuriſdictio, & poteſtas, nam dixerat, *& tibi dabo claves, &c.* Ergò quando *Ioann. vlt.* hanc eandem dignitatem illi contullit, non munus tantum prædicandi, ſed veram poteſtatem clavium, & iuriſdictionem in ſuas oves illi dedit. Secundo: Quia paſcere oves, per metaphoram non ſolum ſignificat munus præbendi alimenta, ſed potiſsimè paſtoralem curam regendi, ducendi, tuendique gregem, & revocandi oves errantes, & compellendi, quando oportuerit, & vniverſaliter ſignificat poteſtatem gubernativam, vt ſupra vidimos ex Sacris Litteris: Ergò hanc Chriſtus Petro contullit, & non ſolū munus prædicādi. Ac demum, quia huiuſmodi hæreticorum intelligentia eſt contra communem Antiquorum PP. expoſitionem, qui vniformiter per ly *Paſce oves meas* poteſtatem gubernativam, & veram iuriſdictionem intelligunt: Ergò ſubſtineri nequit.

7. Nec minus errant, dum aliter evadere verba Chriſti conantur, dicentes, per ly *oves meas*, Chriſtum non intellexiſſe vniverſam Eccleſiam, ſed tantum aliquas, nempè, quę erant ex circuncisione, tum quia non dixit Chriſtus *omnes*, ſed *oves meas*, tum ex illo Pauli ad Galat. 2. *Creditum eſt mihi Evangelium præputij, ſicut & Petro circumciſionis*, vbi Petro tantum dicitur commiſſa cura circunciſorum, nempè Iudeorum. Errant, inquam, nam vt Bernardus, *lib. 2. de Conſiderat. cap. 8.* inquit: *Paſce oves meas*, de omnibus intelligitur, ſic enim ait: *Quas? Illius, vel illius populi, civitatis, vel regionis, aut certi Regni? Oves meas, inquit: Cui ergò non planum, non deſignaſſe aliquas, ſed aſsignaſſe omnes? Nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil.* Vndè Innoc. III. *in cap. ſolitę de Maioritate*, ſic ait: *Non diſtinxit inter has oves, & alias, vt alienam à ſuo demoſtravet Ovili, qui Petrum, & Sucesſores ipſius Magiſtros non recognoſceret, & Paſtores.*

8. Secundo probatur aſſumptum: Nam ex dictis conſtat Chriſtum inſtituiſſe Eccleſiam vt ab vno Supremo Capite gubernaretur, nā aliter eius vnitas ſalvari non poſſet, vndè in omnibus locis, in quibus Eccleſię vnitas revelatur, revelata debet intelligi vnitas Capitis: Ergò illi debet cenſeri dignitas Capitis Supremi collata, cui maiora indicia prælationis inter cęteros Apoſtolos contullerit Chriſtus, & qui in Sacro Textu magis cæteris præferatur: Sed hic eſt ſingulariter, & evidenter Petrus: Ergò ſoli Petro debet cenſeri hæc dignitas à Chriſto collata. Minor hæc vltima probatur, nam primo Chriſtus Petro nomen Simonis in Petri, aut Cæphę appellationem commutavit, tanquam nomen propriùs ſignificans dignitatem Petrę fundamentalis Eccleſię, quod cum alio ex Apoſtolis minimo fecit. Secundo: Quia regulariter, vbi numerantur Apoſtoli in Sacro Textu, primus numeratur Petrus, immò Matth. *cap. 10.* ſic ait: *Duodecim Apoſtolorum nomina hæc ſunt: Primus Simon, &c.* Vbi expreſsè videtur tribui Primatus Petro. Et Marc. 16. dixerunt Angeli mulieribus: *Ite dicite diſcipulis eius, & Petro.* Et Paulus 2. *ad Corinth.* 12. inquit: *Cæteri Apoſtoli, & Fratres Domini, & Cæphas*, vbi Petrus tanquam ſingularis perſona, non confundenda cum cæteris Apoſtolis nominatur; per quod clarè ſignificatur ſingularitas alicuius dignitatis in Petro, non communis cum reliquis. Tertio, cum opus eſt, quod Apoſtoli loquantur, regulariter loquebatur Petrus nomine omnium, vt notavit Cyril. *in Ioann. 6.* ſuper ea verba: *Domine ad quem ibimus, &c.* Quarto: Quia Chriſt. *Matth.* 18. juſsit ſpecialiter pro ſe, & Petro reddi tributum Cæſſari, quod per capita familiarum conſueverat ſolvi, vt notant communiter Expoſitores Sacri. Vndè Hieron. de cæteris Apoſtolis ſic inquit: *Quia viderant pro Petro, & Domino idem tributum redditum, ex æqualitate precij arbitrati ſunt Petrum cæteris Apoſtolis eſſe prelatum.* Quinto: Quia poſt Chriſti Reſurrectionem, inter viros, primum refertur *Luc.* 24. apparuiſſe Petro, illis verbis: *Surrexit Dominus verè, & apparuit Petro.* Ac demum, Petro voluit Chriſtus ſuam divinitatem primo, & ſingulariter revelari, & quod eſſet primus in fidei confeſione, quia futurus erat Supremus in Apoſtolica dignitate, vt inquit Leo Papa. His ſanè indicijs, & ſingularibus notis prætullit Chriſtus Dominus Petrum cæteris Apoſtolis, quia in nullo alio iſtę, vel ęquales notę concurrunt, vt per ſe eſt evidens: Ergò cum Chriſtus aliquem inſtituerit in dignitatem Supremi Capitis, non alius cenſendus eſt, niſi Petrus.

9. In cuius confirmationem accedit, quod nullus alius Apoſtolus huius dignitatis munus exercuit poſt Chriſti Aſcenſionem, ſicut ipſe. Nam *Actor.* 1. ipſe ſingulariter propo-

fuit cæteris novam electionem Apoſtoli faciendam loco Iudę. *Actor.* 1. Primus promulgat Evangelium. *Actor.* 3. Primus fidem miraculo confirmat. *Actor.* 4. Ipſe pro omnibus in Concilio Phariſæorum cauſam agit. *Actor.* 5. Ananiam, & Saphiram morti adiudicat. *Actor.* 10. Primo ei revelatur vocatio Gentium ad Eccleſiam. *Actor.* 12. Oratio fiebat à tota Eccleſia pro Petro, tanquam pro ſuo Capite. *Actor.* 15. Primus inter cæteros ſententiam profert, ſequentibus alijs. Ac denique, Paulus factus à Chriſto ſui Apoſtolus, *ad Galat.* 2. inquit, ſe aſcendiſſe Hieroſolimam, vt videret Petrum, vt nempè cum eo conferret Evangelium, & doctrinam fidei prædicandam: Quod ſatis indicat Paulum veneraſſe Petrum, vt ſupremam fidei prædicandę regulā in Eccleſia. Vndè D.Thom. *in præſent quæſt.* 33. *articul.* 4. *ad* 2. inquit, Paulum ſubditum fuiſſe Petro: Quod alij etiam PP. innuunt. Quærant ergò hæretici ęqualia indicia, & tot notas Supremę poteſtatis in alio ex Apoſtolis, & tunc poterunt rem iſtam in dubium vertere: Sed luce clarius eſt, quod in nullo alio concurrunt: Ergò.

10. Dico ſecundo: *Hæc Dignitas, & Poteſtas Supremi Capitis collata fuit Petro à Chriſto, non ſolum pro ſe, ſed etiam pro ſuis in poſterum Succeſſoribus.* Eſt de fide, nam, ea collatio Dignitatis, & poteſtatis Petro à Chriſto in Evangelio facta, in hoc ſenſu intellecta fuit ſemper à SS. PP., & ab Eccleſia, & ſic conſtat ex communi, & immemoriali traditione ipſius Eccleſię. Et meritò, nam, vt ex ſupra dictis conſtat, eam Dignitatem, & Poteſtatem Supremam Deus inſtituit propter ipſam Eccleſiam, & propter eius vnitatem, permanentiam, & gubernationem, vndè inquit: *Et ſuper hanc petram ędificabo Eccleſiam meam, & portę inferi non prævalebunt adverſus eam*, quia videlicèt fundata ſupra firmam petram, quę eſt Petrus, vel Petri confeſsio, cui data eſt poteſtas cæteros confirmandi in fide, & pro cuius fide, vt nunquam deficeret, Chriſtus ſpecialiter rogavit: Sed Chriſtus non inſtituit Eccleſiam, vt ſolum eſſet firma, in fide conſtans, & vna, ac rectè gubernata tempore, quo perſonaliter vixit D. Petrus, ſed etiam in poſterū vſque ad diem iudicij in omnibus poſteris, qui futuri erant Succeſſores illius primitivę Eccleſię: Ergò pariter eam Supremam Dignitatem inſtituit, non ſolum perſonaliter pro Petro, ſed pro omnibus ipſius in poſterum Succeſſoribus. Confirmatur, nam cæteras Eccleſię Dignitates, vt ordinem Sacerdotalem, Epiſcopos, & Doctores, &c. non inſtituit Chriſtus pro ſolis Apoſtolis, quos ipſe ordinavit, alias ſolum fundaſſet Eccleſiam cum perſonis ipſis morituram, quod eſt ridiculum, ſed pro omnibus in poſterum Succeſſoribus: Ergò pariter Supremam Apoſtolicam Dignitatem non inſtituit pro ſolo Petro cum ipſo morituram, ſed pro ipſo, & omnibus eius Succeſſoribus.

11. Dices: Dignitas Apoſtolica fuit collata cæteris Apoſtolis, quin tamen eorum Succeſſores illam habuerint, vndè quamvis quilibèt Apoſtolus, titulo talis, habuerit poteſtatem in vniverſum Orbem, & conſtituendi Epiſcopos, & formandi Epiſcopatus, non tamen qui eis ſucceſſerunt hanc poteſtatem habent, ſed vnuſquiſque tantum in ſuo Epiſcopatu limitatè: Ergò pariter dici poteſt de Succeſſoribus D.Petri. Sed contra eſt, quia poteſtas Apoſtolica conceſſa à Chriſto cæteris Apoſtolis, non fuit per modum poteſtatis ordinarię permãſurę in Succeſſoribus, ſed per modum facultatis extraordinarię ad munus tantum fundandi Eccleſiam, & diſſeminandi Evangelium in omnes Gentes, & cum quadam ſubordinatione ad Petrum, tanquam ad Dignitatem ſupremam, & ordinariam perpetuo futuram in Eccleſia: Ergò perperam ex alijs Apoſtolis paritas fit ad Petrum, eiuſque Apoſtolicam Dignitatem. Antecedens probatur: Quia, ſi cæteri Apoſtolis talis poteſtas velut ordinaria data fuiſſet, & permanſura in Succeſſoribus, magna in Eccleſia confuſio ſequeretur, ſi nempè vnuſquiſque Epiſcopus, vti Succeſſor Apoſtolorum, talem ſibi poteſtatem adſcriberet ſuper vniverſum Orbem, ordinandi nempè Epiſcopos, & diſtribuendi Epiſcopatus, omneſque Epiſcopi ad invicē, & abſque ordine eſſent ſuis Collegis ſuperiores, ac Summi Pontifices in Eccleſia, quod evidenter Eccleſię regimini repugnat: Et alias evidenter patet id non fuiſſe ita conſtitutum à Chriſto, tum quia Chriſtus inſtituit regimen Eccleſię, vt congruebat eius ordini, & vnitati, non autem vt ſeminarium confuſionis, & litigiorum. Tum quia, ſi ita conſtitutum fuiſſet à Chriſto, ita in Eccleſia permanſiſſet: Evidemus autem eſt, quod ita in Eccleſia non permanſit, nam quando Epiſcopi talem Apoſtolicam poteſtatem habuere, vel exercuere? Aut quando vidimus in Eccleſia duodecim, aut plures Succeſſores Apoſtolorum, qui in vniverſum Orbem poteſtatem Apoſtolicam habuerint, ſicut Apoſtoli? Id ſanè à nullo vnquam hiſtorię traditum, nec à quoquam auditum eſt: Sequitur ergò evidenter, quod Dignitas, & poteſtas Apoſtolica à Chriſto cæteris Apoſtolis collata, fuit extraordinaria, & abſque iure ſucceſsionis: E contra vero de poteſtate, & Dignitate Petri, quę fuit ordinaria, & cum iure ſucceſsionis, vt opus erat ad vnitatem perpetuam Eccleſię, & ex traditione ipſius Eccleſię conſtat.

SOL-

SOLVUNTUR HÆRETICORUM obiecta.

12. OBIJCIUNT primo contra primum aſſertum, quod *Actor.* 8. Petrus, & Ioannes miſsi ſunt ab alijs Apoſtolis Samariam: Si autem Petrus eſſet Supremum Caput eorum, non mitteretur ab ipſis, nam mitti eſt ſignum ſubiectionis, ſicut mittere ſuperioritatis. Secundo, quia *Actor.* 15. Iacobus in Cōcilio definit, & alij eius ſentētiā ſecuntur, ſecundo, quia propterea eum Clemens. 1. *Epiſt.* vocat Epiſcopum Epiſcoporum, & inquit, ipſum regere vniverſam Eccleſiam: Et Chriſoſt. *Homil.* 3. *in Act. Apoſt.* 1. inquit: *Apoſtolos Iacobo conceſſiſſe Solium.* Ergò ſi aliquis foret Supremus inter Apoſtolos, potius foret Iacobus, quam Petrus. Tertio, quia Paulus *ad Galat.* 2. reprehendit Petrum, tanquam ei ſuperior: Hoc autem repugnat cum ſuperioritate Petri in omnes, & in Paulum. Ac demum Paulus ipſe 2. *ad Corinth.* 11. inquit ſibi commiſſam *ſolicitudinem omnium Eccleſiarum*: Ergò non eſt Petri privilegium ſingulare, huiuſmodi Paſtoralis ſolicitudo.

13. Reſpondeo, huiſmodi obiectiones ſumi ex aliquibus ſignis ſuperioritatis, quę concurrunt in hoc, vel in alio ex Apoſtolis, & ſibi invicem contradicunt, nam cum ſupra oſtenſum ſit, Dignitatem Supremi Capitis in vno tantum fuiſſe inſtitutam à Chriſto, ſi Iacobus eam obtinuiſſet, ergò non Paulus: Si Paulus; ergò non Iacobus, & ſic argumentum eſt contra producentem: Illi ergò ex omnibus debet credi talis Dignitas à Chriſto conceſſa, qui pluribus notis ſuperioritatis invenitur deſignatus in Evangelio, & Sacris Litteris, non verò illi, qui hac vel illa tantum nota inſignitur: Licèt autem vel Paulus, vel Iacobus alicubi videantur deſignati vna, vel altera nota ſuperioritatis, in comparatione tamen Petri nullus tot notis deſignatur, ſed Petrus in huiuſmodi notis evidenter prævalet cæteris. Vndè ad primum dico, quod non ſemper in Sacris Litteris mittere eſt actus ſuperioritatis, ſicut nec mitti inferioritatis, quia ſolet accipi mittere deprecativè, rogando nempè, aut ſuppliciter ſuadendo. Nam *Matth.* 2. de Herode viſo à Magis, dicitur: *Et miſsit eos in Bethleem*, quin tamen vllam ſuperioritatem in Magos haberet: Cur ergò non potuerunt Apoſtoli mittere Petrum, ſuppliciter tantum ei ſuadendo vt iret, non ei imperando, vt pergeret? Ad ſecundum, negatur, Iacobum ibi definiviſſe, ſed Petrus fuit, qui primo *ſurgens, dixit: Viri fratres vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes verbum Evangelij, & credere:* *Nunc ergò quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque nos, neque Patres noſtri portare potuimus. Tacuit autem omnis multitudo, &c.* En, qualiter Petrus fuit, qui definivit, non licere imponere Gentibus iugum Circunciſionis, & eius ſententia audita, tanquam Supremo Oraculo, omnes acquieverunt, *tacuit enim omnis multitudo.* Quod ſi *Poſteà quam tacuerunt, Reſpondit Iacobus dicens: Simon narravit, &c.* Hoc non fuit definire, vt Eccleſię Oraculum, ſed confirmare Petri definitionem Oraculis Prophetarum, & alijs teſtimonijs Sacrę Scripturę, & tandem ſuo iudicio ſe conformare definitioni Petri.

14. Ad illud de Clemente Alexand. dico, quod verba eius citata ab Euſeb. *lib.* 2. *Hiſtorię, cap.* 1. ſunt: *Petrus Iacobus, & Ioannes poſt aſſumptionem Salvatoris, quamvis ab ipſo fuerint omnibus penè prælati, tamen non ſibi vendicabant Primatus gloriam, ſed Iacobum, qui dicebatur iuſtus Apoſtolorum, Epiſcopum ſtatuerunt*, in quibus forſan, ly *Apoſtolorum* coniungendum eſt, cum ly *iuſtus*, quaſi dicatur, quod Iacobum, qui dicebatur *iuſtus Apoſtolorum*, conſtituerunt Epiſcopum, nempè Hieroſolimorum, vndè Belarm. inquit, non eſſe legendum, quod eum conſtituerunt Epiſcopum Apoſtolorum, ſed Hieroſolimorum. Et ita legitur in editione Pariſienſi, Ann. 1571. Hiſtorię Eccleſiaſticę. Cum autem dicitur, quod illi tres *non ſibi primatus gloriam vindicabant*, ſolum indicat, quod fauſtum, & gloriam Primatus non ambiebant, nec iam de maioritate concertabant, non tamen per hoc tollitur Primatia Petri, quam ex Chriſti inſtitutione habebat, licèt de illa non gloriaretur: Et cum dicitur, Iacobum regere vniverſam Eccleſiam, intelligi debet de Eccleſia Hieroſolimorum, quę erat reſtrictè pro illo territorio vniverſa, non verò vniverſam toto Orbe diffundendam: Et ſimiliter, cum Chriſoſtomus dixit, Apoſtolos Iacobo cōceſſiſſe Solium, debet intelligi in illa Diœceſi Hieroſolimitana, in qua Epiſcopum eum conſtituerunt, non verò de Solio vniverſalis Eccleſię.

15. Ad tertium, variè reſpondent Catholici, nam alij dicunt, Cepham, quem Paulus reprehendit, non fuiſſe Petrum Apoſtolum, ſed vnum ex 70. Diſcipulis. Sed hoc communiter reprobatur. Alij inquiunt, eam reprehenſionem non fuiſſe ex animo, & ſeriam, ſed ſimulatam in gratiam Iudæorum: Et hoc etiam communiter reprobatur, quia eſt contra Textum, inquit enim Div. Paulus: *Cum vidiſſem, quod non rectè ambularet, &c.* vndè melius cum

Aguſt. *de Agone Chriſtiano, cap.* 30. & cum Div. Thom. *in præſent. quæſt.* 33. *art.* 4. *ad* 2. dici debet, quod *Paulus, qui erat ſubditus Petro, propter imminens periculum ſcandali circa fidem, Petrum publicè arguit* : Ita Div. Thom. Nam aliquando licet ſubdito arguere Superiorem, præſertim quando præbet ſcandali occaſionem, potiſsimè circa fidem. Ex quo non inferas, Petrum erraſſe, aut potuiſſe errare in fide, hoc enim non ſequitur, ſed ad ſummum ob aliquam inadvertentiam, aut incircunſpectionem præbuiſſe ſcandali occaſionem, & in hoc peccaſſe venialiter, quod communiter admittunt Interpretes.

QUÆSTIO IX.

AN DE FIDE SIT SUPREMAM Dignitatem Capitis Eccleſię reſidere in Romano Pontifice?

1 CONSTAT ex ſupradictis, Chriſtũ Dominũ tradidiſſe Div. Petro, pro ſe, & pro ſuis Succeſſoribus perpetuo duraturam vſque ad diem iudicij Supremam Dignitam Capitis Eccleſię vniverſalis, & Supremam Poteſtatem gubernativam illius. Nunc autem inquirimus, vtrum ſit de fide, hanc Supremam Dignitatem, & poteſtatem reſidere in Pontifice Romano pro tempore exiſtenti. Cui quæſtioni aperta ſolutio conſtat ex præcedenti.

2. Dico ergò : *De fide eſt, præfatam Supremam Dignitatem, & Poteſtatem reſidere in Pontifice Romano pro tempore exiſtenti.* Patet, quia de fide eſt, talem Dignitatem, & Poteſtatem datam fuiſſe à Chriſto D. Div. Petro, non ſolum pro ſe, ſed pro ſuis Succeſſoribus, vt perpetuo duraturam in Eccleſia Militanti ; nam ea verba, *ſuper hanc Petram ędificabo Eccleſiam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*, hunc ſenſum habent ea definitione, & traditione Eccleſię ipſius, ſicut & illa alia : *Tibi dabo Claves Regni Cælorum* : *Et Paſce Oves meas* : *Tu aliquando converſus confirma Fratres tuos* : Sed non eſt alius Succeſſor Div. Petri, niſi Pontifex Romanus pro tempore exiſtens, nam ex perpetua Eccleſię ipſius traditione, ſoli Romani Pontifices habiti ſunt vt Div. Petri legitimi Succeſſores : Ergò de fide eſt, in Pontifice Romano pro tempore exiſtenti permanere eam Dignitatem, & Poteſtatem Div. Petro à Chriſto conceſſam.

3. Secundo probatur, & magìs explicatur præcedens fundamentum : Nam vt aliquid ſit de fide divina credendum, ſufficit inſtitutio, ſeù revelatio Chriſti intellecta, & applicata, non ea proprio cerebro, ſed iuxta perpetuam Eccleſię Catholicę traditionem, & intelligentiam : Sed hic in primis adeſt revelatio, & inſtitutio Chriſti, dicentis: *Super hanc Petram, &c. Tibi dabo Claves, &c. Paſce Oves meas. Confirma Fratres tuos* : Deindè huiſmodi Chriſti inſtitutio, & revelatio ex perpetua Eccleſię traditione intellecta ſemper fuit, tanquam Chriſtus loquutus fuerit, non cum ſolo Petro perſonaliter, inſtituendo Dignitatem cum ipſo morituram in Eccleſia, ſed cum ipſo, & cum ſuis Succeſſoribus, inſtituendo Dignitatem perpetuo duraturam in Eccleſia, & ea eadem perpetua traditione conſtat, Succeſſores Div. Petri, quibus hæc Chriſti inſtitutio applicanda eſt, ſolos eſſe Romanos Pontifices pro tempore ſuccedentes : Ergò de fide eſt, in ipſis perſeverare Dignitatem Apoſtolicam, & Poteſtatem Petro conceſſam.

4. Minor probatur, ex Concilio Florent. *In Litter. Sanctę vnionis*, vbi ſic PP. inquiunt : *Definimus, Sanctam Apoſtolicam Sedem & Romanum Pontificem in Vniverſum Orbem tenere Primatum, & ipſum Romanum Pontificem Succeſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, & Doctorem exiſtere, & ipſi in B. Petro, paſcendi, regendi, & gubernandi vniverſalem Eccleſiam, à D. N. Ieſu Chriſto, plenam Poteſtatem traditam eſſe.* Quid clarius. Item Bonifacius VIII. *in Extravag. vnam Sanctam, de maioritate, & obedientia*, ſic ait: *Eſt hæc Authoritas, etſi data ſit homini, & per hominem exerceatur, non humana, ſed divina, ore Divino Petro data, ſibi, ſuiſque Succeſſoribus.* Et ſubiungit infrà : *Porrò ſubeſſe Romano Pontifici omnem humanam creaturam declaramus, dicimus, definimus, & pronuntiamus omninò eſſe de neceſſitate ſalutis.* Item Nicolaus Papa, *in cap. omnes, 21. diſt.* ſic ait : *Qui Romanæ Eccleſiæ Privilegium ab ipſo Summo omnium Eccleſiarum Capite traditum, auferre conatur, hic proculdubio in hæreſim labitur.* Item Concilium Nicænum *Can.* 6. prout refertur in Concil. Calced. *Act.* 18. inquit : *Eccleſia Romana ſemper Primatum tenuit* : Item in eodem Calced. Concil. S. Leo Papa ſæpè appellatur *vniverſalis Eccleſiæ Pontifex.* Item in 6. Synodo Generali, *Serm. ad Imperatorem*, Agato Papa vocatur, *Summus Pontifex, & Principis Apoſtolorum Succeſſor.* Similiter in Epiſt. Adriani 1. approbata in 7. Synodo *Act.* 2. Sedes Romani Pontificis, *Prima-*

nitum tenere, dicitur, *totius Orbis terrarum*, *& omnium Eccleſiarum Caput eſſe*. Et Concil. Lateranenſe, ſub Innocent. III. *cap. 5.* inquit: *Romana Eccleſia, diſponente Domino, ſuper omes alias ordinariæ Poteſtatis obtinet Principatum, vt potè Mater omnium Chriſti Fidelium, & Magiſtra.* Ex quibus Concilijs, & Pontificum Decretis, ſatis conſtat, quænam ſemper fuerit Eccleſiæ intelligentia, & traditio circa inſtitutionem Summi Pontificatus in Petro, & Succeſſoribus eius Romanis Pontificibus.

5. Quæ quidem traditio firmatur ex varijs ipſorum Pontificum Epiſtolis, nam incipiendo à Clemente Papa, ille *in Epiſt. ad Iacobum, Fratrem Domini.*, quæ habetur *Tom. 1. Conciliorum*, refert modum, quo Div. Petrus ipſum Clementem deſignavit Pontificem futurum ſui Succeſſorem, his nempè verbis: *Clementem hunc Epiſcopum vobis ordino, cui ſoli meæ prædicationis, & doctrinæ Cathedram credo: Propter quod ipſi trado à Domino mihi traditam Poteſtatem ligandi, atque ſolvendi, vt de omibus, quibuſcumque decreverit in terris, hoc Decretum ſit, & in Cælis.* Eandemque Succeſsionem, & Primatum Romanorum Pontificum in poteſtate Apoſtolica data Petro à Chriſto continent *Epiſtol. Anacleti Papæ ad Epiſcopos Italiæ, Epiſt. 3. eiuſdem. Epiſtola Lucij Papæ ad Epiſcopos Hiſpaniæ, & Galliæ, Epiſt. Marceli Papæ ad Epiſcopos Antiochenæ Provinciæ, Epiſt. Ægiptiorum Epiſcoporum ad Marcum Papam, Epiſt. 1. Iulij Papæ, Epiſtola Athanaſij, & Ægiptiorum Epiſcoporum ad Liberium Papam, Epiſtola eorundem ad Felicem ſecundum, Epiſt. Damaſi ad Stephanum, & Concilia Africæ*: Quæ quidem Epiſtolæ, non recenter à Papiſtis ſuppoſitæ, & confictæ, vt effutire ſolent hæretici moderni, ſed antiquiſsimæ ſunt, vtpotè de quibus ab antiquis Eccleſiæ temporibus mentio habetur: Nam Gelaſius Papa, *in cap. Sanct. Romana 15. diſtinct.* Iubet eas Epiſtolas accipi: Et Rufinus, *Præfatione in lib. Recogn. Clementis.* meminit Epiſt. Clementis ad Iacobum: Et Gratianus ex prædictis Epiſtolis plura in Decretis ſuis collegit: Et ſimiliter Iſidorus quidam, qui longè ante Gratianum collectionem Canonum fecit ex eiſdem Epiſtolis.

6. Confirmatur ſecundo, prædicta Eccleſiæ traditio, ex SS. Patribus, qui Romanorum Pontificum perpetuam ſucceſsionem in Cathedra, & Primatu Div. Petri ſuper omnes Eccleſias ſæpè allegarunt: Hi ſunt Irenæus *lib. 3. contra Hereſes, cap. 3.* Epiphanius, *Hereſ. 27.* Auguſt. *Epiſt. 165.* Hieronymus, *lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, in Clemente*, Chriſoſt. *lib. 2. de Sacerd.* vbi inquit: *Qua de cauſa ſanguinem ſuum Chriſtus fudit? Certè, vt pecudes eas acquireret, quarum curam, tum Petro, tum Petri Succeſſoribus committebat.* Optatus Milevitanus *lib. 2. contr. Parmen.* Cyprianus *lib. de vnitate Eccleſiæ circa Princ. & Epiſt. 40. 45. & 55.* S. Leo Papa, *Serm. 1. de Natal. Apoſt. Serm. 2. & 3. Suæ aſſumptionis.* S. Gregorius Papa, *ſuper Pſalm. 5. Pœnitentialem*, Nicolaus Papa, *in Epiſt. 8. ad Michaelem Imperat.* S. Fulgentius, *lib. de Incarn. & Grat. cap.* 11. S. Proſper. *lib. 2. de Vocat. Gentium, & lib. de ingratis, cap.* 2. Div. Bernardus *lib. 3. de conſideratione ad Eugen.* Sanè omnes iſti PP. vſque ad tempora Bernardi Primatum agnovere in Sede Romana Petri, eiuſque Dignitatis continuam permanentiam, & ſucceſsionem in Pontificibus Romanis: PP. verò, qui poſt Bernardum ſcripſere, evidentius loquûtur, adeò, vt ſupervacaneum ſit, eos allegare: Quis ergò non videat quanto delirio laborent hæretici moderni, qui talem Dignitatem tyranicè vſurpatam à Sede Romana dicunt, & ſe ſecuros in Dei Eccleſia militare exiſtimant, dum contra Romanam Sedem, quam omnis PP. antiquitas veneravit, novos Sectatores, vt Capita ſuæ fidei aſſumunt?

7. Ac denique confirmatur ex ipſa praxi antiquiſsima Eccleſiæ, cuius mos fuit, Romanos Pontifices appellari ab omni Eccleſia, ab omni Epiſcopò, præſertim in cauſa maioribus, bonum, ſeù fidem totius Eccleſiæ ſpectantibus, vt latè refert Suarez *diſp. 10. ſect. 2. à num. 19. & 20.* Item, congregare, & confirmare Concilia vniverſalia: Item creare Epiſcopos per diverſa loca, & pro diverſis Diœceſibus. Item, deponere Patriarchas, ſiquidem, vt Nicolaus I. refert. *Epiſt. ad Michael. Imp.* Octo Patriarchæ Conſtantinopolitani depoſiti fuerunt à Romanis Pontificibus: Aliorum etiam iuriſdictionem iam limitabant, iam extendebant: Item excommunicare ipſos, etiam Supremos Imperatores, & Imperio eos privare, quod non ſemèl, ſed ſæpè fecerũt Romani Pontifices: Item curare converſionem infidelium, & mittere viros Apoſtolicos, cum Apoſtolica poteſtate erigendi Eccleſias, & Epiſcopatus; Dioniſius enim, qui primo Galliæ fidem invexit, à Sede Romana miſſus fuit, nempè à Clemente Papa. Auguſtinus etiam in Angliam à Gregorio Papa miſſus, eam ad fidem convertit. Chilianus ad Francones miſſus ab eadem Sede, eos convertit. Similiter à Gregorio II. miſſus eſt Boniſacius Epiſcopus, & Martyr ad Germanos, & à Cœleſtino I. Palladius ad Scotos, & ſic alij ad alias Orbis Plagas; quod ſignum eſt in Sede Romana ſempèr durare curam, & ſolicitudinem Orbis reducendi ad fidem, & fundandi Eccle-

ſias,

ſias, & Epiſcopatus, quę propria eſt Paſtoris vniverſalis Eccleſię: Perſeveravit ergò ſemper in ea Sede Dignitas Paſtoralis ſuper vniverſam Eccleſiam, idque certiſsimum eſt ex ipſius Eccleſię perpetua traditione.

8. Sed objiciunt hæretici, primo, quod Primatus Romani Pontificis, non à Chriſto, ſed vel à Concilio Nicæno, vel ab Imperatoribus Conſtantino, aut Phoca, Romanę Sedi conceſſum fuiſſe videtur colligi ex hiſtorijs. Reſpondetur tamen hoc falſiſsimum eſſe, nam à temporibus Apoſtolorum per Eccleſię traditionem conſtat Sedem Romanam primatum in Eccleſia habuiſſe, idque teſtantur, vt vidimus, Concilia, inter quę Nicænum ipſum, PP. Praxis Antiquiſsima Eccleſię, & ipſi Romani Pontifices, de quibus impium eſt dicere, vt dicunt hæretici, quod in cauſa propria non ſunt teſtes fidedigni, eo quod ambitione excœcari potuerunt, & ſibi plus arrogari Dignitatis: Impium inquam eſt, nam plures ex ipſis Viri Sanctiſsimi fuere, plerique Martyrium pro Chriſti fide ſubierunt, ac proindè impietas execranda eſt, eis ambitionis nebum imponere, potiſsimè cum eam Dignitatem pro Eccleſię vnitate ſervanda propugnare ſanctiſsimè potuerint. Rectè ergò Nicolaus 1. *Epiſt. ad Michael*, inquit, quod privilegia Romanę Sedis, à Chriſto ſunt donata, à Synodis, non donata, ſed celebrata, & honorata: & ſimiliter dici poteſt, quod ab Imperatoribus non ſunt accepta, ſed protecta, propugnata, & promulgata, & obſervari facta: & in hoc ſenſu intelligendum eſt, quidquid Hiſtorię referunt feciſſe Imperatores in obſequium, & extenſionem Romanę Sedis, non quidem ei authoritatem, aut iuriſdictionem vllam conferendo, aut inſtituendo, ſed eam promulgando, & propugnando, & vt à toto Orbe cognoſceretur faciendo, quia vt Eccleſię defenſoribus, id eis incumbit.

9. Objiciunt ſecundo ex *cap. Primę Sedis diſt.* 99. vbi ex Concil. Africano præcipitur, quod primę Sedis Epiſcopus, non appelletur *Princeps Sacerdotum*, nec *Summus Sacerdos.* Et in *cap. Nullus*, *& in cap. eis*, *eadem diſt.* iubetur, quod non appelletur *vniverſalis Epiſcopus.* Item, in ipſo Concilio Nicæno *Canone* 6. à nobis citato, ſubditur: *Antiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem quia, & Vrbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt*: Vbi par poteſtas conceditur Alexandrino, ac Romano Pontifici: Ergò Romanus Pontifex non habet præfatam Dignitatem, & poteſtatem ſuper vniverſam Eccleſiam. Confirmatur, quia Canone. *Si Papa* 40. *diſtinct.* iubetur deponi Papa, caſu quo hæreticus ſit: Ergò non Papa ſupra Eccleſiam, ſed Eccleſia ſupra Papam habet iudicium, & poteſtatem. Vrgetur, ex facto Concilij Conſtantienſis, quod, etiam extra caſum hæreſis, depoſuit tres Pontifices: & Concilium Baſilienſe depoſuit Eugenium IV. & Concilium Sinueſſanum depoſuit Marcellinum Papam, eo quod metu mortis Idolis ſacrificaverat: Ergò idem quod prius.

10. Reſpondeo, Canones illos non loqui de reali Dignitate, & poteſtate Pontificis Romani, ſed ſolum de eius appellatione: Prohibetur autem appellari *Princeps Sacerdotum*, ad vitandam ęquivocationem, vel convenientiam cum Synagoga, quę hoc nomine vtebatur, & idem de Titulo *Summi Sacerdotis.* Prohibetur deindè appellari *Epiſcopus vniverſalis*, vel quia hic titulus ambitionem præſeferebat, vel quia videtur tollere omnes alios Epiſcopatus, quaſi ipſe ſolus ſit Epiſcopus in tota Eccleſia, & hanc rationem reddit Concilium illud Africanum; non verò negatur quod ſit Supremus Paſtor ſuper omnes Epiſcopos Eccleſię. Nec Canon ille Concilij Nicæni amplius probat, tum quia illa vox *parilis* non habetur in aliquibus exemplaribus, tum quia ſenſus eſt, ideò illam conſuetudinem retinendam eſſe in eo quod Regiones illę ſubditę ſint Epiſcopo Alexandrino veluti Patriarchę, quia Epiſcopo Romano hoc placet, & ratum habet, & ei hanc iuriſdictionem concedit; quod quidem apertè ſuadet poteſtatem Romani Pontificis ſupra Alexandrinum. Ad confirmationem, dico, quod Papa, caſu, à pluribus exiſtimato impoſſibili, quo eſſet hæreticus, ipſo facto eſt depoſitus, ſiquidem iure divino eſt excommunicatus vitandus, iuxta illud Pauli: *Hæreticum hominem poſt vnam, vel alteram correctionem debita*, quod quidem ius divinum poteſt declarari ab Eccleſia, & executioni mandari in eo, qui iure divino ſupponitur iam à Pontificatu depoſitus, nunquam autem Eccleſia habet Poteſtatem ſupra Pontificem in ſenſu compoſito Pontificatus. Ad factum Concilij Conſtantienſis, dicendum eſt, tunc ſchiſma fuiſſe in Eccleſia, & ignotum quis eorum verus fuiſſet Papa, ipſoſque electos fuiſſe ea conditione, & pacto, vt cederent Pontificatui, caſu, quo ita expediret Eccleſię: & ex hac ſuppoſitione, potuit Concilium declarare nullum eorum eſſe de facto, & abſolutè verum Pontificem, & id tantum fecit. Concilium autem Baſilienſe depoſuit quidem Eugenium; ſed iniuſtè, & invalidè, & cum iam deſierat eſſe legitimum Concilium, vndè & caſſatum eſt ab ipſo Eugenio, & translatum, vt celebraretur Florentię. Circa Concilium Sinueſſanum, de actis

illius

illius extant variæ apud Authores ſententiæ, alij enim eius actis veritatem hiſtorialem negant, alij, eſi ea vera fateantur, negant Marcellinum fuiſſe depoſitum à Concilio: Nam Concilium potius dixit: *Tuo te ore iudica, nam prima Sedes à nemine iudicatur*: Ipſum autem in ſe ipſum pronunciaſſe ſententiam, & Pontificatum abdicaſſe. Mitto alia plura, quę ex hiſtoria Eccleſiaſtica allegant hæretici contra Suceſsionem Summorum Pontificum, & eorum authoritatem, quia de his diffusè egerunt per integra volumine eruditiſsimi Scriptores moderni, præſertim qui hoc ęvo contra Propoſitiones Gallicanas, Pontificiam Dignitatem vindicarunt ab emulorum ipſius argumentis. Hoc vnum advertere licet, ex factis hiſtorialibus à prædictis ęmulis allegatis nullum poſſe argumentum firmum deſumi, quia ea facta, vel ſunt dubię fidei inter Aothores, alijs ea affirmantibus, alijs negantibus, vel ſaltèm de circunſtantijs, & modo, qoo evenerunt, nihil certum habetur; cum autem aliundè firmiſsimis fundamentis fidei, & traditionis conſtet Chriſtum Dominum inſtituiſſe in Petro Dignitatem Supremi Paſtoris vniverſalis Eccleſię, perpetuo duraturam in Suceſſoribus eius in Eccleſia ipſa; firmitas huius fidei, & traditionis minimè debet cedere illis argumentis, quę ex hiſtorijs incertis quoad ſobſtantiam, vel quoad modum, purè coniecturaliter deſumuntur; factaque hiſtorialia explicari debent ad normam fidei, & antiquę traditionis potius, quam è contra.

11. Denique obijcies: Quia ſi Chriſtus inſtituiſſet Dignitatem Paſtoris vniverſalis Eccleſię perpetuo duratoram in Eccleſia, ſequeretur nunquam Eccleſiam ſubſiſtere ſine tali Paſtore: Sed hoc eſt per ſe falſum, quia mortuo vno Pōtifice, non ſuccedit alius immediatè, ſed ſæpè plures menſes percurrunt ſine novo vniverſali Paſtore, immò, & aliquando annos, vel anni integri tranſiere ſine determinato Paſtore, vel ratione electionis diù dillatę, vel ratione ſchiſmatis: Ergò Chriſtus non inſtituit præfatam Dignitatem in Eccleſia, vt perpetuo, & continuo duraturam. Reſpondeo, Chriſtum D. inſtituiſſe præfatam Dignitatem vt perpetuo, & continuo duraturam in Eccleſia, non perpetuitate phyſica, aut mathematica, ſed morali; huiuſmodi autem perpetuitas, ſeù continuitas moralis non interrumpitur per tempus Sedis vacantis, quamvis aliquādo tempus illud longius ſolito protrahatur. Ratio huius eſt: Quia Chriſtus inſtituit eam Dignitatem, non vt iore hæreditario generationis carnalis tranſituram ad Succeſſores, ſed ſolum vt iure ſpirituali, & per ipſius Eccleſię electionem tranſituram ad poſteros: Hoc autem modo nequit tranſire per continuitatem phyſicam, aut mathematicam, ita videlicet, quod inter Papam, & Papam non interveniat tempus aliquod: ſed ſolum continuitate morali, ita vt vita functo vno Papa, Eccleſia immediatè curet de electione, & deſignatione ſequētis, & vt viduata Paſtore, non quieſcat, donec illum à Deo accipiat, vt in illo Dignitas Capitis ſui continuetur, hic enim eſt mos humanus continuandi, durandi, & perpetuandi quaslibèt Dignitates, quę per ſubditorum electionem continuantur, & viſibiliter ſuccedunt, & ad poſteros tranſeunt: Et hoc tantummodo inſtituit Chriſtus, quod Dignitas Petri tranſiret ad Succeſſores.

12. Sed replicabis; tempore Sedis vacantis Eccleſia conſervat vnitatem viſibilem: Et tamen abſque Capite viſibili vniverſali: Ergò Caput illud vniverſale viſibile nō requiritur ad vnitatē viſibilem Eccleſię. Reſpondeo, diſtinguendo minorē; abſque Capite vniverſali, phyſicè præſenti, concedo: In proxima ſpè, quę equivalet morali præſentię, & abſque ſubordinatione ad ipſum, nego minorem, & conſequentiam; quia vnitas Eccleſię, cum tantum ſit moralis, & non phyſica, tantum conſiſtit in eo, quod tota Eccleſia, ſeù eius membra ſubordinentur moraliter vni Capiti, & habeant vnum Caput morale ſufficienter præſens moraliter, vt poſsint in fidei controverſijs, & his, qoę ſpectant ad bonum vniverſale, ad ipſum recurrere; ſicut autem ad hoc non requiritur, quod tale Caput ſit vbique præſens localiter, ſed ſatis eſt, quod ſit vbi ad ipſum poſsit fieri recurſus, licèt interveniente mora aliquotum menſium, vel etiam per integrum annum, ita non requiritur quod ſemper exiſtat phyſicè loquendo, aut præſentia phyſica, ſed ſolum continuitate morali, vt Eccleſia poſsit ad ipſum recurrere; ad quod ſufficit, quod tempore Sedis vacantis habeat ſpem infallibilem ipſum habendi poſt aliquod breve tempus; quia hoc pacto eſt ſufficienter præſens, vt Eccleſia retineat ſubordinationem moralem ad ipſom, & poſsit ad ipſum recurrere, ipſiuſque oraculum in rebus fidei expectare: Et hoc pacto ſalvatur vnitas politica, & moralis Eccleſię viſibilis, etiam ea mora Sedis vacantis, quia adhuc tunc Eccleſia in rebus fidei, & alijs, quę ſupremam exigunt iuriſdictionem, ſubordinatur vni Capiti vniverſali proximè futuro, vel moraliter præſenti in ſpè infallibili illud quantutius obtinendi à Deo. Secus autem foret, ſi talis ſuprema Dignitas, vt volunt hæretici, eſſet iam extincta in terris, & nec per ſucceſsionē moralem in Eccleſia duraret, qoia nec duraret ſubordinatio omnium fidelium ad vnum Caput viſibile,

ſi-

ſine qua eſt impoſsibilis vnitas moralis Eccleſię viſibilis.

QUÆSTIO X.

AN, ET QVO IVRE CONVENIAT Eccleſię poteſtas electiva Supremi Paſtoris.

1 CONSTAT ex immediatè dictis, Dignitatem Supremi Paſtoris inſtituram fuiſſe à Chriſto D. vt perpetuo duraturam, & tranſituram ad Succeſſores Div. Petri, In Eccleſia. Et. quidem, quod eam non inſtituerit, vt tranſituram iure hæreditatis carnalis per carnalem propagationem, evidens eſt, tum quia non decebat iuriſditionem ſpiritualē alligari generationi carnali; tum quia cum Chriſti inſtitutio infruſtrabilis ſit, ſi ita eam inſtituiſſet, ita propagata fuiſſet ea dignitas; patet autem evidenter ita propagatam non fuiſſe vnquam. Cum autem non ſit alius modus ſuccedendi in aliqua Superiori Dignitate, niſi vel iure hæreditatis carnalis, vel per electionē, clarè infertur Chriſtū D. inſtituiſſe talem Dignitatē vt tranſituram ad poſteros media arbitraria electione, vel deſignatione Succeſſoris.

2. Reſultat ergò dubium, cuinam de iure conveniat eligere, vel deſignare Succeſſorem. Et imprimis, quod Chriſtus non reſervaverit ſibi hoc munus diſignandi, nempè viſibiliter, Succeſſorem Div. Petri, ſicut ipſum D. Petrum deſignavit; patet etiam evidenter, quia ex facto ipſo, & traditione conſtat, mortuo vno Papa, Chriſtum non deſignare, nec eligere viſibiliter Succeſſorem. Nec ita oportebat fieri, in quaibet Succeſsione novi Pontificis, nova, & viſibili revelatione, quę ſanè miraculoſa foret; Deus enim, ſivè Chriſtus D. non regit modo Eccleſiam miraculoſè, aut viſibiliter ei loquendo, ſed ex quo eam perfectè fundavit, regit eam inviſibiliter modo ſupernaturali, & providentia ſpecialiſsima; & quantum ad regimen viſibile ſolum diſpoſuit vt regeretur more humano, & ſuaviter attemperando ſe humano regimini: Vndè non oportuit reſervare ſibi electionem viſibilem Succeſſorum D, Petri: Sequitur ergò quod Eccleſię ſuę commiſſerit poteſtatem eligendi, & deſignandi viſibiliter in Cathedra Petri Succeſſorem. Dubitatur tamen, an eam poteſtatem dederit Corpori Eccleſię, an etiam ipſius Capiti, nempè Papę: Item an Eccleſia eligens Succeſſorem illi conferat iuriſdictionem, & Dignitatem Pontificiam, an ſolum deſignet perſonam, vt Chriſtus immediatè conferat iuriſdictionem ſpiritualem, & poteſtatem Pontificiam? Igitur.

3. Dico primo: *Poteſtas electiva Succeſſoris in Cathedra Div. Petri, propriè, & formaliter ſolum reſidet ex Chriſti inſtitutione in Corpore Eccleſię, poteſtas verò regulativa electionis reſidet etiam in eius Supremo Capite.* Ita communiter Theologi, & Canoniſtę. Et probatur, quia inſtitutio Chriſti in hac parte non aliundè melius colligi poteſt, quam ex perpetua praxi, & traditione Eccleſię: Sed ex hac conſtat, poteſtatem electivam Succeſſoris D. Petri, ſolum elicitivè fuiſſe in Eccleſię Corpore, quia nunquam ipſum Supremum Caput, nempè Papa, elicitivè elegit ſui Succeſſorem, ſed ſemper electores fuerunt ex Corpore Eccleſię, licèt ſæpè Summi Pontifices conſtituerent modum, & regulas ſervandas in prædicta electione, quod eſt habere poteſtatem regulativam illius: Ergò.

4. Confirmatur primo, nam ſi aliquid obſtaret huic traditioni, maximè quia ex Epiſt. Clementis ſupra citata, *quæſt. 9. num. 5.* videtur conſtare Div. Petrum elegiſſe ſui Succeſſorem, ordinando Clementem: Sed hoc non fuit propriè, & elicitivè eum eligere, ſed ad ſummum conſiliativè, aut regulativè, proponendo ipſis electoribus, quem eligerent: Ergò factum hoc non obſtat prædictę traditioni. Minor probatur, quia non obſtāre illa Petri deſignatione, prius obtinuerunt Pōtificalē Dignitatem Linus, & Cletus, & poſteà Clemens, quia Clemens ipſe ceſsit, & renunciavit deſignationi Petri, vt exiſtimat Epiphanius *Hæreſ* 17. Sed ſi fuiſſet propria, & formalis electio, validaque, non videtur credibile quod Eccleſia alium ſibi Pontificem delegiſſet, quam legitimè, & validè electum, immò nec Eccleſia alium modum eligendi ſtatim ſibi adſcriberet, ſi vidiſſet Div. Petrum independenter a Corpore Eccleſię eligere ſui Succeſſorem: Ergò non eſt credendum illud factum Petri fuiſſe formalem electionem Clementis, ſed ſolum quandam commendationem illius, ita vt ipſum ordinaverit in Sacerdotem, vel etiam Epiſcopum abſque iuriſdictione, & ipſis commendaverit, vt ipſum in Pontificem eligerent poſt ſui obitum: Et hæc videtur probabilior intelligentia illius Hiſtorię, inter plures, quę ab Authoribus referuntur: Et videtur tenenda, etiamſi verum teneat, quod vt probabilius refert Suarez, nempè Clementem immediatè ſucceſsivè Petro; licèt enim hoc admittatur, non eſt credendum immediatè ſucceſſiſſe Petro in vi, & iure electionis Petri, ſed ex elec-

electione ipſius Eccleſię facta in ipſum excommendatione Petri. Dixi, *licèt hoc admittatur*, nam hæc Suarez ſententia duo contra ſe habet, primum quod Linũ, & Cletum nõ Summos Eccleſię Pontifices. Sed tantum Coadiutores eos facit, quod ſeriem Pontificum communiter creditam pervertit ab ipſo principio. Secundum, quod ſi Clemens immediatè ſucceſsit D. Petro, pluſquam 30. annos ſedit in Pontificatu, nam Petrus obijt anno Chriſti 69. Clemens verò 101. hoc autem communi traditioni repugnat, vt cuius dicitur nullum Papã ęquaſſe dies Petri.

5. Confirmatur ſecundo: Quia actus eligendi Papam per ſe loquendo eſt actus non ſupponens Papam exiſtentem, ſed ſupponens Sedem vacantem: Sed eo ipſo non poteſt eſſe actus elicitus formaliter à Papa, ſed ſolum ab Eccleſia vt ſuo Paſtore viduata: Ergò. Probatur maior: Quia electio Papę eſt actus proximè diſponens ad hoc vt exiſtat Papa: Sed proxima diſpoſitio ad aliquid ſupponit illud aliquid non exiſtere: Ergò actus eligendi Papam per ſe ſupponit non exiſtere de præſenti Papam ſeù Sedem vacantem. Vrgetur: Quia in omni Republica, vbi Supremi Rectores ſuccedunt per electionem, iure naturali, ſeù iure gentium, electio non ſpectat, niſi ad ipſam Rempublicã in Sede vacante: Sed credendum eſt Chriſtum reliquiſſe in ſua Eccleſia ius eligendi Papam cõformiter ad ius naturale, & ad ius gentium, quia vt ſuprà diximus, Chriſtus in regimine ſuę Eccleſię non pervertit ius naturale, nec ius vniverſale humanum, quale eſt ius gentium, ſed illi ſe accomodat, & attemperat, quia ita congruit ſuavitati ſui regimines, & providentię: Ergò credendum eſt ſoli Corpori Eccleſię, ſeù ſoli Eccleſię, vt ſuo Paſtore viduatę, commiſsiſſe ius eligendi Papam.

6. Quod autem ius regulandi electionem pertineat etiam ad ipſum Papam, explicat optimè Caietanus: Nam licèt electio ſit actus proprius Corporis Eccleſię, ab eo de iure eliciendus, tamen Papa eſt Superior Corpori Eccleſię, ac proindè ad ipſum ſpectat facere Statuta, Decreta, & Canones ad regulandam talem electionem: Quia ſicut ars Superior, & Architectonica, licèt non poſsit elicere actum inferioris, poteſt tamen artem inferiorem dirigere, ſicut Militaris dirigit Equeſtrem, licèt non eliciat actus equeſtris, & equeſtris dirigit frœnofactivam, licèt non faciat frœnum; ita ſimiliter, licèt eligere Papam ſit actus de iure eliciendus ab Eccleſia, tamen cum Papa ſit Superior Eccleſię, ad ipſum ſpectat, licèt non eligere, tamen dirigere per Statuta, Decreta, & Canones electionem faciendam Succeſſoris. Et id quidem conſtat etiam ex praxi ipſa: Qui in iure Canonico plura extant Decreta facta à Summis Pontificibus circa ritum, & formam ſervandam in electione Succeſſoris, vt eſt *Textus, in cap. In Nomine, diſt. 13. & cap. 1. diſt. 77. & cap. Licèt de Elect. & cap. Vbi, de eodem titulo in ſexto. Et Clement. ne Romani, de elect.* Et videri poteſt Gratianus *diſt. 63. & diſt. 34.* vbi plura huiuſmodi Decreta refert.

7. Sed dices: Poſſet contingere, quod imminente morte Papę, Eccleſia pateretur ingentem perſecutionem, vi cuius Electores non poſſent congregari legitimè ad electionem Succeſſoris, & prudenter timeretur ſchiſma in Eccleſia: Ergò ſaltèm in eo caſu poſſet Papa eligere ſui Succeſſorem. Reſpondeo, quod quamvis eligeret, magis tunc timeri poſſet ſchiſma circa acceptationem illius electi. Vndè ad ſummum poſſet facere Decreta de forma faciliori ſervanda, vt electio legitima fieri poſſet, relinquendo Chriſto, qui nunquam ſuam deſerit Eccleſiam, modum, & providentiam ad vitandum ſchiſma: Et quidem, quamvis Eccleſia præteritis temporibus ingentes, ac terribiles paſſa fuerit perſecutiones, non legitur quod vllus Papa vſus fuerit hoc remedio eligendi Succeſſorem independenter ab Eccleſia, ſeù propriè, & formaliter: Immò cum Bonifacius II. ſibi delegiſſet Succeſſorem in Synodo à ſe congregata, poſteà, congregata alia Synodo, hoc ipſum retractavit, vt refert Anton. Auguſt. *Epitom. iuris, lib. 1. de Pontif. titulo 5. cap. 14.* forſan ad vitandum ne ſequeretur ſchiſma: Ergò adhùc propter perſecutionem id facere non poteſt, nam ſi facere poſſet, in aliqua ex vrgentibus perſecutionibus feciſſet.

8. Dices ſecundo: Ex nullo Evangelij Textu conſtat à Chriſto D. derivatam fuiſſe duplem poteſtatem, vnam Supremo Eccleſię Paſtori, aliam Eccleſię: Ergò non eſt credendum Chriſtum commiſsiſſe Eccleſię poteſtatem, quam non conceſſerit Supremo eius Paſtori. Confirmatur, quia ſi Chriſtus commiſſiſſet Eccleſię talem poteſtatem, illa poteſtas de iure divino pertineret ad aliqua perſonis: Sed nullis de iure Divino competit: Ergò. Reſpondeo, quod ex eo quod Chriſtus dixit Petro: *Super hanc petram ędificabo Eccleſiam meam, &c.* Sufficienter contulit illam duplicem poteſtatem, licèt non explicitè, implicitè tamen; nam ex vi illorum verborum inſtituit Eccleſiam vt gubernandam per Paſtores Succeſſores Petri non iure hæreditario, & conſequenter per electionem more accomodato iuri naturali, & gẽtium, in qua inſtitutione implicitè includitur collatio illius duplicis poteſtatis. Sicut ſigillum

Clero Romano conceſsit, vt eligeret Papam, nullo Imperatoris conſenſu expectato.

11. Dico tertio, quod ius eligendi Papam, ex antiqua praxi Eccleſię Decretis Conciliorum confirmata, ad ſolum Clerum Romanum de iure pertinet, vel ad totum Clerum, vt olim, vel ad ſolos Principaliores ipſius Presbyteros, qui ſunt Cardinales, vt ex iure Canonico iam habetur à tempore Nicolai II. confirmatumque invenitur à Concil. Lateranenſe ſub Alexandro III. & Lugdunenſe ſub Gregorio X.

12. Si tamen Concilium Generale deponeret Papam, aut depoſitum declararet, dubitatur, an tunc ad Concilium de iure attineret electio. Et probabilius eſt, quod Concilium Generale in eo caſu, & ſemper habet ius eligendi, cum ſit ipſum Corpus Eccleſię congregatum. Veruntamen non oportere vt ipſum Conailium eligat, propter multitudinem ſuffragiorum, ex quibus poſſet ſchiſma reſultare, ſed quod deſignet Electores, quibus Eccleſia ius eligendi committat, ſicut de facto commiſsit Cardinalibus præcisè, quibus non de iure Divino, ſed iure Eccleſiaſtico talem electionem competere, communis tenet Theologorum, & Iuriſperitorum ſententia.

13. Reſpondeo ſecundo ad quæſtionem principalem, *Eccleſiam non habere poteſtatem collativam Pontificatus, ſed ſolum deſignativam perſonę, & ad ſolum Chriſtum D. pertinere conferre Dignitatem, & iuriſditionem Pontificiam in vniverſam Eccleſiam.* Ita communiter Theologi, & explicatur in hominis generatione, quia ſicut homo generat hominem, non quia faciat aut conferat ei formam, nempè, animam rationalem, ſed quia materiam diſponit, coaptat, & deſignat ad talem formam, ad ſolum autem Deum pertinet formam conferre, ſeù infundere animam, ſic Eccleſia facit Papam, non formam, id eſt, Pontificiam iuriſdictionem, & Dignitatem ei conferendo, ſed deſignando perſonam, cui Chriſtus ipſe talem Dignitatem, & iuriſdictionem conferat. Ratio autem probativa eſt, quia poteſtas collativa alicuius Dignitatis, aut iuriſdictionis imprimis non poteſt competere ei, qui talem Dignitatem accipit, quia eam ſibi ipſi conferre nemo poteſt: Debet ergò competère Superiori, vel ſaltèm ęqualem poteſtatem habenti: Sed Eccleſię Corpus non habet, nec Superiorem poteſtatem, immò neque ęqualem cum Papa, ſed ſemper eſt quid inferius ad Papam: Ergò à Corpore Eccleſię talem iuriſdictionem accipere nequit, aut poteſtatem: Sequitur ergò quod à ſolo Chriſto Capite Inviſibili totius Eccleſię illam accipiat. Confirmatur 1 Quia Papa non regit Eccleſiam vt principalis Paſtor ipſius, ſed vt Vicarius Chriſti, Vices-Chriſti gerendo in abſentia ipſius, eſt enim fidelis ſervus, cui PaterFamilias in ſui abſentia domus ſuę curam, & regimen commiſsit: Sed omnis poteſtas commiſsionis, & Vicariatus, à ſolo principali directè confertur, licèt deſignare perſonam poſsit ad alium pertinere: Ergò ſic ſe habet Dignitas, & iuriſdictio Papę. In quo quidem maximè differt poteſtas Pontificia à poteſtate Regia, nam poteſtas Regis, cum non ſit poteſtas à Chriſto vt Rege temporali in ſui abſentia commiſſa Regibus, quia Chriſtus nunquam exercuit munus Regis temporalis huius mundi, nec tale munus alicui Regi commiſsit, ſed potius dixit: *Regnum meum non eſt de hoc Mundo*; ipſis Regibus competit talis poteſtas ab ipſa Reſpublica, quę ſe gubernandam tradidit, vel iure hæreditario, vel iure electionis huic vel illi. At verò poteſtas Pontificia aliter ſe habet, vt explicatum manet, vndè ſemèl deſignata perſona eſt independens ab Eccleſia, & nullo modo ab ea limitari, aut coerceri poteſt, ſicut nec directè deponi, niſi à ſolo Chriſto: Cuius contrarium evenit in Dignitate, & poteſtate Regis temporalis, nam Reſpublica congregata, ſi iuſtę adeſſent cauſę, poſſet Regiam iuriſdictionem, vel coercere, vel limitare, vel ipſum ab ea deponere; vndè videmus Reſpublicas varijs modis conſtituiſſe ſuum regimen, aliquas par abſolutum Monarcham, aliquas per Regem dapendentam à Senatu Ariſtochratico, ſeù Parlamento: Aliquas per ſolum Senatum Ariſtochraticum: Quod ſignum eſt Reſpublicas habere poteſtatem, & ius conferendi, vel auferendi, vel diſponendi de poteſtate ſui gubernativa.

14. Sed obijcies contra hoc ſecundum aſſertum: Quia ſi Chriſtus de facto cuilibet Papę conferret Dignitatem, & Poteſtatem ſuper Eccleſiam, opus eſſet nova aliqua actione novo aliquo ſigno, vel effectu manifeſtata, quia de novo confert eam poteſtatem: Sed de tali actione non conſtat: Ergò. Confirmatur 1 Quia, quotieſcumque ad vnum pertinet deſignatio perſonę, & ad alium collatio benaficij, qui confert beneficium habet ius cognoſcendi de idoneitate perſonę præſentatę, ſeù deſignatę, & ſi non inveniat præſentatum eſſe idoneum poteſt ei denegare beneficium: Ergò ſciri certò nequit Chriſtum conferre de facto iuriſdictionem Pontificiam, niſi conſtet perſonam ab Electoribus deſignatam eſſe dignam, & idoneam: Sed id certò conſtare nequit: Ergò nec an Chriſtus illi contulerit Dignitatem, & iuriſdictionem: Quod quam abſurdum ſit, quæſ-

tio ſequens declarabit. Confirmatur ſecundo: Quia poteſtas Pontificia eſſentialiter eſt poteſtas Epiſcopalis, & conſequenter poteſtas ordinis, quę imprimit caracterem: Sed poteſtas ordinis imprimens caracterem conferri nequit, niſi per aliquod Sacramentum ſenſibile: Ergò, cum hoc non interveniat ſuppoſita electione Papę, dici nequit, quod tunc Chriſtus illi confert talem poteſtatem.

15. Reſpondeo, negando maiorem, quia ſufficit prima inſtitutio, qua Chriſtus D. Petro, & Succeſſoribus legitimè eligendis contulit iuriſdictionem Pontificiam; ex vi enim illius inſtitutionis, quilibet legitimè electus in Succeſſorem Div. Petri, accipit iuriſdictionem Pontificiam: Quod ſi aliqua nova actio ex parte Chriſti neceſſaria ſit, non oportet quod ſit viſibilis, aut effectu, vel ſigno aliquo manifeſta, ſed ſatis eſt, quod ex vi illius primę inſtitutionis modo Chriſtus exerceat actionem inviſibilem collativam poteſtatis, ſicut ex vi inſtitutionis Sacramenti Baptiſmi, vel Ordinis, quotieſcumque proferuntur verba formę Sacramentalis, Chriſtus imprimit caracterem, & infundit gratiam, ſi adſit debita diſpoſitio ſuſcipientis, non per novam actionem Chriſti viſibilem, ſigno aliquo manifeſtam, ſed per actionem inviſibilem, ad quam ſe obligavit ex vi inſtitutionis Sacramenti.

16. Ad primam confirmationem non defuere hæretici, qui dixerunt, quod ſi electus in Papam non ſit vir probus, & Sanctus, tanta poteſtate dignus, immò ſi non ſit prædeſtinatus, non eſt verus Papa. Sed hic eſt manifeſtus error contra fidem, quia negat Caput Eccleſię viſibile, ſicuti & viſibilem Eccleſiam Chriſti: Contra quem errorem iam ſupra diximus, ſ. 5. Reſpondeo ergò, tunc conferentem beneficium attendere ad dignitatem, & merita præſentati, quando confert beneficium ex iuſtitia diſtributiva, attendens non ſolum validitatem collationis, ſed æquitatem, & iuſtitiam illius: Si autem ſolum attēdat ad validitatem collationis, ſatis eſt, quod præſentatus ſit capax, & idoneus quoad eſſentialia: Chriſtus ergò, dum inſtituit conferre Dignitatem Pontificiam Succeſſoribus Div. Petri legitimè electis, non alligavit Dignitatem Pontificiam meritis eligendorum, ſed voluit eam validè conferri cuilibet legitimè electo, & quoad eſſentialia capaci, licèt alias improbo, quia inſtitutio illius Dignitatis non fuit in Chriſto actus iuſtitię diſtributivę, ut cuius intenderet præmiare merita eligendorum, ſed inſtitutio regiminis neceſſarij, & neceſſarię poteſtatis in Eccleſia, cui non oportebat talem poteſtatem alligari meritis eligendorum, alias omninò dubia, ac incerta maneret. Sicut dum inſtituit Sacramentum Ordinis, non alligavit poteſtatem ordinis meritis Ordinandi, ſed voluit eſſe validam independenter à meritis illius, qui ordinatur.

17. Ad ſecundam confirmationem, diſtinguo maiorem: Poteſtas Pontificia eſſentialiter præſuppoſitivè eſt poteſtas Epiſcopalis omitto maiorem: Eſſentialiter formaliter, nego maiorem, & conceſſa minori, nego etiam conſequentiam, quia dato quod poteſtas Pontificia eſſentialiter ſupponat, aut includat poteſtatem Ordinis Epiſcopalis, in illa tamen formaliter, ſeù differentialiter non conſiſtit, alias omnes Epiſcopi eſſent Summi Pontifices, ſeù Papę: Conſiſtit ergò formaliter, & differentialiter in eo, quod addit ad poteſtatem Ordinis Epiſcopalis, nimirum in poteſtate iuriſdictionis univerſalis ſuper omnem Eccleſiam, quę quidem poteſtas iuriſdictionis non imprimit novum caracterem, nec eſt novum Sacramentum ſupra Epiſcopatum, licèt ſit nova iuriſdictio, & nova, maiorque Dignitas. Et ratio eſt, quia quantum ad Ordinem Epiſcopalem, & poteſtatem ordinis, & caracterem, omnes Epiſcopi ſunt ęquales, differentię enim Epiſcopi, Archi-Epiſcopi, Primatus, & Papę, ſunt differentię accidentales ordini Epiſcopatus, & non addunt novos, & diſtinctos Caracteres, ſed novas, & diſtinctas iuriſdictiones, Authoritates, & Dignitates. Iuriſdictio ergò, Authoritas, & Dignitas Pontificia, ſecundum quod addit ad Ordinem Epiſcopalem, & in quo differt à cæteris Epiſcopis, non indiget novo Sacramento, ſed confertur Papę, ſuppoſita legitima electione, ex vi inſtitutionis Chriſti dicentis: *Tibi dabo claves Regni Cælorum*, ſeù: *Paſce Oves meas*.

18. Sed dices: Demus, quod eligatur aliquis in Papam, qui non ſit ordinatus, nec Epiſcopus: Sanè ille non haberet poteſtatem Clavium in univerſam Eccleſiam: Quam ergò poteſtatem haberet? Reſpondeo, diſtinguendo duplicem poteſtatem iuriſdictionis: Aliam in foro Sacramentali remittendi peccata, vel ea retinendi: Aliam in foro cauſarum excommunicandi, gubernandi, præcipiendi, prohibendi, &c. Dico ergò, quod Papa electus, & nondum ordinatus haberet quidem hanc ſupremam iuriſdictionem, ſeù poteſtatem iuriſdictionis in univerſam Eccleſiam, quę eſt poteſtas Pontificia inadæquatè, non tamen haberet primam poteſtatem Clavium, ſed opus eſſet, quod quam primum ordinaretur in Epiſcopum ab Epiſcopo Hoſtienſi (ad quem de iure ſpectat, quando electus non ſit ordinatus, aut conſecratus) & tunc ex vi Ordinis, & Sacramenti acciperet

ret poteſtatem Ordinis, ex vi autem inſtitutionis Chriſti acciperet poteſtatem Clavium, ſeù iuriſdictionem fori Sacramentalis pro vniverſa Eccleſia, Superiorem ad poteſtatem Clavium, & iuriſdictionem in foro Sacramentali omnium Epiſcoporum, quam quidem omnes Epiſcopi accipiunt à Papa, Papa autem à ſolo Chriſto ex vi illorum verborum: *Tibi dabo claves.*

QUÆSTIO XI.

AN HÆC PROPOSITIO: INNOCENtius XII. eſt verus Papa *ſit immediatè de fide?*

1. QUAMVIS huius quæſtionis reſolutio communis, & vniformis iam ſit inter Theologos pro parte affirmativa, nihilominus difficillima eſt, propter difficilia argumenta, & haud facilem eius probationem. Vt tamen in ea clarius procedamus.

Aliqua præmittuntur.

2. SUPPONENDUM eſt primo, poſſe dari electionem Papę, vel irritam, & invalidam, vel dubiam. Hoc quidem experientia ipſa docet, deſumpta ex electionibus illis, quibus in Eccleſia ſubſequuta ſunt ſchiſmata circa verum Pontificem agnoſcendum, alijs vnum, alijs alium vt legitimum acceptantibus, vt contigit tempore Concilij Conſtantienſis, quando Eccleſia diviſa per factiones tres Pontifices prætenſos habebat, quos ipſum Concilium declaravit nullos, vel eos depoſuit: Si autem electio certò valida fuiſſet in aliquo, & minimè dubia, talis in Eccleſia diviſio non fuiſſet, nec neceſsitas congregandi Concilium ad diſcernendum de verò Papa.

3. Sed inquires, ex quo Capite electio Papę vitiari, aut invalidari poteſt? Ratio dubitandi eſt, nam imprimis ex parte eligentium videtur non poſſe invalidari: Eligentes enim ſunt Cardinales, quibus Eccleſia ſuam poteſtatem electivam commiſsit; ſed his nulla poteſt objici exceptio: Ergò ex parte eorum invalidari nequit. Minor probatur, quia imprimis nequit illis opponi cenſura vlla, aut excomunicatio, nam eſt privilegium huius electionis, quod nullus elector impediri poſsit à iure eligēdi propter cenſuram vllam, vt expreſsè traditur, *in Clement. Ne Romani §. Cæterum, de electione.* Quod ita merito ſtatutum eſt, vt in in electione, à qua totum Eccleſię regimen pendet, vitaretur ſchiſma, dubietas, aut incertitudo. Deindè nec poteſt opponi, quod electio facta ſit per fraudem, violentiam, aut ambitionem, nam hæc exceptio non admittitur, ſed repellitur, *in cap. in Nomine, diſtinct.* 23. quando Papa invenitur electus à duabus ex tribus partibus Cardinalium, vt de facto fiunt Papę electiones: Nulla ergò exceptio opponi poteſt. Et confirmatur, quia certiſsimum eſt, atque omnibus exploratum ei electioni aſsiſtere Spiritum Sanctum: Sed electio, in qua certiſsimè aſsiſtit Spiritus Sanctus, certiſsimè valida eſt, & minimè poteſt eſſe dubia, aut invalida: Ergò. Maior probatur, ex *Sixti V. Conſt.* 50. vbi de Cardinalibus congregatis ad Papam eligendum ſic ait: *In illa Sacra electione cenſendi ſunt veri Interpretes, atque internuncij voluntatis divinę, cuius Spiritu, ſicut vniverſum Eccleſię Corpus ſanctificatur, & regitur, ita maximè hoc totum eiuſmodi electionis opus eiuſdem afflatu, & inſtinctu abſolvi certiſsimum eſt, atque omnibus exploratum:* Ergò certiſsimum eſt, atque omnibus exploratum, &c.

4. Verumtamen dico, quod licèt ex præfactis exceptionibus vitiari non poſsit. Poteſt tamen invalida eſſe, aut dubia electio illa, primo ſi non fiat à legitimis Electoribus, nempè ſi fieret ab aliquibus non Cardinalibus, intruſis tamen abſque Eccleſię conſenſu. Secundo, quamvis fiat à Cardinalibus, ſi fiat per metum cadentem in conſtantem virum, quia tunc declaratur vt nulla *in Concil. Conſtantienſi Seſſ.* 39. Similiter, ſi à duabus partibus Cardinalium non ſit electus, vt habetur, *in Conſtit. Iulij II.* quę incipit: *Cum tam divino, Anno* 1505. Aut ſi aliquis ex illis duabus partibus non eſſet verè Cardinalis, vt colligitur ex *Abbate in ca. licèt, de Electione.* Tertio, ſi electus ſit hæreticus manifeſtus, vt conſtat ex dicta *Conſtit.* Quinto, ſi non eſſet vir, ſi eſſet iudicio privatus, aut pateretur aliam exceptionem iuris naturalis, quę ipſum incapacem redderet Pontificatus, nam iſtę exceptiones reddunt electionem nullam ex parte electi. Quælibet ergò ex his exceptionibus, ſi certò concurreret in electione, faceret electionem certò nullam. Si autem dubium foret ex ratione gravi, & prudenti, an concurriſſet, faceret electionem dubiam: Ad confirmationem in contra dico, talem aſsiſtentiam Spiritus Sancti non eſſe certiſsimam, niſi poſtquam conſtat electionem eſſe pacificè conſummatam, & promulgatam, in hoc enim ſenſu loquitur Sixtus V. & indè poſteà nos etiam certitudinem illius elec-

electionis comprobabimus, inquit enim quod *electionis opus eiuſdem afflatu, & inſtinctu abſoluté certiſſimum eſt*, non autem abſolvitur, dum pacificè non conſummatur, & promulgatur, acceptãte Eccleſia; Poteſt autem non conſummari pacificè, ſed cum dubio, & tunc eſt, quando poteſt eſſe nulla, vel dubia.

5. Suppono ſecundo, eſſe immediatè de fide hanc vniverſalem: *Omnis ritè electus in Papam eſt verus Papa.* Ita omnes Catholici, & colligitur ex dictis potiſſimè *quæſt.* 8. nam ex ea conſtat eſſe de fide divina, ex Chriſti inſtitutione, & revelatione ſimùl cum perpetua Eccleſię traditione, reſidere Dignitatem Pontificiam D. Petri in omnibus eius legitimis Succeſſoribus; ac proindè omnem legitimum Div. Petri Succeſſorem eſſe verum Papam, ſeù Paſtorem vniverſalis Eccleſię; cum autem ex Chriſti ipſius inſtitutione Succeſſores Div. Petri deſignentur per electionem, vt ex quæſt. præcedenti, conſtat; conſequens eſt, quod de fide ſit omnem ritè electum eſſe verum Papam, ſeù Paſtorem vniverſalis Eccleſię: Vndè de hac vniverſali inter Catholicos nemo dubitat.

6. Suppono tertio, non eſſe de fide, quando electio, vel certò eſt nulla, vel dubia in Eccleſia, electum eſſe verum Papam. Ita etiam abſque controverſia omnes Catholici, quia ſi certò electio eſt nulla, certò etiam electus non eſt Papa, ſi verò ſit dubia, eo ipſo, vel non eſt verus Papa, quia vt aliqui exiſtimant Papa dubius in Eccleſia non eſt verus Papa, vel dato, quod eſſet verus Papa, non eſt propoſitus Eccleſię cum ſufficienti certitudine vt debeat credi per fidem divinam talis.

7. Quæſtio ergò ſolum habet locum, quando ſupponitur ritè electus, & vt talis ſinè dubio, & ſinè ſchiſmate propoſitus, & acceptatus ab Eccleſia, an ſcilicèt tunc ſit de fide divina immediatè ipſum in ſingulari nominatum eſſe verum Papam.

8. Ante cuius reſolutionem, præmittit Ioann. à S. Thom. in præſenti, quod dupliciter poteſt aliquid eſſe de fide, nempè, vel per ſe primo, id eſt (explicat ipſe) immediatè; vel per ſe ſecundo, id eſt, mediatè: Illud eſt de fide per ſe primo, & immediatè, quod immediatè creditur per lumen fidei, tamquam immediatè à Deo revelatum: Illud verò tantum eſt de fide per ſe ſecundo, & mediatè, quod tantum virtualiter continetur in obiecto immediatè revelato, & ex illo deducitur veluti concluſio Theologica, & hoc non pertinet ad lumen fidei, ſed ad lumen Theologicum. De quo vidè ſuprà, *diſp.* 1. *quæſt.* 7. *à num.* 1. *&* 21. Quæſtio ergò præſens inquirit, an ſit immediatè, ſeù per ſe primo de fide prædicta propoſitio: Rurſus, dupliciter poteſt eſſe aliquid de fide, vel quoad ſe, vel quoad nos. Illud eſt de fide quoad ſe, ſed non quoad nos, quod re ipſa revelatum eſt in Sacra Scriptura, ſed vt ſic revelatum nondum eſt definitum, nec propoſitum ab Eccleſia, & ſic de pluribus cenſent Theologi eſſe immediatè in Scripturis revelata, vt quod gratia ſit qualitas, quod efficacia gratię ſit independens à conſenſu libero voluntatis, quod Deus ante prævisa merita eligat prædeſtinatos ad Gloriam, & alia huiuſmodi, quę tamen non ſunt de fide quo ad nos, quia Eccleſia hoc non definivit. Illud autem eſt de fide, etiam quoad nos, quod non ſolum eſt revelatum à Deo, ſed vt ſic revelatũ proponitur Fidelibus ab Eccleſia.

9. Adhùc tamen ſubdiſtinguit Ioann. à S. Thom. quod inter ea, quę ſunt de fide quoad nos, alia ſunt de fide quoad aliquos, nempè Sapientes, alia quoad omnes: Ea ſunt de fide quoad omnes, quę ab omnibus ſine controverſia habentur vt revelata, & definita ab Eccleſia, vt Myſterium Trinitatis, & Incarnationis. Ea verò ſolum quoad aliquos Sapientes, quę non ita clarè ſunt revelata, & definita, quod non ſit inter Sapientes de hoc cõtroverſia ſæpè enim Sapiẽtes cõcertãt de aliqua propoſitione an ſit revelata immediatè, & vt talis definita ab Eccleſia, vel non, & conſequenter an ſit de fide; ſicut de contraria, an ſit hæretica, vel non, & tunc licèt talis propoſitio directè de fide ſit, tamen propoſitio reflexa dicens illam eſſe de fide, de fide non eſt.

10. Inſuper maximè prænotandum duxi, licèt id in alijs prænotatum non viderim, quod dupliciter poteſt aliquid eſſe de fide immediatè, & quoad nos, nempè vel abſolutè, vel conditionatè. Illud eſt de fide conditionatè, quod tàntum credi poteſt, & debet fide divina obiectivè conditionata: Illud eſt de fide divina abſolutè, quod credi poteſt, & debet fide divina obiectivè abſoluta. Quod adhùc ſtat dupliciter, quia fides divina obiectivè conditionata, vel poteſt eſſe tacitè ſolum conditionata, vel expreſsè; tunc eſt expreſsè conditionata, quando prudenter dubitari poteſt de conditione, vt ſi adeſſent rationes dubitandi prudenter de validitate Baptiſmi alicuius infantis, tunc poſſet credi fide divina obiectivè conditionata, exprimendo conditionem, nempè, ſi eſt validè baptizatus, ipſum eſſe in gratia: Tunc eſt ſolum tacitè conditionata, quando prudenter dubitari nequit de conditione, ſed tamen conditio non manet omninò certa, ſed cum contingentia, & poſſibilitate falſitatis, vt cum nulla adeſt ratio dubitandi, nec ſuſpicandi Baptiſmum in-

fan-

ſantis non eſſe validum, ſed tamen quia de hoc non eſt infallibilis certitudo, ſed ſemper cum contingentia aliqua, & poſſibilitate ad oppoſitum, fides divina de eo quod infans ille baptizatus ſit in gratia, eſt tacitè, ſeù implicitè conditionata. Itemque fides divina poteſt eſſe obiectivè abſoluta, vel intrinſecè, vel extrinſecè: Tunc eſt obiectivè abſoluta intrinſecè, quando nec implicitè, nec explicitè eſt conditionata, quia videlicèt ex modo intrinſeco tendendi omninò abſolutè, & cum ſecuritate, & infallibilitate abſoluta aſſentitur obiecto: Tunc ſolum eſt abſoluta extrinſecè, quanto ex modo intrinſeco tendendi non importat illam ſecuritatem, & infallibilitatem abſolutam, ſed ſolum ſub tacita conditione, conditio tamen creditur impleta fide humana, vel alio lumine fallibili, quia tunc per fidem, aut iudicium de conditione impleta, fides divina, alias intrinſecè, & implicitè conditionata, redditur extrinſecè abſoluta. Quę doctrina conſtat ex dictis ſuprà, *diſp. 1. quæſt. 9. à num. 61. 68. 76. &c.*

11. Igitur ſinè controverſia certum eſt inter Catholicos, eſſe de fide, ſaltèm ſub tacita conditione, propoſitionem de, qua eſt quæſtio, nẽpè *ſi Innocentius ſit ritè electus*, & cõſequẽter eſſe etiam de fide abſolutè, ſaltèm extrinſecè, quia hoc nihil aliud importat, quam eſſe de fide illam vniverſalem: *Omnis ritè electus eſt Summus Pontifex*, & credi per humanam fidem, & certitudinem moralem, Innocentium eſſe ritè electum, abſque vlla ratione prudenter dubitandi, aut ſuſpicandi oppoſitum: Hoc autem, ſuppoſita pacifica acceptatione, vt modo ſupponitur, à nullo Catholico negatur, ſed nec negari poteſt.

12. Ex quo infero controverſiam præſentem in eo potiſſimum conſiſtere, an videlicet ſit de fide divina immediatè, & abſolutè ſine conditione vlla, nec tacita, nec expreſſa, *Innocentium XII. eſſe verum Papam.* In qua quidem controverſia partem negativam tenent ex Catholicis, Cardenalis Turrecremata, Caietanus, Caſtro, Cano, Corduba, Bañez, Malderus, Araujo. Quorum loca, & verba referunt PP. Salmant. *in præſent. diſp. 4. de Rom. Pont. à num. 28.* Quin, & eam probabilem cenſent apud ipſos Azor, & Gonet. Pars tamen affirmativa iam eſt communis inter Theologos modernos. Pro qua ſit.

NOSTRA SENTENTIA.

13. DICO igitur: *De fide divina eſt immediatè, & abſolutè Innocentium XII. eſſe verum Papam.* Probatur primo: Quia Martinus V. in Concilio Conſtantienſi, in proſcriptione errorum Vbicleph. *Seſſ. 45. & vlt.* iubet, quod ſuſpectis in fide, inter alias, hæc interrogatio fiat: *Vtrum credat quod Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, eius nomine proprio expreſſo, ſit Succeſſor B. Petri, habens Suprèmam Authoritatem in Eccleſia Dei*: Ergò ſuſpectis in fide, eo tempore, quo regnat in Eccleſia Innocent. XII. debet interrogari, an credant, *quod Innocentius XII. eſt verus Petri Succeſſor, &c.* Nam interrogatio debet fieri, proprio nomine Pontificis expreſſo, iuxta prædictum Decretum: Sed ſolum debet interrogari vtrum credant quod immediatè eſt de fide, nam quod tantum mediatè eſt de fide, non creditur, ſed Theologicè ex creditis deducitur, & ſcitur: Ergò ſupponit Martinus V. cum Concilio eſſe immediatè de fide in hac temporis ſerię, quod *Innocent. XII. eſt verus Pontifex.*

14. Dices ex PP. Salmant. in præſenti, quod *credere* non ſemper ſignificat actum fidei immediatę, ſed poteſt ampliari ad aſſenſum theologicum ex principijs fidei deductum; & ſic ampliari poteſt in prædicto Decreto, quia illud formatum fuit contra aſſerta Vbicleph, quę non omnia erant immediatę contra fidem, ſed aliqua tantum mediatè, id eſt, erronea, aliqua ſuſpecta in fide, aut ſapientia hæreſim; vndè cum ſic ſuſpecti interrogari iubentur de illis articulis, an credant, credere ſumi poteſt in ampla ſignificatione pro aſſentire.

15. Sed contra, quia licèt huiuſmodi ſolutio ſufficiat ad intentum PP. Salmant. nempè vt noſtra ſententia non intelligatur expreſsè definita in illo Decreto, ita quod ſit de ſide reflexe, de quo infrà dicemus, tamen negari nequit, quod in illo Decreto, dum iubentur interrogari ſuſpecti an credant, reſpectu aliquorum articulorum debet intelligi credere ſtrictè, nempè immediatè per fidem, potiſsimè ſi articulus interrogationis ſit talis, quod ſi non ſit immediatè de fide, nec mediatè poſsit eſſe de fide: Sed talis eſt articulus iſte, nempè quod *Pontifex præſens, proprio nomine expreſſo, ſit verus Pontifex*, vt infrà conſtabit: Ergò dum iubentur interrogari, an id credant, ly *credant*, debet intellegi de fide ſtrictè, pro actu proprio fidei immediatę.

16. Di-

Innocentius XII. eſt verus Papa, ad ſummum erit de fide ſub tacita conditione ritę electionis, non verò omninò abſolutè.

20. Nec huiuſmodi difficultas evacuatur, ſi dicas, quod huiuſmodi ſolutio deſtruit ſtatum præſentis controverſię, nam hæc procedit ſuppoſita legitima electione Innocentij XII. & quod ſit in pacifica poſſeſſione, & quod ei non contradicat Eccleſia; cum hac autē ſuppoſitione non compatitur negare certitudinem illius minoris, nempè, quod *Innocentius eſt legitimè electus*. Sed contra, quia licèt ſupponatur ipſum fuiſſe legitimè electum, reſtat tamen explicare, qua certitudine hoc ſupponatur. Etenim, dùm adoramus Hoſtiā in ſingulari, ſupponimus illam eſſe ritè conſecratam, & hoc certò ſupponimus ſine dubitatione, aut ſuſpitione in contra; non tamen tanta certitudine, quę ſufficiat ad fidem divinam omninò abſolutam, & ſine tacita conditione de exiſtentia Corporis Chriſti in illa ſingulari Hoſtia: Ergò pariter, quamvis in hac controverſia ſupponatur Innocentius ritè electus, & id quidem certò ſupponatur ſine vlla contradictione, tamen indè non infertur eſſe de fide omninò abſoluta ipſum eſſe Papam, niſi prius exploretur, qua certitudine debeat gaudere illa minor, nempè quod ſit ritè electus, & an tanta certitudine gaudeat.

EXPLICATUR CERTITUDO EXACTA continentię ſingularis in vniverſali, vt ſingularis ſit de fide.

21. ET hinc oritur quæſtio incidens, à qua, niſi fallor, pendet huius controverſię clara ennodatio, & argumentorum ſolutio, nempè: Quęnam certitudo requiratur de continentia ſubiecti ſingularis ſub ſubiecto vniverſalis revelatę, vt ſingularis ſit de fide immediatè. Cui vt reſpondeam.

22. Dico primo, quod vt ſingularis ſit de fide ſub expreſſa conditione, nulla certitudo requiritur, ſed cum dubio de tali continentia poteſt eſſe ſic de fide. Patet, quia quamvis eſſet dubium poſitivum nā hæc ſingularis Hoſtia eſſet ritè conſecrata, credi tamen poſſet, & deberet ſub expreſſa conditione, quod ſi te ipſa eſſet ritè conſecrata, continet Corpus Chriſti; & ſimiliter ſi eſſet prudens ſuſpicio: Ergò.

23. Dico ſecundo, quod vt credatur fide divina abſoluta extrinſecè ſub conditione ſolum tacita, ſed non exprimenda, ſufficit certitudo humana, ſeù moralis, ſine prudenti ſuſpitione in contra. Patet etiam, quia vbi ita certum eſt Hoſtiam eſſe ritè conſecratam, aut infantem ritè baptizatum, opus non eſt exprimere in credendo conditionem illam in Hoſtia *ſi eſt ritè conſecrata*, & ſimiliter de infante, ſed potius eſſet imprudentia: Ergò.

24. Maior, ſeù tota difficultas eſt de certitudine requiſita ad fidē intrinſecè abſolutā, & ſine cōditione adhùc tacita. Reſpondent autē aliqui, ſatis eſſe, quod ſit moraliter certa talis continētia, v. g. in noſtro caſu, quod ſit moraliter certū in Eccleſia Innocentium XII. fuiſſe ritè electum. Verumtamen huic ſententię non acquieſco, & eam ſic impugno: Nam certitudo purè moralis eſt fallibilis phyſicè, & metaphyſicè: Sed dummodo maneat fallibile phyſicè, & metaphyſicè quod Innocentius fuerit ritè electus, implicat quod ſit de fide divina omninò abſolutè ipſum eſſe verum Papam: Ergò. Probatur minor, quia idem eſt aliquid eſſe de fide divina omninò abſolutè, ac eſſe infallibile phyſicè, & metaphyſicè, ſiquidem fides divina ita infallibilis eſt, vt ſuprà oſtendimus, *diſput.* 2. *quæſt.* 4. Sed nequit eſſe infallibile phyſicè, & metaphyſicè Innocentium XII. eſſe Summum Pontificem, quandiù fallibile manet phyſicè, & metaphyſicè eum fuiſſe ritè electum: Ergò nec poteſt eſſe de fide divina omninò abſolutè. Probo minorem, quia quandiù fallibile manet phyſicè, & metaphyſicè ipſum eſſe ritè electū (id eſt, validè, nam pro eodem vſurpatur in præſenti, rita electio, ac valida) manet etiam phyſicè, & metaphyſicè fallibile ipſum eſſe verum Pontificem: Ergò nequit eſſe infallibile ipſum eſſe verum Pontificem, quandiù fallibile manet ipſum fuiſſe ritè, ſeù validè electum. Antecedens probatur, nam quod ſit validè electus, vel eſt de eſſentia Summi Pontificis, vel ſaltèm conditio eſſentialis, & de iure divino exacta, vt ſit verus Pontifex, quia Chriſtus inſtituit eam Dignitatem vt tranſituram ad Succeſſores vnicè per validam electionem, vt conſtat *ex quæſt. præced.* Sed quotieſcumque eſt fallibile phyſicè, & metaphyſicè quod detur conditio eſſentialiter, & de iure divino requiſita vt quis ſit verus Pontifex, eſt ſimiliter fallibile ipſum eſſe verum Pontificem: Ergò. Probo minorem, quia nequit eſſe falſum, dari conditionem eſſentialem, vt quis ſit verus Pontifex, quin ſit etiam falſum dari conditionatum; nempè ipſum eſſe verum Pontificem, quia deficere nequit conditio eſſentialis, quin deficiat id, ad quod eſt conditio eſſentialis, alias ſi id poſſet perſiſtere, illa deficiente, iam illa non eſſet conditio eſſentialis, id eſt, eſſentialiter exacta: Ergo eadem poſsibilitate, qua poſſet eſſe falſum dari talem conditionem vt quis ſit verus Ponti-

ſex, eadem poteſt eſſe falſum ipſum eſſe verum Pontificem : Sed idem eſt aliquid eſſe fallibile, ac poſſe eſſe falſum : Ergò quandiù manet fallibile phyſicè, & metaphyſicè dari conditionem eſſentialem, vt quis ſit verus Pontifex, eodem modo manet fallibile Ipſum eſſe verum Pontificem.

25. Confirmatur : Quia ſi ſolum eſt moraliter certum Innocentium XII. eſſe validè electum : Ergò phyſicè, & metaphyſicè non repugnat in eius electione interveniſſe aliquem defectum annullantem ipſam, v. g. quod non eſſet re ipſa baptizatus, aut quod non eſſet re ipſa ordinatus : Ergò phyſicè, & metaphyſicè non repugnat quod ex tali defectu hodie non ſit verus Pontifex, & conſequenter, quod fallatur Eccleſia ipſum credens verum Pontificem. Probatur hæc vltima conſequentia, quia de fide eſt, & conſequenter metaphyſicè infallibile, quod qui non eſt validè baptizatus, nec validè ordinatus, non eſt verus Pontifex : Ergò ſi phyſicè, & metaphyſicè loquendo, non repugnat quod Innocentius XII. nun ſit validè baptizatus, nec validè ordinatus, ſed poteſt metaphyſicè loquendo in hoc falli Eccleſia, pariter poterit Eccleſia falli in credendo ipſum eſſe verum Pontificem.

26. Confirmatur ſecundo, quia in conſequentia metaphyſicè infallibili, eo ipſo quod conſequens poſsit eſſe falſum, poteſt etiam antecedens eadem poſsibilitate falſum eſſe, quia in bona conſequentia repugnat metaphyſicè quod antecedens ſit verum, & conſequens falſum : Sed hæc eſt conſequentia metaphyſicè infallibilis : *Innocentius XII. eſt verus Pontifex : Ergò eſt validè electus* : Ergò ſi conſequens poteſt, metaphyſicè loquendo, hodie eſſe falſum, nempè quod ſit validè electus, poterit etiam metaphyſicè loquendo hodie eſſe falſum antecedens, nempè quod ſit verus Pontifex: Nõ ergò erit metaphyſicè infallibile, & conſequenter nec de fide divina abſolutè, quod Innocent. XII. eſt verus Pontifex.

27. Vel aliter : In bona conſequentia, ſi antecedens eſt infallibile metaphyſicè etiam conſequens debet eſſe metaphyſicè infallibile, quia ſicut ex antecedenti neceſſario non ſequitur niſi neceſſarium, ita ex antecedenti infallibili metaphyſicè ſequi non poteſt, niſi infallibile metaphyſicè : Sed hæc eſt bona conſequentia : *Eſt verus Pontifex, ergò eſt validè electus* : Ergò ſi eſt metaphyſicè infallibile quod eſt verus Pontifex, debet etiam eſſe metaphyſicè infallibile, quod eſt validè electus. Vel aliter: Hæc eſt bona conſequentia : *Non eſt validè electus : Ergò non eſt verus Pontifex* : Rogo igitur, vel eſt poſsibile phyſicè, & metaphyſicè antecedens, rebus prout nunc, nempè poſt pacificam acceptationem (hoc enim ſenſu ſemper loquor, & non ex terminis ſecundum ſe ſumptis, quia ex terminis ſecundum ſe ſumptis nec moraliter repugnat hunc hominem non eſſe Pontificem) vel eſt metaphyſicè impoſsibile? Si metaphyſicè impoſsibile : Ergò non ſolum moraliter, ſed metaphyſicè impoſsibile eſt quod non ſit validè electus : Ergò quod ſit valide electus eſt metaphyſicè infallibile, & non ſolum moraliter ; & habeo intentum, nempè quòd non ſufficiat ſola certitudo moralis de valida electione. Si eſt poſsibile metaphyſicè illud antecedens : Ergò & conſequens, quia in bona conſequentia ex antecedenti poſsibili non ſequitur conſequens impoſsibile, vt docent dialectici : Ergò, rebus prout nunc, erit metaphyſicè poſsibile quod Innocentius XII. non ſit verus Pontifex, & conſequenter nõ erit metaphyſicè infallibile quod eſt verus Pontifex: Ergò nec de fide divina omninò abſolutè.

28. Confirmatur tertio, quia quamvis ſit moraliter certum Hoſtiam eſſe validè conſecratam, v. g. quando plures Sacerdotes in magno numero concurrunt ad eam conſecrandam, vt in Ordinum celebratione, vbi moraliter eſt impoſsibile quod aliquis ſaltèm ex illis non habeat veram intentionem, & validè conſecrèt; tamen adhuc ſuppoſita morali certitudine de valida conſecratione non eſt de fide divina omninò abſolutè quod in illa Hoſtia ſingulari ſit Corpus Chriſti, ſed ſolum ſub tacita conditione : Ergò ſi ſolum ſit moralis, & non maior certitudo de valida electione Innocent. XII. non poteſt eſſe de fide divina omninò abſolutè ipſum eſſe verum Pontificem.

29. Reſpondebis primo, cum Lugo, diſtinguendo duplicem gradũ certitudinis moralis, nempè, & certitudinem moralem, quę admittit formidinem prudentem falſitatis, & huiuſmodi eſt certitudo humana ex teſtibus, vel alijs coniecturis humanis deſumpta, quę ſufficit ad regulandas actiones humanas, licèt admittat prudentem formidinem de oppoſito, quia videlicèt teſtes poſſunt fallere, & ſimiliter alia motiva, quibus nititur talis certitudo, & nonunquam contigit aliquem falli ex ipſis, vel ſimilibus motivis; de qua quidem certitudine morali loquuti ſumus *tract. de Conſcientia, quæſt. 33. à num.* 8. & cum ea formidinem falſitatis conciliari, diximus *ibid. à num.* 45. Et de hac morali certitudine inquit Lugo non ſufficere ad fidem divinam omninò abſolutam, quia cum formidine prudẽti, ne forſan hæc Hoſtia nõ ſit ritè

con-

conſecrata, credere non poſſū omninò abſolutè fide divina in ea eſſe Corpus Chriſti, & ſimiliter de Infante baptizato, quod ſit in gratia. Secunda certitudo moralis eſt, quam in ſummo gradu talem diximus ſuprà *diſp. 2. quæſt. 6. num. 5.* Et hæc non admittit prudentem formidinem falſitatis, vt ibidem diximus *num. 4.* Immò nec imprudentem videtur poſſe admittere, nam huiuſmodi certitudo ea dicitur, quam habemus de exiſtentia Romę, aut Neapolis, vel Mediolani: Quis autem, niſi amens ſit, aut fatuus, vel imprudenter quidem formidare poterit, ne forſan Roma non detur in rerum natura? Et de huiuſmodi; aut ſimili certitudine morali ſentit Lugo ſatis eſſe quod quis illam habeat de continentia ſingularis in vniverſali revelata, vt ſingularis ſit abſolutè de fide divina.

30. Sed contra eſt primò, quia certitudo moralis de tali electione, ſeu valida Innocent. XII. non poteſt eſſe tanta, ſicut certitudo de Romę exiſtentia, nam hæc fundatur in convenientia innumerorum teſtium ocularium, nullo negante, & eſt de re, quę oculis ipſis videtur: Quinimo non ſolum moraliter, ſed etiam phyſicè impoſsibile videtur, quod omnes, qui tanquam teſtes oculares de illa ſcribunt, & loquuntur, omnes fallere velint, nulluſque veritatem propalare audeat; quod enim omnes homines in aliquo mendacio ſcienter proferendo conſtanter, & ſemper conveniant, potiſsimè de re oculis ipſis ſubiecta, & in quo mendacio à quocumque comprehendi poſsint, nedum moraliter, ſed phyſicè, & ex natura rei repugnat naturę humanę; & ideò forſan illa certitudo non ſolum moralis, ſed phyſica eſt. Quod ſi prædicta repugnantia phyſica eſt, etiam erit metaphyſica, quia Deus de potentia abſoluta, ſeu miraculosè facere nequit quod omnes homines conveniant in prædicto proferendo mendacio, natura ipſa id repugnante, alias Deus eſſet Author ſpecialis mendacij: Ergò metaphyſicè etiam repugnabit, quod omnes, qui de Roma tanquam teſtes oculares loquuti ſunt, aut ſcripſere, ſcienter fallere nos voluerint conſtanter, & vnanimiter, nullo contradicente: Hoc autem omninò neceſſarium erat, vt falſum foret Romam exiſtere: Eſt ergò metaphyſicè impoſsibilis hæc falſitas, & conſequenter metaphyſicè infallibile Romam exiſtere, & idem de qualibet alia Vrbe, aut Regione, vel individuo, de quibus innumeri teſtes oculares vnanimiter teſtificantur, nullo dubitante, aut contradicente. Hæc obiter dixerim; quia videò ſine examine omnes iſtas certitudines reputari purè morales, cum tamen ex prædicto fundamento oſtendi poſsit infallibilitatem habere metaphyſicam. Vide ſuprà, *diſputat. 2. quæſt. 6. num. 5.*

31. Sed demus, quod ſint certitudines ſolum morales, ſed in ſummo gradu, ita vt nullam formidinem admittant falſitatis, ſinè certitudo moralis de validitate electionis Pontificis tanta nequit eſſe, quia non eſt de re, quę oculis patens ſit, nec de qua ſint teſtes oculares, nec in tanto numero. Non quidem in tanto numero, quia teſtes illius electionis præcisè ſunt Cardinales. Nec iſti ſunt teſtes oculares validitatis electionis, quia quod ſit valida conſiſtit in pluribus conditionibus per ſe non patentibus, v. g. quod non ſit ſimoniaca, quod electus ſit vir, & non mulier, & præſertim quod ſit re ipſa, & validè baptizatus, de hoc enim ipſi Cardinales teſtes occulares eſſe non poſſunt; Immò nec vllus præter illum, qui electum baptizavit, quia de intentione eſſentialiter requiſita in baptizante nullus eſſe poteſt occularis teſtis: Non ergò certitudo moralis de validitate electionis Pontificis poteſt eſſe tanta ſicut certitudo de Romę exiſtentia, nec in ſummo gradu certitudinis moralis, ſicut illa, ita vt omnem formidinem prudentem excludat.

32. Explicatur, & tacita ſolutio præcluditur; nam vel illa electio conſideratur independenter ab aſsiſtentia Spiritus Sancti infallibiliter revelata, aut promiſſa, ſolum ex motivis viſibilibus, & humananis humano modo propoſitis Eccleſię; vel in vi revelationis, aut promiſsionis aliquę, vi cuius Chriſtus promiſſerit abſolutè illi electioni aſsiſtentiam Spiritus Sancti? Si hoc ſecundum; ergò non eſt tantum certa moraliter validitas illius electionis, ſed certa, & infallibilis metaphyſicè, quia electio, cui Chriſtus promiſsit aſsiſtentiam Spiritus Sancti ne erret, in vi talis promiſsionis infallibile eſt eam non erraſſe, & conſequenter validam fuiſſe, & quidem non ſolum infallibile moraliter, ſed metaphyſicè, quia quod Chriſtus abſolutè promiſsit, metaphyſicè repugnat non eſſe ſicut promiſsit. Si dicatur primum, ſanè omnia ea motiva viſibilia, quantumvis vniformia, & convenientia, cum ſint de re oculis non patenti, ſed potius dependenti à re occultiſsima, nempè ab intentione Miniſtri, qui electum baptizavit, & à Baptiſmo ipſo, de quo nullus electus eſt teſtis ocularis, & ſimiliter ab Ordinibus ſuſceptis, minimè poſſunt excludere per ſe ipſa independenter à revelatione, & promiſsione divina, formidinem prudentem nullitatis, vel incapacitatis ſubiecti.

33. Vrgetur: Nam vel eſt infallibiliter promiſſa illi electioni aſsiſtentia Spiritus Sancti, ne erret, vel non? Si eſt infallibiliter

Pp 2 pro-

Digitized by Google

promiſſa : Ergò infallibile eſt, non ſolum moraliter, ſed metaphyſicè, ipſam non erraſſe, & conſequenter fuiſſe validam. Si autem non eſt illi infallibiliter promiſſa ; ergò manet locus prudenti formidini, ne forſan Spiritus Sanctus non adſtiterit electioni illi, & conſequenter ne forſan erraverit eligendo non baptizatum, aut alio titulo incapacem ; nam ſanè deficiente aſsiſtentia Spiritus Sancti, nulla ſecuritas eſſe poteſt de non errando, præſertim in re tan occulta.

34. Vrgetur amplius, quia electio illa, ſi præſcindamus ab aſsiſtentia Spiritus Sancti, non maiorem certitudinem poteſt habere de valore ſui, vel ſaltèm de capacitate intrinſeca ſubiecti, quam alię electiones Canonicę, quę fiunt in Eccleſia, inferiorum Paſtorum, nam præciſſa tali aſsiſtentia, Cardinales homines ſunt, fragiles, infirmi, lutea vaſa portantes, paſsionibus, & fallibilitati expoſiti, ſicut electores in alijs Canonicis electionibus: Sed alię electiones, quia illis ſingillatim nō eſt promiſſa abſolutè, & infallibiliter aſsiſtentia Spiritus Sancti ne errent, non ſunt ita certò validę, vt certitudo excludat omnem prudentem formidinem, ne forſan intervenerit aliquod caput nullitatis: Ergò ſi electioni Pontificis non ſit infallibiliter, & abſolutè promiſſa aſsiſtentia Spiritus Sancti ad non errandum, ſeù præſcindendo ab illa, non poteſt eſſe ita certa, quod excludat omnem formidinem.

35. Vrgetur tertio, nam caſu, quo centum Sacerdotes concurrerent ad conſecrandam Hoſtiam, omnes probi, & timorati, rogò vtrum eſſet tūc locus formidini prudēti ne forſan non eſſet validè conſecrata, vel non? Si adhùc eſſet locus formidini prudenti : Ergò quamvis concurrant omnes Cardinales ad electionem vnius Pontificis, præſcindendo ab aſsiſtentia infallibili Spiritus Sancti, adhùc manebit locus prudenti formidini, potiſsimè cum ad validam conſecrationem Hoſtię ſatis ſit quod vnus ex centum ſit verus Sacerdos, & habeat intentionē, & alias ex parte materię capacitas ſit viſibilis, ad validitatem autem electionis Papę opus ſit, quod duę partes ex tribus Cardinalium cōcurrāt, & ſint verè Cardinales, & alias capacitas ſubiecti eligēdi non ſit viſibilis, ſed pendēs à conditionibus occultis. Si verò dicas in illa conſecratione non manere locum formidini prudenti ; ſic arguo : Et tamen non eſſet de fide omninò abſolutè illam Hoſtiam continere Corpus Chriſti, ſed ſolum ſub tacita conditione: Ergò quamvis de valida electione Papę nulla ſuperſit formido prudens de nullitate illius, tamen ſi ſolum ſit certa moraliter, non manebit de fide omninò abſolutè, electum eſſe verum Pontificem. Conſequentia patet, quia ſicut eſt revelatum, quod omnis ritè electus eſt verus Pontifex, ita eſt revelatum, quod omnis Hoſtia ritè conſecrata continet Corpus Chriſti. Ex quo.

36. Secundo impugno [illegible] ſolutionem, quia dato, quod electione Pontificis acceptata, non maneat locus prudenti formidini, tamen ſi manet fallibile phyſicè, & metaphyſicè quod ſit validè electus, manet fallibile phyſicè, & metaphyſicè, quod ſit verus Pontifex, vt oſtenſum manet : Sed ſi ſolum ſit moraliter certa validitas illius electionis, neceſſario manet fallibilis phyſicè, & metaphyſicè, quia ſola certitudo moralis nequit excludere fallibilitatem phyſicam, & metaphyſicam : Ergò non poteſt manere metaphyſicè infallibile, & conſequenter nec de fide divina omninò abſolutè quod ſit verus Pontifex, ſed ad ſummum manebit certum moraliter certitudine excludente formidinem prudentem.

37. Propterea reſpondent alij, certitudinem moralem de validitate electionis ſufficere vt ſit abſolutè de fide electum eſſe verum Papam, quia ſufficit vt abſolutè obligemur ad credendum illum eſſe verum Pontificem. Sed contra, quia quæſtio iſta, non tam inſtituta eſt ad indagandam obligationis qualitatem, quam ad indagandam fidei qualitatem circa verum Pontificem, & certitudinem fidei de illo habendam. Suppono ergò eam certitudinem moralem ſufficere vt obligemur abſolutè ad credendum electum eſſe verum Pontificem, ſed rogò, an obligemur abſolutè ad id credendum fide divina intrinſecè abſoluta, an tantum fide divina intrinſecè, & tacitè conditionata, & ſolum extrinſecè abſoluta? Si hoc ſecundum, ergò fides de eo quod electus, nempè Innocent. XII. eſt verus Pontifex non eſt intrinſecè abſoluta, ſed conditionata tacitè, ſicut fides de exiſtentia Chriſti in Hoſtia determinata : Ergò manebit fallibile, & cōtingens abſolutè, an ſit, vel non ſit verus Pontifex ; quod quis dicat? Si verò dicatur primum, redit argumentum factum, nam quandiù manet ſolum moraliter certa validitas electionis, & conſequenter fallibile phyſicè, & metaphyſicè an ſit validè electus, non poſſumus credere fide divina omninò, & intrinſecè abſoluta, electum eſſe verum Papam : Ergò ad ita credendum non obligamur ex vi ſolius certitudinis moralis. Antecedens patet, quia dum manet fallibile abſolutè phyſicè, & metaphyſicè an ſit verus Papa, id credere non poſſumus fide divina omninò, & intrinſecè abſoluta, vt per ſe patet : Sed dum manet ita fallibile an ſit validè

dè electus, eodem modo manet fallibile an ſit verus Papa : Ergò.

38. Reſpondent denique alij, quod certitudo de rita electione eſt duplex, vna antecedens ad fidem de veritate Papę electi, alia conſequens ad talem fidem. Et hanc ſecundam eſſe certitudinem metaphyſicam per modum Concluſionis Theologicę, quia videlicet ſemèl ſuppoſito quod ſit de fide divina abſolutè Innocent. XII. eſſe verum Papam, indè conſequenter infertur conſequentia metaphyſicè infallibili fuiſſe validè electum, & ſic eſt conſequenter metaphiſicè infallibile, quod electio fuit valida. Attamen antecedenter non requiritur, quod validitas electionis ſit metaphyſicè infallibilis, ſed ſufficit, quod ſit moraliter certa, quia cum hæc certitudo requiratur ſolum ex parte credibilitatis, ſufficit quod ſit ſolum certitudo moralis, qua ſola ſuppoſita, iam eſt abſolutè infallibile metaphyſicè Innocent. XII. eſſe verum Papam.

39. Hæc ſolutio magis accedit ad veritatem, quia fatetur non poſſe eſſe infallibile abſolutè quod Innocent. XII. ſit verus Papa, quin eadem infallibilitate, nempè metaphyſica, ſit abſolutè infallibile ipſum fuiſſe validè electũ, licèt conſequenter. Verumtamen adhùc non ſatisfacit, quia ante fidem divinam intrinſecè abſolutã de veritate Papę electi, debet dari certitudo obiectiva, ſeù fundamentalis omninò abſoluta de eo quod ſit verus Papa, hoc eſt, motivum abſolutè certificans cum metaphyſica infallibilitate de veritate Papę: Sed ſi ſolum ſupponatur illa revelatio vniverſalis : *Omnis ritè electus eſt verus Papa*, cum certitudine tantum morali de rita electione, non ſupponitur motivum abſolutè certificans cum infallibilitate abſoluta metaphyſica, quod hic ſit verus Papa: Ergò requiritur maior certitudo de validitate electionis pro priori ad fidem divinam intrinſecè abſolutam de veritate Papę. Minor probatur, quia illa vniverſalis revelatio : *Omnis ritè electus eſt verus Papa* ſe ſola non certificat abſolutè quod hic ſit verus Papa, ſed ſolum ſub conditione, quod ſit ritè electus; ſicut hæc vniverſalis revelata : *Omnis Hoſtia ritè conſecrata continet Corpus Chriſti*, non certificat ſe ſola abſolutè quod hæc ſingularis Hoſtia contineat Corpus Chriſti, ſed ſolum ſub conditione, quod ſit ritè conſecrata : Sed motivum ex ſe ſolum certificans conditionatè, non poteſt certificare abſolutè antequam ſit certa purificatio conditionis, nec poteſt certificare magis de conditionato, quam ſit certa purificatio conditionis: Ergò ſi non ſupponatur maior certitudo, quam moralis de purificatione conditionis, nempè de rita electione, non poteſt illa vniverſalis certificare abſolutè maiori certitudine, quam morali, de veritate Pontificis : Ergò nequit ſupponi motivum certificans abſolutè certitudine metaphyſica de eo quod Innocent. XII. ſit verus Papa. Et vrgetur, quia adhùc ſuppoſita certitudine morali de eo quod aliqua Hoſtia ſit ritè conſecrata, illa vniverſalis : *Omnis Hoſtia ritè conſecrata continet Corpus Chriſti*, non certificat abſolutè certitudine abſoluta metaphyſica, quod in illa Hoſtia ſit verè Corpus Chriſti: Ergò idem in noſtro caſu.

40. Confirmatur, quia licèt in motivis credibilitatis non requiratur connexio metaphyſica abſoluta cum re credenda, ſed ſatis ſit connexio moralis, tamen ſuppoſitis motivis credibilitatis certò moraliter ſuadentibus illam rem eſſe dictam à Deo, requiritur revelatio, ſeù motivum formale credendi abſolutè certificans intellectum cum infallibilitate abſoluta metaphyſica, de veritate rei credendę : Sed ſi ſolum ſupponatur ex parte credibilitatis certitudo moralis de electione, revelatio illa vniverſalis : *Omnis ritè electus eſt verus Papa*, non certificat abſolutè certitudine metaphyſica, ſed ſolum ſub tacita conditione, ſi nimirum certitudo moralis non fallatur in electione : Ergò nequit fundare fidem divinam abſolutam de eo quod ſit verus Papa.

41. Confirmatur ſecundo, quia valida electio, non ſolum requiritur ex parte credibilitatis, ſed potiùs vt revelatio illa vniverſalis conſtituatur in ratione motivi formalis fidei divinę abſolutę de veritate Papę : Sed motivum formale fidei divinę in eſſe talis debet præſupponi vt certum, non ſolum moraliter, ſed metaphyſicè: Ergò vt illa revelatio vniverſalis moveat ad fidem abſolutam de veritate Papę, debet ſupponi validitas electionis, vi cuius conſtituitur in eſſe motivi abſoluti, certa, non ſolum moraliter, ſed metaphyſicè. Minor patet, quia motivum formale fidei divinę præſtat illi certitudinem, non ſolum moralem, ſed metaphyſicam : Ergò debet ſupponi, vel proponi vt certum, non ſolum moraliter, ſed metaphyſicè, nequit enim præſtare certitudinem, quam non habet. Minor verò probatur : Quia illa revelatio vniverſalis ſolum eſt motivum formale fidei abſolutę de veritate huius Papę ſingularis, in quãtũ eſt revelatio abſoluta illius, nam motivum fidei divinę abſolutę non poteſt eſſe revelatio, vt purè conditionata : Sed illa revelatio vniverſalis conſtituitur ineſſe revelationis abſolutę per validitatem electionis : Ergò per illam conſtituitur ineſſe motivi formalis fidei abſolutę. Minor probatur, quia illa revelatio vni-

vniverſalis ex ſe ſolum conditionatè revelat hûc ſingularem hominem eſſe verum Papam, nempè ſi ſit ritè electua; ſed revelatio ex ſe ſolum conditionata conſtituitur abſoluta per ipſam purificationem conditionis, quę in præſenti eſt valida electio : Ergò illa revelatio vniverſalis conſtituitur in eſſe revelationis abſolutę per validam electionem.

42. Vrgetur : Non poteſt eſſe metaphyſicè certum abſolutè hunc eſſe verum Papam, certitudine abſoluta fidei, niſi præſupponatur obiectivè certum metaphyſicè, id eſſe revelatum abſolutè, nam motivum formale illud credendi abſolutè cum certitudine metaphyſica, eſt, quia revelatum abſolutè, implicat autem quod fides ſit magis certa, quam motivum formale ipſius : Sed non poteſt ſupponi vt metaphyſicè certum illud eſſe revelatum abſolutè, in vi illius vniverſalis, niſi ſupponatur tanquam metaphyſicè certum hunc hominem eſſe validè electum; quia per hoc conſtituitur illa revelatio vniverſalis revelatio abſoluta huius individui : Ergò debet ſupponi metaphyſicè certa valida electio; vt in vi illius vniverſalis poſsit credi fide divina abſoluta hunc eſſe verum Papam : Ergò non ſufficit certitudo metaphyſica conſequuta ad fidem abſolutam de veritate Papę, ſed requiritur certitudo metaphyſica obiectiva, & fundamentalis antecedenter ad talem fidem, ſiquidem talis certitudo dę valore electionis debet præſupponi ex parte motivi fidei divinę abſolutę.

43. Confirmatur tertio, quia in vi illius vniverſalis : *Omnis ritè electus, &c.* Non poteſt, adhùc mediatè inferri tanquam concluſio Theologica, quod Innocent. XII. ſit ritè electua : Ergò niſi fides de veritate Papę innitatur alia revelatione, non poteſt dari certitudo metaphyſica de valore electionis, adhùc conſequenter ad fidem de veritate Papę, & per modum concluſionis theologicę : Ergò nec antecedenter; nec conſequenter erit maior certitudo, quam purè moralis de valida electione : Ergò tan antecedenter, quam conſequenter manebit fallibile phyſicè, & metaphyſicè ipſum fuiſſe validè electum : Sed cum hoc fatetur ſolutio non componi quod ſit abſolutè de fide divina abſoluta hunc eſſe verum Papam : Ergò, Cætera patent. Maior probatur : Quia ex hac vniverſali : *Omnis ritè electus eſt verus Papa*, nec immediatè, nec mediatè inferri poteſt iſta ſingularis : *Ergò Innocent. XII. eſt ritè electus*, nam qui ſic argueret : *Omnis ritè electus eſt verus Papa; ergò Innocent. XII. eſt ritè electus*, omninò diſparatè argueret, non minus quam qui ita argueret : *Omnis iuſtus eſt Dei amicus : Ergò Petrus eſt iuſtus* : Ergò in vi illius vniverſalis adhùc mediatè non revelatur quod Innocent. XII. eſt ritè electus : Ergò nec poteſt hoc reddi certum per modum concluſionis theologicę, ſiquidem concluſio theologica debet eſſe mediatè revelata.

44. Nec valet recurſus ad certitudinem moralem, nam ſi ſolum ſupponatur moraliter certa hæc propoſitio : *Innocent. XII. eſt ritè electus*, in vi illius vniverſalis revelatę: *Omnis ritè electus eſt verus Papa*, nullam maiorem poteſt accipere certitudinem, ſed manebit adhùc conſequenter ſolum moraliter certa. Ratio eſt, quia ex illa vniverſali nullo pacto infertur, ſed diſparatè ad illam ſe habet, vt oſtenſum manet: Sed ex vi illius revelationis, ſeù propoſitionis revelatę, quę nullo pacto illam infert, ſed diſparatè ſe habet, non poteſt accipere maiorem certitudinem, immò nec certitudinem vllam, vt ex ſe patet : Ergò ſi ſolum ſupponitur antecedenter certa moraliter, tantum certa moraliter manebit conſequenter, non verò certa theologicè per modum concluſionis theologicę. Explicatur : Quando in vi huius vniverſalis revelatę : *Omnis homo eſt mortalis*, ſuppoſita tanquam naturaliter evidenti hac, *Petrus eſt homo*, creditur fide divina, quod *Petrus eſt mortalis*, nemo dixit, quod conſequenter ad hanc fidem divinam, manet certa per modum concluſionis theologicę illa *Petrus eſt homo*, aut quod iſta fuerit mediatè revelata, quia videlicet, dum Deus revelat omnem hominem eſſe mortalem, per hanc revelationem, nec mediatè, nec immediatè revelat quinam ſint veri homines, nec ex illa vniverſali infertur, adhùc mediatè : *Ergò Petrus eſt homo*; vndè iſta ſemper manet ſolum certa, & evidens lumine naturali, non verò lumine theologico : Ergò idem dicendum, quando in vi illius vniverſalis : *Omnis ritè electus, &c.* ſuppoſita vt moraliter certa iſta : *Hic eſt ritè electus*; creditur fide divina, quod hic eſt verus Pontifex, nempè quod manebit illa minor conſequenter, ſicut antecedenter, ſolum certa moraliter.

45. Et ratio à priori eſt, quia cum aſſenſus fidei de hac propoſitione : *Innocent. XII. eſt verus Papa*, ſit effectus formalis illius revelationis vniverſalis : *Omnis ritè electus eſt verus Papa*, vnicè motus formaliter ex illa, non poteſt inferre certitudinem, quam illa vniverſalis non infert, quia effectus non poteſt excedere ſuam cauſam vnicam : Sed illa vniverſalis: *Omnis ritè electus, &c.* adhùc ſuppoſita certitudine morali de rita electione Innocent. XII. non infert certitudinem metaphyſicam de illa, quia adhùc tali certitudine ſuppoſita, nec me-

dia-

Digitized by Google

diatè, nec immediatè revelat ritam electionem, ſed diſparata ſe haber; & item, quia hæc conſequentia eſt diſparatè: *Certum eſt metaphyſicè*, quia ſic revelatum, *quod omnis ritè electus eſt eſt verus Papa, ſed alias ſupponitur certum moraliter, quod hic eſt ritè electus: Ergò certum eſt metaphyſicè hunc eſſe ritè electum.* Ergò adhùc ſuppoſita tali certitudine morali ritę electionis, aſſenſus fidei elicitus ſolum in vi illius vniverſalis: *Omnis ritè electus, &c.* non poteſt inferre metaphyſicam certitudinem de rita electione Innocent. XII.

46. Ex dictis inferes primo: Quod ad credendam ſingularem fide divina omninò abſoluta, in vi vniverſalis revelatę, non ſufficit ſola certitudo moralis de continentia ſingularis in vniverſali. Secundo: Quod requiritur certitudo metaphyſicè infallibilis, non ſolum conſequenter ad fidem ſingularis, ſed atiam antecedenter, & ex parte motivi ad credendum, ſaltèm tanquam conditio eſſentialis vt moveat ad fidem divinam abſolutam. Tertio: Quod probari nequit eſſe de fide abſolutè, & ſine tacita conditione, Innocent. XII. eſſe verum Papam, in vi illius vniverſalis: *Omnis ritè electus eſt verus Papa*, niſi priùs oſtendatur eſſe metaphyſicè infallibile quod ſit ritè, ſeù validè electus. Sed vndè inquies id oſtendi poterit? Reſpondeo, vt ſequitur.

INSTAURATUR RATIO Concluſionis.

47. SI ergò inſtaurari poteſt ratio Concluſionis, vt efficaciter probet: Etenim quotieſcumque eſt immediatè de fide vniverſalis, & eſt omninò infallibilis continentia ſingularis ſub ipſa, ſingularis eſt etiam immediatè, & abſolutè de fide: Sed hæc vniverſalis: *Omnis ritè electus eſt verus Papa*, eſt immediatè de fide; & eſt omninò infallibile, quod ſingularis iſta: *Innocent. XII. eſt verus Papa*, continetur ſub illa: Ergò etiam iſta ſingularis eſt immediatè, & abſolutè de fide. Minor, quoad ſecundam partem, in qua ſola ſtat difficultas, probatur: Quia omninò, ſeù metaphyſicè infallibile eſt Innocent. XII. fuiſſe ritè, ſeù valide electum: Sed in hoc conſiſtit formaliter continentia prædictę ſingularis ſub illa vniverſali: Ergò talis continentia eſt omninò infallibilis. Probatur maior: Quia infallibile omninò eſt Electores non erraſſe in illa electione, ſaltèm, quoad valorem ipſius: Ergò infallibile omninò eſt illam electionem fuiſſe ritam, ſeù validam. Probo antecedens: Infallibile omninò eſt Electores non errare in electione, quę abſolvitur, & cōſumatur inſtinctu, & afflatu Spiritus Sancti: Sed infallibile omninò eſt quod electio Innocent. XII. fuit abſoluta, & conſumata inſtinctu, & afflatu Spiritus Sancti: Ergò infallibile omninò eſt, illam electionem fuiſſe ritam, & validam. Minor, in qua ſola ſtat difficultas, probatur primo ex traditione perpetua Eccleſię, quę ſemper tenuit illā ſactam electionem, in qua deſignatur Paſtor vniverſalis Eccleſię, & Div. Petri Succeſſor, Vicarius Chriſti D. non abſolvi, nec pacificè conſummari, niſi per aſsiſtentiā Spiritus Sancti: Quā traditionem ſatis confirmat, & ex Cathedra docet *Sixtus V. Conſt.* 50. ſic decernens: *In illa Sacra Electione cenſendi ſunt Cardinales veri interpretes, atque internuncij voluntatis divinę, cuius Spiritu, ſicut vniverſum Eccleſię Corpus ſanctificatur, & regitur, ita maximè hoc totum huiuſmodi electionis opus, euſdem afflatu, & inſtinctu abſolvi certiſsimum eſt, adque omnibus exploratum*: Sed perpetua Eccleſię traditio, Pontificia Conſtitutione firmata ex Cathedra, facit fidem, & certitudinem omninò infallibilem, & non purè moralem: Ergò.

48. Secundo, quia Cardinales congregati, & pacificè eligentes, & promulgantes electionem Papę repræſentant totam Eccleſiam in ordine ad munus illud eligendi, & promulgandi, ſeù proponendi Fidelibus verum Papam, tanquam verum Paſtorem vniverſalem, & primam regulam viſibilem fidei, & morum: Sed eſt metaphyſicè infallibile, & non ſolum moraliter, Spiritum Sanctum aſsiſtere Eccleſię, & conſequenter non poſſe Eccleſiam errare in proponenda Fidelibus prima regula viſibili fidei: Ergò nec in illa electione conſumanda, & promulgāda pacificè. Probo minorē: Quia Spiritū Sanctū aſsiſtere Eccleſię in eo munere eſt certum in vi illius Chriſti promiſsionis, *Ioan. 16. Cum venerit Paraclytus, docebit vos omnem veritatem: Ille docebit vos omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumquè dixero vobis*: Et, cum non poſſe errare, in vi illius revelationis, ſeù Sacri Textus, quo *Paulus 1. ad Timoth. 3.* inquit: *Quod Eccleſia eſt Columna, & firmamentum veritatis*, vidè ſuprà *queſt. 5. à num.* 34. Sed quod eſt certum in vi divinę promiſsionis, & revelationis, non ſolum eſt certum moraliter, ſed in vi illius metaphyſicè infallibile: Ergò Eccleſiam regi ab Spiritu Sancto, & non poſſe errare in proponenda Fidelibus regula viſibili fidei eſt certum, non ſolum moraliter, ſed cum infallibilitate metaphyſica, nempè in vi divinę promiſsionis, & revelationis.

49. Confirmatur: Quia in vi dictę promiſsionis, & revelationis, & aliarum ſimilium eſt metaphyſicè infallibile Eccleſiam non poſſe

erra-

errare in proponendis rebus fidei ad ſalutem neceſſarijs: Sed regula viſibilis,& animata fidei eſt maximè res fidei, & credenda de neceſſitate ſalutis, vt patet ex dictis ſuprà *quæſt.* 4. *&* *quæſt.* 9. *num.* 4. vbi Bonifacius VIII. expreſsè aſſerit id eſſe: *Omninò de neceſſitate ſalutis*: Ergò ex vi dictę revelationis, & promiſsionis eſt metaphyſicè infallibile Eccleſiam non poſſe errare in proponenda Fidelibus regula viſibili animata fidei,& conſequenter nec in electione Summi Paſtoris vt cõſumata,& abſoluta pacificè, ſeù pacificè promulgata.

50. Confirmatur: Quia non minus eſt res fidei, & ad ſalutem neceſſaria regula viſibilis animata fidei (quę eſt Papa) quam regula viſibilis inanimata, quales ſunt Libri Canonici: Sed quia in vi revelationis, vel traditionis Eccleſia eſt infallibilis in proponendis rebus fidei, eſt etiam infallibilis in proponenda Fidelibus regula fidei inanimata,nempè definiendo, quænam ſit vera Scriptura, & veri Libri Canonici: Ergò potiori iure erit infallibilis in proponenda Fidelibus regula viſibili animata, nempè vero Summo Pontifice, ſeù Papa.

51. Confirmatur tertio: Quia ſi Eccleſia poſſet errare in proponenda regula animata fidei, ſeù proponendo Papam nullum pro vero, eo ipſo poſſet errare in definiendis rebus fidei: Sed nequit errare in definiendis rebus fidei, idque eſt infallibile in vi revelationis, & promiſsionis Divinę: Ergò pariter eſt infallibile,quod non poſsit errare in proponenda regula animata viſibili fidei, proponendo Papam nullum,pro vero. Maior probatur: Quia ſemèl quod erraret proponendo Papam nullum, pro vero, iam ille in definiendis rebus fidei non eſſet infallibilis regula fidei, quia ſolus verus, & non falſus Papa eſt regula infallibilis in definiendis rebus fidei: Sed ſi Papa eſſet fallibilis in rebus fidei definiendis, eo ipſo Eccleſia in his poſſet errare, quia Eccleſia non definit res fidei, niſi per os Summi Paſtoris: Ergò.

52. Confirmatur quarto: Nam definibile eſt, & determinabile ſecundum fidem, quænam ſit regula viſibilis animata fidei, cui omnes Chriſti Fideles in fide conformari teneantur, ſicut eſt definibile ſecundum fidem, quænam ſi regula fidei inanimata, v. g. quænam ſit vera Scriptura: Ergò debet dari in Eccleſia Authoritas infallibilis ad hoc definiendum, & modus infallibilis hoc definiendi; ſed ad hoc definiendum non eſt alia Authoritas in Eccleſia deſtinata, niſi Collegium Cardinalium, nec alius modus hoc definiendi,niſi per electionem pacificam,pacificè promulgatam, quia Eccleſia non aliter proponit Fidelibus, nec definit hunc eſſe verum Papam, ſeù veram regulam animatam fidei, niſi deſignando per electionem verum Chriſti Vicarium, & Succeſſorem D. Petri, & pacificè electum pacificè promulgando Fidelibus vt verè talem: Ergò in hoc munere Eccleſia infallibilis eſt: Ergò electio pacifica, & pacificè promulgata infallibilis eſt, & non poteſt errare proponendo Papam nullum, pro vero: Ergò implicat quod ſit nulla: Ergò hoc non ſolum eſt moraliter certum,ſed omninò infallibile in vi divinę revelationis, & promiſsionis, vi cuius Eccleſia errare nequit in rebus fidei proponendis,& definiendis. Ex quo.

ALIÆ RATIONES PRO Concluſione.

53. SECVNDO probatur Concluſio: Non poteſt Pontifex facere fidem abſolutè infallibilem in rebus à ſe definitis ex Cathedra, niſi ſit abſolutè de fide ipſum eſſe verum Pontificem: Sed iuxta omnes Catholicos Pontifex hic numero, nempè Innocent. XII. facit fidem infallibilem in rebus, quas ex Cathedra definit: Ergò de fide abſolutè eſt ipſum eſſe verum Pontificem. Probatur maior: Quia non poteſt Pontifex facere ſidem abſolutè infallibilem in rebus ex Cathedra definitis. Niſi ſit abſolutè de fide definitionem ipſius eſſe legitimam, nec poteſt eſſe de fide eius definitionem eſſe legitimam, niſi ſit abſolutè de fide eſſe factam à vero Pontifice, ſeù à vera regula fidei: Sed hoc nequit eſſe abſolutè de fide, niſi ſit abſolutè de fide ipſum eſſe verum Pontificem: Ergò.

54. Reſpondent PP. Salmant. Quibus hæc ratio non placet, in primis retorquendo illam ſic: *Non poſſumus obligari ad credendum fide divina rem definitam à Pontifice, niſi pariter obligemur ad credendum fide divina, definitionem eius eſſe legitimam, ac ſubindè procedere à legitimo Pontifice: Sed non tenemur credere immediatè per fidem divinam hunc hominem definientem eſſe legitimum Pontificem: Ergò non tenemur credere immediatè per fidem divinam rem ab hoc Pontifice definitam.* In hoc diſcurſu, inquiunt: Conſequentia eſt legitima, & conſequens eſt hæreticum: Ergò opus eſt, quod aliqua ex præmiſſis ſit falſa: Sed non eſt falſa minor, quia Eccleſia hucuſque nõ definivit teneri homines ad prædictum aſſenſum, & illum denegare non eſt hæreticum: Ergò maior, in qua fundamus præſentem rationem, eſt falſa, vel dubia.

55. Sed ſanè, non capio, qua ratione dicant minorem illam non eſſe falſam? Etenim ipſi tenent cum communi ſententia, hanc

pro-

propoſitionem vt veram, eamque vt veram propugnant: *Tenemur credere immediatè per fidem divinam hunc hominem eſſe verum Pontificem*, ſiquidem defendunt id eſſe immediatè de fide divina: Sed minor illa eſt expreſsè huic contradictoria; ſiquidem dicit: *Non tenemur, &c.* Ergò dicunt non eſſe falſam contradictoriam expreſſam illius propoſitionis, quam propugnant vt veram. Hoc autem dici nequit, niſi negando illam regulam evidentem dialecticę, quod ex contradictorijs, ſi vna eſt vera, altera neceſſariò eſt falſa, quia impoſſibile eſt idē ſimul eſſe, & non eſſe: Eſt ergò falſa illa minor. Nec in contra obſtat, quod Eccleſia non definierit expreſsè nos teneri ad credendum fide diuina hunc hominem eſſe verum Pontificem. Tum quia licèt id non definierit ſignatè, & expreſsè, definitum tamen iam eſt implicitè, ſeù exercitè, eadem definitione, qua definitum eſt nos teneri ad credendum fide divina huic Pontifici ex cathedra definienti, tanquam regulę infallibili in proponendo; & id ſufficit vt teneamur: Tum quia vt teneamur vera obligatione, non opus eſt, quod talis obligatio ſit definita, & illam negare ſit hæreticum; aliàs quávis omnes ſapientes dicerent, nullo contradicente, nos obligari ad aliquid, non obligaremur, vſque dum Eccleſia expreſsè definiret, & redderet hæreticam opinionem contrariam, quod ſanè abſurdiſsimum foret. Vndè potius ex prædicto diſcurſu, ſic debet ſummi; ſed maior eſt vera, vt oſtenſum manet: Ergò minor eſt falſa, ſiquidem conſequens eſt hæreticum.

56. Opponunt ſecundo, contra prædictam rationem, quod Belarm. apud Suarium *diſput.* 5. *ſect.* 8. *num.* 12. cenſet, non ſolum verum Pontificem non poſſe errare in definiendis rebus fidei, ſed hæc reputatum ab Eccleſia: Si autem hoc verum eſt, ergò non eſt opus credere fide divina ipſum eſſe verum, & legitimum Papam, vt ſint certę de fide res ab eo definitę. Sed contra, quia vt ipſe Suarez poſteà *diſput.* 10. *ſect.* 5. *num.* 4. inquit, qui hoc dicit: *Propriam vocem ignorat, & contradictoria dicet.* Primo, quia eſſentia Summi Pontificis, vt ab alijs Epiſcopis contradiſtincti, eſt habere infallibilem authoritatem in definiendis rebus fidei ex infallibili aſsiſtentia Spiritus Sancti: Ergò dicere quod haberet hanc authoritatem, quamvis non eſſet verus Pontifex, ſed ſolum reputatus ab Eccleſia, eſt dicere, quod haberet eſſentiam Summi Pontificis, quamvis non eſſet verus Pōtifex, quod eſt vel ignorare quod ſignificet *verus Pontifex*, vel dicere contradictoria ſimùl. Secundo, quia vel Eccleſia poteſt falli reputando verum Papam, illum qui verus Papa non ſit, vel in hoc falli nequit? Si in hoc falli nequit: Ergò dictum Belarmini implicat contradictionem, dum admittit poſsibilem Papam reputatum ab Eccleſia, qui non ſit verus Papa. Si in hoc falli poteſt: Ergò potiori titulo, vel ęquali fallibilis erit in reputando ipſum pro infallibili in definiendo ex infallibili aſsiſtentia Spiritus Sanct. Tum quia in hoc conſiſtit differentia eſſentialis Summi Pontificis. Tum quia non minus certum eſt ipſum habere infallibilem aſsiſtentiam Spiritus Sancti in definendo, quam ipſum eſſe verum Pontificem: Ergò ſi Eccleſia circa hoc ſecundum falli poſsit, falli etiam poterit circa primum, reputando ipſum infallibilem in definiendo, quin re ipſa infallibilis ſit, & exiſtimando aſsiſtentiam infallibilem Spiritus Sancti, vbi talis aſsiſtentia non ſit.

57. Dices forſan: Eſſe neceſſarium vt Eccleſię fides firma, & infallibilis ſit, quod falli non poſsit circa regulam infallibilem fidei, quia ſi falleretur exiſtimando regulam infallibilem, illum qui talis non eſſet, nutaret tota fides Eccleſię. Attamen ad firmitatem fidei opus non eſſe, quod falli non poſsit Eccleſia putando verum Pontificem, eum, qui re ipſa, vel non ſit baptizatus, vel non ſit validè ordinatus, aut conſecratus, aut ritè electus, quia quamvis hæc omnia deficerent ſi tamen maneret ſemper regula infallibilis fidei, Eccleſię fides ſemper firma perſiſteret. Sed contra, quia in Summo Pontifice ſicut neceſſaria eſt authoritas infallibilis definiendi doctrinam fidei, ita etiam eſt neceſſaria infallibilis poteſtas ligandi atque ſolvendi, non quidem ſolum in foro externo, & iudiciali, ſed potiſsimè in foro Conſcientię, tum quia ſicut Eccleſię fides debet eſſe infallibilis; & non eſſet talis, ſi capitis authoritas fallibilis foret; ita remiſsio peccatorum debet eſſe infallibilis in Eccleſia, & non eſſet infallibilis, ſi poteſtas Clavium, ſeù iuriſdictio ſpiritualis pro foro Conſcientię remittendi peccata, non eſſet infallibilis in Summo Pontifice, à quo talis iuriſdictio promanet ad cæteros Eccleſię Paſtores. Tum quia Chriſtus Dominus non ſolum commiſsit Petro Authoritatem infallibilem proponendi veram doctrinam fidei per ea verba: *Paſce Oves meas*, nempè ſalutari doctrina; ſed etiam poteſtatem Clavium ſeù iuriſdictionem ſpiritualem claudendi, & aperiendi Regnum Cœlorum, retinendi, & remittendi peccata, per ea verba: *Tibi dabo claves*: *Quodcumque ligaveris, &c.* Et vtramque authoritatem, ſeù poteſtatem tradidit Petro pro ſe, & pro ſuis Succeſſoribus, vt perpetuo futuram in Eccleſia: Ergò quia vtramque iudicavit Chriſtus Eccleſię

Digitized by Google

ſuę ęquè neceſſariam: Et vtramque voluit eſſe infallibilem. Tum demum: Quia rogo, caſu, iuxta ſolutionem poſsibili, quo Summus Pontifex non eſſet verè ſacerdos, ſi tentaret abſolvere ſacramentaliter aliquem ritè diſpoſitum, validè ne abſolueret, vel non? Si non: Ergò omnes, qui recurrunt ad Papam, pro peccatorum ſuorum abſolutione, fallerentur: Ergò Pontifex non haberet iuriſdictionem abſolvendi ſacramentaliter: Ergò nec validè illam conferret Paſtoribus inferioribus. Item ſi conſecraret Epiſcopos aliquos: Ergò illi non manerent re ipſa conſecrati, & ſimiliter ſi ordinaret Diaconos, vel Sacerdotes: Ergò ſi poteſtas ordinis, & iuriſdictionis ſpiritualis eſſet fallibilis in Summo Pontifice, & Eccleſia in hoc poſſet falli, falli poſſet recurrendo ad Papam pro abſolutione, falli poſſet recurrendo ad Epiſcopos; quia à ſolo Papa accipiunt talem iuriſdictionem; falli poſſet exiſtimando re ipſa ordinatos, & conſecratos, quos Pontifex ordinaſſet, & conſecraſſet, & in omnibus ab illis ordinatis, & conſecratis, ſiquidem omnia eſſent nulla: Cum autem hæc abſurdiſsima ſint, dici debet, quod in Pontifice Romano eſt ęquè infallibilis poteſtas ordinis, & clavium, ſeù iuriſdictio ſpiritualis, ſicut authoritas infallibilis in rebus fidei proponendis. Dicere autem, quod licèt non eſſet verè ſacerdos, nec baptizatus, validè abſolveret ſacramentaliter, & validè exerceret actus ordinis, hæreticum eſt: Ergò debet etiam eſſe infallibile quod ſit verus ſacerdos, & verè baptizatus.

58. Dicere ergò, cum aliquibus, quos ſupreſſo nomine refert Suarez *ubi ſuprà*, quod haberet omnia privilegia Summi Pontificis, & validè ageret omnia munera ipſius, vt abſolvere ſacramentaliter, conferre iuriſdictionem ſacramentalem, & ordinare Epiſcopos, creare Cardinales, definire res fidei, imponere cenſuras, &c. quamvis verus Papa non eſſet: Manifeſtam implicationem involvit, vel potius hæreſim: Implicationem, quia haberet eſſentiam adæquatam Summi Pontificis, & non eſſet Summus Pontifex. Hæreſim: Nam hæreticum eſt dicere actus ordinis validè exerceri à non baptizato, nec validè ordinato: Nec poteſt dici quod Eccleſia ſuppleret, tum quia Eccleſia ſupplere nequit poteſtatem ordinis, Tum quia nec iuriſdictionem in ſupremo Capite ſupplere poteſt, quia ſupremum Caput non accepit ab Eccleſia iuriſdictionem, ſed à ſolo Chriſto. Si autem Chriſtus illi conferret iuriſdictionem, re ipſa faceret illum Papam.

59. Addunt præterea PP. Salmanticenſes, non eſſe opus credere definitionem eſſe legitimam, vt credamus fide divina res definitas? Ergo nec opus eſt credere fide divina definitionem eſſe legitimum Pontificem, ad credendas res definitas. Probant antecedens, quia intimius ſe habet ad rem credendam revelatio divina, quam definitio Pontificis: Sed non eſt opus ad credendam rem revelatam credere ipſam revelationem per eandem fidem, quia fides rei revelatę ſtat cum evidentia revelationis, & conſequenter ſine fide ipſius revelationis, vt ſupponunt à ſe probatum: Ergò. Sed ſanè hoc fundamētum in ſufficiens eſſe ad deſtrēdam illam rationem quam communem inter Thomiſtas ſupponunt. Nam propterea Thomiſtę illi requirunt quod ſit de fide definitionem eſſe legitimam, & à legitimo Pontifice factam, quia aliter de hoc non poteſt haberi infallibilis certitudo, ſeù quia non ſufficit certitudo moralis fallibilis de legitima definitione, & legitimo Pontifice: Contra hoc autem non video qua conſequentia liceat opponere, quod ad fidem rei revelatę non requiritur fides divina de revelatione, ſed ſufficit evidentia in atteſtante, quę ſanè, vel magis, vel ſaltem ęquè certa eſt, & metaphiſicè infallibilis, nam eſt idem, ac ſic arguere: Ad fidem divinam rei revelatę non requiritur credere per fidem ipſam revelationem, ſed ſufficit habere de illa evidētiam ęquè vel magis certam, & infallibilem, quam ſit fides: Ergò ad fidem divinam rei definitę, non requiritur credere fide divina definitionem eſſe legitimā, ſed ſufficit certitudo moralis fallibilis, & multò inferior ad certitudinem fidei. Hæc autem conſequentia apertiſsimè eſt nulla. Itaque, ſi PP. Salm. loco fidei divinę de legitima definitione, & legitimo Pontifice, ſubſtituerent evidentiam ſupernaturalem infallibilem de hoc ipſo, qualis eſt evidentia revelationis, libenter illis daremus, quod opus non eſſet credere per fidem definitionem legitimam, at, repugnamus, quod ſufficiat certitudo moralis fallibilis de legitima definitione, vt ſit de fide infallibili res definita. Vndè.

60. Sic argumentor: Infallibilitas fidei divinę vt Catholicę, non ſolum nititur revelationi divinę infallibili, ſed etiam infallibili propoſitioni Eccleſię, quia nititur revelationi divinę, vt propoſitę per Eccleſiam, atque adeò non ſolum falleretur fides ſi falſa eſſet revelatio, ſed etiam falleretur, ſi falſa foret Eccleſię definitio: Sed vt res revelata ſit de fide divina, ſeù certa ſecundum fidem, requiritur quod revelatio ſit certa ſecundum fidem, vel loco illius per infallibilem evidentiam, & non ſufficit ſola certitudo moralis: Ergò vt res definita ſit de fide divina, non ſufficit tantum certitudo moralis fallibilis de

de eo quod definitio ſit legitima, ſed requiritur certitudo fidei infallibilis, vel evidentia ſupernaturalis infallibilis: Sed hæc evidentia non habetur de legitima definitione: Ergò requiritur illa certitudo fidei infallibilis. Vide ſuprà, *diſput. 1. quæſt. 13. à num.* 8.

61. Sed dices: Ad credendam fide divina rem revelatam opus non eſt credere prius fide divina revelationem vt *quod*, vt oſtendimus *loco citat. à num.* 11. Ergò ad credendam fide divina rem definitam à Pontifice, opus non eſt credere fide divina illam eſſe definitam legitimè, & à legitimo Pontifice. Diſtinguo conſequens: Opus non eſt credere fide divina ſignatè, & vt *quod* definitionem eſſe legitimam, concedo conſequentiam: Exercitè, & vt *quo*, vel vt *cui*, nego conſequentiam. Itaque fatemur quod ad credendã fide divina rem definitã à Pontifice, non requiritur prius ſignatè credere per actum prævium fidei divinę definitionem eſſe legitimam, & à legitimo Papa, quod eiſdem rationibus probari poteſt, quibus idem probavimus de revelatione contra Suarez, vbi ſuprà. Cæterum ſicut hoc non obſtante, requiritur, quod revelatio credatur fide divina, vt *quo*, & vt *cui*, & quod proponatur vt motivum infallibile, & vt infallibiliter certa, & non ſufficit quod proponatur vt purè certa moraliter ex motivis humanis, vt ibidem oſtendimus *à num.* 25. & 27. ita & idem dicimus de definitione Eccleſię: Quia licèt hæc non ſit motivum formale fidei, eſt tamen conditio eſſentialis ex parte motivi fidei Catholicę, vt Catholicę, vndè debet proponi vt certa, & infallibilis, ſicut ipſa revelatio. Aliud namque eſt, quod in ordine credendi, non debeat credi prius vt *quod*, nec revelatio, nec definitio Eccleſię, aliud, quod nõ debeat eſſe certa, & infallibilis, & vt talis proponi: Dicimus enim, quod tam revelatio, quam Eccleſię definitio non debent prius credi vt *quod* fide divina, immò nec fide humana, nec alio iudicio; attamen tam revelatio, quam Eccleſię definitio debent prius proponi cum certitudine non ſolum morali, ſed metaphiſica, & infallibili, & debent gaudere hac certitudine, vt poſſint movere ad aſſenſum fidei divinę circa rem revelatam, aut definitam, quia niſi tanta certitudine gaudeant, & proponantur, non poſſunt movere ad aſſenſum infallibilem omninò rei definitę, ſeù revelatę.

62. Tertio probatur concluſio: Quia de fide eſt, immediatè, & abſolutè quod hodie verè perſeverat in Romano Pontifice dignitas Apoſtolica Summi Paſtoris, & Vicarij Chriſti, quam Chriſtus ipſe contulit Div. Petro: Sed hodie verè perſeverare illam dignitatem in Romano Pontifice formaliſſimè eſt Romanum Pontificem hodie Regentem Eccleſiam, nempè Innocentium XII. eſſe verum Pontificem, & Chriſti Vicarium: Ergò immediatè, & abſolutè eſt de fide Innocentium XII. hodie Regentem Eccleſiam eſſe verum Pontificem, & Chriſti Vicarium. Maior oſtenſa manet ſuprà, *quæſt.* 9. eſtque dogma Catholicum, ac definitum ſæpiſſimè, vt videri poteſt ibidem *à num.* 4. Minor verò non eſt minus certa, quia ſolum differunt penes activam, & paſſivam hæc duo: *Hodie verè perſeverat dignitas Pontificia in Romano Pontifice: Romanus Pontifex hodie regnans, verè conſervat, ſeù retinet dignitatem Pontificiam, ſeù eſt verus Pontifex*: Ergò idem formaliter eſt vnum ac aliud.

63. Confirmatur, ſeù explicatur: Quia immediatè de fide eſt dignitatem viſibilem Capitis Eccleſię collatam Petro perſeveraturam in Eccleſiá vſque ad diem iudicij, id enim immediatè revelavit Chriſtus, cum dixit Petro: *Super hanc Petram ędificabo Eccleſiam meam; & portę inferi non prævalebunt adverſus eam*: Ergò immediatè de fide eſt, & immediatè revelatum, quod illa dignitas ſemper perſeverat verè in Eccleſia Dei, excepto tempore ſedis vacantis, aut ſchiſmatis, quod non tollit continuationem, & perſeverantiam moralem, vt ſuprà vidimus, *quæſt. 9. à num.* 11. Ergò cum hodie non ſit tempus ſchiſmatis, nec ſedis vacantis, de fide, immediatè eſt, & immediatè revelatum, quod hodie perſeverat in Eccleſia ea ſuprema dignitas capitis viſibilis: Ergò de fide eſt immediatè, quod hodie eſt in Eccleſia verum caput viſibile, cui viſibiliter Eccleſia ſubordinatur: Hoc evidenter non eſt alius, niſi Innocent. XII. quia nunc non eſt tempus ſchiſmatis, in quo Eccleſię proponantur duo capita viſibilia, ſed vnum tantum, nempè Innocent. Ergò de fide immediatè eſt quod Innocent. eſt verum caput viſibile Eccleſię, ſeù verus Pontifex.

64. Dices forſan, eſſe de fide perſeverare illam dignitatem in legitimis Succeſſoribus Div. Petri: At non eſſe de fide, quod Innocent. ſit legitimus Succeſſor Div. Petri, quia non eſt de fide, quod ſit legitimè electus. Sed contra, quia tedit argumentum factum, nam de fide eſt perſeverare hodie illam dignitatem viſibilem in legitimo Succeſſore Div. Petri: Ergò de ſide eſt dari hodie legitimum Succeſſorem, in quo perſeveret illa dignitas: Sed non eſt hodie alius, qui habeat notas legitimi Succeſſoris, niſi Innocentius XII. ergò de fide eſt illum eſſe legitimum Succeſſorem Div. Petri: Si autem ad hoc requiritur quod ſit legitimè electus: Ergò mediatè ſaltèm erit de fide, quod eſt le-

legitimè electus. Explicatur : Revelatio illa Chriſti, in qua immediatè revelatur perſeveraturam in Eccleſia dignitatem Div. Petri, non eſt conditionata, ſub conditione fallibili, aut defectibili, ſed eſt revelatio omninò abſoluta, tum quia in eodem ſenſu revelat firmitatem Petrę ſuprà quam fundatur Eccleſia, ac firmitatem ipſius Eccleſię; ſed revelatio de firma Eccleſię perſeverantia non eſt conditionata, ſub conditione fallibili, & defectibili, ſed omninò abſoluta, aliàs non eſſet hodie abſolutè de fide perſeverare Eccleſiam à Chriſto fundatam : Ergò etiam revelatio de firma duratione illius Petrę, quę eſt dignitas Apoſtolica Petri, eſt abſoluta, & non ſub condine fallibili, & defectibili. Tum etiam, quia aliàs non certificaſſet Chriſtus ſufficienter Eccleſiam ſuam de conſtantia, & perſeverantia illius Petrę, ſi illam reliquiſſet pendentem ex conditione fallibili, & defectibili; ſi enim ſenſus eſſet : Perſeverabit firmiter illa ſolidiſſima Petra, ſi non deſit rita electio, deficiet tamen, ſi rita electio defuerit, relinquendo contingentem, & fallibilem illam electionem, vndè poſſet Eccleſia hodie certificari? Immò poſſet dicere; Forſam defecir Petra illa, quia forſan defecit rita electio : Debet ergò illa revelatio intelligi in ſenſu abſoluto, & credi vt abſoluta. Tunc ſic, ſed revelatio abſoluta de perſeverantia dignitatis eſt abſoluta revelatio de exiſtentia ſubiecti, vel Succeſſoris in illa, quia dignitas perſeverare nequit niſi in ſubiecto, & Succeſſore, vt per ſe patet : Ergò illa revelatio Chriſti abſolutè revelat hodie exiſtere verum Petri Succeſſorem, in quo illa dignitas perſeveret : Sed hic evidenter non eſt alius, niſi Innocentius XII. Ergò in vi illius revelationis eſt abſolutè revelatum, & abſolutè de fide illum eſſe legitimum Div. Petri Succeſſorem, & in eo perſeverare dignitatem ipſius : Ergò ſi ad hoc requiritur eſſentialiter, quod ſit ritè electus, quod ſit validè baptizatus, validè conſecratus, &c. hæc omnia erunt etiam de fide, ſaltèm mediatè.

65. Nec dici poteſt, eſſe quidem revelatum, & de fide perſeverare hodie dignitatem illam in aliquo illius legitimo Succeſſore vagè, ſed non determinatè in hoc individuo. Contra enim eſt, quia eodem modo eſt revelatum, & de fide vnum caput viſibile Eccleſię, ac vna Eccleſia, cum vnitas Eccleſię viſibilis eſſentialiter requirat vnum caput viſibile in terris, vt ſuprà oſtendimus *quæſt.* 7. Sed non ſolum eſt de fide dari vnam Sanctam Catholicam, & viſibilem Eccleſiam, vagè, & indeterminatè, ſed illam eſſe determinatè hanc numero hominum congregationem, quę ſub Innocent. XII. fidem profitetur, vt oſtenſum manet, *quæſt.* 6. Ergò non ſolum eſt revelatum, & de fide perſeverare hodie vnum caput viſibile Eccleſię, vagè, & indeterminatè, ſed determinatè, & in individuo, nempè in Innocent. XII. Explicatur, quia propterea eſt de fide vna Catholica Eccleſia, non ſolum vagè, ſed determinatè, & numericè iſta, quia alias non haberent homines certam de fide divina Eccleſiam pro vera fide invenienda, & ſalute aſſequenda, & quia ſola iſta numero Eccleſia habet notas, & ſigna verę Dei Eccleſię : Sed ſolus Innocent. XII. habet hodie notas, & ſigna veri capitis viſibilis Eccleſię; & aliàs ſi caput Eccleſię ſolum eſſet certum de fide vagè, & non individuo, non haberet Eccleſia certam regulam fidei ad veram fidem diſcernendam à falſa : Ergò. Vide rationes ſuprà expenſas *quæſt.* 6. & 7. nam illę ęquè probant eſſe de fide immediatè, & abſolutè vnum caput viſibile Eccleſię in individuo, ac vnam numero Eccleſiam, & facilè poſſunt applicari ad præſens; brevitatis enim gratia, illas hic non extendimus.

66. Confirmatur deniquè, quia revelatum, & de fide eſt, veram Eccleſiam Chriſti eſſe viſibilem in terris, vt oſtenſum manet ſuprà, *quæſt.* 5. *à num.* 37. Sed Eccleſia viſibilis eſſentialiter importat, vel ſaltèm integraliter caput viſibile : Ergò etiam eſt revelatum, & de fide caput verum huius Eccleſię eſſe viſibile, nam revelato Corpore perfecto viſibili, immediatè revelantur eiſdem revelationibus caput, & membra viſibilia, cum ſint partes intrinſecę ipſius : Sed evidens eſt omninò, non eſſe hodie aliud caput viſibile Eccleſię iſtius, nempè Romanę, niſi Innocent. XII. Ergò de fide eſt Innocent. XII. eſſe verum caput Eccleſię : Sed hoc eſt formaliſſimè eſſe verè Papam : Ergò de fide eſt Innocent. XII. eſſe verè Papam.

67. Explicatur, quia de fide eſt non ſeparari in Eccleſia iſta viſibili verum ipſius caput ſeù Chriſti Vicarium, à capite viſibili, & viſibili Vicario Chriſti, aliàs non eſſet contra fidem dicere, verum Chriſti Vicarium in terris non eſſe caput viſibile Eccleſię, aut caput viſibile Eccleſię non eſſe verum Chriſti Vicarium, quorum vtrumque hæreticum eſt, non minùs, quam dicere Eccleſiam Chriſti viſibilem non eſſe veram Chriſti Eccleſiam, & ſponſam, ſeù veram Chriſti ſponſam, & Eccleſiam non eſſe viſibilem : Sed evidens phyſicè, & metaphyſicè eſt non eſſe hodie in Eccleſia Chriſti aliud caput viſibile ipſius, niſi Innocent. XII. quia evidentiſſimum eſt Eccleſiam hodie aliud caput non videre, nec viſibiliter agnoſcere : Ergò de fide eſt immediatè, & ab-

abſolutè iſtum eſſe verum Chriſti in terris Vicarium.

SOLVVNTVR OBIECTA.

68. OBIJCITUR primo, præſertim contra primam probationem: Quamvis ſit immediatè revelata, & de fide illa vniverſalis: *Omnis ritè electus eſt verus Papa*, non indè ſequitur quod ſit abſolutè de fide, hunc numero, nempè Innoc. XII. eſſe verum Papam: Ergò. Probatur antecedens. Primo: Quia non eſt de fide hunc eſſe ritè electum. Secundo, à paritate Hoſtię conſecratę, nam licèt ſit de fide immediatè iſta vniverſalis: *Omnis Hoſtia ritè conſecrata continet Corpus Chriſti*, non infertur eſſe de fide immediatè, & abſolutè, quod iſta ſingularis Hoſtia, quę creditur conſecrata, contineat Corpus Chriſti: Ergò idem in noſtro caſu.

69. Communis ſolutio eſt, quod ex illa vniverſali: *Omnis ritè electus, &c.* cum certitudine morali de iſta, nempè *Innocent. XII. eſt ritè electus*, ſequitur quod ſit abſolutè de fide, hunc numero eſſe verum Papam: Et quia iſta certitudo moralis de rita electione cōcurrit in Papa pacificè electo, ſed non in Hoſtia ritè conſecrata, ideò prima ſingularis eſt abſolutè de fide, ſed non ſecunda. Sed hæc ſolutio iam ſatis improbata manet, tū quia forſan non eſt maior certitudo moralis, in vi ſolius certitudinis moralis, de rita electione Papę, quā de rita conſecratione Hoſtię, præſertim, ſi plures Sacerdotes in magno numero eam conſecrarent. Tum quia ſola certitudo moralis, quantumvis magna, de continenti ſingularis in vniverſali revelata ſufficere nequit vt ſingularis ſit abſolutè de fide ſine tacita conditione, vt oſtenſum manet.

70. Sed dices: Non minus pēdet fides rei revelatę ab evidentia credibilitatis, quam fides abſoluta de ſingulari à certitudine continentię illius ſub vniverſali revelata: Sed quamvis evidentia credibilitatis ſolūm ſit certa moraliter, ſolumque faciat revelationem moraliter certam, ſatis eſt vt fides ſit abſoluta: Ergò quamvis continentia ſingularis ſolum ſit certa moraliter, ſufficit vt fides de tali ſingulari ſit abſoluta. Sed contra: Quia evidentia credibilitatis nec eſt, nec conſtituit motivum formale fidei abſolutę de myſterio credibili, ſed conſiſtit in motivis, quę faciunt prudenter credibilem revelationem abſolutam de myſterio, quibus ſuppoſitis, ſola revelatio abſoluta vt talis eſt motivum adæquatum fidei: Attamen cōtinentia ſingularis in vniverſali revelata conſtituit eſſentialiter ſingularem ipſam ineſſe abſolutè revelatę, & revelationem vniverſalem ineſſe revelationis abſolutę de ſingulari, vndè intrinſecè conſtituit, licèt de connotato, motivum formale fidei abſolutę vt abſolotę, & non purè ſe tenet ex parte credibilitatis prævię: Sed licèt ex parte credibilitatis ſufficiat ſola certitudo moralis, ramen ex parte revelationis vt eſt motivum fidei non ſufficit, quod ptoponatur vt ſolum certa moraliter, ſed debet proponi cum certitudine, & infallibilitate metaphiſica: Ergò eſt ingens diſparitas. Minor patet, quia propterea ſufficit in motivis prudentis credibilitatis ſola certitudo moralis, qoia illis non innititur fides: Atqui fides abſoluta rei revelatę intrinſecè innititur revelationi abſolutę vt abſolutę rei revelatę; tanquam motivo formali: Ergò. Item, eſt alia diſparitas, quia myſterium eſſe abſolutè revelatum, non pendet ex motivis credibilitatis, poſſet enim aliquid eſſe abſolutè revelatum, quamvis non eſſet evidenter credibile: At implicat ſingularem eſſe abſolutè revelatam per revelationem vniverſalem, niſi ſit contenta ſub vniverſali. Vndè fides myſterij ſolum dependet à credibilitate evidenti, extrinſecè, & præſuppoſitivè, non tam in ratione fidei abſolotę, quam in ratione prudentis, vt ſuo loco dicam; ſed fides abſoluta ſingularis in vi revelationis vniverſalis pendet intrinſecè in ratione fidei abſolutę, à continentia ſingularis ſub vniverſali, quia pendet intrinſecè, & moti[illegible] ab eo quod ſingularis ſit abſolutè revelata: Ergò.

71. Mitto, quod evidens credibilitas myſteriorum reſpectu totius Eccleſię, licèt intrinſecè ſolum fundet certitudinem moralem, extrinſecè tamen connectitur metaphyſicè cum veritate myſteriorum, vt ſuo loco dicam, quia metaphyſicè infallibile eſt Deum non permiſſurum in præſenti providentia, quod toti Eccleſię fiat evidenter credibile myſteriom falſum, aut falſa revelatio: Sic ergò ſimiliter, licèt electio Papę pacificè conſumata, & promulgata, ex ſe, & intrinſecè ſolum fundet certitudinem moralem, tamen extrinſecè connectitor metaphiſicè cū valore electionis, & cum veritate Papę electi, quia metaphiſicè infallibile eſt in vi promiſſionis, & revelationis Chriſti, quod non permittet pacificè eligi, & proponi toti Eccleſię, vt verum Papam, eum qui validè electus, aut verus Papa non ſit: Non ergò ſufficit ſola certitudo moralis de validitate electionis, ſeù de continentia ſingularis in vniverſali revelata.

72. Sed dices ſecundo: Non requiritur ęqualis certitudo continentię cum certitudine fidei habendę de ſingulari: Ergò ſufficit moralis tantum. Antecedens probatur, primo quia

quia non requiritur certiudo fidei, ſiquidem non requiritur quod continentia ſingularis in vniverſali ſit de fide: Sed quælibèt alia certitudo eſt minor: Ergò non requiritur ęqualis. Secundo: Quia in vi illius vniverſalis: *Omnis homo eſt mortalis*, quę revelata eſt, eſt omninò abſolutè de fide iſta ſingularis: *Petrus eſt mortalis* Et tamen continentia iſtius ſub illa non eſt ęquè certa ac fides, quia ſolum eſt certa certitudine evidentię naturalis, quę eſt minor, quam certitudo fidei: Ergò non requiritur ęqualis certitudo. Reſpondeo, diſtinguendo antecedens: Non requiritur ęqualis certitudo, nec certitudo metaphiſic è infallibilis, nego antecedens: Requiritur tamen certitudo metaphyſicè infallibilis, ſubdiſtinguo: Ad fidem ſingularis intrinſecè abſolutam, concedo antecedens: Ad fidem extrinſecè abſolutam, & tacitè conditionatam, nego antecedens, & cõſequentiam in eodem ſenſu. Itaque ad fidem intrinſecè abſolutam de ſingulari, de qua modo loquimur, requiritur certitudo omninò, ſeù metaphyſicè infallibilis de continentia ſingularis ſub revelatione vniverſali, vi cuius creditur abſolutè, quia requiritur talis certitudo, quę nullam fallibilitatem relinquat in fide: Iſta autem certitudo non requiritur quod ſit fidei, nec ęqualis cum certitudine fidei, quia ſatis eſt quod ſit certitudo metaphyſica naturalis evidentię, quo pacto eſt certa continentia huius ſingularis: *Petrus eſt mortalis*, ſub illa vniverſali: *Homo eſt mortalis*, quia metaphyſicè infallibile eſt, quod *Petrus eſt homo*, & ideò ſufficit hæc certitudo, ſed non ſufficit moralis, quia hæc relinqueret fidem fallibilem phyſicè, & metaphyſicè.

73. Sed contra replicabis primo: Quia indè ſequitur, non eſſe abſolutè de fide, quod Cicero contraxit peccatum originale, aut quod fuit mortalis. Secundo ſequitur, nec ſufficere certitudinem purè phyſicam, & naturalem de eo quod aliquis ſit homo, vt ſit abſolutè de fide ipſum eſſe mortalem, aut conceptum in peccato: Quia huiuſmodi certiudo fallibilis eſt metaphyſicè, poteſt enim quis falli exiſtimans hominem, eum qui evidentia naturali apparet homo, vt contigit Filio Tobię, qui Angelum Comitem evidentia naturali putabat hominem, & tamen fallebatur: Hoc antem ſi dicatur, de nullo ſingulari poterimus habere fidem omninò abſolutam, quia de ſingularibus aliam certitudinem habere nõ poſſumus, quam purè phyſicam à ſenſibili experientia, quę tamen abſolutè fallibilis eſt: Sed hoc eſt abſurdum: Ergò.

74. Reſpondeò, quod de Cicerone, & alijs individuis, de quorum exiſtentia, & realitate ſolum eſt certitudo moralis, ſolum eſt de fide extrinſecè abſoluta, & tacitè conditionata ipſos contraxiſſe peccatum originale, aut fuiſſe de facto mortales, aùt quidquid aliud revelatum eſt in genere de omnibus hominibus, ſed non eſſe de fide intrinſecè abſoluta, & ſine illa tacita conditione, *ſi re ipſa extiterint, ſicut narratur*; nam ad hoc neceſſaria erat maior certitudo, quam moralis, de eo quod re ipſa fuerint in rerum natura. Ad ſecundam, dico, non ſufficere certitudinem purè phyſicam re ipſa fallibilem, ſicut eſt certitudo de ſingularibus purè deſumpta à ſenſibili experientia, vt de talibus fides divina ſit intrinſecè abſoluta, quod patet exemplo ipſo arguentis, quia Filius Tobię ſanè credebat fide divina: *Omnem hominem eſſe mortalem*, & habebat ſenſibilem evidentiam de eo, quod *Comes ſui itineris homo erat*; & tamen non habebat fidem intrinſecè abſolutam de eo quod illę, quam occulis videbat, erat mortalis, alias fides divina in illo falſa fuiſſet: Sequitur ergò quod fides divina reſpectu ſingularium vt purè cadunt ſub experientia ſenſibili, & fallibili, quando ſolum nititur revelationi vniverſali, ſolum eſt reſpectu illorum extrinſecè abſoluta, ita vt ſi forſan fallatur, non fallatur intrinſecè in ſe ipſa, ſed ſolum in certitudine illa ſenſibili de purificatione conditionis, vi cuius denominatur extrinſecè abſoluta; intrinſecè autem ſolum eſt tacitè conditionata: Si verò conſideretur fides divina reſpectu ſingularium re ipſa, & intelligibiliter talium, de quibus ſit metaphyſica evidentia, quod ſunt individua humanę naturę, abſque omni falibilitate, ſic reſpectu eorum fides poteſt eſſe intrinſecè abſoluta, & ſine tacita conditione: Et ſimiliter de ſingularibus revelatis expreſsè in Sacro Textu.

75. Si verò dicas: Innocent. XII. eſt ſingularis, cuius exiſtentia ſolum conſtat ſenſibiliter, & ad ſenſum: Ergò non erit de fide intrinſecè abſoluta ipſum eſſe verum Papam, ſiquidem poſſunt falli ſenſus circa ipſius realitatem, ita vt re ipſa non ſit homo. Reſpondeo, negando antecedens: Quia de fide eſt Pontificem viſibilem, viſibiliter Eccleſię propoſitum eſſe re ipſa Pontificem, ſicut Eccleſiam viſibilem eſſe re ipſa veram Chriſti Eccleſiam, & è contra, vt ſuprà diximus *num.* 64. Vnde in hoc, ſuppoſitis Chriſti revelationibus, non poſſunt falli ſenſus, & viſibilis experientia, de alijs verò ſingularibus non ſunt Chriſti revelationes, nec promiſsiones, vndè de alijs creditur cum tacita conditione, de Pontifice tamen ſingulari nec tacita debet apponi conditio, quia revelatum eſt Caput Eccleſię verum fore viſibile, & quod

Ca-

Digitized by Google

Caput Eccleſię viſibile eſt verum Ipſius Caput. Vide *ſuprà*. Sed dices reſpectu noſtri, ſaltèm eſt fallibile quod actu viuat, forſan enim obijt Iam : Ergò fides de ipſo non poteſt eſſe omninò abſoluta. Reſpondeo, hanc conditionem, *ſi viuit*, ſemper eſſe ſubintelligendam, nec hanc excludimus, cum dicimus fidem de illo eſſe omninò abſolutam, ſed ſolum alias per ſe occultas etiam videntibus Illum, adhùc ex ſuppoſitione quod viuat, quę poſſent eius infallibilem authoritatem minus certam reddere.

72. Melius ergò ad præcipuam obiectionem reſpondeo, diſtinguendo antecedens: Non Indè ſequitur, quod ſit abſolutè de fide Innocent. XII. eſſe verum Papam,ex illa vniverſali præcisè,cócedo:Ex illa,& ex eo quod omnino infallibile eſt Innoc.XII.cótineri ſub illa,hoc eſt,eſſe validè electú, nego antecedens. Ad cuius probationẽ, diſtinguo antecedẽs:Nó eſt de fide immediatè, quod Innocent.XII. ſit ritè electus, ommitto antecedens : Nec mediatè, nec immediatè, nego antecedens : Quia ſolum requiritur quod ſit infallibile omninò ipsú eſſe validè electum;ad hoc autẽ ſufficit,quod ſit de fide,vel immediatè,vel mediatè hoc eſt,quod ſit immediatè revelatum,vel quod infallibiliter inferatur ex revelatis : Hoc autem modo de fide eſt, & infallibile illam electionem fuiſſe validam, quia revelatum eſt Eccleſiam non poſſe errare in proponendis vniverſaliter rebus fidei, & etiam regi eam à Spiritu Sancto in conſumanda, abſolvenda,& promulganda illa electione : Hoc autem vel formaliter eſt electionem illam ſemèl pacificè promulgatam non poſſe eſſe nullam, vel ſaltèm id ex illo infertur per conſequentiam infallibilem omninò. Ad ſecundam probationem, patet diſparitas, quia minimè infallibile eſt Hoſtiam ſingularem eſſe ritè, aut validè conſecratam, nec de hoc eſt revelatio Immediata, nec mediata, ſed ad ſummum certitudo moralis abſolutè fallibilis, quę minimè ſufficit, vt oſtenſum manet : At, electionem Innocent. XII. fuiſſe validam eſt omninò, & abſolutè infallibile In vi revelationis, vel promiſsionis Chriſti, ſicut oſtenſum manet.

77. Sed replicabis : Non poteſt eſſe de fide nec mediatè, nec immediatè electionem illam fuiſſe validam:Ergò ruit ſolutio.Probatur antecedens, quia vt illa electio ſit valida plura requiruntur,quę non ſunt de fide,nec immediatè, nec mediatè : Sed non poteſt eſſe de fide nec mediatè, nec immediatè electionem illam eſſe validam,niſi ſint de fide omnia requiſita ad valorem illius : Ergò. Probatur maior, quia vt electio illa ſit valida requiritur, quod ſit facta à duabus partibus Cardinalium, quod illi ſint verè Cardinales, quod nó ſit facta per ſimoniá, quod electus nó ſit hæreticus ſatẽ manifeſtus, quod ſit vir, quod ſit mentis compos,vt vidimus ſuprà *num.* 4. Sed hæc omnia non poſſunt eſſe de fide,nec immediatè, nec mediatè, quia nec mediatè, nec immediatè ſunt revelata: Ergò. Reſpondeo, ex his requiſitis,aliqua eſſe ita eſſentialiter requiſita,quod nec Eccleſia poſſit ſupplere defectum illorum, vt quod ſit baptizatus, vir, mentis compos,validè ordinatus,&c. Et huiuſmodi requiſita, ſuppoſita pacifica electione,ſivè pacificè abſoluta,& promulgata, ſunt Immediatè de fide, & mediatè revelata, quia infallibiliter inferuntur ex revelatis, nempè ex aſsiſtentia Spiritus Sancti infallibiliter promiſſa Eccleſię, ne erret in rebus fidei proponendis,ex perpetua duratione dignitatis,ſeù Cathedrę Petri, revelata à Chriſto, & Eccleſię vnitate viſibili revelata, cum ſuo Paſtore, Iuxta illud. *Erit vnum Ovile, & vnus Paſtor.* Ex his enim, vt oſtenſum iam manet In probationibus concluſionis, infallibiliter infertur, Eccleſiam non poſſe errare circa conditiones eſſentiales validę electionis,& electum,ex ſuppoſitione quod ſit electus, & promulgatus pacificè, propoſituſque Eccleſię, illis conditionibus carere non poſſe. Alià autem ſunt requiſita, quę Eccleſia ſupplere poteſt, nempè quod electio ſit à duabus partibus Cardinalium, quod omnes illi ſint verè Cardinales, quod nullus ſufragetur per ſimoniam, aut per metum, & de his certum quidem eſt, poſſe annullare electionẽ,ſi allegentur antequam electio pacificè abſolvatur, & promulgetur,cæterum ſi talia capita nullitatis non allegentur antea, ſed illis ignoratis, aut diſſimulatis, electio abſolvatur,& promulgetur pacificè,nullo rationabiliter reluctante, infallibile iam manet, vel illos defectus non intervenisſe,vel Eccleſiam illos ſupplere, vt poteſt. Nec obſtant Canones In contra, quia ſi Canones declarant illos defectus annullare electionem, debet intelligi modo explicato, nempè ſi allegentur ante pacificam eius promulgationem, non autem abſolutè, quia nullus Pontifex, nec Concilium potuit decernere, quod ex illis capitibus, quamvis non allegatis in tempore,electio maneret nulla, & Papa nullus, adhùc, poteſt pacificam eius promulgationem,& acceptationem. Vodè in forma, nego antecedens. Ad probationem,diſtinguo maiorem:Plura requirútur, ex his, quę Eccleſia ſupplere non poteſt, quę non ſunt de fide nec immediatè, nec mediatè, ſuppoſita pacifica electione, & eius promulgatione, nego maiorem : Ex his quę Eccleſia ſupplere poteſt, ſub diſtinguo:Quę non ſunt de fide mediatè,nec imme-

te de fide divina, quod anteà de fide divina non ſupponitur. Secundo: Quia Eccleſia acceptans eſt reliquum Corpus Eccleſię, cõfuſum, ſine Capite, & ſine vnitate, quia præter Collegium Cardinaliũ, quod electionẽ promulgat, ſolum reſtat Clerus inferior, & turba Fidelium, in qua, præciſivè à tali Collegio, & à Papa nondum acceptato, nulla datur vnitas Capitis, nec Congregationis, quia non eſt congregata per modum Concilij: Sed in Corpore Eccleſię ſic ſumpto non datur authoritas infallibilis faciendi de fide, quod de fide non eſt: Ergò per Eccleſię acceptationẽ non fit de fide quoad nos, electum eſſe verum Papam. Quoad quintam denique partem etiam probatur, quia authoritas infallibilis Papę debet præſupponi antequam definiat; non enim propterea habet authoritatem infallibilem in definiendo, quia definit, ſed propterea definit infallibiliter, quia habet authoritatem infallibilem in definiendo: Ergò ſi antequam definiat, nõ habet authoritatẽ infallibilem definiendi, nec illam habebit in ipſo actu definiendi: Sed non habet talem authoritatem infallibilem niſi ſit de fide ipſum eſſe verum Papam: Ergò ſi non eſt de fide ipſum eſſe verum Papam antequam definiat, nec in ipſo actu definiendi erit de fide quod ſit verus Papa. Explicatur: Si antequam definiat, non eſt de fide quod eſt verus Papa: Ergò nec eſt de fide quod habet authoritatem infallibilem in definiendo, quia in hac authoritate potiſsimè conſiſtit Dignitas Papę: Si autem hoc non eſt de fide: Ergò antequam actu definiat, non eſt de fide iſta conditionalis: *Si definiat, definitio eius erit infallibilis*: Ergò cum definierit, eius definitio non erit de fide credenda, nec infallibilis: Sed per definitionem, quam eſſe infallibilem non eſt de fide, non poteſt fieri de fide definientem eſſe verum Papam: Ergò.

91. Hoc argumentum exigit, quod determinemus, quando incipiat eſſe de fide quoad nos, electum eſſe verum Papam. Dico ergò primo, quod antequam pacificè eligatur, non eſt de fide, immò nec re ipſa eſt verus Papa. De hoc nemo dubitat, quia vt ſuprà oſtendimus, Chriſtus non inſtituit hanc dignitatem vt tranſituram ad Succeſſores, niſi per electionem Eccleſię. Dico ſecundo, quod ritè electus, ſed nondum pacificè promulgatus, eſt quidem re ipſa iam verus Papa, ſed nondum eſt de fide quoad nos. Primum patet, quia Chriſtus ad conferendam re ipſa Dignitatem illam Apoſtolicam vnicè expectat deſignationem perſonę faciendam ab Eccleſia, huiuſmodi autem deſignatio fit conſummatè, & abſolutè, quando electio in ratione electionis conſummatur, & abſolvitur pacificè. Et item, quia quando Eccleſia repræſentata in S. Collegio Cardinalium promulgat electionem, & proponit electum vt verum Papam, non proponit vt verum Papam, niſi eum, quem iam ſupponit verum Papam, promulgatio enim illa, & propoſitio iam non eſt deſignativa perſonę vt fiat verus Papa, nec factiva veri Papę, ſed ſolum declarativa veri Papę: Ergò pro priori debet iam ſupponi electus vt verus Papa, alias declararet Eccleſia, quod verum non eſſet, ſed falſum ante ipſam declarationem. Secundum etiam patet, & rectè probatur in argumento, quia quod Corpori Eccleſię non eſt promulgatum, ſeù ſufficienter propoſitum, non eſt de fide quoad nos, quamvis in ſe verum ſit, & infallibile.

Dico tertio Antequam Papa ex Cathedra definiat aliquid debet iam ſupponi de fide abſolutè quoad nos ipſum eſſe verum Papam. Patet, tum quia hoc rectè probatur in argumento. Tum, quia etiam id ipſum probat ratio ſecunda pro Concluſione *ſuprà num. 55.* vt eam expendenti patebit.

Nec obſtat, ſi dicas: Satis proviſum eſſe infallibilitati fidei, & Eccleſię, ſi promiſsiones Chriſti intelligantur disiunctim, ità vt ſolum promiſſerit vnum è duobus, nempè vel non permiſſurum, quod invalidè electus habeatur ab Eccleſia vt verus Papa, vel quod ſi habeatur, non permittet quod aliquid definiat, & proponat ex Cathedra; nam hoc aſſeverato, firma, & ſecura maneret certitudo fidei: Sed ad hoc vnicè factę ſunt Chriſti promiſsiones, vt Eccleſia nunquam falli poſſet in fide, & vt Cathedra Petri eſſet infallibilis in rebus fidei proponendis: Ergò debent intelligi in illo ſenſu conditionato, aut disiunctivo: Sed ſic intellectę non faciunt de fide abſolutè, & determinatè, pacificè electum eſſe verum Papam, ſed ſolum faciunt de fide disiunctim, vel quod eſt verus Papa, vel quod Deus nihil permittet eum ex Cathedra diſinire: Ergò vſque dum conſtet eum aliquid definiviſſe, non erit de fide abſolutè eum eſſe verum Papam. Non inquam, obſtat, tum quia promiſsiones Chriſti, non ſolum ſunt factę a fine vt Eccleſia non fallatur in rebus ex Cathedra Petri definitis, ſed etiam vt habeat certam, & infallibilem poteſtatem clavium, adquam Fideles cum firma ſpe poſſint recurrere pro remiſsione peccatorum, & Indulgentia conſequenda, id enim promiſſit, cum dixit: *Tibi dabo claves Regni Cælorum*: hanc autem poteſtatem ſtatim incipit exercere Summus Pontifex. Tum, quia etiam illę promiſsiones ordinantur vt Eccleſia ſit perfectè, & verè vna, verè & infallibiliter coniuncta vno Capi-

pro illo munere S. Collegio Cardinalium, ac proindè in illo Collegio viuit virtualiter authoritas Pontificum præcedentium, & totius Eccleſię cum capite. Tum quia electus de novo, acceptando in ſe talem electionem, & oſtendendo ſe vt verum Papam, quaſi confirmat ſui electionem, & authorizat promulgationem. Nec in contra eſt, quod ipſe non poſsit facere de fide ſe ipſum, nam declarativè, & per modū proponentis eſt ipſe ratio ſui, & cæterorum, cum ſit primum in ſuo genere, & ſic poteſt cum Collegio Cardinalium ſe ipſum declarare vt verum Papam: Quod quidem conſtat ab actu ipſo; nam plures Pontifices definierunt eum Concilio vniverſali Pontificem Romanum eſſe verum Succeſſorem Div. Petri, & Vicarium Chriſti. Vidè ſuprà *quæſt. 9. à num.* 4.

94. Obijcies tertio: Non eſt immediatè de fide, quod non eſt immediatè revelatum, nec definitum: Sed non eſt immediatè revelatum, nec definitum de hoc numero homine, nempè de Innocent. XII. eſſe verum Papam, quia talis numero hominis nulla mentio ſit in Sacro Texto, nec in definitionibus Eccleſię, nec poteſt haberi ex tradirione immemoriali, cum ſit factum novum: Ergò non eſt immediatè de fide. Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem, quia vt aliquid ſit immediatè revelatum, non requiritur, quod expreſsis terminis, & proprio nomine inveniatur in Scriptura, ſed ſufficit, quod in ea reveletur quoad ſenſum, & quod talis ſenſus conſtet ex Eccleſię traditione, ſeù communi PP. intelligentia: Patet autem quod Chriſtus expreſsè revelavit Petram, ſupra quam fundatur Eccleſia, eſſe Div. Petrum, vt Eccleſię Paſtorem, & hanc firmam ſemper futuram in Eccleſia, ita vt portę inferi non prævalerent adverſus eam; hoc autem ex perpetua Eccleſię traditione, & communi PP. intelligentia non alium ſenſum habet, niſi Dignitatem Petri firmam, vetam, & infallibilem perſeveraturam in omnibus, & ſingulis Petri Succeſſoribus viſibiliter vſque ad diem iudicij, quin vnquam deficiat verus illius Succeſſor, niſi in Sede Vacante, & tempore ſchiſmatis, ac proindè, quod hodie, dum non eſt tempus Sedis Vacantis, nec ſchiſmatis, ille numero, qui viſibiliter regit Eccleſiam in Sede Petri, ſit verus Succeſſor Petri, & verus Papa, ſeù Chriſti Vicarius.

95. Obijcies quarto: Qui negat propoſitionem, quę immediatè eſt de fide, eſt formalis hæreticus: Sed qui negaret hanc propoſitionem: *Innocent. XII. eſt verus Papa*, non eſſet formalis hæreticus: Ergò illa non eſt immediatè de fide. Diſtinguo maiorem; qui negat talem propoſitionem pertinaciter, poſt ſufficientem promulgationem, concedo: Si aliter negat, ex ignorantia, aut non ſufficienti promulgatione, nego minorem: Et diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam, quia ſi quis nunc ſcienter, poſtquam ſatis eſt promulgata electio pacifica huius numero Papę, negaret ipſum eſſe verū Papā, & Vicarium Chriſti in terris, abſdubio eſſet formalis hæreticus, licèt talis non eſſet, ſi ex ignorantia, aut non ſufficienti promulgatione id negaſſet.

96. Obijcies quinto. Non eſt immediatè de fide, quod Iulius II. Eugenius IIII. & ſic de alijs præteriti temporis, fuerint Verè Papę: Sed eadem eſt ratio de Innocent. XII. nunc regnante: Ergò nec eſt immediatè de fide iſtum eſſe verum Papam. Maior patet, quia illos fuiſſe Papas ſolum conſtat ex hiſtorijs humanis: Ergò non eſt de fide divina. Confirmatur primo: Quia definitiones fidei factę à Prædeceſſoribus ſunt immediatè de fide, quamvis non ſit immediatè de fide ipſos fuiſſe verus Papas: Ergò opus non eſt, quod ſit immediatè de fide definientem eſſe verum Papam, vt ſit immediatè de fide articulus ab ipſo definitus, contra rationem ſuprà expenſam *num.* 53. Confirmatur ſecundò: Vt hodie Innocent. ſit verus Papa, requiritur eſſentialiter quod hodie viuat: Sed non eſt de fide, adhùc mediatè, immò nec certum moraliter ipſum hodie viuere: Ergò nec quod ſit verus Papa. Patet conſequentia, quia vt aliquid ſit abſolutè de fide exigitur quod conditiones eſſentiales ad illud requiſitę ſint de fide, ſaltèm mediatè, aut certę Theologicè, vel ad minus certitudine morali.

97. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: Si de illis perſeveret in Eccleſia traditio infallibilis tamquam de veris Pontificibus, nego maiorem: Si de illis ſolum detur traditio moraliter certa, ſubdiſtinguo: Non eſt de fide intrinſecè abſoluta, ſine tacita illa conditione, *ſi verè extiterint, & pacificè obtinuerint Cathedram Petri*, illos fuiſſe veros Papas, concedo: Non eſt de fide extrinſecè abſoluta, & cum tacita illa conditione, nego maiorem, & minorem: Quia de aliquibus Prædeceſſoribus in Cathedra D. Petri extat hodie in Eccleſia infallibilis traditio, præſertim de illis, de quibus extant definitiones fidei, in quibus traditionibus conſervandis Eccleſia eſt infallibilis omninò; & de iſtis, eſt de fide intrinſecè abſoluta quod fuerint veri Papę, nec eſt neceſſarium ſubintelligi conditionem præfatam, quia eorum Pontificatus non conſtat ex hiſtorijs purè humanis, vt humanis, ſed ex Eccleſię traditione, quę habet ex aſsiſtentia Spiritus Sancti, in his traditioni-

tam relinquimus, quę quidem minimè probant de vno numero Sacramento, nec baptiſmi, nec Euchariſtię, nec alio, & hæc eſt ſufficiẽs diſparitas. Inſtarique poteſt in Eccleſia viſibili, quę eſt de fide, non ſolum vagè, ſed determinatè, & numericè iſta, quin indè liceat inferre idem de Sacramento vllo.

100. Obijcies ſexto: Demus, quod eligeretur in Papam nondum Sacris innitiatus, & quod pacificè promulgaretur: Tunc ſanè nondum eſſet verus Pontifex, quia non haberet poteſtatem Clavium: Ergò non eſt de fide quod omnis ritè electus eſt verus Papa. Hoc argumentum non ſolum eſt contra propoſitionem ſingularem, de qua procedit quæſtio, ſed contra vniverſalem, quam omnes ſupponunt de fide, & probat eã nõ ſolũ non eſſe de fide, ſed eſſe falſam; vndè quia nimium probat, nihil probat. Dico ergò, quod cum eligitur nondum Sacris innitiatus, non eligitur pro vero Papa adæquatè ſtatim futuro, ſed poſt conſecrationem, vndè illa electio non habet adæquatum effectum, nec intelligitur adæquatè cõſumata, quovſque electus Sacris innitietur, vndè nihil mirum quod eò vſque electus non ſit verus Pontifex adæquatè, quia nec Cardinales hoc declararunt, nec promulgarunt, ſed ſolum quod poſtquam fuerit conſecratus ſit adæquatè verus Pontifex.

101. Sed dices: Demus, quod Epiſcopus Hoſtenſis, cui de iure attinet ipſum ordinare, & conſecrare, vel non ſit verus Epiſcopus, vel nolit habere intentionem, id ſanè poſsibile eſt: Sed eo ipſo, adhùc conſecratus non eſſet verus Papa: Ergò non eſt de fide divina ipſum, adhùc Sacris innitiatum, & conſecratum, eſſe verum Papam. Reſpondeo, quod licèt ſecundum ſe, & ex terminis ſit poſsibilis ſuppoſitio facta, tamen ex ſuppoſitione promiſsionis Chriſti, & revelationis ipſius de ſoliditate, & firmitate illius Apoſtolicę Petrę, eſt conſequenter impoſsibilis talis ſuppoſitio ſquidem manet infallibile, quod Chriſtus non relinquet Eccleſiam ſuam falli exiſtimando verum Chriſti Vicarium, cui Chriſtus tradiderit Claves Regni Cœlorum, illum qui tales Claves re ipſa non habeat, & ideò ad Chriſti regimen, & providentiam ſpectat impedire talem ſuppoſitionem factam, vel illam detegere Eccleſię, vitando quod pacificè promulgetur vt verus Ianitor Regni Cœlorum, qui talis verè non ſit.

102. Obijcies ſeptimo: Poteſt Papa ſemèl electus, & promulgatus pacificè, incidere in hæreſim, ſaltèm occultam: Sed tunc deſineret eſſe verus Papa, quia deſineret eſſe verum Caput Eccleſię, & hoc quamvis pacificè electus, & acceptatus: Ergò non eſt de fide omninò abſolutè ipſum eſſe verum Papam. Reſpondeo, de hoc varias eſſe ſententias, nam aliqui tenent, Papam in ſenſu compoſito Pontificatus non poſſe eſſe hæreticum adhùc occultum, ac proindè ex quo deſineret eſſe Fidelis, deſineret eſſe Caput Eccleſię; & verus Papa; ſed negant caſum poſsibilem de hæreſi omninò occulta Eccleſię. Alij inquiunt, quod, quamvis hæreticus occultus, adhuc eſſet verus Papa. Alij quod etiam ſi eſſet manifeſtus, vſque dum ab Eccleſia per Concilium deponeretur. Alij quod eo ipſo, quod eſſet hæreticus manifeſtus, ipſo facto eſſet depoſitus. Quam ex iſtis ſententiam veriorem iudicem, forſan infra dicam. Nunc, abſtrahendo ab his ſententijs, diſtinguo maiorem: Si minor ſit vera, nego maiorem: Si minor ſit falſa, concedo maiorem, & nego minorem: Quia implicat perſeverare ineſſe promulgati, & pacificè acceptati ab Eccleſia, ſemèl quod re ipſa ſit depoſitus ab illa dignitate veri Papę, & Paſtoris vniverſalis Eccleſię, vndè ſi hæreſis occculta aut manifeſta ponatur incompoſsibilis eum ea dignitate, dicendum eſt, non poſſe contingere in vi promiſsionis Chriſti; quod Papa pacificè acceptus in ſenſu compoſito ſit occultè hæreticus, & cõſequenter nec manifeſtus: Si verò contendas talem poſſe eſſe, dicendum eſt, non eo ipſo amittere illam dignitatem, ſed re ipſa manere Papam, vſque dum per Eccleſiam deponatur, aut ſaltèm Eccleſię manifeſtetur. Quia licèt de hoc poſsint eſſe opiniones, vnum tamen vt certum citra dubiũ, & opinionem tenendum eſt, nempè, non poſſe Eccleſiam falli, nec proponendo, nec acceptando vt verum Papam, eum, qui verus Papa non ſit.

AN SIT DE FIDE ESSE DE fide propoſitionem, de qua eſt quæſtio.

103. DENIQUE obijcies: Si eſſet de fide illa propoſitio: *Innocent. XII. eſt verus Papa*: Contraria ſententia eſſet hæretica, ſiquidẽ hæreticum eſt negare id quod eſt de fide: Sed hoc dici nequit, quia graviſsimi Authores Catholici tenent contrariam ſententiam: Ergò non eſt de fide, præſertim quoad nos. Minor patet, quia vt videre eſt in PP. Salmant. *diſput. 4. dub. 2. à num.* 28. Cardinalis Turrecremata, *lib. 4. Summę, part. 2. cap. 9. in fine*, Caietanus 2 2. *quæſt. 2. art. 3. ad* 4. Caſtro *lib. 1. adverſus hæreſes, cap.* 9. Cano *lib. 6. de locis cap:*

cap. 8. *in reſp. ad* 10. Cordova *lib.* 1. *quæſt.* 17. §. 2. Bañez 2. 2. *quæſt.* 1. *artic.* 10. Malderus *in præſent. art.* 10. *diſp.* 5. Araojo *in præſ. dub.* 2. *vol.* 2. Horum verba referunt PP. Salm. ex quibus apertè colligitur omnes iſtos Authores renere, contra noſtram ſententiam, quod non ſit abſolutè, & immediatè de fide hunc hominem eſſe verum Papam: Et hanc ſententiam, noſtrę contrariam, minimè eſſe hæreticam, tenent vel poſitivè, vel negativè omnes Authores, qui noſtram toentur: Siquidem aliqui poſitivè affirmant illam non eſſe hæreticam, vt Salm. aliqui eam admittunt vt probabilem, vt Azor. *lib.* 4. *cap.* 5. §. *In hac controverſia*: Ergò noſtra ſententia non eſt de fide, nec contraria hæretica.

104. Vt huic argumento fiat ſatis, diſtinguendę ſunt ſigillatim iſtę propoſitiones. Prima: *Innocent. XII. eſt verus Papa.* Secunda: *Immediatè de fide eſt, Innocent. XII. eſſe verum Papam.* Tertia: *De fide eſt, eſſe de fide, Innocent. XII. eſſe verum Papam.* Prima eſt directa, ſecunda primò reflexa qualificativa directę; quia primò reflectit ſupra directam deſignando qualificationem illius, nempè, quod eſt de fide, tertia ſecundò reflexa, qualificativa primę reflexę. Prima eſt ſubiectum præſentis quæſtionis primò reflexę, quia primò reflectentes ſupra illam, de illa diſputamus, an ſit de fide: Secunda eſt ſententia noſtra in quæſtione primò reflexa, quę poteſt proponi vt ſubiectum quæſtionis ſecundò reflectentis, & inquirentis, an ſit etiam de fide. Tertia eſt deciſio, quę poſſet correſpondere huic quæſtioni ſecundò reflexę. Item ſubiectum primę propoſitionis eſt ſolum *Innocent. XII.* ſubiectum ſecundę eſt prima propoſitio, ſubiectum tertię eſt ſecunda propoſitio. Hæc quidem clarè percipiet, qui attentè inſpexerit prædictas propoſitiones, proptereàque ita diſtinctè eas diſcerno, quia video maximam difficultatem præcedentis argumenti conſiſtere in eo, quod facillimè arguens, & reſpondens confundunt, & ęquivoçant vnam cum alia, & hac quidem diſtinctione præmiſſa.

105. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: Contraria ſententia eſſet hæretica, contraria, inquam, noſtrę, quę eſt ſecunda propoſitio ex annumeratis, ſeù primò inflexa, nego maiorem: Contraria directę, quę eſt ſubiectum præſentis quæſtionis, & de qua defendimus eſſe de fide, concedo maiorem, quia directa eſt iſta: *Innocent. XII. eſt verus Papa,* & huic contraria eſt iſta: *Innocent. XII. non eſt verus, ſed falſus Papa.* Hæc autem hæretica eſt, & hæretica pronunciari poteſt abſque vllo inconvenienti, quia nullus Catholicus eam aſſeruit, nec aſſerere poteſt perſeverando in Catholica fide; nam quis Catholicus vnqoam pronunciavit de Papa præſenti, pacificè electo, & promulgato: *Iſte non eſt verus, ſed falſus Papa?* Sane nullus. Si autem ſermo ſit de ſententia contraria noſtrę ſententię, nempè, primò reflexę, illa ſanè non eſt hæretica, quia contraria illi eſt iſta primo reflexa: *Non eſt immediatè de fide Innocent. XII. eſſe verum Papam*: Hæc autem non eſt hæretica, ſiquidem plures DD. Catholici illam docent quin hucuſque eam Eccleſia damnaverit, aut proſcripſerit: Et item, quia noſtra ſententia, nempè primò reflexa, cui prædicta propoſitio contrariatur, non eſt de fide, nec illam vt de fide defendimus; ſed ſolum vt veram, non enim defendimus: *Quod eſt de fide, eſſe de fide Innocent. XII. eſſe verum Papam*, nam hæc eſt tertia propoſitio ex annumeratis, & ſecundò reflexa, quam modo non defendimus, ſed potius eam falſam reputamus. Sed ſolum defendimus ſecundam, non tanquam de fide, ſed vnicè tanquam veram, ſtat autem, quod ſit vera, quin ſit de fide, vt per ſe patet.

106. Eſt dicere: Hæc directa: *Innocent. XII. eſt verus Papa*, eſt de fide immediatè: Hæc autem primò reflexa: *De fide eſt immediatè Innocent. XII. eſſe verum Papam*, non eſt de fide, ſed ſolum vera cum magna probabilitate: Hæc autem ſecundò reflexa: *De fide eſt eſſe de fide Innocent. &c.* nec de fide, nec vera eſt, ſed falſa: Item contraria primę directę, nempè iſta: *Innocent. XII. non eſt verus Papa*, eſt hæretica: Contraria primò reflexę, nempè iſta: *Non eſt immediatè de fide Innocent. XII. eſſe verum Papam*, eſt falſa, ſed non hæretica: Contraria verò ſecundò reflexę, nempè iſta: *Non eſt de fide, eſſe de fide Innocent. &c.* nec hæretica, nec falſa, ſed vera eſt.

107. Sed replicabis: Non poteſt eſſe de fide prima, id eſt, directa, niſi ſit de fide eſſe de fide: Ergò ruit ſolutio. Probatur antecedens, primò, quia non poteſt eſſe de fide illa directa, niſi ſit de fide ipſam eſſe revelatam: Sed ſi eſt de fide ipſam eſſe revelatam, eſt de fide ipſam eſſe de fide, ſiquidem quod ſit de fide conſiſtit formaliter in eo, quod ſit revelata: Ergò. Secundo, quia ſi ſolum ſit probabile, licèt maxima probabilitate, quod ſit de fide, ſolum erit probabile ipſam eſſe revelatam: Sed cum ſola probabilitate de eo, quod ſit revelata, non poteſt eſſe de fide, ſiquidem non ſufficit notitia probabilis revelationis, vt aliquid ſit de fide, vt iam definitum eſt: Ergò. Tertio. Quia vt ſit de fide quoad nos, in quo ſenſu procedit quæſtio, illa directa, opus eſt, quod omnes Catholici teneantur illam credere fide divina, ſi-

qui-

quidem requiritur, quod ſit revelata, & ſufficienter propoſita toti Eccleſiæ tanquam revelata: Sed ſi non eſt de fide, eſſe de fide, non omnes tenentur illam credere fide divina, nam poterunt probabiliter Catholici exiſtimare, illam non eſſe de fide, & qui hoc exiſtimaverint, non tenebuntur illam credere fide divina, ſiquidem probabili opinione excuſabuntur: Ergò.

208. Reſpondeo, negando antecedens. Ad primam probationem diſtinguo maiorem: Niſi ſit de fide exercitè, & vt *quo*, ipſam eſſe revelatam, concedo maiorem: Niſi ſit de fide ſignatè, & vt *quod* ipſam eſſe revelatam, nego maiorem, & diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam, quia vt ſit de fide exercitè, & vt *quo*, directam illam ſigularem eſſe revelatam, ſatis eſt, quod ſubiectum illius proponatur ab Eccleſia cum infallibili, ſeù ſufficienti certitudine, vt contentū in illa revelatione vniverſali, *omnis ritè electus, &c.* nam eo ipſo proponitur illa ſingularis vt revelata, ſufficienter vt credi poſsit fide divina tāquā divinitus revelata, revelatione obligāte, & movente vt *quo* ad fidem divinam illius ſingularis directæ. Vt autem eſſet ſignatè, & vt *quod* de fide *ipſam eſſe revelatam*, opus erat, quod daretur reflexa revelatio de eo, quod illa eſſet revelata, & quod Eccleſia proponeret reflexè, cum infallibili certitudine, tanquam quid adeò revelatum, *ipſam ſingularem eſſe revelatam*; hoc autem ita non proponit Eccleſia, vt per ſe patet.

209. Ad ſecundam, dico, eſſe medium inter eſſe de fide *illam ſingularem eſſe revelatam*, & inter eſſe probabile, nam poteſt eſſe certum theologice, vt nos dicimus, aut certum moraliter citra formidinem prudentem falſitatis, vt alij dicunt, & ideò non ſequitur, quod notitia ſolum probabilis de eo, quod illa ſit revelata, ſufficiat ad fidem illius, ſed quod certitudo theologica, aut moralis, exeedens probabilitatem, de revelatione illius ſingularis ſufficiat ad fidem divinam de illa, quod hucuſque damnatum non eſt, nec oppoſitum definitum.

210. Sed dices, cum certitudine theologica, aut morali prædicta, non compatitur, quod opinio contraria, quæ negat talem directam ſingularem eſſe abſolutè revelatam, ſit probabilis, nam contra certitudinem illam non poteſt eſſe vera probabilitas: Sed opinio contraria probabilis eſt, cum tot Authorum calculo confirmetur: Ergò non eſt certitudo theologica, nec moralis de eo, quod illa ſingularis ſit revelata. Reſponderi poteſt primò, negando quod opinio contraria ſit probabilis, nam licèt illi Auctores illā docuerint, tamen iā nemo audebit eam docere, præſertim poſtquam omnes Theologi in contra inſurrexerunt, & Clemens VIII. teſte Petro Hurtado, *diſputat.* 37. *ſect.* 2. incarceravit nonnullos Doctores, iuſsitque eos ſibi præſentari, tanquam ſupplicio dignos, eo quod contrariam ſententiam docuerint.

211. Veruntamen hæc ſolutio non placet, quia ſi propter certitudinem, quam defendimus, de eoquod ſingularis directa de Pontificatu Innocentij, ſit revelata, reijcienda eſſet ſententia illorum Doctorum vt improbabilis, ſeù vt non probabilis, non ſolum vt improbabilis, ſed vt temeraria, vel erronea etiam reijcienda eſſet: In illorum quidem Theologorum ſententia, qui ſolam certitudinem moralem agnoſcunt de continentia illius ſub revelatione vniverſali, eſſet temeraria, immò, & ſapiens hæreſim, vel errori proxima, quia contra certitudinem moralem totius Eccleſiæ in rebus fidei excludentem prudentem formidinem falſitatis, qui contrarium aſſerere audet, non ſolum temeritatis notam, ſed alias prædictas notas incurrit: In noſtra autē ſententia, quę certitudinē theologicam metaphyſicè infallibilem agnoſcimus de illius ſingularis revelatione, oppoſita ſententia eſſet erronea in fide: His autem cenſuris notare tot Illuſtrium Doctorum ſententiam, antequam Eccleſia illam expreſsè proſcripſerit, non licèt, nec decet. Nec Hiſtoria illa Petri Hurtado vllam cenſuram probat contra prædictam opinionem, nam poſt Clementem VIII. qui eos Theologos incarceravit, Malderus, & Araujo eandem opinionem docuerunt, quin Eccleſia in illos animadverterit. Aliâ ergò, vt inquiunt PP. Salmant. in illorum Doctorum punitione, & longè diverſa cauſa intervenit, quam nec inveſtigare libet, nec edere in publicum.

212. Reſpondeo ergò, hìc intervenire magnam æquivocationem, quia illorum Authorum ſententia non negat directè, illam ſingularem, *Innocentius XII. eſt verus Papa*, eſſe revelatam in vniverſali illa, *omnis ritè electus, &c.* quia non negant illi Authores *Innocentium eſſe ritè electum*. Quod ſi negarent, mererentur ſanè cenſuras prædictas. Solum ergò negant certitudinem infallibilem de rita electione, & conſequenter de continentia illius ſingularis in revelatione vniverſali, ſeù de eo quod ſingularis ſit re ipſa revelata in vniverſali, & defectu huius certitudinis, inquiunt, ſingularem illam non eſſe de fide, non quia ſentiant eam re ipſa non eſſe incluſam in obiecto revelationis vniverſalis, ſed quia ſentiunt id non eſſe ita certum, ſicut exigitur ad fidem divinam: Negare autem huiuſmodi certitudinem, ſeù potius certitudinis qualitatem, de eo quod ſit implicitè revelata non eſt ne-

negare ipſam eſſe revelatam, immò nec hoc relinquere ſub opinione, ſed ſolum eſt negare certitudinem de eo quod ſit revelata, exactam ad fidem divinam. Dato ergò, quod illorum ſententia probabilis ſit, ſolum ſequitur, quod certitudo, ſeù qualitas certitudinis de revelatione ſingularis maneat reflexe probabilis, & inter probabiles opiniones, non verò quod revelatio illiùs ſingularis maneat ſolum probabilis, aut inter probabiles opiniones controverſa, quia nulla extat opinio probabilis de eo quod ſigularis illa non ſit re ipſa in vniverſali revelata, ſed ſolum eſt opinio probabilis de eo, quod hoc non ſit ita certum, ſicut requiritur vt fide divina credatur illa ſingularis: Licèt autem cum notitia ſolum probabili de revelatione ſingularis, non ſtet fides de ſingulari ſolum probabiliter revelata; tamen cũ certitudine theologica metaphyſicè infallibili de revelatione ſtat quam optimè fides de ſingulari ita certò revelata, licèt facta reflexione ſuper hanc certitudinem, de illa ſint opiniones contrariç probabiles, ſeù quamvis reflexe ſolum ſit probabilis talis certitudo. Ex quo.

113. Ad tertiam probationem, dico, quod Theologi illi, qui ſenſerint, aut ſenſerunt illam ſingularem non eſſe de fide divina, id ſenſerunt per exiſtimationem reflexam falſam, putantes non dari certitudinem ſufficientem de revelatione illius ſingularis, aut de valida electione, & propterea exiſtimare potuerunt opinione probabili reflexa, falſa tamen, ſe non teneri ad illam credendam fide divina; ex quo ad ſummum ſequitur, illos ex ignorantia probabili excuſari, & non obligari formaliter ad illam credendam, non tamen, quod non obligentur fundamentaliter, quia fundamentaliter obligari eſt dari re ipſa fundamentum obligationis; hoc autem fundamentum datur re ipſa reſpectu omnium, quia hoc fundamentum eſt revelatio illius ſingularis vt propoſita ab Eccleſia cum ſufficiẽti certitudine, hoc autem pacto omnibus proponitur, vt oſtenſum manet, vndè omnes fundamentaliter obligãtur, quia Eccleſia ex modo proponendi novum Papam vt pacificè electum cum certitudine infallibili, omnes fundamentaliter obligat, licèt aliqui ex probabili ignorantia talis certitudinis non obligentur formaliter reflexè; hoc autem non facit, quod reſpectu omnium non ſit re vera de fide, ſed ſolum, quod non omnes cognoſcant illam eſſe de fide, quia aliqui id probabiliter ignorant. Et iuxta hanc doctrinam poteſt reſponderi in forma diſtinguendo maiorem: Opus eſt, quod omnes teneantur fundamentaliter illam credere fide divina, concedo maiorem: Quod omnes teneantur formaliter, nego maiorem, & diſtincta minori eodem modo, ad eius probationem conſtat ſolutio.

114. Vel aliter, poteſt diſtingui maior: Opus eſt, quod omnes teneantur exercitè, & ex motivis directis, concedo maiorem: Quod omnes teneantur reflexè, ex cognitione reflexa, nego maiorem, & diſtinguo minorem eodem modo. Ad cuius probationem, dico, quod qui probabiliter opinaverint ſe nõ teneri, cum hæc opinio ſit reflexa, non tenebuntur ex cognitione reflexa; attamen cum hoc componitur, quod illis proponatur in actu exercito revelatio certi Pontificis cum ſufficienti certitudine directa, vt obligentur directè, & in actu exercito, immò vt in actu exercito illam credant fide divina, quia ſolet cognitio reflexa ex ignorantia probabili contradicere cognitioni directè; & hoc pacto contingere Authoribus negantibus, eſſe de fide, *hunc eſſe verum Papam*, inquit Ioan. à S. Thom. *in præſenti*, allegans etiam Suarium, his verbis: Non omnes acceptant illam propoſitionem tanquam materiam de fide quaſi ſpecularivè, & ſignatè, virtualiter tamen, & in actu exercito acceptant Papam cum tota Eccleſia in regulam ſupremam fidei, & illi credunt fide divina, vndè ſolum ex ignorantia putant ſe non credere, quod in exercitio, & actu credunt, & acceptant vt regulam infallibilem fidei, & ita ſibi ipſis quaſi contradicunt. Hæc Ioan. à S. Thom. & merito, nam ſæpè fallimur in cognitione reflexa, exiſtimantes aliter de ſtatu intellectus, quem habet in cognitione directa, ac re ipſa ſe habet. Ex quo patet ſolutio ad ſequentem replicam.

115. Replicabis denique, quia ſi non eſſet de fide eſſe de fide, Innoc. XII. eſſe verum Papã, nec eſſet de fide eſſe de fide eius definitionẽ, aut rem ab eo definitam: Sed eſt de fide eſſe de fide res ab eo definitas, quia de hoc nemo dubitat: Ergò. Sequela probatur, quia per nos non poteſt dari maior certitudo de definitione Pontificis, quam de veritate Pontificis definientis; indè enim probamus ſuprà, eſſe de fide Innocent. eſſe verum Pontificem, quia eſt de fide eius definitio, & quia definitio non poteſt eſſe de fide, quin ſit de fide definientem eſſe legitimum Pontificem: Ergò non poteſt eſſe de fide, quod ſint de fide definitiones Pontificis, niſi ſit de fide, eſſe de fide, quod Põtifex eſt verus Pontifex. Reſpondeo, negando ſequelam: Quia definitiones Pontificias eſſe de fide proponitur ab Eccleſia vt Dogma Catholicum, cum ſufficienti certitudine, vt eas eſſe de fide ſit articulus credendus fide divina, & ideò nullus Catholicus huc in dubium vertit, nec oppoſitum aſſeruit, ſaltèm de definitionibus Pontificijs cum Concilio

ſio vniverſali, & in rebus fidei. At, quod ſit de fide hunc hominem definientem eſſe verum Papam, non proponitur hucuſque ab Eccleſia tanta certitudine reflexa, quę ſufficiat vt ſit de fide reflexè, cum permittat Theologos Catholicos oppoſitum reflexè defendere. Vndè ad probationem ſequelę, diſtinguo antecedens: Non poteſt dari maior certitudo directa de definitione Pontificis, quam de veritate Pontificis, concedo: Maior certitudo reflexa nego antecedens, & conſequentiam.

116. Ex dictis colliges primò, vt tacitę obiectioni ſatisfacias, non eſſe de fide, de alio ſingulari Epiſcopo, ipſum eſſe verum Epiſcopum. Ratio eſt, primò, quia nullus ſingularis Epiſcopus proponitur ab Eccleſia vt res, ſeù materia fidei, quia nullus proponitur vt regula infallibilis fidei, ſicut Summus Pontifex. Secundò, quia licèt ſit revelatum, & de fide, futuros in Eccleſia veros Epiſcopos, & Paſtores vagè, & indeterminatè, tamen nec revelatum eſt, nec de fide aliquem ſingularem Epiſcopum, nec Archiepiſcopum eſſe verè talem; nec de hoc extat Eccleſię definitio, ſicut de Epiſcopo Romano. Ergò.

117. Sed dices, ſupponamus caſum, in quo duo tantum relicti eſſent Epiſcopi in vniverſa Chriſti Eccleſia, ſanè tunc eſſet de fide, ſicut modo, eſſe in Eccleſia veros Epiſcopos: Sed non vagè, & indeterminatè, quia non eſſent alij, inter quos eſſet indifferentia, aut vagitas: Ergò eſſet determinatè de fide illos eſſe veros Epiſcopos. Reſpondeo, non eſſe revelatum, nec de fide ſemper, ſine aliqua longa interruptione, permanſuros in Eccleſia veros Epiſcopos in numero plurali, quia de alijs Sedibus Epiſcopalibus non eſt revelatum, *quod portę inferi non prævalebunt adverſus eas*, ſed ſolum de Sede, & Cathedra Petri; ac proindè, adhùc in eo caſu, non eſſet de fide illos duos relictos præter Romanum, eſſe veros Epiſcopos. Et item, quia non eſſet infallibile non eſſe in Eccleſia alios, forſan latentes, in quibus Prophetię, & revelationes verificarentur, quia de allis, præter Romanum, non eſt de fide, quod viſibiliter perſeverent in Eccleſia. Ac demum, quia ſi Eccleſia poſſet pervenire, vi perſecutionum, ad talem ſtatum, quod ſolum duo Epiſcopi in illa perſeverarent, cur non poſſet, vi perſecutionis, redigi ad vnum tantum, nempè Romanum; quod ſi hoc admittatur poſsibile: Ergò non eſt de fide ſemper extituros in Eccleſia veros Epiſcopos in numero plurali, ſine vllo temporis intervallo. Recollantur rationes, & motiva, quibus ſtabilitam relinquimus firmitatem Cathedrę Div. Petri, & ex illis conſtabit talem firmitatem non convenire de fide vlli alteri Epiſcopatui.

118. Vel aliter reſponderi poteſt, dando, & concedendo, quod in illo caſu metaphyſico, quo Eccleſia reduceretur ad duos, tantum Epiſcopos, cum certitudine de non exiſtentia aliorum, forè de fide illos eſſe veros Epiſcopos, ſicut caſu dato, quo ſoli duo manerent fideles, eſſet de fide illos eſſe verè fideles, quia de fide eſt nunquam defuturos in Eccleſia veros Fideles; & caſu, quo certum foret non eſſe in Eccleſia niſi vnam tãtum Hoſtiam conſecratã, de fide eſſet, quod in illa maneret Chriſtus in vi illius revelationis: *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.* Sed quid indè contra noſtram ſententiam? Sanè nihil. Nec videò, ad quid proſit excitare quæſtiones, de his caſibus metaphyſicis, qui certiſsimè nunquam evenient. Vndè argumenti à paritate ex his caſibus deſumpta, reſponderi poteſt conditionatè diſtinguendo: Si ſit ratio ęquè probans in illis caſibus, ac modo de vero Pontifice Romano, concedo, quod tunc eſſet de fide illos ſingulares Epiſcopos forè veros Epiſcopos: Si non ſint motiva, & rationes ęquè probantes, nego, recuſando ſemper diſputationem abſolutam, an abſolutè ſint, vel non ſint rationes id probantes in illis caſibus metaphyſicis; quia huiuſmodi diſputatio ſolum ad libidinem ingeniorum ſuſtentandam, & ad novitates, aut novas quæſtiones inutiles in ſcholis introducendas, videtur vtilis.

QUÆSTIO XII.

AN SUMMUS PONTIFEX SIT infallibilis in definiendis rebus fidei, & morum, & in quo hæc infallibilitas conſiſtat?

1 SUPPONENDUM eſt primò, Summum Pontificem dupliciter poſſe conſiderari, primò vt particularem hominem, ſeù Authorem. Secundò reduplicativè vt Summum Pontificem. Item, dupliciter poſſe loqui, ſeù ſententiam proferre, primò ex privata Authoritate. Secundò ex Cathedra Div. Petri. Sed dubitatur meritò, quid ſit Papam loqui ex Cathedra, & in quo differat à ſe loquente ex propria Authoritate. Reſpondeo, tunc Pontificem loqui ex Cathedra, quando aliquid definit vt credendum in tota Eccleſia, & vt totius vniverſalis Eccleſię Doctor, &

Magiſter. Sed rogabis : Eſt ne neceſſarium, vt loquatur ex Cathedra, quod ante definitionem præmittat diligentem inquiſitionem veritatis, vel per Concilium, vel per Cardinales, vel per aliquos Theologos, & Peritos, vel ſaltèm per ſe ipſum? Reſpondeo affirmativè, quia Chriſtus, qui dedit ei Magiſterium totius Eccleſię, non voluit, nec inſtituit, quod temere, & ſine prævio conſilio, & matura deliberatione doceret Eccleſiam. Sed dices, quid dicendum, ſi Papa, vt docens vniverſalem Eccleſiam, aliquid ſine prævia conſultatione definiret? Eſſet ne tunc eius diffinitio infallibilis? Reſpondeo, caſum iſtum non eſſe admittendum, quia cum Papę ex Cathedra docenti promiſſa ſit aſsiſtentia Spiritus Sancti, cum tali aſsiſtentia, non poteſt contingere, quod temere, & in conſulto definiat. Tunc autem Pontifex loquitur vt Author particularis, quando non exprimit ſe vti adſcribendum, vel docendum aliquid, Authoritate Apoſtolica, ſed ſolum exprimit proprium iudicium in vi proprij diſcurſus, & ingenij.

2. Supponendum eſt ſecundo, poſſe errare, & falli Pontificem vt Authorem particularem, & privatum, in rebus, quas non docet ex Cathedra, ſed ex proprio ingenio, & diſcurſu. In hoc omnes Catholici conveniunt. Dubitatur tamen, an poſsit errare in fide? Quod dupliciter intelligi poteſt, nempè, vel ex ignorantia, vel ex pertinacia. Quod poſsit errare in fide ex ignorantia, & ſine pertinacia, in his, quę vt Author particularis docuerit, eſt etiam communis ſententia. Maior difficultas eſt, an poſsit errare pertinaciter contra fidem, hoc eſt, per hæreſim, vel occultam, vel manifeſtam : Et licèt ſatis communis ſit inter Catholicos ea ſententia, quę ipſum poſſe incidere in hæreſim docet, Nihilominus.

3. Veroſimilius iudico, id nunquam contigiſſe, nec eventurum forè, immò nec poſſe ex ſuppoſitione illius orationis Chriſti : *Ego pro te rogavi Petre, vt non deficiat fides tua, ſed tu aliquando converſus, &c.* Non in vi illius, communiter cenſent Authores, Petrum, etſi negaverit Chriſtum, tamen non fuiſſe hæreticum, quia ſolum timore correptus, defecit in externa fidei confeſsione, ſed non in fide interna, & ſimiliter diſcurrunt de Marcelino Papa, cum Idolis ſacrificavit, metu minarum, & perſecutionis, retenta tamen vera fide interna Chriſti: Ergò veroſimilius eſt, quod in vi illius orationis Chriſti, licèt Papa poſsit deficere in externa fidei confeſsione, non tamen in vera Chriſti fide, per veram hæreſim, quę eſſentialiter importat, actum internum negativum fidei, cum pertinacia. Nec oppoſitum convincit, quod objiciunt Salmant. *in præſenti.*

4. Primò ex *cap. ſi Papa 40. diſtinct.* vbi Simachus Pontifex, inquit : *Culpas Pontificis redarguere præſumit mortalium nullus, quia cūctos ipſe iudicaturus, à nemine eſt iudicandus, niſi deprehendatur à fide devius* : Sed Pontifex non decernit circa impoſsibilia : Ergo poſsibile eſt Papam à fide deviare. Secundo, quia Pontifex poteſt incidere in alia peccata, non ſolum occulta, ſed publica, & ſcandaloſa : Ergò vt perſona particularis poteſt incidere in hæreſim contra fidem. Tertio, quia in Eccleſia datur poteſtas deponendi Papam, vt oſtendunt graves Authores : Sed hæc poteſtas eſſet vana, ſi Papa non poſſet incidere in peccatum hæreſis, quia aliter nequit reduci ad actum : Ergò. Quarto, quia aliqui Pontifices erraverunt in fide, vt Victor I. Liberius, Anaſtaſius II. & Honorius I. de quo Adrianus I. *in 8. Synod. Generali, act. 7.* ſic ait : *Licèt* Honorio ab Orientalibus Anatema ſit dictum, hoc tamen fuit quoniam accuſatus fuit de hæreſi, in qua licitum eſt minoribus de ſuperioribus iudicare. Quintò, quia Pontifices, ſæpè docuerunt doctrinas inter ſe contrarias, præſertim circa materiam morum; ad quod probandum adducuntur plura Pontificum Decreta inter ſe apparenter contraria: Ergò errare poſsūt, vt Authores particulares in fide.

5. Reſponderi enim poteſt, ad primum, ſatis eſſe, quod in Eccleſia non ſit definitum, Papam, vt particularem hominem, non poſſe in hæreſim labi, vt Eccleſia provideat de remedio, ſi forſan id ſit poſsibile, & contingat, non enim opus eſt, quod hoc malum re ipſa poſsibile ſit, nam ſatis eſt, quod de eius impoſsibilitate, aut non futuritione non ſit infallibilis ſecuritas; nos autem non reputamus vt infallibile, Papam non poſſe hæreſim incurrere, ſed ſolum vt quid veroſimilius. Vndè minor diſtinguenda eſt : Pontifex non decernit circa impoſſibilia, certò talia, concedo : Circa impoſsibilia, quę tantum probabilius ſupponuntur impoſsibilia, ſed cum aliqua dubietate an ſint poſsibilia, nego minorem, & conſequentiam. Ad ſecundum, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam : Quia Chriſtus D. oravit, vt non deficeret fides Petri, ſed non legitur ipſum oraſſe ne deficeret caſtitas, iuſtitia, pietas, &c. Et ideò non eſt cur contra Caſtitatem, & alias virtutes non poſsit Papa peccare, ſivè occultè, ſivè publicè, at eſt cur piè præſumi debeat ipſum non poſſe peccare contra fidem per hæreſim. Ad tertium, dico, quod illi Authores, qui admittunt aut tuentur dari in Eccleſia poteſtatem deponendi Papam, ſemper locuntur ex ſuppoſitione, quod

quod Papa poſsit incurrere peccatum hæreſis, vndè ex tali ſententia ad ſummum ſequitur, quod ſit probabilis iſta ſuppoſitio, non tamen quod ſit certò poſsibilis, immò nec probabilius, ſed ſatis eſt incertitudo. Vel dic, talem poteſtatem eſſe neceſſariam in Eccleſia, non ſolum pro caſu hæreſis, ſi forſan ſit poſsibilis, ſed etiã pro caſu amentię perpetuę, in quam poteſt incidere Papa. Ad quartum, dico, quod licèt de illis Pontificibus ſit controverſia, an erraverint in fide, veroſimilius eſt eos in fide nunquam pertinaciter erraſſe, vndè plures ex propugnatoribus Sedis Pontificię eos ab hæreſi facilè vindicant, nam licèt aliqui, etiam à Concilijs cum Papa, notentur vt hæretici, potuit Concilium, vel Papa errare in controverſia facti, credendo ex falſa informatione, ipſos tenuiſſe doctrinam hæreticam, quam re ipſa non tenuerunt, vt infrà videbimus; & cum factum ſit controverſum, ſtare debemus pro fide Pontificum magis, quam contra illam. Vnumquemque autem eorum ab hæreſi ipſi impoſsita vindicare, pendet ex proceſſu Hiſtoriali, ſeù ex Hiſtoria Eccleſiaſtica, eſtque difficilior Provincia, quę operoſiori, & longiori diſcurſu egebat, ideòque Lectorem mittimus ad Modernos Doctores, qui de Romano Pontifice diffuiſsè ſcripſerunt. Ad quintum denique, ſimiliter dico, ſtatuta illa, & Conſtitutiones Pontificum ſolum apparenter inter ſe contrariari, nam ſæpè pro diverſitate temporum, & circunſtantiarum, diverſa requiruntur præcepta, & ſtatuta, quę minimè contrariantur re ipſa, quia reſpiciunt diverſas circunſtantias, & tempora diſtincta. Et quidem, ſi hoc argumentum aliquid probaret, probaret Papam poſſe errare ex Cathedra, nam prædicta ſtatuta, & conſtitutiones à Pontifice ex Cathedra emanarunt, vt ipſas legenti conſtabit.

6. Quia tamen probabile etiam eſt Papam poſſe labi in hæreſim, tam occultam, quam manifeſtam, tam internam, quam externam, propterea dubitari ſolet, an tunc eo ipſo eſſet à Pontificatu depoſitus, vel à quo deberet deponi. In qua controverſia, communior, & probabilior ſententia tenet, eum non eſſe ipſo facto depoſitum, ſed retinere Dignitatem, & iuriſdictionem, vſquedum ab Eccleſia deponatur. Ratio huius ſententię eſt, primo, quia per eaſdem cauſas res diſſolvitur, per quas naſcitur: Sed Pontifex naſcitur, id eſt, creatur per electionem, & deſignationem Eccleſię: Ergò non deponitur, niſi per diſpoſitionem Eccleſię. Secundo, quia ſi per hæreſim occultam, internam, aut externam, ipſo facto eſſet depoſitus, tota Eccleſia falleretur, reputans verum Pontificem, cum, qui iam verus Pontifex non eſſet, ſiquidem cum hæreſis illa non eſſet nota Eccleſię, Eccleſia in eadem fide maneret credens illum verum Papam, ſicut anteà: Sed tota Eccleſia falli nequit circa verum Pontificem, vt ex dictis patet: Ergò.

7. Nec multum vrgent, quę in contra opponi ſolent, primo, quod Papa hæreticus non eſſet verus Chriſtianus, nec verum membrum Eccleſię, quia verus Chriſtianus, verumque Chriſti membrum conſtituitur per fidem, quę eſt quaſi Anima Eccleſię, & Corporis Chriſti myſtici: Sed non poteſt eſſe verum Caput Eccleſię, ſi non eſt verum membrum Chriſti, veruſque Chriſtianus: Ergò eo ipſo, quod eſſet hæreticus, ipſo facto deſineret eſſe verum Caput Eccleſię, & verus Papa, ſiquidem amitteret fidem. Secundò: Quia Pontificatus fundatur in fide Pontificis, propterea enim Chriſtus examinavit Petrum in fide, antequam illi diceret: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ędificabo Eccleſia meam, &c.* Ergò deficiente fide in Pontifice deficit in eo verus Pontificatus.

8. Reſpondetur enim ad primum, conceſſa maiori, propter ſuprà dicta, *quæſt. 5. numer. 19. & 20.* Diſtinguendo minorem: Si non eſt verum membrum Chriſti, non poteſt eſſe verum Caput Eccleſię, quoad influxum, nego minorem: Quoad ſubſtantiam, & formam concedo minorem, & nego conſequentiam. Quia de ratione veri Papę, & Capitis viſibilis Eccleſię, non eſt habere in ſe principaliter fidem, quam debet firmare in alijs, ſed ſolum habere poteſtatem ordinis, & iuriſdictionis, Authoritatemque infallibilem in Eccleſia, ex aſsiſtentia Spiritus Sancti: Totum hoc poteſt convenire Pontifici, quamvis non habeat fidem, quia poteſtas ordinis certè remanet in hæretico ordinato, & ſimiliter poteſtas iuriſdictionis manere poteſt; itemque, quia iuriſdictio, & poteſtas non eſt in Pontifice, niſi ſolum myſterialiter, principaliter verò in Chriſto, vndè dupliciter poteſt miniſtrari per Pontificem virtus Chriſti, nempè vel ita vt Pontifex ipſe imbuatur Chriſti virtute per fidem ipſius, aut etiam per gratiam, & charitatem; vel ſolum tranſeunter, tranſeunte per ipſum virtute Chriſti ad Eccleſiam, ſicut tranſit aqua per canalem ęneum, qui nihil in ſe aquę imbibat: Hoc ſecundo modo miniſtraret, & influeret Pontifex in Eccleſiam, ſi eſſet hæreticus, quia eſſet durus, & pertinax per hæreſim, & ideò nec imbiberet in ſe doctrinam fidei, nec virtutem Sacramentorum, quam tamen miniſtraret, & influeret in cætera Eccleſię membra, ideòque eſſet Caput, quantum adhùc influxum miniſterialem, ſed non quantum

Digitized by Google

ad ſubſtantiam, & ad hoc non requiritur, quod ſit membrum proprium Eccleſię habens veram Eccleſię formam, ſed ſatis eſt, quod ſit Supremus Eccleſię Miniſter, cum Suprema Poteſtate ordinis, & iuriſdictionis. Ad ſecundum ſimiliter dico, quod ex eo quod Chriſtus examinaverit Petrum de fide in ipſum, antequam illi traderet Pontificatum, ſolum infertur, non eligendum in Pontificem, niſi illum, qui inventus fuerit verus Fidelis, & veram Chriſti fidem habens, & quotieſcumque ab illa deviaverit, eſſe deponendum, non verò, quod ipſo facto ſit depoſitus; nam ſicut examinari debet fides illius ab Eccleſia vt ipſum eligat, ita examinari debet hæreſis illius, vt ipſum deponat. Et quidem Chriſtus non ſolum examinavit fidem Petri, ſed etiam charitatem ipſius, antequam illi diceret: *Paſce oves meas*: Et tamen non indè ſequitur Pontificatum ita fundari in charitate, vt ſi Papa à charitate Chriſti deficiat, ipſo facto ſit depoſitus: Ergò. His præmiſsis.

9. Dico primo: *Summus Pontifex eſt infallibilis omninò, ita vt non poſſit errare, in definiendis ex Cathedra rebus fidei.* Ita communiter omnes Theologi, qui hàc aſſertionem de Fide eſſe conformiter docent. Probatur autem primo, quia vt ſuprà oſtenſum manet, *quæſt.* 4. omninò neceſſaria eſt in Eccleſia regula viſibilis animata, quę ſit infallibilis in definiendis rebus fidei: Sed hæc non eſt alia in Eccleſia, niſi Summus Sacerdos, ſeù Papa: Ergò Papa eſt regula infallibilis in definiendis ex Cathedra rebus fidei. Secundo, quia vnitas Eccleſię vniverſalis per ſe requirit vnum Caput viſibile in terris, cuius ſit Authoritas infallibilis definiendi res fidei, vt oſtenſum eſt *ſuprà quæſt.* 7. *à num.* 2. Sed hæc Authoritas vniceè commiſſa fuit Petro, ſuiſque Succeſſoribus, vt diximus *quæſt.* 8. reſidetque in Romano Pontifice, ſivè in Papa, pro tempore exiſtenti, vt conſtat ex *quæſt.* 9. Ergò Romanus Pontifex eſt infallibilis in definiendis rebus fidei ex Cathedra.

10. Tertio, quia Eccleſia nequit errare circa res fidei, eſt enim Columna, & firmamentum veritatis: Sed, ſi poſſet Summus Pontifex errare ex Cathedra in rebus fidei definiendis, pariter poſſet Eccleſia falli, & errare, ſiquidem Eccleſia ſequitur in rebus fidei eredendis ſui Capitis, & Paſtoris definitionem, & doctrinam: Ergò Summus Pontifex errare non poteſt in rebus fidei ex Cathedra definiendis.

11. Dico ſecundo: *Hæc infallibilitas, ſeù impotentia errandi ex Cathedra non eſt in Pontifice impotentia abſoluta, & antecedens, ſed conſequens, & ex ſuppoſitione promiſsionis Chriſti, ſeù orationis eius, qua pro Petro rogavit, vt non deficeret fides eius.* Eſt, niſi fallor, contra Salmanticenſes in præſenti. Sed probatur, quia non aliundè probatur ab omnibus Theologis impotentia errandi ex Cathedra in Summo Pontifice niſi ex prædicta Chriſti D. oratione, & promiſſa aſsiſtentia Spiritus Sancti: Sed ex illa oratione, & promiſsione non inducitur impotentia abſoluta, & antecedens, ſed ſolum conſequens, & ex ſuppoſitione: Ergò talis impotentia non abſoluta, & antecedens, ſed conſequens eſt, & ex ſuppoſitione. Minor probatur primo ex Div. Auguſtino, *lib. de Correct. & Grat. cap.* 8. vbi contra Pelagium ſtatuit, orationem Chriſti pro Petro, ne deficeret fides eius, fuiſſe infallibilis efficacię, & cum hoc componit, Petrum potuiſſe à fide deficere, ſeù habuiſſe libertatem deficiendi à fide, ſi vellet: Ergò impotentia orta ex illa Chriſti oratione non fuit abſoluta, & antecedens, alias non reliquiſſet in Petro poteſtatem antecedentem, nec libertatem errandi in fide, ſed ſolum fuit conſequens, & ex ſuppoſitione. Vidè à nobis dicta *Tract. de Præd. quæſt.* 16. *à num.* 212. Secundo, quia quamvis ſæpè Deus promiſerit Sanctis viris, eos in fide, & ſanctitate conſervare vſque in finem, ex vi huius promiſſionis non fuerunt abſolutè, & antecedenter impeccabiles, nec indefectibiles in fide, ſed ſolum conſequenter, vndè manſit in eis poteſtas antecedens, & libertas peccandi, & deficiendi à fide, & gratia: Ergò ex vi promiſsionis non inducitur impotentia abſoluta, & antecedens, ſed ſolum conſequens, & ex ſuppoſitione. Tertio, quia, cum Pontifex aliquid ex Cathedra definire intendit, fiunt ab Eccleſia orationes, & poſtulationes vt Spiritus Sanctus illi aſsiſtat ad non errandum: Sed, ſi eſſet abſolutè, & antecedenter impotens errare, fruſtaneę eſſent huiuſmodi orationes, immò imprudentes, quia imprudentia eſt orare vt non erret, qui abſolutè, & antecedenter impotens eſt errare, ſicut eſſet imprudentia orare pro aliquo Beato vt non peccaret, quia abſolutè, & antecedenter impotens eſt peccare: Ergò.

12. Dices cum PP. Salmantic. Pontificem loquentem ex Cathedra habere potentiá antecedentem, & abſolutam ad errandum, ſed non habere potentiam abſolutam, & antecedentem ad errandum ex Cathedra, ſeù in his, quę loquitur, ac definit ex Cathedra, ſed ſolùm ad errandum per modum perſonę particularis. Sed contra, quia cum Chriſtus oravit vt non deficeret fides Petri, non oravit, iuxta ipſos PP. Salm. vt non deficeret fides eius in Succeſſoribus vt perſonę particulares ſunt, ſed vt non deficeret in illis loquentibus ex Cathedra, ſic enim expo-

nunt

nunt *in præſent. num.* 8. Sed fruſtra eſſet orare pro vitando errore abſolutè, & antecedenter impoſsibili: Ergò ſupponit oratio Chriſti, quod Pontifex ex ſe non eſt abſolutè, & antecedenter impotens errare ex Cathedra. Confirmatur: Summo Pontifici promiſſa eſt aſsiſtentia Spiritus Sancti, non quidem ne erret vt perſona particularis, ſed ne erret ex Cathedra: Sed ſi ille ex ſe non haberet potentiam antecedentem, & abſolutam errandi ex Cathedra, vel ſi eſſet abſolutè, & antecedenter impotens errare ex Cathedra, ad non errandum ex Cathedra non indigeret aſsiſtentia Spiritus Sancti: Ergò.

13. Sed in contra obijciunt præfati PP. Pontifex nullam habet potentiam, aut libertatem ad complexum ſimpliciter, & ſecundum ſe impoſsibile: Sed errare ex Cathedra in rebus fidei eſt complexum ſimpliciter, & ſecundum ſe impoſsibile: Ergò Pontifex nullam habet potentiam, aut libertatem ad errandum ex Cathedra in rebus fidei. Minor, in qua ſtat difficultas, probatur: Errare ex Cathedra importat, qua parte eſt loquutio ex Cathedra, infallibilem aſsiſtentiam Spiritus Sancti, & auxilia efficacia, ne Pontifex erret; & qua parte eſt error, carentiam talis aſsiſtentię, & auxiliorum: Sed hoc complexum eſt ſecundum ſe, & ſimpliciter impoſsibile, vtpote coalleſcens ex contradictorijs: Ergò Pontificem errare ex Cathedra in rebus fidei eſt complexum ſimpliciter, & ſecundum ſe impoſsibile. Et hoc fundamento innixi exiſtimant præfati PP. quod ab hac ſententia nullus Catholicorum diſcedet.

14. Veruntamen, niſi fallor, falluntur, & in cauſa eſt, quod illud complexum. *Pontificem loqui ex Cathedra*, non rectè conſiderant; nam licèt, ſuppoſita promiſsione Chriſti, & ex tali ſuppoſitione, connectantur hæc duo: *Pontificem loqui ex Cathedra*, & *Pontificem loqui ex directione, & aſsiſtentia Spiritus Sancti*, tamen intrinſecè, & eſſentialiter non eſt idem *loqui ex Cathedra*, & *loqui ex aſsiſtentia Spiritus Sancti*, nam loqui ex Cathedra eſt loqui docendo vniverſalem Eccleſiam tamquam Paſtor, & Doctor vniverſalis illius ex maturo conſilio, & perfecta deliberatione, in hoc enim formaliſsimè conſiſtit, & per id formaliſsimè ab omnibus definitur, *loqui Pontificem ex Cathedra*; Pontificem autem ita loqui non importat eſſentialiter, & ſecundum ſe aſsiſtentiam Spiritus Sancti, ſed ſolum illam importat ex promiſsione Chriſti, nam ſanè ſi Chriſtus non promiſiſſet Pontifici loquenti ex Cathedra talem aſsiſtentiam, poſſet Pontifex loqui ex Cathedra ſine illa: Ergò *Pontificem loqui ex Cathedra* ſecundum ſe, & eſſentialiter non importat aſsiſtentiam Spiritus Sancti, ſed ſolum illam importat ex ſuppoſitione promiſsionis Chriſti. Explicatur: Quia nemini promittitur id, quod eſſentialiter, & ſecundum ſe importat, vndè homini Deus minimè promittere poſſet rationalitatem, quia illam ſecundum ſe, & eſſentialiter importat, nec homini reduplicativè, vt iuſto, promitteret Deus primam gratiam, quia illam eſſentialiter importat: Ergò ſi Pontifici reduplicativè *vt loquenti ex Cathedra*, promiſsit Deus aſsiſtentiam Spiritus Sancti, Pontifex *vt loquens ex Cathedra*, non importat ſecundum ſe, & eſſentialiter talem aſsiſtentiam.

15. Vrgetur, nam Pontificem loqui ex Cathedra eſt quid viſibile, & evidenter cognoſcibile ex modo, & tenore definiendi. Vndè cum videmus Pontificem definientem pro vniverſali Eccleſia aliquid fide tenendum, aut prohibentem aliquam propoſitionem vt hæreticam, fides divina non exercetur credendo ipſum loqui ex Cathedra, ſed ſolum credendo per ipſum vt loquentem ex Cathedra loqui Spiritum Sanctum: Ergò Pontificem loqui ex Cathedra ſecundum ſe, & eſſentialiter, non eſt idem ac loqui ex aſsiſtentia Spiritus Sancti. Item: Quia nullus vnquam dixit, nec dubitavit, quod Pontifex loquens ex aſsiſtentia Spiritus Sancti, falſum definiverit, aut contra fidem; plures tamen docuerunt, quod Pontifex loquens ex Cathedra, erraverit, vel ſaltem hoc in dubium vertitur: Ergò ex terminis, ſivè ſecundum ſe, & eſſentialiter non eſt idem loqui ex Cathedra, ac loqui ex directione Spiritus Sancti. Demum, quia Pontifex definiens ex Cathedra controverſiam facti, errare poteſt, vt tenent plerique Theologi: Ergò *ipſum loqui ex Cathedra*, ex terminis & ſecundum ſe, non importat eſſentialiter aſsiſtentiam Spiritus Sancti ad non errandum.

16. Vndè in forma ad obiectionem factam, conceſſa maiori, nego minorem. Ad cuius probationem, diſtinguo maiorem: Errare ex Cathedra, qua parte eſt loquutio ex Cathedra, importat aſsiſtentiam Spiritus Sancti intrinſecè, & eſſentialiter, ſeù ſecundum ſe, nego maiorem: Extrinſecè, & ex ſuppoſitione promiſsionis Chriſti, concedo maiorem, & nego minorem: Quia vt aliquod complexum ſecundum ſe, & ſimpliciter ſit abſolutè impoſsibile, non ſatis eſt, quod ex aliqua ſuppoſitione extrinſeca importet contradictoria, ſeù aſsiſtentiam, & non aſsiſtentiam Spiritus Sancti, ſed requiritur quod illam importet ſecundum ſe, & eſſentialiter, independenter à promiſsione divina. Vndè Pontificem errare ex Cathedra, ſecundum ſe, & intrinſecè, ſolum importat errare docendo vniverſalem Eccleſiam per modum Magiſ-

giſtri, & Paſtoris vniverſalis illius, non autem importat eſſentialiter, adhùc quatenus eſt loquutio ex Cathedra, infallibilem aſsiſtentiam Spiritus Sancti.

17. Sed replicabis: Si Pontifex haberet poteſtatem antecedentem, & abſolutam ad errandum ex Cathedra, poſſet abſolutè, & antecedenter decipere vniverſalem Eccleſiam, & conſequenter etiam vniverſalis Eccleſia poſſet antecedenter, & abſolutè decipi, & falli in rebus fidei credendis: Sed hoc videtur abſurdum: Ergò dicendum eſt, Pontificem, nec antecedenter poſſe ex Cathedra errare. Reſpondeo, quod tota impotentia Eccleſię ad errandum in rebus fidei eſt ſimiliter conſequens ad liberam Chriſti promiſsionem dicentis: *Et portę inferi non prævalebunt adverſus eam*, vndè ſicut Chriſtus non eſt abſolutè, & antecedenter impotens deſerere Eccleſiam ſuam, ſed ſolum ex ſua libera promiſsione, qua ſe libere obligavit ad eam in vera fide ſubſtentandam, vndè eam non ſubſtentat, nec ei aſsiſtit ex neceſsitate antecedenti, alias ſine libertate ei aſsiſteret, ſed liberaliter, & gratuito, ita ſimiliter Eccleſia viſibilis non eſt ex ſe, & antecedenter impotens à fide deficere, ſeù falli, & decipi circa res fidei, independenter à Chriſti promiſsione, ſed ſolum eſt impotens conſequenter, & ex vi promiſsionis Chriſti, quę promiſsio non tollit poteſtatem antecedentem, nec libertatem Eccleſię in credendo, & conſequenter nec poteſtatem antecedentem deficiendi à vera Chriſti fide: Vndè in forma, concedo maiorem, vel claritatis gratia, illam diſtinguo: Poſſet antecedenter, & abſolutè decipere, &c. cum impotentia conſequenti ex ſuppoſitione promiſsionis Chriſti, concedo minorem: Poſſet antecedenter, & conſequenter, nego maiorem, & minorem in ſenſu conceſſo: Quia non eſt abſurdum, ſed neceſſario concedendum, quod Eccleſia, quantum eſt ex ſe, præciſivè ab aſsiſtentia Spiritus Sancti illi infallibiliter promiſſa, habeat potentiam antecedentem, & abſolutam ad errandum in fide, & ſimilem libertatem in omnibus ſuis membris, & etiam in Capite, nam potius contrarium dicere foret abſurdum. Siquidem indè ſequeretur Eccleſiam independenter ab aſsiſtentia Spiritus Sancti, & ab eius gratia, eſſe ex ſe firmam, & potentem prævalere adverſus inferi portas, & minimè indigere ad firmiter perſeverandum in fide Spiritus Sancti aſsiſtentia, nec Chriſti promiſsione: Hoc autem quis dicat? Nec contra hoc militat, quod Eccleſia ſit Columna, & firmamentū veritatis, quia hoc nō habet Eccleſia ex terminis, & eſſentia ſua, ſed ex Chriſti promiſsione, & Spiritus Sācti aſsiſtētia,

18. Sed dices: Ergò Eccleſia non erit abſolutè infallibilis in credendo, nec poterimus eſſe abſolutè ſecuri de infallibilitate Eccleſię, ſiquidem abſolutè errare poteſt in fide. Nego conſequentiam, quia aliud eſt aliquid eſſe infallibile, aliud eſſe impoſsibile, componitur enim infallibilitas abſoluta cum poteſtate antecedenti, & abſoluta ad oppoſitum, vt omnes Thomiſtę ſæpiſsimè docent: Vndè abſolutè eſt infallibile Eccleſiam in fide Chriſti firmiter duraturam vſque ad diem iudicii, licèt Eccleſia ex ſe habeat poteſtatem antecedentem, & abſolutam deficiendi, quia non habet poteſtatem deficiendi in ſenſu compoſito promiſsionis Chriſti, nec ex ſuppoſitione illius, ſed ſolum antecedenter, & ex ſe, præciſivè à tali ſuppoſitione: Hoc autem ſufficit vt ipſa ſit abſolutè infallibilis, quia promiſsio Chriſti eſt abſolutè infruſtrabilis: Sufficit etiam vt habeamus metaphyſicam ſecuritatem de perſeverantia Eccleſię in vera Chriſti fide, quia talem ſecuritatem fundat Chriſti promiſsio, licèt non adimat libertatem, & poteſtatem antecedentem ad oppoſitum. Et quidem, poſtquam dixit Chriſtus Petro: *Ter me negabis*, abſolutè infallibile erat ipſum negaturum, & tamen hæc infallibilitas non abſtulit à Petro potentiam antecedentem illum non negandi: Ergò pariter, quamvis promiſſerit Petro, & Succeſſoribus, ipſos non erraturos ex Cathedra, hoc tamen non abſtulit ab eis potentiam antecedentem errandi ex Cathedra.

19. Dico tertio: *Talis impotentia errandi ex Cathedra non conſiſtit in aliquo dono intrinſeco habitualiter communicato Pontifici, ſed ſolum in aſsiſtentia Spiritus Sancti per auxilia actualia, & efficacia ad non errandum.* Ita Salmant. *in præſenti, num.* 15. & probatur, quia prædicta impotentia, vt oſtenſum manet, non eſt impotentia antecedens, ſed conſequens: Sed ad inducendam impotentiam conſequentem, ſufficiunt auxilia actualia efficacia ex aſsiſtentia Spiritus Sancti provenientia: Ergò non requiritur donum habituale intrinſecum, ſeù intrinſecè communicatum Papę. Confirmatur, quia ad hoc tantum requiritur impotentia illa errandi in Papa, vt Eccleſia fide divina, & infallibili poſsit eius definitionibus inhærere, & cum omnimoda ſecuritate illas credere: Sed ad hoc non requiritur in Papa impotentia intrinſeca errandi proveniens illi ex aliquo intrinſeco dono permanenter communicato, ſed ſatis eſt impotentia extrinſeca ex aſsiſtentia Spiritus Sancti medijs auxilijs actualibus efficacibus illi communicata: Ergò. Minor probatur, nam vt Eccleſia fide divina, & infallibili ſecuritate in

hæreat definitionibus Papę, ſufficit, quod Papę definitiones ſint infallibiles ex divinâ revelatione, ſeù promiſsione, ſeù ex divina Authoritate eis tribuente infallibilitatem: Sed ad hoc non requiritur, quod Pontifex intrinſecè, & in ſe ſit impotens errare ex Cathedra, ſed ſatis eſt, quod habeat aſsiſtentiam Spiritus Sancti infallibiliter ſibi promiſſam, ſeù revelatam; nam ex vi talis promiſsionis, & revelationis authorizatur definitio Pontificis Authoritate divina: Ergò. Confirmatur ſecundo: Nam ad ſecuritatem, & infallibilitatem Eccleſię ſufficit, quod ſit infallibile Pontificem non erraturum in his, quę ex Cathedra docet: Sed quamvis Pontifex ex ſe, & intrinſecè habeat potentiam errandi, poteſt eſſe infallibile omninò Pontificem non erraturum, nempè ex vi aſsiſtentię Spiritus Sancti per auxilia actualia eficacia infallibiliter illi promiſſa: Ergò non requiritur Impotentia intrinſeca, & antecedens ratione alicuius doni permanentis, ſed ſatis eſt prædicta aſsiſtentia Spiritus Sancti per auxilia actualia infallibiliter promiſſa. Explicatur: Si Deus revelaret toti Eccleſię de aliquo individuo determinato ipſum non peccaturum, poſſet tota Eccleſia fide divina infallibili credere ipſum non peccaturum, & de hoc habere infallibilem ſecuritatem: Si tamen per hoc non auferretur ab illo potentia intrinſeca, & antecedens peccandi: Ergò quamvis à Pontifice non auferatur per donum intrinſecum permanens potentia intrinſeca, & antecedens errandi ex Cathedra; ſi tamen Deus revelaverit, ſicut de facto revelavit, ipſum ex aſsiſtentia Spiritus Sancti non erraturum, poterit Eccleſia fide infallibili, & omnimoda ſecuritate credere ipſum non erraturum.

20. Confirmatur tota hæc doctrina ex Div. Thom. *Quodlib. 9. artic. 16.* vbi ſic ait: ***Dicendum, quod aliquid poteſt iudicari poſsibile ſecundum ſe, quod relatè ad aliquid extrinſecum impoſsibile inveniatur. Dico ergò, quod iudicium eorum, qui præſunt Eccleſię, poteſt errare in quibuſlibet, ſi perſonę eorum reſpiciantur. Si verò conſideretur Divina Providentia, quę Eccleſiam ſuam Spiritu Sancto dirigit, vt non erret, ſicut ipſe promiſsit Ioann. 14. quod Spiritus adveniens doceret omnem veritatem, de neceſſarijs, ſcilicet, ad ſalutem, certum eſt quod iudicium Eccleſię vniverſalis errare in his, quæ ad fidem pertinent, impoſsibile eſt. Vndè magis ſtandum eſt ſententiæ Papæ, ad quem pertinet determinare de fide, quam quorumlibet ſapientum hominum in Scripturis opinioni.*** Ergò ſentit Div. Thom. quod ſi Perſona Pontificis inſpiciatur, ipſe quidem errare poteſt ex Cathedra, potentia nempè intrinſeca, & antecedenti, ſed tamen impoſsibile omninò eſt ipſum de facto errare, ſi attendatur ad promiſsionem Chriſti, & aſsiſtentiam Spiritus Sancti promiſſam illi ad non errandum, & hoc ſufficit ad ſecuritatem, & infallibilitatem Eccleſię.

21. Sed obijcies: Pontifici Summo debet concedi ea indefectibilitas, qua maior excogitari poſsit, ſi non repugnet: Sed non repugnat ipſum fieri infallibilem in definiendo per donum intrinſecum permanens, vi cuius fiat intrinſecè impotens errare: Ergò id illi concedendum eſt. Confirmatur: Quia Scriptori Canonico debet concedi donum aliquod intrinſecum permanens, vi cuius ſit impotens intrinſecè, & antecedenter ſcribere falſum, ſeù errare in his, quę ſcribit: Ergò pariter Pontifici. Antecedens probatur, quia abſque tali dono intrinſeco Scriptor Canonicus maneret potens errare; ſed hoc dici nequit de Scriptore Canonico, quia ſi eſſet potens errare, non eſſet infallibile quod ſcribit: Ergò. Confirmatur ſecundo, quia ſi Pontifex haberet potentiam intrinſecam, & antecedentem errandi ex Cathedra, non eſſet vndè certificaremur infallibiliter ipſum non erraturum, ſi enim intrinſecè, & ex ſe retinet potentiam antecedentem errandi, quis ſciet, aut vndè colliget infallibiliter ipſum nunquam erraturum, quandoquidem abſolutè poteſt errare: Sed debemus certificari infallibiliter de eo quod Pontifex ex Cathedra nunquam erravit, nec errabit: Ergò.

22. Reſpondeo, negando minorem, quia alias deberet concedi Pontifici ſcientia infuſa, impeccabilitas, aut viſio Beata, & alia quę non repugnant, quia eo ipſo eſſet maior eius indefectibilitas: Solum ergò concedi debet illi ea indefectibilitas, quę requiritur, & ſufficit ad ſecuritatem, & infallibilitatem Eccleſię: Hæc autem non requirit quod ſit per donum intrinſecum, ſed ſatis eſt, quod ſit per aſsiſtentiam Spiritus Sancti modò explicato illi promiſſam. Ad primam confirmationem, nego antecedens. Ad cuius probationem, diſtinguo maiorem: Abſque dono illo intrinſeco Scriptor Canonicus maneret potens errare potentia antecedenti, concedo maiorem: Potentia conſequenti, nego maiorem, & minorem, quia vè Scriptori Canonico præſtetur fides infallibilis, non requiritur, quod careat potentia antecedenti ad errandum, ſed ſatis eſt quod ſit infallibile ipſum non erraturum; hoc autem componitur cum potentia intrinſeca, & antecedenti ad errandum; ſi nimirum in actu ſecundo moveatur ab Spiritu Sancto in his quę ſcribit, ſicut movetur Scriptor Canonicus. Ad ſecundam confirmationem, nego maiorem, quia quamvis Papa habeat poteſtatem intrinſecam, & antecedentem erran-

errandi, tamen adeſt promiſsio Chriſti, & eius revelatio infallibilis certificans Eccleſiam de aſſiſtentia Spiritus Sancti vt non erret, & ex hac promiſsione, & revelatione certificari poſſumus infallibiliter, quod quamvis habeat potentiam errandi ex Cathedra, non tamen errabit.

23. Obijcies ſecundo: Quando Pontifex conſecratur, accipit ſpecialem Caracterem, vi cuius conſtituitur Pontifex, & conſequenter impotens errare ex Cathedra: Sed Caracter, eſt donũ, vel qualitas intrinſeca intrinſecè impreſſa animę: Ergò Pontifex eſt ex dono intrinſeco impotens errare ex Cathedra: Et quidẽ impotentia antecedenti, quia cum Caracter ſit indelebile, ſi ratione illius ſit impotens errare, talis impotentia erit antecedens, cum ſit indelebilis à ſubiecto. Maior, in qua eſt dificultas, probatur, quia vbi eſt diſtincta poteſtas de iure divino, ponendus eſt diſtinctus Caracter, vel ſaltèm diſtinctus modus Caracteris antecedentis, ipſum extendens, hac enim ratione probant Theòlogi, quod, dum Epiſcopus conſecratur, imprimitur illi novus Caracter, vel modus ſuper additus Caracteri Sacerdotis, ipſum perſiciens, & extendens ad novam poteſtatem: Sed Pontificatus importat novam poteſtatem de iure divino diſtinctam à Poteſtate cuiuſvis alterius Epiſcopi: Ergò dum Pontifex conſecratur, imprimitur illi novus Caracter, vel modus intrinſecus, &c.

24. Reſpondetur, negando maiorem, immò, & ſuppoſitum, quia Papatus non confertur aliqua vera conſecratione, non enim fit per manuum impoſitionem, nec habet materiam, & formam determinatam, ſed facta legitima electione ab hominibus, ipſo facto recipit à Chriſto curam Paſtoralem totius Eccleſię, ac Pontificiam Dignitatem, authoritatem, & ſupremam iuriſdictionem, non per impreſsionem Caracteris, ſed purè per commiſsionem illi à Chriſto factam: Hoc intellige, quando electus ſupponitur iam conſecratus Epiſcopus, nam ſicut, quãdo vnus Epiſcopus titularis deſignatur Epiſcopus alicuius Diœceſis, vel Archiepiſcopus, vel Metropolitanus, hoc non fit per novam conſecrationem, nec impreſsionem novi Caracteris, ſed purè per commiſsionem, vi cuius illi committuntur oves illius Diœceſis, vel Metropolis, data illi iuriſdictione ſuprà illas, ſic ſimiliter, quando qui iam eſt Epiſcopus conſecratus, eligitur in Pontificem Supremum totius Eccleſię.

25. Ad probationem autem maioris dico, quod Papatus non importat novam poteſtatem ordinis, ſed ſolum iuriſdictionis, & in ordine ad regimen Eccleſię, ſed non in ordine ad conficienda Sacramenta diſtincta: Et in hoc differt ab ordine Epiſcopali, nam Epiſcopus accipit novam poteſtatem ordinis, & in ordine ad nova Sacramenta, nam ratione illius Dignitatis poteſt confirmare, & ordinare Sacerdotes, & conſecrare Epiſcopos, quod non poteſt purus Sacerdos. At Pontifex, ratione Pontificatus non poteſt conficere nova Sacramenta, quę anteà non poſſet, ſed ſolum extenditur poteſtas illius ad plures oves, nempè ad totam Eccleſiam, cuius accipit curam Paſtoralem, & iuriſdictionem ſupremam.

26. Sed dices: Cum Pontifex eligitur, aliquid accipit à Chriſto, alias non acciperet Authoritatem, Dignitatem, aut iuriſdictionem ſupremam: Quid ergò eſt illud quod recipit, ſi non eſt donum intrinſecum, aut intrinſeca aliqua qualitas? Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Accipit aliquid denominativè extrinſecè, concedo: Intrinſecè, & entitativè, nego antecedens, & ad interrogationem reſpondeo alia interrogatione: Quid enim accipit Epiſcopus vnius Diœceſis, cum deſignatur Epiſcopus alterius? Si nihil accipit quomodo accipit novam iuriſdictionem, & authoritatem? Si aliquid accipit, quid eſt illud? Reſpondeo ergò huiuſmodi Dignitates, & iuriſdictiones, ſeù Authoritates eſſe denominationes extrinſecas ex inſtitutione Superioris procedentes; per hoc enim præcisè, quod Summus Eccleſię Paſtor inſtituit aliquem conſecratum Epiſcopum, in Paſtorẽ alicuius Diœceſis, ille accipit à Papa iuriſdictionem, & Dignitatem, authoritatem quę in illam Diœceſim, denominatione deſumpta ex inſtitutione illius. Sic ergò, dum eligitur Pontifex, à Chriſto accipit ſupremam iuriſdictionem, & Authoritatem in vniverſam Eccleſiam denominativè extrinſecè ab inſtitutione Chriſti, qua inſtituit in ſui Vicarium, quemcumque Eccleſia lègitimè eligeret, & deſignaret.

27. Dico denique, *Papam eſſe infallibilem in doctrina morum, quam ex Cathedra docet pro vniverſali Eccleſia.* Ita communiter Theologi. Et merito, quia Papa non ſolum eſt regula viſibilis credendorum, ſed etiam eſt regula doctrinę neceſſarię ad ſalutem, non enim eſt minus neceſſaria in Eccleſia fides infallibilis myſteriorum, quam doctrina infallibilis de moribus, & virtutibus, nam ad ſalutem ęternam aſſequendam, vtraque neceſſario requiritur: Sed quia ad ſalutem eſt neceſſaria fides infallibilis myſteriorum, Papa eſt regula infallibilis talis fidei, vt homines poſsint medio tali regula diſcernere infallibiliter fidem veram à falſa: Ergò

gò

gò pariter, quia neceſſaria eſt ad ſalutem in Eccleſia doctrina vera, & infallibilis morum, debet Papa poni vt regula infallibilis talis doctrinę, vt fideles poſsint in vi talis regulę diſcernere veram à falſa doctrina. Confirmatur, quia Indè colligitur Papam eſſe regulam infallibilem in definiendis ex Cathedra myſterijs fidei, quia in fidei controverſijs ſemper Eccleſia recurſum facit ad Cathedram Apoſtolicam Romani Pontificis: Sed etiam, dum eſt controverſia aliqua de doctrina morum, Eccleſia recurſum facit, & fecit ſemper ad Cathedram Romani Pontificis: Ergò quia Romanus Pontifex eſt regula infallibilis doctrinę morum, ſicut & fidei.

28. Advertit tamen Suarez *in præſent. diſput. 5. ſect. 8. num. 95. Hoc aſſertum intelligendum eſſe quantum ad ſubſtantiam, ſeù quantum ad honeſtatem morum, nam quoad circunſtantias, vel multiplicandi præcepta, vel rigorem, aut nimias pœnas, non eſt inconveniens aliquando committere Papam aliquem humanum defectum.* Eandemque limitationem inquiunt PP. Salmát. intelligendam eſſe de Papa approbante Religionem aliquam, quod ſcilicèr poſsit committere humanum defectum, vel approbando nimium rigorem, vel nimis indulgendo, & relaxando precepta, vel approbando laxiorem vitam pro ſtatu Religioſo, licèt ipſum de facto in aliquo ex his errare nemini pronunciare liceat, niſi fortè recurrendo ad ipſam Sedem Apoſtolicam, ipſamque informando de motivis vrgentibus ad errorem reformandum, ſi forſan contigerit, cum debita ſubiectione.

QVÆSTIO XIII.

AN PAPÆ AUTHORITAS SIT ſupra Concilium, & ab illo independens.

1. CONSTAT ex ſupradictis, Summum Pontificem habere Authoritatem infallibilem in controverſijs fidei definiendis ex Cathedra, Supremamque poteſtatem gubernativam totius Eccleſię, ſed his temporibus magna exorta in Galijs diſputatio eſt, circa huiuſmodi Supremam Poteſtatem, & Authoritatem Papę, eo quod aliqui Doctores ſcribere auſi ſont Concilium Generale habere Authoritatem ſuprà Papam, & ex Papę definitione, & ſententia appellari licere ad Generale Concilium. Sed in contra ſurrexere ex omni penè Eccleſię Academia Doctores Sapientiſsimi, qui pro viribus Pontificiam Authoritatem à prædicta ſubiectione, & dependentia doctiſſimè, & eruditiſsimè vindicarunt, quibus iniuriam facerem, ſi quid ex profeſſo tractaꝛe vellem, ſpeciatim tamen aliqua curſim libabo.

2. Suppono ergò, quæſtionem non procedere de Papa aliquo dubio, aut hæretico, ſed de Papa certo, acceptatoque ab vniverſa Eccleſia: De hoc igitur loquendo.

3. Dico primò: *Authoritas, & iuriſdictio Papę eſt ſupra Concilium vniverſale, & conſequenter illi minimè ſubiecta.* Ita iam communiter omnes Catholici. Probaturque, quia Papa ex Chriſti inſtitutione eſt Caput vniverſalis Eccleſię, Paſtorque, & Rector illius; ſed de ratione Capitis eſt habere Authoritatem, & iuriſdictionem ſupra Corpus, cuius Caput eſt, Paſtor, & Rector, & illi minimè ſubijci: Ergò Papa habet Authoritatem, & iuriſdictionem ſupra vniverſam Eccleſiam, & illi minimè ſubijcitur. Sed Concilium vniverſale ad ſummum poteſt repræſentare vniverſalem Eccleſiam: Ergò Papa habet Authoritatem, & iuriſdictionem ſupra Concilium vniverſale, & illi minimè ſubijcitur. Confirmatur primò: Quia Papa non accipit ſuam iuriſdictionem, & Authoritatem ab Eccleſia, ſed immediatè à Chriſto, vt conſtat ex ſupradictis *quæſt.* 10. *à num.* 13. & *quæſt.* 7. *à num.* 11. Ergò Papę Authoritas, & iuriſdictio independens eſt ab vniverſali Eccleſia, & illi minimè ſubiecta. Secundo: Quia ſi Concilium Generale haberet iuriſdictionem, & poteſtatem ſupra Papam, Papa non eſſet Supremum Caput, & Paſtor Eccleſię, ſiquidem Eccleſia haberet Superiorem Poteſtatem ad ipſum: Sed de fide eſt Papam eſſe Supremum Caput, & Paſtorem Eccleſię, vt vidimus ſuprà *quæſ.* 8. & 9. Ergò. Tertiò: Quia ſi Concilium Generale, ſeù Eccleſia in illo congregata non eſſet ſubiecta, & ſubordinata Papę, ſed è contra, Eccleſia ſic congregata non eſſet per ſe vna, ſed purè per accidens poſſet adunari in fide, & definitionibus factis, per ſe tamen eſſet multiplex, & diviſa. Sed de fide eſt Eccleſiam eſſe per ſe vnam: Ergò debet eſſe ſubordinata, & ſubiecta vni Capiti viſibili, & non è contra. Maior probatur: Siquidem poſſent Patres, & Epiſcopi congregati inter ſe diſsidere, & non eſſet aliquod vnum, cui de iure incumberet, eorum diſsidia decidere, ſiquidem Concilium illud nulli Superiori ſubordinaretur: Ergò Eccleſia ſic congregata non eſſet per ſe vna, ſed expoſita per ſe diviſio-

ni, & ſchiſmati. Vidè ſuprà *quæſt.* 7.

4. Secundò probatur, *ex Cap. licèt de Vibanda, de elect.* vbi ſic dicitur: *In Ramana verà Eccleſia ſpeciale aliquid conſtituitur, quia non paterit ad ſuperiorem recurſus baberi*: Sed ſi Concilium Generale eſſet ſupra Papam, ex Romana Eccleſia eſſet recurſus ad Superiorem, nempè ad Concilium: Ergò. Secundò, *ex Cap. inferius* 21. *diſt.* vbi ſic dicitur: *His itaque ex Divina Scriptura cammemaratis, Sale clarius exbibuimus, eum, qui maioris eſt poteſtatis* (nempè Papam) *non paſſe quemquam, qui minoris Autboritatis eſt, eum iudicijs ſuis addicere, aut praprijs definitionibus ſubiugare*: Ergò Papa nulli in tertis ſubijcitur iudicio, & conſequenter nec Concilio Generali. Tertiò, *ex cap. Nunc autem* 21. *diſt.* vbi de Pattibus congregatis in Concilio ſinueſſano pro caſu Marcelini Papę, ſic dicitur: *Nullus tamen eòrum proferre ſenteutiam auſus eſt, dum ei ſæpiſsimè omnes dicerent, tuo ore iudica cauſam tuam, non noſtro iudicio: Et iterum, nolli audiri in noſtra iudicio, ſed callige in ſinu tuo cauſam tuam: Et rurſus: Quoniam ex te, inquiunt, iuſtificaberis, aut ex ore tua condemnaberis: Et iterum dicunt: Prima Sedes à nemine indicatur.* Quartò, *ex cap. Papę* 9. *quæſt.* 4. ibi: *Patet Profecto Sedis Apoſtolicæ (cuius Autboritati maius non eſt) iudicium à uemine fore retractandum, neque cuiquam de eius licere iudicare iudicio.* Quintò, *ex Cap. Nemo* 9. *quæſt.* 3. vbi Innocentius ſic ait: *Nema iudicabit primam Sedem.* Sextò, *ex Cap Aliorum eadem cauſa, & quæſt.* vbi Symachus Papa ſic ait: *Aliorum bominum cauſas Deus voluit per bomines terminare, ſed Sedis iſtius Præſulem ſuo ſine quæſtione reſervavit arbitrio: Valuit B. Petri Apoſtoli Succeſſores Cælo tantum debere Innocentiam.* Septimò, *ex Cap. facta* 9. *quæſt.* 3. vbi Anterus Papa ſic ait: *Facta Subditorum iudicantur à nobis, noſtra varò à Damino iudicantur.* Octavò, *ex Cap. Cuncta* 9. *quæſt.* 3. vbi Gelaſius Papa, ſic ait: *Cnucta per Mundum novit Eccleſia, quod Sacroſanta Romana Eccleſia fas de amnibus habeat iudicandi, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio*: Sanè ex his Canonibus ab vniverſali Eccleſia receptis, luce clarius emicat, Pontificem Romanum ſolius Dei iudicio ſubijci, non verò alterius, etiam Concilij Generalis. Ex quo

5. Dico ſecundò: *Ex omni Eccleſia licet appellare ad Summum Pontificem, ex illo tamen non licèt appellare ad Cancilium Generale.* Patet ex dictis, quia appellatio non interponitur licitè, niſi ex inferioris ſententia ad Tribnnal Superioris: Sed vt oſtenſum manet, Summi Pontificis Authoritas eſt ſupra omnem Eccleſiam, & iam vt in Concilio Generali congregatam: Ergò ex omni Eccleſia licet appellare ad Summum Pontificem, non tamen ex ſententia Summi Pontificis ad Concilium Generale.

6. Secundò probatur hæc veritas ex Concilio Sardicenſi, quod ſemper ab Eccleſia vt legitimum, & vniverſale, fuit receptum, in eo enim *Car.* 4. ſic dicitur: *Cum aliquis Epiſcopus depoſitus fuerit eorum Epiſcoporum iudicio, qui in vicinis locis commarantur, & proclamaverit agendum ſibi negotium Ramæ, alter Epiſcopus in eius Catbedra poſt appellationem eius, qui videtur eſſe depoſitus, omninò non ordinetur, niſi cauſa fuerit in iudicio Romani Epiſcopi terminata.* Idemque ſtatuitur *Can.* 7. Ergò ex omni Eccleſia licèt appellare ex iudicio Epiſcoporum ad Romanũ Pontificem, ita vt cauſa non cenſeatur terminata, vſque dum terminata fuerit, & iudicata ab ipſo. Secundò, ex Gelaſio Papa, *ad Fanſtum,* vbi ſic ait: *Ipſi ſunt Canones, qui appellationes totius Eccleſiæ ad huius Sedis examen valuere deferri, ab ipſa verò nuſquam prorſus appellari debere ſanxerunt.* Idemque *in Epiſtal. ad Epiſcopos Dardaniæ,* ſic ait: *Ad illam de qualibet Mundi parte Canones appellari voluerunt, ab ipſa autem nemo eſt appellare permiſſus.* Quid clarius?

7. Tertiò ex Div. Thom qui *quæſt.* 10. *de Potent. artic.* 4. *ad* 13. ſic ait: *De Geſtis Calcedonenſis Concilij babetur*: Primò, *quod ſententia Synodi à Papa confirmatur.* Secundò, *quod à Synodo appellatur ad Papam.* Tertiò, *quod à Papa ad Synodum non appellatur, vt habetur ex Geſtis Concilij Ephæſini.* Confirmatur denique ex Div. Antonino, *in Summa Titul.* 23. *Cap.* 3. §. 3. vbi ſic ait: *Neque ad Concilium Generale à Papa appellari poteſt, quia Papa omni Concilio Superior eſt, nec robur habet, quidquid agitur, niſi Autboritate Romani Pontificis, & roboretur, & confirmetur: Sentire ergò, quod ad Concilium à Papa appellari poſſit, eſt hæreticum, & contra illum Articulum: Vnam Sanctam Eccleſiam Catbolicam.* Et ratio eſt, quia vt ſupra vidimus *quæſt.* 7. Vnitas Eccleſię viſibilis per ſe requirit vnum viſibile Caput Supremum: Si autem à Papa appellari liceret ad Concilium, iam Pontifex non eſſet Supremum Caput, vel eſſet preter ipſum aliud Caput ad quod fieret appellatio, nempè Concilium, vel qui Concilio præſideret; eſſent ergò duo Capita Suprema in Eccleſia: Ergò Eccleſia non eſſet vna, ſiquidem vnum Corpus non habet niſi vnicum Caput, niſi ſit Corpus monſtruoſum, quod de Eccleſia dici nequit, niſi hæreticè.

8. Confirmatur denique diſcurſu deſumpto ex Dubalio Doctore Sorbonico, *Qui lib.* 4. *quæſt. poſt.* ſic ait: *In cauſa appella-*

Digitized by Google

tionis, appellans, à poteſtate, & iuriſdictione eius, à quo appellat, eximitur : At in nullo caſu poteſt quis à iuriſdictione, & Poteſtate Romani Pontificis eximi : Ergò in nullo caſu poteſt quis appellare à Romano Pontifice ad aliud Tribunal. Minorem probat : *Quia alioquin non eſſet amplius illius ovis, & per conſequens nec Chriſtianus, cum Chriſtus in quoſcumque Chriſtianos, Petro dederit poteſtatem his verbis : Paſce oves meas, non has aut illas, non huius, aut illius Regionis, ſed vniverſim, oves meas, id eſt, omnes, qui Chriſtianæ Religioni nomen dederint, vt eleganter* 3. *de Conſid. docet Bernardus*. Ergò nulli Chriſtiano licet ſe eximere à iuriſdictione, & Poteſtate Papæ.

QUÆSTIO XIIII.

AN CONCILIUM SIT REGULA infallibilis fidei.

1. SUPPONENDUM eſt, quod vt Concilium habeat Authoritatem in Eccleſia, debet eſſe legitimè congregatum, id eſt, ab habente legitimam poteſtatem convocandi ad ipſum. Suppono ſecundo, Concilia eſſe in triplici differentia. Primi generis ſunt Synodi Diœceſanę, quę minus propriè appellantur Concilia, quia ſolum in eis concurrit proprius Epiſcopus cum ſuis Parrochis, & alijs Senioribus ſibi Subditis. Secundi generis ſunt Concilia Provincialia, quę congregantur ex Epiſcopis alicuius Regni, vel Provincię, præſidente in eis, vel Metropolitano, vel Primate illius Regni, vel Provincię. Certi generis ſunt Concilia Generalia, Concilium namque Generale eſt illud, quod congregatur ex vniverſa Eccleſia Catholica, concurrentibus omnibus Epiſcopis, & Paſtoribus per ſe, vel per ſuos ſubſtitutos, & ex omni Chriſtiana Academia Doctoribus, ac Peritis, & alijs, qui ad vniverſalem Eccleſiam repræſentandam conducere poſſunt. Hoc ſuppoſito.

2. Dico primò : *Concilium, niſi ſit legitimum, & legitimè congregatum, non habet Authoritatem infallibilem in Eccleſia* : Ita omnes Catholici Doctores. Et ex hoc Capite plurium Conciliorum ſtatuta nullam, vel dubiam Authoritatem habent in Eccleſia; nullam, ſi conſtet ea non fuiſſe legitimè congregata, tenuem aut dubiam, quando de eorum legitimitate non conſtat, ſed dubitatur.

3. Dico ſecundo : *Synodi Diœceſanæ, nec Concilia Provincialia non habent Autoritatem infallibilem in Eccleſia, ſed ſolum fallibilem, nunc maiorem, nunc minorem, iuxta amplitudinem Provinciæ, vel Regni congregati, vel etiam iuxta qualitatem Patrum in eis concurrentium.* Ità etiam communiter Doctores Catholici. Et ratio eſt, quia huiuſmodi Concilia errare poſſunt, vt erravit Concilium Provinciale Cartaginenſe, definiens baptizatos ab hæreticis iterum baptizandos eſſe; & ſimilia Concilia errare poſſe definivit Symachus Papa, in Romana Synodo. Et merito, nam Concilium Provinciale non habet Authoritatem ſuprà vniverſam Eccleſiam, nec poteſt vniverſam Eccleſiam obligare ad aliquid credendum; itemque cum vniverſalem Eccleſiam non repræſentet, non eſt illi infallibiliter promiſſa aſsiſtentia Spiritus Sancti : Ac demum, quia vnum Concilium Provinciale nõ habet per ſe conformitatem cum alio alterius Regni, vel Provincię, ſed poteſt ab illo diſsidere, ſiquidem nec ſubordinantur inter ſe, nec vni tertio : Sed regula infallibilis fidei debet eſſe per ſe vna in Eccleſia, incapaxque per ſe diviſsionis, aut contrarietatis : Ergò Concilium Provinciale per ſe non eſt regula infallibilis fidei. Et hoc intellige, niſi confirmetur à Papa, vt continens doctrinam ab vniverſa Eccleſia credendam, nam tunc haberet Authoritatem infallibilem, non ex ſe, ſed ex Papę definitione pro vniverſa Eccleſia.

4. Dico tertio : *Concilium Generale, non congregatum à Papa, ſeù in quo Papa non præſideat per ſe, vel per ſuos Legatos, aut in quo non procedatur ſubordinatè, & ſub vnione ad Romanam Eccleſiam, quantumvis generale videatur, nec eſt legitimum, nec habet Authoritatem infallibilem in Eccleſia* : Ita communiter Catholici DD. & ita eſt ſæpè definitum in Concilijs, & in Epiſtolis decretalibus. Et probatur, quia Concilium ſine Papa, & ab illo deſiectum, aut diviſum, eſt Corpus ſine Capite, nequitque dici, adhùc repræſentativè, vniverſa Eccleſia, ſed truncata, ac proindè illi non eſt infallibiliter promiſſa aſsiſtentia Spiritus Sancti : Demque eſt expoſsitum diviſioni, ſiquidem ſine ſubordinatione ad vnum Caput, non poteſt habere per ſe vnitatem : Ergò non habet Authoritatem infallibilem pro tota Eccleſia. Et ex hoc defectu amiſiit Authoritatem Baſilienſe Concilium, quia licèt eſſet in principio legitimè congregatum, diſceſſit tamen poſteà ab obedentia debita Papę, & ab illo ſe diſiunxit, vndè de Concilio factum eſt Conciliabulum.

5. Dico quartò : *Concilium Generale legitimum, in quo præſens adeſt Papa, ſeù per ſe, ſeù*

ſeù per ſuos Legatos, ſi definiat cum ſubordinatione ad directionem Papę, & à Papa conſirmetur, eſt regula infallibilis fidei pro Eccleſia Catholica. Conſtat ex illo *Actor.* 15. vbi primæva Eccleſia in Concilio congregata, dixit : *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis*, vbi ſupponitur Concilium illud, & conſequenter quodlibet aliud legitimum, in quo vniverſalis Eccleſia congregatur, regi ab Spiritu Sancto, cum aliquid definit: Ergò eſt regula infallibilis veritatis, & fidei. Conſtat ſecundo ex perpetua Eccleſię traditione, nam à principio Eccleſia conſuevit congregare Concilia vniverſalia pro controverſijs fidei definiendis, & iuſsit fidem infallibilem præſtari definitionibus à ſe factis, & contradicentes anathematizavit, & tanquam apertos hæreticos declaravit; vndè Gregorius Magn. *lib.* 1. *Epiſtol. cap.* 24. dixit, quatuor Concilia prima generalia habenda eſſe, quaſi quatuor Evangelia : Eſt ergò Generale Concilium prædicto modo definiens, regula infallibilis fidei, ſicut Evangelium. Conſtat tertio : Quia Concilium Generale prædicto modo congregatum, & definiens repræſentat integram Eccleſiam quantum ad Corpus, & Caput, nam ſupponimus de corpore vniverſo Eccleſię concurrere Principes Eccleſiaſticos, qui vniverſum Corpus Eccleſię repræſentent, deindè concurrit Papa, qui eſt ipſum Caput, vel pro ipſo Legati, cum eius directione, qui ipſum debitè repræſentant, & tandem ipſe Papa approbat, & confirmat : Ergò definitio Concilij cum hac legitimitate facta eſt ſententia totius Eccleſię, cum ſuo Capite legitimè congregatę : Sed ſententia totius Eccleſię cum ſuo Capite eſt infallibilis, ſicut Eccleſia ipſa, quę eſt Columna, & firmamentum veritatis: Ergò.

6. Sed dices : Per nos Pontifex Romanus ſe ſolo ex Cathedra definiens eſt regula viſibilis animata fidei : Sed non poteſt regula viſibilis animata eſſe duplex, quia aliàs poſſet vna ab alia diſcordare, & fides Catholica divideretur : Ergò Concilium non eſt regula animata fidei, & conſequenter nec infallibilis. Reſpondeo, conceſſa maiori, & minori, negando conſequentiam, quia Concilium legitimum in ratione regulę fidei non ponit in numero cum Papa, ſed facit cum illo vnam, & eandem regulam viſibilem fidei. Vndè hoc argumentum ſolum militat contra eos, qui Concilio ſine Papa definienti, & ſine ſubordinatione ad eius directionem, attribuunt Authoritatem infallibilis regulę.

(·.·)

QUÆSTIO XV.

IN QUIBUS ALIJS PAPA ERRARE non poſsit?

1. CONTROVERSIÆ in Eccleſia poſſunt eſſe, vel de doctrina fidei, quę appellantur Controverſię iuris. Vel de factis particularibus. Vel mixtę ex vtroque. Propterea ſigyllatim diſcurram per ſingula. Igitur.

2. Dico primo : *Papa habet Authoritatem infallibilem in definiendis controverſijs iuris divini ſeù doctrinę Catholicę.* Eſt de fide, & conſtat ex dictis, quæſtione præcedenti, quia pro his controverſijs eſt Papa regula viſibilis fidei divinę : Sed regula viſibilis fidei divinę, debet eſſe infallibilis, cum fides divina ſit infallibilis : Ergò. Ex quo.

3. Dico ſecundo : *Papa habet Authoritatem infallibilem diſcernendi veram à falſa Scriptura, ſeù definiendi, quinam ſint veri Libri Canonici.* Patet, quia controverſia de Libris Canonicis, & de verè Scriptura, potiſsimè ſpectat ad doctrinam, & fidem, & ad mores, & eſt controverſia iuris, & non facti particularis; nam idem eſt definire, quænam ſit vera Scriptura, ac definire quænam ſit vera doctrina fidei, & morum à Deo verè dictata : Sed in controverſijs doctrinę, & fidei eſt Papa regula infallibilis : Ergò etiam in definienda vera Scriptura: Et hoc etiam eſt de fide.

4. Dico tertio: *Papa habet Authoritatem infallibilem determinandi ſenſum Sacrę Scripturæ, & quę in ea, aut in traditione Apoſtolica ſivè explicitè, ſivè implicitè continentur.* Ita etiam communiter Theologi, qui hoc eſſe de fide tenent. Patet, quia Papa, cum ſit regula animata fidei, eſt Interpres Divinus Divini Verbi, ſivè ſcripti, ſivè non ſcripti : Ergò habet infallibilem aſsiſtentiam Spiritus Sancti ad interpretandum Verbum Divinum, ſivè ſcriptum, ſivè per traditionem acceptum : Sed interpretare Verbum Divinum, eſt declarare ſenſum illius, & hoc ipſum eſt definire, quę in illo, & per illud revelantur à Deo, ſivè explicitè, ſivè implicitè : Ergò ad hoc habet Authoritatem infallibilem.

5. Dico quarto : *Papa habet Supremam Authoritatem determinandi omnes controverſias facti, ſpirituales, & Eccleſiaſticas, quę concernunt fidem, & Doctrinam Catholicam, ſivè ſalutem animę, & ſimiles cauſas terminandi.* Ita etiam

Digitized by Google

etiam communiter Catholici omnes. Et pater, quia Papa eſt Iudex Supremus Eccleſiç,cum Suprema Authoritate gubernativa Eccleſiç : Ergò habet Supremam Authoritatem determinandi, & terminandi omnes controverſias verè Eccleſiaſticas, quç verè, & propriè ad Eccleſiç gubernationem ſpectant:Sed omnes controverſię facti, quç concernunt fidem, & ſalutem animarum,ſunt cauſç verè Eccleſiaſticç,vereque ad Eccleſiç iuriſdictionem ſpectantes : Ergò habet Supremam Authoritatem illas determinandi : Ex quo apertè ſequitur habere etiam Authoritatem illas terminandi : Nam ibi terminatur aliqua cauſa,vbi fertur de illa vltimum iudicium, non relicto loco appellationi, nec recurſui ad Superius Tribunal, vel iudicium : Sed eo ipſo quod Authoritas Papç in his controverſijs definiendis ſit Suprema, poteſt ferre de illis vltimum iudicium,ita vt non maneat recurſus, nec appellatio ad Superius Tribunal in terris, quia ſi maneret, iam Papç Authoritas in illis controverſijs, vel cauſis non eſſet Suprema in terris : Ergò habet Authoritatem tales controverſias, & cauſas terminandi.

6. Ex quo apertè conſtat, quod quotieſcumque agitur, vel controvertitur de criminibus perſonarum, aut de poſſeſsionibus Eccleſiaſticis, aut de alijs factis particularibus, Pontifex eſt Supremus Iudex,cuius iudicium eſt vltimum ſine appellatione ad Superius Tribunal, nec ad Concilium quidem vniverſale,vt ex dictis conſtat.

7. Maior difficultas eſt, an in hoc authoritas Papç ſit infallibilis, ita vt in his facti controverſijs determinandis, ſit infallibilis omninò? Pro eius enodatione, ſupponendum eſt, quod non loquimur de factis revelatis in Sacra Scriptura, aut quç ex Apoſtolica traditione conſtare poſsint ; nam cum hæc poſsint eſſe obiectum fidei, vtpotè iam divinitus revelata, per ſe ſpectant ad doctrinam fidei, & ſic definiri poſſunt vt de fide, & conſequenter Authoritate infallibili, exemp. g. Virginitas perpetua B. V. Conceptio eius in gratia, eius Aſſumptio in corpore Glorioſo, & alia huiuſmodi. Solum ergò eſt difficultas de factis particularibus de novo in Eccleſia contingentibus, quę non ſunt revelata Verbo Dei,nec in Sacra Scriptura, nec ex traditione Appoſtolica. Et de his.

8. Dico quinto : *Quod Papç Authoritas in his controverſijs, & cauſis determinandis non eſt omninò infallibilis ; ſed errare poteſt, nec Papa poteſt talia facta definire vt fide divina, & infallibili credenda in Eccleſia.* Ita expresſè, Div. Thom. *Quodlib. 9. artic.* 16. Belarm. *lib. 4. de Pontifice,cap.* 2. vbi cum alijs tenet,Papam, *etiam vt Pontificem, & cum Concilio generali errare poſſe in controverſijs facti particularibus,quæ ex informatione, teſtimonijsque hominum præcipuè pendent.* Idem tenent Baronius, & Spondanus in Hiſtoria Honorij Papç *ad an. D.* 556. & communiter omnes Doctores Dogmatici,qui infallibilitatem Papç,& Generalis Concilij in controverſijs fidei definiendis defendunt : Nam ſexta Synodus Generalis Conſtantino-politana ſub Agatone Papa damnavit Honorium vt hæreticum Monotelitam,idemque fecerunt ſeptima,& octava Synodus Generalis : Et tamen poſtcà inventum eſt, Honorium minimè fuiſſe hæreticum, & ab hæreſi vindicatur communiter à Catholicis : Ex quo hæretici conantur inferre, nec Papam,nec Concilium cum illo habere Authoritatem infallibilem : Ad quod reſpondent communiter Catholici Controverſiſtç, Concilium cum Papa illud confirmante erraſſe in controverſia facti,ſed non in controverſia fidei, iuria, aut doctrinç : Nam rectè quidem,& veraciter damnavit hæreſim Monotelitarum negantem in Chriſto duas voluntates, & duas operationes, ſed erravit exiſtimando talem hæreſim contineri in Epiſtola Honorij Papç ad Sergium, quia talis Epiſtola minimè illam hæreſim continet,vt demonſtrant Controverſiſtç. Accipe aliud exemplum : In Concilio Calcedonenſi approbata fuit,vt orthodoxa, Epiſtola venerabilis Ibç ad Maryn Perſam,contra Cyrilum,& ex illa,ipſe vt Catholicus, & ab hæreſi immunis fuit iudicatus, quin & Vigilius Papa, veſtigijs Calcedonenſis Concilij inhærerens, eundem Ibam, & eius Epiſtolam orthodoxam pronunciat ex Authoritate Sedis Apoſtolicç, & tria Capitula Concilij Calcedonenſis,in quibus hæc ſententia continebatur, ſimiliter approbat. Et tamen Concilium Æcumenicum Conſtantino-politanum, quod fuit quinta Synodus Generalis, à tota Eccleſia recepta, contrarium omninò definit, *Collat.* 8. *cap.* 13. his verbis : *Siquis defendit Epiſtolam Ibæ, quam ad Maryn Perſam hæreticum dicitur ſcripſiſſe, quæ abnegat Deum Verbum ex Virgine Maria Incarnatum,& eam non Anathematizat, & qui præſumit eam defendere, vel inſertam ei impietatem nomine Sanctorum Patrum, vel Concilij Calcedonenſis, Anathema ſit.* En Concilium Generale contra aliud Concilium Generale, & contra definitionem Papç definit oppoſitum: non ergò, arguunt hæretici, habet Authoritatem infallibilem nec Papa,nec Concilium in definiendo. Sed reſpondent Controverſiſtç Catholici, in illis tribus Capitulis Concilij Calcedonenſis, de quibus ſubortç ſunt ingentes diſſenſiones in Eccleſia Dei, ſolum contineri contro-

ver-

verſiam facti, non iuris, fidei, aut doctrinę, ac proindè ſolum inferri, Papam, aut Concilium errare poſſe in quæſtione facti decidenda, ſalva ſemper eius infallibilitate in definiendis controverſijs fidei. Vndè S. Gregorius Magnus *lib.* 3. *Epiſtol.* 37. inquit, quod in quinta Synodo Generali Conſtantino-Politana, *de perſonis tantummodo, non autem de fide aliquid geſtum eſt.* Itemque Sitmundus, *in præfat. ad Facundum* ſic ait: *Vigilius, liberam eſſe controverſiam intelligens, & quæ vtram in partem vergeret, ad fidei doctrinam nihil attineret &c.* Petavius, *Theol. Dogm. de Incarnat. lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 7. ſic ait: *Citrà hæreſim ſcidit Eccleſiæ Catholicæ concordiam, & illam diù, ac vehementer exagitavit, famoſa de tribus Capitulis controverſia.* Quia nempè illa non erat controverſia fidei, ſed facti. Idem aſſerit Baronius, *ad annum.* 556. *num.* 2. Idem Cardinalis Palavicinus, *in Hiſtoria Concil. Trid. lib.* 11. *cap.* 8. idem, & alij RR. qui de infallibilitate Romani Pontificis ſcripſerunt.

9. Ratio verò potiſsima præcedentis aſſerti eſt, quia facta iſta recentia, & particularia, de eo, v. g. quod hic vel ille ſit hæreticus, aut alio crimine infectus, revelata dici nequit nec explicitè, nec implicitè, nec in Sacra Scriptura, nec ex traditionibus Apoſtolicis, quia nulla horum factorum revelatio extat, nec conſtat: Sed ea, quę à Deo non ſupponuntur revelata, definiri nequeunt nec à Papa, nec à Concilio Generali, vt fide divina, & infallibili credenda in Eccleſia: Ergò de prædictis factis particularibus non poteſt dari definitio, quę illa faciat de fide in Eccleſia credenda: Ergò nec definitio omninò infallibilis: Ergò nec Papa, nec Concilium habet infallibilitatem omnimodam in definiendis illis factis, aliàs ea facta facerent de fide infallibili, & divina. Cætera patent, & minor, in qua ſola ſtat difficultas, probatur efficaciter, quia vt omnes Catholici iam fatentur, obiectum formale fidei divinę, & infallibilis eſt divina authoritas vt revelans, ſeù Dei Verbum, & Teſtimonium Divinum, aſſerereque fidem divinam, & omninò infallibilem alteri motivo, ſeù fundamento, quam Dei Verbo, & Teſtimonio, inniti poſſe, ad minus, temerarium foret, nam fides Catholica nihil credit, niſi vt dictum, & revelatum à Deo: Ergò ea facta, quę à Deo non ſupponuntur revelata, definiri nequeunt vt de fide divina tenenda in Eccleſia, nec Authoritate Concilij, nec Papę.

10. Sed contra inſurgit Modernus Jeſuita, Ricardus Arſdekin, *in ſua Theologia tripart. tom.* 1. *tract.* 1. *cap.* 10. *quæſt.* 3. Mordicus propugnans infallibilem omninò eſſe Papam in controverſijs definiendis pro vniverſa Eccleſia, ſivè illę contineant quæſtionem iuris ſivè facti. Et probat ſic: Certum eſt fide divina omnibus Catholicis, Eccleſiam vniverſam, cuius Caput eſt Romanus Pontifex, non poſſe in credendo errare: Atqui, ſi definitio Pontificis in doctrina facti eſſet obnoxia errori, in eundem errorem traheretur vniverſa Eccleſia: Ergò in proponenda Eccleſię huiuſmodi doctrina, non poteſt Pontifex errare. Minorem probat, quia de facto Pontifex Summa Poteſtate aliquid definiens in quæſtione facti, diſtrictè, & ſub Anathemate mandat id credi, & recipi ab vniverſa Eccleſia, eo tenore, quo procedit in quæſtione iuris, & tota Eccleſia tenetur eius mandato obtemperare: Ergò ſi Pontifex in definienda facti quæſtione eſſet fallibilis, abſolutè poſſet, immò, & deberet vniverſa Eccleſia in eundem errorem induci. En, inquit, quo pertingit noxius error! Qui, dum in facti quæſtione, Pontificis Authoritatem convellit, eadem ruina involvit vniverſam Eccleſiam, & ipſam Columnam, & firmamentum veritatis. Hanc verò in Pontifice circa facti quæſtiones inviolabilem poteſtatem ab Eccleſia agnitam ſemper, receptamque fuiſſe, ex ſuis ipſa monumentis teſtabitur: Sunt hæc facti quæſtiones, an cum Corpore Chriſti remaneat panis ſubſtantia in Sacramento Euchariſtię: An Chriſtus aquam vino miſcuerit in vltima cœna: An per Baptiſmum, & confirmationem imprimatur Caracter Sacramentalis: An Eccleſia antiquiſsimis temporibus vſa fuerit Indulgentijs: An Deipara ſemper Virgo permanſerit, &c. Has verò quæſtiones Leo X. Pontif. per ſuam Bullam contra Modernos Hereticos reſolvit, ac definit, ſuamque definitionem vniverſę Eccleſię, ſub Anathemate credendam proponit, idemque poſteà in Concilio Tridentino præſtitum fuit. Contra hanc Pontificis definitionem, nemo Ortodoxus excepit, nemo ad facti latebras confugit, nemo in his quæſtionibus ſine erroris periculo decidendis, præter Sectarios, Summi Paſtoris Authoritatem in dubium revocavit. Hanc igitur ſemitam in alijs facti controverſijs teneat neceſſe eſt, qui non cupit novo exemplo à priſcis Patrum veſtigijs, & veritate deviare, &c. Sic declamat præfactus Author, contra quem, aut quos, neſcio.

11. An fortè contra omnes, qui oppoſitum tenent? Ergò contra alium Ieſuitam ſuum, nempè P. Franciſcũ Leytan Luſitanũ, qui in ſuo Eruditiſsimo, ac *impenetrabili Pontificiæ Dignitatis Clypeo, diſcep.* 5. *num.* 179. expreſsè aſſerit, Pontifices, & Concilia, *erraſſe in facto Honorij, quamvis non in iure, illam enim hæreſim*

ree-

rectè damnabant, in quocumque ſubiecto fuerit ; de facto tamen errarunt falsò exiſtimantes, ex falſa informatione, hæreſim illam fuiſſe commiſſam ab Honorio, quod pertinet ad factum, non ad ius. Demonſtratur hoc , inquit , *quoad me evidenter, &c.* idem reperit, *diſcep. 7. ſect. 3. num. 45. & num. 50.* vbi ait : *Concilio legitimo , & vnito Capiti ſuo Romano Pontifici, propter aſsiſtentiam infallibilem Spiritus Sancti, non poteſt errare circa ius, fuit ergò error facti , vel ex falſa informatione , vel ex Epiſtola corrupta per aliquem hæreticum , ſivè malevolum Chriſtianum, neque enim Chriſtus promiſsit infallibilem aſsiſtentiam teſtibus, & accuſatoribus, ne falſum deponerent.* Et *diſcep. 8. ſect. 6. num. 54.* inquit : *Sic duo Concilia Generalia , & duo Pontifices , Honorij Innocentis memoriam damnarunt Monotaliſmi, & poſteà repertum fuit , illum numquam crimen illud admiſiſſe , ſed potius condemniſſe , vt nos ſupra evidenter demonſtravimus, cur etiam, quod evenit in Honorio iam mortuo, evenire non poterit in aliquo Pontifice adhùc, vivo.* En qualiter Leytan Summum Pontificem , non ſolum poſſe errare aſſerit in quæſtione facti , ſed & Pontifices, & Concilia Generalia de facto in ſimilibus quæſtionibus erraſſe. Videat ergò P. Arsdekin contra quem declamat , dum inquit: *En quo pertingat noxius error! Qui dum in facti quæſtione Pontificis Authoritatem convellit , eadem ruina involuit vniverſam Eccleſiam, &c.*

12. Igitur ad obiecta ipſius , diſtinguo maiorem : Certum eſt fide divina omnibus Catholicis , Eccleſiam vniverſam , cuius Caput eſt Romanus Pontifex, non poſſe in credendo errare, quando credit aliquid vt dictum à Deo, ſeù fide divina, concedo maiorem: Quando non credit illud vt dictum à Deo , nec fide divina, ſed purè vt iudicatum dependenter à depoſitione teſtium, licèt à Supremo interris Iudice , nego maiorem : Et diſtinguo minorem eodem modo, vel illam nego. Ad cuius probationem , nego antecedens , quia in quæſtione iuris regulariter Pontifex definiendo , mandat illud recipi ab Eccleſia , & credi fide divina, nempè vt dictum à Deo , & contentum in Verbo Dei: At dum definit in quæſtione facti, vel non obligat ad fidem veram, & internam de tali facto, ſed ſolum ad acceptationem illius ſententię in foro externo, vel ſaltèm non obligat ad illud factum credendum fide divina , nempè vt à Deo revelatum, & dictum, cum ſic revelatum non ſupponatur , ſed ad Summum fide inferioris generis, & fallibili, in reverentiam , & obedientiam Sedis Apoſtolicę, in qua fide falli poteſt Eccleſia vniverſa : Et quidem in Concilio Calcedonenſi erat formaliter vniverſa Eccleſia, & etiam in quincta Synodo Conſtantino-politana; & tamen vnum vel alterum erraſſe in quæſtione facti, communiter cenſent Theologi: Item in duobus Concilijs Generalibus cum ſuis duobus Pontificibus erat congregata vniverſa Eccleſia, dum Honorium damnavit Monoteliſmi, & tamen poſteà inventum eſt Honorium nunquam crimen illud admiſiſſe, vt inquit P. Leytan : Non ergò eſt impoſsibile in quæſtione facti, quę non ſpectat ad fidem, nec ad ſalutem eſt neceſſaria , vniverſam Eccleſiam aliquando errare, & falli ad tempus ſaltèm ex falſa teſtium depoſitione, vel informatione: Et quidem, quod, dum Pontifex cum Concilio , vel ſine illo definit quæſtionem facti, non obliget ad credendum illud factum fide divina , nec illud faciat de fide propriè loquendo, certum debet eſſe, quia dum Concilium Calcedonenſe cum Vigilio Papa approbavit venerabilem Ibam , & eius Epiſtolam , vt Orthodoxam , innumeri Catholici poſteà reclamarunt , quin tamen pro hæreticis habiti fuerit, immò S. Gregorius Papa, in illa contentione , *de perſonis tantummodo, non de fide aliquid geſtum eſſe* , ait. Immò *lib. 3. Epiſtol. 14.* de quodam , qui contra Conſtitutiones Appoſtolicas , tria Capitula Concilij Calcedonenſis, defendebat, adverſus quintam Synodum Conſtantino-politanam , ſic ait : *Præſentium lator Fælix, cum nullatenus in hæreticorum dogmata lapſus ſit, nec à Catholica fide diſceſſerit , pravis illectus adverſus Coſtantino Politanam Synodum ſuſpicionibus , in Iſtricorum ſe ſeparatione removerat, &c.* Item : *Quia ergò, vt dictum eſt , non in hæreſim incidit , ſed à Sacris Eccleſię generalis Myſterijs , quaſi rectæ ſtudio veritatis erravit , &c.* Non ergò hæreticus fit , qui in quæſtione puri facti, Conſtitutionibus Apoſtolicis contradicit, aut Concilio Generali : Sed eſſet hæreticus, ſi Pontifex definiens , aut Concilium, obligarent ad fidem divinam , & infallibilem de tali facto: Ergò ad talem fidem non obligant. Mitto, quod Arsdekin definitionem in quæſtione facti, doctrinam appellat, quam Pontifex vniverſę Eccleſię proponit. In quo quidem, vel fallitur, vel abvtitur terminis , quia deciſio facti perſonalis, minimè ad doctrinam Eccleſię vniverſalis ſpectat, nec vt talis vnquam à Papa proponitur, quod enim hic vel ille fuerit re ipſa ſymoniacus , aut hæreticus, minimè ad doctrinam Eccleſię per ſe pertinet, ſolumque ad talem doctrinam ſpectat, an hoc, vel illud aſſertum, præſcindendo à perſonis, ſit hæreticum, an hoc vel illud factum ſit ſymonia.

13. De indè ad declamationem, dico, illam non eſſe ad rem , nam dato , quod ille quæſtiones de Corpore Chriſti , de miſtionis aquę in vltima Cœna, de impreſione Caractere

in

In Baptiſmo, & alijs ennumeratis, eſſent quæſtiones facti, non ſunt quæſtiones facti recentis non revelati, nec ex Apoſtolica traditione accepti, de quo procedit præſens difficultas, ſed facti, vel antiqui, vel revelati in Sacro Textu, aut in traditione Apoſtolica, explicitè, vel implicitè, & in hoc ſenſu definiuntur ab Eccleſia: Ex his autem conſequentiam facere ad facta recentiora non revelata, nec implicitè, nec explicitè, & illa facere obiecta fidei divinę infallibilis, non capio qua ratione liceat. Deindè illę quæſtiones, propriè loquendo, non appellantur quæſtiones facti, nam quod non remaneat in Euchariſtia ſubſtantia panis, formaliſsimè ſpectat ad doctrinam, & intelligentiam Sacramenti Euchariſtię, & illorum Verborum *Hoc eſt Corpus meum*, in quibus ſatis expreſsè revelatur non eſſe ſubſtantiam panis. Quod Chriſtus miſcuerit aquam vino in vltima Cœna, ſpectat ad ius divinum, indè enim pendet, quod ex iure divino debeat in Sacrificio fieri illa mixtio: Quod in Baptiſmo imprimatur Caracter, etiam eſt doctrina generalis pro intelligētia illius Sacramenti, & ſic de alijs: Inepte igitur nummerantur, inter facti puri quæſtiones, contraponendo quæſtionem facti ad quæſtionem iuris, & docti inę fidei.

DE DEFINITIONIBVS MIXTIS.

14. RESTAT caſus, in quo, vt ſolet, Summus Pontifex definit propoſitiones aſſertas ab aliquo Authore, vel in aliquo libro eſſe hæreticas, aut alia cenſura dignas, an per talem definitionem maneat definitum de fide illas propoſitiones fuiſſe dictas ab illo Authore, aut contentas in illo libro, prout damnantur; nam huiuſmodi Papę definitio videtur definire doctrinam, & factum ſimùl; doctrinam, in quantum definiendo propoſitionem aliquam eſſe hæreticam, definit contradictoriam vt de fide tenendam; factum, in quantum declarare videtur illam doctrinam vt hæreticam traditam fuiſſe ab illo Authore, vel contentam in illo libro: Difficultas ergò eſt, an Papę Authoritas ſit ęquè infallibilis, & ęquè faciat de fide factum, ac doctrinam, nempè, & propoſitionem illam eſſe hæreticam, & ab illo Authore, vel libro traditam: Ita, vt non ſolum ſit hæreticus, qui propoſitionem illam defendere auſus fuerit, ſed etiam qui eam vt hæreticam reijciat, neget tamen à tali Authore traditam, aut in illo libro contentam.

15. Circa quod P. Leytan ſuprà citatus, *diſcept. 7. ſect. 3. num. 50.* Inquit, quod, prout habet recepta Theologorum Doctrina, Sententia Summi Pontificis ordinariè non intendit definire facti quæſtionem, niſi id expreſſiſsimis verbis exprimat, & niſi ſine facto ipſo exiſtente ius definiri non poſsit: Vndè vniverſalis Concilij Sententia, quoad hæreſim damnatum, eſt abſoluta, quoad perſonas damnatas eſt conditionata; quaſi ſic prodeat Oraculum: Monotelismus abſolutè hæreſis eſt: Si verò iſte, vel ille Monotelisſmum admiſsit, Monotelita, & hæreticus eſt, non erit autem, ſi non admiſsit: Immò ſi Concilium diceret: Honorius, de quo ſolum cognoſcimus ex hac fallibili quidem hominum fortè mendacium teſtificatione hæreticum extitiſſe, ſivè teſtes dicant verum, ſivè falſum, eſt hæreticus, eſſet vox Dœmonis, non verò Numinis Oraculum. Hæc Leytan, quamvis ſupponat ſextam Synodum declarantem ſic: *Epiſtolam, ab illo, id eſt, Honorio, reſcriptam ad eundem Sergium, eamque invenientes alienam exiſtere ab Apoſtolicis Dogmatibus, & à definitionibus Sanctorum Conciliorum, & cunctorum probabilium Patrum, ſequi verò falſas doctrinas hæreticorum, eam omnimodè abijcimus.* Et infra: *Simulque Anathematicari prævidimus, & Honorium, qui fuerat Papa Antiquæ Romæ, eo quod invenimus, per ſcripta, quæ ab eo facta ſunt ad Sergium, quia in omnibus mentem Sergij ſecutus eſt, & impia dogmata confirmavit.* Item, lectis Epiſtolis Honorij, ſic inquit Concilium: *Nam ſecus ac cæteræ chartæ, & Litteræ Hæreticorum, igni addicuntur, eo quod cognovimus in vnam ipſam, eandemque impietatem tendere cum ſcriptis Hæreticorum.* Nihilominus aſſerit Leytan, huius Concilij ſententiam eſſe quidem abſolutam, quoad hæreſim, quam damnat, ſed quoad factum, & perſonam Honorij ſolum conditionatam. Et ſic ordinariè contingere in ſententia Summi Pontificis, quando damnat errorem in aliquo Authore, vel ſcripto.

16. Nihilominus dico primo: *Definitio Pontificis damnantis doctrinam aliquam, ſeù propoſitiones in aliquo Authore, vel ſcripto, & proptereà damnantis ipſum Authorem, vel ſcriptum, non ſolum eſt abſoluta, reſpectu doctrinæ, ſed etiam reſpectu perſonæ, vel ſcripti.* Patet, quia Summus Pontifex non ſolum habet Supremam Authoritatem damnandi doctrinam, illamque proſcribendi, ſed etiam circa perſonam, vel librum talem doctrinam continentem, quia non ſolum eſt Supremus Iudex in controverſijs iuris, & doctrinę, ſed etiam in controverſijs facti, vt ſuprà oſtenſum manet: Ergò non ſolum poteſt ferre abſolutam ſententiam de doctrina, ſed etiam de facto, ſeù de perſona, vel libro talem doctrinam continente: Ergò illius ſententia non ſolum eſt

in-

intelligenda vt abſoluta reſpectu doctrinę, ſed etiam reſpectu facti, vel libri, aut Authoris talem doctrinam continentis. Exemp. g. damnavit Innocent. XI. Propoſitiones Molini, vt aſſertas ab ipſo Molino, & ipſum vt Doctorem earum; eius ergò ſententia non ſolum fuit abſoluta circa doctrinam damnatam, ſed etiam circa ipſum, vt reum talis doctrinę traditę. Damnavit Innocent. XII. librum Epiſcopi Cameracenſis, vt continentem propoſitiones reſpectivè erroneas, ſcandaloſas, &c. eius ergò ſententia non ſolum fuit abſoluta reſpectu doctrinę, ſed reſpectu præfati libri damnati.

17. Confirmatur, quia ſi ſolum reſpectu libri vel Authoris fuiſſet conditionata, nullum effectum produceret abſolutè reſpectu libri vel Authoris, quia ſententia purè conditionalis, nullum effectum abſolutè producit, conditionalis enim nihil ponit in eſſe: Sed hoc dici nequit, quia aliàs, poſt prohibitionem, æquè liceret legere talem librum, & defendere Authorem, ſicut antea; quod nullus Catholicus dicet: Ergò. Vrgetur exemplo ipſius Honorij, & eius Epiſtolę damnatę à quinta Synodo Conſtantinopolitana, etenim per Concilij ſententiam Epiſtola Honorij igni addicitur, ſicut cæterę hereticorum chartę, & ſcripta: Sed ſi non eſſet ſententia abſoluta, ſed ſolum conditionata, ſub conditione nimirum, quod illa Epiſtola doctrinam hæreticam contineret, iniuſtum foret, & temerarium talem Epiſtolam igni tradere, aliàs liceret omnia ſcripta Catholicorum igni tradere ante ſententiam abſolutam, ſolum, quia ſub conditione, quod hæreſim continerent, eſſent hæretica: Ergò talis ſententia fuit abſoluta reſpectu illius Epiſtolę. Solum ergò ſententia Concilij, vel Pontificis erit conditionata reſpectu Authoris, vel libri, quando in definitione Pontificis non damnatur Author, vel liber, ſed ſolum doctrina, in quocumque illa reperiatur, nulla facta mentione libri, vel Authoris determinati. At quando damnatur Author, vel liber, aut doctrina reduplicativè vt in tali ſcripto contenta, aut à tali perſona tradita, abſdubio ſententia Pontificis eſt abſoluta reſpectu vtriuſque.

18. Confirmatur ſecundò contra P. Leytan, nam ipſe expreſsè aſſerit Concilium erraſſe in facto Honorij: At qui, ſi Concilij ſententia fuiſſet ſolum conditionata reſpectu facti, minimè erraſſet Concilium in facto; quia nullus eſt error in damnando conditionatè Authorem, vel Epiſtolam ſub conditione quod contineat doctrinam hæreticam: Ergò inconſequenter aſſerit ſententiam Concilij fuiſſe ſolum conditionatam reſpectu Honorij, & eius Epiſtolę. Ex quo.

19. Dico ſecundò: *Fideles ex vi ſententię Papę prædicto modo latę, tenentur illam abſolutè acceptare, ſinè diſtinctione iuris, & facti, ſed abſolutè quoad vtrumque.* Probatur primò, quia ſententia Papę, non ſolum eſt abſoluta quoad ius, ſed etiam quoad factum, & Papę Authoritas non ſolum eſt ſuprema in terris reſpectu doctrinę, ſed etiam reſpectu facti: Ergò reſpectu vtriuſque tenentur Fideles ſententię obtemperare, tanquam ſententię abſolutę Supremi Iudicis in terris, & abſque recurſu ad aliud Tribunal. Secundò, ex perpetua praxi Eccleſię, nam in prima Nicæna Synodo fuit damnata doctrina Arij vt hæretica, ipſeque Arius vt Author talis doctrinę; & tamen fideles non diſtinxerunt inter doctrinam, & perſonam, acceptando ſententiam Concilij quoad doctrinam, & illam recuſando quoad factum, & perſonam, ſed abſolutè acceptarunt quoad vtrumque. Idem contigit in Synodo prima Conſtantino-politana, vbi damnantur doctrinę, & Perſonę Eunomianorum, Arianorum, Semiarianorum, Macedonianorum, Sabellianorum, Appolliniſtarum, &c. Et tamen nullus confugit ad diſtinctionem iuris, & facti, doctrinę, & perſonarum, acceptando, quoad doctrinam, & non quoad perſonas. Concilium Calcedonenſe explicitis verbis damnavit Neſtorium, & eius doctrinam, & ſimiliter Eutychetem, & tamen nemo cum diſtinctione facti, & iuris limitatè acceptavit, ſed omnes Catholici abſolutè. In Concilio Lateranenſi quarto generali, ſub Innocent. damnantur perſona, & doctrina Abbatis Ioachimi de Trinitate, quę ſententia fuit à Fidelibus abſolutè acceptata quoad vtrumque. In Concilio Generali Viennenſi damnantur hæreſes Beguinorum, & Beguardorum: Et ſimiliter ſententia quoad doctrinas, & perſonas acceptata fuit abſolutè. In Concilio Conſtantienſi damnati ſunt 45. Articuli Ioannis Vvicleph, & 30. Ioannis Hus, & eorum perſonę, & acceptata fuit ſententia abſolutè, quoad vtrumque. In Concilio Tridētino damnantur hæreſes Luteri, ac Calvini, & aliorum, & abſolutè fuit acceptata quoad doctrinam, & perſonas. Innocent. XI. damnavit Propoſitiones Molini, & acceptata fuit ab Eccleſia ſententia abſolutè quoad doctrinam, & perſonam: Et tandem Innocentius XII. damnavit propoſitiones, & librum Illuſtriſsimi Epiſcopi Canceracenſis, qui ſententiam acceptavit ſine diſtinctione iuris, & facti, vt ipſe authentico ſcripto notum fecit Vrbi, & Orbi, magis clarus, ac illuſtris hac heroyca ſubmiſsione, & obedientia ſincerè exhibita Sedi Apoſtolicę, quam foret ſuo opere approbato. Conſtat ergò ex hac Eccleſię Praxi, continuata

per cuncta ſecula, Fideles debere acceptare ſententiam Papę mixtam ex iure, & facto, abſolutè quoad vtrumque ſine diſtinctione facti, & iuris; ſiquidem tenentur ſequi praxim antiquam Eccleſię in re tam gravi.

20. Sed dices: In contra eſt, quod Concilium Calcedonenſe abſolvit, & approbabit vt Orthodoxum venerabilem Ibam, & eius Epiſtolam ad Maryn Perſam, & ſimiliter Theodoretum, & Theodorum Mopveſtinum, quę ſunt illa tria capitula quæ tot flamas concitarunt in Oriente, & poſtea quinta Synodus generalis Conſtantino-politana, declarat vt hæreticas doctrinas, & perſonas ipſorum; & inter Catholicos fuit tunc magna diſſenſio circa factum illud, & perſonas, ac ſcripta, licèt non circa doctrinas, vt ſupra vidimus: Ergò licet acceptare definitionem Concilij, & conſequenter Papę, quoad doctrinam, & non quoad perſonam damnatam. Idemque in facto Honorij, quem excuſant Catholici, licèt ſententiam Concilij Calcedonenſis, quantum ad doctrinam, omnes acceptent.

21. Reſpondeo, hoc verum eſſe, ſed ex indè magis confirmatur noſtra aſſertio, nam licèt tunc inter Catholicos fuerit illa diſſenſio circa factum, & non circa doctrinam, fuit tamen cum ingenti damno Eccleſię, totam enim Eccleſiam, licèt citrà hæreſim, ſcidit in factiones, & lites, & ingentes diſcordiarum flamas concitavit, quę ſanè ſopitę fuiſſent, ſi fideles acquieviſſent abſolutè definitioni Concilij Calcedonenſis, quoad factum, & ius: Non ergò licèt cum tanto Eccleſię præiudicio acquieſcere ſententię Pontificis ſolum quoad doctrinam, non tamen quoad factum, aut perſonam.

22. Sed dices: Pontifex, & Concilium errare poteſt in facto, licèt non in doctrina: Demus ergò, quod alicui, vel aliquibus poſt latam ſententiam, conſtet teſtes deponentes, vel delatores falſum depoſuiſſe, vel mentem Authoris, aut libri in pravum, & alienum ſenſum detorſiſſe, aut alio ex capite informationem præmiſſam fuiſſe vitiatam, & ex hoc titulo ſententiam Papę, vel Concilij, quoad factum, & perſonam erraſſe, vt poteſt; cur iſtis non licebit errorem iſtum detegere, innocentiamque perſonę damnatę aut libri propognare? Ad hoc enim Charitas, immò, & iuſtitia obligat, & aliquando pietas, nec enim pietas, iuſtitia, nec Charitas ferre poſſunt, quod vir aliàs Religioſus, Doctus, ac vitę exemplaris, potiſsimè ſi in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutus ſit, vel fuerit, hæreſis nævo deturpetur, ſeù quod liber aliàs vtiliſsimus animabus, vel eruditione refertus, falſa ex calumnia, proſcribatur: Ergò ſi ita contingat, licebit non acquieſcere ſententię Pontificis, quoad factum, ſed fas erit Authorem, vel librum vt innocentem defendere. Reſpondeo, quod ſi alicui, vel aliquibus conſtaret evidenter de innocentia Authoris, vel libri, poſſet quidem motiva innocentię repræſentare Sedi Apoſtolicę, & humiliter apud illam agere, vt error facti, ſeù ſententia, quoad factum, perſonam, aut librum reformaretur, & hoc vnicè apud Supremam Sedem, oſtendendo informationem factam, & præmiſſam erraſſe, & hoc pacto ſatisfaceret charitati, iuſtitię, & pietati; non verò liceret publicè contra illam ſententiam Authoris, vel libri innocentiam propugnare, nã hoc pacto per inobedientiam Sedi Apoſtolicę iniurioſam, ſcinderet Eccleſiam, & ſuſcitaret ſchiſma, & prætextu charitatis, & pietatis, peccaret contra charitatem, & pietatem, & contra obedientiam, longè graviori culpa, vt conſideranti patebit.

23. Dico quartò: *Papa definiens ſimùl doctrinam, & factum, non intendit vtrumque definire vt fide divina ęquè credendum; ſed reſpectu doctrinę obligat ad fidem infallibilem, & divinam, reſpectu verò facti ſolum obligat ad obedientiam, & acquieſcientiam tali ſententię, ita vt qui factum negaret, & contra illud doceret eſſet, quidem inobediens Eccleſię, & ſchiſmaticus, ſed ex hoc præciſè non eſſet hæreticus, niſi definitioni, quoad doctrinam, contradiceret.* Primum patet, quia Pontifex per ſuam definitionem non poteſt intendere facere de fide divina, ſeù obiectum novum fidei divinę, veritatem nullo pacto in Scriptura contentam, nec ex traditione Apoſtolica revelatam: Sed ſupponimus, factum illud, nempè, talem perſonam hæreſim docuiſſe, aut talem librũ hæreſim continere, non eſſe revelatum in Scriptura, nec ex traditione Apoſtolica: Ergò. Videè ſuprà. Ex quo apertè ſequitur, quod ſiquis negaret hoc factum, dummodo doctrinam damnatam damnaret, ex hoc præciſè non foret hæreticus; quia non negaret definitionem quoad obiectum definitum vt de fide tenendum, ſed ſolum quoad factum, non definitum vt de fide, ſed ſolum iudicialiter vt ex obedientia acceptandum. Et item, quia quamvis poſt Concilium Calcedonenſe, plures Catholici negarent factum Honorij, & non acquieſcerent illius ſententię, non ſunt habiti vt hæretici, ſed potius, vt ſuprà vidimus, controverſia illa toties definita, citra hæreſim ſcidit Eccleſiam, quia non fuit in fide, ſed circa perſonas: Ergò ſimiliter quoties Eccleſia definit doctrinam ſimùl, & factum, quicumque definitionem quantum ad doctrinam fidei integrè acceptaverint, ſi quoad factum diſsideant, &

non

non acquieſcant, erunt inobedientes, & ſcindent in hoc Eccleſiam, ſed citra hæreſim.

24. Sed objicies: Summus Pontifex habet Supremam Authoritatem in Eccleſia, non ſolum prohibendi falſas doctrinas vt hæreticas, ſed etiam libros, & Authores eas docentes, quia titulo Supremi Paſtoris ei incumbit non ſolum prohibere ovibus herbas virulentas, & nocivas, ſed arcere gregem à paſcuis, ſeu pratis, in quibus hę herbę naſcuntur, & pululant: Ergò non ſolum eſt infallibilis eius Authoritas dum definit doctrinam eſſe hæreticam, ſed etiam dum definit talem doctrinam in ſenſu hæretico doceri ab aliquo Authore, vel libro: Ergò vtrumque facit de fide divina, & infallibili. Secundo, quia Authoritas Papę, dum definit aliquem librum eſſe Canonicum, ſeu continere doctrinam revelatam à Deo, eſt infallibilis, & id facit de fide divina: Ergò pariter, dum definit aliquem librum eſſe hæreticum, & continere doctrinam adverſam doctrinę divinitus revelatę. Tertiò, quia Authoritas Summi Pontificis eſt infallibilis in definiendo ſenſum Libri Canonici: Ergò etiam in definiendo ſenſum libri heretici: Ergò dum definit doctrinam alicuius libri eſſe hæreticam in ſenſu talis libri, vtrumque definit infallibiliter, & de fide, nempè, & doctrinam eſſe hæreticam, & librum in ſenſu hæretico eam docere. Quartò, quia dum Summi Pontifices approbarunt doctrinam Div. Auguſtini in libris de gratia contra Palagianos, & Semipelagianos, non ſolum fuit infallibilis hæc approbatio, quantum ad doctrinam, ſed quantum ad ſenſum Div. Auguſtini eam ſcribentis, ita vt faciat de fide infallibili, & illam doctrinam eſſe Catholicam, & in ſenſu Catholico eam Div. Auguſtinum tradiſſe: Ergò pariter, dum reprobat, & proſcribit librum hæreticum.

25. Ad primum concedo antecedens, quod certiſſimum, & indubitabile eſt, ſed nego conſequentiam, quia vt Pontifex habeat Supremam Authoritatem in Eccleſia aliquid iudicandi, opus non eſt, quod illa ſit omninò infallibilis, ita vt faciat de fide divina, quidquid iudicet, nam abſdubio habet Supremam Authoritatem iudicandi de criminibus perſonalibus, & poſſeſsionibus Eccleſiaſticis, & tamen hoc iudicium non eſt omninò infallibile, quia procedit ſecundum alegata, & probata ex depoſitione teſtium, & accuſatorum, quibus, vt aiebat ſuprà P. Leytan, non eſt promiſſa infallibilis aſsiſtentia Spiritus Sancti. Sufficit ergò ad rationem Supremę Authoritatis, quod abſolutè obliget abſque recurſu ad aliud Tribunal in terris ad acceptationem talis ſententię, quo pacto obligare poteſt omnes Fideles, ſine omnimoda infallibilitate. Ad ſecundum conceſſo antecedenti, nego conſequentiam, eſt enim magna diſparitas, quia Eccleſia, & Pontifex eſt de iure divino divinus interpres Librorum Canonicorum, & doctrinę ab Spiritu Sancto dictatę; at non eſt de iure divino Interpres cuiuslibet libri à puro homine conſcripti, & ideò in declarandis Libris Canonicis, eorumque ſenſibus habet infallibilem aſsiſtentiam Spiritus Sancti; at in decidēda doctrina, & ſenſu hæretico alicuius Libri hominis non Canonici, procedit iuxta allegata, & probata, per teſtes, ac delatores, quibus non eſt promiſſa infallibilis aſsiſtentia Spiritus Sancti. Et præſertim, quia Libri Canonici ſunt regula infallibilis fidei non animata, quę proindè determinari debet infallibiliter per regulam animatam, quę eſt Summus Pontifex, vndè ſi Summus Pontifex in hoc fallibilis foret, fundamentum fidei fallibile maneret, & tota Eccleſię fides nutaret. At liber, vel ſcriptum aliud particulare puri hominis non eſt regula infallibilis fidei, vel hæreſis, nec firmitas fidei Catholicę pendet ab eo quod ille liber ſit vel non ſit re ipſa hæreticus, dummodo doctrina fidei adverſa, quę ſecundum allegata, & probata iudicatur contineri in eo, reijciatur vt hæretica, quidquid ſit an in allegatis, & probatis intervenerit aliquis error vel falſitas; ab hoc enim non pendet infallibilitas fidei Catholicę. Nec enim licèt alligare infallibilitatem fidei Catholicę libro hæretico, ſicut alligatur Libro Canonico, ita vt ſicut fides de veritatibus Catholicis nititur in eo quod illę ſcriptę fuerint in Libris Canonicis ſenſu, & Spiritu Dei, & veritatis, ita pendeat ex eo, quod doctrinę contrarię ſcriptę fuerit in hoc aut illo libro ſenſu, & ſpiritu erroris, & falſitatis: Et qui fidem Catholicam huic facto alligant, dum illi Authoritatem conciliare contendunt, eam potius deprimere videntur, & extenuare. Nec Summorum Pontificum intentio eſt factum hoc facere de fide divina in Eccleſia, nec fidem divinam huic facto alligare, ſed tantum eſt obligare ad ſententiam de illo ex obedientia acceptandam, ſicut obligant ad acceptandam ſententiā vltimam de criminibus perſonalibus, & de poſſeſsionibus, quin in eis ſententijs intendant conſtituere novum Articulum, aut dogma fidei divinę in Eccleſia. Ex quo patet ad tertium. Ad quartum denique, nego antecedens; quia, quamvis Summi Pontifices approbantes libros D. Auguſtini, eis maximā in Eccleſia Authoritatem contulerint infrà Authoritatem Librorum Canonicorum, nemo tamen hucuſque dixit eos Libris Canonicis ęquaſſe, aut pro Canonicis definiviſſe, ac proindè Pontificia approbatio reſ-

pectu illorum Librorum minimè fuit definitio de fide, nec quoad illorum doctrinam, nec quoad factum, quod ſcilicèt illam Div. Auguſtinus in eo ſenſu, quo ab Eccleſia approbatur, ſcripſerit, immò de ſenſu Div. Auguſtini adhùc diſputant eum magna controverſia Theologi, quin horum aut illorum intelligentia definita cenſeatur, aut de fide.

26. Et hæc quidem diſcrim in hac controverſia, quam ab alijs acriori contentione tractari non neſcio, vnum tamen à me cautum eſſe vellim, ne dicta intelligantur ſingillatim de aliquo ſingulari libro, aut ſingularibus perſonis illud defendentibus, aut impugnantibus, nam caſus in ſingulari ſolet habere circunſtantias tales, quę ad aliter iudicandum eogere poſsint, nec enim impoſsibile eſt, quod aliqui prætextu facti negandi, aut Authorem defendi, doctrinam aliàs hæreticam ſubdolè tueantur. Quo caſu, qui ſic defenderent Librum, vel Authorem, hæreſis poſſent veneno infectos iudicari, ſed non eo præcisè, quod perſonam, vel Librum ab hæreſi damnata immunem defenderent, ſed quia hoc pacto doctrinam ipſam hæreticam protegerent verſutè. Si tamen ſic perſonam, vel Librum defendentes, legitimè ſe purgaſſent ab hac ſuſpicione circa doctrinam, nullo pacto, ſine ingenti iniuria, poſſent hæreſis nota infamari: Iudicare autem de hoc in ſingulari caſu, vel controverſia Sedi Apoſtolicę iuſtiſsimè reſervatur.

DE CANONIZATIONE Sanctorum.

27. POSTREMO occurrit aliquid dicere de infallibilitate Papę in Canonizatione Sanctorum. De qua tres ſententias refert Ioann. à S. Thom. *in præſenti, diſput. 9. artic. 2.* Primam, quę aſſerit definitionem Papę, & iudicium Eccleſię in Canonizatione Sanctorum non eſſe infallibile, ſed errare poſſe, licèt nunquam ſit credendum in particulari, quod erraverit. Secundam, quę tenet, definitionem Papę canonizantis Sanctum eſſe omninò infallibilem, & facere de fide divina Sanctum illum Canonizatum eſſe in Gloria. Tertiam, quę aſſerit, Papam errare non poſſe in Canonizatione facienda, non tamen facere de fide immediatè Sanctum illum eſſe in Gloria, ita vt qui oppoſitum aſſereret eſſet hæreticus, licèt eſſet temerarius, impius, & ſcandaloſus, immò, & pròximus errori, aut ſapiens hæreſim: Et hanc tertiam ſententiam inquit eſſe communiorem inter RR. & pro ea refert, Sylveſtrum, Ioann. de Neopoli, Covarrubias, Div. Antonin. Turrecremata, Canum, Peña, Bañez, & Torres, ac denique Div. Thom. & hanc ſequitur, & ſequimur nos.

28. Dico ergò primo: *Piè credendam eſt, Spiritum Sanctum aſsiſtere Eccleſię, & Pontifici in Canonizatione cuiuſvis Sancti, ac proindè ipſum in eo canonizando errare non poſſe.* Intellige impotentia conſequenti ad aſsiſtentiam Spiritus Sancti, piè creditam. Eſt hæc ſententia expreſsa Div. Thom. *Quodlib. 9. artic. 16.* vbi ſic ait: *Quia tamen honor, quem Sanctis exhibemus, quædam profeſsio fidei eſt, qua Sanctorum Gloriam credimus, piè credendum eſt, quod nec etiam in his iudicium Eccleſię errare poteſt.* Et probatur ratione ipſius, quia dum Summus Pontifex per Canonizationem definit aliquem Sanctum eſſe in Gloria, illum proponit vniverſę Eccleſię, vt obiectum, in cuius honore, & cultu Fideles proteſtentur fidem Catholicam de Gloria Sanctorum: Ergò pietas erga ipſos Sanctos exigit, vt credamus, in tali declaratione aſsiſtere Pontifici Spiritum Sanctum ad non errandum. Explicatur: Impius eſſet, qui de aliquo Sancto Canonizato diceret, ipſum non eſſe in Gloria, & Pontificem erraſſe in eius Canonizatione, ipſique defuiſſe aſsiſtentiam Spiritus Sancti ad non errandum: Ergò pietas exigit, vt credamus non deficere illâ aſsiſtentiam Spiritus Sancti, & conſequenter in vi illius non poſſe errare, dum Sanctum aliquem Canonizat. Explicatur magis, quia pietas erga Sanctos, & erga illorum cultum ſuadet Spiritum Sanctum ſpecialiter curare in Eccleſia de illorum honore, & cultu, & non permittere, quod honor illorum incertus ſit, ita vt poſsit interdum damnatus honorari pro Sancto ab vniverſali Eccleſia, potiſsimè cum Spiritus Sanctus in hoc etiam cultu exhibendo regat Eccleſiam vniverſalem: Sed ſi non aſsiſteret Spiritus Sanctus Pontifici in Canonizatione alicuius Sancti, & Pontifex in ea erraret, fineret Eccleſiam vniverſalem errare in cultu illius Sancti, ſaltèm materialiter, & damnatum honorari pro Sancto: Ergò piè credendum eſt, ſemper aſsiſtere Spiritum Sanctum Pontifici Sanctum aliquem Canonizanti.

29. Vndè, qui oppoſitum diceret, imprimis eſſet *impius* contra Sanctorum cultum, & contra Eccleſiam in illo, quia impium eſt credere Spiritum Sanctum deſerere Eccleſiam vniverſalem, vt colat pro verò Sancto aliquem, qui verè Sanctus nō ſit, ſed reprobus, & damnatus: Et Sancto impietas, & iniuria inferretur, negando illum eſſe in Gloria, poſtquam ab vniverſa Eccleſia vt talis reputatur. Eſſet etiam *Scandaloſus* toti Eccleſię, ſiquidem cunctos Fide-

deles, qui hoc audirent, ſcandalizaret, vt per ſe patet. Eſſet etiam *Temerarium*, quia eſſet contra iudicium commune Eccleſię, à quo diſcedere in quacumque materia, temerarium eſt. Eſſet item *errori proximum, & ſapiens hæreſim.* Nam error contra fidem, ſeù hæreſis eſt, dicere Pontificem ęquè poſſe errare in Canonizatione Sanctorum, ſicut quemlibet alium hominem particularem; hic enim fuit error Vvicleph. vt refert Thomàs Vvaldenſis *tom. 3. de Sacrament. cap. 122.* & eſt hæreſis manifeſta, quia eſt negare Pontifici ſpecialem poteſtatem canonizandi Sanctos, ſi enim in hoc errare poteſt ęquè, ac alius quælibet homo, non magis poterit certificare Eccleſiam, quam quilibet alius homò; non ergò habebit ſpecialem, nec Supremam Authoritatem canonizandi Sanctos, ſiquidem illos canonizare eſt certificare Eccleſiam de illorum Sanctitate, & Gloria: Sed huic errori proximè accederet, & hanc hæreſim ſaperet, qui negaret Spiritus Sancti aſsiſtentiam in huius, aut illius Sancti Canonizatione; ſeù qui diceret Pontificem interdum in his Canonizationibus errare poſſe: Ergò hoc dicere eſt errori proximum, & ſapiens hæreſim. Ac demum, quia qui hoc diceret, maximè faveret hæreticis negantibus, & irridentibus Sanctorum cultum, & Canonizationem: Ergò ſaperet hæreſim, & approximaret errori.

30. Dico ſecundo: *Dum Summus Pontifex aliquem Sanctum canonizat, non facit immediatè, directè, & abſolutè de fide illum eſſe Sanctum, & in Gloria, ſed ſolum id certificat certitudine proximè accedente ad fidem, & ſapiente fidem.* Ita Ioan. à S. Thom. *loco citato*, cum Authoribus tertię ſententię. Et præſertim cum Div. Thom. *qui loco citat.* inquit: *Quod Canonizatio eſt medium inter iudicium Papę de rebus fidei definiendis, & de particularibus factis, vt cum agitur de criminibus, poſſeſsionibus, &c.* Sed ſi faceret immediatè, & abſolutè de fide Sanctum illum eſſe in Gloria, eius iudicium computandum eſſet propriè cum iudicio de rebus fidei, & non vt medium inter tale iudicium, & iudicium de criminibus, & poſſeſsionibus, nec D. Thom. diceret vt infrà dicit: *Piè credendum eſt, nec in his iudicium Eccleſiæ errare poſſe*, relinquendo id pietati Fidelium, ſed potius ex fide illos obligaret ad id credendum: Ergò iuxta Div. Thom. Canonizatio non eſt definitio de fide, nec facit immediatè, & abſolutè de fide divina, Sanctum Canonizatum eſſe in Gloria.

31. Secundo: Quia Pontifex ſolum definit, vt immediatè, & abſolutè de fide, quod ſupponitur revelatum, vel in Sacra Scriptura, vel ex traditione Apoſtolica: Sed nec in Sacra Scriptura, nec ex traditione Apoſtolica conſtat revelatio aliqua, vi cuius reveletur abſolutè Sanctum aliquem determinatum eſſe in Gloria: Ergò id non definitur à Papa vt de fide divina tenendum in Eccleſia. Probatur, quia licèt conſtet ex Sacra Scriptura, & traditione Apoſtolica futuros in Eccleſia Sanctos, qui ex Militante tranſeant ad Eccleſiã Triumphantem, quos verè poſsit Eccleſia colere, & honorare, & eorum apud Deum interceſsionem flagitare, tamen huiuſmodi traditio, & revelatio non eſt abſoluta, & determinata reſpectu vllius Sancti, determinati in ſingulari, ſed vaga, indefinita, & confuſa de Sanctis futuris in genere: Ergò de nullo in particulari ſupponitur abſolutè, & determinatè revelatum, ipſum futurum in Gloria, ſeù in Eccleſia Triumphante, præſertim tempore determinato. Ex quo patet diſparitas ad ſequentem paritatem.

32. Obijcies enim: De nullo determinato individuo eſt revelatum futurum in Eccleſia verum Papam; & tamen hoc non tollit, quod ſit immediatè abſolutè de fide Innocentium XII. eſſe verum Papam: Ergò licèt de nullo Sancto in individuo, & determinatè ſit revelatum eſſe in Gloria, poteſt id, media definitione Pontificis, fieri immediatè, & abſolutè de fide. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: De nullo determinato individuo eſt revelatum futurum verum Papam, de nullo inquam determinato per proprium nomen, aut per propriam differentiam individualem, concedo: De nullo determinato ratione Officij, & dignitatis Determinatę, & ſingularis in Eccleſia, nego maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam. Itaque dupliciter determinari poteſt aliquod individuum, nempè, vel ratione proprij nominis, & perſonalis deferentię, vel ratione proprię, & ſingularis Dignitatis, vel Officij: Determinatur primò modo, quando nominatur nomine perſonali: Determinatur ſecundò modo, quando nominatur, vel deſignatur ex Officio, & Dignitate ſingulari: Sicut ergò cenſetur nominatim, & determinatè excommunicatus vitandus in Eccleſia, qui per excommunicationem determinatè ſignificatur, vel per nomen proprium, & perſonale, vel ratione ſingularis Dignitatis, ſeù Officij, ita revelatio cenſebitur determinata, & non indefinita, quando determinat obiectum ſingulare, ſivè illud determinet nomine perſonali, ſivè nomine ſingularis Dignitatis, & Officij: Igitur revelatio de vero Papa futuro in Eccleſia Dei, non eſt indefinita, & confuſa, ſed determinata, quia licèt non revelet de Innocentio XII. non, nomine perſonali expreſſo, revelat tamen de illo deſignato nomine *Petræ*, ſuprà quam ędifica-

ca-

& ſub tacita conditione, quod re ipſa deceſſerit in gratia ſicut conſtat ex Eccleſiæ informatione; quam conditionem non licèt explicitè apponere, nec eam exprimere in credendo, quia de illa non licèt dubitare propter maximam certitudinem, quam poſt Eccleſiæ declarationem habet.

35. Sed contra prædicta ſolet obijci; in primis contra primum aſſertum, nam vt communiter attribuitur Div. Auguſtino, *multa corpora honoratur in terra, quorum animæ torquentur in gehena*: Ergò credi poteſt Eccleſiam errare in aliquorum Canonizatione Sanctorum. Secundò, *ex cap. à nobis, & 2. de ſententia excommunicationis*, vbi apertè dicitur, *quod iudicium Dei, veritati, quæ nec fallit, nec fallitur, ſemper innititur, iudicium verò Eccleſiæ, nonunquam opinionem ſequitur, quam, & fallere ſæpè contingit, & falli*: Sed in Canonizatione Sanctorum Eccleſia, ſeù Papa non innititur iudicio Dei, quia non innititur divinæ revelationi, aut traditioni Apoſtolicæ, ſed informationi homanæ factæ de vita, morte, & miraculis illius Sancti, quæ quidem informatio falli poteſt ex falſitate paſſiva, vel activa teſtium: Ergò in tali Canonizatione Eccleſia errare poteſt. Confirmatur, quia quòd Sanctus deceſſerit in gratia, aut fecerit miracula, eſt quæſtio facti, & non iuris aut doctrinæ: Sed in quæſtione facti ſuprà diximus Pontificem poſſe errare: Ergò, & in ſententia Canonica de Sanctitate huius vel illius.

36. Ad primum reſpondeo, illud dictum in Auguſtino non inveniri, vt teſtatur ex Bellarmino Ioann. à S. Thom. *in præſenti*, & caſu, quod inveniatur, intelligendum eſt de honore humano, privata vel humana Authoritate exhibito, ita vt ſenſus ſit, quod multorum corpora honorantur inſignibus Epitaphijs, & Sepulcris, vel alio honore humana tantùm Authoritate exhibito, quorũ animæ ſont in inferno, non autẽ ſenſus eſt de honore exhibito ab vniverſa Eccleſia Authoritate Apoſtolica Sanctis canonizatis, de quibus eſſet impium temerarium, & ſcandaloſum credere, quod aliquorum animæ eſſent in gehena. Ad ſecundum dico, quod ex illo Textu ad Summum ſequitur, quod non nunquam Eccleſia ſequatur opinionem inferẽda ſententia, vt cum eam profert in quæſtionibus puri facti, quæ non patiuntur maiorem certitudinem, vt de criminibus perſonalibus, & poſſeſſionibus. Attamen ſententia Canonizationis non poteſt dici ſententia puri facti, quia licèt præmittatur informatio de facto, nempè de vita, morte, & miraculis, quæ quidem informatio ſolum facere poteſt de ſe certitudinem moralem; tamen, hac ſuppoſita, Pontifex declarat ipſum Sanctum eſſe in Gloria, in qua declaratione licèt non innitatur revelatione determinatè hoc revelante, & ideò non ſit declaratio immediatè, & abſolutè de fide, piè tamen credi debet quod in illa ſpecialiter dirigitur ab Spiritu Sancto, & quod vi huius directionis errare nequit, potiſſimè cum huiuſmodi declaratio quodammodò ſpectet ad leges communes Eccleſiæ, & reductivè ad fidem, quia declaratur Sanctus vt obiectum cultus, & proteſtationis fidei, & in his piè credendum eſt Papam errare non poſſe, & quamvis in informatione præmiſſa poſſit intervenire falſitas, tamen piè credi debet, quod ſi falſitas ſubſtantialis intervenieſſet, Spiritus Sanctus non permitteret Pontificem declarare, ſeù Canonizare illum, de quo fuiſſet falſa informatio.

37. Ad confirmationem, dico quòd an Sanctus deceſſerit in gratia, & fecerit vera miracula, eſt quæſtio facti, de qua inquiritur per teſtes, & argumenta fallibilia, ſed ſuppoſita certitudine morali maxima de hoc facto, declarare ipſum vt glorificatum, & vt Sanctum colendum ab vniverſali Eccleſia non eſt ſententia puri facti, ſed quæ ſpectat ad doctrinam, & mores Fidelium, & ad fidem reductivè, & applicativè, quatenus præcipit cunctis Fidelibus vt proteſtentur fidem, & exerceant cultum Religionis venerando illum vt Sanctum, & applicando illi doctrinam, & fidem, quam de Gloria Sanctorum tenet Eccleſia in vniverſali.

38. Obijcies ſecundò contra ſecundum aſſertum: Cum Pontifex aliquid abſolutè, & ſimpliciter definit, illud facit abſolutè de fide: Sed Pontifex, cum canonizat Sanctum, interdum abſolutè definit ipſum eſſe in Gloria, vt patet ex Bulla Canonizationis S. P. N. Franciſci de Paula, in qua Leo X. ſic inquit: *Declaramus ac definimus ipſum æterna Gloria condonatum fuiſſe, &c.* Ergò id facit abſolutè de fide. Reſpondeo cum Ioan. à S. Thom. *in præſenti*, diſtinguendo maiorem: Cum Pontifex aliquid definit abſolutè, & ſimpliciter, vt quid abſolutè revelatum in Sacra Scriptura, aut ex traditione Apoſtolica, concedo quod illud facit de fide abſolutè: Cum illud definit abſolutè, & ſimpliciter ſolum per modum vltimæ ſententiæ definitivæ circa rem abſolutè, & determinatè non revelatam, nego maiorem, & explicata minori eodemmodo, nego conſequentiam. Nam licèt Leo X. fortè propter ingentia, & plura miracula, quæ in proceſſu Canonizationis S. P. N. Franciſci de Paula, ei præſentata fuere, primum vſus fuerit illius verbis: *Declaramus, ac definimus,*

mus, ſignificans firmitatem ſui iudicij, & ſententię; cum tamen id non definierit vt determinatè contentum in Verbo Dei, ſeù determinatè revelatum à Deo, non eſt intelligendum quod illud definierit vt de fide cui vniverſa Eccleſia acquieſcere teneatur. Vel dic iuxta vltimum aſſertū, Leonem X. definiviſſe de N. Paulitano Parenti, tanquam de fide abſoluta extrinſecè, & ſimili fide credendum in Eccleſia, ipſum ęterna Gloria condonatum fuiſſe, & idem in alijs Canonizationibus, præſertim, in quibus Papa tali methodo vſus fuerit.

39. Contra tertium aſſertum, dices: Si ſolum eſſet de fide extrinſecè abſoluta, ſed tacitè conditionata, Sanctum Canonizatum eſſe in Gloria, maximè, quia conditio tacita, nempè: *Si re ipſa deceſsit in gratia, & fuit perfectè purgatus*, non remaneret omninò, & metaphyſicè infallibilis, nam ſi conditio maneret omninò, & metaphyſicè infallibilis, fides divina de conditionato eſſet intrinſecè abſoluta, & ſine conditione, adhùc tacita, ex intrinſeco modo tendendi, vt diximus ſuprà *quæſt. 9. à num. 47.* Sed prædicta conditio, ſuppoſita Canonizatione, manet infallibilis omninò, & metaphyſicè: Ergò fides divina de conditionato, nempè, de eo quod Sanctus ille ſit in Gloria, erit intrinſecè abſoluta, & ſine conditione adhùc tacita. Minor probatur, primò, quia ſupponimus Papam in Canonizatione errare non poſſe: Si autem conditio illa poſſet metaphyſicè loquendo eſſe falſa, poſſet Pontifex errare in Canonizatione, quia poſſet contingere, quod non deceſiſſet in gratia Sanctus Canonizatus, ac per conſequens, quod non eſſet in Gloria: Ergò conditio illa manet metaphyſicè repugnans ſui falſitati, ac per conſequens metaphyſicè infallibilis. Secundò, quia nemo aſſerere audebit; *Quod adhùc ſuppoſita Canonizatione alicuius Sancti, non repugnat metaphyſicè ipſum fuiſſe mortuum in peccato mortali, & eſſe in gehenna, dum ab vniverſali Eccleſia colitur vt Sanctus in Gloria*: Ergò id repugnat metaphyſicè: Ergò poſt Canonizationem manet conditio illa metaphyſicè infallibilis.

40. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem, ſeù cauſalem: Maximè quia conditio illa non maneret metaphyſicè infallibilis, nec ex evidentia naturali, nec ex revelatis per metaphyſicam conſequentiam, concedo cauſalem: Quia non remaneret metaphyſicè infallibilis ex ſuppoſitione aſſiſtentię Spiritus Sancti, quam piè credere debemus, nego cauſalem: Et diſtinguo minorem eodem modo. Ad cuius primam probationem, dico, quod ſupponimus Papam errare non poſſe in Canonizatione Sanctorum, ſed non tanquam quid certò revelatum à Deo, nec tanquam per metaphyſicam conſequentiam illarum ex certò revelatis, aut alia evidentia metaphyſica, & hoc opus erat vt fide divina intrinſecè abſoluta credi poſſet conditionatum: Solum ergò id ſupponimus ex aſſiſtentia Spiritus Sancti, quam piè credimus nunquam deficere Eccleſię, & Papę in tali Canonizatione. Et quidem piè credimus, præſertim poſtquam Eccleſia vniverſalis eam colit, Conceptionem B. V. M. fuiſſe in Gratia Originali; quo ſuppoſito nemo pius erga B. V. audebit aſſerere, quod non repugnat metaphyſicè, rebus prout nunc, quod B. V. de facto fuerit concepta in Peccato Originali, & quod omnes Fideles oppoſitum credentes errent, & fallantur, nam hoc dicere pietas prohibet: Et tamen indè non licèt inferre, eis immediatè de fide Conceptionem illius fuiſſe in primo inſtanti Sanctam: Ergò. Ex quo patet ad ſecundam probationem, propterea enim illud nemo aſſerere audebit, quia redolet defectum pietatis erga cultum Sanctorum, & erga Eccleſiam, vt ſuprà arguebamus, non quia ſit directè contra certò revelata, aut contra fidem Catholicam, & divinam.

41. Non renuam tamen innuere ſemitam ſingularē propugnādi de fide intrinſecè abſoluta Canonizationem Sanctorum: Si nimirum, quis primò ſupponat, miracula facta, præſertim poſt obitum, in confirmationem alicuius Sancti, eſſe vel formaliter, vel ęquivalenter loqoutionem, & revelationem Dei de eius Sanctitate, & Gloria, non quidem ſolum privatam, ſed publicam, reſpectu totius Eccleſię, præſertim poſtquam per informationem factam Authoritate Apoſtolica ea miracula nota fiunt Eccleſię vniverſali. Supponat ſecundò, Summum Pontificem eſſe divinum Interpretem Dei loquentis non ſolum per Scripturam, & traditionem temporibus antiquis ante fundationem Eccleſię, & in ipſa fundatione; ſed etiam Dei vt modo loquentis per miracula comprobata. Ex quibus concludere poterit Papam definientem aliquem Sanctum eſſe in Gloria, id definire vt immediatè, & abſolutè, in ſingularique revelatum à Deo per miracula, ac proindè vt de fide credendum abſolutè in vniverſali Eccleſia, ſicut cętera miſteria, quę olim ei revelavit. Et hunc modum dicendi, nec defendimus, nec impugnamus, Sapientiorum iudicio exponimus.

(.·.)

DIS-

CHARITAS.

DISPUTATIO IV.

DE OBSCVRITATE FIDEI Theologicæ.

CONSTAT ex præcedentibus Diſputationibus certitudo maxima fidei; tum ex motivo, tum ex cauſa eius, tum ex viſibili, cui innititur, regula. Veruntamen, & ſi tanta ſit eius certitudo, omnes Theologi eam obſcuram; & inevidentem eſſe pronunciant, quin, & Div. Petrus eam comparat lucernæ lucenti in caliginoſo loco. Veruntamen non omnes eodem modo illius obſcuritatem explicant; vndè ad eam explicandam præſens inſtituitur Diſputatio. Quia tamen contraria iuxtà ſe poſita magis eluceſcunt, ideò primùm de evidentià credibilitatis myſteriorum, & evidentia in atteſtante agendum erit, vt cum his collata obſcuritas fidei dignoſcatur melius.

QUÆSTIO I.

AN MYSTERIA NOSTRÆ fidei ſint evidenter credibilia.

1. NOTO primo, quod triplex poteſt excogitari evidẽtia conferenda cum fide, nempè; evidentia rei creditę, evidentia teſtificationis, ſeù motivi credendi, & evidentia credibilitatis. Evidentia rei creditę, eſt evidentia de veritate ipſa, quę credenda proponitur, ſeù de obiecto *quod* fidei. Evidentia teſtificationis, eſt evidentia de eo quod Deus teſtificatus eſt, ſeù revelavit talem veritatem. Evidentia credibilitatis eſt evidentia de eo quod talis veritas ſit prudenter credibilis, ſeù digna, cui quiſque per fidem aſſentiatur. In hac igitur quæſtione de hac ſolum vltima evidentia inquiritur.

CONCLUSIO.

2. DICO igitur: *Myſterio noſtrę fidei ſunt evidenter credibilia.* Ita communiter PP. & Theologi. Et probatur primò ex illo *Pſalm.* 92. vbi dicitur: *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis:* Sed non eſt nimis credibile, quod evidenter non eſt credibile; ſeù de quo non conſtat evidenter eſſe credibile: Ergò Dei teſtimonia, ſeù fidei myſteria vt à Deo teſtificata ſunt evidenter credibilia. Secundò, quia licèt myſteria ipſa, & Dei teſtimonia in ſe quidem ſint obſcura, & ſolum per fidem cognoſcibilia, credibilitas tamen illorum non poteſt eſſe obſcura: Ergò debet eſſe evidens. Probatur antecedens; quia nequit eſſe obſcura per modum opinionis, id eſt, cognoſcibilis obſcure per opinionem, quia hoc pacto talis credibilitas eſſet incerta, & falsò dicerentur divina teſtimonia nimis credibilia

quandoquidem ſolum opinabiliter, & incertè credibilia forent: Item nec poteſt eſſe obſcura, id eſt obſcurè cognoſcibilis per fidem, nam credibilitas antecedit fidem, & debet cognoſci ante fidem: Ergò nullo modo poteſt eſſe obſcura, ſeù obſcurè tantum cognoſcibilis, ſiquidè non eſt alius modus cognoſcibilitatis obſcuræ, niſi vel per fidem, vel per opinionem. Nec dici poteſt, quod credibilitas divinorum teſtimoniorum conſtat nobis ante fidem myſteriorum, per aliam fidem. Non inquam, nam vel conſtaret nobis per aliam fidem purè humanam, vel divinam. Si ſolum per fidem humanam, cum hæc incerta ſit, ſicut opinio, iam credibilitas teſtimoniorum Dei eſſet incerta, & falsò diceretur nimia, id eſt, præcellens, & maxima. Si autem per aliam fidem divinam: Ergò conſtaret ex alio divino teſtimonio: Vel ergò illius credibilitas eſſet etiam cognoſcenda per aliam fidem divinam in vi alterius teſtimonij, & tunc de credibilitatè illius teſtimonij rediret quæſtio, & eſſet procedere in infinitum: Vel eſſet evidenter cognoſcibilis, & ſic ſiſteremus in credibilitate evidenti, ſeù evidenter cognoſcibili: Ergò, ne detur proceſſus in infinitum, dicendum eſt, quod credibilitas divinorum teſtimoniorum eſt evidens, ſeù evidenter cognoſcibilis.

3. Secundò probatur Concluſio: Nam illud teſtimonium eſt evidenter credibile, ad cuius credibilitatem concurrunt tot, & talia motiva, quę ſi debitè conſiderentur, nemo poſſit de illius prudenti credibilitate dubitare: Sed teſtimonia Dei de myſterijs noſtrę fidei tot, & talibus fulciuntur motivis, vt illis debitè penſatis, nemo dubitare poſſit ea, eſſe prudenter credibilia: Ergò ſunt evidenter credibilia. Minor, in qua ſola ſtat difficultas, non aliter probari poteſt, quam expendendo curſim motiva præcipua credibilitatis noſtrę fidei.

EXPENDUNTUR MOTIVA *credibilitatis noſtrę fidei.*

4. DE his latè, ac luculentiſsimè tractarunt ex PP. Tertullianus, Iuſtinus Martyr, Chriſoſt. Auguſt. Euſebius Arnobius, Vincentius Lyrinenſis, ex alijs vero Hieronymus Savanarola, Ludovicus Granatenſis in ſuo Symbolo fidei, Marcilius Ficinus, Boſius, Ludovicus Vives, Spiritus Roterns, quibus adde N. Marinū Merſenum *in Geneſ.* contra Atheiſtas. Et ex Scholaſticis Div. Thom. *1. contra Gent. cap. 6.* ibi Ferrarienſis, Michael de Medina *lib. 2. de rectâ fide in Deum*, Bellarminus *lib. 4.* de Eccleſia; Valentia de fide, *quæſt. 1.* Turrianus, Bartholomæus de Med na, Ioan. à S. Thom. quos citatos invenies a M. Gonet. *in præſenti, diſput. 1. ſect. 8.* digreſsione erudita de hoc aſſumpto. Cui morē gerēs, prædicta argumenta, & motiva ad ſequentia reduco.

PRIMUM EX SANCTItate.

5. PRIMUM, & quaſi præſupponendum, eſt Sanctitas Chriſtiani inſtituti, & Religionis, deſumpta ex illo *Pſalm. 18. Lex Domini immaculata convertens Animas.* Nam Sanctitas alicuius inſtituti conſiderari debet ex fine, ex medijs, erga Deum, erga proximum, erga ſe ipſum. Si conſideretur ex fine, ſanè finis Chriſtiani inſtituti ſanctiſsimus eſt, nempè Deus Altiſſimus, vt laudandus, glorificandus, videndus, & fruendus ab hominibus per totam æternitatem. Quid autem hoc fine præſtantius? Si conſiderentur media ad hunc finem obtinendum præſcripta, ſunt exercitia virtutum theologicarum, & moralium, ſanctiſsima, & puriſsima Sacrificia, & Sacramenta, cultuſque Dei talis, qualis nec purior, nec Deo dignior excogitari poteſt. Si erga Deum id conſideres, ipſum Religio Chriſtiana ſuſpicit vt ſuper omnia diligendum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente, & ex omnibus viribus, vt credendus infallibili ſecuritate in omnibus eius dictis, vt ſperandus pro vltima felicitate, vtque vnicum aſſilum noſtrę ſalutis, & ſantiſsimo cultu venerandus, & adorandus. Si erga proximum, ſanè Chriſtianum inſtitutum ſummam pacem, charitatem, & benevolentiam cum proximis dictat, ſummam animorum concordiam, in operibus æquitatem, & in ipſis etiam affectibus vnitatem, in mutuis comertijs iuſtitiam, in connubio inviolabilem fidelitatem. Si denique erga ſe ipſum, quemque docet eſſe morigerum, parcum, continentem, caſtum, & ab omni ſpurcitia veneris alienum, ab omni ebrietate remotum, ab omni denique intemperantia abſtinentem. Talem demum vitę humanę, ac morum ideam præſcribit, vt rectè obſervata, ſe ſola barbaras ad ſe nationes attraxerit, ac manſuetas reddiderit, adeoque ſuavem ſpirat ex ſe odorem, nempè Chriſti, vt interdum vna ſola mulier Chriſtiana in captivitatem efferatę Gentis redacta, ipſos etiam Barbaros ſtupore affecerit, ac Religionem, quę talem viuendi methodum inſtituiſſet, inquirere fecerit, & amplecti. Accedit, quod in Chriſtiana Religione innumera pe-

peculiaria ſunt inſtituta, quę vitam penè cœleſtem in terris degere docent, nempè Sacrę Religiones, quorum alię vitam contemplativam ab omni penè terrenarum rerum cura ſemotam, & hominum converſatione abſtractam, mirificè collunt, de quibus poſsis dicere, quod eorum converſatio in Cœlis eſt. Alię vitam activam ſublevandis proximorum miſerijs, & neceſsitatibus corporalibus, & ſpiritualibus dicatam, amplectuntur. Alię vtramque ſimùl amplectentes, & per contemplationem, ac Sacrarum Litterarum ſtudia vt Angeli Iacobiticę Scalę in Cœlum aſcendunt, & arcana Dei myſteria rimantur, & per doctrinam ad hominum ſocietatem erudiendam, cum poſcit charitas, deſcendunt. Atque in his omnibus mirè reſplendet ſpiritualis, & corporalis ſuprà naturam, ipſius humanę naturę mortificatio, & ſubiectio, tum in proprię voluntatis abnegatione per obedientiam inviolabili fide promiſſam, tum in totius delectationis venerę abdicatione per caſtitatem Deo in perpetuum Sacram, tum in omnis terrenę poſſeſsionis renuntiatione, per votum dittiſsimę paupertatis emiſſum, tum denique in varijs corporis afflictationibus, & abſtinentijs. Variant verò in alijs arduiſsimis Sacramentis, quibus obſtringuntur, alię ad diſſeminandum Evangelium per diſiriſsimas Orbis, & Barbaras Regiones, alię ad redimendos è tyranorum captivitate miſeros, & afflictos, alię ad perpetuam abſtinentiam, etiam in vitę diſcrimine, vt Carthuſiana, vel ad perpetuam quadrageſimam, vt noſtra Minimitana, obſervandam. Hæc ſanè, qui attentè conſpexerit, nihil ſanctius, nihil purius, nihil pulchrius, nihil perfectius, nihil ſacratius excogitare poterit, quam ſit Chriſtianę Religionis inſtitutum. Nec cauſare quis audeat, hanc vitę Chriſtianę idæam arduitate ſuperare hominum vires, ac paucos illi copiandę inveniri idoneos, vel nullos. Non inquam, nam indè potius hoc roboratur argumentum; ſi namque idæa vitę Chriſtianę ob ſui eximiam ſanctitatem, & puritatem vires hominum ſuperat, non ergò inſtituta, promulgata, propagata, & culta debet iudicari arbitrio purè humano, aut humanis viribus, ſed à Supremo Numine, qui vires præſtare potuerit ad ad tam eximiam ſanctitatis exprimendam idæam. Et quidem, quod ſint pauci, qui talem vitę Chriſtianę Idæam ad vivum expreſſerint, non minuit, ſed promovet potius excellentiam eius ſanctitatis, eximia namque, & heroica puritas, & morum perfectio paucorum eſſe oportet, eo ipſo quod pretioſiſsima; nec enim margaritę pulchritudo ſplendorem, ac ęſtimationem amiſsit, quia rarior, & à paucis non niſi magno pretio comparata; pretioſiſsimarum rerum hoc proprium eſt, vt haud facilè comparabiles, & à paucis invenibiles ſint. Præterquam quod divinę gratię ſubſidio, quam ſe collentibus Chriſtiana Religio promittit, cunctis additus patet ad talem morum præſtantiam capeſcendam. Nec abſolutè pauci dici poſſunt, qui eam aſſequuti fuere, ab initio enim naſcentis Eccleſię, ſi Hiſtorię fides, quę par eſt, adhibeatur, invenientur, per Deſerta ipſa, per Vrbes, per Regiones vniverſas, ex omni ſtatu, ex omni ſexu, ex omni gremio, pueri, puellę, ac tenellę Virgines, coniugati, viduati, iuvenes, Senes, qui per Chriſti Religionem Mundum vicerunt, carnem, ac Dæmonem, ſivè per vitam Anachoreticam, ſivè per Monaſticam, ſivè per Virginitatem, ſivè per Coniugium, ſivè per Martyrium, ſivè alijs iuſtitię vijs. Talis quidem eſt Chriſtianę Religionis Sanctitas, & pulchritudo, vt licèt vnus ſolus eàm poſſet complecti, omnes hunc vnum eſſe contendere deberent; at quid fieri oportebit, quando cunctis patet ad illam acceſſus, quando tot ſunt, qui antę nos præcedunt palmas reportantes de pacta victoria, de comparato bravio? Sanè, ſi Religio ex Sanctitata dignoſcenda, eligenda, & amplectenda eſt, nulla eſt, immò nec poteſt excogitari, quę magis digna appareat, vt ab omnibus fidei brachijs excipiatur, ſeù tamquam divinitus inſtituta credatur, ſicut Chriſtiana.

SECUNDUM EX
antiquitate.

6. SECUNDUM verę Religionis argumentum antiquitas eius eſt, hæc enim magnam conciliat fidem; cum enim Religio ea vera ſit, quę ab Vniverſi Conditore inſtituta fuerit, nec enim credibile eſt Deum condidiſſe hominum vniverſitatem, nullam ipſis inſpirando Religionis formam, ea ſanè Religio omni alię anteponenda cenſetur, quę origine cæteras omnes vincit: Sed talis eſt Chriſtiana fides, & Religio; nam primò Parēti ab ipſo Deo tradita, & ex ipſo ad Filios, & indè ad huc uſque natos propagata probatur, vt vidimus ſuprà *diſput.* 3. *quæſt.* 5. *à num.* 21. nulla autem vel excogitari quidem poteſt, quę antiquior ab origine ſit, immò omnis alià huius comparatione nova dici poteſt, & ab hac, poſt eius initium, ſecata, ob id enim meritò Sectę appellātur, quod à vera, & antiquiſsima Religione quaſi ſecatę, & emēbratę fuerint: Ergò Chriſtiana Religio, ſi eius antiquitas inſpiciatur, præ omni alia Secta credibilis eſt. Et confirmari quidem poteſt: *Nam*

ſi primam inſtrumentis, & litteris Authoritatem ſumma antiquitas vendicat (inquit Tertulianus, *in Apologetic. cap.* 18) *Quid Sacra Scriptura antiquius, quę omnes gentilium libros ſæculis vincit? Moyſes enim, qui Pentateucum ſcripſit, vetuſtiſsimos quoſque Poetas, & Scriptores prævenit; cæteri quoque Prophetę, etſi Moyſi poſthumant, extremiſſimi tamen eorum non retraſiores deprehenduntur primoribus veſtris ſapientibus* (loquitur cũ Romanis) *& legiferis, & Hiſtoricis*; Cum ergò noſtrę Religionis antiquitas ex Sacrę Scripturę, ſupra quam fundatur, antiquitate deſumenda veniat, vbi nam antiquor alià excogitari poterit Religio, ſi eius primam attendamus originem? Si verò, quatenus à Chriſto inſtaurata, & nomine *Chriſtiano* inſignita, eum alijs hæreticorum Sectis conferatur, certum etiam eſt noſtram Romanam Eccleſiam, & fidem ętate longè antecellere omnes illas, quandoquidem illę à noſtra disiunctę ſunt per Apoſtaſiam, iuxta illud Cypriani: *Non nos à vobis, ſed vos à nobis diſceſiſtis*: Cum ergò, qui prior eſt tempore, prior ſit iure, vt eſt 6. *regula iuris* 54. certè ius pro noſtra Religione, contra omnes Sectas militare, perſpicuum eſt, adeò, vt cum Tertuliano, *de præſcript. cap.* 37. liceat dicere hæreticis: *Qui eſtis, & vndè veniſtis? Quid in meo agitis non mei? Quo denique Marcion iure ſilvam meam cædis? Qua licentia, Valentine, fontes meos tranſvertis? Qua poteſtate, Appelles, limites meos commoves? Mea eſt poſſeſsio: Quid hic cæteri ad voluntatem veſtram ſeminatis, & paſcitis? Mea eſt poſſeſsio, olim poſſideo, prior poſsideo, habeo origines firmas ab ipſis Authoribus, quorum fuit res. Ego ſum hæres Apoſtolorum* (inquit Eccleſia) *ſicut caverunt teſtamento ſuo, ſicut fidei commiſſerunt, ſicut adiuraverunt, ita teneo: Vos certè exhæredaverunt ſemper, & abdicaverunt, vt extraneos, vt inimicos.* Quid efficatius dici potuit contra quaſcunque hæreſes, pro fide, quam Romana Eccleſia profitetur? Eſt ergò hæc ab antiquitate evidenter credibilior.

TERTIUM, EX MODO, quo promulgata fuit.

7. NOSTRAM Religionem, & fidem Authoritate divina introductam fuiſſe, & promulgatam efficaciſsimè probat modus, quo Mundo invecta eſt, pluribus ex capitibus. Primò ex his, à quibus promulgata fuit; non enim à ſapientiſsimis, aut eloquentiſsimis viris, qui facundia dicendi plauſibiles haberentur, ſed à duodecim Apoſtolis, viris ſimplicibus, ac nullius eruditionis humanę, aut eloquentię ſtudijs deditis, alij enim Piſcatores, alij alijs rudibus exercicijs impenſi erant. Non item à Potentiſsimo aliquo Imperatore, aut Ducibus exercitu, & armis pugnantibus, aut divitijs, & promiſsis allicientibus, terroresvè minantibus, ſed ab inermibus, nudis, & pauperibus, qui niſi divina Authoritate munirentur, contemptui, & riſui omnibus forent; vt enim rectè aiebat Apoſtolus, non multi potentes, non multi nobiles, non multi ſapientes, ſed infirma Mundi elegit Deus, vt confundat fortia, ſtulta Mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes: Et vt rectè etiam Chriſoſtomus *Serm.* 3. *Pentecoſt.* Piſcatores Orbem reduxerunt, non ſcuta moventes, non arcus tendentes, non ſagittas mittentes, non pecuniam largientes, non in eloquentia confidentes, ſed pecunia indigentes, licèt Regnum Dei poſsidentes, non habentes humana ſolatia, habentes autem Dominum ſecum. Peragtarunt vniverſum Orbem oves ſimul cum lupis, & vulneratę à feris non ſunt oves, ſed magis lupi ad ovium manſuetudinem ſunt converſi. Sic fidem promulgarunt, Eccleſiam ędificarunt, quando ligati, incarcerati preſi, exulantes, innumerabilia patientes, & demum pro ipſa, quam prædicabant, fide morientes, nulli omninò nocumentum inferre poterant. Et hoc quidem adverſantibus potentiſsimis Imperatoribus, & Magiſtratibus, & contradicente peritiſsimorum Philoſophorum ſapientia, Rethorum eloquentia, ac demum ipſa humana natura, vel in ſua origine vitiata, fortiſsimę concupiſcentię affectibus, & ſenſibus depravatis: Et nihilominus tantum potuit horum humilium, pauperum, inermium, ac ſimplicium prædicatio, vt ad ſe converterent, & ad fidem, & Religionem, quam promulgabant, ſapientiſsimos ac eruditiſsimos Philoſophos, quales fuerunt, Dionyſius Areopagita, Clemens Romanus, Irænens, Iuſtinus, Arnobius, Ariſtides, Lactantius, Tertulianus, *qui in Apolog. cap.* 18. de myſterijs noſtrę fidei, ſic ait: *Hæc nos riſimus aliquando: De veſtris*, id eſt, Gentilibus, *fuimus*; itemque potentiſsimos Imperatores, ac Reges, *qui quos ante furore proſequebantur, proſecuti ſunt fide*, vt aiebat Auguſtinus, adeò, vt Imperator ipſe, inquit Chriſoſtomus, *qui inductus eſt purpura, & Coronatus diademate, venit, vt amplectatur Sepulcra Petri, & Pauli; & depoſito faſtu, orat Piſcatorem, & Artificem Scenofactorium, vt pro ipſo ad Deum intercedant.* Nec minorem ingerit admirationem, ſiquis conſideret, quam brevi temporis intervallo, hæc Mundi metamorphoſis, & tranſmutatio facta ſit, nam vel ipſorum Apoſtolorum tempore *fides iam fructificabat in vni-*

ver-

Digitized by Google

verſo Mundo, vt teſtatur Apoſtolus ipſe ad *Coloſſ.* 1. & tempore Iuſtini Martyris, qui vixit initio ſecundi ſæculi, vt teſtatur ipſe in Dialogo cum Triphone, *nullum hominum genus erat, ſivè Græcorum, ſivè Barbarorum, aut eorum, qui plauſtris pro domibus vtuntur, vel qui domorum vſum non habent, apud quos Ieſv, qui crucifixus eſt, nomine, preces, & Euchariſtię omnium rerum Creatori non fiant*: Quis ergò credat ita celeriter potuiſſe Mundo ſuaderi, & à talibus Prædicatoribus, ſine vi, & armis, aut Mundi ſapientia, doctrina noſtrę fidei ex ſe ita credi difficilis, & ardua practicari, niſi infinita Dei potentia ſpeciali ſua efficacia adiuvante, movente, portentis, & prodigijs confirmante, & conteſtante: Eſt ergò hæc, nempè Chriſtiana doctrina, doctrina ipſius Dei, & evidenter credibilis vt à Deo tradita Mundo.

QVARTVM, FIDEI *conſtantia, & firmitas.*

8. ETENIM, niſi Chriſti doctrina, & fides Omnipotentis Dei dextera firmaretur, & protegeretur, impoſsibile foret, quod inter tot perſecutionis vndas ita firma perſtitiſſet. Floruerunt olim Philoſophorum inſignium Sectę famoſiſsimę, & Scholę plauſibiles, quę plurimos Sectatores habuere, vti fuere, Stoici, Pitagorici, Epicurei, Platonici, Zenoniſtę, Peripatetici, & alij; ſed hi omnes cum ſuis Principibus, nullo impellente, evanuere, in fabillas omnes iſtę Sectę, olim plauſibiles, converſę ſunt nullo relicto illarum Sectatore. Et quid dico de Philoſophorum Sectis, Imperia ipſa legibus, artuis, muris, ac fortiſsimis, & munitiſsimis arcibus ſtabilita, viribus ceſſerunt hominum perſequentium, & ab hominibus impetita, ac debellatą fuere, vti Aſiriorum Imperium, à Medis, Medorum à Perſis, Perſicum à Græcis, ducente Alexandro, Græcum à Romanis, Romanum à Gottis, Turcis, & alijs Gentibus devaſtatum eſt. At contra Chriſti Eccleſia, & Monarchia, à Romanis, Græcis, Perſis, & omnibus Mundi Nationibus impetita, obruta nunquam eſt, prævaluit ſemper contra omnes Mundi Potentias, & Diaboli aſtutias; bellare quidem adverſus illam potuere omnes Mundi Principes, at eam debellare nunquam potuerunt: Fulminarunt quidē in Chriſtianos ſupplicia graviſsima, infames notas, ſævas leges, exilia, proſcriptiones, horribilia tormenta, quę magis ex ipſius averni officina adſcita, quam ab hominibus viderentur inventa, non tamen ceſſit Chriſtiana Religio, ſed veluti firmiſsima rupes conſtitit licèt fluctibus feriſsimi quaſſata maris, quin, & vndique obſeſſa, & prælijs contratijs, fortior, quaſi per antypariſtiſim, evaſit, vegetior, potentior, & ſplendidior. Putabant tyranni morte Chriſtianorum extinguendam forè Religionem Chriſti, ſed hæc potius erat methodus eos moltiplicandi copioſiſsimè. Quid enim hac arte faciebant, niſi ſemen Religionis in terram ſpargere, & obruere, ſanguineque tectam rigare, vt grana quę ſingula cadebant, moltiplicata naſcerentur. *Hoc agite*, aiebat Tertulianus, *Præſides, cruciate, torquete, atterite nos: Plures efficimur, quoties metimur à vobis; exquiſitior quæque crudelitas veſtra illecebra eſt magis ſectę*. Et, vt aiebat Hilarius, *lib. 4. de Trinitate*: *Eccleſia, dum exercetur floret, dum opprimitur, creſcit, dum contemnitur, proficit, dum cæditur vincit.* Sanè hic modus perſeverandi contra perſecutiones, prævalendi inter adverſitates, & ſe multiplicandi per mortem ipſam, divinus eſt, divina virtute conſtat: Religio ergò iſta à Deo eſt, ſuprà naturam ab ipſo inſtituta, tradita, conſervata, aucta, & protecta.

QVINTVM EX INFELICI *exitu perſecutorum eius.*

9. ETENIM, ſi Religio Chriſtiana falſa eſſet, & non potius vera, & à Deo inſtituta, quicumque contra illam egiſſent, Deo placuiſſent, & ab ipſo remunerati fuiſſent fine felici, nihil enim Deo placidius, quam falſam Religionem impugnare: At contra omninò accidit, nam quotquot eam impugnarunt infeliciſsima morte pœnas dederunt: Nō ergò falſa, ſed vera eſt Chriſtiana Religio. Minor ex Hiſtoria omnibus notiſsima patet. Qui enim primò Chriſtianā Religionē in Chriſto enaſcētē extinguere præſumpſit innocētiū nece, nēpè Herodes pediculari fœdiſsimo, & fætidiſsimo morbo interijt. Iudæi verò, qui potiſsimi fuerunt Chriſtiani nominis hoſtes, quibus cladibus à Tito, & Veſpaſiano debellati fuerint, & per vniverſum diſiecti, notiſsimum eſt: Vbique viles, & infames habentur, ſine Rege, ſine Duce, ſine Iudice, ſine Templo, ſine Sacerdocio, ludibrio ſunt cæteris Nationibus, & ne vnum quidem terrę ceſpitem proprium habent. Ex quo pro Chriſti Religione ſic arguit Chriſoſtomus: *Si Phinees, vnico perempto homine, totam Numinis iram adverſus Populum placavit, tamque multos homines eripuit ab ira divina, multò magis hæc vobis* (Iudæis) *oportuit accidere, ſi legis tranſgreſ-*

ſor

ſor erat, quem vos Crucifixiſtis. Cur igitur, quæſo, Phinees, viro legis transſgreſſore perempto, iuſtus habitus eſt, & Sacerdotio honoratus, vos autem, cum in Crucem egeritis virum impoſtorem, vt dicitis, non modo non indè fertis laudem, & honorem, verum etiam accerbiora patimini, quam cum Filios veſtros mactaretis? An non iſtud perſpicuum eſt, etiam vehementer tardis, & hebetibus, quod poſtquam adverſus Salvatorem, ac Principem Orbis impiè egiſtis, talis ſit de vobis ſumpta vindicta? Quod autem ad Gentiles attinet, Nero, qui primus in Eccleſiam deſevit, manus ſibi iniecit, dicens: *Turpitèr vixi, turpiùs morior.* Domitianus occubuit vulneribus confoſſus à Domeſticis, Traianus hydropicus, & paraliticus, Adrianus cruoris efluxu exãguis, Antoninus triduo mutus, tãdẽ Appolopexia obrutus, Severus podagrę dolores ferre non ſubſtinens, venenum hauſit, Maximus cum filiolo à Militibus diſcerptus, qui clamabant: *Ex peſsimo cane, nec catulus relinquatur*, Galius, & Voluſianus è proprijs necati Militibus, Dioclecianus tabeſcens, & inſaniẽs, quod Chriſtianos extinguere nequiret, Maximianus laqueo ſibi ex deſperatione iniecto. Similia paſsi ſunt Præfecti, & Magiſtratus, qui Chriſtianos crudeliter excruciarunt. Nec fœliciori præmio remunerati ſunt Hæretici, qui poſteà fidem Catholicam impugnarunt. Omiſsis enim antiquis Hæreſiarchis, quorum infœlicem exitum referunt Hiſtorię, ex Modernis Luterus cum ſua, quam ſtrupaverat, Moniali mortuus inventus eſt, Carolſtadius deſperatione actus ſibi mortem adſcivit, Bucerus, effuſis viſceribus, horribilibus cruciatibus exanimatus eſt, Calvinus graviſsimis ęgritudinibus ſimul ipſum opprimentibus, pædiculari tandem, ſicut Herodes, morbo corroſus, fœtidiſsimi odoris impatiens, Dœmones invocãs, ac blaſphemans, obijt, execrans diem, & horam, quam ſtudijs, & ſcriptionibus impendiſſet; Similia paſsi alij ferè omnes Sectarij. Quis ergò indè non inferat Chriſtianam Religionem veram eſſe, & verè à Deo ipſo inſtitutam, cuius nempè Deus ipſe vindex iuſtiſsimus, & zelator eſt.

SEXTUM, EX MARTYRUM teſtimonio, & Sanctorum morte.

10. CONFIRMAT ſextò noſtrę Religionis credibilitatem teſtimonium Martyrum, ob hoc enim Martyres appellantur, quia teſtes ſunt fidei, pro ipſa conſtanter moriendo, & ſanguine ſuo illi ſubſcribendo. Hi autem teſtes tot ſunt, vt nos, qui viuimus, eorum numerus excedat. Nec mirum, nam Hieronymus Epiſt. ad Helyodorum refert: Numerum Martyrum ex Pontificum Annalibus collectum ita creviſſe, vt ſi omnium memoria celebranda eſſet, ſingulis diebus trium milium Natalitia colli deberet, ac integro anno decem milliones, & nonaginta quinque millia Martyrum. Si autem trium ſolum teſtium conformitas fidem humanam facit, quid mirũ tot milliones pro Chriſtiana Religione fidem faciant divinam? Potiſsimè, ſi quę pro illa paſsi ſunt tormenta conſiderentur; non enim ſimplicem mortem, ſed horribilibus cruciatibus ope Dœmonis excogitatis illatam à Tyrannis, & atrociſsimis inſtrumentis procuratam, paſsi ſunt: Non quidem triſtes, impacientes, deſpecti, aut inſanientes, ſed ęquo animo, hilares, ac læti, divina reſponſa dantes, rationeſque pluſquam humanas ſuę fidei prædicantes, itaque ſuaviter expirantes, vt ſpectatores ad ſic moriendum efficaciſsimè alicerent, & mortem ſimilem feliciorem oſtenderent, quam inter temporales proſperitates longævam vitam. Nec hanc conſtantiam ſolum viri aliquot natura robuſti præſtitere, ſed Senes decrepiti, Virgines tenerę, pueri, & puellę, quę tãquã ad nuptias ad mortẽ properabant: *Magna ergò vis fidei* (inquit Ambroſius) *quę teſtimonium etiam ab illa invenit ętate.* Nec refert, quod etiã pro alijs Sectis aliqui paſsi fuerint, & necem ſubierint, quia nec in numero, nec in atrocitate tormentorum, nec in conſtantia, & hilaritate animi, nec in ętate comparatio vlla fieri poteſt; Sectarij enim, qui pro ſuis Sectis mortem opetiere, & fuere pauciſsimi, & tormenta leviora, & hilaritas nulla, ſed deſperatione, triſtitia, & rabie agitati fuerunt.

SEPTIMUM, EX vaticinijs.

11. QUÆREBANTUR Iudæi, quod Chriſtus magicis artibus mira operaretur, & ſimiliter Tyranni de Chriſtianis: Sed Prophetę anteà fuerunt, anteà de Chriſto dixerunt, nondum erat Homo Chriſtus, quando miſsit Prophetas. *Si ergò* (inquit Auguſtinus) *magicis artibus fecit vt coleretur mortuus, numquid erat magus antequam natus?* Non ergò magicis artibus tribui poteſt quod vaticinatus antequam natus ſit, ſed divinitati ipſius, nam vaticinium propterea divinatio appellatur, quia divinitatis propria, iuxta illud: *Dicite nobis, quę ventura ſunt, & dicemus, quia dij eſtis.* Vndè Tertulianus, *in Apologet. cap.* 20. idoneum, opinatur teſtimonium divinitatis veritatem divinationis,

nis. Tunc ſic, ſed noſtrę fidei Myſteria longè ante Chriſti Nativitatem prænunciata ſunt, tum à Prophetis, tum à Sibyllis: Ergò talia myſteria, fides, & Religio, quę illa colit, & credit, à Deo inſtituta, divinituſque tradita, & conſequenter evidenter credibilis cenſeri debet. Minor ſuadetur, recenſendo oracula Prophetarum, & Sibyllarum. Nam in primis, quod Deus in terris nobiſcum converſaturus eſſet, prænuntiavit Baruch. 3. dicens: *In terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.* Tempus verò, quando id futurum eſſet, prænuntiavit Daniel *cap. 9.* dicens; *Septuaginta hæbdomadæ abbreviatæ ſunt ::: donec vngatur Sanctus Sanctorum, &c.* Et Iacob *Geneſ. 49.* dicens: *Non auferetur Sceptrum de domo Iudà, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio Gentium.* Quod naſciturus eſſet ex Virgine prædixit Iſaias *cap. 7.* dicens: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, &c.* Quod in Bethleem, prædixit *Michæas 5.* dicens: *Et tu Bethleem, terra Iudà nequaquam minima eſt in Principibus Iudà, ex te enim exiet Dux, qui regat Populum meum, &c.* Quod prædicaturus eſſet legem gratię, & remiſsionem peccatorum prænuntiavit per *Iſaiam 61.* dicens: *Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit me, ad anuntiandum manſuetis miſsit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam.* Ipſius miracula idem Iſaias 35. dicens: *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt, &c.* Celebrem ipſius ingreſſum in Hieruſalem *Zachar. 9.* dicens: *Ecce Rex tuus veniet tibi Iuſtus, & Salvator, ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & pullum filium aſinę.* Quod à Diſcipulo tradendus eſſet, *Pſalm. 40.* *Qui edebat panes meos magnificavit ſuper me ſupplantationem.* Quod triginta argēteis appreciandus Zachar. 11. *Apprehenderunt mercedem meam trigiata argenteis, &c.* Paſsionem ipſius Iſaias 53. dicens: *Sicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente obmuteſcet, & non aperiet os ſuum ::: cum iniquis reputatus eſt.* Reſurrectionem ipſius *Pſalm. 67.* *Aſcendiſti in altum, cæpiſti captivitatem, &c.* Et ſic alia omnia myſteria Vitę, Paſsionis, Mortis, & Reſurrectionis Chriſti, Aſcenſionis eius in Cœlum, adventus Spiritus Sancti, & converſionis Gentium ad Eccleſiam, deſertionis Iudæorum, &c. in Prophetis prænuntiata inveniuntur. Quin, & ipſe Chriſtus Dominus de ſe prædixit ſuam Paſsionem, Mortem, & Reſurectionem, & Mundi converſionem, Civitatis Hieruſalem everſionem, diſperſionem Iudæorum, Evangelij prædicationem, cum circumſtantijs ita individuantibus omnia iſta, ſicut evenerunt poſteà, vt evidenter appareat ipſum fuiſſe verum Dei Filium; aliter enim hæc tam mira futura, & quę ab hominum arbitrio, & Dei occultiſsima diſpenſatione pendebant, ita certò prædicere impoſsibile foret. Si autem fuit verè Dei Filius, verè ab eo miſſus, ergò eius doctrina Dei eſt, ergò Deus in illo loquutus eſt, ergò evidenter credibilis eſt.

12. De Sibyllarum etiam oraculis idem formatur argumentum. Nam in primis, quod ipſę fuerint re ipſa, & quod Prophetiſę fuerint Gentilium, & oracula ediderint de Chriſto, dubitari non licet, nam in hoc conveniunt Antiqui PP. vt Clemens Alexand. *lib. 1. & 6. Stromatum.* Auguſt. *lib. 18. de Civitate Dei cap. 23.* Cyrillus Alexand. *lib. 8. contra Iulian.* Lactantius *in inſtitution.* Quin, & ipſi Gentilium Authores, nam Caius Plinius *cap. 33.* ſic ait: *Divinitas, & quædam Cælitum nobiliſsima ſocietas, & fœminis in Sibylla fuit.* Et M. Varro *lib. 1. de Re ruſtic. cap. 1.* teſtatur: *Sibyllam, non ſolum cecinisse, quæ, dum viueret, prodeſſent hominibus, ſed etiam quæ, cum periſſet ipſa, & id etiam ignotiſsimis.* Et ſimiliter de Illis reſpectivè loquuntur Diodorus Siculus *lib. 5.* Solonus *lib. 12. cap. 17.* Elianus *lib. 2.* Strabon. & Plinius Iunior *lib. 34. cap. 5.* Iſtę autem adeò ſigillatim expræſſerunt myſteria Chriſti, vt evidenter pateat in eis divinum Spiritum fuiſſe. Ex his autem Sibylla Cumæa Chriſti adventum in ſumma temporum pace, id eſt toto Orbe in pace compoſito, ſic prænunciat.

Cum Deus ab alto Regem demittet Olympo,
Tunc terra Omnipotens fruges mortalibus ægris
Reddet in exauſtas frumenti, vini, olei que :::
Nec gladios metuet, nec belli terra tumultus,
Verum pax terris florebit omnibus alta, &c.

Deindè Sibylla Cumana Incarnationem Filij Dei, ſic prænunciat.

Tunc ad mortales veniet, mortalibus ipſis.
In terris ſimilis, natus Patris Omnipotentis
Corpore veſtitus, &c.

Sibylla Perſica ſic Præcurſorem adumbrat.

Tunc quoque vox quædam veniet per deſerta locorum
Nuncia, mortales miſeros, quæ clamat ad omne
Vt rectos faciant calles, animoſque repurgent
A vitijs, & aquis perluſtrentur corpora mundis.

Sibylla Heleſpontica Doctrinam Chriſti ſic prænunciat.

Ille legem Dei complebit, non violabit,
Perſimilem formam referens, & cuncta docebit,

Sibylla Lybica de Chriſti miraculis ſic:

Ille quidem morbis preſſos ſanabit, & omnes
Læſas, quotquot ei fident, cæcique videbunt,
Incedent Claudi, Surdis audire licebit,
Inſolitas mutis dabit formare loquellas,
Expellet furias, oppreſsi morte reſurgent.

Pla-

Placabit fluctus, in Deſertiſque locorum
Large panibus ex quinis, & piſce marino
Millia quinque virum ſatiabit, reliquiſque
Bis Senos cophinos implebunt Virginis almæ.

Sibylla Samia de Chriſto ingrediente Hieroſolymam.

Salve Caſta Siòn, per multaque paſſa puella,
Ipſe tibi inſcenſo Rex tuus intra taſello,
Erga omnes mitis, &c.

Sibylla Delphica de Paſsione Chriſti:

Impinget illi colaphos, & ſputa ſceleſtis
Iſrael labijs, neque non & fellis amarè
Apponet eſcam, potumque immitis aceti.

Sibylla Phrygia de Morte Chriſti.

Scindetur Templi velum, mediumque diei
Nox tenebroſa tribus premet admirabilis horis
Et tridui ſomno peraget admirabilia facta.

Sibylla Tiburtina ſic ſubiungit.

Sed poſtquam triduo lucem repetiverit, atque
Moſtrarit ſomnum mortalibus, atque docendo
Cuncta illuſtrarit; Cæleſtia tecto ſubibit
Nubibus invectus.

Sibylla denique Erithræa extremum Iudicium ſic prænunciat.

Iudicij in ſignum tellus ſudore madeſcet,
Et Rex Æternus ſummo deſcendet Olympo:
Scilicèt vt carnem, mundumque vt iudicet omnem.
Vndè Deum fidi, diffidenteſque videbunt.
Summum cum Sanctis in Sæcli fine ſedentem.

13. Fateor quidem hec Carmina non eſſe in hoc metro, & latino idiomate ab ipſis Sibyllis effata, veruntamen ex idiomate Græco à peritiſsimis, & eruditiſsimis Auctoribus traducta ſunt: In ipſis tamen mirè relucet divinę ſapientię profunditas, quę inter ipſos Gentiles per puellarum ora ita clarè ſui in carne adventum prænunciarè voluit, vt nec ipſi Iudæorum Vates ita perſpicue vaticinaverint. Sed quid mirum, ſi à Iudæis perfidis deſerendus, à Gentibus ſuſcipiendus, & amplectendus veniebat. Ob hoc enim inter Iudæos natus, ab ipſis ignotus, per ſtellam ſe Gentibus prius, & clarius manifeſtavit.

14. Tandem concluditur hoc argumentum, ex eo quod vel ipſi Dæmones, Deo Patrem mendacij ad veritatem pro mendam cogente, de Chriſto oracula dederunt. Refert enim Suidas, verbo *Auguſtus*, Suetonius de Octavio, & Nicephorus *lib. 1. cap. 17.* quod Apollo ille Delphicus, celeberrimus Orbi ſuis oraculis, dixiſſe de Chriſto, quod ab Hebræa fœmina carnem ſumpſiſſet: Et eum reſponſa dare ceſſaſſet diù, à Cæſare Auguſto, dono oblato, imprecatus, reſpondit:

Me puer Hebræus, Divos Deus ipſe gubernans,
Cedere ſede iubet, triſtemque reddire ſub orcum,
Aris ergò de hinc tacitus abſcedite noſtris.

15. Similiter Apollo Mileſius teſtimonium de Chriſto dedit: Et alia Gentilium oracula Chriſti Divinitatem teſtata ſunt: Si ergò, vt dixit Novatianus, firmiſsimum eſt genus probationis, quod ab adverſarijs ſumitur, vt veritas etiam ab ipſis inimicis veritatis probetur, quis vlteriorem iam expectare velit veritatis chriſtianę probationem, quando infenſiſsimi illius hoſtes ita perſpicuè, etſi coacti, illam fateantur. Vndè concludere licèt cum Pico Mirandulano: *Magna inſania eſt Evangelio non credere, cuius veritatem Sanguis Martyrum clamat, Apoſtolicæ reſonant voces, prodigia probant, ratio confirmat, Elementa loquuntur, & Dæmones confitentur.*

OCTAVUM EX MIraculis.

16. QUANTUM veritatem doctrinę miracula probent ſatis conſtat ex ſupra dictis, *diſputat. 2. quæſt. 2.* nam ibi ſatis oſtendimus, doctrinam illam in cuius confirmatione Deus vera miracula patrat, falſam eſſe non poſſe, ſed habendam eſſe vt à Deo conteſtatam, & confirmatam, & conſequenter vt veram. Iam verò, quod noſtra fides miraculis innumeris cõfirmata fuerit, res videtur ita perſpicua, vt niſi fatuè negari non poſsit. Nam, vt teſtatur Apoſtolus ad Hebræos 2. *In nos confirmata eſt, conteſtante Deo ſignis, & portentis, & varijs virtutibus.* Quę quidem ſigna, & portenta referuntur in quatuor Evangelijs, non quidem omnia, nam vt ait Evangeliſta Ioannes in fine ſui Evangelij: *Plura alia fecit Chriſtus, quæ ſi enarranda eſſent per ſingula, nec ipſum arbitror Mundum poſſe capere, eos, qui ſcriberentur Libros*; Referentur etiam plura, & ſtupenda in Actibus Apoſtolorum: Item in legendis Sanctorum, adeò, vt niſi omnibus penè hiſtoriographis fides negetur, negari non poſſit, quod ex quo Chriſtus D. incœpit ſuum promulgare Evangelium, tot miracula per ſe, per ſuos Diſcipulos, perque omnes ævi poſterioris Sanctos patraſſe, ac ea ita ſtupenda, vt nemo, vel eorum numerum, vel magnitudinem comprehendere queat. Quorum plura vſque hodie perſeverant, vt illud Capitis, & ampullę Sanguinis B. Ianuarij, qui quotanis ebulire oculari experientia conſtat; & plura Sanctorum corpore incorrupta durant; plures etiam Hoſtię à multis retrò ſæculis conſecratę incorruptę perſeverant, & alicubi miraculoſo conſperſę ſangui-

guine, vt in Darochę corporalibus, & in Strigonia. Nova etiã in dies miracula fiunt, nec enim deſunt, nec deerunt in Eccleſia, potiſsimè illa, quę magis concernũt ſalutem animarum, vt mirabiles converſiooes peccatorum, effectus mirabiles orationis, ac devotionis, potiſsimè erga Sacram Euchariſtiam, de quibus teſtari poſſunt directores animarum ſpiritualium, & denique compulſionis, ac expulſionis Dœmonum vi Exorciſmorum, & Sacramentorum noſtrę fidei. Hæc ſanè ita credibilem reddunt doctrinam noſtrę fidei, vt dicere auſus fuerit Richardus à S. Victore, *lib. de Trinitate cap. 1. Domine, ſi error eſt quod credimus, à te decepti ſumus, iſta enim in nobis his ſignis, & prodigijs confirmata ſunt, quę non niſi à te fieri potuerunt.*

17. Si verò aliquis ita incredulus ſit, vt quia ipſe non vidit miracula, ea nolit credere, ſed negare; in primis, & negare poterit Romam eſſe in Mundo, quia eam non vidit ipſe, & pariter alia, quę ſi quis negaret, inſaniret certiſsimè. Deinde convinci poteſt præſenti miraculo cunctis patenti, & experto, nempè ipſa Chriſtiana fide. Nam ſanè cunctis patet magnam partem Orbis, plures Reges, Imperatorem, potentiſsimos Principes, ſapientiſsimos Viros, ac Philoſophos hodie credere in Chriſtum, Crucifixum inter latrones, flagelatum à perduelibus, colaphis cæſſum, & ludibrio expoſitum, credere, inquam, in hunc tanquam in verum Deum Omnipotentem Creatorem Cœli, & Terrę, & hoc his omnibus perſuaſum eſſe firmiſsimè, ſicut olim vniverſo ferè Orbi: Sed hoc ita ex ſe incredibile apparet, vt niſi per ingentia miracula ſuaderi non poſsit, vel illud ſuaderi tot Sapientibus, & Potentibus iogentiſsimum miraculum ſit, adeò, vt Iudæis qoidem ſcandalum foret, quod Crucifixus ab ipſis verus Dei Filius, & Deus diceretur, gentibus autem ſtultitia: Ergò vel negari non poſſunt miracula, vel quid maius, & omni miraculo impoſsibilius, nempè, quod talis fides ſine miraculis Mundo perſuaſa fuerit.

18. Hoc argumentum ſic vrget Div. Auguſtinus in oratione contra infideles: *Cum conſtet Romanum Imperium, vniverſumque Orbem tot potentibus viris, Philoſophis, Oratoribus refertum, Chriſti doctrinæ ante repugnantem, ad eam poſtmodum fuiſſe converſum: Quæro, an virtute ſignorum, & prodigiorum ſit hæc facta mutatio? Si fateberis ad hanc perſuaſionem tractum fuiſſe vi miraculorum, quibus contradicere nequaquam poterat, fateri oportebit à Deo Authore miraculorum Religionem hanc proceſſiſſe: Si autem neges, negando miracula, ingens miraculum ingeris: Quid enim dici poteſt mirabilius, quam Romanum Imperium, totamque Gentilitatem, Religionem, quam tam acriter impugnabant, deſertis paternis ritibus, nullis viſis ſignis, mirandiſque operibus, ſponte ſuſcepiſſe, & in ea retinenda tam conſtantes fuiſſe?* Nunquid abſque viſis miraculis ſuos, vt credebant, immortales conſpuerent Deos, vt hominem inter latrones Crucifixum, & cum iniquis reputatum, venerarentur vt Deum deorum, & Mundi ipſius conditorem? Hoc ſanè ſtultitia ipſis maxima erat, niſi vi miracolorum exterius, & potentiſsima Dei gratia ſuaderetur interius.

19. Conclude igitur, Chriſtum Chriſtianę Religionis inſtitutorem verum fuiſſe Deum, eius doctrinam divinam, & à Deo ipſo teſtificatam, atque id ex miraculis evidenter credibile eſſe.

ALIA MOTIVA EXPENduntur.

20. INSUPER augetur credibilitas noſtrę fidei ex mirabili concordia Scripturum, & Doctorum noſtrorum, qui Sacram doctrinam tradidere; nam in primis mirabile eſt, quod quamvis doctrina Chriſti à quatuor Evangeliſtis ſcripta fuerit ſeorſim, ac diverſis locis, nihilominus nulla inter ipſos contradictio, nulla extat diſcordia, ſed concordia ſomma: Idem videre eſt in Epiſtolis Pauli, Petri, Iacobi, & Ioannis, & Iudę, & in Actibus Apoſtolorum à Luca conſcriptis, in Apocalypſi Ioannis, in omnibus enim his eadem doctrina, idem Spiritus, eadem myſteria relucent, eadem beatitudo promittitur, eadem via ad illam perveniendi, eadem fides de Chriſto, idem coltus, abſque diviſione Sectarum, aut Religionum, & quod magis extorquet admirationem, eum Apoſtoli, & Chriſti Diſcipuli, per vniverſum Orbem diſperſi, Evangelium, & Chriſti doctrinam ſeminaſſent, vbique eandem, vbique concordem, & vnam fidem reliquerunt. Et id ipſum videre licet etiam in Antiquis illis, & Sanctiſsimis Patribus, ſivè græcis, ſivè latinis, qui quamvis diſsitiſsimis Regionibus ſemoti docerent, ac ſcriberent pro Chriſtiana Religione, tamen eandem doctrinam fidei, eadem myſteria, abſque vlla in his, quę fidei ſunt, diſcordia, tradiderunt. Sanè hoc probat illos omnes à ſe ipſis loquoros non fuiſſe, nec proprio ſpiritu actos, nam ſpiritus proprij varij ſunt, & ex ſe ad diſſenſionem aptiſsimi, niſi ab vno aliquo moveãtur, dirigantor, & doceaotur: Sequitur ergò, quod vnico Spiritu in docendo, & ſcribendo moti fuerint, ita vt nõ tam eſſent illi, qui loquebantur, quam Spiritus Patris, qui loqueb a-

tur in illis, vt Chriſtus ipſe promiſſerat, & quod Deus ipſe fuerit, qui loquutus eſt per os Sanctorum, ac per conſequens ex hoc etiam motivo fit evidenter credibilis noſtrę fidei doctrina tanquam tradita ab ipſo Deo.

21. Et confirmatur, quia, vt inquit Dionyſius *de Divin. Nom. cap. 4. Vera ſapientia eſt à multis opinionibus convertens, & ad vnam veram, & vniformem congregans cognitionem, & vno vnitivo lumine complens.* vbi Div. Thom. lect. 4, ſic ait: *Illi, qui cognoſcunt veritatem, conveniunt in vna ſententia, ſed illi, qui ignorant, dividuntur per varios errores*: Eſt ergò ſignum magnum verę doctrinę vnitas, & concordia, ſicut falſę diſſenſio, ac diviſio in varias ſectas: Atqui noſtrę fidei doctrina hanc diviſionem fugit, & illam ſervat vnitatem: Ergò. Nec dicas etiam Doctores Catholicos in pluribus diſsidere. Nam licèt diſsideant in eis, quę ad fidem minimè pertinent, in quibus licet vnicuique ſuo ſenſu abundare, non tamen diſsident in ſubſtantiali doctrina fidei, ſed in hac omnes conveniunt, quidquid ſit de methodo, aut modo illam explicandi, in hoc enim diverſitas pulchritudinem potius facit, & vnitatem, quam diviſionem. *Nam ſicut in Muſica,* inquit Rupertus Abbas, *& harmonico choro, in quo varię reſonant voces, & ad melodiam concinunt, illarum diverſitas armoniam non confundit, ſed mirè ſervat, & eleganter concinat, immò ex vocum varietate concors diſcordia modulatè conſlatur: Sic in Evangelicę veritatis, & doctrinę concentu, licèt varię ſint Doctorum, & Prædicatorum linguę, vnus tamen eſt fidei, & veritatis Spiritus; ideoque, licèt ſub varijs, & diſpertitis linguis Spiritus Sanctus apparuerit, vnicus tamen ignis ſupra ſingulos ſedit.*

22. Vltimò denique auget noſtrę fidei credibilitatem, Eccleſię firmitas, & duratio, & in Cathedra Petri continua ſucceſio Summorum Pontificum vſque hodie, cum cæteris notis, & ſignis verę Dei Eccleſię, quę numeravimus *ſuprà diſput. 3. quæſt. 6. à num. 6.* Ex quibus ſanè, vt ibi oſtendimus, fit evidenter credibile Eccleſiam iſtam, in qua Dei gratia vivimus, eſſe veram Eccleſiam Chriſti, Columnam fidei, & veritas firmamentum, regulamque verę Religionis inveniendę, ac proindè doctrinam ab ea traditam eſſe evidenter credibilem. Vndè Auguſt. *contra Epiſtol. fundament. cap. 5.* ſic ait: *Multæ ſunt, quæ in Eccleſia me rectiſsimè tenent; tenet conſenſio Populorum, & Gentium; tenet Authoritas miraculis confirmata, ſpe aucta, & vetuſtate nutrita; tenet ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas Dominus mandavit, vſque ad præſentem Epiſcopum ſucceſio Sacerdotum; tenet denique ipſum Catholici nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hereſes ſola hæc Eccleſia obtinuit.* Hæc ſanè rectè conſiderata evidenter credibilem faciunt Eccleſiam, & conſequenter fidem, quem ipſa tenet.

23. Potiſsimè, ſi eam conferas cum Sectis alijs illi contrarijs. Nam in primis, Mahumetana, quę maiorem præ cæteris, Orbis partem occupavit, & firmiores videtur radices egiſſe, nempè per decem ſæcula, quæque in multitudine cultorum eius, vel ęquare, vel ſuperare videtur Eccleſiam ipſam Catholicam, hæc inquam in comparatione noſtrę fidei, nedum non credibilis, ſed prorſus incredibilis eſt, nam ipſius inſtitutum, non Sanctum, ſed improbum, immundirijſque abundans eſt, quę ipſi rationi, & honeſtati naturali repugnant. In primis enim licitam facit Polygamian, id eſt, habere ſimùl plures vxores, & concubinas, & repudiare legitimam vxorem; licitam etiam facit ſimplicem fornicationem, & ſtrupum mulierum captarum in bello; necnon & ſodomiam cum proprijs vxoribus, & ancillis, & pollutionem voluntariam; immò, & ſodomiam viri cum viro impunitam permittit, & facultatem concedit, vt duo homines puſsint vnam, & eandem vxorem habere; quę quidem omnia ſpurcitias rationi naturali adverſas præſeferunt, & turpitudinem vel ipſis ethnicis inviſam. Item licitũ facit profiteri exterius fidem falſam, & veram negare, item iurare falſum, & fruſtra, licitam facit vindictam, & alienas occupare terras, & Provincias ſine vllo iure, vel titulo, facit etiam licitas ſuperſtitiones, divinationes, auguria. Non igitur lex, ſeù Secta mahometana dici queit Sancta, & immaculata, & in hoc quidem credibilitatis motivo, ridiculum eſt quidem Mahumetanam Sectam cum noſtra Religione comparare, ſed facta huiuſmodi comparatione, illa quidem evidenter incredibilis, noſtra autem evidenter credibilis eſt. Rurſus illa non antiqua eſt ſicut noſtra, ſed ex Mahumeto initium habet; ridiculum autem videtur, quod Religio Chriſti ſexcentis annis per vniverſum Mundum publicata ante Sectam Mahumati, eſſet falſa, & Mahometana vera. Item illa non fuit promulgata ſicut noſtra modo ſupernaturali, & miraculoſo, ſed per vim armorum, & bellorum, & aliciendo carnales, & barbaras nationes, premijs carnalibus, laxitate conſcientię, & omni vitiorum eſca, alijſque fraudibus proportionatis ad ineſcandos carnalium hominum animos. Itemque non conſervatur, nec defenditur per doctrinam, aut ſtudium Sacrarum Litterarum, ſed potius huiuſmodi ſtudia Mahumetus prohibuit, & præcepit, quod nullus niſi gladio ſuam defenderet Sectam, quod

pal-

palam illam oſtendit omni penitus rationabili motivo deſtitutam,& caeco ductu crediram imprudentiſsimè. Item illa nec Martyres habet,ſicut noſtra, nec Prophetas, nec Sibyllas,nec miracula vlla, nec item eſt inter ipſos Mahometanos aliqua mirabilis omnium conſenſio,ſed maxima inter ipſos contradictio; quin, & ipſum Alcoranum pleniſsimum eſt contradictionibus, erroribus, mendacijs, & fabulis riſu dignis. Quę omnia ex Authoribus fidedignis, & ipſo Alcorano refert latè RR. P. Tyrſo Gonçalez *in manudułtione ad converſionem Mahumetanorum, cap. 2. lib. 5.*

24. Quantum autem attinet ad Sectas Luteri, Calvini, & aliorum, quę hodie vigent potiſsimè in Provincijs Septentrionalibus, illę quidem licitum faciunt Virgines Deo Sacras violare, Religioſos apoſtatare, Sacerdotes Mulieribus miſceri, prohibent caſtitatem, & virginatem ex voto promiſſam Deo, prohibent modos ſanctiſsimos vivendi, quoa obſervant Religiones Sacrę & quos obſervarunt primitivi Chriſtiani, prohibent Cultum Imaginum, venerationem Sanctorum, & alia plura,quę probant Sectas illas ex ſuis inſtitutis dici non poſſe ſanctas, & immaculatas: Rurſus illę ſunt moderniſſimę, noſtra verò per quatuordecim ſaecula antiquior illis: Quis autem non videat abſurdiſsimum eſſe, quod Eccleſia, & Religio, quę per quatuordecim ſaecula ante has Sectas Chriſtum colebat, falſam eſſe, ac deferendam pro his recenter exortis. Nec ille quidem promulgatę ſunt per miracula, aut modis mirabilibus, vti Catholica, ſed per rebelliones, & tumultus, & ab hominibus ſuperbis, pervicacibus, & inobedientibus; nec item vllis miraculis confirmatę ſunt, nec Martyres pro illis paſsi invenientur, nec aliud,quod eis à Deo inſtitutas vel indicare quidem poſsit. Nec in illis eſt aliqua conſenſio in dogmatibus eredendis, ſed maxima diſcordia: Creſcit igitur eredibilitas noſtrę fidei maximè, ſi eum alijs Sectis comparetur.

25. Ex quibus denique Iam infero concluſionem noſtram, quam probandam aſſumpſimus,nempè myſteria noſtrę fidei eſſe evidenter credibilia, non ſolum abſolutè, & ex motivis omnibus, quibus Catholica Religio fulcitur, ſed etiam comparativè, nempè ſi conferatur noſtra Religio eum quibuſlibet alijs Sectis.

(.·.)

*** *** *** ***

QUAESTIO II.

QUO PACTO EVIDENTIA credibilitatis concilietur cum fide?

1. QUAMVIS credibilitas myſteriorum noſtrę fidei ſit ita evidens, vt oſtendunt motiva expenſa, nihilominus difficilia contra illā extant argumenta, quę alias quaeſtiones excitant. Obijcitur ergò primò: Evidentia, & fides non poſſunt ſimul eſſe reſpectu eiuſdem obiecti, vt infrà conſtabit: Sed myſteria noſtrę fidei ereduntur per fidem: Ergò implicat quod ſint evidenter eredibilia. Confirmatur: Aliquid eſſe evidenter credibile, eſt poſſe credi evidenter: Sed implicat myſteria noſtrę fidei credi evidenter, quia actus credendi implicat quod ſit evidens: Ergò implicat quod myſteria noſtrę fidei ſint evidenter credibilia. Confirmatur ſecundò: Si myſteria noſtrę fidei eſſent evidenter credibilia,eſſent evidenter poſsibilia: Sed non ſunt evidenter poſsibilia, quia evidenter demonſtrari nequit poſsibilitas myſterij Incarnationis, & Trinitatis, vt communiter docent Theologi: Ergò nec ſunt evidenter credibilia. Nihilominus.

2. Dico: *Rectè cohaeret evidentia eredibilitatis cum fide.* Patet primò ex communi omnium Theologorum ſententia,quia in hoc omnes conveniunt. Secundò,quia vt fides non ſit imprudens, aut levis, debet eſſe de re, quę evidenter ſupponatur credibilis, ſeù fidedigna, vt ſuprà oſtendimus: Ergò non ſolum hoc eum illo cohaeret, ſed etiam cum illo connectitur. Tertiò, quia credibilitas obiecti,& ipſum obiectum non ſunt idem, ſed valdè diverſa poteſt enim obiectum re ipſa dari, quin ſit credibile ex defectu motivorum,& poteſt eſſe credibile, quamvis non detur, quia eredibilitas ex terminis non habet evidentem connexionem cum veritate: Ergò quamvis detur evidentia de eredibilitate obiecti, poteſt eſſe obſcuritas de obiecto, & conſequenter fides de illo: Ergò vtrumque rectè cohaeret. Ex quo.

3. Ad obiectionem factam facilè reſpondeo, conceſſa maiori, & minori, negando conſequentiam, quę non infertur, ſed ſolum infertur quod myſteria non poſsint eſſe evidentia oredenti, quod quidem optimè componitur cum eo quod ſint evidenter credibilia,

 quia

Digitized by Google

quia eſſe evidenter credibilia, eſt eſſe evidentem eorum credibilitatem, ſtat autem eſſe evidentem eorum credibilitatem, quin ipſa ſint evidentia credenti, ſed illi potius, obſcura, vt explicatum manet. Ad confirmationem, nego maiorem, quia aliquid eſſe evidenter credibile, non ita intelligitur, quod ly *evidenter* appellat ſuprà creditionem poſsibilem, hoc enim implicat, vt rectè probat arguens, ſed intelligitur ita vt ly *evidenter* appellet ſuprà condignitatem ex vi motivorum, vt credatur; vndè aliquid eſſe evidenter credibile, eſt talibus fulciri motivis, vt ex illis evidenter fiat dignum fide, non quidem fide evidenti, quia hæc implicat, ſed fide obſcura; ſicut aliquid eſſe evidenter opinabile, ſeù probabile, non eſt eſſe dignum, aut capax vt cognoſcatur aſſenſu opinativo evidenti, quià hic implicat, ſed ſolum eſt eſſe evidenter dignum vt illi præſtetur aſſenſus opinativus obſcurus, qualis ſolum eſt poſsibilis. Ad ſecundam, nego maiorem, quia credibilitas non habet connexionem metaphyſicam evidentem cum poſsibilitate obiecti, ſed ſolum eum eo, quod non appareat obiectum evidenter impoſsibile, vndè licèt, rectè inferatur: Obiectum eſt evidenter impoſsibile; ergò eſt evidenter incredibile: Non tamen infertur: Obiectum eſt evidenter credibile: Ergò eſt evidenter poſſibile; ſed ſolum inferri poteſt: Ergò non eſt evidenter impoſsibile.

4. Objicies ſecundò, & difficilius: Quando dicimus, quod myſteria ſunt evidenter credibilia, vel ſenſus eſt, quod ſint evidenter credibilia fide humana, vel fide divina? Si ſolum fide humana; ergò huiuſmodi credibilitas impertinens eſt ad fidem divinam, de qua nunc agimus. Si verò ſenſus ſit, quod ſint evidenter credibilia fide divina: Contra eſt, primo, quia implicat quod ſint evidenter credibilia fide divina, niſi ſit evidenter poſsibile, ea credi fide divina, & conſequenter, niſi ſit evidenter poſſibilis fides divina de illis: Sed fides divina, cum ſit eſſentialiter ſupernaturalis, nequit eſſe evidenter poſsibilis, aliàs daretur evidentia naturalis de poſsibilitate entis ſupernaturalis, quam plerique Theologorum negant: Ergò non ſunt evidenter credibilia fide divina. Et confirmatur, quia fides divina, vtpotè eſſentialiter innixa divino teſtimonio, eſſentialiter eſt vera, & connexa, tum cum divino teſtimonio, tum conſequenter cum veritate rei creditę, quia evidenter implicat rem falſam eſſe à Deo teſtificatam, & conſequenter eſſe credibilem fide divina: Ergò ſi myſteria ſint evidenter credibilia fide divina, erunt evidenter à Deo teſtificata, & evidenter vera: Sed hoc eſt incompatibile cum fide ipſa divina, quę nequit eſſe niſi de re obſcura: Ergò implicat quod ſint evidenter credibilia fide divina.

5. Duobus modis poteſt huic obiectioni ſatisfieri, primo cum P. Michaele Elizalde *in ſuo opere de forma veræ Religionis quærendæ, & inveniendæ*, cum Petro Danieli Huezio, *in ſua demonſtratione Evangelica*, quos citat, & ſequitur RR. Tyrſo Gonçalez, *in manuductione ad Mahumetanorum converſ. 1. part. lib. 2. cap. 2.* Hi enim tenent motiva credibilitatis facere myſteria noſtrę fidei, non ſolum evidenter credibilia, ſed evidenter vera, evidentia in atteſtante, & cum hac evidentia conciliant obſcuritatem fidei. Secundo cum alijs communiter negantibus hanc evidentiam, qui ſolum admittunt evidentiam credibilitatis, non determinatè per fidem re ipſa divinam, aut ſupernaturalem, ſed vage per fidem, abſtrahendo à fide naturali, & ſupernaturali, re ipſa divina, vel ſolum obiectivè divina, fallibili, vel infallibili. Vt autem hæc ſatis difficilia examinentur, duas ſubiungam quæſtiones, ex quibus ſolutis conſtabit ſolutio præcedentis argumenti. Sit prima.

QUÆSTIO III.

AN MYSTERIA NOSTRÆ fidei ex motivis credibilitatis ſint evidenter vera evidentia in atteſtante.

1. ASSERUNT tenaciſsimè præfati Authores, & cum eis RR. Tyrſus. Et probat varijs demonſtrationibus formatis.

2. Primo ſic: Evidens eſt dari Supremum Numen, infinitamque mentem, quę curam hominum agat, & providentiam erga ipſos exerceat, veliṭque ab ipſis amari, & colli, quia lumine naturali demonſtratur exiſtentia Dei, & eius erga homines providentia: Evidens etiam eſt dari in Mundo varia inſtituta, ſeù Religiones, exempli. g. Iudaicam, Mahumetanam, & Chriſtianam, & cum illę omnes non poſſint eſſe ſimul verę, quia continent dogmata inter ſe contraria, & adverſa, evidens eſt vnam tantum ex illis eſſe veram, & reliquas falſas: Tunc ſic, ſed evidens eſt hanc vnam non eſſe aliam, niſi Religionem Chriſtianam: Ergò evidens eſt Religionem Chriſtianam eſſe veram. Minorem hanc ſic demonſtrat: Quia evi-

evidens eſt, quod Religio Chriſtiana talibus eſt roborata motivis, vt illis ſincero veritatis amore penſatis, & collatis cum motivis aliarum Sectarum, illa appareat evidenter credibilior præcæteris tāquā pluribus, & firmioribus motivis præcæteris fulcita: Sed evidens eſt Religionem talibus fulcitā motivis eſſe veram, ſeù non poſſe eſſe falſam: Ergò. Probat minorem, quia evidens eſt Deum non poſſe permittere, vt Religio falſa, eique diſplicens proponatur ſub tanta apparientia veritatis, quia ſi hoc permitteret, quæri poſſent homines de Deo tanquàm de deceptore, quod eis feciſſet evidenter credibilem Religionem falſam, eoſque obligando ad illā. Vel ſaltē nō haberet de illis providentiā, cōtra primū ſuppoſitū. Et cōfirmat: Quia argumēta, quę noſtram Religionē faciūt evidēter credibilem, evidenter inferunt, vel Deo placere, quod homines in Religione decipiantur, obligando nempè eos ad Religionem falſam, vel ipſum non curare de Religione hominum erga Deum; vel Religionem, quam facit evidenter credibilem præcæteris, nempè Chriſtianam eſſe veram: Sed illa duo ſunt evidenter falſa, & impoſsibilia: Ergò eſt evidens tertiū, nēpè, Religionem Chriſtianam eſſe veram.

3. Secundo ſic: Evidens eſt animam rationalem eſſe immortalem, & conſequenter creatam à Deo ad aliquam felicitatem ęternam: Ergò evidens, eſt Deum quantum eſt ex ſe ſufficienter conſtituiſſe hominibus viam certam ad talem felicitatem: Sed hæc eſt vera Religio, veraque lex: Ergò evidens eſt Deum conſtituiſſe hominibus veram legem, & Religionem: Sed evidens eſt hanc non eſſe aliam, niſi Catholicam Chriſtianam: Ergò evidens eſt Catholicam Chriſtianam eſſe veram. Minorem hanc probat, quia omnis alia Secta evidenter continet errores, quod probat de Mahumetana, & Iudaica, deſignando aliquos errores evidentes, & de Iudaica evidentes inconſequentias, ſemèl admiſſo, vt admittunt Iudæi, veteri Teſtamento: Ergò omnis alia Secta evidenter eſt falſa: Ergò Chriſtiana evidenter eſt vera.

4. Tertio ſic, quia evidens eſt Deum habere in Mundo aliquam Religionem veram, & ſibi placentem, quam velit amplecti ab omnibus hominibus: Ergò evidens eſt illam deſignaſſe ſignis, & notis, quibus inter reliquas falſas dignoſci valeat, aliàs fruſtra illam inſtituiſſet: Ergò evidens eſt, illam eſſe veram Religionem inſtitutam à Deo, quę inter reliquas, & prę reliquis certioribus notis, & ſignis veritatis inſignitur: Sed hæc evidenter eſt Catholica: Ergò Catholica eſt evidenter vera Religio à Deo verè inſtituta. Confirmat, quia cumulus rationum, quę Religionem Chriſtianam reddunt evidenter credibilem, & præeminentem cæteris in apparientia veritatis, non alium quam Deum potuerunt habere Authorem: Sed Deus non potuit ita credibilem reddere Religionem Chriſtianam, ſi foret falſa, quia alioquin ſeduceret homines, & convinceretur, non ſincere deſiderare eorum ſalutem ęternam: Ergò. Confirmat ſecundo: Evidens eſt metaphyſicè Deum vel vt Authorem ſpecialem, vel ſaltèm vt Authorem vniverſalem, cauſaſſe cumulum illum argumentorum reddentium credibilem Religionem Chriſtianam: At evidens eſt Deum, neutro modo id cauſare potuiſſe, ſi Religio Chriſtiana eſſet falſa: Ergò evidens eſt evidentia in atteſtante illam eſſe veram. Probat minorem quoad ſecundam partem, quia evidens eſt, Deum ſerio deſiderare, ne homines inducantur à Diabolo ad profeſsionem Religionis falſę, cum tanta apparientia veritatis, vt omnes penetrantes huiuſmodi argumenta evidenter obligentur ad illam amplectendam, quin vllus, quantumvis Dei amator, & diligentiſsimus veritatis inveſtigator, poſsit fraudem Diaboli detegere: Sed ſi Deus cauſare poſſet cumulum illum argumentorum, adhùc vt Author generalis, id permittere poſſet: Ergò. Confirmat tertio, quia ſi id poſſet permittere Diabolo, non haberet Deus modum obligandi homines ad credendam veritatem à ſe revelatam, ſiquidē non poſſet præbere maiora credibilitatis argumenta, quam ea, quibus modo ſuadetur Religio Chriſtiana: Sed hoc eſt evidenter falſum: Ergò credibilitatis argumenta, quę modo inducunt ad Religionem Chriſtianam, eſſentialiter connexa ſunt cum veritate Religionis: Ergò repugnat vt falſitas aliqua cum tanta credibilitatis evidentia proponatur: Ergò illa evidentia credibilitatis evidenter probat Religionem Chriſtianam eſſe veram.

5. Quartò ſic: Quia ratio, qua Doctores Catholici probant evidentiam credibilitatis, ęquè probat evidentiam veritatis in atteſtante: Ergò. Probat, quia ea ratio conſiſtit in eo, quod doctrina, quę per ſe eſt valdè conſentanea rationi, Maieſtati, ac excellentię divinę, boniſque moribus; innumerabileſque habet teſtes fide digniſsimos, qui divina virtute illam confirmarunt, non poteſt non eſſe evidenter credibilis: Sed hæc ratio eadem evidentia probat Religionem Chriſtianam eſſe veram: Ergò. Probat minorem, quia evidens eſt Deum non deſeruiſſe homines cum tanta evidentia credibilitatis hanc fidem amplectentes, decipi, & falli in ea amplectenda, maximè, cum inter eos ſint multi, qui toto corde Deum ipſum, eiuſ-

eiuſque veritatem quærunt, vndè dixit Chriſoſtomus, in quadam homilia de prouidentia, non poſſe hanc noſtram fidem falſam reputari ſine magna iniuria diuinę prouidentię, & quod ſi per impoſſibile falſa eſſet, non poſſet hominibus imputari, quia prudentiſſimè illam crediderunt: Ergò evidens eſt hanc doctrinam, quę cum tanta credibilitatis evidentia proponitur, eſſe veram, & non falſam. Et confirmat, quia hæc Doctrina Chriſtiana, non vt cumque proponitur, ſed ſub divina authoritate: Sed ad ipſius Dei authoritatem, & veritatem ſpectat non permittere, vt ſub eius nomine, & teſtimonio homines cum tanta credibilitate decipiantur: Ergò repugnat doctrinam eſſe falſam, & deceptivam.

6. Quinto ſic: Evidens eſt evidentia facti fuiſſe in Mundo virum mirabilem Ieſum Nazarenum, qui dixit ſe eſſe Deum, in hoc enim ita conveniunt vniverſę Nationes, ſicut in eo, quod fuerit in Mundo Alexander Macedo, & in eo quod ſit Roma, quod ſanè facit evidentiam facti: Item ſimiliter, & eadem evidentia eſt evidens evidentia facti, ipſum in confirmationem ipſius doctrinę feciſſe evidentia miracula, nam in hunc finem Lazarum quatriduanum ſuſcitavit: Sed evidens eſt Deum non poſſe patrare miracula in confirmationem falſę doctrinę: Ergò evidens eſt illum Ieſum Nazarenum fuiſſe Deum, & eius doctrinam veram. Confirmat: Evidens eſt evidentia facti, Chriſtum de ſe ipſo palam dixiſſe ſe eſſe Deum, & ob hanc cauſam crucifixum fuiſſe: Ergò vel ſeductor fuit, vel Deus eſt: Sed evidens eſt, evidentia in atteſtante non fuiſſe ſeductorem: Ergò evidens eſt fuiſſe Deum verum. Probat minorem, quia evidens eſt non potuiſſe Deum hominem ſeductorem ornare tam mira potentia, & tot argumentis divinitatis, quę ſi referantur, dubitandi locum non relinquunt: Ergò.

7. Sexto: Quia hæc diſtinctio de evidentia credibilitatis ab evidentia veritatis, ab Scolaſticis noviter inventa, in PP. non habet fundamentum, nam PP. non aliam evidentiam facere connati ſunt de Religione Chriſtiana, niſi evidentiam veritatis ipſius, vndè Chriſoſt. orationi cuidam, quam fecit ad Gentiles convincendos, hunc titulum præfixit: *Adverſus Gentiles demonſtratio, quod Chriſtus ſit Deus.* Et inquit: *Hinc autem faciemus demonſtrationem veritatis Chriſti, & oſtendamus ipſum eſſe Deum*: Et concludit: *Nullus itaque bis contradixerit, niſi qui valdè inſanus, & totus ſtupidus, naturę que ſenſu privatus*: Eodemque tenore proceſſerunt alij PP. Vndè Arnobius *lib. 2. contra Gent.* ſic ait: *Incredulum genus humanum doctrinę Chriſti non conſenſiſſet, niſi aperta res eſſet, & luce ipſa, vt dicitur, clarior*: Ergò vel admittenda eſt evidentia veritatis, vel neganda evidentia credibilitatis. vndè P. Elizalde *in ſuo opere de forma veræ Religionis inveniendæ*, ſic arguit: *Patres namque ferè omnes Apologiis, orationibus, libris compoſitis pro veritate Chriſtiana decertarunt, errores omnes impugnarunt Gentilium, Iudæorum, Hæreticorum: Intentio porrò, & ſcopus fuerat veritatem Chriſtianam concludere: De evidentia credibilitatis nulli ſunt tituli nuſpiam illa cura legitur diſtinguendi evidentiam credibilitatis Religionis Chriſtianæ ab evidentia veritatis, cui tamen vni diſtinctioni hodie à multis inſiſtitur: Nimis autem temerarium foret dicere, neminem SS. Patrum ſcopum attigiſſe: Omnes impoſſibilia intentaſſe: Rem porrò concluſam probatam fuiſſe à nemine: Supponebant ergò omnes Religionis veritatem concludi certo poſſe; nec vt opinarentur ſolum, ſed vt convincerent, tantis, credo, voluminibus concertarunt.* Hæc illę, quę verè ab ipſo dicta oſtendit Tyrſus.

8. Sed ſanè aſſumptum hoc, quod tàm efficaciter ſuadere conantur hi Authores, novum eſt, & ſingulare, & contra communem Scholaſticorum ſenſum; nam illi communiter ſupponunt tanquam certum, non dari de facto, præſertim in hominibus, evidentiam in atteſtante, ſeù divinę revelationis, immò Bañez 2. 2. *quæſt. 5. articul. 1. dubio vnico*, & Antonius Perez *diſputat. 3. cap. 9. num. 51.* inquiunt, eſſe impoſſibilem talem evidentiam: Et licèt aliqui illam admittant de facto, non tamen regulariter in hominibus, ſed ſolum in primo Angelo, dum fuit in via, aut in aliquibus Prophetis, quibus Deus immediatè loquutus eſt.

9. Dices forſan cum aliquibus Modernioribus, hanc litem facilè diſſolvi, & vtroſque conciliari Authores, ſi dicatur quod ex motivis credibilitatis reſultat evidentia in atteſtante, & evidentia veritatis noſtrę Religionis, non quidem, quę ſit evidentia phyſica, aut metaphyſica, ſed ſolum evidentia moralis, & hanc ſolam evidentiam prætendere Elizalde, Huezium, & Tyrſum; Non tamen reſultare evidentiam phyſicam de veritate noſtrę Religionis, nec de eo, quod Deus ipſe illam revelaverit hominibus, & hanc ſolam negari communiter ab Scholaſticis, non verò illam primam, vndè non eſt contradictio.

10. Verumtamen huiuſmodi concordiam non admittunt præfati tres Authores, primo, quia vt refert P. Tyrſo *num. 23.* Huezius, conatur Religionis noſtrę veritatem evidenter demonſtrare demonſtratione non minus certa, quam ſint demonſtrationes geometricę; hæ autem non ſolum faciunt evidentiam moralem, ſed phyſicam, & metaphyſicam

Item

Item P. Elizalde, apud ipſum R. Tyrſo, licèt admittant appellationem evidentię moralis, inquit tamen, talem ac tantam eſſe evidentiam iſtam moralem, vt importet ęqualem infallibilitatem, cum evidentia phyſica, & metaphyſica, habereque infallibilem connexionem cum veritate, & convincere intellectum, non minus, quam illam. Ac demum ipſe R. Tyrſo, evidentiam ſuadere connatur omninò infallibilem, & omninò convincentem in vi legitimę, & ſtrictę demonſtrationis: Huiuſmodi autem evidentia, quamvis ex principijs moralibus deſumatur, iuxta hos Authores, non eſt evidentia ſolum moralis, hoc eſt fallibilis phyſicè, & metaphyſicè, ſed evidentia phyſica, & metaphyſica, vt potè phyſicè, & metaphyſicè infallibilis, quamvis appelletur moralis præſuppoſitivè, eo quod fundatur in evidentia ſignorum, & motivorum, quę non ſunt principium aliquod metaphyſicum, aut phyſicum, ſed morale, quatenus ex omnibus illis moraliter adunatis, & debitè penſatis, reſultat vnum motivum, & principium, ex quo evidentia metaphyſicè infallibili convincitur veritas noſtrę fidei, & quod ſit verè à Deo revelata.

11. Verumtamen, vt quid de hac evidentia ſentiam, explicare poſsim, diſtinguendum cenſeo. Nam hi Authores poſſunt loqui, vel de evidentia naturali, hoc eſt, ex ſolo lumine naturali habita, præſuppoſitivè ad lumen gratię, & fidei, & indepéndenter ab ipſo; vel de evidentia theologica, ex ſuppoſitione nempè alicuius principij crediti per fidem, vel de evidentia ſupernaturali omninò anteriori ad fidem. Si loquantur de evidentia theologica ex principijs nempè creditis per fidem, & dependenter à fide exercita, nullus profectò contradicet, tum quia evidentia illa theologica iuxta omnes Theologos, rectè conciliatur cum fide eiuſdem obiecti, vt infra conſtabit. Tum quia de myſterijs, & rebus ſupernaturalibus dari poteſt ſine inconvenienti evidentia, ſeù demonſtratio theologica, quia theologia ex parte, ſeù præſuppoſitivè ſaltèm eſt ſciētia ſupernaturalis, quę ad obiecta ſupernaturalia extendi poteſt. Tum, quia poteſt quis credere per fidem divinam, doctrinam Catholicam eſſe à Deo revelatam, & lumine evidenti naturali, Deum non poſſe revelare niſi verum; & ſic inferre evidenter evidentia theologica, doctrinam Catholicam eſſe veram. Vel poteſt, lumine naturę cognoſcere, Deum non poſſe patrare vera miracula in confirmationem falſę doctrinę, & credere per fidem fuiſſe vera miracula, quę patrata referuntur in confirmationem doctrinę Catholicę, & ex intentione illam confirmandi: Et ſic concludere evidenter doctrinam Catholicam eſſe ab ipſo Deo teſtificatam, & veram: Poteſt ergò dari abſque inconvenienti evidentia theologica, ex ſuppoſitione fidei, concludens evidenter doctrinam Catholicam eſſe dictam à Deo, & veram: Et ſi hanc ſolam prætenderent præfati Authores, nulla eſſet contradictio. Verumtamen, vt ipſos legenti conſtabit, longè aliam prætendunt, quia ſuadere conantur evidentiam quę poſsit infidelem convincere, & illum trahere ad fidem, aut qua inquirens veram Religionem, poſsit eam evidenter dignoſcere; huiuſmodi autem evidētia non poteſt eſſe theologica, quę eſſentialiter ſupponit fidem in ſubiecto, ſed neceſſario eſt evidentia independens à fide, & illam præcedens, ad illamque inducens. Solum ergò dubitari poteſt, an loquantur de evidentia luminis naturalis, vel de evidentia vi alicuius luminis ſupernaturalis infuſi ante fidem. Quo ſuppoſito.

NOSTRA SENtentia.

12. DICO primò: *Ex motivis credibilitatis, nec aliundè haberi nequit evidentia naturalis de veritate noſtræ Religionis, adhùc in atteſtante, quæ præcedat fidem; & ad illam trahat.* Hæc concluſio certiſsima eſt, vndè ſi fortè præfati Authores de hac evidentia loquuti ſunt, certiſsimè falluntur. Et quidem P. Tyrſo *loco cit. num. 63*, apertè appellat hanc evidentiam in atteſtante, *certitudinem ſcientiæ, & ſcientiam applicantem Authoritatem divinam revelantem, vt intellectus per fidem aſſentiat myſterijs. Et num. 64.* inquit: *Quod me evidenter cognoſcere Deum mihi loqui, non impedit fidem dandam dictis eius, neque huiuſmodi cognitio, vi cuius certus ſum, Deum mihi loqui, ad fidem divinam pertinet, ſed ad ſcientiam humanam, iuxta illud Pauli, ſcio cui credidi, & certus ſum.* Non ergò loquitur de ſcientia infuſa, aut evidentia vi luminis infuſi, ſed de ſcientia, & evidentia naturali, vi luminis naturalis, quę omninò, & infallibiliter certificat intellectum de eo quod Deus revelavit doctrinam Catholicam; & idem videtur ſentire Elizalde.

13. Verumtamen contra illos ſic probo concluſionem aſſertam; quia vt eſt communis ſententia Theologorum, nemo vi ſolius luminis naturalis poteſt evidenter cognoſcere myſteria ſupernaturalia, nec illa evidenter demóſtrare: Sed ſi daretur prædicta evidentia naturalis, adhùc in atteſtante, de veritate noſtrę Religionis, iam quiſque, præſertim intellec-

tu

tu perſpicax, vi ſolius luminis naturalis poſſet evidenter cognoſcere myſteria ſupernaturalia noſtrę fidei: Ergò prædicta evidentia dari nequit. Maior, quę vt dixi eſt communis Theologorum, ab ipſis defenditur, vt dogma fidei, vel ſaltèm fidei proximum, fundaturque in pluribus Sacrę Scripturę teſtimonijs, quę videri poſſunt apud Doctores agentes de myſterijs Incarnationis, & Trinitatis, quantum ad eorum cognoſcibilitatem; vnum tantum exprimam, illudque Div. Pauli, qui 1. *Corinth.* 2. ſic ait: *Sapientiam loquimur inter perfectos: Sapientiam verò non huius ſæculi, neque Principum huius ſæculi, qui deſtruuntur, ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinavit Deus, ante ſæcula in gloriam noſtram, quam nemo Principum huius ſæculi cognovit*: Sed hæc ſapientia eſt doctrina noſtrę fidei, quam Prædicabat Apoſtolus: Ergò hæc doctrina evidenter demonſtrari non poteſt vi luminis naturalis, etiam à peritiſsimis, & perſpicacibus huius ſæculi. Vndè S. Dionyſius *cap. 2. de divinis nominibus part. 4. in fin.* ſic ait: *Ipſo Ieſu in carne apparitio, & ineffabilis eſt ſermone, omni ignota intelligentiæ, ipſi quoque Antiquiſſimorum Angelorum primati non cognita*, nempè evidenter per lumen naturale, quantùmvis perſpecaciſsimum. Mitto aliorum PP. verba referre, quia de hoc videtur non poſſe inter Catholicos controverti. Minor verò primi ſyllogiſmi, non minus certa eſt, quia ſi daretur illa evidentia naturalis, adhùc in atteſtante, quiſque poſſet demonſtrare evidenter vi illius omnia fidei myſteria, poſſet enim ſic procedere: Evidenter cognoſco lumine naturali Deum eſſe, qui inſtituit Religionem Chriſtianam, & revelavit doctrinam Catholicam: Sed evidenter cognoſco lumine naturali Deum non poſſe revelare doctrinam falſam: Ergò evidens mihi eſt vi ſolius luminis naturalis doctrinam Catholicam eſſe veram, hoc eſt, ita eſſe, ſicut ab Eccleſia Chriſti creditur, & docetur: Ex quo facillimè procedere poſſet vi eiuſdem luminis ſic: Ergò evidens mihi eſt, Deum eſſe trinum, & vnum, ſicut Chriſtiani credunt, & profitentur: Ergò evidens mihi eſt ſecundam Trinitatis perſonam, nempè Filium incarnaſſe, paſſum, & mortuum fuiſſe, &c. Sicut docet Chriſti Eccleſia: Poſſet ergò lumine naturali evidenter demonſtrare omnia fidei Catholicę myſteria.

14. Dices, PP. & Theologos aſſerentes non poſſe demonſtrari lumine naturę evidenter myſteria fidei, intellegendos eſſe de demonſtratione, & evidentia per principia intrinſeca, aut per cauſas, & effectus proprios, non verò excluſiſſe demonſtrationem evidentem per divinam atteſtationem, & revelationem evidenter cognitam ex motivis, & ſignis extrinſecis, vt ex miraculis, Martyribus, Prophetis, &c. Nam hæc evidentia motivè eſt ſupernaturalis, quia motiva, quibus innititur, ſunt ſupernaturalia, & à Deo Authore ſupernaturali, nempè miracula, Prophetię, &c.

15. Sed contra eſt, quia huiuſmodi ſolutio implicat manifeſtam contradictionem, nempè dari evidentiam naturalem, ſeù vi ſolius luminis naturalis, ex motivis ſupernaturalibus; cum enim lumen intellectivum ſpecificetur à ſuo motivo, apertè implicat lumen naturale intellectus moveri ex motivo ſupernaturali ad aliquid evidenter evidentia naturali cognoſcendum. Secundo: Quia adhùc ſuppoſitis miraculis, & Prophetijs, &c. non poteſt quis ex illis evidenter diſcere per ſolum lumen naturale Deum eſſe qui loquitur, & teſtificatur ea myſteria: Ergò ruit ſolutio. Antecedens probatur, primo, ex illo *Matth.* 16. vbi, cum interrogante Chriſto: *Vos autem, quem me eſſe dicitis?* Reſpondiſſet Petrus: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, dixit Chriſtus: *Beatus eſt Simon Bar-Iona, quia caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in Cœlis eſt*, id eſt, qui hoc non ſapientia humana, nec naturę lumine indicaſti, ſed cœleſti fidei lumine, quo Pater meus id tibi revelavit, vt exponunt communiter PP. Sanè, Petrus portentoſa Chriſti miracula viderat ipſe ſuis oculis, ipſumque audierat prædicantem ſe eſſe Chriſtum in lege promiſſum, ſciebat in eius baptiſmo vocem auditam dicentem: *Hic eſt Filius meus*, & alia ſigna, & motiva credibilitatis, non quidem ſolum audierat, aut legerat, ſicut nos, ſed viderat ipſe, & tamen ſolo lumine naturę non cognoſcebat evidenter Deú, aut Filium Dei eſſe qui ſecum loquebatur, nec habebat evidentiam naturalem in atteſtante, ſed ſolum id cognovit lumine à Deo infuſo, vt concludit Chriſtus D. Ergò multò minus nos poterimus ex motivis illis, quãvis in ſe ſupernaturalibus, lumine naturę demonſtrare evidenter, aut evidẽter cognoſcere Deum re vera eſſe qui nobis loquitur, & nobis revelat myſteria fidei. Quin & Angeli, ingrediente Chriſto Cœlorum ſublimia, interrogabant. *Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra?* Vt refertur *Iſaiæ* 63. ſeù: *Quis eſt iſte Rex gloriæ*, vt *Pſalm.* 23. quia vt tradit Dionyſius *cap. 2. de cæleſti Hyerarch.* id ignorabant, quantum ex ſuo lumine proprio, & naturali: Et tamen Angeli videbant omnia motiva, & ſigna credibilitatis, vti miracula, &c. Ergò adhùc ex ipſis per lumen naturale evidenter adiſci non poteſt, quod Chriſtus, qui inſtituit Chriſtianam Religionem, fuerit verè Deus.

16. Tert

16. Tertio, quia cognitio evidens divinę atteſtationis de aliquo myſterio non poteſt non eſſe proxima, & poſitiva diſpoſitio ad credendum fide divina tale myſterium;nam qui evidēter cognoſcit Deum ipſum revelaſſe myſterium Incarnationis, ipſumque nec falli, nec fallere poſſe, abſdubio vi huius evidentię,inveniretur poſitivè motus, & proximè diſpoſitus ad aſſentiendam illi myſterio : Sed implicat poſitiva, & proxima diſpoſitio, & motio ad fidem divinam, habita ſolo lumine naturę, vt eſt communis CC. PP.& Theologorum ſententia: Ergò implicat evidentia illa divinę atteſtationis, & revelationis habita ſolo lumine naturę. Confirmatur ad hominem contra prædictos Authores,nam eo potiſsimum talem evidentiam adſtruunt, vt reſolvatur fides divina in divinam revelationem vt evidentet cognitam,vndè dicunt revelationem eſſe motivum fidei divinę, non vt creditam per ipſam fidem,ſed vt evidenter cognitam ante fidem : ergò ſi talis evidentia acquiri poteſt ſolo lumine naturę, iam revelatio vt cognita evidenter ſolo lumine naturę movebit ad fidem : Ergò motio poſitiva, & proxima ad fidem haberi poterit ex naturę viribus,& lumine naturali : Ex quo rurſus ſic arguo: Motio illa non poteſt non eſſe inchoatio,& initium fidei : Ergò iam initium fidei erit ex naturę viribus, & luminę, independenter à lumine gratię : Sed hoc dicere eſt hæreſis Pelagiana, vel Semi-Pelagiana : Ergò ne in hoc incidatur, neganda eſt illa evidèntia in atteſtante purè naturalis.

17. Dices forſan cum P. Tyrſo,illam evidentiam divinę atteſtationis non eſſe motivum formale fidei, ſed ſolum applicationem motivi, & puram conditionem, ac proindè nihil obeſt, quod poſsit eſſe naturalis, immò & ex ſe fallibilis, nam *vbi ſuprà cap. 6. num. 172.* aſſerit revelationem non ſemper movere ad fidem, vt evidenter cognitam, quia hæc evidentia ſolum invenitur in ſapientibus,& peritis,ſed ſatis eſſe quod cognoſcatur *aſſenſu fideì humanę moraliter certè, vel ob rationes adeò probabiles, vt non ſinant prudenter dubitare.* Sed ſanè hæc doctrina multa continet falſa. Et in primis, quod revelatio non moveat ad fidem ſupernaturalem vt credita fide humana, ſatis efficaciter oſtendimus ſup à *diſput. 1. quæſt.* 8. Et ex præcedenti motivo magis oſtenditur,quia aſſenſus iſte fidei humanę eſt acquiſitus, & habitus lumine naturę,& independenter à lumine ſupernaturali, vt per ſe patet : Sed revelatio vt ſolo lumine naturę cognita movere nequit ad fidem ſupernam,vt probamus : Ergò.

18. Deindè, quod ſatis ſit revelationem cognoſci *ob rationes adeò probabiles, vt non ſinant prudenter dubitare*, videtur damnari, in 21. propoſitione ex illis, quę proſcripſit Innocent. XI. *anno 1679. vt minimum tanquam ſcandaloſas, & in praxi pernitioſas*; illa enim huius erat tenoris : *Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & vtilis ad ſalutem, ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis, immò cum formidine, qua quis formidet, ne non loquutus ſit Deus* : Iudicium enim de revelatione ob rationes adeò probabiles, vt non ſinant prudenter dubitare, non excedit ſphæram iudicij probabilis, & probabilis notitię, immò iuxta hunc Authorem iudicium verè probabile aliter concipi nequit, niſi ob rationes adeò graves, & probabiles, quod non ſinant prudenter dubitare,vt notum eſt omnibus, qui opus ipſius de opinionum delectu legerunt : Si ergò ſentit, quod hoc iudicium ſufficit de revelatione, vt moveat ad fidem, ſentit, quod propoſitio damnata, nempè ſufficere notitiam ſolum probabilem de revelatione. Nec valet, ſi dicat, propoſitionem damnatam non hoc ſolum aſſeruiſſe,ſed ſtare cum fide ſupernatutali *formidinem ne non loquutus ſit Deus.* Contra eſt, quia Pontifex, non ſolum damnat ſecundam partem illius propoſitionis ſed etiam primam,aliàs enim in Decreto non appoſuiſſet primam partem innocentem, ſed ſolum ſecundam, quam ſolam damnare volebat : Sed prima pars ſolum dicit fidem cohærere cum notitia ſolum probabili revelationis : Ergò hoc damnatur independenter etiam ab alia parte de formidine. Item,quia licèt illa notitia, ſeù iudicium probabile ob rationes adeò probabiles, non relinquat prudenter dubitare, relinquit tamen locum formidandi ne non loquutus ſit Deus, rationes enim probabiles, quantumvis probabiles ſint, ſunt fallibiles, & aliquando, licèt raro, aut rariſsimè fallunt : Ergò relinquunt locum formidandi ne forſan ita non ſit, quod propter eas probabiliſsimè iudicatur, immò & iudicium ſic probabile talem formidinem ſaltèm fundamentaliter ſecum affert : Ergò ſemèl admiſſo quod cum iudicio ſolum probabili de revelatione poſsit elici aſſenſus fidei ſupernaturalis, admittitur,quod poſsit elici *cum formidine ne non loquutus ſit Deus*, & inciditur in propoſitionem damnatam.

19. Demum, quod ait, & ſæpiſsimè repetit,vt ſuam doctrinam tueatur,nempè,quod cognitio revelationis non movet, ſed eſt pura conditio, & applicatio vt revelatio moveat ; in primis, inconſequenter procedit, nam *ibid. cap. 3. num.* 63. ſic ait : *Quod enim cognoſcatur evidenter motivum aſſentiendi, non impedit, neque retardat aſſenſum vnicè innitentem tali motivo,*

ſed potius iuvat, quatenus fortius impellit ad aſſenſum illum eliciendum : Sanè ſi iuvat, & fortius impellit illa evidentia ad illum aſſenſum : Ergò non eſt pura conditio, ſed motio iuvans, & impellens ad credendum, & aſſentiendum Deo revelanti : Ergò ſi talis evidentia ponatur acquiſita ſolo lumine naturę, aut naturali diſcurſu, poterit quis ſolo lumine naturę ſe ipſum movere, & impellere ad eredendum fide ſupernaturali, & non indigebit ad hoc illuminatione cœleſti, & ſuperna, contra communem PP. & Theologorum ſententiam, & præſertim contra definitionem Concilij Aranſieani, *Canon.* 5. decernentis: *Ad conſentiendum prædicationi ſalutari eſſe neceſſariam illuminationem, & inſpirationem Spiritus Sancti.*

20. Deindè dato, quod illa cognitio evidens divinę revelationis ſit ſolum conditio, per modum applicationis, eſt tamen applicatio motivi formalis ſufficienter ad credendum, & quidem ſufficientia proxima, nam intellectus cognoſcens evidenter Deum ſummè veracem ſibi loqui, ex hoc ipſo ſufficienter proximè movetur vt illi firmiſsimè eredat : Ergò ſi ſolo lumine, & diſcurſu naturali poteſt evidenter cognoſcere Deum eſſe ſummè veracem, & ſibi loqui, viribus ſolius naturę poterit acquirere ſibi motionem proximè ſufficientem ad credendum fide divina : Sed hoc eſt apertè contra illud Pauli: *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, quod communiter exponitur à SS. PP. de cogitationibus ſufficientibus ad fidem ſalutarem; nam ſi huiuſmodi cogitationes ex nobis, id eſt, ex naturę viribus non habemus, quanto minus habere poterimus evidentiam de eo quod Deus nobis loquuntur, quę evidenter ſufficit ad eredendum : Ergò.

21. Nec valet, ſi dicas, non ſufficere talem evidentiam de eo quod Deus eſt qui loquitur, ſed illa ſuppoſita, requiri, quod voluntas mota per gratiam, vel imperet aſſenſum, vel ſaltèm illum permittat. Contra eſt, quia intellectus ſemèl evidenter convictus de eo quod Deus ſibi loquitur, & quod eſt ſummè infallibilis in dicendo, ex vi huius evidentię determinatur neceſſario, ſaltèm quoad ſpecificationem, ad aſſentiendum rei à Deo ſibi revelatę, ita vt ea ſuppoſita, nec poſsit diſſentire, nec dubitare de veritate rei revelatę, nam qui evidenter ſcit Deum ſibi dicere, quod Verbum caro factum eſt, & quod dictum Dei eſt, eſt omninò infallibile, niſi fatuus ſit, quomodo poterit in ſenſu compoſito, negare, aut dubitare quod Verbum caro factum ſit? Sanè, qui evidenter cognoſcit præmiſſas evidenter inferentes concluſionem aliquam, ex illis ſic cognitis evidenter convincitur ad aſſenſum illius concluſionis, ita vt non poſsit dubitare, nec diſſentire concluſioni: Tunc ſic, ſed intellectus ſic evidenter convictus minimè indiget ad aſſentiendum concluſioni, quod voluntas mota per gratiam imperet aſſenſum; nam ad quid motio gratię, vbi iam intellectus evidenter eſt convictus, ita vt nec dubitare poſsit? Et ad quid imperium voluntatis, quando intellectus evidentia naturali præſupponitur convictus, & neceſsitatus? Dicere autem, quod requiritur gratia vt voluntas mota per illam permittat intellectui aſſenſum, eſt evidenter falſum, nam vt voluntas permittat, hoc eſt, ſinant, & relinquat intellectum evidenter convictum aſſentire veritati, ad cuius aſſenſum ſupponitur convictus, nulla gratia requiritur; tum quia gratia non datur, vt voluntas merè negativè, ſeù permiſsivè ſe habeat, ad hoc enim voluntas moveri non eget per gratiam, quia per gratiam non movetur ad nihil agendum, ſeù ad merè negativè ſe habendum, aliàs moveretur vt quieſceret, & ageretur vt non ageret quod ex terminis repugnat. Tum quia, ſuppoſito quod intellectus ſit evidenter convictus, nulla eſt arduitas, nec difficultas in aſſenſu, immò ſi aliqua arduitas eſſet, maximè in cohibendo ipſum aſſenſum, ad quem intellectus invenitur evidenter convictus : Ergò ad talem aſſenſum præſtandum non requiritur gratia illa movens voluntatem, nec pia affectio voluntatis.

22. Dices forſan, quod licèt intellectus ſit convictus evidenter, tamen myſterium remanet in ſe arduum, & ſuperans lumen naturale, & ideò voluntas, & intellectus poſſunt ex illa arduitate retardari ab aſſenſu, & avertere conſiderationem à motivis credibilitatis, & ſic paulatim diſſentire, & ideò ad hoc vitandum, & ad vincendam arduitatem myſterij, requiritur gratia, & pia affectio voluntatis. Sed contra eſt, quia ſemèl quod intellectus ſolo lumine naturę poſsit acquirere evidentiam in atteſtante, qua convincatur, tum Deum teſtificari myſterium, tum teſtimonium Dei verum eſſe, iam ſupponitur victa arduitas myſterij ab intellectu: Ergò ad illam vincendam non exigitur gratia, nec pia affectio voluntatis. Probatur antecedens, quia idem eſt intellectum evidenter convinci ad aſſenſum alicuius veritatis ex ſe arduę, ac vinci difficultatem, & arduitatem talis veritatis reſpectui illius intellectus, vt ex ſe patet : Sed ſemèl quod intellectus evidenter ſciat Deum teſtificari myſterium, & eius teſtimonium eſſe infallibile, ex vi huius evidentię convincitur evidenter ad credendam veritatem

tem

tem myſterij, vel ad illi aſſentiendum: Ergò ſemel ſuppoſita tali evidentia, ſupponitur ex vi illius victs arduitas, & difficultas myſterij reſpectu illius intellectus iam convicti. Confirmatur, quia ſicut eſt arduum myſterium, ita eſt ardua revelatio myſterij, quia non minus eſt ſupernaturale Deum revelare hominibus myſterium Incarnationis, quam ipſum Deum re ipſa incarnari: Sed qui admittit intellectum ſolo lumine naturę poſſe evidenter certificari de prædicta revelatione, admittit ſolo lumine naturę poſſe vinci arduitatem illius revelationis in eſſe cognoſcibilis: Ergò admittere tenetur, ſolo lumine naturę vinci poſſe arduitatem myſterij in eſſe cognoſcibilis, ſeù credibilis.

23. Dices inſupèr cum P. Tyrſo *vbi ſuprà num. 66.* quod adhùc poſtquam intellectus convictus argumentis credibilitatis, aſſenſum præſtitit exiſtentię revelationis, non cogitur ad aſſenſum myſterij, niſi accedat aliud iudicium, quo evidēter iudicet Deum eſſe ſummè verum. Sit ſanè ita; ſed iuxta præfatum Authorem, hoc etiam iudicium habetur ex ſolo lumine naturali, quia iuxta ipſum, immò iuxta pleroſque Theologos, evidens, eſt ex ſolo lumine naturali, Deum eſſe ſummè veracem: Supponamus ergò quod intellectus vtrumque cognoſcit evidenter, nempè, & Deum hoc myſterium revelaſſe, & Deum non poſſe revelare falſum, quia vtrumque importat evidentia in atteſtante; de qua loquimur: Ergò tunc intellectus convincitur evidenter ex ſola naturali evidentia ad aſſentum myſterij.

24. Inquit, quod quamvis poſito vtroque præfato iudicio, neceſsitetur intellectus ad iudicandum myſterium eſſe verum, non propterea neceſsitatur ad fidē, ſed ad concluſionem hoc pacto: Deus non poteſt revelare niſi verum: Sed revelat Trinitatem: *Ergò Trinitas eſt vera*: Concluſio enim iſta non eſt actus fidei; tum quia fides non eſt diſcurſiva, & illa concluſio elicitur per diſcurſum: Tum quia concluſio illa nō innititur vnicè authoritati divinę ſicut fides, ſed bonitati illationis. Tum Demum, quia præmiſſę illę ſunt evidentes evidentia quadam naturali (en vbi clarè explicat evidentiam in atteſtante à ſe aſſertam eſſe evidentiam naturalem) concluſio autem non poteſt habere maiorem certitudinem, quam præmiſſę; actus autem fidei certior eſt, actu evidenti, vt contra Durandum docent communiter Theologi (rurſus agnoſcitur ipſum loqui de evidentia naturali in atteſtante, qua ſola cenſent communiter Theologi fidem eſſe certiorem.) Non ergò illa concluſio eſt actus fidei: Ergò ex eo, quod poſito vtroque illo iudicio, intellectus ſit neceſsitatus ad aſſenſum myſterij, non ſequitur quod ſit neceſſitatus ad actum fidei.

25. Sed contra eſt, quia licèt illa concluſio non ſit formaliter fides myſterij, eſt tamen aſſenſus non minus difficilis, & arduus ex ſe, quam fides myſterij, immò difficilior, quia difficilius eſt evidenter cognoſcere Trinitatem, quam illam obſcurè credere, & magis ſuperat vires naturę illud, quam iſtud: Ergò ſi non obſtante arduitate myſterij, poſſumus viribus naturę cognoſcere evidenter, in vi divinę revelationis, Trinitatē, etiam viribus ſolius naturę poterimus cognoſcere per fidem, ſivè credere ipſam Trinitatem in vi divinę revelationis. Et quidem, qui viribus ſolius naturę cognoſcit evidenter Deum revelaſſe Trinitatem, & non poſſe revelare niſi verum, & indè evidenter demonſtravit Trinitatem eſſe veram, quam arduitatem, aut difficultatem inveniet in credendo Trinitatem, aut in fide Trininatis, ſi ſemel compatitur fides cum illa evidentia? Immò, ſi ſecluſa fide, ex vi authoritatis divinę, intellectus evidenter certificatur Trinitatem eſſe veram, ad quid neceſſaria erit fides ad ſalutem in illo? Sanè licèt aſſenſus ille certus, & evidens de exiſtentia, & veritate Trinitatis ex vi authoritatis divinę evidēter præcognitę, ſit per diſcurſum, & conſequenter non ſit formaliter fides, ſed concluſio, tamen nemo negare poterit quod ęquivalet fidei, ſiquidem movetur ex eadem authoritate divina, & quidem evidenter cognita, & propter illam aſſentitur firmiſsimè, & infallibiliter myſterio: Ergò talis aſſenſus, ęquivalenter eſt fides. Vrgetur, nam qui diceret: *Firmiſsimè teneo myſterium Trinitatis eſſe verum, quia Deus, qui non poteſt fallere nec falli, illud revelavit*, minimè obligari poſſet ad alium aſſenſum, ſed pleniſsimè ſatisfaceret præcepto fidei, nec vlla eſt lex, quę præcipiat inquirere ab ita aſſentiente, an aſſentiatur per diſcurſum, an ſine diſcurſu: Ergò ſi ſemel ille aſſenſus haberi poteſt viribus ſolius naturę, viribus ſolius naturę poterit quis ſatisfacere præcepto fidei, & habere aſſenſum Trinitatis neceſſarium ad ſalutem.

26. Dicere autem, quod ille aſſenſus, quando eſt per diſcurſum, non innititur vnicè authoritati divinę vt evidenter præcognitę, ſed bonitati illationis, nihil obſtat, quia non nititur bonitati illationis ſignatè, aut tanquam motivo præcognito, hoc enim non eſt neceſſarium, ſed ſolum exercitè, ſignatè autem ſolum innititur authoritati divinę vt evidenter aſſertę in præmiſſis, hocque ignorare nequit Author præfatus, cum ſit communis Ieſuitarum ſententia, non requiri ad aſſenſum evidentem concluſionis cognitionem reflexam, aut ſignatam de bo-

bonitate illationis: Ergò aſſenſus ille vnicè nititur, tanquam motivo vnico præcognito, divinæ authoritati: Et conſequenter æquivalet fidei.

27. Dicere etiam, quod concluſio illa ſolum poteſt habere certitudinem ſcientiæ naturalis, quæ minor eſt iuxta Theologorum ſententiam, quam certitudo fidei, nihil etiam obſtat; quia propterea Theologi id cenſent de certitudine ſcientiæ, aut evidentiæ naturalis, quia non agnoſcunt ſcientiam, aut evidentiam naturalem, quæ innitatur authoritati divinæ, tanquam motivo totali, & vnico: At ſi ſemel hæc evidentia admittatur, vt illam propugnat P. Tyrſo, non eſt cur illa non ſit æquè, immò, & forſan magis certa, quam fides, quia innititur eodem motivo ac fide s, & quidem vt certiùs præcognito, nempè evidenter: Ergò erit ille aſſenſus æquè, vel magis certus, quam fides: Vt quid ergò fides?

28. Nec repetas, aſſenſum illum eſſe naturalem, fidem autem ſupernaturalem requiri ad ſalutem, & eſſe in præcepto. Non inquam, nam id ipſum impugnamus. Siquidem ſi aſſenſus ille evidens in atteſtante non ſuperat vires, nec exigentiam naturæ, cur aſſenſus fidei eodem motivo innixus illas ſuperabit; non ergò erit ſupernaturalis. Et item, ſi ſufficit vis naturæ vt evidenter cognoſcamus myſterium Trinitatis, quia Deus illud revelavit, qui nec fallere, nec falli poteſt, quid amplius requiritur ad ſalutem, nec ad ſatisfaciendum præcepto fidei? Sanè præceptum fidei non amplius exigit. Quod ſi hoc eſt maximum abſurdum, nempè ſufficere aſſenſum naturalem Trinitatis ad ſalutem, & non requiri fidem ſupernaturalem; hoc ipſum abſurdum inferre conamur ex ſententia adverſa, vndè nobis nequit obijci, ſed Authoribus contrarijs, qui adſtruunt evidentiam myſteriorum noſtræ fidei in atteſtante ſolo lumine naturæ acquiſibilem.

29. Denique ſuadetur concluſio: Quia enim myſterium Trinitatis in ſe eſt ſupernaturale, obſcurum, & arduum, implicat quod intellectus viribus naturæ poſsit evidenter illud in ſe cognoſcere, evidentia illius in ſe, vt fatentur Authores contrarij: Sed etiam in atteſtante, hoc eſt, vt revelatum à Deo, eſt ſupernaturale, obſcurum, & arduum: Ergò implicat etiam quod intellectus ſolo lumine naturæ poſſit comparare evidentiam illius in atteſtante. Minor patet, quia revelatio Trinitatis, ſeù teſtimonium Dei de illa non minus eſt ſupernaturale, obſcurum, & arduum, quam ipſum myſterium.

30. Dices talem revelationem in ſe ipſa conſideratam eſſe obſcuram, arduam, & ſupernaturalem, at ex vi motivorum credibilitatis, vt miraculorum, & aliorum, eſſe naturaliter evidentem. Sed contra eſt, primo, quia iam huiuſmodi evidentia non debuit appellari evidentia in atteſtante, ſed evidentia in ſignis, & motivis atteſtationis. Nam cur non appelletur evidentia myſterij in ſe? Sanè quia myſterium in ſe eſt obſcurum, & non ſit evidens niſi ex evidentia atteſtationis: At nec atteſtatio ipſa eſt evidens in ſe, ſed ſolum fit evidens ex ſignis: Ergò nec erit evidentia in atteſtante, ſed in ſignis. Secundo, quia vel ſigna ipſa conſiderantur vt quid naturale in eſſe obiecti, aut ſenſibiliter cognoſcibile, vel vt quid ſupernaturale: Si primo modo conſiderentur, implicat quod evidenter inferant exiſtentiam revelationis, quæ ſupernaturalis eſt, quia aliquid naturale, & ſenſibile, vt naturaliter, & ſenſibiliter cognoſcibile, nequit evidenter inferre obiectum ſupernaturale, quia de eſſentia obiecti ſupernaturalis eſt ſuperare exigentiam, & connexionem cuiuſvis entis naturalis, ſeù totius naturæ. Si autem ſecundo modo conſideretur, ſic argumentor: Signa ipſa vt ſunt quid ſupernaturale, non ſunt naturaliter evidentia in ſe ipſis, quia cum patratur miraculum, v.g. ſuſcitatio mortui, nemo evidenter videt ipſum eſſe verum miraculum, & ſupernaturale, quia ſicut verum miraculum, & ſupernaturale, excedit in eſſendo totam exigentiam naturæ, ita in cognoſci excedit lumen, ſeù cognoſcibilitatem naturæ; niſi forſan dicas poſſe intellectum ſolo lumine naturæ videre evidenter obiecta ſupernaturalia vt talia in ſe ipſa; quod neſcio an ſanè dici poſsit. Verumtamen ne dicatur, ſic vrgeo, primo ex ratione generali entis ſupernaturalis, quia de eſſentia illius eſt excedere lumen naturale in ſui cognoſcibilitate. Secundo, quia quilibèt effectus ſupernaturalis, aut ſupernaturale obiectum vt tale eſt myſterium fidei, fide credibile etiam à ſapientibus, vtpotè quid ſuperans exigentiam naturæ, & omnes cauſas naturales: Sed ſi eſſet evidens in ſe ipſo vt ſupernaturale eſt, non eſſet myſterium fidei fide credibile, quia iuxta omnes Theologos, etiam contrarios in hoc aſſumpto, non ſtat fides obiecti cum evidentia illius in ſe ipſo: Ergò. Tertio, quia nullum ſignum poteſt excogitari magis evidens in ſe ipſo, quam Reſurrectio Chriſti reſpectu Apoſtolorum: Sed hæc, vt vera Reſurrectio, vtque verum, & ſupernaturale miraculum, non fuit Apoſtolis naturaliter evidens in ſe ipſo, alias non habuiſſent fidem de verè Chriſti Reſurrectione, nec reſpectu ipſorum fuiſſet fidei myſterium, immò nec ad illam creden-

dendam egiſſent illuminatione cœleſti, aut gratia vlla; quod quis niſi temere dicat? Ergò multò minus alia ſigna, vt ſupernaturalia, erunt nobis evidentia naturaliter in ſe ipſis.

31. Quarto: In primis talia ſigna vt ſupernaturalia, ſeù quantum ad ſupernaturalitatem illorum, non ſubijciuntur ſenſibus, tum quia ſupernaturalitas non eſt quid ſenſibile, tum quia ſenſus non iudicat de ſupernaturalitate; tum quia actio ſenſus, cum ſit naturalis, non poteſt habere obiectum ſupernaturale, vt ſupernaturale; tum quia obiecta ſenſuum ſunt qualitates vt ex ſe entitativè naturales, quę ſolum poſſunt eſſe ſupernaturales quoadmodum, quo procedunt, & cauſantur à Deo, qui modus ſuperat ſenſuum experientiam, qui cauſas qualitatum ſenſibilium non penetrant, nec penetrare poſſunt, præſertim occultas, nec de illis iudicāt: Deindè nec ſubijciuntur talia ſigna evidēter lumini naturali intellectus vt ſupernaturalia ſunt: Ergò non poſſunt eſſe naturaliter evidentia in ſe ipſis, nec ſenſibus, nec intellectui. Probatur minor, quia intellectus ſolum poteſt lumine naturali cognoſcere ea ſigna in ſe ipſis, ſecūdū quod ſubijciuntur ſenſibus: Ergò ſolum poſſunt in ſe ipſis eſſe intellectui naturaliter evidentia in quantum ſenſibus ſubijciuntur: Sed vt ſenſibus ſubiecta non ſunt ſupernaturalia, vt oſtenſum manet: Ergò vt ſupernaturalia non poſſunt eſſe evidentia in ſe ipſis lumini naturali intellectus.

32. Explicatur: Lumen naturale intellectus ſolum extenditur in reſurrectione mortui, v.g. ad id quod evidenter affert immutatio illa ſenſibus experta: Sed immutatio illa non affert ex ſe evidentiam naturalem quod ſit à cauſa operante ſuprà exigentiam totius naturę, nec intellectus hanc evidentiam habet ſolo lumine naturę, qui intellectus ſolo lumine naturę non videt ibi cauſam ſic operantem in ſe ipſa, nec modum operandi, aut operationem illam ſupernam in ſe ipſa, quis enim hoc vidit intuitivè? Sed ſolum videt intuitivè immutationem illam, cauſam tamen, aut modum, ſi ſolum inſpiciat lumine naturę, penitus ignorat: Ergò intellectus non habet evidentiam naturalem de ſupernaturalitate ſubſtante illis accedentibus, in ſe ipſa.

33. Dices, quod licèt intellectus lumine naturę non videat evidenter in ſe ipſa operationem ſupernam, nec cauſam ſupernaturalem, evidenter tamen poteſt illam inferre. Sed contra eſt, quia ſi non videt illam evidenter in ſe ipſa: Ergò nec habet evidentiam ſignorum ſupernaturalium in ſe ipſis, ſed illativè ex alio. Secundo, quia intellectus ſolo lumine naturę ductus tantum poteſt inferre, aut diſcurrere ex eo quod in ſe ipſo evidenter intuetur, in omni enim illatione, aut diſcurſu evidenti naturali deveniendum eſt ad aliquod primum quod in ſe ipſo evidenter ſit notum lumini naturali: Atqui intellectus ſolo lumine naturali ductus nihil ſupernaturale vt tale videt in ſe ipſo: Ergò ex nihilo ſupernaturali vt tali poteſt diſcurrere, aut inferre evidenter evidentia naturali operationem, aut cauſam ſupernaturalem: Aliundè nec illam poteſt evidenter inferre ex aliquo non ſupernaturali, ſeù cuius ſupernaturalitatem ignorat: Ergò. Explicatur: Si intellectus ſolo lumine naturali inſpiciat immutationem illam ſenſibilem factam in mortui reſurrectione, ſolum videt evidenter ipſam in ſe ipſa, ignorata penitus per illud lumen cauſa, aut modo quo à ſua cauſa procedit: Sed indè inferre nequit poſitivè vi præcisè illius luminis, eſſe à cauſa operante ſuprà exigentiam totius naturę, tum quia hoc eſt ſuprà lumen naturale, tum quia ignorat an forſan ſit aliqua cauſa naturalis ſibi ignota, quę illam immutationem ſenſibilem cauſare poſſit: Ergò ex illa mutatione ſenſibili evidenter cognita in ſe ipſa, nequit evidenter evidentia naturali inferre illam procedere à Deo vt cauſa ſupernaturaliter operante, & conſequenter nec illius ſupernaturalitatem. Vrgetur: Quia viſa illa mutatione ſenſibili, ad lumen naturale ſolum ſpectat illam admirari, quia cognoſcit effectum inuſitatum, cuius cauſam, & modum ignorat, admiratio enim indè ſemper oritur: Sed ſi poſſet vi luminis naturalis evidenter cognoſcere cauſam, & modum eius, non eſſet cur admiraretur, immò nec eſſet verū miraculum, quia effectus, cuius cauſam poſitivam poteſt intellectus lumine naturali evidenter detegere, verum miraculum non eſt: Ergò. Et parificari poteſt in myſterio Incarnationis, quod communiter dicitur evidenter indemoſtrabile, etiam ab Angelo, lumine naturali: Et ſic ſolet in contra argui: Angelus evidenter agnoſcebat humanitatem illam ſubſiſtentem, & non videbat ibi ſubſiſtentiam propriam, aut creatam: Ergò evidenter inferre poterat eam ſubſiſtere per divinam, in quo myſterium illud conſiſtit. Cui argumento communiter reſpondetur, negando quod Angelus vi luminis naturalis poſſet evidenter inferre illam concluſionem, quia ſuperat vires luminis naturalis, & hoc, non obſtante, quod intellectui Angeli debetur naturaliter cognitio ſubſiſtentię proprię, ſi ibi eſſet: Ergò nos, quibus non eſt debita cognitio omnis cauſę naturalis extrinſecę cuiuſcumque immutationis mirabilis, aut ratę, minus poterimus evidenter inferre lumine naturali, viſa ali-

Digitized by Google

aliqua ſimili mutatione ſenſibili, quantumvis rara, & mirabili, & non viſa cauſa illius, illam eſſe à Deo vt Authore, ſeù cauſa ſupernaturali, ſeù ibi eſſe cauſam ſupernaturaliter operantem.

SOLVUNTUR obiecta.

34. EX quo iam ad obiectiones, quibus oppoſitum videtur probare P. Tyrſo conſtat ſolutio. Ad primam enim ex *num.* 2. admitto, quod eſt evidens dari Supremum Numen, quod providentiam naturalem exerceat erga homines in ordine ad finem naturalem ipſorum, velitque ab ipſis amari amore naturali: Admitto etiam evidens eſſe dari in Mundo varias Sectas, & Religiones in ſuis dogmatibus adverſas: Nego tamen eſſe evidens lumine naturę vnam ex illis eſſe veram in omnibus ſuis dogmatibus, quia cum quælibet ex illis contineat dogmata de rebus ſupernaturalibus, & vt à Deo hominibus revelata, evidens eſſe nequit lumine naturę vllam ex illis eſſe veram in his dogmatibus, quia evidentia luminis naturalis extendi nequit ad dogmata de myſterijs ſupernaturalibus, nec ad revelationem illorum, ſed id ſolum pertinet ad fidem, vndè ad ſummum inferri poſſet evidenter aliquam ex illis eſſe veram in doctrina naturali ſimpliciter neceſſaria ad conſequendam beatitudinem naturalem, id eſt, in principijs legis naturalis, quia ad providentiam naturalem Dei ſolum ſpectat in his inſtruere homines.

35. Et cum arguitur: Quod evidens eſt Deum non poſſe permittere vt Religio falſa proponatur ſub tanta apparientia veritatis ſicut Chriſtiana, &c. Dico, Deum vt Authorem, & Proviſorem naturę, quo ſolum pacto poteſt evidenter cognoſci lumine naturę, non poteſt permittere, quod Religio falſa in doctrina naturali proponatur cum tanta apparientia veritatis; at quantum ad doctrinam falſam circa ſupernaturalia verè poteſt id permittere, quātum eſt ex munere Proviſoris naturalis, immò ex hoc munere falſitatem illam depellere nequit, quia vt Author naturę non poteſt illuminare circa ſupernaturalia myſteria intellectum. Nec caſu, quo hoc permitteret, Deus eſſet deceptor, ſed ſolum permiſſor deceptionis, nec feciſſet evidēter credibilem Religionem falſam, ſed in hoc permiſivè ſe habuiſſet, nec homines obligaret ad eam per ſe, ſed per accidens obligarentur ipſi ex conſcientia erronea, vt infrà dicam. Ex quo ad confirmationem dico, quod nullum ex illis tribus infertur evidenter lumine naturę inſpecto, ſed ſolum, quod vel Deus ſinit homines errare circa ſupernaturalia, & excedentia totam facultatem naturę, vel quod Religio Chriſtiana eſt vera: Cum autem non ſit evidens lumine naturę Deum non poſſe illud permittere, nec reſultat evidentia luminis naturalis de eo quod Religio Chriſtiana ſit vera in doctrina ſupernaturali: Sed ad hoc firmiter cognoſcendum requiritur fides.

36. Ad ſecundam ex *num.* 3. concedo antecedens, loquendò in ordine ad felicitatem ęternam naturalem, nam de ſupernaturali non datur evidentia, ſed fides, & in eodem ſenſu concedo primam conſequentiam, & reliqua, quę ſubinferuntur, quia ex illis antecedentibus ad ſummum inferri poteſt evidenter, dari veram legem naturalem, & hanc eſſe Chriſtianam, ſecundum ea quę docet de iure naturę faciendа, & cognoſcenda, quia de his poteſt eſſe evidentia naturalis, & ſic evidens eſt Chriſtianam Religionem non errare in docenda lege naturę: Sed etiam id evidens eſt de Religione, aut lege Moyſis, & plūres Hæreticorum Sectę nihil docent contra legem naturę; licèt Mahumetana evidenter erret in lege naturę circa plura principia: At inferri non poteſt evidenter dari de facto veram legem ſupernaturalem, aut ſupernaturalem Religionem à Deo revelatam hominibus in ordine ad felicitatem ſupernaturalem: Et conſequenter, nec Religionem Chriſtianam eſſe talem: Hoc enim non demonſtratur evidenter ex immortalitate animę, nec ex Dei providentia vt naturaliter demonſtrabili; ſed requiritur fides infuſa ad illam infallibiliter cognoſcendam.

37. Ad tertiam ſimiliter diſtinguo antecedens: Evidens eſt Deum habere in Mundo aliquā verā Religionē, & ſibi placentem, quantum ad doctrinam naturalem, concedo: Quantum ad doctrinam circa ſupernaturalia, nego antecedens, præſertim de evidentia naturali, & ſimiliter nego conſequentiam, quia cum Religio ſupernaturalis in doctrina, aut quantum ad doctrinam de rebus ſupernaturalibus, lumine naturę demonſtrari non poſſit, & cognoſci nequeat infallibiliter, niſi per revelationem, & fidem, non poteſt eſſe evidens lumine naturę, talem Religionem dari in Mundo, ſicut non eſt evidens Deum de facto eſſe Authorem, & Proviſorem ſupernaturalem, ſupernaturaliter dirigentem homines ad finem, & felicitatem ſupernaturalem: Vndè nec poteſt eſſe ſic evidens Deum deſignaſſe talem Religionem ſignis, & notis, &c. Nec reliqua, quę ſubinferuntur, quia fundantur in antecedenti primo nō

evi-

evidenti. Ad primam confirmationem, diſtinguo antecedens : Cumulus rationum, quę Religionem Chriſtianam reddunt evidenter credibilem, non alium quam Deum potuerunt habere Authorem, & de hoc certificamur vnicè per fidem, concedo antecedens : Et hoc eſt nobis naturaliter evidens, nego antecedens , quia vt ſuprà oſtenſum manet, licèt ſit naturaliter evidens cumulus earum rationum, motivorum, & miraculorum, quantum ad apparientiam ſenſibilem externam, tamen quod ea apparientia procedat à Deo vt operante ſupernaturaliter, nõ cadit ſub experientia, nec evidentia naturali, ſed requiritur lumen fidei. Ad ſecũdã, dico, quod ad ſummum poteſt eſſe evidens quod Deus vt cauſa vniverſalis cauſaverit omnia motiva, quę reddunt credibilem noſtram Religionem : Sed cum in his, quę Deus cauſat vt Author vniverſalis, poſsit eſſe falſitas ex cauſis ſecundis, reſpectu cuius Deus permiſsivè ſe habeat : Indè eſt quod ex prædicta evidentia non infertur evidentia de eo, quod cumulus earum rationum fallere non poſsit, ſed ad hoc firmiter cognoſcendum exigitur fides. Cum autem probas, quod Deus id permittere nequit, quia evidens eſt Deum ſerio deſiderare; ne homines inducantur à Diabolo ad Religionem falſam, cum tanta apparientia veritatis, &c. Nego quod hoc ſit evidens evidentia naturali, & omninò infallibili, de qua nunc loquimur, quantum ad doctrinam de rebus ſupernaturalibus; quia nec eſt evidens naturaliter Deum de facto habere providentiam hominum in ordine ad finem ſupernaturalem; & cum ſerium deſiderium, ne homines decipiantur à Diabolo circa ſupernaturalia, ſit actus providentię ſupernaturalis, nequit eſſe evidens lumine naturę, nec infallibiliter cognoſci niſi per fidem. Dicere autem, *quod apparientia veritatis tanta eſt, vt omnes penetrantes huiuſmodi argumenta evidenter obligantur ad Religionem propoſitam amplectendam, quin vllus, quantumvis Dei amator, & deligentiſsimus veritatis inquiſitor, poſsit fraudem detegere*, eſt plura ſupponere, quę quidem certa ſunt ſecundum fidem, ſed de quibus non poteſt eſſe evidentia naturalis; nam imprimis argumenta credibilitatis penetrari non poſſunt evidenter lumine naturali, quantum ad ſupernaturalitatem, quam occultant. Secundò, licèt illa motiva conſiderantes debitè evidenter obligentur ad Religionem Chriſtianam amplectendam, non tamen habent evidentiam de eo quod talis obligatio ſit ex Deo ipſo, aut ex conſcientia vera, & recta, ſed ſolùm quod obligantur ex conſcientia ; quod autem ea conſcientia ſit recta, & ex Deo creditur per fidem, ſed non eſt evidens naturali lumine. Tertiò ſupponitur, poſſe evidenter cognoſci quis ſit verus Dei amator, & veritatis inquiſitor, de quo ſanè evidentia eſſe non poteſt, vndè nec ex hoc capite poteſt fieri argumentum evidens veritatis noſtrę Religionis , nam hoc argumentum ita fieri debebat : Si noſtra Religio non eſſet vera, ſed falſa in dogmatibus aliquibus, eius falſitas detegeretur à veris Dei amatoribus, & ex corde puro inquirentibus veritatem, nam Deus nequit permittere vt fallatur in Religione amplectenda, qui eſt verus Dei amator, & ex corde inquirit veram Religionem : Sed Chriſtiani ſunt veri Dei amatores, & ex corde inquirunt veram Religionem, & amplectuntur Chriſtianam : Ergò vera eſt Religio Chriſtiana : Vt ergò conſequens, ſeù concluſio eſſet evidens lumine naturę , opus erat quod vtraque præmiſſa eſſet evidenter nota; at nec maior eſt evidenter nota, quia non eſt evidenter lumine naturę notum, Deum non poſſe permittere, quod verus eius amator, & veritatis inquiſitor, fallatur invincibiliter in vera Religione amplectenda, quantum ad aliqua dogmata talis Religionis, quia non eſt ita evidens, quod ad ſalutem animę, & verum Dei amorem obtinendum ſit omninò neceſſaria veritas Religionis in omnibus dogmatibus talis Religionis, ſeù in nullo dogmate Religionis falli, adhùc invincibiliter : Nam de his ad ſummum haberi poterit certitudo theologica , quę eſt ex ſuppoſitione fidei, ſed independenter à fide, per evidentiam anteriorem, ſcientia evidens haberi non poteſt. Nec minor etiam eſt evidenter nota, ſicut non eſt evidenter notum in Eccleſia eſſe veros Sanctos, & Iuſtos, & amicos Dei, hoc enim eſt myſterium, quod per fidem creditur, at non evidenter notum : Cum ergò ad evidentiam conſequentis requiratur evidentia vtriuſque præmiſſę, indè eſt, quod conſequens, ſeù concluſio illa non poteſt evidenter cognoſci ex vi illarum præmiſſarum. Ex quo.

38. Ad tertiam confirmationem, imprimis dico, quod ego modo non aſſero Deum poſſe permittere Diabolo, vt faciat doctrinam falſam apparere ita credibilem, ſicut modo eſt Religio Chriſtiana; cæterum non facilè, nec evidenter moſtrabitur in hoc repugnãtia metaphyſica: Et quidẽ, quis nõ videat, Deũ olim permiſiſſe totum Orbem, excepta Gente Iudaica, decipi à Diabolo in cultu idolorum? Quis etiam nõ miratur, adhùc poſt Chriſti adventum in Mundum, Deum permittere quod tam magna pars Mundi decepta inveniatur fraudibus Mahumeti, ita vt nullus ſit inter tantos, qui fraudes illius hominis agnoſcat, immò ſi interrogentur, di-

erat

cent nec illas detegere poſſe? Sanè qui has, & alias permiſſiones divinas inſpexerit, agnoſcet potentiam permiſſivam Dei eſſe non minus infinitam, nec minus incomprehenſibilem, quam eius potentiam operativam, & ſic, quis ſciet evidenter an Deus, qui nihil hominibus debet, præſertim circa ſupernaturalia, poſſit vel non poſſit permittere Diabolo, vt faciat apparere ſenſibiliter veram doctrinam falſam, tanta apparientia vt nullis illorum, quibus proponatur, poſſit Diaboli fraudem detegere, negante Deo illis gratiam ad id neceſſariam, vel tanquam beneficium indebitum, vel in pœnam peccati originalis, vel aliorum peccatorum? Id quidem ita non contingere in Religione Catholica fide divina infallibiliter credimus, quę quidem fides divina de hoc nos firmiſsimè certificat; at dicere quod evidenter repugnat oppoſitum repugnantia metaphyſica evidenti, videtur minuere meritum fidei, & eius neceſsitatem.

39. Nec dato, quod Deus poſſet de potentia abſoluta permittere Diabolo tantam fallaciam, ſequitur quod non habeat modum obligandi homines ad fidem, quia vt homo obligetur ad credendum, minimè requiritur, quod doctrina credenda proponatur cum tanta apparientia ſenſibili, vt repugnet metaphyſicè Diabolum proponere doctrinam falſam cum ęquali, ſed ſatis eſt, quod attentis circunſtantijs repugnet moraliter, aut quod prudenter ſit incredibile Diabolum latere ſub illa apparientia, hanc enim certitudinem moralem de eo quod Deus ſit qui loquitur ſufficere ad obligationem fidei inducendam, cenſent communiter Theologi; vndè non requiritur, quod poſsit Deus præſtare maiora credibilitatis argumenta, vt obliget ad fidem, immò nec tanta requiruntur, quia ex parte illorum non requiritur evidens metaphyſica connexio cum veritate, nec evidens metaphyſica repugnantia falſitatis, vt obligent ad fidem, vt infrà explicabimus. Vndè nunquam probabitur talia argumenta ſecundum apparientiam ſenſibilem talem, ac tantam, facere evidentiam metaphyſicam de veritate noſtrę Religionis.

40. Ad quartum ex *num.* 5. nego maiorem. Ad probationem, omiſſa maiori, nego minorem. Ad cuius probationem, nego antecedens de evidentia naturali præcedente fidem, quia licèt ſuppoſita fide, & ſuppoſito, quod per illam credimus, nempè, quod Deus eſt Author, & Proviſor ſupernaturalis, curam gerens de hominibus dirigendis ad finem ſupernaturalem, & alia huiuſmodi, ſit evidens theologicè, aut evidentia conſequentię, Deum non ita deſeruiſſe homines vt dicitur in obiectione: Tamen, præſuppoſitivè ad fidem, diſcurrendo præcisè ex ipſa apparientia ſenſibili motivorum credibilitatis, & ex Dei providentia vt Authoris naturalis, fieri nequit evidens evidentia conſequentis, Deum Chriſtianos non deſeruiſſe errare in his, quę ſpectant ad myſteria ſupernaturalia. Et cum arguitur, quod inter eos ſunt multi, qui toto corde Deum, eiuſque veritatem inquirunt, dico, quod hoc quidem non eſt naturaliter evidens, aut per ſe notum, ſed creditur per fidem obſcuram, vndè ex hoc fieri nequit argumentum ad probandam evidentiam conſequentis. Et quidem ipſi hæretici, immò, & Mahumetani tonaciſsimè exiſtimant, & ſuo videri evidenter, inter eos etiam eſſe plures, qui ex toto corde Deum, eiuſque veritatem quærant; qui tamen in hoc falluntur; non ergò eſt de rebus naturaliter evidentibus, aut per ſe notis, vbi nam ſint veri Dei amatores, & ex corde inquirentes veritatem, cum in hoc tam facilè decipiantur homines. Et quidem ſiquis convincere vellet Hæreticum, aut Mahumetanum, hoc argumento: Deus non poteſt permittere, quod quærentes ex toto corde Deum, & eius veritatem decipiantur in Religione: Sed plures, ex Catholicis quærimus ex toto corde Deum, & cuius veritatem, & vos, ò Mahumetani illam ex toto corde non quæritis, nec vllus eſt in vobis, quia Deum ex toto corde diligat: Ergò, &c. Rideret ſanè Mahumetanus, vel hæreticus, ac facilimè negaret minorem; rogaretque an ſic arguens intuitus fuiſſet corda Mahumetanorum, & Chriſtianorum contra illud: *Homo indicat ſecundum faciem, Deus autem intuetur cor*: Eſſet ergò neceſſarium recurrere ad alia motiva: Ergò ex eo, quod inter Catholicos ſint multi, qui ex toto corde quærunt Deũ eiuſque veritatem, fieri nequit argumentum evidens de veritate noſtrę Religionis. Quod autem, vt ait rectè Chryſoſtomus, non poſsit noſtra Religio falſa reputari, ſine magna iniuria divinę providentię, veriſsimum eſt, ſed non evidens lumine naturę: Et ſimiliter, quod ſi falſa eſſet, non poſſet hominibus imputari, quia prudentiſsimè credimus, nihil probat, quia plura prudentiſsimè credimus, quę tamen falſa ſunt in re, quin falſitas poſsit credentibus imputari, ſed alijs cauſis ſecũdis occultis, vel Deo permittẽti.

41. Ex quo ad confirmationem, dico, quod quælibet Secta vel Religio, etſi falſa, proponitur ſub divina Authoritate, licèt non abſolutè cum tanta credibilitate, tamen reſpectivè ad plures illius Sectę, qui motiva noſtrę ignorant vincibiliter, vel invincibiliter, cum maxima credibilitate reſpectu illorum, & tamen id Deus permittit; vndè non eſt evidenter notum,

tum, quod Deus non poſsit permittere, quod cum tanta credibilitate proponatur Religio falſa ſub divina Authoritate.

42. Ad quintum, admitto, quod evidens ſit evidentia facti fuiſſe in Mundo Ieſum Nazarenum, & feciſſe miracula, vti Reſurrectionem Lazari, & alia, quę à nemine negantur, vel dubitantur, & in confirmationem ſuę doctrinę feciſſe ea miracula, totum hoc admitto eſſe vel ſaltèm fuiſſe evidens evidentia facti, quantum ad factum ſenſibile, ſenſibus ipſis ſubiectum, ſed nego eſſe evidens, vel evidens fuiſſe, quantum ad cauſam occultam illorum mirabilium operum, quę patrabat, nempè, quod eſſet re ipſa Deus, qui ea operabatur, potuis quam alia cauſa occulta, Deo permittente, & conſequenter nego etiam evidentiam de eo quod eſſent verè miracula, nam vt ſuprà oſtendi, immutatio ſolum externa, & ſenſibilis, quę apparuit in Reſurrectione fuit evidens, ſed non quod eſſet à Deo ſuprà exigentiam totius naturę operante, nec quod eſſet vera Reſurrectio, & verum miraculum. Ad confirmationem ſimiliter dico, negari poſſe evidentiam de eo, quod Chriſtus palàm dixerit ſe eſſe Deum, nam Arriani, & plures hæretici, qui admittebant Hiſtoriam Evangelicam, id negabant, & verba Chriſti in alium ſenſum detorquebant; qui quidem error non ita perercbuiſſet in Eccleſia, ſi eſſet evidens evidentia facti, Chriſtum palam dixiſſe ſe eſſe Deum, non minus, quam eſt evidens fuiſſe in Mundo Alexandrum, & alia, quę nemo ſanę mentis audet negare: Item negari poteſt evidentia facti, de eo quod Crucifixus fuerit, quia palàm dixit ſe eſſe Deum, nam in Hiſtoria Evangelica non ita palàm, & evidenter hæc cauſa illi obijcitur, ſed quia dixit poſſum deſtruere Templum hoc, &c. quia ſe ipſum Regem faceret, quia commoveret plebem, quia violaret legem, & quia Filium Dei ſe faciebat; quam vocem *Filius Dei*, non ita palam, & evidenter ſignificabat idem ac *Deus*, vt non id negaverint innumeri hæretici: At quod dixerit palam, & diſſertis verbis: *Ego ſum Deus*, non ei obiectum legitur, vndè non video, quomodo hoc evidens ſit evidentia facti: Et adhùc admiſsis his evidentijs, non eſt evidens illa conſequentia: *Ergo vel ſeductor fuit, vel Deus*, quia datur medium, nempè *ſedultus*: Et adhùc admiſſo, quod talis conſequentia eſſet evidens, nego quod evidens foret ipſum non eſſe ſeductorem, & ad probationem in contra dico, quod nihil probat, quia licèt ſit evidens Deum non poſſe hominem ſeductorem ornare tantis argumentis divinitatis, non tamen eſt evidens, quod Deus non poſsit permittere quod ſimilibus argumentis ornetur, intellige, quantum ad apparentiam ſenſibilem, quo pacto ſolum fuerunt ea argumenta evidentia per modum facti, vt oſtenſum manet. Et quidem hoc argumentum nimium probat, quia probat fuiſſe evidentem divinitatem Chriſti omnibus, qui eum viderunt, & tractarunt, vel ſaltèm potuiſſe abſque illuminatione cœleſti evidenter cognoſcere eius divinitatem, & Incarnationis myſterium; quod an ſanè dici poſsit, neſcio.

43. Ad ſextum *ex num. ſeptimo* dico, quod diſtinctio inter evidentiam credibilitatis, & evidentiam veritatis non eſt ita recenter inventa, vt diſſertis verbis non contineatur in Div. Thom. *in præſenti, artic. 4. ad 2. & ad 3.* vbi cum aſſeruiſſet, quod obiectum fidei non poteſt eſſe viſum, nec ſecundum ſenſum, nec ſecundum intellectum, nihilominus ad 2. ait, quod myſteria noſtrę fidei, ſi ſumantur *in generali, ſcilicèt, ſub communi ratione credibilis, ſic ſunt viſa ab eo, qui credit; non enim crederet, niſi videret ea eſſe credenda, vel propter evidentiam ſignorum, vel propter aliquid huiuſmodi.* Cum autem nihil clarius in Div. Thom. quam ad obiectum fidei exigere inevidentiam veritatis ipſius, indè eſt, quod Div. Thom. expreſsiſsimè diſtinguit evidentiam credibilitatis ab evidentia veritatis. Quantum autem ad alios PP. fateor eos directè, & ſignatè conatos fuiſſe perſuadere audientibus, non tam credibilitatem, quam veritatem noſtrę Religionis; verumtamen ſimiter nego SS. PP. in eo fuiſſe ſenſu, vt exiſtimarent poſſe vi demonſtrationis, & diſcurſus naturalis ſuaderi evidenter audientibus noſtrę Religionis veritatem; omnes enim PP. in eo conveniunt, quod nemo poſsit veritatem noſtrę Religionis agnoſcere, & firmiter, ac infallibiliter ei aſſentiri abſque ſpeciali auxilio, & illuminatione cœleſti: In cuius confirmationem eſt illud Ioann. *cap. 2. Vnctio docebit vos de omnibus*; & illud V. Bedę, *niſi ſpiritus cordi adſit audientis, & niſi intus ſit, qui doceat, otioſus eſt ſermo Doctoris*: Et Auguſt. *lib. 15. de Civit. cap. 6.* dicens: *Etiam ſi Deus ipſe vtens creatura ſibi ſubdita, in aliqua ſpecie humana ſenſus alloquatur humanos, nec interiore gratia mentem regat, atque agat, nihil prodeſt homini prædicatio veritatis.* Et lib. de prædeſtinat. Sanctor. *Qui credunt Prædicatore forinſecus ſonante, intus à Patre audiunt, atque diſcunt.* Et *lib. 11.* Confeſsion. *cap. 3.* de Scriptur. Moyſ. ſic inquit: *Scripſit hæc Moyſes, ſcripſit, & abijt, nec enim nunc ante me eſt, nam ſi eſſet, tenerem eum, & per te obſecrarem, vt mihi iſta panderet; ſed vndè ſcirem an vera diceret? Intus vtique mihi, intus in domicilio cogitationis veritas ſine ſtrepitu ſyllabarum diceret: Verum dicit; &*

ego ſtatim certus confidenter illi homini tuo dicerem; verum dicis. Vndè Div. Thom. *in præſenti, quæſt.* 2. *art.* 9. *ad* 3. ſic ait: *Ille, qui credit habet ſufficiens inductivum ad credendum: Inducitur enim Authoritate divinę doctrinę miraculis confirmatę, & quod plus eſt interiori inſtinctu Deì invitantis. Vndè non leviter credit, cum habeat ſufficiens inductivum ad credendum.* Et ſimilia paſsim inveniuntur in PP. quę quidem falſa forent, ſi vi diſcurſus naturalia evidenter evidentia naturali poſſet demonſtrari veritas noſtrę Religionis, vel myſteriorum ipſius ex argumentis externis, & ſenſibilibus credibilitatis. Vndè cum PP. talia argumenta vocant demonſtrationes convincentes intellectum, intelligendi ſunt dependent ab eo, quod Deus illuminet mentem, & ex ſuppoſitione ipſius fidei, quales ſunt omnes demonſtrationes theologicę, quę non aliter convincere poſſunt intellectum, niſi ex ſuppoſitione fidei circa principia, ex quibus procedunt. Vndè PP. & Apoſtoli, non ſolum vtebantur argumentis externis, & miraculis ad ſuadendam veritatem noſtrę fidei; ſed potiſsimè oratione ad Deum, vt corda audientium illuminaret; profectò agnoſcentes nullum eſſe argumentum à motivis extrinſecis, quod ſatis eſſet ad convincendum intellectum evidenter, ſed vlterius neceſſariam eſſe gratiam interiorem inclinantem affectum voluntatis, & mediante tali affectu intellectum ad aſſenſum. Nec ob hoc PP. argumenta fruſtranea ſunt, aut à ſcopo aberrarunt, nam vtrumque requiritur, vt veritas noſtrę fidei perſuadeatur efficaciter, nempè, & argumenta extrinſeca credibilitatis, & interior motio voluntatis.

SECVNDA CONCLVSIO.

44. DICO 2. *Regulariter, & iuxta providentiam ordinariam, non datur in hominibus, quantumvis ſapientibus, evidentia ſupernaturalis in atteſtante de veritate noſtrę fideì, præcedens ad fidem, & ad illam trahens.* Nullum inveni, qui huic concluſioni contradiceret; verumtamen, quia AA. impugnati in præcedenti concluſione, quantum ad evidentiam naturalem, forſan recurrent ad evidentiam ſupernaturalem, propterea contra illos probatur primò: Quia, vt infrà monſtrabo, evidentia in atteſtante de veritate alicuius myſterij eſt incompatibilis cum fide ipſius myſterij; non ergò poteſt præcedere fidem, & trahere ad ipſam amplectendam. Secundo: Quia evidentia in atteſtante importat eſſentialiter evidentiam Dei loquentis; ſed regulariter nullus, quantumvis ſapiens, habet evidentiam ſupernaturalem de eo quod Deus ſibi loquitur: Ergò regulariter nemo habet evidentiam ſupernaturalem in atteſtante. Probo minorem: Imprimis, nemo regulariter habet evidentiam immediatam Dei ſibi loquentis, hoc eſt, ita vt videat immediatè Deum ſibi loquentem, aut loquutionem Dei in ſe ipſa; nam hoc ſine ſpeciali privilegio, raro, & paucis conceſſo, eſſe non poteſt: Deindè nec habet evidentiam mediatam ſupernaturalem: Ergò nemo regulariter habet evidentiam Dei loquentis. Patet conſequentia, quia non eſt poſsibilis alia evidentia, niſi mediata, vel immediata. Minor verò probatur, quia evidentia mediata nequit eſſe niſi ex aliquo principio immediatè viſo, aut evidenti in ſe: Sed nullum eſt principium immediatè evidens in ſe, ex quo fieri poſsit evidens mediatè Deum revelare, ſeù loqui myſterium aliquod: Ergò nec datur evidentia mediata ſupernaturalis. Probatur minor. Quia tale principium non poteſt eſſe aliquid naturale, naturaliter notum, tùm quia nihil naturale poteſt habere connexionem evidentem, & infallibilem cum Dei loquutione, & revelatione, quę ſupernaturalis eſt; tùm quia principium naturale, naturaliter notum, ſi faceret evidentiam, faceret evidentiam naturalem, ſed non ſupernaturalem. Deindè nec poteſt eſſe aliquid ſupernaturale, quia nihil ſupernaturale regulariter eſt evidens in ſe ipſo intellectui noſtro, nec intellectus noſter videt pro hoc ſtatu effectus ſupernaturales vt tales in ſe ipſis, vndè quamvis quis amet Deum amore ſupernaturali, & moveatur ſupernaturaliter, regulariter nemo id cognoſcit evidenter, niſi interſit ſpeciale privilegium, vt in Propheta aliquo, vel aliquo Sancto ſpecialiſsimè à Deo illuſtrato: Ergò non datur principium aliquod in ſe ipſo evidens intellectui, nec naturaliter, nec ſupernaturaliter, ex quo fiat mediatè evidens Deum loqui, ſeù revelare myſterium aliquod.

45. Explicatur: Quia imprimis, ipſa Dei atteſtatio, ſeù revelatio regulariter nemini eſt evidens in ſe ipſa: Ergò aliter fieri nequit evidens nobis, niſi ex effectu aliquo proprio ipſius evidenter viſo, & evidenter illam inferenti: Sed non datur regulariter talis effectus, quia nemo evidenter videt in ſe effectum aliquem ſupernaturalem proprium Dei loquentis, qui evidenter inferat Deum ſibi loqui: Ergò nemo regulariter habet evidentiam ſupernaturalem Dei loquentis, ſeù divinę loquutionis, & atteſtationis, & conſequenter neque evidentiam in atteſtante.

46. Dices, quod licèt nemo eviden-

tet videat in ſe effectum ſupernaturalem Dei loquentis, tamen videmus evidenter,& evidenter agnoſcimus miracula ſuperna, & alia ſigna credibilitatis, quę omnia ſunt ſupernaturalia, & evidenter inſerentia Deum eſſe, qui teſtificatus eſt doctrinam fidei. Sed contra, quia talia ſigna, & miracula, vel ſumuntur ſecundum apparientiam exteriorem, & ſenſibilem, & ſic imprimis ſolo lumine naturali cognoſcuntur;deindè ſic ſumpta non faciunt evidentiam de eo quod Deus ſit, qui teſtificatur, aliàs facerent evidentiam luminis naturalis: Vel ſumuntur ſecundum veritatem, & ſupernaturalitatem quam occultant; & ſic à nemine regulariter videntur in ſe ipſis, quia nemo eſt, qui ſuſcitato mortuo, videat modum, & cauſam occultam illius immutationis externę, & ſimiliter de alijs ſignis externis credibilitatis; ſed ad id firmiter cognoſcendum requiritur fides, quę certificat, quod illud eſt verum miraculum, verè à Deo patratum in confirmationem doctrinę: Ergò regulariter non datur effectus evidens in ſe ipſo, qui faciat evidentem Dei loquutionem. Vidè, *ſuprà num.* 31.

47. Secundo probatur concluſio, quia ſi daretur regulariter prædicta evidentia ſupernaturalis in atteſtante, cum illa eſſet gratuita quædam manifeſtatio, potius daretur in ſimplicibus, quam in Philoſophis; & Sapientibus, juxta illud: *Confiteor tibi Pater, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis*: Sed hoc eſt contra mentem Authorum, quos impugnamus, qui prædictam evidentiam in atteſtante in Sapientibus præſertim inveniri dicunt, qui ſoli penetrare poſſunt argumenta credibilitatis: Ergò.

48. Tertio, quia data tali evidentia in atteſtante, quamvis ſupernaturali, aut infuſa, non eſſet neceſſarius pius affectus voluntatis ad credendum: Sed hoc eſt contra communem ſententiam Theologorum, & ipſorum, quos impugnamus: Ergò non datur talis evidentia in atteſtante. Minor probatur, quia data tali evidentia, intellectus vi illius eſſet convictus evidenter, & infallibiliter ad aſſenſum rei revelatę; ſed intellectus evidenter, & infallibiliter convictus ad aſſenſum alicuius veritatis, vt illi aſſentiatur, non eget pio motu, nec affectu voluntatis: Ergò.

49. Sed objicies primò ex illo Pauli 2. ad Timoth. 1: *Scio cui credidi, & certus ſum*: Ergò priùs ſcire oportet per ſcientiam evidentem, quiſnam ſit ille, cui credimus, nempè quod ſit Deus, qui nobis loquitur, & poſteà certificari per fidem de eo quod credimus: Ergò debet præcedere, vel ſaltèm regulariter præcedit fidem, evidentia in atteſtante. Confirmatur ex Div. Thom. *in præſenti, quæſt.* 5. *artic.* 2. vbi ſic ait: *Si aliquis Propheta prænunciaret in ſermone Domini aliquid futurum, & adhiberet ſignum mortuum ſuſcitando, ex hoc ſigno convinceretur intellectus videntis, vt cognoſceret manifeſtè hoc dici à Deo, qui non mentitur*: Ergò evidentia ſigni illius faceret evidentiam in ateſtante, nempè de eo quod Deus eſſet, qui diceret, & loqueretur, & quod non mentitur. Confirmatur ſecundo ex ipſo, qui, *quæſt.* 1. *articul.* 4. *ad* 2. inquit, quod ille, qui credit myſteria fidei, *non crederet, niſi videret ea eſſe credenda, vel propter evidentiam ſignorum, vel propter aliquid huiuſmodi*: Ergò exigitur ad credendum evidentia ſignorum: Sed evidentia ſignorum facit evidentiam Dei loquentis: Ergò. Confirmatur tertio, *quia Dæmones credunt, & contremiſcunt*, vt dicitur, *Iacob.* 2. quia nempè convincuntur evidentia ſignorum: Ergò ſtat intellectum eſſe convictum ex evidentia ſignorum, & tamen credere.

50. Reſpondeo, quod ly *ſcio cui credidi*, ex Apoſtolo, non debet intelligi de ſcientia ſtrictè dicta, & evidenti, præſertim naturali diſcurſu habita, quidquid in oppoſitum contendere videatur P. Elizalde; ſed vel intelligendum eſt, de cognitione certa habita per fidem, quę aliquando ſolet *ſcientia* nuncupari, vt eſt illud *Ioann.* 8. *Si me ſciretis, forſitan, & Patrem meum ſciretis*, & illud *Marc.* 2. *vt autem ſciatis, quia Filius hominis habet poteſtatem, &c.* Hic enim ſcire intelligitur pro eodem ac credere, non autem pro ſcientia ſtrictè dicta, præſertim natutali, ſic ergò poteſt intelligi illud Pauli, *ſcio cui credidi*, quaſi dicat firmiter agnoſco per fidem ipſum, cui credidi, & certus ſum quia, &c. Nō dixit autē, Credo cui credidi, quia eſſet inepta verbi repetitio. Vel ſi debeat intelligi de evidentia, aut ſcientia evidenti propriè tali, hæc erit ſcientia, & evidentia infuſa, ſpeciali Privilegio conceſſa Div. Paulo, ſed non concedenda quibuslibet Fidelibus, etiam peritiſsimis, nec admittenda vt neceſſaria ad fidem.

51. Ad primam confirmationem ex Div. Thom. dico, quod dum ait, quod convinceretur intellectus, *vt cognoſceret manifeſtè hoc dici à Deo*, licèt, his præcisè verbis attentis, videatur loqui de evidentia in atteſtante, attentis tamen antecedentibus, non loquitur, niſi de evidentia credibilitatis, qua intellectus convincitur, vt iudicet manifeſtè eſſe credendum illud vt dictum à Deo. Nam immediatè ſic dixerat: *Quod autem voluntas moveat intellectum ad aſſentiendum, poteſt contingere ex duobus. Vno modo ex ordine voluntatis ad bonum,*

& ſic credere eſt actus laudabilis : Alio modo, quia intellectus convincitur ad hoc, quod iudicet eſſe credendum his quę dicuntur, & ſubiungit exemplum : *Sicut ſi aliquis Propheta prænuntiaret, &c.* vt ſuprà. Sanè exemplum debet intelligi in ſenſu doctrinę ad quam explicandam adducitur : Sed adducitur exemplum illud ad explicandum, quomodo intellectus *convincitur, vt iudicet eſſe credendum his, quę dicuntur*: Ergò cum in exemplo dicitur, convinceretur intellectus, vt cognoſceret manifeſtè, illud dici à Deo, debet intelligi in ratione credibilis, & vt quid credendum. De quo infrà redibit ſerm. *quæſt. 5.*

52. Ad ſecundam confirmationem, dico Div. Thom. illis verbis ſolum aſſerere evidentiam credibilitatis, quam nos etiam admittimus, ſed diſtinctam ab evidentia veritatis, & teſtificationis. Cum autem ait, illam oriri ex evidentia ſignorum, diſtinguenda eſt duplex evidentia ſignorum, vna quę ſit evidentia illorum quod ſenſibilem, & invſitatam mutationem externam, quę evidenter eſt quid mirandum, ſeù mirabile reſpectu videntis, nam experimentaliter ſuſpendit illum in admiratione, quia videt invſitatam mutationem, & ignorat cauſam; & hæc evidentia poteſt eſſe naturalis, & lumine naturę exercita; ſed ex hac evidentia ſola non convincitur poſitivè intellectus vt evidenter cognoſcat illud dici à Deo, ſed ad ſummum convincitur negativè, vt ſtatim dicam. Alia eſt evidentia ſignorum quoad interiorem realitatem, modum, & cauſam ſupernaturalem; & hæc evidentia, licèt, ſi daretur, convinceret intellectum evidenter ad veritatem rei teſtificatę, tamen dari nequit ſolo lumine naturę, ſed neceſſariò debet eſſe infuſa, & gratis collata videnti miraculum : Et ideò hæc evidentia non debet adſtrui tanquam regularis in quolibet vidente miraculum : Sed ſola prima, quę habetur lumine naturę, & ex illa intellectus convincitur, vel cogitur negativè, quatenus ignorans, ſeù non inveniens cauſam naturalem illius mirabilis mutationis, morali quadam neceſsitate cogitur recurrere ad Dei Omnipotentiam, vt ſuperantem vires naturę : Et in hoc ſenſu intelligendus eſt Div. Thom. quandocumque dicit intellectum convinci, aut cogi ex evidentia ſignorum, id eſt, ex evidentia naturali immutationis ſenſibilis admirantis intellectum, ſeù collocantis illum in talli cauſę ignoratione, vt non ſit vbi recurrere poſsit, niſi ad Deum vt operantem ſupra naturam. Vndè nego, quod huiuſmodi evidentia ſignorum faciat evidentiam Dei loquentis, ſed potius collocat intellectum in obſcuritatem, & ignorantiam cauſę ibi operantis, ex qua, ni ſuſpendere velis intellectum, moraliter cogitur recurrere ad Deum, non per poſsitivam illationem ex ſigno vt viſo, ſed quia non invenit aliam cauſam, cui prudentius, & probabilius poſsit imputari tam mirus effectus, ſemper tamen cum formidine, ne forſam illa re ipſa detur, licèt ſibi ignota, quia plura ſatis miranda experiuntur homines, quę tamen habent cauſam occultam in natura, vel in Dœmonibus; à qua quidem formidine liberari non poterit, niſi firmetur per fidem divinam in veritate illius miraculi, & Dei loquentis, & teſtificantis per ipſum.

53. Ex quo ad tertiam confirmationem patet, quia dum Theologi inquiunt Dœmones credere coactos, & convictos ex evidentia ſignorum, non debet intelligi ex evidentia ſignorum quod ſupernaturalitatem in ipſis occultam, ſi hæc eis non manifeſtatur per lumen infuſum, de quo poſteà, ſed ex evidentia illorum quoad mutationem naturaliter in eis apparentem, cuius cauſam non inveniunt in tota natura, vndè coguntur, ne ſuſpenſi maneant, recurrere ad Deum, licèt non cum evidentia propria, & metaphyſicè infallibili, ſed ſemper cum obſcuritate, & formidine. De quo infrà. Ex quo.

TERTIA CONCLVSIO.

54. NIHILOMINUS tamen dico: *Vi luminis naturalis poſſumus habere ex ſignis credibilitatis, evidentiam moralem divinę teſtificationis, & veritatis noſtrę fidei : Hæc tamen non eſt ſimpliciter evidentia, ſed ſecundum quid, nec propriè loquendo evidentia poſitiva, ſed negativa, nec intrinſecè, & ſe ſola firmat intellectum in veritate infallibiliter, ſed cum formidine, & contingentia falſitatis, quę omninò depelli nequit, niſi regulariter per fidem, & ex ſpeciali Privilegio per evidentiam infuſam propriè talem.* Hæc concluſio explicat præcedentes, & noſtram ſententiam. Probatur autem quoad primam partem; quia lumine naturali conſtant nobis ſigna credibilitatis, quatenus ſunt quædam mirabilia exterius dicta, vel facta in confirmationem noſtrę fidei, quorum cauſam in tota natura non invenimus, nec invenerunt ſapientiſsimi Philoſophi vnquam, nec apparet motivum rationale, cur illa attribuamus Dœmoni, vel alteri cauſę malignę : Sed hoc facit evidentiam moralem, quod illa ſigna mirabilia ſint à Deo vnicè, & poſsitivè, & conſequenter, quod myſteria fidei in cuius teſtificationem facta fuerunt, ſint à Deo teſtificata : Er-

gò

gò de hoc faciunt evidentiam moralem, vt cognita ea ſigna in vi luminis naturalis.

55. Quoad ſecundam, & tertiam partem etiam patet, quia illa dicitur propriè, & ſimpliciter evidẽtia poſitiva, quę facit videre rem vel in ſe ipſa, vel in motivo evidenter, & poſitivè connexo cum illa: Sed præcedens evidentia imprimis non facit videre Deũ teſtificationem in ſe ipſa, deindè nec in motivo evidenter connexo poſitivè cum illa, quia ſigna illa vt ſubiecta lumini naturali, & vt ipſi evidentia, non oſtendunt poſitivè evidenter eſſe à Deo vt ſupernaturaliter operante, ſed potius collocant intellectum in admirationem, & ignorantiam cauſę: Ergò prædicta evidentia non eſt propriè, & ſimpliciter talis, ſed ſecundum quid, & negativè, quatenus per non inventionem cauſę in tota natura, cogitur moraliter intellectus recurrere ad Deum vt Authorem.

56. Sed dices immediatè: Non ſolum cogitur intellectus moraliter, ſed metaphyſicè, nempè per metaphyſicam, & infallibilem conſequentiam: Ergò eſt evidentia propria, & metaphyſica. Probatur antecedens: Quia cogitur in vi huius illationis: Horum ſignorum nulla datur cauſa poſitiva in tota natura, cui imputari poſſint: Ergò ſolus Deus eſt cauſa poſitiva illorum: Ergò Deus teſtificatur per ea noſtram Religionem: Sed huiuſmodi illatio, & conſequentia eſt metaphyſica, ſeù metaphyſicè infallibilis, ſiquidem eſt metaphyſicè infallibile quod ſi cauſa poſitiva illorum non datur in tota natura, quod illa ſit ſuprà totam naturam, nempè Deus: Ergò. Reſpondeo, negando antecedens. Ad probationem, diſtinguo maiorem: Cogitur in vi illius illationis, in qua antecedens ſolum moraliter eſt certum, & evidens, concedo: In qua antecedens ſit metaphyſicè certum, aut evidens, nego maiorem, & minorem. Quia dupliciter poteſt formari illa conſequentia, nempè vel ſic: *Horum ſignorum non cognoſcitur, etiam à ſapientiſsimis Philoſophis, cauſa in tota natura: Ergò illorum cauſa eſt ſupra naturam*; & ſi hoc modo formetur, antecedens quidem poteſt eſſe poſitivè evidens, ſaltèm Sapientiſsimis Philoſophis, vel alijs etiam evidentia facti; ſed ex illo non reſultat conſequentia metaphyſicè evidens, ſed ſolum moraliter, quia licèt moraliter ſit impoſſibile, quod cauſa cunctis Philoſophis ignota in tota natura, ſit alia quam Deus operans ſupra naturam, non tamen eſt metaphyſicè, & evidenter impoſsibile, quod ſit aliqua cauſa in natura illorum ſignorum mirabilium, cunctis Phyloſophis ignota; quis enim evidenter ſcit evidentia metaphyſica, nullam eſſe cauſam creatam, à qua, Deo permittente, illę mirandę mutationes provenire poſsint ſecundum externam, & ſenſibilẽ aparientiã? Potiſsimè, cũ nulli homini debita ſit cognitio omniũ cauſarũ naturaliũ, ſivè naturaliter, ſivè cum libertate operantium. Vel poteſt illatio formari ſic: *Re ipſa non datur cauſa in tota natura illorum ſignorum: Ergò ſolus Deus eſt cauſa illorum.* Et hoc pacto illatio eſt metaphyſicè evidens, ſed antecedens ſolum moraliter, negativè, & ſecundum quid, quia quod re ipſa non ſit in tota natura cauſa illorum ſignorum, non aliundè colligitur, quam ex eo quod non poteſt inveniri, nec detegi à peritiſsimis Philoſophis, & Sapientibus; hoc autem non probat evidenter metaphyſicè illam non dari, ſed ad ſummum moraliter, modo explicato.

57. Quoad tertiam partem etiam probatur, quia ex eo, quod intellectus videat opus ſibi mirabile, & excedens facultatem omnium cauſarum naturalium, vt à ſe, & à peritiſſimis Philoſophis cognitarum, non poteſt omninò infallibiliter firmari, & certificari, quod illud opus ſit ſpecialiter à Deo, vt teſtificante, & confirmante illam doctrinam; nam, attento præcisè lumine naturali cum prædicta cognitione, ſemper remanet ſcrupulus ille, quo quiſque poteſt formidare, ne forſam in tota natura ſit aliqua cauſa ſibi occulta, & peritiſsimis Philoſophis etiam ignota, cuius virtutem non excedat opus illud ſibi mirandum, ſed ab illa, Deo permittente, procedere poſsit; & hinc ortum habebat, quod Gentiles ſolo lumine naturali innixi, videntes prodigia, & miracula ſtupenda, quę patrabant Apoſtoli, & primævi Chriſtiani, ea regulariter imputabant magicis artibus, & præſtigijs Dœmonum, ſeù cauſis occultis malignis; quod plures etiam Philoſophi exiſtimarunt: Ergò ſolo lumine naturę depelli nequit ſcrupulus ille, ſeù formido, ne forſam illa mirabilia procedant à tali cauſa infrà Deum. Nam quantumvis aliquis, evidentia morali, neceſsitetur ad credendum cum morali certitudine tot & tanta mirabilia non procedere, niſi à Deo, ob magnitudinem illarum mutationum ſenſibiliter apparientium, quę videntur excedere totius naturę facultatem, & ordinem; tamen poteſt intra ſe dicere: Ego non cognoſco evidenter omnes cauſas naturales, ſivè liberas, ſivè neceſſarias, infra Deum exiſtentes, nec mihi eſt naturaliter debita omnium illarum cognitio, & quamvis foret debita, poſſet mihi, forſan, denegari: Quis ergò ſcit, an ſit in rerum natura infra Deum aliqua cauſa, vel aliquę cauſę tam mirę virtutis, quę, Deo permittente, poſsint omni-

nes has mutationes ſenſibiles, ad fallendum homines, patrare, præſertim quoad ſenſibilem, & exteriorem apparientiam? Sanè huiuſmodi formido omninò depelli non poteſt ſolo lumine naturę, nec evidentia illa morali lumine naturę acquiſita; ſed ſolum per fidem ſupernaturalem, & infuſam, inhærendo firmiter Authoritati divinę, & in vi illius firmiter credendo per lumen infuſum fidei noſtram Religionem, & argumenta, quę à Chriſto, & Apoſtoli, & ab alijs Sanctis exhibita fuere, fuiſſe ſpecialiter à Deo atteſtante, & confirmante per ea noſtrę Religionis doctrinam; hæc enim firmitas, adverſus quam portę inferi prævalere non poſsint, & quę prorſus omnem formidinem falſitatis expellat, aliundè eſſe non poteſt, niſi ex dono gratuito Dei infundentis fidei lumen noſtro intellectui.

58. Sed dices: Sufficit evidentia moralis ad depellendam omnem formidinem falſitatis; ſed admittimus evidentiam moralem de veritate noſtrę Religionis haberi poſſe ex argumentis credibilitatis, ſolo lumine naturę notis: Ergò illa poteſt expellere omnem formidinem falſitatis, & conſequenter firmare omninò infallibiliter intellectum. Maior probatur: Nam de exiſtentia Romę ſolum habemus evidentiam moralem, & ſimiliter de exiſtentia Indiarium, & aliarum Regionum, & Vrbium, quas non vidimus: Sed huiuſmodi evidentia moralis depellit omnem formidinem falſitatis: Quis enim, niſi ſtultus, formidare poterit, ne forſan ſit falſum Romam exiſtere? Ergò evidentia moralis poteſt depellere omnem formidinem, &c.

59. Reſpondeo, primò negando maiorem: Ad cuius probationem, nego maiorem; nam evidentia, quam habemus de Romę exiſtentia, non eſt purè moralis, ſed phyſica, & metaphyſica, nam phyſicè, & metaphyſicè repugnat, quod per tot ſæcula tot teſtes oculares, quot ſunt, qui teſtati ſunt Romam exiſtere, nullo omninò contradicente, aut negante, vniformiter convenerint in animo fallendi cæteros, qui eam non viderunt, potiſsimè circa rem ocularem, oculis ipſis ſubiectam, in qua fallacia, ſeù mendacio facillimè quiſque deprehendi poſſet; licèt enim poſsint omnia naturę individua cōvenire in aliquo actu bono, & per ſe à natura intento, præſertim naturali, vel etiam libero; tamen phyſicè repugnat omnia naturę individua convenire in aliquo actu malo libero, v. g. in aliquo mendacio proferendo; & ratio eſt, quia de ratione actus mali, eù mendacij eſt eſſe contra exiſtentiam, & inclinationem naturę rationalis, vt talis; id autem, in quo omnia individua naturę, vniformiter, & conſtanter per plura ſæcula convenient, ex hoc ipſo eſſet aliquid naturale, & non contra naturam, non enim aliunde probamus phyſicè, & ex natura rei aliquos actus, vel aliqua accidentia eſſe naturalia alicui ſpeciei, niſi quia conſtanter, & vniformiter videmus omnia individua talis ſpeciei convenire in eis accidentibus, vel actibus, vel motivus; vndè contra eſſentiam accidentium præternaturalium eſt, quod vniformiter, & cōſtanter conveniant ſemper, & omnibus individuis, cui ſunt præternaturalia, & eius exigentię contraria: Cum ergò mendacium ſit eſſentialiter contra exigentiam naturę rationalis, repugnat ſaltèm ex natura rei, & phyſicè omnia individua naturę humanę, nempè omnes homines, convenire in mendacio, præſertim oculari, proferendo, nullo contradicente: Admiſſo autem quod repugnet phyſicè, & ex natura rei, etiam repugnat metaphyſicè, & de potentia Dei abſoluta, quia repugnat metaphyſicè Deum divinitus efficere, vt homines proferant vniformiter mendacium, quod naturaliter cum tanta vniformitate proferre non poſſunt, nam aliàs fieret Author ſpecialis tam inſignis, & ingentis mendacij, quod metaphyſicè ipſi Deo repugnat. Iunge hæc ſuprà dictis, *diſput. 3. quæſt. 11. à num. 30.*

60. Vel ſecundo reſpondeo, diſtinguendo maiorem: Evidentia moralis poſitiva de re oculis ipſis, aut ſenſibus ſubiecta ſufficit depellere omnem formidinem falſitatis, tranſeat maior: Evidentia moralis negativa de re ſenſibus occulta, & ſuprà exigentiam naturę totius collocata, nego maiorem: Ad cuius probationem eadem diſtinctione reſpondeo, quod evidentia moralis, quam habemus, quì Romam non vidimus, eſt evidentia moralis poſitiva ex teſtimonio tot teſtium poſitivè ſuadentium ſe Romam vidiſſe, quam oculis viſibilem ſupponimus: Hæc autem moralis evidentia ſufficit depellere omnem formidinem, non præcisè, quia evidentia moralis eſt, ſed quiá talis; at evidentia moralis ex ſignis credibilitatis acquiſita, longè diverſa eſt, nam eſt de re non ſenſibus ſubiecta, immò nec intellectui ſecundum lumen eius naturale, ſed ſuprà collocata, & occulta, quę abſcondita eſt à Sapientibus, & prudentibus, & ſolum parvulis, & humilibus per fidem revelata, in qua etiam non omnes homines vniformiter conveniunt, nullo negante, ſed plures ſunt negantes, quam credentes, item eſt evidentia, non tam poſitiva, quam negativa, quia nempè magis fundata in ignorantia cauſę, quę poſsit talia ſigna patrare, quam in ſcientia, aut evidentia alicuius argu-

men-

menti poſitivè ſuadentis, quia nihil naturale, vt naturaliter cognitum poteſt poſitivè ſuadere exiſtentiam rerum ſupernaturalium, præſertim tanta firmitate, vt formidinem penitus excludat.

61. Ex quo iam ſequitur quarta pars concluſionis, nempè quod talis formido penitus excludi nequit, regulariter loquendo, niſi per fidem infuſam, quia videlicet intellectus ſolo lumine naturali inſpiciens motiva credibilitatis, ex illis purè diſcurrens, niſi fulciatur lumine fidei, ſemper manebit cum incertitudine metaphyſica, & formidine, ne forſan illa motiva ſecundum externam apparientiam, ſecundum quam tantum ſunt ſibi evidenter nota, ſint ab aliqua cauſa creata, vel ab aliquibus cauſis occultis, quę Deo permittente convenerint ad fallendum hominem; nam, & ſi hoc, attenta magnitudine ſignorum, & illorum convenientia, vt ſuprà à nobis expenſa fuit, videatur impoſsibile, quod ſufficit ad certitudinem moralem, non tamen videtur, nec evidenter ſcitur, aut demonſtratur eius metaphyſica repugnantia, aut impoſsibilitas ex illis omnibus ſignis vt ſolo lumine naturę notis: Ergò ad depellendam omninò hanc formidinem, & contingentiam, ſeù fallibilitatem, & incertitudinem metaphyſicam, omninò requiritur fides, & non niſi per illam depelli poteſt.

62. Explicatur: Quia quidquid poteſt intellectus lumine naturali evidenter cognoſcere in rerum natura, quantumvis ſint omnia ſigna credibilitatis ſecundum ſenſibilem, & externam apparientiam, non habent, vt ſic cognita, metaphyſicam, & omninò infallibilem connexionem cum myſterijs ſupernaturalibus, nec poſſunt cum metaphyſica certitudine firmare intellectum circa ſupernaturalia, ſed ad ſummum moraliter cum quadam incertitudine, & formidine propter fallibilitatē metaphyſicam: Ergò regulariter huiuſmodi formido, & incertitudo excludi penitus nequit, niſi per lumen ſupernaturale fidei: Dixi *regulariter*, quia ex ſpeciali Privilegio benè poteſt excludi per evidentiam ſupernaturalem in atteſtante, ſi Deus illam velit alicui concedere, vt eam conceſſit Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, & primis fidei promulgatoribus.

63. Sed dices: Catholici, dum conſideramus, vel legimus motiva credibilitatis, ita firmamur in fide, vt abſque omni prorſus formidine credamus: Ergò ex illis motivis poteſt depelli omnis formido falſitatis. Reſpondeo, quod dum Catholici legimus, vel conſideramus ea motiva, non ea ſolum conſideramus per lumen naturale, ſecundum ſenſibilem eorum apparientiam, ſed per lumen fidei credentes inſpicimus veritatem internam eorum mirabilium, & Deum vt Authorem eorum ad conteſtationem noſtrę Religionis, & hinc certificamur, & firmamur, de illis ſignis vt à Deo patratis, & ordinatis, & de Deo ipſo vt per illa conteſtante; qua firmitate, & certitudine ſuppoſita per fidem, magis, & magis certificamur per ipſam circa alia myſteria, quia magis, & magis illuminamur adeò de ipſius teſtificatione, & conteſtatione, quę eſt motivum formale credendi, & aliquando tanta eſt firmitas, & certitudo, vt ex illa evidenter nos ſcire arbitremus, & demonſtrare veritatem noſtrę Religionis, licèt huiuſmodi evidentia, non ſit re ipſa evidentia abſoluta, & conſequentis, ſed ſolum ex ſuppoſitione fidei, & in ea fundata, quę ſolū eſt evidentia conſequentię. Quod ſanè valdè advertendum eſt ad intelligendos SS. PP. dum ſe evidenter demonſtrare inquiunt (ſi forſan id dixerint) veritatem noſtrę Religionis, ea enim argumenta quę faciebant, ſibi quidem erant evidentes demonſtrationes, ex ſuppoſitione fidei, vi cuius certiſsimè firmi erant circa ſigna, & motiva, & antecedentia ex quibus arguebant, non ſolum ſecundum ſenſibilem eorum apparientiam, ſed ſecundum veritatem internam, & ſupernaturalitatem eorum; qua firmitate ſuppoſita, evidenter, evidentia conſequentię, diſcurrebant, & arguebant, & conabantur eandem evidentiam facere audientibus; non quidem quia exiſtimarent audientes ſolo lumine naturę poſſe venire in talem evidentiam, ſed ſperantes, & orantes, vt Deus illuminaret per fidem corda eorum, vt per illam etiam certificarentur de veritate eorum motivorum, & ſic aſſequi poſſent illam evidentiam.

QUÆSTIO IV.

QVALIS ERGO SIT CREDIBILITAS, & evidentia credibilitatis noſtrę fidei.

1. CONSTAT ex præcedenti quæſtione, argumentum obiectū *ſuprà quæſt. 2. n. 4.* non rectè ſolvi, admittendo evidentiā in atteſtante de veritate noſtrę Religionis. Reſtat ergò, ad illud ſolvendum, explicare qualis ſit evidentia credibilitatis, quę ſecum non afferat evidentiam veritatis. Igitur.

2. Suppono primò, credibilitatem mul-

multipliciter accipi poſſe, nempè vel negativè, vel poſitivè; vel proximè, vel remotè. Vel relatè ad fidem humanam, vel relatè ad fidem divinam determinatè, vel relatè ad fidem confusè præſcindentem à fide humana, vel divina. Credibilitas negativa, eſt pura non repugnantia vt res credatur abſque poſitivo ordine, aut exigentia vt credatur. Credibilitas poſitiva eſt poſitiva aptitudo, & condignitas vt res credatur. Credibilitas remota eſt aptitudo remota vt res credatur. Credibilitas proxima eſt proxima aptitudo, & condignitas vt credatur. Reliqua ex ipſis terminis patent. Rurſus aliquid poteſt eſſe credibile, vel ſecundum quid, & quantum eſt ex aliquo tantum capite, vel abſolutè, & ſimpliciter, ita vt nihil deficiat vt proximè credi poſsit.

3. Suppono ſecundò, quod evidentia credibilitatis poteſt eſſe vel naturalis, id eſt ex ſolo lumine naturę habita; vel ſupernaturalis, ex lumine infuſo: Item poteſt eſſe, vel evidentia ſpeculativa, vel evidentia practica. Evidentia ſpeculativa eſt illa, vi cuius aliquis evidenter agnoſcit, & iudicat ſignatè aliquid eſſe credibile. Evidentia practica eſt illa, vi cuius quis in actu exercito diſcernit inter credibile, & non credibile, abſque ſignata, & reflexa evidentia huius diſcriminis. His igitur prænotatis, vt pro re ſatis implexa explicanda, & diſtinguenda, termini non deficiant.

4. Dico primò: *Si motiva credibilitatis ſolo lumine naturę inſpiciantur, ex vi illorum myſteria noſtrę fidei fiunt evidenter poſitivè credibilia fide abſtrahente ab acquiſita, & infuſa, ſeù à fide re ipſa, vel ſolum obiectivè, & exiſtimativè divina: Non tamen fiunt evidenter credibilia determinatè per fidem infuſam credibilitate poſitiva, proxima, & abſoluta.* Prima pars patet, quia, quamvis ea motiva inſpiciantur ſolo lumine naturę, ingerunt maximam admirationem intellectui, & maximè ſuadent, licèt non cum evidentia infallibili, Deum eſſe, qui per ea ſigna teſtificatur myſteria noſtrę fidei, & hoc evidenter experitur intellectus, ſi attentè conſideret omnia illa motiva, licèt ſolo lumine naturę: Sed hoc ipſo ex vi illorum motivorum fiunt myſteria noſtrę fidei evidenter poſitivè credibilia, quia fiunt poſitivè condigna, & apta vt credantur tanquam à Deo teſtificata, ita vt ea credens, evidenter non erit citò credens, nec temere aſſentiens, ſed prudenter, quia motiva illa evidenter non ſunt levia, aut parvi momenti, ſed evidenter gravia, & maximi momenti: Ergò ex vi illorum motivorum, etſi ſolo lumine naturę inſpiciantur, fiunt myſteria noſtrę fidei evidenter poſitivè credibilia. Quod autem hæc evidens credibilitas, ſolum ſit evidenter talis per fidem, abſtrahendo ab infuſa, & acquiſita ex parte illius evidētię, ſeù à fide re ipſa divina, vel ſolū exiſtimativè divina, patet, quia vt infrà oſtendam, ex vi ſolius luminis naturalis haberi nequit evidens poſitiva credibilitas determinatè per fidem re ipſa divinam, & infuſam; ergò ſolum eſſe poteſt evidenter talis per ordinem ad fidem, abſtrahendo ex vi talis evidentię, à fide infuſa, vel acquiſita, re ipſa divina, vel ſolum exiſtimativè divina.

5. Deindè probatur, quoad ſecundam partem, quia credibilitas poſitiva, præſertim proxima, & abſoluta determinatè per fidem infuſam, importat eſſentialiter, & evidenter poſitivum ordinem determinatum ad fidem infuſam, vt proximè poſsibilem, immò, & poſitivam exigentiam, diſpoſitiunemque proximam, & poſitivam obligationem ad fidem infuſam, & ſupernaturalem: Sed ex vi illorum motivorum, ſi ſolo lumine naturę inſpiciantur, haberi nequit evidenter poſitivus ordo, poſitivaque, & proxima diſpoſitio, minuſque poſitiva obligatio determinatè ad fidem infuſam: Ergò nec evidens credibilitas poſitiva, proxima, & abſoluta per fidem determinatè infuſam. Minor probatur, nam fides determinatè infuſa, & ſupernaturalis eſſentialiter excedit, titulo talis, exigentiam cuiuſvis diſpoſitionis acquiſibilis ſolo lumine naturę, vndè eſt communis Theologorum ſententia, quod viribus naturę ſolius haberi nequit poſitiva, & proxima diſpoſitio ad formas ſupernaturales, minuſque poſitiva exigentia, aut obligatio ad illas, ſiquidem quantumvis natura ſuas vires exerat, non poteſt poſitivè ſe diſponere, aut exigere formas ordinis ſupernaturalis; aliàs enim poſſet ſe diſponere poſitivè ad gratiam, & iuſtificationem viribus proprijs, quod redolet hæreſim Pelagianam: Ergò ſi ea motiva ſolo lumine naturę inſpiciantur, haberi nequit ex illis poſitivus ordo, poſitiva obligatio, ſeù poſitiva diſpoſitio ad fidē, vt re ipſa divinam, & infuſam, ſeù ſupernaturalem; & conſequenter nec evidentia proximę, & poſitivę credibilitatis determinatè per fidem infuſam.

6. Explicatur, qui evidenter cognoſcit myſteria noſtrę fidei eſſe evidenter poſitivè credibilia determinatè per fidem infuſam, ex vi huius evidentię, evidenter obligatur ad credendum fide determinatè infuſa ea myſteria, & conſequenter habet conſcientiam evidentem poſitivè ſuadentem, excitantem, vrgentem, & moventem determinatè ad fidem infuſam, ſed huiuſmodi conſcientia, & obligatio evidens

haj

haberi nequit ex ſolo lumine naturę, & conſequenter, nec ex illis motivis vt ſolo lumine naturę conſideratis : Ergò nec evidens credibilitas poſitiva, & determinata ad fidem infuſam: Minor probatur, quia iuxta Apoſtolum ; in ordine ad fidem infuſam comparandam non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, id eſt, ex ſolius naturę lumine, & viribus : Sed obligatio illa, & conſcientia evidens eſt pluſquam cogitatio in ordine ad fidem , ſiquidem movet, obligat, & vrget poſitivè ad fidem re ipſa divinam, ſicut omnis alia conſcientia, & obligatio ad actum ad quem obligat evidenter : Ergò illa haberi nequit ex ſolo lumine naturę.

7. Confirmatur : Quia abſoluta, & poſitiva credibilitas per fidem determinatè infuſam importat evidenter poſsibilitatem poſitivam, & abſolutam fidei infuſę : Sed ex motivis prædictis ſolo lumine naturę inſpectis haberi nequit evidentia de poſsibilitate poſitiva, & abſoluta fidei infuſę, quia cum fides infuſa ſit eſſentialiter ſupernaturalis, eius poſsibilitas abſoluta , & poſitiva demonſtrari nequit evidenter ſolo lumine naturę : Ergò: Vrgetur , quia credibilitas poſitiva , & abſoluta , præſertim proxima per fidem determinatè infuſam , evidenter probat veritatem rei ita credibilis, quia evidenter implicat rem falſam eſſe proximè , & poſitivè credibilem fide determinatè infuſa: Sed ſolo lumine naturę non poteſt evidenter demonſtrari veritas myſteriorum noſtrę fidei : Ergò nec illorum credibilitas proxima , & poſitiva determinatè per fidem infuſam.

8. Dico ſecundo : *Solo lumine naturę haberi poteſt evidens credibilitas negativa , & ſecundum quid talis, myſteriorum , adhuc relatè ad fidem determinatè infuſam.* Patet, quia hæc credibilitas negativa, & ſecundum quid talis , non importat poſitivum ordinem , diſpoſitionem, aut exigentiam fidei infuſę , ſed ſolum puram non repugnantiam ex parte rationis naturalis vt myſteria credantur fide infuſa , ſeu vt fides qua myſteria ſupponuntur credibilia , ſit infuſa determinatè : Sed huiuſmodi non repugnantia evidenter cognoſci poteſt lumine naturę , quia lumine naturę evidenter cognoſci poteſt myſteria ſupernaturalia , & conſequenter fidem ſupernaturalem non repugnare rationi naturali vt communiter aſſerunt Theologi : Ergò.

9. Explicatur aliter , quia lumine naturę poteſt evidenter cognoſci, quòd ſigna, & motiva credibilitatis noſtrę fidei, quoad ſenſibilem, & externam apparientiam , ſuperant vires naturę , prout nobis notas , & conſequenter quod talis credibilitas eſt altioris ordinis ad ordinem naturę prout nobis notum: Sed huiuſmodi credibilitas eſt credibilitas negativè talis per fidem infuſam , quia collocat intellectum in quadam ignorantia naturali tantę credibilitatis, qua cogitur fateri, credibilitatem illam , & modum conteſtandi, & confirmandi doctrinam ſuperare ſuum captum, & naturalem rationem, & hoc evidenter ; quę quidem ignorantia, & evidetia talis ignorantię eſt negativa diſpoſitio vt credi poſsit talis doctrina fide infuſa: Ergò ex vi ſolius luminis naturalis haberi poteſt credibilitas negativa per fidem infuſam. Explicatur amplius: Siquis ſolo lumine naturę conſideret motiva credibilitatis, poteſt ſic dicere : Evidenter cognoſco, hanc doctrinam eſſe confirmatam , & conteſtatam modo altiori, & à cauſa altiori ſuperante meum captum , & meam rationem naturalem, & evidenter ignoro, qualis ſit hic modus, & hæc altior cauſa : Sed hæc evidentia, & ignorantia faciunt doctrinam ſic conteſtatam credibilem negativè per fidem infuſam , hoc eſt vt determinatè conteſtatam à Deo, quia licèt indè non probetur evidenter poſitivè illam eſſe conteſtatam à Deo, tamen ex vi talis ignorantię diſponitur negativè intellectus , vt recurrat ad Deum vt cauſam illorum motivorum , & vt conteſtantem eam doctrinam , ſiquidem aufertur illi recurſus ad quamlibet aliam cauſam naturalem ſibi cognitam : Ergò.

10. Dices: Licèt non poſsit recurrere ad cauſam ſibi cognitam , poteſt tamen recurrere ad cauſam creatam incognitam , & fallibilem in modo conteſtandi, & confirmandi doctrinam. Sed contra, quia ad hoc, cum ſuperet evidenter captum ſuę rationis naturalis, nullum habet fundamentum , ſed meram obſcuritatem, & ignorantiam ; quia licèt lumine naturę, & captu rationis naturalis videat ea ſigna , quoad exteriorem , ſenſibilem , & mirabilem apparientiam , ad cognoſcendum tamen modum, & cauſam altiorem deficit lux naturalis, & manet intellectus , quantum eſt ex ſuo naturali lumine, obſcurus , & quaſi in tenebris; huiuſmodi autem obſcuritas eſt aptiſsima , licèt negativa diſpoſitio, vt illuminetur lumine infuſo, & ſupernaturali , quia vbi deficit lumen naturę , incipit lumen gratię, & vbi intellectus agnoſcit evidenter ſuam ignorantiam , proximè diſponitur vt illuminetur cœleſti notitia, licèt hæc ſit diſpoſitio negativa ; per lumen autem cœleſte, ſeu gratię fiunt myſteria proximè , & poſitivè credibilia, quia per illud manifeſtantur ſigna credibilitatis , non iam ſolum quoad ſenſibilem, & externam apparientiam , ſed quoad medulam ſupernaturalitatis, & vt à Deo Authore ſupernaturali procedentia in confirmatio-

tionem illius doctrinę, & ſic completur credibilitas illorum myſteriorum, & ſiunt proximè, & poſitivè credibilia per fidem infuſam.

11. Credibilitatem autem negativam evidētem in vi luminis naturalis, vocavi in concluſione, credibilitatem *ſecundum quid*, quia non eſt credibilitas completa vndequaque, ſed tantum ex capite apparientię ſenſibilis, & exterioris; nam ad credibilitatem myſteriorum per fidem infuſam ſanè non requiritur maior apparientia exterior, & ſenſibilis, quam quę reſultat ex ſignis, & argumentis ſuprà enumeratis, immò illa eſt tanta, quod potius ſuperabundat, & aliquo ſenſu eſt nimia, proptereà enim dicuntur teſtimonia Dei credibilia nimis. Et quidē in his ſignis, adhùc ſolum inſpectis lumine naturę, & quoad miram, & ſenſibilem exterioritatem, longiſſimè ſuperat noſtra Religio quaſcumque alias Sectas; quę non fulciuntur motivis ita evidenter ſuperantibus captum, & rationem naturalem, ſed humana induſtria, armis, aut temporalibus allectivis, quę facilè detegi poſſunt naturę lumine, vndè naturę lumine poteſt evidenter cognoſci noſtram Religionem eſſe credibiliorem cæteris Sectis, & ab altiori cauſa teſtificatam, & perſuaſam: Veruntamen ſemper cum ignoratione huius cauſę altioris, quam lumen naturale determinate nequit, an ſit Deus infallibilis, vel creatura fallax, aut fallibilis, & ideò hæc credibilitas, licèt evidenter ſuperans credibilitatem aliarum Sectarum, non eſt credibilitas poſitiva, proxima, & completa reſpectu fidei infuſę, ſed quaſi remota, negativa, & ſecundum quid, expectans illuminationem ſupernam circa ſupernaturalitatem, & cauſam poſitivam illorum ſignorum, vt vi illorum reſultet proxima, poſitiva, & completa credibilitas per fidem infuſam; ſtatim enim ac per ſupernam illuminationem repræſentantur intellectui ea ſigna vt ſuperna, & vt à Deo Authore procedentia in confirmationem illius doctrinę, & myſteriorum, ea myſteria, ſeù illa doctrina fit proximè, poſitivè, & completè credibilis per fidem determinatè ſupernam, infuſam, & infallibilem; antecedenter autem ad cœleſtem illuminationem, dùm ſolo lumine naturę inſpiciūtur, manent credibilia fide infuſa tantum negativè, & incompletè, non ex defectu ſignorum, aut apparientię ſenſibilis, & viſibilis illorum, quę potius ſuperabundans eſt, & excedēs, ſed ex defectu proportionatę cognitionis, aut repræſentationis illorum, quia hæc haberi nequit niſi lumine infuſo, & ſuperno. Ex quo iam.

12. Dico tertio: *Si motiva credibilitatis inſpiciantur lumine infuſo, & superno, ex illis reſultat regulariter evidens credibilitas poſitiva, proxima, & completa per fidem determinatè infuſam, non quidem evidens reflexè, & ſpeculativè, ſed ſolum evidens in actu exercito, & practicè.* Quod non ſit evidens ſpeculativè, & reflexè, patet, quia nemo reflexè, & ſpeculativè cognoſcit evidenter ſe illuminari lumine infuſo, aut ſe credere fide infuſa determinatè, nam cum hæc omnia ſint ſupernaturalia, & gratuita, de illis ſanè nobis non conceditur evidentia ſpeculativa, & reflexa, ſicut nec de cæteris donis gratię. Quod autem ſit evidens practicè, & in actu exercito, patet etiam, quia credens fide infuſa neceſſàrio debet diſcernere in actu exercito, & practicè inter credibile fide infuſa, vel non credibile fide infuſa, quia debet diſcernere inter proprium obiectum, & non proprium obiectum; huiuſmodi autem diſcretio non debet eſſe per evidentiam ſpeculativam de tali credibilitate, quia hæc regulariter non datur; aliundè nec per fidem de ipſa credibilitate, quia fides non credit credibilitatem, ſed rem credibilem: Ergò fit per evidentiam practicam credibilitatis, ſeù in actu exercito. Qualis autem ſit, ſeù à quo lumine procedat hæc evidentia practica, infrà explicabitur, dum ſermo erit de generatione fidei, & de iudicio credibilitatis ad illam requiſito.

SOLVITVR EX DICTIS argumentum ſuprà obiectum, quæſt. 2. num. 4.

13. RESPONDEO ergò ad præfatam obiectionem, quod quando in illa, *quæſt.* 1. & 2. diximus myſteria noſtrę fidei eſſe evidenter credibilia, id diximus abſolutè, præſcindendo pro tunc à modo talis evidentię, & credibilitatis; modo tamen iam id explicatum manet: Vndè dicimus, quod reſpectu intellectus, vt conſiderantis motiva credibilitatis vi ſolius luminis naturalis, ſunt evidenter credibilia poſitivè fide in confuſo altiori ad humanam, & vulgarem, ſed nec determinatè infuſa, nec determinatè acquiſita, ſed abſtrahendo ex vi illius evidentię ab vtraque, vt diximus in primo aſſerto. Cum autem arguis, quod huiuſmodi credibilitas impertinens eſt ad fidem divinam, & infuſam; id nego, quia ſaltèm poſitivè diſponit, excitat, & movet ad ipſam fidem divinam ſub ratione communi fidei ad acquiſitam, & infuſam, ad divinam re ipſa, & ad divinam exiſtimativè ſolum; negari enim non poteſt, vtramque iſtam fidem participare rationem aliquam fidei genericam, & vnivocam, licèt cum ſpecialibus differentijs, vt alibi dicam de actibus naturalibus, &

& ſupernaturalibus, ad rationem autem communem, & genericam actibus naturalibus, & ſupernaturalibus benè poteſt poſitivè conducere, & diſponere aliquid purè naturale, ſi adiuvetur alio comprincipio ſupernaturali concurrente, ad differentiam ſupernaturalitatis, & ſic credibilitas iſta vi ſolius luminis naturalis cognita, ſeù habita per ordinem ad fidem in confuſo, conducere poteſt poſitivè ad fidem re ipſa divinam, diſponendo, & excitando per ſe ad illam ſub ratione communi, & adiuvāte alia per lumen infuſum ad differentiam fidei infuſę, & re ipſa divinę. Vel dico, conducere ſaltèm negativè ad fidem re ipſa divinam, & infuſam, & ad illā ſic negativè excitare, & diſponere modo explicato in ſecundo Aſſerto, nempè per evidentem ignorantiam cauſę altioris teſtificantis, & confirmantis eam doctrinam, ſcù per evidentiam de eo quod ea cauſa, & teſtificatio ſuperat captum ſuę naturalis rationis.

14. Item, dico, ſenſum eſſe quod ea myſteria ſunt evidenter negativè credibilia per fidem re ipſa divinam modo explicato in ſecundo Aſſerto, & ad replicam in contra, diſtinguo maiorem: Implicat, quod ſint evidenter negativè credibilia fide divina, niſi ſit evidenter negativè poſsibilis fides divina de illis, concedo: Aliter nego maiorem, & diſtinguo minorem eodem modo, quia nullum eſt inconveniens in eo, quod poſibilitas fidei ſupernaturalis, vel alterius ſupernaturalis doni cognoſcatur evidenter negativè per lumen naturale, hoc eſt, quod quis ſolo lumine naturę cognoſcat evidenter nullam apparere in tota natura repugnantiam vt illa myſteria credantur fide divina, & ſupernaturali, immò, & debere credi ex teſtimonio altiori ad ordinem naturę, prout ſibi notum, quod an ſit poſitivè ſupernaturale, & à Deo, neſcit evidenter, ſed evidenter agnoſcit nullam in hoc ſibi apparere repugnantiam: Hoc autem pacto benè poteſt lumine naturali evidenter agnoſci poſsibilitas entis ſupernaturalis, hoc eſt, poſsibilitas entis ſuperioris ad ordinem naturę, prout ſibi notum, cum ignorantia de qualitate talis entis, an videlicèt ſit re ipſa poſitivè ſupernaturale. Ex quo.

15. Ad confirmationem, conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequens: Si ſint evidenter credibilia fide divina, ſecundum rationem communē, & confuſam fidei, vel re ipſa divinę, vel ſolum exiſtimativè divinę, infuſę, vel acquiſitę, fallibilis, vel infallibilis eſſentialiter, nego conſequentiam, quia fides in hac acceptione non importat eſſentialem, & evidentem connexionem cum veritate rei creditę. Si ſint evidenter credibilia per fidem re ipſa, & determinatè divinam, & infuſam, ſub diſtinguo: Si ita ſint evidenter credibilia poſitivè, concedo: Si ita ſint evidenter credibilia negativè modo explicato in ſecundo Aſſerto, nego conſequentiam. Quia videlicet, ſi myſteria conſiderentur vt evidenter credibilia poſitivè per fidem in confuſo abſtrahentē à fide re ipſa divina, vel ſolum exiſtimativè tali, infuſa, vel acquiſita, non important vt ſic credibilia evidentem connexionem cum fide re ipſa divina, & conſequenter, nec cum veritate. Itemque, ſi conſiderentur vt credibilia negativè modo explicato, per fidem re ipſa, & determinatè divinam, adhùc hoc ſenſu non importatur evidens connexio cum fide re ipſa divina, ſed ſolum evidens connexio cum fide, quam neſcimus evidenter an ſit divina, & quam ſcimus non apparere repugnantiam vt ſit divina re ipſa: Vndè talia myſteria eſſe poſitivè credibilia fide re ipſa divina, infuſa, & infallibili, non cognoſcimus evidenter ſpeculativè, nec per lumen naturale, nec per lumen infuſum, ſed id firmiter obſcurè, & ſpeculativè credimus per lumen fidei, & evidenter practicè per ipſam fidem, aut per aliam cœleſtem illuminationem, vt infrà oſtendam, dum de iudicio credibilitatis ſermo ſit.

DECLARATUR AD QUID proſint argumenta credibilitatis.

16. COLLIGITUR ex dictis, primò, argumenta credibilitatis non ad hoc exponenda eſſe, aut ponderanda, vt vi illorum convincatur intellectus audientis poſitivè, & evidenter de veritate noſtrę Religionis, adhùc evidentia in atteſtante. Tunc quia, vt ex dictis conſtat, hanc evidentiam regulariter, & abſque ſpeciali Privilegio non generant. Tunc quia veritas noſtrę Religionis maior, altior, & ſuperior eſt, quam quę evidenter poſsit demonſtrari quibuslibet argumentis. Tum quia alias ad noſtram Religionem amplectendam, non eſſet neceſſaria pia affectio voluntatis, nec motio ſuperna, immò nec ad convertendos infideles oratio, ſi quidem poſſet peritus in eis argumentis, eos evidenter convincere, vt evidenter agnoſcerent noſtram Religionem ſolam eſſe veram, & amplectendam, quo ſemèl ab ipſis admiſſo, & confeſſo firmiter, iam eſſent Fideles.

17. Colligitur ſecundò ea argumenta, & eorum expoſitionem, & ponderationem eſſe vtiliſsimam, primò ad perſuadendum

audientibus evidenter, noſtram Religionem eſſe valdè credibiliorem cæteris omnibus Sectis, & maioribus ſignis, & argumentis confirmatam viſibiliter, & ſenſibiliter, quia id ſanè evidenter, & facilè demonſtrati poteſt comparando noſtram Religionem cum alijs Sectis. Ex indè colligitur tertio, talia argumenta conducere poſſe, vt vì illorum Sectarij convincantur ad ſuas Sectas deſerendas, quia nemo ſanę mentis fatebitur ſuam Sectam eſſe minus credibilem Religione Chriſtiana, & Religionem Chriſtianam eſſe credibiliorem, & nihilominus ſe credere ſuam vt veram, & reſpuere Chriſtianam vt falſam. Vndè exiſtimo, vi diſcurſus naturalis poſſe amatorem veritatis, ſi Sectarius ſit, deſerere ſuam Sectam, licèt vi diſcurſus naturalis non poſsit convinci ad amplectendam fidem Catholicam, & credendam illam firmiter vt veram, ſed ſi ſolo naturali diſcurſu inſiſtat, manebit ſuſpenſo iudicio, ſicut erat Auguſtinus, dum ſuo accumine convictus agnoverat Sectam Manichæorum eſſe falſam, ſed nondum agnoverat Catholicam eſſe veram, quia nondum fuerat ſupernaturaliter illuminatus, & licèt ſufficeret accumen naturale ad reſpuendam vt falſam illam Sectam, at non ſufficiebat ad amplectendam vt veram Religionem Catholicam. Ex quo obiter colliges, quod veritas Religionis Catholicę non poteſt evidenter lumine naturali demonſtrari: Nam certè Auguſtinus ingenti conatu veritatem quærebat, & ſuſpiriatè corde emittens, aiebat: *Vbi eſt veritas? Vbi eſt veritas?* Lumen naturale perſpicaciſsimum habebat, in quo nullus forſan in Mundo fuit, qui ipſum excelleret, ſi eius Logicam naturalē vbique eminentem conſideremus: Et tamen pervenire non potuit vi ſolius luminis naturalis in claram, & evidentem cognitionem de veritate noſtrę Religionis, vſque dum illuminatus gratuito illam per fidem amplectere meruit, & tenere firmiter: Ergò.

18. Colligitur quartò, talia argumenta poſſe negativè diſponere intellectum ad fidem amplectendam, primò, removendo ab ipſo Sectas contrarias, & prohibentes aſſenſum fidei. Secundò, quia cum talia ſigna, & argumenta cauſent evidentem admirationem intellectui, quia viſibiliter ſunt quid ſuprà communem, & notum curſum naturę, intellectus inquirens cauſam, ducitur in eius evidentem ignorantiā; huiuſmodi autē evidens ignorantia eſt aptiſsima, licèt negativa, diſpoſitio ad fidem, vt explicavimus ſuprà in ſecundo Aſſerto. Tertiò quia humiliat ipſum, & convincit de neſcientia, & ignorantia circa doctrinam illam modo ſibi mirabili, & ignoto confirmatam, quę quidem humilitas intellectus eſt etiam aptiſsima diſpoſitio, vt ſinat ſe captivari in obſequium fidei. Explicatur, nā duplici ex capite ſolet intellectus prohiberi à fide amplectenda, nempè, vel ex tenaci adhæſione ad Sectam aliquā, vel ex præſumptione ſuę naturalis ſcientię, qua de omnibus iudicare, & ſcire præſumit, nollens credere, niſi quę ſcit: Vtrumque hoc impedimentum removent illa argumenta credibilitatis, quamvis inſpecta ſolo lumine naturę, nam imprimis, removere poſſunt adhæſionem tenacem ad Sectam contrariam, convincendo illam non eſſe ęquè credibilem, ſed potius penè incredibilem in conſpectu noſtrę Religionis. Deindè removent præſumptionem intellectus, dum convincunt illum vt evidenter agnoſcat ſuam ignorantiam circa doctrinam, & conteſtationem noſtrę Religionis: Ergò ea argumenta maximè diſponunt intellectum, ſaltèm negativè, per modum removentis prohibens ad fidem.

19. Colligitur quintò, ea etiam conducere, vt ſi lumine ſuperno Deus adiuvet, prout adiuvabit, remotis obicibus, ex his fiat noſtra Religio proximè, & poſitivè credibilis, & intellectus ex eis proximè, & poſitivè diſponatur ad fidem. Vndè concludo, quod licèt ea argumenta non faciant evidentiam poſitivam in atteſtante de veritate noſtrę Religionis, vt contendebat Tyrſo cum Elizalde, & Huezio, non propterea contemnenda eſſe, ſed potius energia poſsibili ad Fidelium converſionem inculcanda, & ponderanda; licèt eis ſolis non ſit innitendum, ſed maximè, & præcipuè orationi, & deprecationi, vt Deus dignetur auferre velamen à cordibus eorum, & eorum mentes ſupernaturaliter illuminet, vt horum argumentorum occultam vim agnoſcere, & inſpicere poſſint, & Deum credere vt per ea conteſtantem noſtram Religionem.

20. Sed rogabis, an ea argumenta, vt ſolo lumine naturali inſpecta, poſsint extorquere fidem acquiſitam de veritate noſtrę Religionis? Reſpondeo, poſſe, & ſæpè illam extorquere, quia non ſemper illa argumenta audientes infideles, quam primum illis aſſentiuntur per fidem re ipſa divinam, ſed ſæpè primò cum aliquali formidine eis credunt fide acquiſita, quę poteſt præcedere tanquam diſpoſitio ad infuſam, ſicut embrio præcedit ad formam viventis; nam ſicut forma embrionis præcedit diſponens, & excluditur per formam viventis, quę ſupervenit, ita poteſt fides acquiſita, aut exiſtimativè ſolum divina, præcedere fidem re ipſa divinam, vt negativè diſponens, quę tamen excludatur per fidem infuſam ſupervenientem, per quam excluditur omnis formido,

&

Digitized by Google

& fallibilitas intellectus , & firmatur intellectus ſuper omnia circa myſteria Religionis.

QUÆSTIO V.

AN EVIDENTIA IN atteſtante concilietur cum fide in eodem intellectu circa idem obiectum?

1. SUPPONENDUM eſt primò , nomine evidentię in atteſtante, *in præſenti* intelligendam eſſe evidentiam , tum de eo, quod Deus aliquid teſtificatur, tum de ſenſu determinato, in quo illud teſtificatur , tum de eo, quod Deus nec falli , nec fallere poteſt in eo quod teſtificatur ; hæc enim eſt evidentia completa in atteſtante ; de qua diſputatur an concilietur cum fide Theologica; nam ſi revelatio ſola evidens eſſet, ſed ſenſus obſcurus , abſdubio cum illa compati poſſet fides de obiecto in illo ſenſu obſcuro, ſiquidem in illo ſenſu non eſſet evidens : Item, ſi eſſet evidens revelatio, & ſenſus illius,ſed non eſſet evidens intellectui Deum eſſe infallibilem in dicendo, poſſet etiam credere illud obiectum ; fide obſequioſa Deo ; credendo nempè ei, vt infallibili , licèt evidens ſibi non foret ipſum infallibilem eſſe. Solum ergò quæſtio controvertitur de evidentia illa completa in atteſtante, nempè quoad revelationem, quoad ſenſum, & quoad infallibilitatem ipſius.

2. Secundò ſupponendum eſt, eſſe poſsibilem hanc evidentiam in atteſtante ; non quidem naturaliter, nempè ex motivis credibilitatis, lumine, & diſcurſu naturali acquiſitam, nam hanc ſuprà reſpuimus , ſed per lumen infuſum inditam, quidquid in oppoſitum dicat Bañez ſuprà citatus,qui exiſtimavit extra viſionem Beatam non poſſe dari evidentiam divinę revelationis. Ratio eſt, quia cum revelatio divina ſit Dei actio productiva alicuius effectus, cognoſci poteſt ex tali effectu extra verbum: Sicut enim,in tenebris conſtituti,ſolemus evidenter agnoſcere aliquem nobis loqui ex ſono, vel effectu loqutionis , licèt ipſum , vel loqutionem eius non agnoſcamus , cur etiam non habebit Deus modum loquendi intellectui , quem poſsit intellectus evidenter audire , & percipere , cum evidentia quod Deus ſit , qui loquitur, quamvis ipſo Deo in ſe ipſo non viſo. Confirmatur, quia Deus loqui poteſt intellectui, immò,dum loquitur, ita loquitur ſemper, nempè per effectus ita proprios Dei loquentis,vt niſi à Deo loquente illi ipſi effectus eſſe non poſſint; ſed illi effectus evidenter cognoſci poſſunt ab intellectu extra verbum ; quia nihil eſt creatum ; quod ſecundum ſuam eſſentiam non poſsit cognoſci extra verbum ab intellectu creato, ſaltèm per ſcientiam infuſam : Ergò intellectus extra verbum poteſt evidenter cognoſcere effectus proprios Dei loquentis,vt ſunt effectus proprij Dei loquentis : Sed eo ipſo evidenter cognoſcit Deum eſſe qui loquitur: Ergò:

3. Id ipſum probant alij , quia Angelus in primò inſtanti ; & dum fuit viator, habuit evidentiam in atteſtante. Sed id incertum eſt,& controvertitur infrà in hac quæſtione, vndè ſupponi non poteſt; nec indè probari, quod ſupponitur. Alij ſimiliter id probant , quia B.V. Maria habuit evidentiam de divinitate ſui Filij,& conſequenter,de eo quod Deus erat qui loquebatur , dum ille ſibi loquebatur. Quod ſuadent,quia evidenter ſciebat ſe eſſe Virginem & Matrem, & ſine corruptione Filium peperiſſe, quod ſignum acceperat in teſtimonium divinitatis : Idem ferè ſuadere conantur de Lazaro,qui evidenter ſciebat ſe fuiſſe reſuſcitatum à Chriſto in teſtimonium ſuę divinitatis. Sed iſtas probationes nõ admitto,quia ſi aliquid probant, probant lumine naturali haberi evidentiam in atteſtante; ſiquidem B. V. lumine naturali agnoſcebat ſe peperiſſe ſine corruptione, & Virginem, & Matrem eſſe ; ſecundum ſenſibilem experientiam ; & Lazarus etiam ; immò multò melius ſorores eius , & qui eius funeri interfuerunt , evidenter ſenſibili experientia ſciebant ipſum anteà mortuum , poſteà vivum per Chriſtum extitiſſe, vndè ſi quid probaretur; probaretur eos omnes per lumen naturale evidenter cognoviſſe Chriſtum fuiſſe Deum: Quod ſanè, an ſanè dici poſsit, neſcio. Dicendum ergò eſt , in eis caſibus ſolum fuiſſe experimentaliter, & ſenſibiliter evidentem , & incorruptionem V. M. & ſuſcitationem Lazari , ſecundum ſcillcèt,quod ſenſibus apparebat; quod an fieret ſine præſtigijs ; & falſis apparentijs , à Deo vivo, & vero ; verè ſuprà totius naturę vires operante in confirmationem divinitatis Chriſti,evidens omninò non erat ex illa ſenſibili experientia, ſed ad id firmiter agnoſcendum , fides interfuit, tum in B. V. tum in Lazaro, & eius Sororibus, cæterum evidentiam de illa altiſsima veritate minimè habuerunt ; niſi ad tempus , ex Privilegio , B. V.

4. Vndè his omiſsis, probari vlterius poteſt , ex illo 2. *Regum*, 23. vbi David ait: *Mihi loquutus eſt fortis Iſrael , &c.* & ſubiungit modum ; quo loquutus eſt , dicens : *Sicut lux*

Au-

Auroræ Oriente Sole, *manè abſque nubibus rutilat.* Sanè, dum Deus ita loquetur, loquitur com evidentia in atteſtante, quę non eſt ita clara. ſicut lux meridiana, per quam intelligitur viſio Beata, nec ita obſcura, ſicut lux in nocte, per quam intelligitur fides, ſed veluti quodam medium; & hoc pacto, & cum hac evidentia Deum loqutum fuiſſe Prophetis, & Apoſtolis, eſt ſatis veroſimile, & communiter docetur à Theologis: Eſt ergò veriſsimum, talem evidentiam in atteſtante eſſe poſsibilem per lumen infuſum, & ex ſpeciali Privilegio.

5. His ſuppoſitis, difficultas eſt, an prædicta evidentia completa credibilitatis, non ſolum poſsibilis, ſed compoſsibilis ſit cum fide theologica circa idem obiectum, in eodem intellectu. Circa quam eſt differentia inter Ieſuitas, & Thomiſtas. Nam Thomiſtę facilius exiſtimant conciliabilem fidem cum evidentia in atteſtante, quam cum ſcientia rei creditę, quę habeatur per aliud medium; vndè licèt omnes aſſerant repugnare ſcientiam cum fide de eodem obiecto, *in* eodem intellectu, plurea tamen conciliant fidem cum evidentia in atteſtante. Contra verò Jeſuitę, facilius exiſtimant conciliabilem fidem cum ſcientia, quam cum evidentia in atteſtante, quia nimirum ſcientia habetur per medium diſtinctum à fide, ſed evidentia in atteſtante eſt per idem medium, quod eſt motivum fidei, nempè per revelationem; vndè ferè omnes Ieſuitę exiſtimant rectè conciliari fidem cum ſcientia circa idem, & plures negant conciliari poſſe cum evidentia in atteſtante, quia hæc eſt per idem medium ac fides. Vndè falſus fuit M. Gonet *in præſenti*, dicens, iſtam concordiam fidei cum evidentia in atteſtante nullam pati difficultatem apud illos, qui evidentiam obiecto fidei non repugnare exiſtimant dùmmodo per aliud medium, quam per revelationem habeatur, nam potius apud iſtos maiorem habet difficultatem, cum ſit per idem medium. Igitur.

NOSTRA SENTENTIA.

6. DICENDUM exiſtimo: *Quod fides Theologica, ſeù ſtrictè talis, eſt incompatibilis cum evidentia completa in atteſtante ſuprà explicata.* Loquor de fide theologica, & ſtrictè tali, quę nempè ſit eiuſdem ſpeciei cum noſtra, & eiuſdem eſſentię, quia ſi quis velit excogitare aliam fidem coactam, aut ęqoivocè talem cum iſta noſtra, de illa non loquimur, ſed ſolum de iſta, quam Apoſtolus appellat argumentum non apparentium, & per quam, iuxta ipſum redigimus noſtrum intellectum in captivitatem, & in obſeqoium Chriſti, quæqoè communiter à SS. PP. & Theologis obſcura cognitio appellatur; de rebus nempè non viſis, nec apparentibus evidenter. Et de hac loquendo, nobiſcum ſentiunt ex Thomiſtis, Victoria, Bañez, Gregorius, Martinez, Marinis, Cano, Ferrè, & Ioannes à S. Thom. & ex Ieſuitis, Suarez, Lugo, Tannerus, Oviedo. Quos citatos invenies à Salmant. *in præſenti, diſput.* 3. *num.* 21.

7. Probatur autem vnica, ſed efficaci ratione, quia fides, de quà loqoimur, eſſentialiter eſt de obiecto obſcuro; & inevidenti intellectui credentia, vt infrà magis declarabitur: Sed per evidentiam in atteſtante de aliquo myſterio, v. g. de eo quod *Verbum caro factum eſt*, excluditor obſcuritas, & in evidentia talis myſterij, ſiquidem per illam fit clarum, & evidens intellectui, quod *Verbum caro factum eſt*: Ergò per talem evidentiam excluditur fides de tali myſterio: Ergò non compatitur fides de eodem myſterio cum evidentia ipſius in atteſtante, in eodem intellectu. Maior ſupponitur. Minor verò probatur, quia evidentia in atteſtante conſiſtit in his duabus præmiſsis vt evidenter cognitis: *Quidquid Deus revelat. eſt ita ſicut à Deo revelatur*, ſiquidem Deus non poteſt fallere nec falli: *Sed Deus revelavit, quod Verbum caro factum eſt*: Sed iſtę duę præmiſſę, vt evidenter cognitę, faciunt clarum, & evidens intellectui, quod *Verbum caro factum eſt*, & conſequenter excludunt obſcuritatem, & in evidentiam talis obiecti: Ergò evidentia in atteſtante excludit, &c. Minor probatur, quia præmiſſę evidentes, evidenter, & per legitimam formam ſyllogiſticam inferentes aliquam concluſionem, faciunt per ſe talem concluſionem evidentem intellectui, ſiquidem illam evidenter demonſtrant: Sed prædictę præmiſſę ſunt evidentes, quando evidenter cognoſcuntur, & per evidentem, & legitimam conſequentiam inferunt, quod *Verbum caro factum eſt*, vt patet ad oculum formato ſyllogiſmo ſic: *Quidquid Deus revelavit, ita eſt, ſicut à Deo revelatur: Sed Deus revelavit, quod Verbum caro factum eſt: Ergò ita eſt, quod Verbum caro factum eſt*: Ergò tales præmiſſę, vt evidenter cognitę, faciunt clarum, & evidens, quod Verbum caro factum eſt.

8. Variè à varijs ſolet huic probationi reſponderi. Primò reſpondet Vazquez, & cum ipſo alij, quod evidentia in atteſtante cauſata ex vi dictarum præmiſſarum, non eſt evidentia ſimpliciter, & propriè talis, ſed ſolum ſecundum quid, quia prædictę præmiſſę non faciunt veram demonſtrationem, nam Ariſt. duas

tan-

tantum demonſtrationes agnovit, nempè, *quia*, & *propter quid*, quarum prima procedit ex effectu ad cauſam, ſecunda ex cauſa ad effectum: Prædictus autem ſyllogiſmus nec procedit ex effectu ad cauſam, nec ex cauſa ad effectum, quia divina revelatio nec eſt cauſa rei revelatę, nec res revelata cauſa revelationis.

9\. Sed hæc ſolutio rectè expungitur à M. Ferre, *in præſenti*. Quia Ariſtot. adæquatè diviſit ſyllogiſmum in topicum, fallacem, & demonſtrativum; ſed ſyllogiſmus ſuprà formatus ex dictis præmiſsis nō eſt topicus, nec fallax; vt per ſe patet, ſi quidem procedit ex præmiſsis evidentibus: Ergò eſt demonſtrativus: Ergò veram evidentiam facit de eo quod concludit. Secundò: Quia hic ſyllogiſmus, ſi præmiſſę ſupponatur evidentes, eſt verè demonſtrativus, & facit veram evidentiam conſequentis: *Quęcumque ſunt æqualia vni tertio ſunt ęqualia inter ſe: Sed iſtę duę virgæ ſunt ęquales vni tertię: Ergò ſunt ęquales inter ſe*: Et tamen in illo non proceditur nec ex cauſa ad effectum, nec ex effectu ad cauſam, quia nec ęqualitas cum tertia eſt cauſa ęqualitatis inter ſe, nec è contra: Ergò ad veram demonſtrationem, quę faciat veram evidentiam concluſionis, non requiritur, quod procedat ex cauſa ad effectum, nec ex effectu ad cauſam.

10\. Nec negari poteſt præfatum ſyllogiſmum eſſe veram demonſtrationem, primò nam alias omnes demonſtrationes Arithmeticę, Geometricę, & Mathematicę, non eſſent verę demonſtrationes, quia ferè omnes illę ſunt ſimiles, non enim procedunt ex affectu ad cauſam, nec è contra, ſicut Philoſophicę, ſed ex proportionibus ęqualitatis, vel in ęqualitatis: Quid autem falſius, quam excludere illas omnes demonſtrationes à ratione verę demonſtrationis? Cum ab omnibus reputentur evidentiſsimę prę quibuslibet alijs ad alias facultates ſpectantes, vndè Mathematica reputatur ſcientia ex omnibus naturalibus ſcientijs evidentiſsima.

11\. Secundò, quia ratio, quam in contra adducit Vazquez, nullius eſt momenti, inquit enim non eſſe veram demonſtrationem, quia concluſio continetur in vna ſola præmiſſa, nempè in maiori: Sed hoc planę eſt falſum, quia maior ſe ſola, ſolum dicit: *Quę ſunt ęqualia vni tertio ſunt ęqualia inter ſe*, per hoc autem præcisè, niſi ſubſumatur minor, non dicitur, quod *iſtę duę ſingulares virgæ ſunt æquales inter ſe*, immò nec legitimè hoc ex illo ſolo infertur, quia hæc illatio eſt evidenter nulla: *Quæ ſunt æqualia vni tertio ſunt ęqualia inter ſe: Ergò virgæ iſtæ ſunt æquales inter ſe*: Ergò nulla eſt ratio cur præfatus ſyllogiſmus non ſit verè demonſtratio.

12\. Ex quo obiter infertur, quod cum Philoſophus diviſit demonſtrationem in *quia*, & *propter quid*, nomine demonſtrationis *quia*, non intellexit ſolum demonſtrationem ab effectu, ſed etiam demonſtrationem à pari, vel à ſigno, vel ab alio quolibet antecedenti, quod non eſſet cauſa propria conſequentis. Vndè licèt omnis demonſtratio *propter quid*, ſit demonſtratio à priori, non tamen omnis demonſtratio *quia* eſt à poſteriori, vt explicavi *in Logica, tract. 7. quæſt. 2. à num. 3.*

13\. Reſpondet ſecundò Vazquez, prædictum ſyllogiſmum non eſſe veram demonſtrationem, quia eſt per medium extrinſecum, & in illo non proceditur vi identitatis, ſed vi connexionis. Sed contra eſt, quia etiam demonſtratio de exiſtentia cauſę efficientis per exiſtentiam effectus eſt per medium extrinſecum, ſiquidem effectus cauſę efficientis non eſt quid intrinſecum, nec identificatum cum cauſa; vndè in ea demonſtratione non arguitur vi formalis identitatis, ſed vi connexionis evidentis: Et tamen apud omnes eſt vera demonſtratio: Ergò pariter, licèt in noſtro ſyllogiſmo non procedatur per medium intrinſecum, nec vi formalis identitatis medij cum extremis, ſed ſolum vi connexionis evidentis, erit vera demonſtratio. Pro quo relege, ſi placet, doctrinam notandam, *tractat. de Provid. quæſt. 17. num. 70.* Confirmatur, quia vt docent communiter Thomiſtę 3. *part. quæſt.* 11. Chriſtus D. per ſcientiam infuſam cognovit evidenter extra Verbum Trinitatem *quoad an eſt*, quia evidenter cognoſcebat viſionem Beatam, quę ad Deum vt trinum terminabatur, idque diſertis verbis aſſerunt PP. Salm. *in præſenti, num. 5.* quę quidem erat propria ſcientia, & evidentia: Et tamen erat per medium extrinſecum, quia ſanè viſio Beata medium extrinſecum eſt ad cognoſcendam Trinitatem, &, ſi ſupponatur ſententia communis Thomiſtarum, quod viſio Beata nō ſpecificatur à Deo vt Trino, ſeù à relationibus, nec eſt cauſa, nec effectus reſpectu Trinitatis: Ergò ex medio extrinſeco, quod nec ſit cauſa, nec effectus, poteſt haberi vera, & propria evidentia, ſeù ſcientia concluſionis.

14\. Confirmatur ſecundò: Quia evidentia concluſionis in ratione evidentię non nititur in eo, quod præmiſſę ſint cauſa, vel effectus concluſionis, ſed vnicè in eo, quod ſint evidentes, & evidenter connexę cum concluſione, ſi enim mihi præmiſſę ſunt evidentes, & mihi etiam eſt evidens connexio illarum cum concluſione, ſanè ex hoc præciſe mihi evidens eſt

con-

concluſio; immò quandò præmiſſę ſunt cauſa, vel effectus concluſionis, non ex eo faciunt evidentem concluſionem, quia ſunt cauſę, vel effectus, vel medium intrinſecum, aut extrinſecum; ſed quia ſunt evidentes, & evidenter connexę; quamvis enim eſſent cauſę, aut effectus, aut mèdium intrinſecum, ſi non eſſent evidentes, aut ſi non eſſent evidenter connexę, non facerent evidentiam concluſionis: Sed in præfato ſyllogiſmo à nobis ſuprà formato, præmiſſę ſupponuntur evidentes, & evidenter connexę cum concluſione iſta: *Verbum caro factum eſt*: Ergò quamvis non ſint cauſa, nec effectus concluſionis, nec medium intrinſecum, faciunt verè, & propriè evidentem prædictam concluſionem, nempè, quod *Verbum caro factum eſt*.

15. Propterea reſpondent tertiò PP. Salmant. admittendo poſſe ſyllogiſmum generare evidentiã ſimpliciter, licèt non procedat per cauſam, vel effectũ, ſi procedat per mediũ aliquod cum extremis ſpecialiter connexum; ſecùs autem ſi medium ſolum connectatur cum extremis ſub ratione aliqua communi, & non quoad rationes particulares: In ſyllogiſmo autem à nobis formato, procedi quidem per medium cum extremis, ſeù cum concluſione connexo, ſed non connexo cum illa quoad rationes particulares, ſed ſolum quoad rationem communem revelatę; vndè revelatio, quę aſſumitur pro medio tantum infert evidentiam de concluſione illa, nempè de Incarnatione Verbi, ſub ratione communi revelatę à Deo, non verò ſub ratione particulari talis Myſterij. Et hæc eſt communis evaſio Thomiſtarum contrarię ſententię. Quam confirmant Salmantic. hoc ſyllogiſmo: *Omnis viſio corporalis videt coloratum, ſeù terminatur ad coloratum: Sed Petrus cognoſcit evidenter viſionem corporalem Ioannis: Ergò cognoſcit evidenter coloratum*: Ex quo, inquiunt, nullus colliget, quod Petrus cognoſcat evidenter coloratum, ſecundum propriam rationem colorati, ſed ſolum ſecundum communem, & valdè confuſam rationem colorati: Ergò ſimiliter in noſtro ſyllogiſmo.

16. Sed contra primò, quia in præfato ſyllogiſmo à nobis formato, præmiſſę illius faciunt evidentiam de eo, quod evidenter inferunt; nam præmiſſę evidentes, evidenter inferentes, faciunt evidentiam de eo, quod evidenter inferunt, ſiquidem illud evidenter demonſtrant. Sed præmiſſę illius ſyllogiſmi ſupponuntur evidentes, & evidenter inferunt, non ſolum rationem communem, & confuſam myſterij revelati, ſed illud myſterium ſingulare, vt tale, nempè, quod *Verbum caro factum eſt*: Ergò faciunt evidentiam de tali myſterio, non ſolum ſub ratione communi, & confuſa miſterij revelati, ſed quoad rationem ſpecialem talis myſterij, id eſt, quod *Verbum caro factum eſt*. Minor probatur, primò, quia præmiſſę illius ſyllogiſmi evidenter inferunt concluſionem, quę concluditur in illo ſyllogiſmo, & non aliquid aliud, quod in eo non concluditur, vt vel ipſis Dialecticis eſt notiſsimum: Sed in illo ſyllogiſmo non concluditur ratio communis, & confuſa revelati, ſed ſpecialiter concluditur, *ita eſſe, quod Verbum caro factum eſt*, in quo ſpecialiſsimè exprimitur illud myſterium vt diſtinctum à cæteris: Ergò illę præmiſſę evidenter inferunt, non ſolam rationem communem revelati, ſed illud myſterium ſingulare, vt tale.

17. Secundò probatur eadem minor, quia in legitimo ſyllogiſmo, qualis eſt ille, prohibetur, quod in concluſione evidenter illata ingrediatur medium, quia cum rectus ſyllogiſmus ſemper arguat ex connexione extremitatum cum medio concludendo connexionem extremitatum inter ſe, medium quidem debet ſubijci, vel prædicari in præmiſsis, ſed non poteſt ingredi in concluſione, in qua extremitates debent inferti vnitę, non iam cum medio, ſed immediatè inter ſe, vt eſt regula expreſſa Dialecticę, *lib. 3. Summul. quæſt. 5. num.* 7. Sed ſi in præfato ſyllogiſmo præmiſſę ſolum inferrent myſterium ſub ratione communi revelati, id eſt, myſterium illud eſſe revelatum, revelatio, quę eſt medium, intraret in concluſione: Ergò præmiſſę in predicto ſyllogiſmo nõ inferunt myſterium ſub ratione communi revelati, ſeù quod ſit revelatum, ſed inferunt, quod ita ſit in rè ſicut revelatum ſupponitur, hoc eſt, *quod re ipſa Verbum caro factum eſt*.

18. Tertiò, quia ad inferendum myſterium ſolum ſub ratione revelati, ſatis erat ſola minor illius ſyllogiſmi, nempè, *Deus revelavit, quod Verbum caro factum eſt*, quia ex hoc præciſè, ſivè revelatio ſit vera, ſivè falſa, eſſentialiter, & evidenter infertur myſterium eſſe revelatum, nam evidenter infertur: *Hoc Deus revelavit: Ergò hoc eſt revelatum à Deo*: Sed plùs debet inferri, adiuncta maiori de eſſentiali veritate revelationis, quam ex minori ſola, tunc quia in recto ſyllogiſmo plùs debet inferre vtraquè præmiſſa coniunctim, quam vna ſola, tum quia plùs infert revelatio vt eſſentialiter vera, quam ſolum vt revelatio præſcindendo ab eo quod ſit vera: Ergò vtraque illa præmiſſa, non ſolum infert evidenter myſterium illud eſſe revelatum, ſeù ſub ratione revelati, ſed potiùs in-

inſert evidenter ita eſſe in re, ſeù quod in re *Verbum care factum eſt.*

19. Contra ſecundo, quia per vos ſyllogiſmus generat evidentiam ſimpliciter, quando procedit per medium connexum cum extremitatibus, non ſecundum rationem communem, & confuſam, ſed quoad rationes particulares: Sed medium in prædicto ſyllogiſmo non connectitur ſolum cum extremitatibus, nempè cum eo quoad myſterium ita ſit ſub aliqua ratione communi revelati, ſed ſpecialiter cum illo quoad rationem ſpecialem Incarnationis Verbi: Ergò de illa generat evidentiam ſimpliciter talem. Probatur minor evidenter, quia medium in tali ſyllogiſmo non eſt revelatio purè in communi, & confuſo, nec revelatio myſterij vt ſic, præſcindendo à revelatione huius vel illius particularis myſterij, ſed eſt revelatio ſingularis de ſpeciali Myſterio Incarnationis Verbi, nam licèt in maiori revelatio ſumatur vniverſaliter, & in communi, in minori tamen determinatur ad ſingularem revelationem de eo quod *Verbum caro factum eſt*, ſic enim ait minor; *Sed Deus revelavit, quod Verbum care factum eſt*: Sed huiuſmodi ſingularis revelatio non connectitur ſolum cum myſterio in communi, ſed cum ſingulari Myſterio Incarnationis Verbi ſpecialiter: Ergò medium in prædicto ſyllogiſmo, &c. Explicatur: Revelatio, quę ponitur pro medio in prædicto ſyllogiſmo, evidenter connectitur cum eo, cuius evidenter eſt revelatio in præmiſsis, quia in præmiſsis ſupponitur talis revelatio vt evidenter vera, & infallibilis, & conſequenter vt evidenter connexa cum eo quod ita ſit illud ipſum quod revelat: Sed in minori cognoſcitur evidenter vt revelans, non Myſterium in communi tantùm, ſed vt revelans in ſingulari Myſterium ſingulare Incarnationis, per illa verba ſingularia, *Verbum caro factum eſt*: Ergò revelatio, quę ponitur pro medio in prædicto ſyllogiſmo, prout in illo ponitur evidenter cognita, non connectitur ſolum cum Myſterio Incarnationis ſub ratione communi Myſterij, ſed ſub ratione particulari Incarnationis Verbi.

20. Explicatur exemplo ipſo contrariorum, nam ſi ſyllogiſmus ille de viſione corporali formaretur ſic: *Quidquid Ioannes videt corporaliter ita eſt ſicut videtur: Sed Ioannes videt corpus hoc eſſe album: Ergò ita eſt, quod corpus hoc eſt album*, ſi inquam ita formetur ſyllogiſmus, medium, nempè viſio corporalis Ioannis non ſolum inferre corpus eſſe coloratum, aut ſub ratione communi colorati, ſed ſpecialiter corpus ſub ratione ſpecifica albi, ſeù corpus determinatè eſſe album, vndè ſi Petrus cognoſceret evidenter præmiſſas, evidenter cognoſceret corpus illud, non ſolum ſub ratione communi colorati, ſed ſub ratione ſpeciali albi: Sed noſter ſyllogiſmus de revelatione Dei ita pariformitèr formatur, nempè aſſumendo pro medio, non revelationem Myſterij in communi, ſed revelationem Myſterij Incarnationis in particulari: Ergò generat evidentiam, non ſolum de tali Myſterio ſub ratione confuſa Myſterij revelati, ſed ſub ratione ſpeciali talis. Vndè ſyllogiſmus de viſione corporali prout obijcitur in ſolutione, non eſt ad rem, ſiquidem propterea non concludit evidentiam de corpore colorato ſub ratione ſpeciali talis, vel talis coloris, quia in præmiſsis ſolum exprimitur viſio colorati, non exprimendo cuius coloris ſit talis viſio, aut quem colorem videat talis viſio, ſed ſolum in confuſo ponitur viſio colorati, & ſanè ſi hoc pacto fieret argumentum de revelatione, nempè ita: *Omnis revelatio Dei terminatur ad verum; ſed Petrus cognoſcit evidenter revelationem Dei: Ergò cognoſcit evidenter eſſe verum, quod revelatur*, fateor, quod in illo non concluderetur evidentia de Myſterio aliquo ſub ratione ſpeciali, quia medium non eſt revelatio determinatè de Myſterio determinato, ſed ſolum revelatio, non exprimendo in præmiſsis, cuius obiecti ſit revelatio.

21. Attamen caſus præſentis quæſtionis, & ſyllogiſmus à nobis poſitus longè aliter ſe habet, nam ſupponimus, illum qui habet evidentiam in atteſtante, cognoſcere evidentèr, nõ ſolum quod Deus revelat, nõ exprimẽdo determinatè, quid revelat in particulari, quia hæc non eſſet evidentia in atteſtante, de qua loquimur, ſed etiam cognoſcere evidenter quid Deus revelat in particulari, & determinatè, nempè, Myſterium Incarnationis, prout exprimitur his verbis: *Verbum care factum eſt*, & hæc ſpecialis, & determinata revelatio ponitur pro medio in præmiſsis, & non ſolum revelatio Myſterij vt ſic: Ergò generat, & infert evidentiam, non ſolum Myſterij vt ſic, ſeù ſub ratione communi revelati, ſed etiam Myſterij talis in particulari, & ſub ratione ſpeciali Incarnationis Verbi.

RECURSUS AD reduplicationes ſatis confuſas exploratur.

22. RESPONDENT quartò PP. Salmant. *Obiectum vt revelatum*, dupliciter ſummi poſſe, primò, vt importat in recto revelationem, ſivè extrinſecam de nominationem revelati, & in obliquo ſuam entitatem. Secundò, vt importans in recto ſuam entitatem vt præcisè terminantem divinam revelationem, & fundantem habitudinem rationis ad illam: Concedunt igitur, quod ex evidentia revelationis divinę non infertur præcisè evidentia *obiecti vt revelati*, promomodo, id eſt, vt importat in recto denominationem extrinſecam revelati, quia hoc pacto exprimitur in præmiſsis, & eſt medium ad inferendum, ſed non concluſio illata, vt rectè probat noſtrum argumentum. Veruntamen, inquiunt, infertur evidentia *obiecti vt revelati*, ſecundò modo, id eſt, quoad entitatem ipſius, vt præcisè terminantis revelationem, & fundantis relationem rationis ad ipſam: Et hoc pacto iam aſsignatur medium, quod vnicè ſe teneat ex parte præmiſſarum, nempè, denominatio extrinſeca revelati; & connexio extremitatum, quę ſolum colligatur in conſequenti, nempè obiectum præcisè vt terminat revelationem, & fundat relationem rationis ad ipſam, quę eſt ratio communis omnibus revelatis. Vndè inferunt, quod adhùc ſervata diſtinctione conſequentis à præmiſsis, & quod in conſequenti non intret medium, ſolum infertur in conſequenti obiectum ſecundum rationem communem omnibus revelatis, non ſecundum rationes particulares.

23. Addunt inſuper, quod licèt revelatio aſſumpta pro medio revelet obiectum ſecundum rationes particulares, ex hoc ſolum ſequitur evidentia obiecti quod rationes particulares vt terminant revelationem, & fundant relationem rationis ad ipſam, non verò quoad rationes particulares prout in ſe, & per habitudinem ad propria principia, effectus, vel media particularia, & hoc poſterius requiri, vt obiectum cognoſcatur evidenter quoad rationes particulares, & cum evidentia ſimpliciter tali. Addunt deniquè, quod licèt res, quę revelantur ſint particulares, id tamen quod per ſe ex evidentia revelationis colligitur, eſt ſola ratio revelati, prout importat generalem conceptum rei dictę à Deo, ad quod de materiali ſe habent alię rationes particulares, & habitudines ad ſpeciales aliàs cauſas vel effectus. Hæc ita prolixè retuli, ne videar ſupprimere contrariorum doctrinam.

24. Sed contra illam militant obiectiones factę, nam ſanè ex præmiſsis à nobis propoſitis non infertur evidenter Myſterium Incarnationis præcisè ſub ratione obiecti terminantis revelationem, & fundantis relationem rationis ad ipſam, ſed ſub ratione particulari Incarnationis Verbi vere ipſa exiſtentis in re ſicut revelatur; quod alia probatione non eget, quam repetitione ipſius ſyllogiſmi, quia evidenter, & ad oculum patet, quod in illis ex illis præmiſsis evidentibus, non infertur: *Ergò Incarnatio terminat revelationem, & fundat relationem rationis ad ipſam*, immò hoc ineptiſsimè, & contra regulas benè arguendi inferretur; ſed legitimè, & evidenter infertur: *Ergò ita eſt, quod Verbum caro factum eſt*, in quo non exprimitur Myſterium Incarnationis vt præcisè terminat revelationem, & fundat relationem rationis ad ipſam, immò hoc pacto non exprimitur, ſed ſolum exprimitur tale Myſterium *vt Incarnatio Verbi vera in re, & vt re ipſa, & in ſe ipſa verè exiſtens*: Ergò hoc pacto infertur evidenter, & fit evidens ex illis præmiſsis evidentibus. Hoc ſanè clariſsimum eſt, & notiſsimum vel cuilibet Dialectico, vndè licèt obſcurari poſsit repetitis reduplicationibus vnicè adhibitis ad confuſione evacuandam evidentiam argomenti, nihil tamen huiuſmodi reduplicationes eius evidentiam, & efficaciam minunt, quia pariter, quælibet, vel evidentiſsima demonſtratio, poſſet ſimilibus reduplicationibus obſcurari: Siquidem in qualibet poſſet quis dicere non inferri conclusionem vt veram in ſe ipſa, & quoad rationem particularem, ſed ſolum vt deductam ex præmiſsis, & ſub ratione communi terminantis illationem ex præmiſsis, & fundantis relationem rationis ad ipſas. Et quamvis quis vrgeret in ipſa concluſione inferri obiectum quoad rationes particulares expenſas in ipſa; poſſet, repetita reduplicatione, id ipſum obſcurari, dicendo, inferri quidem quod rationes particulares vt terminantes illationem, & fundantes, &c. & ſub hac ratione generali, non verò quoad rationes particulares vt veras in ſe ipſis, & per habitudinem ad alia principia, cauſas, vel effectus. & ſic nulla eſſet demonſtratio, quę faceret talem evidentiam conſequentis, quę excluderet fidem, quia poſſet quis reſpondere, concluſionem ſolum eſſe evidentem ſub ratione communi concluſionis illatę ex præmiſsis, ſeu quoad rationem particularem, vt illatam, ſed non credi vt illatam, ſed vt veram in ſe ipſa, quoad rationes particulares.

25. Et quidem, demonſtratio à priori,

ri, qua demonſtratur Dei exiſtentia ex creaturis, iuxta Thomiſtas excludit fidem de exiſtentia Dei: Hanc autem minimè excluderet, ſi valeret prædictus modus reſpondendi per reduplicationes, nam poſſet quis reſpondere talem demonſtrationem ſolum facere evidentiam de exiſtentia Dei vt illata à poſteriori ex effectibus, non verò de illa vt vera in ſe ipſa quoad rationem particularem, & ſic poſſe credi per fidem vt veram in ſe ipſa quoad rationem particularem.

26. Reſpondent Salmantic. eſſe diſparitatem, quia creaturę connectuntur cum exiſtentia Dei ſub conceptu cauſę primę, & quoad rationes concernentes rationem cauſę primę; at revelationem eſſe medium purè extrinſecum, & prorſus commune omnibus revelatis, & nullam rationem particularem concernere. Sed contra eſt primò, quia poſſet etiam quis dicere creaturas connecti quidem cum Deo ſub conceptu cauſę primę, & ſub alijs rationibus, vt illatis ex creaturis, & vt terminantibus dependentiam creaturarum, & illationem à poſteriori, non autem ſub illo conceptu, & quoad illas rationes vt veras in ſe ipſis. Contra ſecundò, quia falſum eſt, quod revelatio ſit medium prorſus commune omnibus revelatis, quia revelatio, dum aſſumitur pro medio ad probandum aliquod Myſterium, v. g. Incarnationem Verbi, non aſſumitur revelatio purè in communi, ſed revelatio particularis particulariter revelans, quod *Verbum caro factum eſt*: Sed huiuſmodi revelatio non eſt medium prorſus commune omnibus revelatis, non enim omnia revelantur per hanc revelationem, ſed eſt medium proprium, & particulare illi Myſterio, quia illud ſolum in particulari revelatur per illam, & nullum aliud: Ergò. Vndè in hoc prorſus falluntur, ſeu ęquivocantur ex in conſideratione prædicti Authores, appellantes revelationem medium commune, forſan quia omnibus Myſterijs eſt quid commune eſſe revelata; & non conſiderant, quod ſingula Myſteria ſingulis revelationibus revelantur, & in quantum revelatur vnum, per eandem revelationem non revelatur aliud; & item quod medium aſſumptum in præfacto ſyllogiſmo continente evidentiam in atteſtante, non eſt revelatio vt ſic, ſeu revelatio Myſteriorum in communi, ſed eſt revelatio huius Myſterij in particulari, & vt applicata, & contracta ad hoc ſingulare Myſterium; hoc autem pacto, quis dicat eſſe medium prorſus commune omnibus revelatis?

27. Confirmatur: Revelatio Trinitatis magis connectitur cum Deo vt Trino, ſub conceptu Trinitatis, & quoad rationes explicitè importatas in conceptu Trinitatis, quam creaturę cū Deo ſub ratione primę cauſę, ſiquidem illa revelatio non eſt revelatio Dei vt ſic, ſed ſub ratione propria Trini in perſonis, & hanc propriam, & peculiarem rationem revelat, & exprimit, & cum illa connectitur: Ergò quando illa revelatio eſt evidens, & evidenter vera, infert evidentiam Dei ſub ratione illa Deo intrinſeca, propria, & peculiari: Ergò non relinquit locum fidei de Deo quoad illam rationem, ſicut connexio creaturarum cum Deo ſub ratione primę cauſę, quando eſt evidens, non relinquit locum fidei de Deo ſub illa ratione. Vrgetur: Quia ſi revelatio appellatur medium commune, quia omnia Myſteria ſunt revelata, pariter Dei prædefinitio, & prædeterminatio poſſet appellari medium commune omnibus futuris, quia omnia futura ſunt à Deo præfinita, & prædeterminata, & ſic evidentia, quam Beati, & ipſe Deus habent de futuris in divina prædefinitione, & prædeterminatione, erit evidentia per medium extrinſecum, & commune omnibus futuris; & dici poterit, quod prædeterminatio ſolum infert rem prædeterminatam ſub ratione communi prædeterminatę, non vt veram in ſe, & ſic evidentia futuri in Dei prædefinitione non erit evidentia ſimpliciter talis, quę fidē de ſe excludat: Hoc autē quis dicat? Sed cur rogo id dici nō poteſt? Sanè, quia Dei prædefinitio eſt mediū, in quo cognoſcūtur infallibiliter futura, non quidem ſub ratione prædefinitionis in communi, ſed ſub ratione prædefinitionis huius, & illius futuri in particulari v. g. vt prædefinitio de Anti-Chriſto futuro eſt medium, in quo evidenter cognoſcitur Anti-Chriſtus futurus, & vt prædefinitio alterius obiecti, eſt medium in quo illud futurum cognoſcitur, & ſic de alijs: Sed hoc ipſum contingit in revelatione, quia illa ad cognoſcendum Myſterium Incarnationis, v. g. non eſt medium ſub ratione revelationis in communi præcisè, ſed in quantum peculiariter eſt revelatio talis Myſterij, & ſic de alijs: Ergò dici nequit, quod illa eſt medium purè commune omnibus revelatis, & nulli Myſterio peculiare.

28. Et idem argumentum fit de evidentia, quam Chriſto concedunt Theologi per ſcientiam infuſam de Myſterio Trinitatis per medium viſionis Beatę, & de alijs, quę ipſa viſio Beata repræſentat, & videt; nam hæc etiam evidentia poſſet dici per medium commune omnibus viſis per illam viſionem, & quod illa viſio ſolum connectitur, & infert Trinitatem vt viſam, & ſub ratione communi viſę: Hoc autem nemo hucuſque dixit: Ergò nec id dici poteſt de revelatione evidenter cognita, &

Ddd 2 aſſump-

aſſumpta pro medio ad cognoſcendam evidenter rem revelatam.

29. Nec ſatisfacies, ſi dicas, eſſe diſparitatem, quia decretum ſeù prædefinitio videtur quiditativè à Deo, & à Beatis, & ſimiliter viſio Beata videtur à Christo per ſcientiam infuſam, & cognoſcitur quidditativè, & conſequenter quoad rationem particularem talis; ſed revelatio per evidentiam in atteſtante non cognoſcitur evidenter quidditativè, ſed ſolum quoad *an eſt*. Contra enim eſt, quia ad generandam evidentiam concluſionis quoad *an eſt*, non requiritur cognitio evidens medij quoad *quid eſt*, ſeù quidditativa, ſed ſatis eſt evidentia medij connexi quoad *an eſt*, nam evidentia medij quoad *quid eſt*, ſolum requiri poteſt per ſe ad evidentiam concluſionis quoad *quid eſt*: Ergò licèt per evidentiam in atteſtante ſolum cognoſcatur evidenter revelatio quoad *an eſt*, hæc evidentia ſufficit ad faciendam evidentiam rei revelatę quoad *an eſt*: Hoc autem, & nihil ampliùs prætendimus, quia evidentia obiecti, quoad *an eſt*, ſatis eſt ad excludendam fidem de tali obiecto, quoad *an eſt*, vt ſupponunt Thomiſtę *in præſenti*, & patet in evidentia, qua à poſteriori cognoſcimus exiſtentiam Dei ſolum quoad *an eſt*, quę excludit fidem de ipſa Dei exiſtentia, vt fatentur PP. Salmant. Contra ſecundò, quia propterea evidentia quiditativa divinę prædifinitionis, facit evidentiam rei prædefinitę ſecundum rationes particulares, quia per talem evidentiam quiditativam cognoſcitur prædifinitio vt prædefinitio obiecti quoad rationes particulares obiecti, & non ſolum in confuſo: Sed per evidentiam in atteſtante de revelatione Trinitatis, quamvis non ſit quiditativa, cognoſcitur evidenter revelatio, non ſolum in confuſo, ſed ſpecialiter, & diſtinctè vt eſt revelatio Trinitatis in particulari, & ſic etiam de revelatione Incarnationis, quia ſupponimus habentem talem evidentiam cognoſcere evidenter, non ſolum Deum aliquid in confuſo revelare, ſed determinatè revelare tale Myſterium, immò, & ſenſum determinatum in quo illud Myſterium revelat: Ergò licèt id ſolum cognoſcat quoad *an eſt*, ſi tamen illud cognoſcit evidenter, facit evidentiam de Myſterio illo in ſingulari, & quoad rationem ſpecialem illius, ſaltèm quoad *an eſt*. Contra tertiò, quia etiam per evidentiam in atteſtante poteſt cognoſci revelatio quidditativè, ſaltèm quoad connotatum ſpeciale illius revelationis, quia tale connotatum eſt quid creatum, & conſequenter cognoſcibile quidditativè, immò, & comprehenſivè extra Verbum: Sed ratione illius connotati importat revelatio connexionem ſpecialem cũ Myſterio, nam rectum revelationis, præciſivè à connotato, eſt ſola entitas, & actualitas neceſſaria, & abſoluta Dei, quę talem de ſe connexionem non dicit: Ergò per evidentiam in atteſtante cognoſci poteſt, ſeù cognoſcitur etiam quidditativè revelatio ſecundum quod eſt connexa cum Myſterio: Ergò nulla eſt diſparitas adhùc ex hac parte.

30. Sed revertamur ad reduplicationes explicatas à PP. Salmant. Contra illas ſic arguo, quia imprimis diſtinctio illa *obiecti, vt revelati*, ſecundum quod dicit denominationẽ extrinſecã revelati, à ſe ipſo ſecundũ quod importat in recto ipſum obiectum vt terminans revelationem, & fundans relationem rationis ad ipſum, non eſt ita clara, & intelligibilis, vt videtur cõtrarijs. Nam rogo, quid eſt aliud in obiecto revelato, terminare revelationem, niſi extrinſecè revelari? Sanè terminare revelationem, nõ eſt exercitium aliquod intrinſecum obiecto, nec activum, nec paſſivum, non activum, quia obiectum, dum terminat revelationem, nihil intrinſecè agit; nec paſſivum, quia nihil etiam intrinſecè patitur: Ergò eſt exercitium purè extrinſecum, nempè, purè extrinſecè revelari: Sed hoc eſt formaliſſimè denominatio extrinſecè revelati: Ergò nulla eſt diſtinctio inter obiectum terminare revelationem, & extrinſecè revelari, ſeù denominari revelatum: Et conſequenter, quidquid dicas de obiecto vt extrinſecè denominato à revelatione, debes dicere de ipſo vt terminante revelationem. Et idem dicendum de illa reduplicatione, *vt fundat relationem rationis ad revelationem*, quia vt communiter docẽt Logici, denominatio extrinſeca non eſt formaliter ens rationis, ſed ſolum fundamentaliter, quatenus fundat reſpectum rationis ſubiecti denominati ad formam denominantem: Ergò idem eſt fundare reſpectum rationis ad revelationem extrinſecè denominantem, ac denominari extrinſecè revelatum: Vbi ergò diſtinctio inter vnam reduplicationem, & aliam?

31. Solum ergò diſtinctio poteſt eſſe, inter obiectum reduplicativè vt revelatum, & ipſum ſpecificativè revelatum, inter obiectum reduplicativè vt terminans revelationem, & obiectum ſpecificativè terminans revelationem: Et ſic dici poterit, quod in præmiſſis ponitur obiectum reduplicativè vt revelatum, ſeù, quod idem eſt, reduplicativè vt terminans revelationem; ſed in conſequenti infertur evidenter ipſum obiectum ſpecificativè terminans, ſeù ſpecificativè revelatum, non reduplicativè vt tale, ſed vt verùm re ipſa in ſe ipſo ſecundum propriam, & ſpecificam rationem revelatam:

Et

Et hoc pacto fateor, quod medium, nempè ratio *revelati*, non intrabit in concluſione, & ſalvabitur ſufficiens diſtinctió conſequentis à præmiſſis; verumtamen iam non infertur in conſequenti Myſterium reduplicativè vt revelatum, nec reduplicativè vt terminans revelationem, ſed infertur Myſterium, quod ſpecificativè revelatum dicitur, vt verum re ipſa, & in ſe ipſo; infertur, non præcisè ſecundum rationem cummunem revelati, ſed ſecundum rationem particularem ſpecificè revelatam, vt veram in ſe ipſa: Et ſic, ſi præmiſſę ſupponantur evidentes, debent inferre evidentiam conſequentis, nempè Myſterij ſpecificè revelati, & quoad rationem particularem revelatam, vt ita re ipſa ſe habeutem ſicut revelatur.

32. Poteſt item diſtingui illa reduplicatio in duos ſenſus, nempè vel ita quod ly *vt revelatum*, reduplicet rationem revelati, vt motivum conſequentis illati, ſeù tanquam rationem inferendi, vel ita vt reduplicet rationem revelati vt obiectum terminativum, ſeù vt rationem illatam in conſequenti. Verum quidem eſt, quod in ſyllogiſmo ſuprà facto, infertur Myſterium Incarnationis in conſequenti *vt revelatum*, ſi ly *vt* reduplicet obiectum, ſeù rationem motivam inferendi, nam obiectum motivum, ſeù ratio motiva inferendi, quod *Verbum caro factum eſt*, eſt quia id eſt revelatum, & ſic infertur vt revelatum motivè. Sed falſum eſt, quod ſolum inferatur vt revelatum terminativè, nempè, reduplicando rationem revelati, vt rationem illatam, quia aliàs in illo ſyllogiſmo ſolum inferri poſſet, Myſterium Incarnrtionis eſſe revelatű, ſeù convenire illi tantum rationem revelati, quod quidem falſiſsimum eſt, quia id non infertur terminativè, ſed eſt medium, & ratio inferendi. Cæterum, hac diſtinctione ſuppoſita, apertè ſequitur, quod ſi præmiſſę illius ſyllogiſmi ſupponantur evidentes, faciunt evidentiam conſequentis, ſeù Myſterij, *vt revelati motivè*, quia talis evidenria eſt evidentia Myſterij ex motivo revelationis evidenter præcognitę, ſeù quia evidentet ſupponitur revelatum; falſum tamen eſt, quod ſolum faciant evidentiam Myſteri *vt revelati*, ly *vt* reduplicante rationem terminativam evidentię, quia ratio revelati, ſeù quod Myſterium illud ſit revelatum, non eſt ratio ad quam terminatur evidentia conſequentis, ſed ſolum ratio ex qua movetur: Reſtat ergò, quod ratio terminativa evidentię in conſequenti non ſit ratio revelati, ſed ratio revelata, non reduplicativè vt revelata, quia ſic eſt motivum inferendi, ſed vt vera in re, quo ſolum pacto eſt illata.

33. Vndè ſic argumentor primo: In prædicto ſyllogiſmo Myſterium ſub ratione revelati, ſeù reduplicativè vt revelatum, eſt ratio, & motivum inferendi: Sed non poteſt Myſterium inferri terminativè ſub eadem ratione, ſub qua eſt ratio motiva inferendi, quia aliàs non diſtingueretur medium, & motivum inferenda, & conſequenti illatio, nec ratio inferendi, à ratione illata, quod eſt contra rationem recti ſyllogiſmi: Ergò in conſequenti infertur evidentei Myſterium ſub alia ratione terminativa, quam ſub ratione revelati: Ergò infertur vt verum in ſe ipſo ſub ratione propria talis Myſtetij, quę revelata ſupponitur. Nec repetas diſtinctionem illius reduplicationis, dicendo, quod Myſterium vt revelatum per extrinſecam denominationem eſt medium, & ratio inferendi, & vt revelatum terminativè, ſeù vt terminans revelationem, eſt ratio illata. Nam, rogo, quid amplius dicit terminare revelationem, quam extrinſecè revelari, ſeù eſſe revelatum? Sanè dum dicitur in minori præmiſſa: *Deus revelat Myſterium Incarnationis*, v. g. per hoc formaliter dicitur: *Myſterium Incarnationis revelatur à Deo*: *Myſterium Incarnationis terminat revelationem Dei*; quia hæc omnia ſunt ſynonima: Ergò in conſequenti aliquid amplius debet inferri, nempè, quod Myſterium ita ſit re ipſa in ſe ipſo, ſeù quod re ipſa Verbum aſſumpſit Carnem: Ergò de hoc eſt evidentia conſequenti, quando præmiſſę ſupponuntur evidentes.

34. Secundò, formando ſic ſyllogiſmum: *Quidquid Deus revelavit ita eſt re ipſa in ſe ipſo, ſicut revelatur eſſe*: *Sed Deus revelavit Myſterium Incarnationis dicens*: *Verbum caro factum eſt*: *Ergò tale Myſterium ita eſt re ipſa, & in ſe ipſo, nempè quod Verbum caro factum eſt*: Quo ſuppoſito, ſic arguo: Præmiſſę ſupponuntur evidentes per evidentiam in atteſtante, minor quidem, quia ſupponitur evidentia revelationis, & ſimilitet maior, quia ſupponitur evidenria de eo quod omnis Dei revelatio eſt eſſentialiter infallibilis, & vera, de eſſentia autem revelationis ſic infallibilis, & verę, eſt, quod obiectum ita ſit re ipſa in ſe ipſo, ſicut revelatur eſſe: Deindè ſyllogiſmus eſt rectus, & evidenter eoncludens: Ergò evidenter in illo concluditur Myſterium, vt ita re ipſa exiſtens in ſe ipſo, nempè, quod re ipſa *Verbum caro factum eſt*: Ergò de hoc non poteſt eſſe fides.

35. Tertio, demus enim contrarijs, quod ex evidentia in atteſtante ſolum fiat evidens Myſterium vt revelatum, & ſub ratione communi revelati, putabunt forſan ex hoc præcisè, iam rem actam, & partam victoriam. Sed en

en iſtę ipſę reduplicationes in ipſos recidunt, vndè ex ipſis, ſic arguo : Non aliter credi poteſt Myſterium per fidem,niſi vt revelatum , & ſub ratione communi revelari : Sed per vos per evidentiam in atteſtante fit evidens Myſterium vt revelatum,& ſub ratione communi revelati: Ergò ſuppoſita evidentia in atteſtante , non poteſt credi per fidem Myſterium revelatum. Patet conſequentia, quia evidentia , & fides non poſſunt eſſe de eodem,ſub eadem formali ratione. Maior verò facilè probatur,quia non poteſt eredi Myſterium per fidem,niſi vt obiectũ fidei: Sed obiectũ fidei ſoliũ,& vnicè eſt revelatũ,ſub ratione revelati : Ergò non aliter credi poteſt Myſteriũ per fidẽ, niſi vt revelatum , & ſub ratione communi revelati. Explicatur : Non poteſt credi Myſterium,niſi vt revelatum,& ſub ratione communi revelati, quia ita , & non aliter eſt obiectum fidei : Sed ita credi non poteſt, quando datur evidentia in atteſtante : Ergò nullo modo tunc eredi poteſt : Ergò per evidentiam in atteſtante excluditur fides : Probo minorem, quia eredi nequit myſterium ſub ea ratione,ſub qua ſupponitur evidens intellectui , quia fides implicat quod ſit de obiecto evidenti, vt evidenti, & ſub ea ratione, ſub qua ſupponitur evidens,vt nemo negat,nec ex ipſis, qui ſcientiam ſtrictè talem cum fide conciliant. Sed , quando datur evidentia in atteſtante,ſupponitur Myſterium evidens intellectui vt revelatum, & ſub ratione revelati : Ergò tunc credi nequit per fidem vt revelatum , nec ſub ratione revelati : Ergò nullo modo , quia aliter per fidem eredi nequit.

36. Si dicas , poſſe credi per fidem vt verum in ſe ipſo, ſecundum propriam,& intrinſecam rationem. Contra eſt , quia fidei obiectum non eſt Myſterium vt verum in ſe ipſo, ſecundum intrinſecam rationem , non enim obiectum formale fidei eſt veritas intrinſeca Myſterij, vt cum communi Theologorum diximus ſuprà , *diſputat.* 1. *quæſt.* 1. *num.* 32. & *quæſt.* 2. *num.* 127. ſed veritas Dei in dicendo, ſeù veritas divinę revelationis : Ergò credi nequit per fidem vt verum intrinſecè in ſe ipſo , ſed ſolum vt revelatum, & ſub ratione revelati.

37. Dices : per fidem credi Myſterium vt revelatum motivè, & ſub ratione motiva revelati,quia obiectum motivum fidei eſt ratio revelati, ſed non eredi tantum vt revelatum terminativè, quia obiectum terminativum,fidei non eſt de neceſsitate ratio communis revelati, ſed poteſt eſſe Myſterium vt verum in ſe ipſo,

38. Rectè quidem, ſed cur pariter diei non poterit, quod dum per evidentiam in atteſtante intellectus evidenter cognoſcit Myſterium revelatum,illa evidentia reſpicit quidem motivè rationem revelati , quę aſſumitur pro medio , ſed terminativè ſolam rationem intrinſecam Myſterij? Seù quod reſpicit Myſterium reduplicativè vt revelatum purè motivè,ſed terminativè vt verum in ſe ipſo? Sanè ſicut,quando intellectus per fidem ſimplici aſſenſu cognoſcit Myſterium , quia revelatum , obiectum motivum eſt , *quia revelatum* , ſed terminativum eſt Myſterium vt verum in ſe ipſo, ita , quando intellectus per evidentem diſcurſum cognoſcit Myſterium quia revelatum, obiectum quidem motivum erit revelatio, ſeù Myſterium vt revelatum, prout cognoſcitur in præmiſsis, ſed terminativum talis evidentię erit Myſterium vt verum in ſe ipſo. Nullam enim rationem aſsignabunt contrarij, cur fides myſterij quia revelati, ſit fides Myſterij vt veri in ſe ipſo , ex parte obiecti terminativi , & evidentia Myſterij quia revelati, non ſit evidentia illius vt veri in ſe ipſo ex parte obiecti terminativi;nec cur fides Myſterij ſolum reſpiciat motivè rationem communem revelati,evidentia verò debeat illam reſpicere non ſolum motivè , ſed etiam terminativè.

39. Ex quo vrgentius formatur ratio probativa concluſionis , hoc pacto : Fides, & evidentia non poſſunt ſimùl eſſe in eodem intellectu reſpectu eiuſdem obiecti ſub eadem ratione motiva, & terminativa , quia aliàs idem obiectum ſub eadem ratione motiva , & terminativa eſſet ſimùl evidens, & inevidens,clarum, & obſcurum eidem intellectui , quod manifeſtè implicat contradictionem : Sed fides , & evidentia in atteſtante reſpectu eiuſdem Myſterij, ſeù obiecti, reſpiciunt neceſſario illud ſub eadem ratione formali motiva, & terminativa : Ergò non poſſunt ſimùl eſſe in eodem intellectu. Probatur minor, quia, ſi iuxta ipſos contrarios evidentia in atteſtante facit evidens Myſterium ſolum ſub ratione motiva revelati, etiam fides ſolum reſpicit Myſterium ſub ratione motiva revelati, item ſi fides eredit Myſterium quoad rationem particularem , & propriam,& vt verum in ſe ipſo ex parte obiecti terminativi , etiam evidentia in atteſtante facit evidens Myſterium, quoad rationem propriam , & particularem, & vt verum in ſe ipſo ex parte obiecti terminativi talis evidentię, quia evidentia Myſterij , quę ex præmiſsis evidentibus infertur in conſequenti, licèt motivè reſpiciat Myſterium vt revelatum, quatenus eſt medium inferendi, terminativè tamen non reſpicit in conſequenti Myſterium vt revelatum , ſed Myſterium abſolutè in ſe ipſo

ſed

ſecundum proptiam rationem : Ergò evidentia in atteſtante, & fides reſpectu eiuſdem Myſterij reſpiciunt neceſſario illud ſub eadem ratione formali motiva, & quoad eandem rationem terminativam.

40. Si autem importunè repetas, quod evidentia in atteſtante, adhùc ex parte conſequéntis, non facit Myſterium evidens terminativè, niſi vt terminat revelationem, nec quoad rationes proprias, & habitudines ad alia principia; vel effectus, ſed ſolum quoad rationes terminantes revelationem, ſeù revelatas; pariter dico, & arguo, quod nec fides poteſt aliter credere Myſterium, adhùc terminativè, niſi vt terminat revelationem, & quoad rationes terminantes revelationem, ſeù revelatas, quia fides divina nihil credit, niſi vt revelatum, & ſecundum rationem terminantem revelationem, non autem quoad rationes alias proprias, & habitudines ad ad alia principia, vel effectus, quia iſtę habitudines, non per fidem, ſed per ſcientiam noſcuntur. Si demum dicas, quod evidentia illa, adhùc terminativè, non reſpicit Myſterium, nec rationes intrinſecas Myſterij, niſi vt connotantes revelationem, pariter arguam, quod fides non poteſt credere, adhùc terminativè, Myſterium, nec rationes intrinſecas Myſterij, niſi vt connotantes revelationem, quia non poteſt attingere obiectum terminativum, niſi vt connotans motivum: Ergò tandem concluditur, ex ipſis reduplicationibus contrariorum, per nullam poſſe limitari evidentiam in atteſtante, per quam pariter non limitetur fides, nullamque poſſe applicari obiecto vt evidenter illato ex præmiſsis evidentis atteſtationis, quę non debeat neceſſario applicari obiecto terminativo fidei, & conſequenter, fidem, & evidentiam in atteſtante reſpectu eiuſdem Myſterij reſpicere eandem omninò rationem motivam, & terminativam, & non poſſe eſſe ſimùl.

41. Confirmatur contra Ieſuitas, quia propterea iſti tenent ſcientiam, & fidem poſſe ſimùl cohærere, quia ſunt per diſtincta media, nempè fides de exiſtentia Dei eſt pro medium, & motivum revelationis, ſed ſcientia eſt per effectus creatos: Sed fides, & evidentia in atteſtante non ſunt per diverſa media, ſed per idem, nam motivum, & medium evidentię in atteſtante eſt quia Deus revelat, & eius revelatio eſt eſſentialiter infallibilis, & hoc ipſiſsimum eſt medium, & motivum fidei: Ergò non poſſunt eſſe ſimùl in eodem intellectu reſpectu eiuſdem obiecti.

(∴)

ALIA EVASIO
præcluditur.

42. QVINTO reſpondet P. Tyrſo *cap. 3. num.* 72. quod licèt per evidentiam in atteſtante fiat evidens Myſterium prædicto modo, talis evidentia non opponitur cum fide, quia fides ſolum debet eſſe de non apparentibus, nec evidentibus per ſe, id eſt, de his, quę per principia naturalia non ſunt nobis evidenter nota, ac proindè implicare, quod quis per fidem credat propter teſtimoninm Dei illud ipſum, quod aliundè independenter à tali teſtimonio, vel per ſenſum vider, vel per intellectum evidenter cognoſcit, non autem repugnare quod quis ob Authoritatem Dei credat illud ipſum, quod ex vi eiuſdem divini teſtimonij ſibi evidenter noti, & ex vi alterius præmiſſę evidenter quoque cognitę, cognoſcit per diſcurſum, eſſe verum.

43. Idque dedducit ex Div. Thom. *in præſenti, quæſt. 1. art. 4. in corp.* dicente: *Aſſentitur intellectus alicui dupliciter, vno modo, quia ad hoc movetur ab ipſo obiecto, quod eſt per ſe ipſum cognitum, ſicut patet in primis principijs, quorum eſt intellectus, vel eſt per aliud cognitum, ſicut patet de conclusionibus, quarum eſt ſcientia. Alio modo intellectus aſſentitur alicui, non quia ſufficienter moveatur ab obiecto proprio, ſed per quandam electionem voluntariè declinans in vnam partem magis, quam in aliam, & ſiquidem exit cum dubitatione, & formidine, erit opinio; ſi autem ſit cum certitudine, abſque formidine, erit fides.* Hinc deducit S. D. *Quod nec fides, nec opinio poteſt eſſe de ipſis viſis, aut ſecundum ſenſum, aut ſecundum intellectum.* Et *artic.* 5. probat, non poſſe quem credere per fidem, quod cognoſcit evidenter per ſcientiam, *quia omnis ſcientia habetur per aliqua principia per ſe nota, & per conſequens viſa, non eſt autem poſsibile, quod idem ab eodem ſit viſum, & creditum.* Hæc S. Thom. & hucuſque R. Tyrſo.

44. Miratus ſum tamen, dum legi, quod ex hac Div. Thom. doctrina deducere ſe dicat ſuam ex diametto oppoſitam. Contra quam ſic arguo primò, quia per te implicat, quod quis credat propter teſtimoninm Dei, illud ipſum quod aliundè per intellectum evidenter cognoſcit: Sed magis implicat, quod per fidem credat propter divinum teſtimonium illud ipſum, quod ex vi eiuſdem teſtimonij vt evidenter præcogniti, evidenter ſcit, & cognoſcit: Ergò. Probatur minor, quia magis implicatet ſimùl evidentia, & fides ex vi eiuſdem

dem motivi, quam fides ex vno motivo, & evidentia aliundè, vt ex terminis liquet. Secundò quia iuxta doctrinam Div. Thom. ab ipſo allatam, tunc datur fides, quando intellectus aſſentit alicui, non quia ſufficienter moveatur ab obiecto, ſed per quandam electionem voluntatiè declinans in vnam partem ſine formidine alterius: Sed quando datur evidentia in atteſtante, per quam quis evidenter cognoſcit Deum revelare Trinitatem, & eius revelationem eſſe eſſentialiter veram, ex hoc obiecto, nedum ſufficienter, ſed efficaciter movetur, & convincitur, vt aſſentiatur Trinitatem eſſe veram, independenter ab electione voluntatis, vt etiam per ſe patet: Ergò iuxta Div. Thom. tunc non eſt fidei locus, ſed cum tali evidentia implicat fides. Tertiò: Iuxta Div. Thom. non eſt poſſibile quod idem ab eodem ſit dictum, & creditum, quia, quæcumque ſunt ſcita, aliquomodo ſunt viſa, nempè in principijs evidenter notis, ex quibus inferuntur evidenter: Sed dum quis evidenter cognoſcitit Deum eſſe Trinum; ex illis principijs ſibi evidentibus, *quidquid Deus revelat ita eſt*: *Deus revelat ſe eſſe Trinum*, Deum eſſe Trinum eſt quodammodo viſum, nempè in illis principijs, ſeu, vt dicitur, in atteſtante: Ergò non poteſt eſſe ſimul creditum, potiſſimè cum fides non poſſit tunc eſſe ex alio motivo. Quartò, quia implicat intellectum aſſentiri Myſterio convictum ex præmiſſis evidentibus, & evidenter illud inferentibus, & illi ſimul aſſentiri per fidem, quę eſſentialiter exigit intellectum nō aſſentire convictum, & neceſſitatum ab obiecto proprio, ſed liberè, & ex imperio voluntatis: Sed per evidentiam in atteſtante intellectus convincitur, & neceſſitatur ad aſſenſum Myſterij: Ergò excluditur fides ipſius Myſterij.

45. Reſpondet P. Tyrſo *num.* 63. quod, quando intellectus neceſſitatur ex præmiſſis relatis ad iſtam concluſionem *Deus eſt Trinus*, concluſio iſta non eſt actus fidei, quia fides nō eſt diſcurſiva, & quia intellectus illi aſſentitur convictus, & neceſſitatus; cæterum hoc non obeſt, vt poſſit liberè, & ex imperio voluntatis aſſentiri illi Myſterio per actum fidei non diſcurſivum, nec vi illationis exercitum, ſed credendo Myſterium ſimplici aſſenſu, quia revelatum, & vnicè ob Authoritatem Dei dicentis.

46. Sed contra eſt, quia concluſio illa, nedum non eſt actus fidei, ſed eſt actus incompatibilis cum aſſenſu fidei: Ergò ſi ex vi præmiſſarum illarum evidenter cognitarum neceſſitatur intellectus ad concluſionem illam, neceſſitatur ad non eliciendum actum fidei, ſeu impoſſibilitatur ad fidei aſſenſum. Probatur antecedens, quia incompatibile eſt; quod ex eodem motivo evidenter cognito aſſentiatur intellectus liberè, & neceſſario eidem obiecto: Sed concluſio illa eſt aſſenſus neceſſarius, & aſſenſus fidei, ſi daretur, eſſet liber, & eſſent ex eodem motivo evidenter cognito: Ergò aſſenſus ille concluſionis neceſſarius eſt incompatibilis cum aſſenſu fidei eiuſdem obiecti.

47. Confirmatur, & explicatur primò: Evidentia in atteſtante completa, de qua loquimur, eſt evidentia divinę Authoritatis vt revelantis Myſterium in ſenſu determinato: Item divina Authoritas revelans, vt ſic evidenter cognita, per vos movet neceſſario, & efficaciter intellectum ſine indifferentia vlla, ad aſſenſum evidentem Myſterij, tanquam ad concluſionem illatam evidenter per diſcurſum: Sed implicat quod in ſenſu compoſito intellectus eliciat aſſenſum fidei circa illud Myſterium revelatum: Ergò. Probo minorem; quia implicat quod intellectus eliciat aſſenſum fidei, niſi moveatur cum indifferentia, & liberè ex Authoritate divina vt revelante, quia aſſenſus fidei eſſentialiter eſt actus intellectus moti ex Authoritate divina vt revelante, moti inquam liberè, & non neceſſitati, nec convicti, moti cum indifferentia determinanda à voluntate, ſed non cum efficacia rapiente, & convincente intellectū independenter à voluntate: Sed implicat quod intellectus, dum efficaciter, & ſine indifferentia movetur, neceſſitatur, & convincitur ex Authoritate divina evidenter cognita ad aſſenſum Myſterij, in ſenſu compoſito moveatur liberè, ſine neceſſitate, & cum indifferentia ad aſſenſum eiuſdem Myſterij, & in eodem ſenſu: Ergò implicat, quod in ſenſu compoſito eliciat aſſenſum fidei circa illud idem Myſterium. Explicatur ſecundò: Implicat, quod eadem bonitas eodem modo cognita neceſſitet voluntatem ad amorem alienius obiecti, & moveat ſimul cum indifferentia ad amorem eiuſdem omninò obiecti; vndè quia bonitas divina vt viſa in ſe rapit voluntatem, & eam neceſſitat ad amorem ipſius Dei vt eſt in ſe ipſo, implicat quod vi ſic viſa moveat cum indifferentia, & libertate ad amorem ipſiuſmet Dei in ſe ipſo; licèt enim aliqui admittant in Anima Chriſti ſimul amorem liberum, & amorem neceſſarium, vel dicunt illos duos amores reſpicere diſtincta obiecta terminativa, vel moveri vnum ex bonitate divina viſa in ſe, & alium ex illa vt abſtractivè cognita, nullus tamen admiſit amorem liberum, & neceſſarium ſimul reſpectu eiuſdem obiecti terminativi, & ex eodem motivo eodem

dem modo cognito.: Ergò multò minus poterit intellectus ex eodem motivo, nempè ex divina authoritate vt revelante, eodem modo cognita, nempè per evidentiam in atteſtante, moveri ſimùl liberè, & neceſſariò, ad aſſenſum liberum, & aſſenſum neceſſarium reſpectu eiuſdem omninò obiecti terminativi, nempè reſpectu eiuſdem myſterij in eodem ſenſu accepti.

48. Dices forſan, non eſſe motivum omninò idem, quia dum authoritas divina movet per diſcurſum ad aſſenſum neceſſarium concluſionis, motivum non eſt ſola authoritas divina, vt revelans, ſed etiam bonitas conſequentię, ſeù illationis: At dum movet abſque diſcurſu ad ſimplicem aſſenſum ob ſolam authoritatem Dei revelantem, motivum non eſt bonitas illationis, ſed ſola authoritas divina revelans, licèt evidenter præcognita. Sed contra, quia vt ſuprà *quæſt.* 3. *num.* 26. arguebamus contra præfatum authorem, aſſenſus ille evidens concluſionis, licèt per diſcurſum, non movetur ſignatè ex bonitate illationis, nam illatio ſolum exercetur in illo diſcurſu, vndè vnicè movetur ſignatè ex authoritate divina revelante evidenter præcognita: Sed ex hac etiam deberet moveri aſſenſus fidei, vt evidenter præcognita: Ergò motivum eſſet omninò idem. Contra ſecundo: Quia ſuppoſita authoritate divina revelante, vt evidenter præcognita, implicat, quod moveat ad aſſenſum myſterij revelati, niſi per diſcurſum: Sed per te, aſſenſus motus per diſcurſum non eſt aſſenſus fidei: Ergò implicat, quod ſic cognita moveat ad aſſenſum fidei. Probo maiorem, nam authoritas divina revelans, vt evidenter præcognita, conſiſtit in in his duabus præmiſſis, *Deus eſt infallibilis in omni eo, quod dicit: Dicit ſe eſſe trinum*, vt evidenter præcognitis: Sed iſtę præmiſſę, vt evidenter præcognitę, non alitèr poſſunt movere ad aſſenſum myſterij Trinitatis, v. g. niſi per diſcurſum: Ergò nec authoritas divina vt evidenter præcognita. Probo minorem, quia illę præmiſſę important evidenter connexionem, & illationem myſterij revelati: Sed præmiſſę evidenter præcognitę, & evidenter connexę ſeù inferentes myſterium, non aliter movent ad aſſenſum myſterij, niſi per evidentem diſcurſum: Ergò.

49. Vidè ſuprà, *diſput.* 1. *quæſt.* 13. *à num.* 17. vbi apprimè ſuadetur contra Suarez hoc ipſum. Explicatur, quia omnis tranſitus ex vno obiecto evidenter cognito vt *quod*, & vt evidenter connexo cum alio, ad cognitionem alterius, cum quo evidenter connectitur, eſt formaliſsimè diſcurſus; non enim in alio conſiſtit formaliter diſcurſus, niſi in tali tranſitu: Sed revelatio divina evidenter præcognita vt infallibilis eſt obiectum evidenter præcognitum vt connexum cum myſterio revelato: Ergò dum talis revelatio evidenter cognoſcitur vt infallibilis, non poteſt intellectus ex illa moveri, & conſequenter tranſire ad aſſenſum myſterij, niſi per diſcurſum. Minor patet, quia revelatio divina vt infallibilis formaliter importat connexionem ipſius cum eo quod myſterium ita ſit, nam, quid eſt, formaliſsimè loquendo, ipſam eſſe infallibilem, niſi non poſſe revelare myſterium, quin myſterium ita ſit, ſicut revelatur? Quid autem eſt hoc, niſi eſſe connexam cum veritate myſterij? Eſt ergò idem formaliſsimè ipſam eſſe infallibilem, ac eſſe infallibiliter connexam cum eo quod myſterium ita ſit: Ergò idem eſt formaliſsimè ipſam evidenter cognoſci vt *quod*, & cognoſci evidenter vt infallibilem, ac cognoſci evidenter ipſam, & cognoſci evidenter vt connexam infallibilitèr cum eo quod myſterium ita ſit: Ergò revelatio divina evidenter præcognita, vt revelans, & vt infallibilis, eſt obiectum evidenter præcognitum vt connexum infallibiliter cum eo quod myſterium ita ſit. Ex quo.

50. Confirmatur primò, quia dum movet revelatio evidenter cognita vt infallibilis, movet neceſſariò vi connexionis evidenter cognitę, quia movet vi infallibilitatis evidenter cognitę, quę infallibilitas eſt formaliter connexio cum eo quod obiectum ita ſit: Sed implicat movere vi connexionis evidenter cognitę, quin moveat per diſcurſum: Ergò. Secundò, quia dum cognita evidenter movet efficaciter convincendo intellectum, & ipſum neceſsitando ad aſſenſum myſterij, movet inferendo efficaciter, & irreſiſtibiliter aſſenſum myſterij: Ergò movet in vi illationis ſaltèm exercitę: Sed hoc ſufficit ad motionem per diſcurſum, quia ad verum, & proprium diſcurſum non exigitur, quod moveat illatio ſignatè præcognita: Ergò.

51. Denique confirmatur, ſeù probatur concluſio, quia aſſenſus fidei ſtrictè talis qualis eſt fides Theologica, de qua procedit quæſtio, eſſentialiter eſt aſſenſus obſequioſus Deo, eiuſque authoritati, per quem qui credit captivat ipſe intellectum in obſequium Chriſti: Sed per evidentiam in atteſtante eſſentialiter excluditur huiuſmodi aſſenſus obſequioſus: Ergò & aſſenſus fidei ſtrictè talis, de quo procedit quæſtio. Probo minorem, quia per evidentiam in atteſtante, id eſt, per evidentiam divinę revelationis, & de eo quod ipſa infallibilis eſt, ipſa divina revelatio, ſeù authoritas vt ſic evi-

denter cognita captivat, & convincit irreſiſtibiliter, & invincibiliter intellectum vt non poſſit, nec dubitare quidem de Myſterio, & hoc antecedenter, & independenter ab affectu voluntatis; ſed implicat aliquem antecedenter, & independenter à ſuę voluntatis affectu, ab obiecto efficaciter, & irreſiſtibiliter captivari, & convincit vt non poſsit nec dubitare de Myſterio, & ipſum obſequiosè captivare ſuum intellectum in aſſenſu talis Myſterij: Ergò. Probo minorem, quia implicat aliquem ab obiecto ſub ratione boni invincibiliter rapi, & captivari eius voluntatem vt non poſsit ipſum non amare, & quod obſequiosè, & liberè ſe ipſum captivet per amorem talis obiecti, vndè, ſuppoſita viſione Beata divinę bonitatis, quę ſic viſa irreſiſtibiliter captivat voluntatem Beati, nemo dicit, quod Beatus liberè, & obſequiosè captivat ſuam voluntatem in amorem, aut per amorem divinę bonitatis, aliàs amor ille non eſſet neceſſarius, ſed liber, nec purum premium, ſed obſequium, & meritum: Ergò pariter dum intellectus efficaciter, & irreſiſtibiliter captivatur, & neceſsitatur ab obiecto ſub ratione veri evidenter præcognito. Secundò, quia, dum quis phyſicè captivatur irreſiſtibiliter à potentiore ante ſuę voluntatis affectum, & independenter ab eo, implicat, quod in ſenſu compoſito ipſe captivetur obſequiosè, ſeù in obſequium illius, licèt enim poſſet obſequiosè complacere, & conſentire conſequenter incaptivitate ſui, at ſimùl ſe ipſum obſequiosè captivare, eſt in intelligibile: Ergò pariter, dum intellectus invincibiliter, & irreſiſtibiliter captivatur intentionaliter ab obiecto evidenter præcognito.

ALIA SINGVLARIS evaſio præcluditur.

52. ALITER conatus eſt, noviſsimè D. Ioannes Ferretas, conciliare evidentiam in atteſtante cum aſſenſu fidei, vndè reſpondet, quod licèt revelatio ſecundum adæquatam evidentiam in atteſtante, non poſsit movere ad aſſenſum obſcurum fidei, quia ſecundum adæquatam illam evidentiam neceſſariò, & irreſiſtibiliter convincit, & neceſsitat intellectum ad aſſenſum Myſterij, cum hoc tamen componi poſſe quod moveat ſecundum inadæquatam evidentiam ad aſſenſum obſcurum, nempè conſiderata evidentia revelationis præciſivè ab evidentia infallibilitatis ipſius, licèt enim ſimùl concurrant in eodem intellectu, & evidentia de eo, quod Deus revelat Myſterium, & evidentia de eo, quod revelatio eſt infallibilis, & infallibiliter connexa cum Myſterio, nihilominus tamen in hoc caſu poteſt revelatio movere ſecundum quod evidenter cognoſcitur vt revelans, præciſivè à ſe ipſa, ſecundum quod evidenter cognoſcitur, vt infallibilis, & infallibiliter connexa; & hoc pacto movebit cum indifferentia, & cum obſcuritate, & conſequenter ad aſſenſum obſcurum, quia ſub hac præciſione non facit evidens Myſterium. Et probat, quia ſtante vtraque illa evidentia, poteſt intellectus credere Myſterium, vnicè quia evidenter agnoſcit Deum illud revelare, & non quia evidenter cognoſcit revelationem eſſe infallibilem, ſeù infallibiliter connexam cum Myſterio.

53. Sed hæc evaſio, quamvis ſubtili ingenio excogitata, non minus fragilis, quam ſubtilis eſt, primò, quia ſi in obiecto evidenti adæquatè liceret ſic præſcindere ipſum vt poſſet movere ſecundum vnam rationem evidentem præciſivè ab alia etiam evidenti, poſſet bonitas divina clarè viſa movere ſecundum rationem communem bonitatis viſam, præciſivè à ratione talis, ſeù ſummę bonitatis etiam viſa, & ſic movere cum indifferentia, & libertate ad ſui amorem voluntatem Beati, dum ipſam rapit, & neceſsitat ad ſui amorem: Hoc autem à nemine dictũ eſt, immò, & eſt contra communem ſententiam Theologorum. Immò amplius ſequeretur, nempè, quod poſſet Deus clarè viſus præſcindi ſecundum quod videtur vt revelans, & ſecundum quod videtur vt Deus, & viſus vt revelans movere ad fidem ipſius vt Dei, immò, & viſus vt auxilians præciſivè, movere ad ſpem ſui ipſius vt ſummè boni; & poſſet videns clarè Deum, ipſum ſimùl videre, & credere, ipſum poſsidere, & ſperare ipſum, & hoc regulando ſe vnicè per viſionem Beatam vel adæquatè, vel inadæquatè ſumptam: Quod ſanè falſiſsimum eſt: Ergò.

54. Dices forſan hoc repugnare, quia viſio Beata, cum ſit vna ſimplex viſio, non poteſt in illa præſcindi viſio Dei ſub vna ratione, à viſione Dei ſub alia. Sed contra: Demus, quod evidentia adæquata in atteſtante fiat per vnicam ſimplicem noticiam infuſam, quę evidenter repræſentet revelationem, eius infallibilitatem, & ſenſum determinatum, ſivè quę ſimpliciter, & indiviſibiliter repræſentet evidenter Deum revelare infallibiliter Myſterium in tali ſenſu determinato, quo pacto veroſimile eſt fieri, quando fit: Ergò tunc nequit in illa præſcindi evidentia revelationis vt dicentis, ab evidentia illius vt infallibilis, nec poteſt movere in adæquatè penès vnam evidentiam præciſivè ab alia. Secundò, quia quamvis

fie-

Digitized by Google

fieret talis evidentia duplici notitia diſtincta, dum ſimùl vtroque concurrit in intellectu, vtraque ſimùl exerit totam ſuam vim motivam neceſſariò, & non liberè: Ergò non poteſt præſcindere in movendo, ita vt moveat per vnam præciſivè ab alia.

55. Tertiò, quia ſi hoc poſſet contingere, poſſet revelatio in ſenſu cōpoſito illius adæquatę evidentię ſui, ſuę infallibilitatis, ſuique ſenſus, movere non ſolum ad aſſenſum obſcurum fidei, ſed ad aſſenſum formidoloſum, & opinativum; hoc autem evidenter eſt impoſſibile, nam quomodo revelatio non aliter cognita, niſi evidenter vt infallibiliter revelans myſterium in ſenſu determinato, generabit opinionem formidoloſam de myſterio in tali ſenſu? Sequela autem patet, quia propterea movere poteſt ad aſſenſum obſcurum, quia ſecundum præciſam evidentiam inadæquatam illius vt dicentis, præciſivè ab alijs eivdentijs, non facit evidens myſterium: Sed etiam penès præciſam evidentiam, & certitudinem ipſius vt dicentis, præciſivè à certitudine de eius infallibilitate, aut ſenſu, non facit certum myſterium, nec tollit formidinem: Ergò generare poterit etiam aſſenſum incertum, & formidoloſum.

56. Contra quartò, quia revelatio movere nequit ad aſſenſum fidei præſcindendo ab eius infallibilitate cognita, ſiquidem fides non movetur à revelatione purè vt dicente, ſed etiam vt infallibili, ſeù, vt dicente infallibiliter: Sed ſtante evidentia in atteſtante adæquata, non cognoſcitur vt infallibilis præciſivè ab evidentia infallibilitatis, quia non cognoſcitur vt infallibilis, niſi evidenter, nam ſupponimus non eſſe aliam cognitionem, nec revelationis, nec eius infallibilitatis, niſi evidentiam in atteſtante de his, nivelis cum evidentia in atteſtante coniugere fidem in atteſtante: Ergò tunc movere nequit ad aſſenſum fidei præſcindendo ab eius infallibilitate vt evidenter cognita: Ergò nullo modo. Explicatur: Revelatio evidenter cognita vt infallibiliter revelans myſterium in ſenſu determinato, evidenter demonſtrat intellectui ita illam cognoſcenti myſterium ita eſſe in re ſicut revelatur, quia, niſi fatuus ſit, ex illa ſic evidenter cognita cogitur, & convincitur, vt nec ſuſpendere poſſit iudicium de myſterio; nam quis, niſi fatuus, ita diceret: Evidenter cognoſco, & ſcio Deum mihi dicere quod *Verbum Caro factum eſt*, & quod hoc eius dictum eſt verum, immò infallibile: Sed nihilominus, an ita ſit, quod dicit, vel non? Suſpendo iudicium? Ergò revelatio evidenter cognita vt infallibiliter revelans myſterium, evidenter demonſtrat intellectui illam cognoſcenti myſterium ita eſſe: Ergò vt ſic cognita non poteſt dici medium obſcurum reſpectu myſterij, nec movere ad aſſenſum obſcurum illius: Sed tunc non poteſt aliter movere, quia debet movere cognita, vt infallibilis, & tunc non cognoſcitur vt infallibilis niſi evidenter: Ergò.

57. Contra quintò, quia divina revelatio non eſt motivum fidei, præcisè ſecundum quod aliquid dicit, vel negat, ſed ſecundum quod vera in dicendo, vel negando: Ergò non poteſt movere ad fidem, niſi vt cognita tanquam dicens, & vt vera in dicendo: Sed quando datur evidentia in atteſtante, non niſi evidenter cognoſcitur vt dicens, & vt vera in dicendo: Ergò tunc movere nequit niſi cognita evidenter vt dicens, & vt vera in dicendo: Sed hoc pacto implicat, quod moveat ad aſſenſum obſcurum, ſeù quod moveat cum obſcuritate, & indifferentia: Ergò. Probo hanc minorem, nam idem eſt cognoſci evidenter vt veram, ac cognoſci evidenter obiectum ita eſſe ſicut ab ea dicitur, quia in hoc eius veritas conſiſtit: Sed implicat cognoſci evidenter obiectum ita eſſe ſicut ab ea dicitur, & ex hoc ita evidenter cognito moveri cum obſcuritate ad credendum obſcurè obiectum ita eſſe, vt per ſe patet: Ergò.

58. Reſpondet diſtinguendo duplicem veritatem in revelatione, nempè, & veritatem in eſſendo, & veritatem in dicendo, ſeù repræſentando: Conceptus, inquit, repræſentationis verę præſcindit à connexione in eſſendo cum obiecto repræſentato, nam eſſentia divina repræſentat Beato Petrum, v. g. & non eſt connexa in eſſendo cum illo. Vndè revelatio vt vera in repræſentando non importat connexionem eivdentem cum obiecto revelato, nec facit illud evidens; ac proindè vt vera in repræſentando poteſt movere ad fidem obiecti revelati. Sed contra eſt, quia vt vera adhùc in dicendo, & repræſentando, evidenter importat connexionem cum eo quod obiectum ita ſe habeat ſicut dicitur, & repræſentatur, quia per hoc regulatur evidenter veritas in dicendo, ſeù repræſentando: Sed movet cognita evidenter vt vera in dicendo, & repræſentando: Ergò movet cognita evidenter vt connexa cum eo quod myſterium ita ſe habeat: Sed prout ſic cognita movere nequit ad fidem, quia vt ſic cognita facit evidentiam myſterij, ſeù de eo quod myſterium ita ſe habeat: Ergò. Nec ad rem facit, quod cognoſcatur, vt connexa in repræſentando, & non vt connexa in eſſendo, quia connexio in repræſentando, hoc eſt, ex eo quod evidenter repræſentat obiectum vt eſt in ſe, evidenter arguit

guit obiectum ita eſſe in re, ſicut repræſentatur, & de hoc facit evidentiam infallibilem convincentem intellectum, vt nec poſsit ſuſpendere iudicium; nemo enim ſanè mentis dicere poterit: Evidenter agnoſco Deum mihi dicere, quod *Verbum caro factum eſt*: Et evidenter agnoſco hoc eius dictum eſſe verum, & infallibile in eo quod dicit, & repræſentat; nihilominus, an ita ſit, vel non? Suſpendo iudicium: Ergò, quia revelatio cognita evidenter vt dicens, & vt vera in dicendo convincit intellectum evidenter de veritate Myſterij: Non ergò præſcindit à claritate, nec relinquit Myſterium obſcurum. Nec percipio, qua ratione dicatur eſſentiam divinam repræſentare Beato Petrum, & non habere connexionem cum illo, quia ſi intelligatur de repræſentatione Petri vt poſsibilis, cum illo vt poſsibili habet connexionem, ſi de Petro vt futuro, vel exiſtenti, illum repræſentat vt determinata per Decretum efficax de exiſtentia Petri; vt autem ſic determinata, connexionem infallibilem dicit cum illo: Ergò nullo ſenſu verum tenet, quod vt repræſentans verè Petrum, non habeat connexionem cum illo.

59. Contra ſextò, & eſt ratio à priori, quia ſtante evidentia adæquata in atteſtante, non poteſt movere evidentia revelationis præciſivè ab evidentia infallibilitatis, ſed, ſi movet, neceſſariò movet ſecundum totam illam evidentiam adæquatè ſumptam: Sed hoc pacto movere nequit ad aſſenſum obſcurum, vt fateтur ſolutio: Ergò ſtante illa evidentia adæquata repugnat aſſenſus obſcurus. Probo maiorem: Evidentia illa adæquata eſt cauſa neceſſaria, neceſſariò movens ad aſſenſum Myſterij revelati: Sed cauſa neceſſaria non poteſt movere ſecundum partem, aut rationem ſui inadæquatam, præciſivè à reliquis, ſed ſi movet neceſſariò movet adæquatè ſecundum totam ſuam vim, & efficaciam: Ergò movere nequit illa evidentia adæquata ſecundum partem, aut rationem ſui inadæquatam præciſivè à reliquis. Probo minorem, quia de ratione cauſę neceſſariæ eſt neceſſariò agere quantum poteſt, ita vt non poſsit limitare influxum ad minus quam poteſt, nec illud ampliare pluſquam poteſt; vt patet in igne applicato paſſo, qui nec poteſt calefacere plùs, nec minus, quam poteſt; vndè non poteſt calefacere ſecundum partem ſuę virtutis præciſivè à reliqua ſua virtute, ita vt effectus evadat remiſsiùs, quam correſpondeat adæquatę ſuę virtuti: Ergò cauſa neceſſaria, &c.

60. Explicatur, & tacita evaſio præcluditur; Non minus eſt diviſsibilis in plures gradus virtutis, vel, ſi vellis, in plures partes phyſicas, ignis applicatus, quam evidentia adæquata in atteſtante in duas, vel plures partes illius evidentię: Sed ignis applicatus, quia eſt cauſa neceſſaria, non poteſt influere ſecundum vnam partem, aut gradum virtutis præciſivè à reliquis: Ergò nec evidentia in atteſtante ſecundum vnam partem evidentię præciſivè à reliquis, quia pariter eſt cauſa neceſſaria.

61. Reſpondet prædictus A. quod ſola evidentia in atteſtante, adæquatè accepta, eſt cauſa neceſſaria, neceſſariò extorquens aſſenſum Myſterij; ſtante tamen illa, poſſe accipi pro motivo ſolam revelationem, ſecundum quod affirmat, vel negat obiectum, & ſecundum præciſſam evidentiam huius conceptus: Prout ſic autem non extorquet neceſſariò aſſenſum evidentem, ſed poteſt movere ad aſſenſum obſcurum.

62. Sed contra: Quia dum ſimùl in intellectu occurrit tota illa evidentia adæquatè accepta, non poteſt accipi pro motivo vna pars illius præciſivè à reliquis; hoc enim inculcat, & ſupponit prædictus A. ſed numquam probat, nec probare poteſt, quia intellectus, ſtante tota illa evidentia, tamquam cauſa neceſſaria, non poteſt pro libito limitare motionem ipſius, ita vt moveatur ex vna parte illius præciſivè ab alia, ſi voluerit, ſed neceſſario movetur adæquatè à tota illa evidentia, abſque electione, cum ſit cauſa neceſſaria: Ergò falſum eſt quod intellectus poſsit accipere pro motivo partem inadæquatam illius evidentię præciſivè à reliquis, quando neceſſariò movetur à tota illa.

SOLVUNTUR
obiecta.

63. CONTRARIAM ſententiam tenent ex Thomiſtis Caietanus, Araulo, Curiel, Aragòn, Zumèl, Philipus à SS. Trinit. Gonet, Ferrara, & Alvarez, quos citant, & ſequuntur Salmanticent. *in præſenti, diſput.* 3. *dub.* 1. *à num.* 7. Item ex Ieſuitis Bazquez, Tores, Ripalda, Valencia, Metatius, Oviedo, Oxea, & alij, quos citat, & ſequitur Ferreras, *in præſenti, diſputat.* 4. *dub.* 5. Pro illa autem.

64. Obijciunt primò, quia revelatio, vt revelans infallibiter obiectũ in ſenſu determinato, eſt motivum formale fidei de tali obiecto: Sed evidentia obiecti motivi fidei de aliquo obiecto non impedit, ſed potius permovet, & iuvat ad fidem de tali obiecto: Ergò evidentia

tia revelationis, vt infallibiliter revelatis obiectũ in ſenſu determinato, quę eſt evidentia adæquata in atteſtante, non impedit, ſed potiùs promovet, & iuvat ad fidem de tali obiecto: Eſt ergo cum fide compatibilis. Probo minorem, in qua ſtat difficultas, primò, quia motivum formale ad aliquem actum conducit vt talis actus eliciatur: Ergò quod quis videat evidenter dari tale motivum ad actum fidei, v.g. nequit ipſum impedire à credendo, ſed potiùs eum promovebit, & incitabit vt credat. Secundò; nam per hoc, quod aliquis evidenter cognoſcat motivum formale charitatis, vel ſpei, vel ſcientię, minimè impeditur vt diligat, ſperet, aut ſciat: Ergò pariter evidentia de obiecto motivo fidei non impedit, &c. Tertiò, quia rectè cohæret, quod quis evidenter cognoſcat motivum fidei humanę, ſcilicet loquutionem humanam vt fidedignam, & quod credat fide humana: Ergò pariter rectè cohæret, quod quis evidenter cognoſcat motivum fidei divinę, & credat fide divina.

65. Reſpondeo communi ſolutione, diſtinguendo maiorem: Revelatio vt revelans, &c. & vt obſcurè propoſita, eſt motivum fidei, concedo minorem: Et vt clarè, & evidenter propoſita, nego maiorem, & minorem, vel potius dico, quod implicat in terminis; quia cum motivum formale fidei importet in ſua ratione intrinſeca obſcuritatem, implicat ex terminis evidentia motivi fidei in intellectu reſpectu cuius ſit motivum, quia per evidentiam deſtruitur obſcuritas illius, & conſequenter quod ſit motivum.

66. Sed contra inſurgunt PP. Salmantic. quia iſta ſolutio petit principium, nam argumentum probat non eſſe de eſſentia motivi fidei, in eſſe talis, quod obſcurè proponatur, & non evidenter, probat enim quod non impeditur, ne moveat, ex eo quod evidenter cognoſcatur, ſed potius, quo magis cognoſcitur motivum, magis movet, vt patet in omni motivo intentionali: Ergò reſpondere, quod motivum fidei importat eſſentialiter obſcurè proponi, eſt petere principium, & reſpondere cum eo ipſo, quod argumentum impugnat, & cuius contrarium probat. Reſpondeo, negando aſſumptum, quia quod motivum fidei, vt tale, importet eſſentialiter obſcurè proponi, non voluntariè dicimus, ſed ex vrgentibus argumentis ſupra factis, quę id probant efficaciter. Rationes autem, quibus oppoſitum in argumento probari dicitur, re ipſa non probant: Vndè ad primam probationem minoris, diſtinguo antecedens: Motivum formale alicuius actus conducit vt talis actus eliciatur, ſi proponatur in ea proportione, quę eſſentialiter exigitur ad talem actum, concedo antecedens: Si proponatur extra illam propoſtionem, negò antecedens, & conſequentiam.

67. Ratio diſtinctionis eſt, quia ſunt aliqui actus, qui ex ſuo modo imperfecto tendendi exigunt eſſentialiter moveri ex motivo imperfectè propoſito, ita quod ſi aliter proponatur, ſivè per defectũ, ſivè per exceſſũ, nõ poſſit movere ad talẽ actum, exemp.g. bonitas divina eſt obiectũ motivum deſiderij, quo Deum ipſum deſideramus, & in plurium A. ſententia ſpei; & nihilominus, vt intuitivè cognita implicat, quod moveat ad deſiderium ipſius, ſed vt moveat eſſentialiter debet cognoſcit ſolum abſtractivè: Non ergò valet hic modus arguendi: *Motivum deſiderij illius eſt bonitas divina, & conducit ad illud deſiderium: Ergò quo magis cognoſcatur, magis conducet, & movebit magis*: Nam ſi valeret, poſſet, quis ita ſubſumere: *Sed magis cognoſcitur dũ cognoſcitur, intuitivè, quã cognita purè abſtractivè: Ergò magis movebit ad ſui deſideriũ, aut ſpem cognita intuitivè, quã cognita abſtractivè*, quę concluſio falſa eſt; non ſanè alio ex capite, niſi, quia falsò infertur illud conſequens vniverſale: *Ergò quo magis cognoſcatur motivum, magis conducet, & movebit ad eundem actum.* Accipe aliud exemplum in ſyllogiſmo probabili: Sanè in eo præmiſſę obiectivę ſunt motivum aſſenſus opinativi de concluſione: *Ergò quo magis cognoſcantur, magis movebunt ad talem aſſenſum opinativum: Ergò cognitę evidenter movebunt, ad aſſenſum opinativum*, En ſimiliter argumentum fallit, nam ex præmiſsis evidentibus nemo aſſentitur opinativè concluſioni legitimè illatę. Et Ratio eſt, quia aſſenſus opinativus importat intrinſecè obſcuritatem, & incertitudinem, & conſequenter exigit eſſentialiter non moveri ex præmiſsis vt evidenter, immò nec cum certitudine infallibili propoſitis, aut cognitis, quia vt ſic cognitę extorquent neceſſariò perfectiorem, firmiorem, & clariorem aſſenſum, quam ſit opinativus. Et ſimiliter actus deſiderij de bonitate divina, dum movetur ab ipſa bonitate divina, importat eſſentialiter modum imperfectum tendendi in ipſam divinã bonitatem, nẽpè per motũ ad illam, & ideò exigit moveri ab illa non vt intuitivè cognita, & præſenti; ſed vt cognita abſtractivè, & tanquam abſenti, nam vt intuitivè cognita extorquet neceſſariò quietem, gaudium, & fruitionem de illa, non motum, & tendentiam in illam. Et hoc quidem, ex eadem ratione argumenti, quia ſi motivum, vt magis cognitum, magis movet, ergò vt perfectius cognitum, perfectius movet: Ergò movebit ad perfectiorem actum:

tum : Vndè licèt præmiſſę, vt evidenter cognitę, perfectius moveant, quam vt probabiliter cognitę, ex hoc ipſo probatur, non movere ad aſſenſum opinativum concluſionis, ſed ad aſſenſum perfectiorem, nempè evidentem : Et ſimiliter, licèt bonitas divina, vt intuitivè cognita, magis, & perfectius moveat voluntatem, quam vt abſtractivè cognita, ex hoc ipſo probatur non movere ad deſiderium ipſius bonitatis, ſed ad perfectiorem actum, nempè gaudij, vel fruitionis, quia videlicèt actus opinionis in intellectu, & deſiderij in voluntate ex ſuo modo imperfecto tendendi exigunt eſſentialiter moveri à ſuis obiectis modo etiam imperfecto moventibus, & conſequenter modo imperfecto propoſitis.

68. Sic ergò pariformiter dicimus de actu fidei ſtrictè talis, quod propter ſui modum imperfectum, & obſcurum tendendi exigit eſſentialiter moveri à ſuo motivo, nempe à divina revelatione infallibili, vt obſcurè movente, & conſequenter vt obſcurè propoſita, nam vt propoſita evidenter, non movet imperfectè, & obſcurè, ſed clarè, & evidenter, convincendo intellectum. Vndè non valet : *Revelatio vt infallibilis, eſt motivum actus fidei : Ergò quo magis perfectè cognoſcatur, magis movebit ad actum fidei.* Concedo enim, quod magis movebit, ſi cognoſcatur evidenter, quia movebit efficaciter, & irreſiſtibiliter, convincendo intellectum ad aſſenſum myſterij revelati, ſed propterea nego, quod movebit ad aſſenſum fidei obſcurum, & imperfectum; nam potius movebit ad aſſenſum perfectiorem, & evidentem ipſius myſterij.

69. Vndè ad ſecundam probationem principalis minoris, concedo antecedens de motivo, præſertim charitatis, vel ſcientię, quia actus charitatis, & ſcientię non important talem imperfectionem ex ſuo modo tendendi, quod exigant eſſentialiter moveri imperfectè à ſuis motivis, etiam vt imperfectè propoſitis, ſed potius oppoſitum, quia ſcientia tendit modo evidenti in ſuum obiectum, & ideò exigit moveri evidenter à ſuo motivo, & conſequenter, vt evidenter propoſito: Et ſimiliter actus charitatis, quia ex ſuo modo tendendi tendit in Deum, vt eſt in ſe, non repugnat illi moveri efficaciter à ſuo motivo, nempè bonitate divina cognita intuitivè, & evidenter vt eſt in ſe, & vt ſic rapiente, & neceſsitāte voluntatem, immò hoc illi eſt magis connaturale; actus autem fidei oppoſito modo ſe habet, quia repugnat illi moveri efficaciter à ſuo obiecto rapiente, neceſsitante, & convincente intellectum. Et retorqueo argumentum, nam actus primarius charitatis, reduplicativè vt liber, non poteſt ſtare cum cognitione intuitiva motivi ipſius, nempè divinę bonitatis; vndè non valet : *Bonitas divina eſt, motivum formale amoris liberi Dei : Ergò quò magis movebit ad amorem liberum Dei* : Ergò *quod cognoſcatur intuitivè non obſtavit, ſed potius iuvabit ad amorem liberum Dei* : Ergò nec talis modus arguendo valet in motivo actus fidei qui, exigit eſſentialiter moevri liberè ab obiecto.

70. Dices obiter : Actus charitatis, licèt non vt liber, tamen ſecundum ſuam ſpeciem eſſentialem moveri poteſt ex bonitate divina intuitivè cognita rapiente voluntatem : Ergò etiam actus fidei, licèt non vt liberè elicitus ex imperio voluntatis, tamen, ſecundum ſuam ſpeciem, moveri poterit ex revelatione evidenter cognita, quamvis convincente, & neceſsitante intellectum. Reſpondeo, conceſſo antecedenti, negando ſuppoſitum conſequentis; quia licèt de eſſentia, & ſpecie actus charitatis non ſit liberè elici à voluntate cum indiferentia obiectiva, quia nec neceſitas, aut libertas variant ſpeciem in actu charitatis, vt tenent communiter omnes Thomiſtę : Attamen, vt ipſi omnes fatentur, & videbimus infrà, de eſſentia actus fidei eſt elici cum indiferentia, & libertate obiectiva determinabili per imperium voluntatis. Vndè ſi aſſenſus myſterij moveretur ex divina revelatione, vt evidenter convincente, & neceſsitante intellectum ad ipſum, variaret ſpeciem talis aſſenſus, & non eſſet aſſenſus fidei ſtrictè talis.

71. Quantum autem ad actum ſpeī, in quo etiam pariſicabat arguens, omitto, quod cum evidentia abſtractiva motivi ipſius, nempè Dei, vt auxiliantis, poſsit ſtare ſpes, & id quidem gratis omitto, nam oppoſitum haud difficulter poſſet defendi. Nego tamen paritatem, quia voluntas neceſsitari nequit à Deo, vt abſtractivè cognito, licèt evidenter; verumtamen intellectus poteſt neceſsitari, & convinci ad aſſenſum myſterij ex cognitione evidenti, licèt abſtrativa Dei vt infallibiliter revelantis myſterium; in hoc enim differunt intellectus, & voluntas, quod intellectus, ex quolibet vero, licèt finito, evidenter cognito, & evidenter connexo cum alió, neceſsitatur ad aſſenſum ipſius, & alterius, at voluntas ex nullo, niſi ex ſummo bono evidenter intuitivè viſo, neceſsitatur ad amorem ipſius, vel alterius.

72. Ex quo ad tertiam probationem minoris principalis, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; quia motivum fidei humanę eſt locutio humana authoritatis finitę, & fallibilis, hæc autem, licèt evidenter cognoſcatur,

tur, non movet evidenter, nec ad aſſenſum evidentem obiecti teſtificati; quia non importat evidentem, & neceſſariam connexionem cum illo: Attamen evidentia divinę revelationis, vt infallibilis, è contra ſe habet, quia revelatio divina, vt ſic evidenter cognita, importat evidentem, & neceſſariam connexionem cum obiecto revelato, & ſic movet evidenter ad aſſenſum evidentem ipſius, & illud evidenter demonſtrat. Eſt dicere, quod loquutio humana, licèt evidenter cognita, relinquit obiectum dictum obſcurum, & illud evidenter non manifeſtat, quia non importat connexionem cum illo: At revelatio divina, evidenter cognita, vt infallibilis, & vt exiſtens, evidenter manifeſtat obiectum, & ideò non relinquit illum obſcurum ſufficienter, vt terminet actum fidei.

73. Sed contra obijciunt ſecundò PP. Salmant. nam pro obiecto motivo fidei ſatis eſt revelatio ita obſcura, quod non manifeſtet obiectum; ſed poteſt cognoſci evidenter revelatio, vt non manifeſtans obiectum ipſius: Ergò poteſt cognoſci evidenter revelatio, quin proptereà deſinat eſſe motivum. Confirmant primò: Quod aliquod obiectum cognoſcatur evidenter, ſecundum aliquam rationem communiſſimam, & quaſi extrinſecam, non impedit quod attingatur per fidem, ſecundum rationes particulares, & intrinſecas, ſi iſtę evidenter non apparent; ſed ex evidenti cognitione revelationis divinę non manifeſtantis obiectum, ſolum ſequitur, quod obiectum cognoſcatur evidenter, ſecundum rationem communiſsimam, & quaſi extrinſecam, non ſecundum rationes particulares, & intrinſecas: Ergò credi poterit per fidem, ſecundum tales rationes. Minorem probant primò: Quia revelatio eſt prædicatum extrinſecum, & commune connexum cum obiecto in eſſe revelati. Secundò, nam dato caſu quod Deus diceret Petro, loquutione evidenter audita ab ipſo Petro, ſe revelaſſe omnia Myſteria, quę Eccleſia credit, ex hoc præciſè Petrus erit evidenter certus de omnibus Myſterijs ſub generaliſsima, & extrinſeca ratione revelatorum à Deo, non tamen cognoſcet evidenter Myſteria quoad rationes particulares vniuſcuiuſque: Ergò ex evidentia revelationis divinę ſolum infertur evidentia Myſteriorum quoad rationem extrinſecam, & communem revelatorum, non quoad rationes intrinſecas, & particulares. Sicut (inquiunt) ſi aliquod corpus ſecundum extrinſecam dumtaxat ſuperficiem illuminaretur, & intus maneret obſcurum; aut appareat evidenter corpus, ſed non appareat an ſit vivum, aut mortuum, bos, aut equus.

74. Confirmant ſecundò, quià adhùc ſtante evidentia revelationis, obiectum revelatum manet in ſe obſcurum ſecundum proprias, & intrinſecas rationes, nam intellectus ex vi evidentię revelationis ſolum cognoſcit evidenter obiectum eſſe revelatum, aut eſſe verum prout revelatum, non autem penetrat obiectum, quoad rationes intrinſecas ipſius: Sed eo ipſo, quod obiectum maneat in ſe obſcurum quoad rationes intrinſecas, valet terminare fidem: Ergò. Tertiò, quia omnis evidentia ſimpliciter talis convenit obiecto, vel ex habitudine terminorum, vt in primis principijs; vel ex cauſa, aut effectu, vel ex ſigno, aut extremo ſpecialiter cum illo connexo: Sed ex evidentia revelationis obiectum revelatum non ſit evidens primo, nec ſecundo modo, vt nos fatemur: Deindè nec tertio modo: Ergò non ſit evidens ſimpliciter, ſed ad ſummum ſecundum quid, & conſequenter manebit ſimpliciter obſcurum. Probatur minor quoad vltimam partem, quia revelatio vt evidenter cognita, licèt ſit ſignum obiecti revelati, non eſt ſignum ſpeciale, nec ſpecialiter cum illo connexum, ſed eſt ſignum commune omnibus revelatis, eaque ſolum reddit vera in generali ſub ratione communi revelatorum.

75. Quartò confirmari poteſt ex P. Tyrſo vbi ſuprà *num.* 75. Quia, licèt alicui ſit evidens, Deum eſſe infallibilem in dicendo, & revelaſſe Trinitatem, indè ſolum ſequitur, quod Trinitas ſit illi evidens ſecundum quid, abſolutè tamen obſcura: Ergò. Probat; quia quamvis ex evidentia præmiſſarum legitimè inferatur concluſionem eſſe veram, non infertur tamen ex terminis, & in omni materia concluſionem eſſe evidentem: Ergò poteſt concluſio, nempè Myſterium Trinitatis, manere abſolutè obſcura. Probat antecedens: Quia, quamvis alicui forent evidentes iſtę præmiſſę *Quidquid Deus revelat eſt verum, ſed Deus revelat Trinitatem*, non foret evidens iſta concluſio evidentia conſequentis: *Ergò Trinitas vera eſt*, ſed ſolum evidentia conſequentię: Ergò ex evidentia præmiſſarum non infertur ex terminis, & in omni materia concluſionem eſſe evidentem. Probat antecedens, quia licèt ſit evidens veritatem illius concluſionis inferri ex veritate præmiſſarum, non redditur illa veritas evidens in ſe: Ergò. Probat, quia præmiſſę illę non faciunt vt pateat Myſterium Trinitatis, & detegatur convenientia prædicati cum ſubiecto, nempè Trinitatis cum deitate, ſed adhùc manet clauſum, & obſcurum ipſum Myſterium, totaque evidentia ſiſtit in præmiſsis, & in bonitate illationis, & non tranſit ad concluſionem illatam: Ergò. 76. Quin-

76. Quintò confirmant PP. Salmant. & Tyrſo, ex illo Div. Thom. *in præſenti, quæſt. 5. artic. 2. in Corp.* vbi inquit, quod ſi Propheta prænunciaret aliquid, & adhiberet ſignum mortuum ſuſcitando, *convinceretur intellectus, vt cognoſceret manifeſtè, hoc dici à Deo, qui non mentitur*, attende, *licèt illud futurum, quod prædicitur, in ſe evidens non foret, vndè per hoc ratio fidei non tolleretur*: Ergò iuxta Dvi. Thom. licèt intellectus ſit convictus, vt cognoſcat evidenter aliquid dici à Deo, nihilominus illud manet in ſe inevidens, & obſcurum ſufficienter, vt ratio fidei non tollatur.

77. Reſpondeo ad argumentum, omiſſa maiori, diſtinguendo minorem: Poteſt cognoſci evidenter revelatio vt non manifeſtans obiectum, ſi cognoſcatur evidenter evidentia adæquata in atteſtante, nego minorem: Si cognoſcatur ſolum evidentia inadæquata, concedo minorem, & nego conſequentiam, quia evidentia adæquata eſt evidentia de revelatione, de infallibilitate ipſius, & de ſenſu eius determinato: Hoc autem pacto implicat contradictionem evidenter cognoſci revelationem vt non manifeſtantem obiectum in actu exercito, quia implicat intellectum evidenter cognoſcere Deum revelaſſe Trinitatem, & hanc revelationem eſſe veram, & infallibilem, & in ſenſu proprio, quin revelatio iſta vt ſic evidenter cognita demonſtret intellectui evidenter Trinitatem ipſam eſſe veram in ſenſu proprio, & conſequenter, quin illam manifeſtet in actu exercito, quoad *an eſt*, in quo ſenſu loquimur; fatemur enim revelationem adhùc evidenter adæquatè cognitam, non manifeſtare obiectum quidditativè, ſeù quoad *quid eſt*, ſed hoc pacto manere obſcurum, ſed hæc obſcuritas nihil iuvat contrarios, nec conducit ad fidem, quia fides non eſt de obiecto quidditativè, ſeù quoad *quid eſt*; verumtamen negari nequit, quod revelatio triplici illa evidentia cognita, facit evidens, & manifeſtum Myſterium quoad *an eſt*, ſiquidem evidenter inferi, ac demonſtrat, Myſterium ita re ipſa eſſe, ſicut revelatum ſupponitur, & conſequenter, ſub hac conſideratione, ſub qua ſola terminare poſſet fidem, nempè quoad *an eſt*, manet incapax illam terminandi in ſenſu compoſito talis evidentię.

78. Ad primam confirmationem, conceſſa maiori, nego minorem, vel ſuppoſitum illius, de revelatione evidenter cognita vt non manifeſtante obiectum, nam ſi cognoſcatur evidenter evidentia adæquata explicata, implicat in terminis, quod cognoſcatur vt non manifeſtans obiectum quoad *an eſt*, in ipſo exercitio. Ad cuius probationem primam, diſtinguo antecedens: Revelatio eſt prædicatum extrinſecum, & commune, revelatio, inquam, in genere, & in communi ſumpta, concedo: Revelatio talis, & de tali ſingulari Myſterio, v. g. Incarnationis, nego, quia evidentia alicuius obiecti in atteſtante, de qua procedit quæſtio, non eſt evidentia revelationis vt ſic, ſed evidentia revelationis de ſingulari Myſterio, immò, & de ſenſu determinato: Hæc autem revelatio non eſt prædicatum commune omnibus Myſterij, ſed proprium illius obiecti, vel Myſterij ſingulariter per ipſam revelati. Vidè *ſuprà à num. 19. & 26.*

79. Ad ſecundam probationem, omiſſo antecedenti, nego conſequentiam, quia illa revelatio ſuppoſita in illo caſu non eſt per ſe revelatio vllius Myſterij determinati, ſed ſolum confusè, & in communi omnium, quę credit Eccleſia fide divina, & ſic nullum determinatè redderet evidens, adhùc in atteſtante, quo minus evidentia illius in ſe: At caſus quæſtionis eſt de evidentia in atteſtante determinati Myſterij, & in determinato ſenſu. Vide ſuprà, *num.* 20. Et retorqueo argumentum, nam ille, cui fieret evidens revelatio reflexa, de eo quod Deus revelaſſet omnia fidei Myſteria, non poſſet credere fide ſtrictè tali illa Deum revelaſſe, ſeù illa quoad rationem extrinſecam, & communem revelatorum, quia hæc ratio eſſet illi evidenter revelata: Ergò ille, cui fiat evidens revelatio directa de Myſterio Trinitatis vt verò in ſe, non poteſt illud credere vt verum in ſe fide ſtrictè tali, quia hoc pacto eſt illi evidenter revelatum.

80. Vndè concludo, quod evidentia adæquata revelationis, ſeù in atteſtante, reddit evidens obiectum, quoad rationem, vel rationes evidenter revelatas, ſeù de quibus conſtat evidenter, revelari: Si ergò revelatio ſolum evidenter revelet obiectum quoad rationem aliquam confuſam, & communem, vt in caſu obiecto, ſolum faciet obiectum evidens quoad rationem illam communem, & ideò quantum ad illam non poterit credi per fidem. Si verò evidenter revelet obiectum quoad rationem propriam talis obiecti, vel Myſterij, v. g. *Incarnationis*, tunc faciet illud Myſterium evidens quoad rationem propriam, & peculiarem talis Myſterij, & ideò non poterit credi per fidem, quoad illam rationem evidenter revelatam. Et hoc probat exemplum adductum, de corpore illuminato ſecundum ſuperficiem, ſed relicto obſcuro ſecundum interiores partes, & de corpore evidenter apparente corpus, ſed non apparente determinatè vivum, &c. Ex quo.

81. Ad

81. Ad ſecundam confirmationem, diſtinguo maiorem : Obiectum revelatum manet in ſe obſcurum ſecundum proprias rationes non evidenter revelatas, concedo maiorem : Secundum proprias rationes evidenter revelatas, nego maiorem. Et cum probas, quia intellectus non penetrat obiectum, quoad rationes intrinſecas, dico, quod penetrare obiectum quoad rationes intrinſecas importat cognitionem quidditativam, vel comprehenſivam; vndè concedo, quod ex vi evidentię revelationis intellectus non penetrat, quia ex vi illius non habet evidentiam quidditativam, ſeù comprehenſivam obiecti : Verumtamen ſi evidentia ſit revelationis, vt revelantis determinatè obiectum quoad aliquam, vel aliquas rationes proprias, & intrinſecas, tunc reſultat neceſſariò evidentia de obiecto quoad illas rationes intrinſecas, non quoad *quid eſt*, ſeù quidditativa, ſed abſtractiva, & quoad *an eſt*: Quę ſufficit excludere fidē de obiecto quoad illas rationes.

82. Ad tertiam, conceſſa maiori, nego minorem, quoad tertiam partem ; quia revelatio Myſterij determinati, & in determinato ſenſu, de qua procedit quæſtio, falsò dicitur medium, ſeù ſignum commune, & generaliſsimum omnibus revelatis, & quod ſolum reddit verum Myſterium in ratione communi revelati, aliàs vi talis revelationis, ſolum credere poſſemus illud Myſterium eſſe revelatum, non autem illud eſſe in ſe verum.

83. Ad quartam, nego antecedens, de evidentia, & obſcuritate quoad *an eſt*, quę ſola facit ad quæſtionem, quia fides non credit obiectum, quoad *quid eſt*, ſeù quidditativè, ſed ſolum quoad *an eſt*, & ſic quoad *an eſt*, debet eſſe obſcurum. Ad probationem in contra, nego antecedens, quia in omni materia, qui evidenter cognoſcit præmiſſas eſſe veras, & cognoſcit etiam evidenter ex illis inferri infallibiliter concluſionem, habet evidentiam de concluſione ipſa evidenter illata. Ad probationem in contra, nego etiam antecedens, quia ad evidentiam purę conſequentię minimè requiritur evidentia præmiſſarum, quamvis enim præmiſſę forent ſolum probabiles, immò, quamvis forent falſę, poſſet tamen dari evidentia conſequentię ; vndè quando præmiſſę ſunt evidentes, maiorem evidentiam inferunt, nempè evidentiam conſequentis. Et quidem familiare eſt Authori contrario, ſuæque Scholę, propugnare, quod in omni materia, ex antecedenti neceſſariò, ſeù ex præmiſsis neceſſarijs, debet ſequi conſequens neceſſarium, non ſolum neceſsitate conſequentię, quę ſanè libertati non obeſt, ſed neceſsitate conſequentis; cui doctrinę rectè intellectę conſenſi; *Tract. de Provid. quæſt.* 17. *à num.* 72. Cur ergò non erit verum etiam in omni materia, quod ex præmiſsis evidentibus, & evidenter inferentibus concluſionem, ſequitur concluſio evidens, evidentia conſequentis. Item, implicat, quod ex præmiſsis infallibiliter certis, infallibiliter inferentibus concluſionem, concluſio evadat ſolum dubia, aut probabilis, & non potius certa certitudine conſequentis : Ergò pariter implicat, quod ex præmiſsis evidentibus, & evidenter inferentibus, inferatur concluſio obſcura, & inevidens, & non potius evidens evidentia conſequentis. Et ratio eſt, quia evidentia præmiſſarum debet inferre in conſequens illarum aliquam evidentiam ; ſed non infert evidentiam conſequentię, quia evidentia conſequentię eſt modus inferendi, ſed non quid illatum, & item, eſt quid independens ab evidentia præmiſſarum, quia evidentia conſequentię ſalvatur etiamſi præmiſſę ſint obſcurę, immò quamvis eſſent falſę : Ergò infert evidentiam conſequentis.

84. Vndè ad probationem in contra, nego antecedens, nempè quod ex illis præmiſsis : *Quidquid Deus revelat eſt verum : Sed revelat Trinitatem*, quamvis alicui forent evidentes, non illi foret evidens evidentia conſequentis, illa concluſio evidenter illata : *Ergò Trinitas eſt vera.* Et ad probationem in contra, diſtinguo antecedens : Licèt ſit evidens veritatem illius concluſionis inferri ex veritate præmiſſarum, non redditur illa veritas evidens in ſe, motivè, concedo antecedens : Evidens in ſe terminativè, nego antecedens. Et ad probationem in contra, eadem diſtinctione reſpondeo, quod præmiſſę illę non faciunt vt pateat Myſterium Trinitatis intuitivè, aut quidditativè, ſed faciunt vt pateat evidenter abſtractivè, & quoad *an eſt*, & quod hoc modo detegatur convenientia prædicati ad ſubiectum, quia evidens eſt, quodlibet prædicatum, quod Deus revelat de aliquo ſubiecto, convenire illi ſubiecto: Rurſus evidens eſt, Deum revelare de ſe ipſo *eſſe Trinum in perſonis*, quando datur evidentia huius revelationis : Ergò ex his duabus præmiſsis evidens fit Trinitatem convenire Deo, ſeù tale prædicatum convenire tali ſubiecto, de quo per divinam, & infallibilem revelationem aſſeritur.

85. Vndè falſum eſt, quod tota evidentia ſiſtit in præmiſsis, & in bonitate illationis, & non tranſit ad concluſionem illatam, quia implicat præmiſſas evidentes, evidenter inferentes, nō influere evidentiam in concluſionem evidenter illatam, vt explicatum manet. Et quidem pari modo poſſet quis dicere, totam certi-

tudinem ſiſtere in præmiſsis,& in bonitate illationis, & non tranſire ad concluſionem illatam, & idem de veritate, & ſic defendere, cum certitudine præmiſſarum, & illationis, concluſionem manere dubiam, & incertam, immò cum veritate præmiſſarum, & illationis, concluſionem falſam, quod nemo, qui Dialecticam ſalutaverit, dicer. Ac demùm falſum eſt, quod Myſterium maneat obſcurum, & clauſum quoad *an eſt*, & abſtractivè, quia potius manet evidens terminativè, licèt non ex motivo intrinſeco ſui, ex motivo tamen extrinſeco revelationis evidentis; & hoc ſufficit vt terminare non poſsit fidem, quia fides nequit aliter ad Myſterium terminari, niſi quoad *an eſt*, & ex motivo extrinſeco revelationis: Si autem hoc pacto evidens eſt, & clarum, quomodo terminabit fidem, quę terminari nequit niſi ad obiectum obſcurum, vt obſcurum.

86. Ad quintam denique confirmationem, iam reſpondi, *ſuprà quæſt. 3. à num. 51.* Div. Thom. ibi loqui de evidentia credibilitatis, non de evidentia propria in atteſtante, ſeù veritatis, & ſic optimè concludit, quod illud futurum, quod prædiceretur, evidens non foret, & quod ratio fidei non tolleretur, quia ſicut evidentia probabilitatis non tollit, quod res probabilis maneat obſcura, nec rationem opinionis, ita nec evidentia credibilitatis tollit rationem fidei, nec eius obiecti obſcuritatem. Et quod his ſit ſenſus Div. Thom. patet, tum ex contextu anteriori, vt vidimus loco citato. Tum, quia adhùc viſa reſurrectione mortui in confirmationem illius prænuntij, poſſet ſic videns exercere fidem credendo illud dici à Deo, ſeù illud vt dictum, & teſtificatum à Deo: Ergò ſenſit Div. Thom. quod adhùc in atteſtante maneret obſcurum illud futurum. Tum, quia, Div. Thom. ibi conatur oſtendere, quo modò ad fidem debeat præcedere voluntas credendi; ſed hoc non explicaret, ſi cum evidentia in atteſtãte conciliaret fidem, quia ſuppoſita evidentia de eo quod futurum diceretur à Deo, & de ſenſu, in quo Deus loqueretur, & de eo quod non poteſt fallere, nec falli, ex his evidenter præcognitis, velit nolit voluntas, convinceretur intellectus ad aſſenſum illius futuri, & conſequenter non egeret voluntate credendi: Ergò. Tum denique, & præcipuè, quia Div. Thom. loquitur de evidentia, qua tunc convinceretur intellectus ex ſigno illo prout viſo, & ſenſibus apparenti, & conſequenter de evidentia naturali, ſolo lumine naturali habita: Sed hæc ad ſummum poteſt eſſe evidentia credibilitatis, non autem evidentia revelationis, ſeù in atteſtante, vt ſuprà oſtendimus, *quæſt. 3.* Ergò ſolum illam, & non iſtam ſuadet.

SOLVITVR TERTIA obiectio, & explicatur an Angelus habuerit evidentiam in atteſtante.

87. OBIJCIUNT tertiò PP. Salmã. Angelus in primo ſuę creationis inſtãti exercuit fidem de Myſterijs, quę Deus ſibi revelavit: Et tamen evidenter cognoſcebat Deum ea ſibi revelare: Ergò cum evidentia in atteſtante ſtat fides. Maior eſt communis Theologorum, paucis, & antiquatis contradicentibus. Minorem probant, quia Angelus ſupremus evidenter cognoſcebat ſe illuminari: Sed evidenter cognoſcebat, non illuminari ab alio niſi à Deo: Ergò evidenter cognoſcebat ſe illuminari à Deo. Minor patet, quia evidenter cognoſcebat ſe eſſe Supremum, & ſupremum non poſſe illuminari ab alio, quam à Deo, quia illuminari nequit ab inferiori præſertim virtute propria: Ergò. Hoc argumentum magnifaciunt, & in eo magnum ſuę ſententię robur collocant.

88. Verumtamen illud inefficax eſſe ſic oſtendo, quia vel probare conatur Angelum habuiſſe evidentiam naturalem vi luminis naturalis de Deo vt revelante ſibi Myſteria ſupernaturalia: Vel evidentiam infuſam, & ſupernaturalem: Neutram probare poteſt: Ergò nullam evidentiam probat. Probo minorem, primò de evidentia naturali, ſeù vi luminis naturalis, nam hæc repugnat de divina atteſtatione erga Myſteria ſupernaturalia, vt oſtendimus ſuprà contra P. Tyrſo, & Elizalde. Secundò de evidentia infuſa, quia hæc eſt gratuita, gratuito quę à Deo collata, ac proindè, quam Deus potuit primò Angelo non conferre, ſervato iure naturę ipſius, nam de eſſentia cuiuſvis doni ſupernaturalis; & infuſi eſt poſſe negari, non violata exigentia naturę: Si autem Deus potuit negare talem evidentiam, ſervata exigentia, & iure naturę Angelicę, vndè probari poterit, Deum de facto illi talem evidentiam conceſſiſſe? Sanè nulla eſt revelatio in Sacro Textu, nullum in SS. PP. teſtimonium, quod differtè dicat Deum primò Angelo, nec alijs conceſſiſſe evidentiam ſui ipſius vt revelantis Myſteria: Ergò ſi aliàs potuit Deus eam evidentiam non concedere, ſervata exigentia, & iure naturę ipſius, nullo ex capite probari poteſt illam Deum conceſſiſſe. Secundò, quia evidentia ſupernaturalis, & infuſa divinę atteſtationis, vel eſſet evidentia immediata illius in ſe ipſa, quatenus An-

ge-

gelus lumine evidenti infuſo videret immediatè divinam atteſtationem, vt à Deo procedentem, vel mediatè, & arguitivè ex alijs principijs evidentibus : Prima probari nequit, quia pendet ex voluntate gratuita Dei, de illa concedenda, quę nobis non eſt revelata, à nec contrarijs adhibetur vllus Textus Sacer, in quo talis evidentia reveletur : Secunda autem, nempè mediata, & arguitiva, non minus improbatur; quia vel eſſet arguitiva ex ſolis principijs evidentibus luminæ naturę, & hoc repugnat, quia evidentia ſupernaturalis non poteſt inniti ſolis principijs luminis naturalis : Vel inniteretur principijs, aut principio aliquo evidenti per lumen infuſum; & de illo redit eadem difficultas, nempè vndè conſtabit, quod Deus fecerit Angelo illud principium evidens per lumen infuſum, quia de hoc nulla eſt revelatio : Si autem dicas, quod ex principijs fidei; iam illa non eſſet evidentia abſoluta, & conſequentis, de qua eſt præſens quæſtio, ſed ſolum conditionata, & conſequentię, qualis eſt omnis evidentia theologica, infrà explicanda *quæſt. ſequenti*, & conciliianda cum fide : Ergò.

89. Confirmatur, quia, ſi aliquam evidentiam probant contrarij, non aliam probant niſi naturalem, & ex principijs ſolo lumine naturali notis : Sed hæc repugnat de divina atteſtatione circa Myſteria ſupernaturalia: Ergò ſolum probant evidentiam repugnantem, & conſequenter nullam. Maior patet, quia indè ſolum probant Angelum habuiſſe illam evidentiam, quia ipſe ſciebat eſſe ſupremum, & conſequenter non poſſe illuminari niſi à Deo; & item quia ſciebat operationem incipientem cum eſſe Angeli debere eſſe à Deo vt Authore ſpeciali : Sed hæc principia in eo ſenſu, in quo fuerunt evidentia Angelo, fuerunt ab ipſo cognita ſolo lumine naturali : Ergò probant evidentiam ex ſolis principijs lumine naturę cognitis, & conſequenter naturalem.

90. Iam ergò ad obiectionem factam poſſet reſponderi primò, diſtinguendo maiorem : Angelus in primo inſtanti exercuit fidem ęquivocè ſumptam pro cognitione evidenti Myſteriorum ex divina atteſtatione, tranſeat maior : Vnivocè ſumptam cum noſtra, ſubdiſtinguo : Si habuit evidentiam in atteſtante, nego : Si illam non habuit concedo maiorem : Et pariter diſtingui poſſet minori Sed habuit evidentiam in atteſtante, ſi habuit fidem ſtrictè talem, nego : Si ſolum habuit fidem ęquivocè talem, cõcedo, & ſic abſtrahendo pro tunc ab illa quæſtione, an in Angelo fuerit fides ſtrictè talis, ſolvi poſſet facilè argumentum factum. Nec enim ita certum eſt fidem Angelorum in primo inſtanti fuiſſe ſtrictè talem, vt exiſtimant contrarij, quia teſtimonia, & motiva, quibus probatur talis fides, non probant eam fuiſſe ſtrictè talem, vt infrà videbimus, agẽtes de ſubiecto fidei. Sed admiſſa illa fide ſtrictè tali.

91. Secundò reſpondeo, negando minorem. Ad cuius probationem, diſtinguo maiorem : Angelus Supremus evidenter cognoſcebat ſe illuminari in confuſo, & ſub quadã ratione communi, concedo maiorem: Determinatè quoad ſpeciem, & eſſentiam talis illuminationis, nego maiorem : & minorem. Ad cuius probationem, diſtinguo antecedens : Evidenter cognoſcebat ſe eſſe Supremum ex Angelis à ſe cognitis, concedo antecedens : Se eſſe Supremum in rerum natura, ita vt Deus nullam creaſſet creaturam perfectiorem ſe ipſo, nego antecedens, & conſequentiam; quia ex hoc antecedenti : *Ego illuminor, & non ab vllo ex Angelis, aut creaturis à me cognitis*, non infertur evidenter : *Ergò illuminor determinatè à Deo*, ſed ſolum : Ergò illuminor, vel à Deo, vel ab aliqua creatura mihi incognita.

92. Sed dices primò : Angelus ſciebat ſibi eſſe naturaliter debitam cognitionem̃ ralis Angeli, vel creaturę, ſi daretur, & quod illam de facto non agnoſcebat : Ergò ſciebat non dari vllam creaturam ſibi ſuperiorem, à qua illuminaretur. Patet conſequentia, quia poterat ſic iudicare : *Si eſſet creatura, quę mihi loquitur, illam cognoſcerem, quia eius cognitio eſſet mihi naturaliter debita : Sed eam non cognoſco: Ergò non eſt creatura, ſed Deus.* Reſpondet Recentior quidã, negãdo antecedens, quia licèt Angelo ſit debita cognitio cuiuſlibet creaturę pertinentis ad hunc Vniverſum, cuius ipſe pars eſt, non tamen eſt debitum, quod ſi daretur aliud Vniverſum, cuius ipſe pars non eſſet, daretur illi cognitio creaturarum omnium illius vniverſi, vndè ſicut nos habemus in præſenti ignorantiam negativam, an Deus creaverit alium, vniverſum, ita Angeli; & ſic ſeire non potuit evidenter Angelus nullam eſſe creaturam nec intra, nec extra hũc vniverſum, quę poſſet ipſum illuminare, vel illudere circa res ſibi naturaliter ignotas. Sed contra eſt, quia ſi eſſet extra hunc vniverſum totaliter, non poſſet influere, aut illuminare Angelum huius vniverſi, quia eo ipſo quod illum illuminaret virtute propria, conſtitueret ordinem in hoc vniverſo, & eſſet pars huius vniverſi, & hoc evidenter ſciebat Angelus : Ergò evidenter ſciebat, quod ſibi debetur illius cognitio.

93. Aliter ergò reſpondeo, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Ad

Fff 2 cuius

cuius probationem, nego antecedens, quoad maiorem illius ſyllogiſmi, quia illam evidenter iudicare nequibat Angelus, ſiquidem quamvis ſciret evidenter ſibi eſſe naturaliter debitam cognitionem talis creaturę, ſi daretur, non tamen ſciebat evidenter, an ſibi miraculosè negaretur eius cognitio.

94. Dices: Hoc eſſe recurrere ad miraculum, quod citrà neceſsitatem admittendum non eſt. Reſpondeo, quod non recurrimus ad miraculum, quod de facto ponamus, ſed ad poſsibilitatem miraculi, quia ſufficit, quod fuiſſet poſsibile tale miraculum negandi Angelo cognitionem debitam, vt Angelus non ſciret evidenter, an ſibi tunc negaretur.

95. Dices ſecundò; ex hoc ſolum ſequi, quod Angelus non habuerit evidentiam metaphyſicam, ſeù metaphyſicè infallibilem de eo quod Deus erat, qui ſibi loquebatur, non autem excluditur evidentia phyſica, & naturalis: Ergò ſaltèm hanc habuit Angelus. Probatur antecedens; quia ad evidentiam naturalem ſufficit, quod oppoſitum non poſsit naturaliter contingere: Sed Angelus ſciebat, quod naturaliter loquendo, non poterat eſſe creatura ſibi incognita, quę ſibi loquebatur: Ergò habuit evidentiam naturalem quod erat Deus. Reſpondeo, negando antecedens. Ad probationem, diſtinguo maiorem: Ad evidentiam naturalem circa res conſiſtentes intra ordinem naturę, cõcedo: Circa res trãſcẽdẽtes ordinem ſuę naturę, nego maiorẽ, & conceſſa minori, nego conſequentiam: Quia Angelus videbat loquutionem illam tranſcendere ordinem ſuę naturę, & excedere ſuum lumén naturale, tum propter Myſteria quę revelabat, tum quia loquentem evidenter non videbat, & ſic de illa non poterat evidenter affirmare, adhùc evidentia naturali: *Si loquens eſſet creatura, illam agnoſcerẽ, quia eius cognitio eſſet naturaliter mihi debita*, quia nihil firmũ poterat iudicare ex debito ſuę naturę, in negotio, in quo videbat, nõ attendi, ſed ſuperari ius ſuę naturę. Et quidẽ, ſi ad evidentiam naturalem ſufficeret quod obiectum non poſſet naturaliter aliter ſe habere, poſſet quis evidenter evidentia phyſica iudicare: Corpus Chriſti non eſt in Sacramento, ſed ſubſtantia Panis; humanitas Chriſti ſubſiſtit ſubſiſtentia creata, & ſic de alijs, quę naturaliter non paſſunt aliter ſe habere: Hoc autem quis dicat?

96. Dices tertiò: Ergò Angelus cognoſcebat evidenter, vel eſſe Deum, qui ſibi loquebatur, vel ſibi negari cognitionem debitam creaturę loquentis: Sed illud eſt ſupernaturale, iſtud verò miraculoſum: Ergò cognoſcebat evidenter ibi intervenire aliquid miraculoſum, vel ſupernaturale: Ergò poterat evidenter cognoſcere revelationem, quamvis ſupernaturalem. Reſpondeo, conceſſa prima conſequentia, & minori ſubſumpta, diſtinguendo conſequens: Ergò evidenter cognoſcebat ibi intervenire aliquid miraculoſum, vel ſupernaturale, negativè, & in confuſo, concedo conſequentiam: Poſitivè, & determinatè; nego conſequentiam: Quia Angelus vi luminis naturalis evidentis ſolum poterat cognoſcere intervenire ibi aliquid ſuprà, vel contra exigentiam ſuę naturę in confuſo; an autem hoc eſſet ſupernaturale, aut miraculoſum poſitivè cognoſcere nequibat in vi luminis naturalis, quia in vi huius luminis, nec ſciebat, quid eſſet ens miraculoſum, aut ſupernaturale, nec quid eſſet illud, quod ibi interveniebat, ſed ſolum de illo ſciebat eſſe quid ſuo lumini naturali ignotum, & conſequenter ſupernaturale negativè reſpectu ſui; hoc autem pacto benè poteſt cognoſci evidenter aliquid ſupernaturale per lumen evidens naturale, nempè in confuſo, & tantum vt quid ſibi negativè ſupernaturale; quia hoc magis eſt evidenter ignorare illud, quam evidenter illud cognoſcere. Vidè ſuprà *quæſt. 3. num. 55. & quæſt. 4. num. 9.* Et hæc quidem dixerim antecedenter ad fidem, nam ſuppoſita fide, benè poteſt evidenter, evidentia Theologica, ſeù conſequentię, cognoſci determinatè vt poſitivè ſupernaturale.

97. Aliter conatur M. Ferre ſolvere præfactum argumentum, nempè, dicendo, Angelum cognoviſſe evidenter aliquem ſibi loqui, item, cognoviſſe evidenter, eum, qui loquebatur, non eſſe creaturam: Negat tamen cognoviſſe evidenter, quod erat Deus, quia de hoc non habuit ſpeciem claram. Et parificat; quia Angelus lumine naturę cognovit evidenter humanitatem Chriſti ſubſiſtere, item cognovit evidenter non ſubſiſtere per ſubſiſtentiam creatam, quia huius cognitio, ſi daretur, erat ſibi naturaliter debita: Et tamen non cognovit evidenter ſubſiſtere per increatam: Ergò ſic debet diſcurri in præſenti.

98. Verumtamen hæc ſolutio ſemper viſa fuit mihi falſa; nam qui cognoſcit evidenter aliquem ſibi loqui, & cognoſcit evidenter eum non eſſe creaturam, neceſſariò cognoſcit evidenter, eum eſſe, & non eſſe ens finitum diſtinctum à Deo: Ergò cognoſcit evidenter eum eſſe ens non finitum, & non diſtinctum à Deo: Ergò cognoſcit evidenter eum eſſe infinitum, & Deum ipſum. Sanè iſtę conſequentię cuilibet intellectui mediocri lumine ornato, ſunt evidentes, & infallibiles, non ſolum quoad eſſe, ſed etiam quoad cognoſci, cum non poſſit

vna

Digitized by Google

vna cognoſci, quin evidenter convincatur intellectus ad aſſenſum alterius: Quis ergò iudicet, intellectum Angeli eſſe adeò hebetem, vt cognitis evidenter prioribus, conſequentias illatas ignoret?

99. Nec paritas de humanitate Chriſti aliquid iuvat, nego enim, quod Angelus lumine naturę cognoverit evidenter, humanitatem illam ſubſiſtere, & non per ſubſiſtentiam creatam; ſi enim hoc cognoſceret evidenter, evidenter cognoſceret ſubſiſtere per increatam, cum ſit evidentiſsima conſequentia, quam nec intellectus, hebetudine laborans, ignorare finitur. Dices, non poſſe cognoſcere evidenter concluſionem, quia non habet ſpeciem illius, quę deberet eſſe ſupernaturalis. Sed contra eſt, quia ſi habet ſpeciem præmiſſarum, debet habere ſpeciem ſufficientem ad cognoſcendam concluſionem. Quod ſic probo, quia vel præmiſſę ſunt intra ordinem naturę, vel ordinis ſupernaturalis? Si ſunt intra ordinem naturę, implicat, quod inferant concluſionem ſupernaturalem, quia nihil naturale poteſt dicere connexionem neceſſariam, aut exigentiam alicuius entis ſupernaturalis, cum de eſſentia entis ſupernaturalis ſit eſſe ſuprà exigentiam, & connexionem totius naturę: Vndè ſi iſtę præmiſſę: *Humanitas ſubſiſtit; & non per ſubſiſtentiam creatam, nec finitam*, eſſent intrà ordinem naturę, & ſolo lumine naturę evidenter cognoſcibiles, pariter eſſet concluſio iſta evidenter illata: *Ergò per ſubſiſtentiam infinitam, & increatam*: Ergò ſpecies præmiſſarum, etſi naturales, ſufficerent ad evidenter cognoſcendam concluſionem, ſicut ſufficerent ad evidentiam præmiſſarum. Si autem dicatur, quod præmiſſę, aut vna ex illis eſt ſupernaturalis in cognoſci, & nihilominus habet Angelus ſpeciẽ illius: Ergò quãvis concluſio ſit ſupernaturalis, habebit ſpeciem illius. Vrgetur: Non minus miraculoſum eſt, humanitatem ſubſiſtere, & non per ſubſiſtentiam propriam, nec creatam, quam ſubſiſtere per divinam: Ergò ſi Angelus cognovit evidenter primum, non obſtante illius ſupernaturalitate, & miraculo, negari nequit quod cognoverit evidenter ſecundum, præſertim ex capite ſupernaturalitatis, & miraculi: Ergò vel debet negari, quod Angelus cognoverit evidenter primum, ſicut nos negamus; vel ſi concedatur, debet concedi, quod cognoverit evidenter ſecundum. Et ſimiliter, ſi Angelus dicatur cognoviſſe evidenter aliquem ſibi loqui, & ipſum non eſſe creaturam, debet concedi quod cognoverit evidenter ipſum eſſe Deum; & qui hoc negaverit, debet negare illud, vti nos negamus. Vndè debet ſtari ſolutioni noſtrę, dicendo, quod Angelus non habuit evidentiam, an eſſet creatura, an Deus, qui ſibi loquebatur, ſed per evidentiam naturalem vtrumque ignoraſſe, & per fidem credidiſſe eſſe Deum.

100. Secundò probant PP. Salmant. evidentiam in atteſtante ex alio principio ſic: Angelus evidenter ſciebat illuminationem incipientem cum eſſe re tribui ſpecialiter Authori ipſius, ex illo trito principio Div. Thom. *Omnis operatio incipiens cum eſſe rei tribuitur Authori ipſius rei*, ex quo probat Angelos in primò inſtanti non potuiſſe peccare: Sed evidenter ſciebat in primò ſuę creationis inſtanti illam loquutionem, ſeù illuminationem, quam habebat de Myſterijs, incipere cum ſuo eſſe: Ergò evidenter cognoſcebat illam tribuendam ſpecialiter Deo, ſuo Auhori: Ergò evidenter agnoſcebat Deum eſſe qui ſibi loquebatur, & qui ipſum illuminabat: Ergò habebat evidentiam in atteſtante.

101. Huic obiectioni reſpondebat M. Ferre, Angelum non cognoviſſe evidenter illud principium: *Omnis operatio incipiens, &c.* quia illud non eſt ità evidens, quod oppoſitum non ſit probabile, nam contra illud militat Scotus cum ſua Schola, & plures Societatis Authores. Sed contra inſurgunt PP. Salmantic. quia licèt illud principium nobis non eſſet evidens, ſed tantum probabile, id tamen exiſtimari nequit de Angelis, quia quę hominibus dubia ſunt, & opinabilia, non ſunt Angelis dubia, nec opinabilia, ſed evidentia, præſertim quando proceditur ex principijs naturalibus; quę ipſi evidenter, & comprehenſivè cognoſcunt: Ergò illud principium non potuit Angelo eſſe ſolum probabile, ſed illi fuit evidens.

102. Nec ſatisfacit M. Ferre, dicens, quod cum doctrina Div. Thom. ſolum inter nos ſit probabilis, non poſſumus iudicare, quam partem Angelus evidenter cognoverit, an ſententiam Scoti, an Div. Thom. & ſic non poſſumus iudicare, quod habuerit evidentiam de eo, quod illa illuminatio erat à Deo. Contra enim eſt, quia licèt nobis non ſit evidens doctrina Div. Thom. nec illud principium, tamen certum eſt, quod ſi illud principium eſt verum, Angelus illud cognovit evidenter, & non purè opinativè, ſeù probabiliter: Sed Thomiſtę omnes defendimus illud principium eſſe re ipſa verum: Ergò defendere tenemur, quod Angelus illud cognovit evidenter vt verum. Si autem dicas, nos defendere illud vt verum, non evidenter, ſed ſolum probabiliter; ſic arguo: Ergò licèt non evidenter, probabiliter tamen defendere debemus, Angelum illud cognoviſſe evidenter, & habuiſſe evidentiam, quod illumi-

minatio, & loquutio primi inſtantis erat ſpecialiter à Deo, idque cõſequẽter negare non poſſumus.

103. Nihilominus, ſiquis probabiliter defendere vellit ſolutionem M. Ferre, poterit dicere, quod licèt Angelus evidenter cognoverit illud principium intellectum intra ordinem naturę, & de omni operatione naturali, non tamem ipſum intellectum de omni operatione etiam excedenti, & tranſcendenti ordinem naturę, quia de his operationibus per lumen naturale nihil evidenter cognoſcere potuit, & circa huiuſmodi potuit habere cognitionem tantum probabilem, & opinativam, & ſimiliter de illo principio intellecto de operationibus ſibi naturaliter incognitis, excedentibuſque ſuam naturam, & ſuum lumen naturale cognoſcitivum: De quomodo dicendi, quid ſententiam, dicam infra. Nunc tamen.

104. Aliter reſpondeo, negando antecedens, quia PP. Salmantic. confundunt illuminationem, & revelationem, quę fiebat Angelo, cum eius operatione, applicatione, & aſſenſu, vt legenti ipſos patebit, cum tamen diverſiſſima ſit ratio, nam erga illam Angelus ſe habebat merè paſsivè, in hac autem activè: Principium autem illud Div. Thom. ſolum eſt de prima operatione Angeli incipiente cum eſſe Angeli, de qua probat non poſſe eſſe malam per liberum arbitrium, quia tribuitur Authori ipſius, ſeù quia ab illo eſt applicativè, vt explicant Thomiſtę; non autem eſt de loquutione, aut illuminatione paſsiva ipſius Angeli, nam hanc debere in primo inſtanti eſſe ſpecialiter à Deo, nunquam dixit Div. Thom. immò nec de illa verum eſt, quod illuminatio paſsiva incipiens cum eſſe rei debeat tribui ſpecialiter Authori ipſius rei, nam ſi nunc Deus in præſentia ſolis crearet chryſtalum, aut corpus diaphanum, in primò inſtanti illud corpus illuminaretur paſsivè à ſole, & non immediatè à Deo, vt Authore ſpeciali, ſed ſolum vt à cauſa generali: Poſſet ergò Angelus ſaltem metaphyſicè loquẽdo, in primo inſtanti alloqui, ſeù illuminari paſsivè ab alio Angelo, vel alia creatura præexiſtenti ſibi incognita, & non immediatè, ſeù ſpecialiter à Deo, & hoc adhùc ſaluo illo principio, *omnis operatio incipiens, &c.* vt evidenter cognito ab Angelo: Ergò ex illo non probatur Angelum cognoviſſe evidenter illam loquutionem, ſeù paſsivam illuminationem, quam in primo inſtanti percipiebat, fuiſſe ſpecialiter loquutionem Dei, ſeù à Deo.

105. Sed replicabis, & inſtaurabis argumentum: Aſſenſus præſtitus illi loquutioni ab ipſo Angelo in primo inſtanti, fuit operatio ipſius incipiens cum eſſe eius: Sed Angelus cognoſcebat evidenter, quod omnis operatio incipiens cum eſſe ſuo erat ſpecialiter à Deo applicante: Ergò cognoſcebat evidenter ipſum aſſenſum ſuum præſtitum à ſe revelationi eſſe ſpecialiter à Deo applicativè: Sed cognoſcebat evidenter, non poſſe eſſe falſum aſſenſum ſpecialiter procedentem à Deo applicativè: Ergò cognoſcebat evidenter illum ſuum aſſenſum eſſe verum: Ergò, & ipſius obiectum eſſe ita vt ab ipſo credebatur, & conſequenter revelationem, quam divinam credebat, & cui tanquam divinę aſſentiebatur, eſſe re ipſa divinam: Ergò habuit evidentiam in atteſtante. Hoc argumentum magnifaciunt PP. Salmant. & alij RR. Verumtamen multis capitibus deficit.

106. Primò, quia non probat directè, & propriè evidentiam in atteſtãte, ſed evidẽtiam Myſterij independenter à divina atteſtatione ex alio principio diſtincto. Ratio eſt, quia probat veritatem obiecti crediti, ſeù Myſterij ex veritate ſui aſſenſus, & veritatem ſui aſſenſus, non ex divina atteſtatione, ſed quia aſſenſus ille eſt operatio incipiens, &c. & conſequenter ſpecialiter à Deo movente, & applicante, qui titulus Dei moventis, & applicantis eſt valdè diſtinctus à Deo vt teſtificante, & revelante: Ergò probat evidentiam Myſterij independenter à divina atteſtatione, ex alio principio diſtincto. Explicatur: Quamvis revelatio, & illuminatio obiectiva facta Angelo in primo inſtanti non eſſet Dei ſpecialiter, ſed alterius creaturę ſuperioris Angelo loquentis virtute propria, (quod eſſe poſsibile negari nequit, niſi negetur poſsibilis metaphyſicè Angelis communicatio conceptuum, & ſecretorum, & conſequenter ſocietas, & amicitia in primo inſtanti, quod ſanè negari non poteſt, niſi ponendo naturam Angelorum imperfectam;) totam ſuam vim haberet argumentum factum, ſiquidem adhùc in eo caſu aſſenſus Angeli eſſet operatio incipiens cum eſſe Angeli, & conſequenter ſpecialiter à Deo applicante, & movente: Ergò eo argumento probatur evidentia Myſterij independenter à divina atteſtatione, ex alio capite diverſo: Ergò ſi eum hac prætendit conciliare fidem, prætendit conciliare fidem cum evidentia aliunde, quam ex atteſtante habita: Hoc autem eſt contra ipſos PP. Salmantic. Et ſecundum hanc doctrinam.

107. Reſponderi poteſt primò, conceſſo toto primo ſyllogiſmo, & minori ſubſumpta, diſtinguendo conſequens: Ergò cognoſcebat evidenter illum ſuum aſſenſum eſſe ve-

verum ex evidentia divinę atteſtationis, nego conſequentiam: A priori,& ex cauſa efficienter movente, & applicante, tranſeat conſequens,& eadem diſtinctione ad cætera reſpondeo, admittendo quod ex prædicto principio cognoſcebat evidenter ſuum aſſenſum eſſe verum, & obiectum ipſius ita eſſe, & conſequenter revelationem eſſe divinam, ſed hæc non erat evidentia in atteſtante, de qua procedit quæſtio, ſed alia evidentia à priori ex cauſa efficienti: Nec obſtat, quod ex indè poterat evidenter inferre atteſtationem eſſe divinam, quia hoc non inferebat ex ipſa atteſtatione, nec atteſtatio erat evidens antecedenter ad aſſenſum, ſed conſequēter ad aſſenſum,& quia intellectus illi aſſentiebatur, & aſſenſus probatur evidenter verus à priori ex cauſa efficienti.

108. Secundò deficit, quia quamvis hæc evidentia concilietur cum fide, non tamen evidentia in atteſtante; eſt enim maxima diſparitas; nam evidentia iſta de veritate Myſterij, & revelationis ex eo, quod aſſenſus elicitus in primo inſtanti circa revelationem, & Myſterium debet eſſe verus, ſupponit aſſenſum ipſum iam elicitum, & in eo fundatur, vndè non poteſt tollere obſcuritatem motivi, & obiecti fidei vt præcedentis aſſenſum; ſufficit autem ad fidem, quod obiectum ipſius, prout obijcitur ante aſſenſum, ſit inevidens,& obſcurum,& quod illi vt tali aſſentiatur intellectus, quamvis conſequenter, facta reflexione ſuprà talem aſſenſum, evidenter cognoſcat ipſum eſſe verum, & magis conſequenter, Myſterium, & revelationem ita eſſe, nam hæc evidentia venit poſt elicitum aſſenſum obſcurum. At evidentia in atteſtante eſt evidentia præcedens aſſenſum, quia eſt evidentia Dei loquentis, & moventis obiectivè ad aſſenſum fidei: Hæc autem evidentia eſt prævia de neceſsitate, tollenſque neceſſariò obſcuritatem præviam in obiecto, & motivo fidei requiſitam. Et indè etiam reſpondeo ſecundò: conceſſo toto argumento, diſtinguendo vltimum conſequens: Ergò habuit evidentiam in atteſtante propriè dictam, & præviam ad aſſenſum, nego: Impropriā, & cōſequētē, cōcedo, nā de iſta, vt cōcilietur cū fide, eſt diverſiſsima ratio ac de altera, vt oſtēsū manet.

109. Tertiò deficit, quia principium illud Div. Thom. *Omnis operatio incipiens, &c.* ſolum adducitur ab eo, ad probandum operationem incipientem cum eſſe Angeli non poſſe eſſe malam, ex libero arbitrio; at non poſſe eſſe inculpabiliter falſam ab extrinſeco fallēte, nec probat Div. Thom. nec infertur ex illo principio. Non quidem probat Div. Thom. vt conſtabit legenti ipſum 1. *part. quæſt.* 83. *art.* 5. *& quæſt.* 16. *de malo, artic.* 4. Quia vtrobique ſolum probat Div. Thom. ex illo principio, Angelum in primo inſtanti, *non potuiſſe eſſe malum per inordinatum actum ſui liberi arbitrij*, immò quantum eſt ex illo principio videtur permittere poſſe creaturam ſpiritualem in primo inſtanti ſuę creationis contrahere malum ab extrinſeco, vndè *loco citat. de malo ad* 21. Reſpondet dicendum, quod anima in primò inſtanti ſuę creationis efficitur mala, non per actionem propriam, ſed per vnionem ad corpus infectum, vndè non eſt ſimilis ratio de Angelo, qui non potuit fieri malus niſi per actionem propriam: Sed poteſt decipi inculpabiliter, & non per actionem propriam, vt propriam,& voluntariam, ſed per loquutionem alienam: Ergò ex ipſo Div. Thom. diſcurſu videtur colligi, quod Angelus potuerit inculpabiliter decipi in primò inſtanti ab extrinſeco fallente. Deindè, nec oppoſitum probatur ex illo principio, quia illud principium ſolum probat aſſenſum Angeli in primo inſtanti eſſe applicativè à Deo: Sed ſtat optimè applicationem ad aliquem aſſenſum eſſe ſpecialiter à Deo, & tamen talem aſſenſum evadere inculpabiliter falſum, nempè ex teſtimonio extrinſeco prudenter credibili, ſed falsò: Ergò. Probatur minor, quia licèt Charitas ſit habitus ſanctus,& divinus, poteſt per accidens applicare intellectum ad iudicium inculpabiliter erroneum, vt conſtat ex ſuprà dictis, *diſput.* 2. *quæſt.* 3. *num.* 126. *& loc. ibi citatis, ex Tractat. de Conſc.* Et tamen tota applicatio, nempè actus charitatis, eſſet ſpecialiter ex Deo, quin Deus eſſet cauſa per ſe erroris: Ergò idem poſſet contingere in primo inſtanti Angeli, ſi eſſet creatura extrinſecè fallens, & decipiens Angelum, nempè, quod ex charitate à Deo ſpecialiter in illo cauſata applicaretur ad credendum dicenti, & tamen quod aſſenſus evaderet falſus præter intētionem Dei, & charitatis applicantis, immò, & præter, ſeù contra intentionem ipſius Angeli credentis invincibiliter vt verum, quod re ipſa eſſet falſum: Non ergò tunc falſitas, aut error imputaretur Deo applicanti.

110. Et ex hac doctrina reſpondeti etiam poteſt tertio ad principalem replicam, conceſſo primo ſyllogiſmo, diſtinguendo minorem ſubſumptam. Cognoſcebat evidenter non poſſe eſſe falſum aſſenſum ſpecialiter procedentem à Deo applicativè, non poſſe inquam eſſe falſum culpabiliter, tranſeat: Non poſſe eſſe falſum inculpabiliter, ſubdiſtinguo: Si procederet à Deo vt per ſe applicante ad illum, concedo: Si adeò vt per ſe ſpecialiter applicante ad aſſenſum verum, quantum eſt ex parte applicationis, & per accidens egrederetur falſus ex fa-

falſitate teſtimonij extrinſeci, nego minorem, quia an hoc pacto poſſet Angelus falli, ac decipi in primo inſtanti, non eſt certum ex illo principio, vt oſtenſum manet, immò videtur poſsibile, quia poſsibile eſt, quod Angelo in primo inſtanti loquatur alia creatura antecedenter exiſtens, loquutione prudenter credibili, ſed re ipſa falſa, quia id Deus poſſet permittere creaturę loquenti, quod nimirum vel falleret vel falleretur in eo quod loqueretur ex propria applicatione: Sed Angelus in primo inſtanti poſſet credere loquutioni prudenter credibili, & propoſitę invincibiliter vt verę: Ergò & loquutioni re ipſa falſę: Nec obeſt, quod applicaretur, & moveretur à Deo in illo primo inſtanti, quia ſolum applicaretur, & moveretur efficienter, motione quantum eſt ex ſe applicantre ad verum, ſed obiectivè moveretur à loquutione externa alterius invincibiliter apparente vera, ſed re ipſa falſa; vndè peccare non poſſet, verumtamen poſſet falli.

111. Quarto deficit: Quia illud principium *omnis operatio, &c.* Poteſt intelligi cum duplici vniverſalitate, prima, de omni operatione incipiente cum eſſe rei intra ordinem purę naturę: Secunda, de omni operatione abſolutè, ſivè naturali, ſivè tranſcendente ordinem, & exigentiam totius naturę: Angelus autem ſolum potuit habere evidentiam de illo principio ſub prima vniverſalitate, quia lumen evidens, quod habebat Angelus erat purè naturale, & conſequenter ſolum poterat ſe extendere ad illud principium, vt vniverſale intrà ordinem naturę, non verò ad illud, vt vniverſale vniverſalitate tranſcendenti ordinem, & exigentiam totius naturę: Ergò Angelus ſolum cognovit evidenter, quod omnis operatio incipiens cum eſſe rei intrà ordinem naturę, debet tribui ſpecialiter Authori ipſius rei; ſed ex hoc præcisè evidenter cognito, nulla poteſt fieri conſequentia evidens ad operationem tranſcendentem ordinem, & exigentiam naturę, qualis erat ille aſſenſus Angeli in primo inſtanti circa Myſteria ſupernaturalia: Ergò ex illo principio, vt evidenter à ſe cognito, non poterat Angelus evidenter cognoſcere illum aſſenſum eſſe ſpecialiter à Deo, & re ipſa verum.

112. Et ſecundum hanc doctrinam reſpondeo quarto ad principalem replicam, diſtinguendo maiorem: Aſſenſus præſtitus, &c. fuit operatio naturalis incipiens cum eſſe eius, nego maiorem: Fuit operatio tranſcendens ordinem, & exigentiam naturę, concedo maiorem, & diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam, quià ex principio vniverſali purè intrà ordinem naturę, & naturali lumine evidenter cognito, nihil poterat Angelus evidenter cognoſcere circa aſſenſum illum ſupernaturalem, & excedentem captum naturale ipſius, ſed ex vi luminis naturalis manebat in pura ignorantia, & obſcuritate, reſpectu talis aſſenſus: Vndè de illo, nec evidenter ſciebat, an eſſet à ſe an ab alio, an ſpecialiter à Deo, ſed totum hoc ipſi erat ignotum, & obſcurum. Nec poſſunt contrarij recurrere ad lumen evidens ſupernaturale, vi cuius cognoſceret evidenter illud principium vniverſaliter intellectum, vniverſalitate tranſcendente ordinem naturę; quia cum hoc lumen, vtpotè gratuitum, potuerit à Deo concedi, & non concedi ipſi Angelo, & aliàs ex nullo Sacro Textu, nec ex SS. PP. conſtet ipſi conceſſum fuiſſe, ſine fundamento adſtruetur ipſi conceſſum: Nos autem arbitramur illi non fuiſſe conceſſum, cum ſufficientiſsimo fundamento, nempè vt ſalvetur in ipſo fides obſequioſa, & meritoria.

113. Sed dices: Div. Thom. evidenter cognovit illud principium vniverſaliter intellectum, etiam de operationibus tranſcendentibus ordinem naturę: Nam ex illo probat Angelum non potuiſſe peccare in primo inſtanti, adhùc contra ordinem ſupernaturalem: Ergò multò meliùs potuit Angelus illud evidēter cognoſcere; non enim eſt neganda Angelo evidentia, quam homines poſſunt habere de illo principio. Reſpondeo diſtinguendo antecedens: Evidenter cognovit illud principium evidentia abſoluta, & antecedenti ad fidem, nego antecedens; ex ſuppoſitione fidei, & conſequenter ad ipſam fidem per evidentiam theologicam, concedo antecedens: Et diſtinguo conſequens in eodem ſenſu, quia Div. Thom. ſolum potuit habere evidentiam theologicam illius principij, vt ambientis operationes ordinis ſupernaturalis: Evidentia autem theologica non eſt omninò abſoluta, & antecedens fidem, ſed conditionata, & ex ſuppoſitione fidei: Vndè relinquit obiectum abſolutè obſcurum, & conſequenter eſt compatibilis cum fide circa idem obiectum.: Hanc autem evidentiam theologicam non negamus Angelo, ſed ſolum evidentiam abſolutam, & antecedentem ad fidem, nam talis deberet eſſe evidentia in atteſtante, de qua procedit quæſtio.

(∴)

* * *

ALI-

ALITER SOLVITVR PRINCIPALE argumentum, & explicatur qualis fuerit fides Angeli viatoris.

114. DEMUM reſpondeo argumento principali, quod adhùc admiſſo, Angelum cognoviſſe evidenter, quod Deus ſibi loquebatur, non tamen cognovit evidenter ſenſum determinatum, in quo Deus illi loquebatur; quia ſtat optimè, me evidenter cognoſcere, aliquem mihi loqui, ſed non cognoſcere evidenter ſenſum, in quo loquitur: Sic ergò potuit contingere Angelo, & conſequenter carere evidentia adæquata in atteſtante, quę importat evidentiam ſenſus determinati.

115. Sed contra obijcitur, quia Angelus credidit in ſenſu determinato: Sed ſi non ſciret ſenſum determinatum, in quo Deus illi loquebatur, non poſſet credere in ſenſu determinato: Ergò. Probatur minor. Quia ignorato ſenſu determinato, non haberet motivum, à quo determinaretur, vt crederet in ſenſu illo determinato, vel aſsignemus illud.

116. Reſpondet Ioannes à S. Thom. Angelum fuiſſe determinatum, non per ipſam divinam revelationem, cuius ſenſum ignorabat, ſed per inſtinctum, & inſpirationem, ſeu per ipſum lumen fidei, per quod ſibi determinabatur ſenſus divinę loquutionis. Sed hæc ſolutio non ſatisfacit; quia fides divina, vltrà divinam inſpirationem, & lumen ſupernaturale moveas ſubiectivè, debet moveri ex parte obiecti ex divina revelatione, tanquàm ex motivo reddente omninò infallibilem aſſenſum fidei, tota enim infallibilitas ex divina revelatione deſumitor: Sed ſi divina revelatio, aut loquutio non determinat ſenſum, quamvis talis ſenſus determinetur per aliud lumen, aut inſtinctum, fides non determinatur ad credendum in tali ſenſu ex vi revelationis, cum revelatio præſcindat à ſenſu determinato: Ergò non poterit movere ad credendum infallibiliter in tali ſenſu fide divina.

117. Vndè aliter reſpondeo, conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: Si non ſciret evidenter ſenſum determinatum, nec talis ſenſus proponeretur ſibi vt credibilis, concedo minorem: Si proponeretur vt evidenter credibilis; nego minorem, & conſequentiã: Quia potuit Deus revelare Angelo Myſterium tali modo, & ſignis, vel ſignis externis, quod licèt ſenſus, in quo loquebatur, non appareret evidenter, evidentia phyſica, vel metaphyſica, appareret tamen evidenter, evidentia morali, ſeù evidentia credibilitatis; nam quis neget Deum poſſe exhibere Angelo aliqua ſigna illius ſenſus determinati, quę reddant revelationem in tali ſenſu evidenter credibilem, licèt non reddant evidentem phyſicè, aut metaphyſicè talem ſenſum? In quo caſu advertendum eſt, quod motivum formale credendi in tali ſenſu non eſſent ea ſigna, quę ſolum ſe haberent per modum conditionis ex parte credibilitatis, ſicut ſe habent reſpectu noſtri motiva credibilitatis, vndè ſola revelatio eſſet motivum formale fidei in tali ſenſu exercitę; ſicut quãdo Eccleſia definit, aut declarat ſenſum Scripturę, talis declaratio non eſt motivum formale credendi Scripturam in tali ſenſu, ſed ſolum eſt conditio, revelatio autem à Deo facta, & in Scriptura contenta eſt ratio formalis motiva credendi in eo ſenſu, quem declarat Eccleſia.

118. Sed inſtat primò M. Ferre: Quia vel Angelus cognoſcebat evidenter, an ille ſenſus determinaretur à Deo, vel non? Si primum: Ergò habebat evidentiam adæquatam in atteſtante. Si ſecundum: Ergò potuit Deus determinare ſenſum ſuę loquutionis, quin Angelus cognoſceret evidenter an à Deo, an à ſe determinaretur ille ſenſus: Ergò poterat ità loqui Angelo, vt Angelus nõ cognoſceret evidenter an ea loquutio eſſet à ſe, an à Deo. Reſpondeo, negando hãc cõſequentiam, quia de loquutione evidenter poterat cognoſcere ſe non loqui illam, ſed ab alio audire, & in hoc videtur impoſsibilis ignorantia: At de ſenſu loquutionis facilius eſt ignorare, ſeù non evidenter cognoſcere, an in tali ſenſu alius loquatur, an forſan ità à me accipiatur contra ſenſum alterius: Quod diſcrimen ipſa experientia inter nos ipſos probat ſatis.

119. Inſtat ſecundò: Nam aſſenſus determinatus, quo Angelus credebat, erat adæquatè ſupernaturalis: Ergò evidenter cognoſcebat Angelus, quod principium proximum, à quo procedebat, non erat virtus innata Angelo: Ergò evidenter cognoſcebat eſſe à Deo. Sed facilè etiam reſpondetur, conceſſo antecedenti, negando primam conſequentiam; quia licèt ille aſſenſus re ipſa eſſet ſupernaturalis, & ex lumine infuſo, Angelus tamen id evidenter non cognoſcebat; quia de rebus ſupernaturalibus non habebat evidentiam. Sed Vrget: Angelus evidenter cognoſcebat illum aſſenſum nõ eſſe naturalem: Ergò cognoſcebat evidenter eſſe ſupernaturalem, ſeù non eſſe ex propria virtute. Nego antecedens; quia Angelus de qualitate illius aſſenſus non poterat habere evidentiam, ex hoc ipſo, quod erat ſupernaturalis;

quia lumen evidens, quod habebat Angelus, erat tantum naturale, lumine autem naturali non poterat evidenter iudicare de qualitate vllius rei ſupernaturalis: Vndè circa naturalitatem, vel ſupernaturalitatem illius aſſenſus, lumen naturale merè negativè ſe habebat; ſi enim evidenter cognoſceret illum eſſe, & non eſſe naturalem, evidenter agnoſceret illum eſſe ſupernaturalem, quia evidenter agnoſcebat nō dari medium; quia ſi lumen naturale poſſet ſe extendere ad cognoſcendum aliquid eſſe,& non eſſe naturale,pariter poſſet ſe extendere ad cognoſcendum illud eſſe ſupernaturale. Vide ſuprà, *num.* 98.

120. Mitto, quod non eſt idem aſſenſus Angeli, ac ſenſus revelationis; & licèt Angelus habuiſſet evidentiam conſequentem, & reflexam de eo, quod ſuus aſſenſus eſſet ſupernaturalis, & ex virtute infuſa elicitus, hoc non probat habuiſſe evidentiam de ſenſu revelationis,quę eſſet antecedens ad ſuum aſſenſum; ſola autem hæc evidentia eſt evidentia in atteſtante, quę tollit obſcuritatem in obiecto fidei; evidentia autem reflexa de aſſenſu præſtito conſequens ad ipſum, nec eſt evidentia in atteſtante, nec impedit obſcuritatem prærequiſitam in obiecto fidei. Vide ſuprà, *num.* 106.

121. Aliter impugnant PP Salmant. prædictam ſolutionem, primò, quia ad dignitatem Dei,& ad conditionem Angeli in illo primo inſtanti pertinebat, quod Deus illi determinatè proponeret Myſteria credenda, alioqui Angelus indigeret conſultatione, & nova loquutione ad determinandum ſenſum Dei loquentis: Ergò. Secundò, quia ſi Deus non propoſuiſſet Angelo Myſteria in determinato ſenſu, Angelus non fuiſſet obligatus ad credendum in ſenſu vllo determinato vſquedum nova luce conſuleret de ſenſu; ſed hoc eſt falſum, quia aliàs expectandum eſſet ſecundum inſtans ad credendum: Ergò. Tertiò, quia aliàs Angelus non potuiſſet elicere aſſenſum infallibilem, quia ad hunc, ſicut requiritur, quod credens certò cognoſcat Deum ſibi loqui,ita requiritur, quod certò cognoſcat ſenſum, in quo loquitur, aliàs temerè crederet in illo ſenſu, & cum contingentia falſitatis: Ergò. Quartò, quia incredibile apparet,quod Myſteria,quę ipſis ruſticis proponuntur in ſenſu determinato, proponerentur Angelo ſob ambiguitatibus: Quintò, quia ſaltèm fuit Angelo propoſitum in determinato ſenſu, Deum eſſe Authorem ſupernaturalem: Ergò ſaltèm de hoc habuit evidentiam in atteſtante.

122. Sed ad hæc facilè reſpondetur, ea procedere ex ęquivoca intelligentia præfatę ſolutionis, non enim negamus, nec negavit Ioann. à S. Thom. Deum proponere Angelo Myſteria in ſenſu determinato, ſed ſolum quod illa proponeret evidenter in ſenſu determinato, quia licèt admittat evidentiam de eo, quod Deus eſt, qui proponit, & qui loquitur, negat tamen evidentiam in Angelo de ſenſu determinato, in quo Deus loquitur, & ſolum admittit certitudinem de tali ſenſu cum obſcuritate, quia non eſt impoſſibile aliquem loqui in ſenſu determinato, ita vt ſit evidens quod ipſe loquitur, ſed non ſit evidens quod loquitur in illo ſenſu determinato, ſed ſolum certò credibile ex modo loquendi. Vndè ad primam dico, quod ad dignitatem Dei, & Angeli conditionem oportuit, quod Deus illi proponeret Myſteria in ſenſu determinato, non tamen cum evidentia ſenſus determinati, ne impediretur fides, ſed ſolum cum obſcura certitudine, ſicut nobis proponitur; nec indè infertur Angelum eguiſſe nova conſultatione, quia propoſito Myſterio in ſenſu determinato, licèt non evidenti, evidenter tamen credibili, nulla opus eſt nova conſultatione ad credendum. Ex quo ad ſecundam, nego maiorem, quia vt Angelus obligaretur, ſatis erat quod ille ſenſus proponeretur vt evidenter credibilis, licèt non vt evidens evidentia in atteſtante, vt patet in nobis. Ad tertiam ſimiliter nego ſequelam, quia vt Angelus eliceret aſſenſum infallibilem, non erat opus cognoſcere evidenter ſenſum revelationis, ſatis enim erat, quod illi proponeretur, licèt obſcurè, per ſignum,aut per illuminationem ſupernam certificantem ipſum, & cum evidentia credibilitatis, vt patet in nobis, qui elicimus aſſenſum infallibilem, licèt evidenter non cognoſcamus, nec revelationem, nec ſenſum eius. Ad quartam dico, quod non dicimus,Angelo fuiſſe popoſita Myſteria ſub ambiguitatibus, præſertim in illo primo inſtanti,ſed in ſenſu determinato,obſcuro tamen,Myſterioſo, & enigmatico, aut alio modo, nec enim credendum eſt defuiſſe Deo modum determinandi obſcurè ſenſum ſuę loquutionis, aut loquendi in ſenſu determinato obſcuro; & ſic obiectio de ruſticis non eſt ad rem. Ad quintum denique dico, fuiſſe propoſitum Angelo in ſenſu determinato Deum vt Authorem ſupernaturalem, ſed non evidenter determinato, ſed obſcurè, vt eſſet locus fidei.

123. Sed dices: Angelus non habuit rationem dubitandi de ſenſu illo determinato: Ergò dubitare non potuit: Ergò habuit evidentiam de ſenſu illo determinato. Confirmatur primò: Propoſito illo ſenſu determinato, vt evidenter credibili,Angelus non potuit

tuit dubitare, in illo primo inſtanti, quia ſi dubitaret, peccaret, & non potuit peccare: Ergò ille ſenſus determinatus fuit Angelo indubitabilis in illo primo inſtanti: Ergò evidens. Confirmatur ſecundò: Angelus non potuit non aſſentire Myſterio in ſenſu propoſito, quia fuit obligatus evidenter ad aſſenſum, & non potuit contravenire obligationi, alias peccare potuiſſet: Ergò fuit neceſsitatus ad aſſenſum: Sed intellectus neceſsitari nequit, niſi ex obiecto evidenter propoſito: Ergò ille ſenſus fuit evidenter, & non obſcurè propoſitus. Tertiò: Angelus cognoſcebat evidenter, ſe aſſentire revelationi in illo ſenſu, item ſe non poſſe falli, aut errare in illo primo inſtanti, quia alias eius falſitas, vel error tribueretur Deo: Ergò cognoſcebat evidenter ſenſum illum eſſe re ipſa verum ſenſum divinę revelationis, quem ille talem iudicabat. Quartò, quia evidenter ſciebat talem ſenſum eſſe credibilem ſibi fide divina, ſequè obligatum ad credendum illum fide divina: Ergò ſciebat evidenter eſſe verum ſenſum. Quintò: Ille ſenſus determinatus non fiebat ſibi evidenter credibilis à ſe, nec ab alio proponente, idque ſciebat Angelus: Ergò ſciebat ſolum fieri ſibi credibilem à Deo: Sed alias ſciebat Deum non poſſe facere credibilem doctrinam falſam, aut ſenſum non verum: Ergò ſciebat ſenſum illum, quem Deus ſibi credibilem evidenter reddebat, eſſe verum ſenſum, in quo Deus loquebatur.

124. Reſpondeo, diſtinguendo antecedens: Angelus non habuit rationem poſitivam dubitandi, concedo: Rationem negativam dubitandi, nego antecedens, & conſequentiam in eodem ſenſu. Rationem poſitivam dubitandi voco rationem ſuadentem oppoſitum, aut contrarium ei, quod proponitur, & hanc non habuit Angelus in primo inſtanti, quia hæc eſſet tentatio contra fidem adhibendam divinę revelationi, quam tentationem abſdubio non habuit Angelus. Rationem negativam dubitandi voco rationem non ita convincentem intellectum, nec illum neceſsitantem, quod quantum eſt ex ſe non permittat intellectum negativè ſaltèm dubitare, hoc eſt ſuſpendere iudicium; & hanc habuit Angelus in primo inſtanti, quia ipſa ratio poſitiva aſſentiendi Myſterijs propoſitis, non fuit ita evidens, nec evidenter convincens intellectum ad aſſenſum in ſenſu illo determinato, quod neceſſario extorqueret talem aſſenſum ante imperium voluntatis, ſed fuit propoſita cum indifferentia obiectiva, ſaltèm negativa, permittendo nempè ex parte ſua, quod intellectus ſuſpendere poſſet iudicium propter in evidentiam obiecti moventis, præſertim quoad ſenſum illum determinatum.

125. Ad primam confirmationem, diſtinguo antecedens: Non potuit dubitare poſitivè, concedo: Negativè, ſubdiſtinguo, attenta propoſitione divinę revelationis intrà ſphæram intellectus, nego: Attenta impeccabilitate voluntatis, transeat, vel ſubdiſtinguo: Non potuit dubitare negativè, cum poſitiva voluntarietate, concedo: Cum permiſsiva, aut negativa voluntarietate, nego antecedens: Et diſtinguo conſequens in eodem ſenſu, negoque vltimam conſequentiam. Angelus itaque in primo inſtanti, ſuppoſita ipſius impeccabilitate, non potuit dubitare poſitivè, tunc quia hoc eſſet peccare contra fidem, tum quia non potuit quoti motivis contrarijs ad aſſenſum, & diſſenſum, quod erat neceſſarium ad poſitivam dubitationem ex parte motivi. Solum ergò potuit dubitare negativè, non abſolutè, ſed attento ſolum motivo credendi, & eius propoſitione obiectiva, quia cum non proponeretur evidenter convincendo intellectum ad aſſenſum, ſed obſcurè, relinquebat ex ſua parte locum ſuſpenſioni iudicij, ſiquidem movebat cum indifferentia obiectiva, & ſic intellectus intrà ſphæram puram intellectus nō erat neceſſitatus ad aſſenſum. Cum autem arguis, quod ſi ſuſpenderet iudicium, aut non aſſentiret, peccaret, & non poterat peccare; hoc iam ſpectat ad voluntatem, quę tenebatur applicare, & determinare intellectum ad aſſenſum, vndè ſi velis, quod voluntas non poterat, propter impeccabilitatem, ſuſpendere intellectum, aut nolle aſſentire, hæc impoſsibilitas non tollit indifferētiam obiectivam intrà ſphæram intellectus ex parte motivi credendi, quia eſt ex alio capite, & ad ſphæram voluntatis pertinens. Verumtamen, quia etiam voluntas Angeli debet poni indifferens, tum obiectivè, tum ſubiectivè ad credendum, ſaltèm indifferentia negativa, & contradictionis, ſeù quoad exercitium, vt fides libera, obſequioſa, & meritoria ſit, propreteà dico, voluntatem Angeli in primo inſtanti non potuiſſe nolle poſitivè credere, nec poſitivè ſuſpendere iudicium, quia hoc eſſet peccare; at potuiſſe negativè ſe habere non determinando, nec aſſenſum, nec ſuſpenſionem, quia ad neutrum determinandum erat neceſsitata, ſed putà omittendo, omiſsione negativa, quę eſt extremum purę libertatis contradictionis, & quę peccatum non eſſet, ſed carentia purè negativa. Quem modum explicandi libertatem in ſubiecto impeccabili alibi explico. Ex quo.

126. Ad ſecundum, diſtinguo ante-

curitatem, & inevidentiam, & ideò evidentia in atteſtante relinquit in hominibus locum fidei obſequioſę, & meritorię pro ſequenti tempore, vt ſtatim dicemus: At ſi Angelis Deus loquutus fuiſſet cum evidentia in atteſtante adæquata in primo inſtanti, non eſt ita facilè intelligibile, quod ſtatim in ſecundo inſtanti eſſet ipſis obſcurum, quod in primo erat evidens, & quod tranſiret evidentia in obſcuritatem, nec hoc cōgruebat immutabilitati Angelorum: Vndè non potuiſſent exercere fidem obſequioſam nec in primo, nec in ſecundo inſtanti, & conſequenter nec in ſtatu vię, qui non durat niſi illis duobus inſtantibus: Cum autem ſupponatur ipſos in via habuiſſe fidem meritoriam, & obſequioſam, admitti nequit, quod habuerint evidentiam in atteſtante. Nec ex eo, quod perſpicaciores ſint in intelligendo, ſequitur quod eis clarius debuit fieri revelatio, quia forſan magis illis congruebat obſcura revelatio ex hoc ipſo; tum quia Deus abſcondit hæc Myſteria à Sapientibus, & Prudentibus, & revelat ea parvulis, vndè plures exiſtimant, plura Myſteria revelaſſe Deum hominibus, quam Angelis in via; tum quia propter maiorem perſpicaciam eorum, minus clara, ſeù obſcura revelatio ſufficiebat, ex his enim duobus capitibus videmus Deum plura revelaſſe, & clarius alloquutum fuiſſe ſimplicibus, & humilibus, etſi rudibus, immò, & mulieribus, quam Sapientibus, & Peritiſſimis, licèt Sanctis. Et hæc quidem dixerim ſuppoſito, quod Angeli habuerint fidem ſtrictè talem in primo inſtanti, nam ſi quis velit illis negare fidem ſtrictè talem in via, vel ſaltèm in primo inſtanti, admittendo ſolum evidentiam in atteſtante, quę dici poteſt fides in aliquo ſenſu; vel ſi dicere velit, ſaltèm Supremo Angelo revelata fuiſſe Myſteria cum evidentia in atteſtante, vt ipſe proponeret cæteris Myſteria obſcurè, dummodo non coniugat fidem actualem cum evidentia adæquata in atteſtante in eodem Angelo pro eodem inſtanti reſpectu eiuſdem obiecti, non multum diſceptabo, quia modus ille, quo Deus Angelis revelavit, abſconditus eſt, & de illo nihil certum ſciri poteſt, licèt certò ſciri poſsit evidentiam prædictam cum fide incompatibilem eſſe, quia hoc ex prædicatis eſſentialibus vtriuſque ſatis efficaciter, ne dicam evidenter, conſtat. Vndè, de modo quo Deus revelavit Angelis Myſteria, quidquid dixeris, poteſt admitti, quia impoſsibile non probatur, at coniunctio fidei cum evidentia admitti non poteſt, quia probatur efficaciter eſſe impoſſibilem.

131. Denique replicabis ex Div. Thom. *in præſenti, artic. 5. in corp.* vbi contrà aliquos Antiquos defendit, Angelos in via habuiſſe fidem, *quia illa ſola manifeſtatio excludit fidei rationem, per quam redditur apparens, vel viſum id, de quo principaliter eſt fides, principale autem obiectum eſt veritas prima, cuius viſio Beatos facit, & fidei ſuccedit: Cum ergò Angelus ante confirmationem, & homo ante lapſum, non habuerint illam beatitudinem, qua Deus per eſſentiam videtur, manifeſtum eſt, quod non habuerant ità manifeſtam cognitionem, quod excluderetur ratio fidei*: Ex quibus verbis ſic arguitur: Sola illa manifeſtatio tollit rationem fidei, per quam redditur viſum id, de quo principaliter eſt fides, ea nempè viſione, quę Beatos facit, nam de hac loquitur Div. Thom. ſed per evidentiam in atteſtante ita non videtur id, de quo principaliter eſt fides: Ergò per illam non auſertur ratio fidei. Secundo: Ex eo probat Div. Thom. in Angelis fuiſſe fidem, quia non habuerunt tam manifeſtam cognitionem, quę fidei rationem auferret, & hoc probat, quia non habuerunt viſionem beatam: Ergò ſentit per ſolam viſionem beatam, aut per totalem ignorantiam tolli poſſe rationem fidei de Deo, ſeù de prima veritate. Vndè inquit, *quod ſecluſa viſione beata, ſi non habuerunt fidem, eſſe non potuit, niſi quia penitus eis erat ignotum id, de quo eſt fides*: Sed evidentia in atteſtante non eſt viſio beata: Ergò per illam non tollitur ratio fidei. Tertiò, quia ſi per evidentiam in atteſtante tolleretur ratio fidei, tota probatio Div. Thom. nulla eſſet, nam reſponderi poſſet, Angelos non habuiſſe fidem, licèt caruerint viſione beata, quia non per ſolam viſionem beatam tollitur fides, ſed per evidentiam in atteſtante, & hanc habuiſſe Angelos in via: Sed hoc dici nequit: Ergò.

132. Sed in primis hoc argumentum, nimis probat, probat enim nec per ſcientiam ſtrictè talem auferri fidem, nec per ſcientiam infuſam de rebus divinis, quantumvis evidentem; hoc autem eſt expreſsè contra Div. Thom. cuius ſententia expreſſa eſt, *quæſt.* ſequēti propugnanda, quod nihil poteſt ab eodem eſſe ſimùl ſcitum, & creditum. Ad illud ergò reſpondeo, admiſſa Authoritate, diſtinguendo maiorem: Sola illa manifeſtatio tollit rationem fidei, &c. ſecluſo miraculo, vel ſpeciali Privilegio, ſeù iuxta ordinariam, & communem providentiam, concedo maiorem: Pro caſu miraculi, vel ſpecialis Privigij, nego maiorem, & conceſſa minori, conſequentiam, quia Div. Thom. loquitur ſecundum communem, & ordinarium curſum divinę providentię; loquendo autem in tali ſenſu, rectè deducit Div. Thom.

Ati-

Angelo in via, & primum hominem ante lapſum habuiſſe fidem, ex eo,quod non habuerunt viſionē beatam,quia ex communi curſu rerum, & ex ordinaria Dei providentia non eſt aliud per quod auferatur ratio fidei, nam licèt auferatur per evidentiam in atteſtante, & per ſcientiam infuſam, hæc non conceduntur ſecundum ordinariam providentiam, ſed per miraculum, vt inquit Ferre, vel ſaltèm ex ſpeciali Privilegio: Et quod hoc ſenſu loquatur Div. Thom. ſuadetur, quia concludens,ait: *Quantum ergò ad primum, communiter fides eſt in omnibus habentibus cognitionem de Deo, futura beatitudine non dum adepta*: Vbi conſiderandum eſt ly *communiter*, per quod innuit ſe loqui ſecundum communem curſum divinę providentię, & ſecluſo ſpeciali Privilegio. Et item, quia alias, diceret Div. Thom. quod per ſcientiam infuſam de divinis Myſterijs, & de Deo vt Authore ſupernaturali non auferretur fides, quod dicere non poteſt. Ex quo patet ad ſecundam, quia probatio illa Div. Thom.ſolum tenet *communiter*, & ſalvo ſpeciali Privilegio evidentię in atteſtante, aut ſcientię infuſę; vndè, dum ait, quod aliter *eſſe non potuit*, quod non haberent fidem, intelligitur de potentia ordinaria. Ad tertiam ſimiliter, nego ſequelam,quia probatio Div. Thom. intellecta ſecundum communem curſum divinę providentię, ſemper tenet, nec contra illam militat, quod evidentia in atteſtante ex ſpeciali Privilegio conceſſa, poſsit auferre fidem, tum quia Div. Thom. in hoc caſu non loquitur; tunc quia hoc ad ſummum probaret, quod in vno,vel altero Angelo, v. g. in Supremo, pro primo inſtanti, non fuiſſet fides, non verò quod *communiter* in illis non fuiſſet fides, quia Privilegium non eſt commune.

133. Vel dici poteſt Div. Thom. ſolum probaſſe fidem in Angelis, abſtrahendo à fide obſcura, vel evidenti, ſtrictè, vel latè tali, prout præciſsè importat aſſenſum præſtitum primę veritati, vel obſequiosè, & liberè, vel ex evidentia convincente, & neceſsitante intellectum, nam etiam aſſenſus primę veritati vt evidenter convincenti, & neceſsitanti intellectum ad aſſenſum, fides dici poteſt, vt ſtatim dicam, & hæc non auferrur per evidentiam in atteſtante, immò per illam extorquetur neceſſatio ab intellectu, ſolum autem auferi poteſt per viſionem beatam.

(.·.)

*** *** ***

RELIQUA SOLVUNTUR obiecta.

134. OBIJCIUNT tertiò PP. Salm. quia Deus revelavit Prophetis, & Patriarchis Myſteria cum evidentia in atteſtante: Et tamen iſti habuerunt fidem de Myſterijs ſibi revelatis: Ergò compatitur illa cum iſta. Probāt minorē, primo ex D. Thom.qui varijs locis innuit lumē Prohpetię eſſe evidēs,vndè Prophetę vidētes appellabātur;item per ficere intellectū indepēdēter ab Imperio volūtatis, ad diſtinctionem fidei, quę comparatur auditui,& pendet ab imperio voluntatis: Sentit ergò Div. Thom Prohpetas habuiſſe evidentiam divinę revelationis, Secundò, quia poſsibilis eſt talis evidentia: Aliundè congruebat, vt primis fidei fundatoribus, nempè Prohpetis, Patriarchis, & Apoſtolis concederetur, quia illis oportebat habere clariorem, & certiorem cognitionem de fidei Myſterijs: Ergò.Tertiò, quia illi debuerunt habere aliquam regulam certam,& infallibilem fidei, ſed non habuiſſent illam, ſi non habuiſſent evidentiam divinę revelationis, quia illi non habebant regulam viſibilem, ſicut nos illam habemus in Supremo Eccleſię Capite:Ergò. Probant deindè minorem, quia Abraham, Iſacc, Iacob, & cæteri Patriarchę, & Prophetę habuerunt fidem,vndè Apoſt.*ad Rom.* 4.inquit: *Credidit Abraham Deo, & reputatium eſt illi ad iuſtitiam*, & ſic de alijs ponit exemplum fidei, vt eius meritum,& valorem commendet: Ergò ipſi,qui habuerunt evidentiam in atteſtante, habuerunt etiam fidem.

135. Reſpondeo primò, negando maiorem, quę minimè convincitur probationibus adductis; non prima, quia ex illa probatur quidem rectè lumen Propheticum eſſe evidens, ſed non evidentia in atteſtante, ſed evidentia rerum, quia Prophetia non ideò appellatur viſio, & Prophetę videntes, quia evidenter audient, aut percipiant Dei loquutionem, ſed quia vident res ipſas diſtantes, & occultas, vel per figuras, vel in ſe ipſis,lumine evidenti tranſeuntes communicato,vt conſtabit legenti Div. Thom. vbicumque de Prophetia agit; vndè ſi cum hac evidentia volunt conciliare fidem PP. Salm. contra ſe ipſos militant, quia evidentia rerum in ipſis, adhùc iuxta ipſos, excludit fidem ipſarum. Nec ſecunda probatio vrget, quia potuerunt Patriarchę, & Prophetę habere certiorem,immò,& clariorem cognitionem, abſque evidentia in atteſtante, tum per donum Prophetię, quod propriè non eſt evidentia in atteſ-

atteſtante, tum per ſigna credibilitatis, quę ipſi magis è propinquo viderunt, & in ſe ipſis experti ſunt, tum per ipſum lumen fidei, quod ſine evidentia in atteſtante potuit ipſis communicari cum maiori certitudine. Nec tertia probatio, quia ſine evidentia divinę revelationis poteſt proponi infallibiliter, licèt obſcurè, ipſa Dei revelatio per interiorem illuſtrationem, aut inſtinctum, & hæc propoſitio eſt ſufficiens regula infallibilis credendi, vbi defficit regula publica, & viſibilis, ſicut deficiebat Patriarchis, & primis Fundatoribus. Religionis Catholicę.

136. Secundò, admiſſa maiori, diſtinguo minorem: Et tamen iſti habuerunt fidem de Myſterijs revelatis in eodem inſtanti, vel tempore, quo habebant evidentiam in atteſtante, nego minorem: Tranſacta tali evidentia, concedo minorem, & nego conſequentiam, quia caſu, quo habuiſſent talem evidentiam, cum illa, ſicut lumen Propheticum, ex natura ſua ſit citò tranſiens, ipſa tranſacta, relinquit intellectum obſcurum, tum erga Dei revelationem, tum erga res Propheticè viſas, & interdum adeò obſcurum, vt relinquat locum dubitationibus, & perplexitatibus, & ſic multò magis relinquit locum fidei, non ita vt fides coniungatur cum evidentia, ſed ita vt evidentię tranſeunter communicatę ſuccedat fides, & ſic habuerunt fidem poſt revelationes Propheticas Abraham, & alij Patriarchę, & Prophetę, non verò in ſenſu compoſito, & coniunctim cum ipſis revelationibus Propheticis, aut cum lumine Prophetico de ipſis rebus, quę credebant, quia, vt ſuperius dixi, lumen Propheticum non ſolum facit evidentiam in atteſtante, immò forſan divinam atteſtationem ſignatè nõ reſpicit, ſed facit videre res ipſas diſtantes, & occultas, aliquando in ſe ipſis clarè, & diſtinctè, & tunc ſanè non compatitur ſimùl fides. Et inſtatur argumentum manifeſtè, quia non valet: Div. Paulus vidit clarè divinam eſſentiam: Div. Paulus habuit fidem: Ergò compatitur fides cum viſione clarè Dei: Ergò nec valet argumentum factum, quod ſimili modo procedit; nam ſicut Paulus habuit fidem exercitam, non ſimùl dum in raptu videbat Deum, ſed tranſacta Dei viſione, & ſuccedente obſcuritate, ita pariter Prophetę habuerunt fidem exercitam, tranſacto, lumine Prophætico, ſed non coniunctum cum illo. Dixi fidem exercitam, nam fides habitualis non exercita rectè compatitur ſimùl cum viſione, & evidentia actuali, & tranſeunter communicata, vt poſteà oſtendam.

137. Ex quo inferes, non rectè M. Ferre conciliare fidem in Div. Paulo cum viſione, & raptu ipſius, dicendo, quod Paulus non vidit omnia, quę ſpectabant ad ſuam fidem habitualem, ſed aliqua vidit, & alia non vidit; & reſpectu eorum, quorum Deum vidit Authorem, habitus fidei nunquam amplius exire potuit in actum abſolutum credendi ea, ſed tantum exivit conditionatè, id eſt, ſi non vidiſſet crederet, reſpectu verò eorum, quę non vidit, conſervavit habitum fidei potentem exire in actum abſolutum credendi ea. Contra enim eſt, primò, quod purè voluntariè dicitur, Div. Paulum in raptu non vidiſſe omnia Myſteria fidei, nam ſi vidit divinam eſſentiam, quantò magis credibile eſt, omnia alia ei manifeſtata fuiſſe. Secundò, quia ſaltèm vidit obiectum primarium fidei, nempè deitatem; vel ergò in poſterum potuit credere abſolutè tale obiectum primarium, vel non? Si non: Ergò non habuit habitum fidei, quia Thomiſtę non admittimus habitus ad actus purè conditionatos, aut conditionatè poſsibiles circa obiectum primarium ipſorum. Si potuit abſolutè credere obiectum primarium, quamvis antecedenter viſum: Ergò pariter, quamvis vidiſſet cætera omnia Myſteria, potuiſſet in poſterum ea per fidem credere.

138. Objicies quintò: Qui videt evidenter divinam atteſtationem, & ipſam eſſe infallibilem in dicendo, propter hoc ipſum aſſentire poteſt rei atteſtatę: Sed hic aſſenſus neceſſariò eſt actus fidei: Ergò compatitur actus fidei cum evidentia in atteſtante. Probo minorem: Nam ille aſſenſus ſolum innititur divinę atteſtationi, vt infallibili; non enim habet aliũ motivũ, niſi quia Deus dicit, & quia eſt infallibilis in dicendo; ſed aſſenſus præcisè innitens divinę atteſtationi, vt infallibili, & vnicè, quia Deus dicit, qui falli, nec fallere poteſt, eſt formaliſsimè aſſenſus fidei: Ergò. Confirmatur, qui evidenter videret Deum ſic atteſtantem, poſſet immediatè abſque diſcurſu aſſentiri Deo ſic atteſtanti infallibiliter; ſed hic aſſenſus non eſſet ſcientię, quia non eſſet diſcurſivus: Ergò eſſet fidei. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: Propter hoc ipſum aſſentiri poteſt rei atteſtatę evidenter convictus ab ipſa divina atteſtatione evidenter præcognita, concedo maiorem: Obſcurè, & cum indiferentia obiectiva determinabili per imperium voluntatis, nego maiorem, & minorem. Ad cuius probationem diſtinguo maiorem eodem modo; quia nõ quilibet aſſenſus vnicè innixus divinę Authoritati, vel atteſtationi, vt infallibili, eſt aſſenſus fidei ſtrictè talis; nam ſi ab ea moveur intellectus, vt evidenter cognita, & vt evidenter convin-

ſi nec ipſi Deo credere poſſunt ſimili fide, ex defectu obſcuritatis exactę, nam ſanè communiter Theologi excludunt à beatis fidem divinam, ſeù divinę authoritati innitentem, propriè dictam?

QUÆSTIO VI.

VTRUM IDEM AB EODEM poſsit eſſe ſimùl ſcitum, & creditum?

1. IDEST, an in eodē intellectu reſpectu eiuſdē obiecti poſſit ſimùl dari fides, & ſcientia. Pro quo ſuppono primo, ſcientiam aliam eſſe Intuitivam, abſtractivam aliam: Intuitiva eſt, qua res videtur in ſe ipſa, & prout eſt in ſe, ſeù per propriam ſpeciem: Abſtractiva eſt, qua res cognoſcitur nō per propriā ſpeciem, ſed per ſigna, vel effectus à poſteriori. Hæc autem poteſt eſſe duplex, alia clara, & evidens abſolutè, quia innititur principijs evidētibus, aut per ſe notis, vt Philoſophia naturalis, vel Mathematica: Alia obſcura, quę innititur principijs à Deo revelatis, & obſcurè cognitis per fidem, v. g. Theologia. Quæſtio ergò procedit de ſcientia clara, ſeù evidenti, ſivè intuitiva ſit, ſivè abſtractiva, vtrùm, ſcilicèt, compatibilis ſit cùm fide, non verò de ſcientia obſcura ex parte principiorum; quia actum fidei, & actum Theologię non repugnare in eodem intellectu circa idem obiectum infrà dicemus.

2. Suppono ſecundo: Obiectum fidei, ſeù ſcientię, aliud eſſe motivum, quod appellatur obiectum *quo*, ſeù ratio formalis *ſub qua*; aliud terminativum, quod ſe habet tamquam ratio *quę*. Certum autem eſt non poſſe dari ſimùl actus ſcientię, & fidei circa idem obiectum motivum, aut ſub eadem ratione formali *ſub qua*; quia cum actus fidei, & ſcientię evidentis ſint eſſentialiter diſtincti, non poſſunt habere idem motivum formale. Vndè quæſtio ſolum procedit de actu fidei; & Scientię, circa idem obiectum terminativum. Vbi nota, quod tale obiectum terminativum debet eſſe idem formaliter, hoc eſt, quoad eandem formalitatem, & veritatem, quia quamvis ſit idem realiter obiectum, ſi conſideretur ſecundum diverſas formalitates, aut veritates, nulli eſt dubium, quod poſsit quoad vnam terminare actum fidei; & quoad aliam actum ſcientię, nam Deus poteſt credi per fidem vt trinus, & demonſtrari evidenter, vt vnus. His prænotatis.

NOSTRA SENTENTIA.

3. DICO primo, *quod actus fidei, & actus ſcientię evidentis ſunt eſſentialiter incompatibiles in eodem intellectu reſpectu eiuſdem obiecti*. Ita Div. Thom. *in præſenti*, quem ſequuntur omnes Thomiſtę, nec non Ricardus, Scotus, Molina, Fonſeca, & alij. Et probatur primo: Quia de fide Theologica debemus formare conceptum ad mentem Sacrę Scripturę, & SS. PP. cum enim ſupernaturalis ſit, captumque rationis naturalis ſuperans, in eius eſſentia dignoſcenda, potius credendum eſt authoritati, quam rationi: Sed iuxta mentem Sacrę Scripturę, & SS. PP. actus fidei talem obſcuritatem exigit ex parte obiecti, quod repugnat cum evidentia talis obiecti: Ergò actus fidei, & actus ſcientię evidentis non poſſunt compati in eodem intellectu reſpectu ejuſdem obiecti. Minor, quę ſola difficilis eſt, probatur primo ex illo Pauli *ad Hebræos, cap.* 11. vbi fidem Theologicam definiens, ſic ait: *Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparientium.* vbi Div. Gregor. *Homil.* 26. *in Evang.* ſic ait: *Vndè liquidè conſtat fidem earum rerum argumentum eſſe, quę apparere non poſſunt, quę enim apparent, iam fidem non habent, ſed agnitionem*: Ergò iuxta mentem Apoſtoli, & gloſſam Gregorij, incompatibile eſt cum actu fidei, quod obiectum ipſius appareat evidenter cognoſcenti. Et confirmari poteſt ex eo, quod, fidem, inquit Apoſt. eſſe *ſperandarum rerum*. Nam vt ipſe *ad Rom.* 8. inquit: *Quod autem videt quis, quid ſperat*, quia videlicèt, ſentit obiectum ſperatum non poſſe eſſe evidens ſperanti: Ergò ſi fides eſt ſperandarum rerum, debet eſſe rerum non evidentium, ſeù, quę non videntur. Item ex illo Div. Petr. *Epiſt.* 2. *cap.* 1. vbi fidem appellat lucernam ardentem in caliginoſo loco, vbi ſatis innuit locum, in quo lucet fides, nempè intellectum, debere eſſe obſcurum per carentiam evidentię obiecti.

4. Confirmatur ex SS. PP. nam in primis Dionyſ. *de Myſtica Theologia, cap.* 1. ſic ait: *Non niſi per Sacrę caliginis tenebras humanę mentes, nec poſſunt, nec debent divina contemplari myſteria.* Id eſt, credere. Div. Athanaſ. *Tract. de Chriſti adventu, contra Apollinar.* Inquit: *Non enim fides de re evidenti concepta, fides dici poterit.* Div. Aug. *tract.* 40. *in Ioann.* inquit: *Quid eſt fides? Credere, quod non vides.* Et *tract.* 79. *Hæc eſt laus fidei, ſi quod creditur, non videtur.* Div. Proſper in lib. ſententiar. Auguſt. *Fides ſemper*

 præ-

prævenit viſsionem: Fides ergò eſt quod non videt credere. Et Div. Bern. *lib.* 5. *de Conſideratione: Fides eſt voluntaria prælibatio veritatis nondum propalatę.* Et eodem modo loquuntur alij PP. Ergò iuxta ipſos, de eſſentia fidei eſt obſcuritas, & inevidentia obiecti ipſius in intellectu credentis: Sed per ſcientiam evidentem excluditur huiuſmodi obſcuritas, & inevidentia: Ergò & fides. Confirmatur ex Div. Thom. cui in exponenda mente Sacrę Scripturę, & SS. PP. præcipuè credendum eſt. Nam ipſe *in præſenti, quæſt.* 1. *art.* 4. & 5. expreſsè tractat noſtram quæſtionem, & denique reſolvit, impoſsibile eſſe, quod idem ab eodem ſimùl ſit ſcitum, & creditum. Et probat, quia, *fides non poteſt eſſe de viſis, aut ſecundum ſenſum, aut ſecundum intellectum*, & quia *oportet quæcumque ſunt ſcita aliquo modo eſſe viſa*, & concludit non poſſe idem eſſe ſimùl ſcitum, & creditum ab eodem: Ergò.

5. Reſpondent contrarij, Scripturam, & PP. intelligendos eſſe eo in ſenſu, quod obiectum creditum per fidem non poſsit eſſe viſum, aut evidens per medium fidei, aut per ipſum actum fidei, non autem negare, quod obiectum creditum poſsit eſſe evidens per aliud medium demonſtrativum. Sed contra, quia SS. PP. non ſolum excludunt evidentiam per medium fidei, ſed abſolutè, & ſimpliciter aſſerunt obiectum fidei debere eſſe non apparens, & non viſum, abſque vlla reſtrictione; nam Div. Auguſt. loco citat. *in Ioann.* ſic ait: *Quod ſi vides, iam non eſt fides.* vbi abſolutè exigit quod intellectus non videat id, quod credit. Et Div. Gregor. loco citat. cum ſibi obijciſſet illa verba Chriſti, *Ioann.* 20. *quia vidiſti me Thoma, credidiſti*, ſic reſpondet: *Aliud vidit, aliud credidit, hominem ergò vidit, & Deum confeſſus eſt.* En vbi ad ſalvandum, quod Thomas vidit, & credidit, diſtinguit obiecta, exigitque vt aliud ſit, quod vidit, & aliud, quod credidit. Conſonat Div. Auguſt. qui *tract.* 79. *in Ioann.* ſic ait: *Ille, cui dictum eſt, quia vidiſti credidiſti, non hoc credidit, quod vidit, ſed aliud vidit, & aliud credidit; vidit enim hominem, credidit Deum: Cernebat quippè, atque tangebat carnem viventem; quam viderat morientem; & credebat Deum in carne ipſa latentem. Credebat ergò mente, quod non videbat, per hoc quòd ſenſibus apparebat.* Et eodem pacto loquuntur V. Beda, Haymo, Div. Thom. & alij Expoſitores ad illa verba *Ioann.* 20. Sed ſi ſolum excluderent evidentiam per medium fidei, ſuperfluum eſſet diſtinguere obiecta, nam idem omninò obiectum videri poſſet per præſentiam, & credi per medium fidei: Ergò ex mente SS. PP. ſcientia, ſeù evidentia non ſolum excludit fidem per idem medium, ſed etiam per media diſtincta.

Confirmatur, quia Div. Thom. non admittit prædictam expoſitionem, loquitur enim apertè de ſcientia habita per demonſtrationem ex principijs naturalibus, vt legenti patebit, hæc autem evidenter eſt per medium diſtinctum à motivo fidei: Sed per hanc inquit Div. Thom. non poſſe idem obiectum eſſe ſimùl ſcitum, & creditum: Ergò non admittit ſimùl ſcientiam, & fidem, adhùc per diverſa media.

6. Confirmatur ſecundo: Quia PP. in eo ſenſu aſſerunt evidentiam non componi cum fide ſimùl, in quo ſucceſsivè poſſunt dari in eodem intellectu; ſed evidentia, & fides per idem medium, adhùc ſucceſsivè, repugnat, quia repugnat fides per medium ſcientię, & ſcientia per medium fidei: Ergò non loquuntur de evidentia, & fide per idem medium, ſed de vnaquaque per ſuum diſtinctum. Tertio, quia PP. loquuntur de evidentia poſsibili, & quę regulariter datur in hominibus: Sed evidentia per medium, vel motivum fidei, nec datur, nec eſt poſsibilis: Ergo non loquuntur de evidentia per medium, vel motivum fidei. Quarto, quia ex mēte PP. aliquando evidentia excludit fidem ab intellectu: Sed non evidentia per medium fidei, quia nunquam datur talis evidencia: Ergò idem quod prius. Vrgetur: Dum PP. aſſerunt obiectum evidens per viſionē, aut ſcientiam non poſſe eſſe ſimùl creditum per fidem, planè ſupponunt aliquam evidētiam poſsibilem, cum qua fides ſit incompoſsibilis: Sed evidentia poſſibilis de aliquo obiecto debet eſſe per motivum diſtinctum à motivo fidei, quia motivum formale fidei debet eſſe diſtinctum à motivo formali ſcientię, vt per ſe patet: Ergò ex mente PP. evidentia per medium diſtinctum à motivo fidei eſt incompatibilis cum fide.

7. Secundò reſpondent contrarij, quod PP. loquuntur naturaliter, ſeù de potentia ordinaria, & hoc pacto concedunt, quod non poſsit idem obiectum eſſe ſimùl evidens, & creditum per fidem; non autem loqui in eo ſenſu, quod adhùc divinitus repugnet coniungi ſimùl fidem cum evidentia. Sed contra: Quia PP. ponunt pro conditione eſſentiali fidei, quod obiectum eius non ſit viſſum, aut evidens; ſed conditio eſſentialis, adhùc divinitus non poteſt ſuppleri: Ergò loquuntur in eo ſenſu, quod nec divinitus poſsint coniungi evidentia, & fides eiuſdem obiecti. Maior probatur: Quia id, quo deficiente, fides non eſſet fides, eſt conditio eſſentialis fidei: Sed iuxta Auguſt. vbi ſuprà, ſi obiectum fidei eſſet evidens cognoſcenti, fides non eſſet fides, ait enim, *quod ſi vides, non eſt fides.* Et Athanaſ. *Non enim fides de re evidenti concepta, fides dici poterit*: Ergò PP. ponunt pro condi-

tio-

Digitized by Google

tione eſſentiali fidei, quod obiectum eius non ſit evidens. Confirmatur: Quod ponitur in definitione fidei, ita eſt de eſſētia fidei, vt nec divinitus poſſit ſuppleri; ſed in definitione fidei ponitur, quod obiectum ipſius non appareat evidenter, tum ab Apoſtolo aiente: *Fides eſt argumentum non apparentium*; tum ab Auguſt. dicente: *Fides eſt credere quod non vides*: Ergò idem quod priùs. Contra ſecundo; nam argumenta contrariorum, præcipuè illud de Philoſopho Chriſtiano, cui maximè fidunt, ſi quid probant, probant quod de potentia ordinaria, & regulariter componitur fides cum ſcientia: Ergò ſi PP. hoc negant, negant quod contrarij probare, vel defendere conantur.

8. Tertiò reſpondent, PP. loqui de evidentia intuitiva obiecti, quam aſſerunt non poſſe compati de potentia ordinaria cum fide, non verò de evidentia abſtractiva per ſcientiam naturaliter acquiſitā, quia hæc non ita clara eſt, quod excludere poſſit fidem ab intellectu. Sed contra eſt; quia ſi PP. loquuntur de evidentia intuitiva, vt fatetur hæc ſolutio, & aliàs exigunt pro prædicato, vel conditione eſſentiali fidei, quod obiectum ipſius non ſit prædicto modo evidens, vt probatum relinquimus, ſequitur manifeſtè cum evidentia intuitiva repugnare divinitus fidem; quod etiam eſt contra Adverſarios: Ergò adhùc admiſſa huius ſolutionis intelligentia, Contrarij militant contra SS. PP. Secundò, quia Athanaſius abſolutè ait, quod fides de re evidenti concepta non poteſt dici fides, & non aſſignat modum evidentię, potiùs intuitivę, quam abſtractivę: Item Apoſt. inquit eſſe argumentum non apparentium, vbi nō petit præcisè, quod obiecta fidei non videantur, ſed quod abſolutè non appareant; ſed apparent evidenter per evidentiam abſtractivam: Ergò non ſolum exigunt eſſentialiter, quod obiectum fidei non ſit evidens intuitivè, ſed etiam quod non ſit evidens, nec intuitivè, nec abſtractivè. Tertiò, quia vt ait Div. Thom. *in præſenti*, quod evidenter infertur ex principijs veris, & evidentibus, licèt non ſit viſum in ſe, eſt tamen viſum in illis principijs: Ergò concluſio cognita per ſcientiam, adhùc abſtractivam, licèt non ſit viſa in ſe, eſt tamen viſa in illis principijs, ſeù præmiſſis, ex quibus evidenter infertur: Sed hoc ſufficit, vt non poſſit eſſe credita per fidem vt ait idem Div. Thom. *in præſenti*. Ergò. Denique, quia eadem ratio militat in obiecto intuitivè viſo, ac in obiecto evidenti per ſcientiam abſtractivam: Proptereà enim PP. aſſerunt non poſſe fidem compati cum viſione, quia viſio convincit intellectum, & ei evidenter demonſtrat obiectum, ita vt maneat ſine indiferentia obiectiva ad fidem obſequioſam, & meritoriam, vndè, inquit Div. Greg. *Nec fides habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum*: Sed per ſcientiam abſtractivam pariter convincitur intellectus, & ei evidenter demonſtratur obiectum ſine indiferentia obiectiva: Ergò.

RATIONE PROBATUR
concluſio.

9. SECUNDO probatur concluſio ratione deducta ex PP. Aſſenſus fidei eſſentialiter eſt obſcurus, aſſenſus ſcientię eſſentialiter eſt evidens: Sed implicat quòd idem intellectus ſimùl aſſentiatur obſcurè, & evidenter eidem obiecto: Ergò & quod in illo dentur ſimùl aſſenſus fidei, & ſcientię reſpectu eiuſdem obiecti. Probatur minor, in qua ſtat difficultas, & ſimùl impugnatur ſolutio communis, nempè quod intellectus non poteſt ſimùl aſſentire clarè, & obſcurè per idem medium, ſecùs tamen per diverſa media, hæc inquam ſolutio impugnatur primò: Implicat, quod idem diaphanum ſit ſimùl clarum, & obſcurum, adhùc per diverſas cauſas, & principia: Ergò implicat quod idem intellectus reſpectu eiuſdem obiecti ſit ſimùl clarus, & obſcurus, adhùc per diverſa media, vel principia. Secundo: Implicat quod privatio alicuius formę exiſtat ſimùl in eodem ſubiecto, cum forma, qua privat, adhùc per diverſa media, vel principia, vt omnes fatentur: Sed obſcuritas eſſentialiter privat intellectum claritate: Ergò implicat, quod idem intellectus ſit ſimùl clarus, & obſcurus, adhùc per diverſa media reſpectu eiuſdem obiecti. Confirmatur, & tacita ſolutio præcluditur: Obſcuritas fidei eſſentialiter privat intellectum aliqua claritate, omnis enim obſcuritas dicit eſſentialiter carētiā claritatis in ſubiecto fidei: Sed nō privat claritate habenda per mediū fidei: Ergò privat claritate habenda per medium ſcientię, & conſequenter cum tali obſcuritate eſſentialiter eſt incompatibilis claritas per medium ſcientię. Probatur minor, quia ſolum poteſt intellectus privari claritate ſibi poſſibili, ſeù cuius eſt capax, quia privatio eſſentialiter eſt carentia formę in ſubiecto capaci talis formę: Sed non eſt poſſibilis intellectui claritas per medium fidei, cum talis claritas ſit omninò impoſſibilis, ſicut aſſenſus fidei evidens: Ergò obſcuritas fidei non privat intellectum claritate habenda per medium fidei.

10. Dices, obſcuritatem fidei non eſſe privativam, ſed negativam, quia ſolùm conſiſtit in eo, quod aſſenſus fidei ex ſe clarus, &

evidens non eſt, cæterum hæc non evidentia, ſeù non claritas eſt pura negatio in ipſo actu fidei, quia ei repugnat eſſe clarum, & evidentem, non autem eſt privatio, quia actus fidei eſt incapax evidentię, vndè non eſt neceſſum, quod excludat claritatem poſsibilem per medium demonſtrationis.

11. Sed contra eſt primò: Obſcuritas fidei non ſolum ſe tenet ex parte actus fidei, ſivè ex parte medij ad credendum, ſed etiam ex parte ſubiecti: Sed quamvis reſpectu actus ſit negatio claritatis, tamen reſpectu ſubiecti debet eſſe privatio, quia ſubiectum, nempè intellectus, eſt capax claritatis: Ergò reſpectu ſubiecti, id eſt, intellectus, obſcuritas fidei eſt privatio claritatis, & excludit claritatem poſsibilem, ſeù per medium demonſtrationis. Maior probatur: Iuxta Div. Thom. 1.2. *quæſt. 67. artic. 3. in corp.* fides non ſolum eſt imperfecta ex parte obiecti, & medij, ſed etiam ex parte ſubiecti, vndè concludit: *Et ſimiliter eſt impoſsibile, quod cognitio perfecta, & imperfecta ex parte ſubiecti ſint ſimùl in eodem ſubiecto: Fides autem in ſui ratione habet imperfectionem ex parte ſubiecti; vt ſcilicèt credens non videat id quod credit*: Ergò iuxta Div. Thom. fides non ſolum importat obſcuritatem, ſeù imperfectionem ex parte ipſius actus, ſed etiam ex parte ſubiecti. *Videatur vbi Div. Thom.* Confirmatur: Ita ſe habet fides ad evidentiam, ſicut ſpes ad poſſeſsionem: Sed ſpes non ſolom dicit negationem poſſeſsionis per ipſum actum ſpei, ſed etiam privationem poſſeſsionis ex parte ſubiecti, ratione cuius eſt eſſentialiter incompoſsibilis cum poſſeſsione poſsibili per quodcumque medium: Ergò fides non ſolum importat negationem evidentię per ipſum actum fidei, ſed privationem evidentię poſsibilis ex parte ſubiecti per quodlibet medium. Explicatur: Ideò ſpes importat eſſentialiter privationem poſſeſsionis per quodlibet medium, quia eſt motus animę ad poſſeſsionem; & cum motus ſit actus entis in potentia prout in potentia, importat eſſentialiter ex parte ſubiecti privationem formę, ad quam eſt motus: Sed hæc eadem ratio militat in fide: Ergò. Probo minorem, quia ſicut ſpes tendit ad poſſeſsionem, ita fides tendit ad evidentiam, & eſt motus animę ad viſionem, vndè inquit Apoſt. *Per fidem ambulamus*: Ergò eadem ratio vtrobique militat.

12. Ex quo ſecundò impugnatur ſolutio: Omnis motos ad aliquam formam importat eſſentialiter ex parte ſubiecti privationem talis formę: Sed fides importat eſſentialiter motum animę ad evidentiam: Ergò & privationem ipſius evidentię. Probo minorem ex definitione fidei tradita ab Auguſt. *lib.* 1. *de prædeſt. SS. cap.* 1. vbi ſic ait: *Credere nihil aliud eſt, quam cum aſſenſione cogitare*, qoam definitionem explicans Div. Thom. *in præſenti, quæſt. 2. artic.* 1. ſic ait: *Si verò ſumatur cogitatio pro conſideratione intellectus, quę eſt cum quadam inquiſitione, antequam perveniatur ad perfectionem intellectus per certitudinem viſionis, ſic in hoc intelligitur tota ratio huius actus, qui eſt credere*: Sed huiuſmodi cogitatio, ſeù conſideratio intellectus cum inquiſitione eſſentialiter eſt motus ipſius intellectus nondum quieti ad evidentiam: Ergò actus fidei eſſentialiter importat motum ad evidentiam.

13. Dices, ex hac ratione ſolum inferri, quod fides importet privationem viſionis intuitivę, quia ſola viſio intuitiva eſt terminus, ad quem tendimus per fidem, non verò quod eſſentialiter importet privationem ſcientię abſtractivę, quia ſcientia, aut evidentia abſtractiva non eſt terminus, ad qoem tendimos per fidem.

14. Sed contra eſt, quia fides non ſolom tendit in viſionem intuitivam, quatenus viſio intuitiva eſt, ſed etiam, quatenus evidentia eſt convincens, & quietans intellectum: Sed hoc habet quælibet evidentia obiecti, ſivè ſit ſcientię naturalis, ſivè infuſę, nam quælibet quietat intellectum in aſſenſu obiecti: Ergò fides non ſolum dicit carentiam viſionis obiecti crediti, ſed etiam carentiam evidentię cuiuslibet per ſcientiam, ſivè abſtractivam, ſivè quidditativam, ſivè acquiſitam, ſivè infuſam. Vndè, vt benè advertit Ioann. à S. Thom. *in præſenti*, motus fidei poteſt ſummi dupliciter, vel per modum meriti, aut ratione ſtatus viatoris, vel ſub conditione generali actus fidei. Primò modo verum eſt, quod fides ſolum reſpicit pro termino *ad quem* viſionem intuitivam, quia illam reſpicit vt premium, & vt terminum vię; at vero ſecundo modo fides ſolum reſpicit pro termino quamlibet evidentiam, vt quietantem intellectum, qua adveniente, ſicut ceſſat cogitatio inqoiſitiva, ita ceſſat fidei actus, qui talem cogitationem importat.

15. Confirmatur: Intellectus credens, non ſolum eſt in motu, & inquietos circa obiectum quoad *quid eſt*, ſed etiam circa illud quoad *an eſt*: Sed motus, & inquietudo reſpectu obiecti quoad *an eſt*, ceſſat per quietem circa obiectum quoad *an eſt*, & hæc quies habetur per evidentiam abſtractivam, quia hæc convincit, & quietat intellectum circa obiectum quoad *an eſt*, vt omnes fatentur: Ergò per evidentiam abſtractivam de obiecto, ceſſat fides de illo qooad *an eſt*.

16. De-

16. Denique impugnatur ſolutio principalis ex illo Div. Petri *Epiſt.* 2. vbi de verbo fidei ſic ait : *Cui benè facitis attendentes tanquam lucernę ardenti in caliginoſo loco*, vbi expreſsè comparat verbum fidei lucernę lucenti in caliginoſo loco : Sed lucerna lucens in caliginoſo, & obſcuro loco importat privationem lucis, & claritatis in loco, in quo lucet, & non ſolum negationem maioris lucis ex parte ſua: Ergò idem dicendum eſt de verbo, ſeù lumine fidei, quod ſcilicèt vt luceat in intellectu importat non ſolam negationem maioris lucis ex parte ſua, ſed privationem in ipſo intellectu. Ex hac igitur aptiſsima Div. Petri comparatione colligitur, contrarios falli, dum obſcuritatem fidei ponunt in ipſo actu, & lumine fidei, & non in ſubiecto, falluntur inquam maximè, quia ipſa fides, ſeù lumen fidei, cum ſit lux non poteſt eſſe ex parte ſua formaliter obſcura, & caliginoſa, alias ipſa per ſe ipſam obtenebraret mentem, quod falſiſsimum eſt, cum potius mentem cœlitus illuminet : Solum ergò eſt obſcura præſuppoſitivè, & ex parte ſubiecti, quatenus eſſentialiter exigit vt mentem illuminet de veritate obiecti, quod mens ſupponatur in tenebris, & in obſcuritate erga obiectum, ſicut lucerna, vt illuminet, exigit eſſentialiter eſſe in loco obſcuro, & tenebroſo, vndè in meridie, dum locus, in quo ſit lucerna, claritate diei circunfunditur, lucerna non illuminat, nec lucet, quamvis in ſe ſit lux illuminativa : Ergò ſimiliter fides.

17. Ex quo ſic denique arguo : Poteſt dari lux talis conditionis, quod ex natura ſua non poſsit lucere niſi in caliginoſo loco, ita vt adveniente aliundè claritate loci, in illo iam non luceat, nec illuminare poſsit illa prior lux, vt patet in luce lucernę, & in luce ſtellarum, quę adveniente claritate diei, nec lucent, nec lucere poſſunt vbi claritas illa lucet : Ergò ſimiliter eſt poſsibilis lux ſpiritualis, quę lucere non poſſit niſi in ſubiecto, aut intellectu tenebroſo, & obſcuro circa obiectum, ita vt adveniente evidentia clara de illo obiecto, illa lux ſpiritualis amplius nec lucere, nec illuminare poſsit : Sed talis eſt fides vt inquit Apoſt. Petrus, & talis debet cenſeri, vt PP. verba ſuprà expenſa rectè intelligantur : Ergò fides nec poteſt lucere, nec illuminare mentem, adveniente evidentia clara obiecti, ac proindè nec poteſt eſſe in mente, quia vbi nequit lucere, nec illuminare, nequit præſtare ſuum formalem effectum; cum eius formalis effectus ſit illuminare mentem circa revelata : Sed vbi nequit præſtare ſuum formalem affectum, eſſe nequit : Ergò.

ALIÆ RATIONES PRO concluſione.

18. TERTIO ſuadetur concluſio; quia actus fidei eſſentialiter exigit elici cum indifferentia obiectiva ad aſſenſum, & diſſenſum: (intellige pro diſſenſu non ſolum iudicium negativum obiecti, ſed dubitationem de obiecto, vel etiam ſuſpenſionem iudicij de illo) Sed talis indifferentia omninò tollitur per evidentiam, aut per ſcientiam evidentem obiecti : Ergò ſimùl cum illa elici nequit actus, vel aſſenſus fidei. Minor patet, quia evidentia obiecti neceſsitat intellectum ad aſſenſum, ita vt non poſsit vllo modo illi diſſentire, nec de illo dubitare, aut iudicium ſuſpendere. Minor verò probatur : Quia actus fidei eſſentialiter eſt aſſenſus obſequioſus divinę authoritati, imperabilis à voluntate in obſequium Chriſti, egenſque pio affectu voluntatis ad ſui elicientiam : Sed hoc repugnat ſine indifferentia obiectiva ad aſſenſum, & diſſenſum, quia ſi intellectus non ſit indifferens obiectivè ad aſſenſum, & diſſenſum, erit obiectivè determinatus, & neceſsitatus ad aſſenſum, quo pacto iam aſſenſus minimè erit obſequioſus divinę authoritati, immò nec imperabilis à voluntate, aut agens pio ipſius affectu, vt per ſe patet : Ergò aſſenſus fidei eſſentialiter exigit elici cum prædicta indifferentia obiectiva.

19. Hæc probatio aliquibus ex noſtris diſplicuit, & contra illam opponunt, quod Angelus in primo inſtanti credit fide divina, obſequioſa, & meritoria; & tamen non habuit indifferentiam ad aſſenſum, & diſſenſum, ſiquidem in illo primo inſtanti non potuit diſſentire, ſicut non potuit peccare; & ſimiliter ſi Chriſtus D. habuiſſet fidem, vt potuit de potentia abſoluta, ſi caruiſſet viſione beata; tunc enim diſſentire non poſſet, ſicut nec peccare: Ergò non eſt de eſſentia actus fidei elici cum indifferentia ad aſſenſum, & diſſenſum. Sed hæc obiectio ex non intelligentia præfatę probationis procedit; duplex enim eſt indifferentia, alia ſubiectiva ex parte elicientis actum, & moventis efficienter ad ipſum; alia obiectiva ex parte obiecti propoſiti, & repræſentati potentię: Igitur ſi Angelus non potuit diſſentire in primo inſtanti, non fuit ex defectu indifferentię obiectivę ad aſſenſum, & diſſenſum, nam obiectum fidei propoſitum fuit Angelo in primo inſtanti cum obſcuritate, & conſequenter cum indifferentia obiectiva, vt poſſet terminare aſſenſum, vel diſſenſum, saltèm ſumpto diſſenſu pro abſoluta ſuſpenſione iudicij; ſed fuit ex defectu indifferentię ſubiectivę, qua-

quatenus non poterat in illo primo inſtanti ſe ipſum movere applicativè, ſed vnicè movebatur, & applicabatur à Deo, à quo non poterat moveri, vt deſſentiret, ſed tantum, vt aſſentiret: Ergò Angelus, adhùc in primo inſtanti, elicuit actum fidei cum indiferentia obiectiva ad aſſenſum, & diſſenſum, licèt non cum indiferentia ſubiectiva: Et idem dicendū caſu metaphyſico, quo Chriſtus elicerer actū fidei: Ergò principalis ratio manet invicta, ſiquidem ſolum exigit ad actum fidei indiferentiam obiectivam, & in hoc fundatur. Vidè ſuprà *quæſt. præced. num.* 125.

20. Propterea reſpondent alij, quod adhùc poſita ſcientia, vel evidentia in intellecta de aliquo obiecto, intellectus non eſſet neceſsitatus ad aſſenſum illius obiecti per motivum fidei, ſed per motivum ſcientię; cum quo rectè cohæret, quod in eo caſu detur indiferentia obiectiva ex parte motivi fidei, vt obſcurè propoſiti ad aſſenſum, & diſſenſum, & hoc ſufficere vt aſſenſus fidei ſit obſequioſus divinę voluntati. Sed contra eſt primò, quia ſuppoſita evidentia per motivum ſcientię in intellectu non poteſt intellectus illi obiecto diſſentire, adhùc per motivum fidei: Ergò, adhùc per motivum fidei, non manet indiferens ad aſſenſum, & diſſenſum. Antecedens probatur: Suppoſito aſſenſu evidenti alicuius obiecti, implicat ſimùl coniungi diſſenſum erga tale obiectum, quamvis ſit ex diverſo motivo, implicat enim intellectum aſſentire, & diſſentire ſimùl eidem obiecto, adhùc ex diverſis motivis, vt omnes ſupponunt *in præſenti*: Sed ſuppoſita evidentia alicuius obiecti in intellectu, nequit intellectus diſſentire, niſi coniungendo diſſenſum cum aſſenſu evidenti illius obiecti: Ergò adhùc ex motivo fidei, non poteſt intellectus diſſentire. Explicatur: Indiſerentia obiectiva ad aſſenſum, & diſſenſum eſſentialiter importat carentiam determinationis obiectivę ad aſſenſum, adhùc per diverſas cauſas, & principia, implicat enim intellectum, aut voluntatem eſſe ſimùl obiectivè indiferentem, & obiectivè determinatum reſpectu eiuſdem; ſed ex vi evidentię redditur intellectus obiectivè determinatus, & neceſsitatus ad aſſenſum: Ergò ex vi illius excluditur indiferentia obiectiva ad aſſenſum, & diſſenſum.

21. Contra ſecundò: Quia quando ex parte obiecti datur motivum evidenter convincens, & neceſsitans intellectum ad aſſenſum abſolutum obiecti, non poteſt in ſenſu cōpoſito motivum fidei movere ipſum cum indiferentia ad aſſenſum ipſius obiecti: Ergò repugnat, quod intellectus aſſentiatur eidem obiecto, neceſsitatus, & convinctus per vnum medium, & cum indiferentia ex vi alterius. Antecedens probatur; nam motivum fidei movens cum indiferentia, movet dependenter ab electione, & deliberatione voluntatis: Sed quando intellectus aſſentitur convictus, & neceſsitatus ab obiecto, non datur locus electioni, aut deliberationi voluntatis: Ergò nec poteſt moveri cum indiferentia. Confirmatur, nam experientia ipſa conſtat, quod vbicumque aliquis credit obiectum propter Authoritatem dicentis, ſi poſteà videat tale obiectum, aut illud proprio ingenio evidenter agnoſcat, iam non movetur Authoritate alterius dicentis, ſed ſolum ex ipſo obiecto viſo; vndè Samaritani, qui prius propter loquelam Samaritanę moti ſunt ad quærendum Chriſtum, & credenda eius miracula, poſteà, cum ea ſuis oculis perſpexerunt, dicebant *Ioann.* 4. *Quia iam non propter tuam loquelam credimus, ipſi enim audivimus, & ſcimus, quia hic eſt verè Salvator Mundi*: Ergò motivum fidei nequit movere intellectum cum indiferentia, quando datur ex parte obiecti motivum evidenter convincens ad aſſenſum. Vidè ſuprà *diſput.* 2. *quæſt.* 6. *num.* 21.

22. Sed dices: Deus, vt clarè viſus, poteſt movere voluntatem neceſsitando illam ad ſui amorem, & ſimùl, vt cognitus abſtractivè per ſcientiam infuſam, movere ipſam cum indiferentia ad amorem liberum ipſius Dei, vndè plures Theologi componunt ſimùl in voluntate humana Chriſti amorem neceſſarium Dei regulatum per viſionem Beatam, & amorem liberum ipſiuſmet Dei regulatum per ſcientiam infuſam: Ergò pariter intellectus poteſt aſſenti evidenter obiecto neceſsitatus ab ipſo, & ſimùl aſſentiri cum indiferentia ipſi obiecto, vt motus ex alio motivo obſcurè propoſito.

23. Sed contra eſt, quia imprimis, nego illam ſententiam, quę eaſdem, vel maiores patitur difficultates, quas *in præſenti*, non vacat expendere, nec propterea tenemur eam ſententiam admittere. Secundò: Nam, adhùc illa ſententia admiſſa, Deus, vt cognitus abſtractivè, non moveret voluntatem Chriſti cum indiferentia obiectiva, quoad ſpecificationem, ſeù cum indiferentia contrarietatis ad amorem, & odium, ſed ſolum cum indiferentia quoad exercitium, & contradictionis, vt fatentur illius ſententię AA. Sed fides exigit moveri à ſuo obiecto, cum indiſerentia, quoad ſpecificationem, & contrarietatis, nempè cum indiferentia obiectiva ad aſſenſum, & diſſenſum: Ergò.

24. Dices: Actum fidei ſolum exige-

ge-

gere, quod intellectus moveatur ad ipſum cum indifferentia obiectiva ad aſſenſum, & diſſenſum, quantùm eſt ex motivo fidei, non verò cum tali indifferentia vndequaque expedita; nam intellectus, licèt non ex motivo fidei, tamen aliundè poteſt neceſsitari ad actum fidei, & impoſsibilitari ad diſſenſum, ſivè per qualitatem prædeterminantem, in aliquorum ſententia, ſivè per negationem concurſus ad actum oppoſitum, ſivè aliter, iuxta varias oppiniones. Sed contra eſt, qoia dato, & non conceſſo, quod non repugnet actui fidei neceſsitas ſubiectiva ad ipſum ex prædictis capitibus, tamen illi repugnat neceſsitas obiectiva, vndequaque proveniens, nam ex quocumque obiecto, neceſsitetur intellectus obiectivè ad aſſenſum abſolutum obiecti, iam repugnat indifferentia obiectiva talis, qualis exigitur, vt aſſenſus obiecti ſit obſequioſus divinę authoritati: Ergò quidquid ſit de indifferentia ſubiectiva, tamen ad actum fidei requiritur indifferentia obiectiva vndequaque obiectivè expedita ad aſſenſum, & diſſenſum; ſed hæc repugnat cum evidentia obiecti per quodlibet medium: Ergò & fides cum tali evidentia.

25. Denique probari poteſt concluſio alia ratione non contemnenda: Quia modus cognoſcendi eſſentialiter ſuppletivus alterius, non poteſt ſimul ſtare com modo cognoſcendi pro quo ſupplet; ſed fides eſt modus cognoſcendi ſuppletivus ſcientię de obiecto: Ergò non poteſt eſſe ſimùl cum ſcientia de ipſo obiecto. Minor probatur ex D. Thom. *in præſenti, quæſt. 171. articul. 3. ad 2.* vbi inquit: *Ad fidem non pertinet eorum cognitio, quę creduntur, ſed quod homo per certitudinem aſſentiat his, quę ſunt ab alijs cognita*: Ergò modus cognoſcendi per fidem ex natura ſua inſtitutus eſt, vt qois per certitudinem credat, quę ab alio ſunt ſcita, ſivè vt ſuppleat per fidem in ſe, quod ſibi deficit de ſcientia alterius: Ergò talis modus cognoſcendi eſt eſſentialiter ſuppletivus ſcientię. Mitto aliam rationem ex eo quod ſi fides eſſet compatibilis cum ſcientia, fuiſſet in Chriſto, cùm autem in eo non ſit, ſequitur eſſe incompatibilem.

SOLVITVR PRIMA OBIECTIO.

26. OBIJCIES primo fundamento potiſsimo, quo nititur P. Suarez ad oppoſitam ſententiam ſuadendam: Philoſophus Chriſtianus, ſivè converſos ad fidem, tenetur credere hanc propoſitionem *Deus eſt*, & tamen cognoſcit evidenter illam per ſcientiam, vel demonſtrationem à poſteriori: Ergò poteſt habere ſimùl fidem, & ſcientiam eiuſdem veritatis. Maior probatur ex illo Pauli ad Hæbreos 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quia inquirentibus ſe remunerator eſt*: Ergò.

27. Omiſsis varijs ſolutionibus, diſtinguo maiorem: Tenetur credere illam propoſitionem: De Deo, vt Authore gratię, concedo maiorem de Deo, vt Authore naturę, nego maiorem: Et diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam, quia Deum eſſe, vt Aothorem naturę, eſt diſtincta veritas ab eo quod eſt Deum eſſe, vt Authorem gratię. Prima eſt demonſtrabilis lumine naturę, & fatemur, quod cognoſcitur per demonſtrationem à Phyloſopho Chriſtiano, vel converſo ad fidem; at verò ſecunda non eſt cognoſcibilis lomine naturę per demonſtrationem, ſed ſolum lumine fidei: Et hanc tenetur credere accedens ad Deum, non verò primam, ſi illam agnoſcat evidenter per ſcientiam: Et in hoc ſenſu intelligendus eſt Apoſt. Ex quo non inferas Phyloſophum Chriſtianum habere ſimùl fidem, & ſcientiam de eodem obiecto; quia Deus, vt Author naturę, & Deus, vt Author gratię, licèt ſint idem realiter entitativę, non tamen ſunt idem formaliter, & in eſſe obiecti, quia important diſtinctas formalitates, & veritates obiectivas, & ſic non ſunt idem obiectum in ſenſu quæſtionis. Vide ſuprà *num. 2.*

28. Sed replicabis: Phyloſopbus Chriſtianus non ſolum credit per fidem hanc veritatem Deus eſt, vt Author ſupernaturalis, ſed etiam iſtā, Deus eſt, vt Author naturę: Ergò ruit ſolutio. Antecedens probatur, quia ſi non crederet hanc ſecundam veritatem eſſet deterioris conditionis, quam ruſticus Chriſtianos: Sed hoc videtur abſurdum: Ergò. Sequela probatur, nam ruſticus Chriſtianus haberet meritum fidei circa illam veritatem, nam illā crederet per fidem; ſecùs autem Phyloſophus Chriſtianus, quia de illa veritate non haberet fidem: Ergò eſſet deterioris conditionis. Secundo, quia ruſticus Chriſtianus eſſet certus de illa veritate, certitudine fidei, Phyloſophus verò ſolum eſſet certus de illa certitudine ſcientię naturalis; ſed certitudo ſcientię naturalis eſt minor, & deterioris conditionis, quam certitudo fidei, vt ſuprà dixi *diſp. 2. quæſt. 5. à numer. 13.* Ergò eſſet deterioris conditionis.

29. Reſpondeo imprimis inſtando argumentum; nam B. V. & Apoſtoli intuitivè viderunt plura myſteria fidei, quę nunc nos credimus per fidem: Et tamen, licèt non crediderint per actum fidei ea, quę oculis perſpiciebant, non fuerunt deterioris conditionis, quam nos, qui ea credimus fide divina: Ergò licèt

Phy-

Philoſophus Chriſtianus non credat per fidem illam veritatem, quam evidenter cognoſcit, non ideò erit deterioris conditionis, quam Ruſticus Chriſtianus. Nec valet dicere, B. V. & Apoſtolos etiam crediſſe per fidem ea ipſa myſteria, quę videbant, & ſenſibus experiebantur. Non inquam valet, nam hoc apertè eſt contra Div. Gregor. qui apertè negat Apoſtol. Thom. crediſſe id ipſum, quod vidit; vndè inquit: *Aliud vidit, & aliud credidit*: Ergò. Item quia Doct. Angelic. *quæſt. 14. de verit. art. 9. ad 7.* ait: *Dicendum, quod B. V. poterat quidem ſcire, quod filium non ex virili commixtione conceperat. Qua autem virtute conceptio illa facta fuerit, non potuit ſcire, ſed credidit Angelo dicenti: Spiritus Sanctus, &c.* Et hoc valdè notandum eſt ad comprobandam Doctrinam, ſuprà traditam *quæſt. 3. num. 30. & quæſt. 5. num. 3.* Vndè certiſsimum eſt Apoſtol. & B. V. de illis, quę clarè viderunt, & experti ſunt non habuiſſe fidē, ſed ſolum de divinitate occulta, & de myſterijs, quę ſub exterioribus latebant accidentibus; & tamen non fuerunt deterioris conditionis reſpectu noſtri, qui vtrumque credimus per fidem, & quę latebant, & quę evidenter apparebant: Ergò.

30. Deindè reſpondeò, negando antecedens. Ad cuius probationem, nego ſequelam. Ad cuius primam probationem, nego minorem: Quia, vt inquit Div. Thom. *in præſenti, quæſt. 2. artic. 10, ad 1. Quando habet homo voluntatem credendi ea, quę ſunt fidei, etiam ſi habeat rationem demonſtrativam ad aliquod verùm, puta ad hoc, quod eſt Deum eſſe, non propter hoc tollitur, vel diminuitur meritum fidei.* Non ergò requiritur; quod Philoſophus Chriſtianus credat illam veritatem actualiter, ad hoc vt habeat meritum fidei, ſed ſufficit, quod habeat animum & promptitudinem, & voluntatem ex parte ſua ad illam credendam, ſi non haberet evidentem illius demonſtrationem: Cum ergò hanc voluntatem, & animi promptitudinem habeat, ęquè, vel magis, quam Ruſticus Chriſtianus, indè eſt quod in eo non tollitur, nec minuitur meritum fidei, ſed in eo poteſt ęquare, vel excedere Ruſticum iuxta animi promptitudinem, & voluntatem.

31. Maiorem difficultatem continet ſecunda probatio Sequelę, vndè illi diverſimodè reſpondetur à pluribus: Alij enim aſſerunt Philoſophum Chriſtianum habere certitudinem habitualem fidei reſpectu talis veritatis, & hoc ſufficere vt non ſit deterioris conditionis, quam Ruſticus. Sed hæc ſolutio non ſatisfacit, quia Ruſticus non ſolum habet certitudinem habitualem, ſed etiam actualem fidei reſpectu dictę veritatis: Ergò excedit Philoſophum, ſaltèm in certitudine actuali.

32. Proptereà reſpondet Lorca, & P. Torres, quod licèt Philoſophus Chriſtianus non poſsit habere certitudinem actualem fidei, nec elicere actum fidei, dum elicit actum demonſtrativum, vel ſcientificum circa talem veritatem, poteſt tamen ſucceſsivè tempore immediatè ſequenti elicere actum fidei, & ſic habere certitudinem actualem fidei.

33. Sed nec hæc ſolutio placet; quia imprimis Ruſticus non indiget expectare tēpus poſterius, vt certificetur actualiter per fidem: Ergò ſaltèm in hoc præſtabit Philoſopho, qui non poteſt certificari actualiter per fidem, niſi expectato tempore poſteriori. Secundò, quia ſemèl elicito actu ſcientię circa præfatam veritatem, intellectus manet convictus de illa toto tempore ſequenti, vſque dum illius obliviſcatur; vndè non poteſt de tali veritate cogitarè cogitatione inquiſitiva, provt requiritur ad fidem: Sed dum intellectus eſt convictus, & non poteſt cogitare cogitatione inquiſitiva circa aliquam veritatem, non poteſt elicere actum fidei circa illam: Ergò adhùc tempore ſequenti poſt demonſtrationem non poſſet intellectus elicere actum fidei circa dictam veritatem, niſi fortè per oblivionem ſcientiam amitteret acquiſitam; quo in caſu iam, reſpectu illius veritatis, non tam Philoſophus, quam Ruſticus eſſet. Ex quo inferes, quod cum Philoſophus Gentilis convertitur ad fidem, minimè per gratiam iuſtificantem amittit ſcientiam naturalem antecedenter acquiſitam de exiſtentia Dei Authoris naturę; gratia enim non deſtruit, ſed potiùs roborat, & confirmat perfectiones naturales, tam innatas, quam acquiſitas, quas invenit in ſubiecto.

34. His ergò ſolutionibus relictis, ſatis probabiliter reſponderi poteſt, admittendo, quod Philoſophus Chriſtianus excederetur à Ruſtico in certitudine reſpectu illius veritatis determinatę, negando tamen hoc eſſe abſurdum; quia hic exceſſus eſſet per accidens, & ſecundum quid, & reſpectu tantum vnius obiecti fidei per accidens ad illam ſpectantis, qui quidē exceſſus facilè poſſet reſarciri à Philoſopho Chriſtiano per fidem magis explicitam de alijs Myſterijs ſupernaturalibus, quę Ruſticus ita explicitè credere facilè non poſſet. Sicut neceſſariò dicendum videtur de B. V. & Apoſt. quod ſcilicèt non fuerunt deterioris conditionis, eo quod non habuerint actum fidei, & conſequenter nec certitudinem actualem fidei circa Paſſionem, Mortem, & Reſurrectionem Chriſti, & alia, quę occulis perſpexerunt, reſpectu noſtri,

tri, qui talia per fidem credimus, & de illis certificamur per fidem; quia videlicèt hic exceſſus per accidens eſt, & ſecundum quid reſpectu fidei, quia veritates, quę oculis ſenſibiliter apparent, aut quę lumine naturę demonſtrari poſſunt, non per ſe, ſed quaſi per accidens pertinent ad fidem, nempè tantum pro caſu, quo deficiat evidentia naturalis illarum, & in ſupplementum illius; fides enim ſolum eſt per ſe de Myſterijs excedentibus experientiam ſenſibilem, & rationem naturalem intellectus, & circa iſta fides noſtra nunquam poteſt excedere, immò nec ęquarè fidem B. V. & Apoſtol. & ſimiliter nec fides Ruſtici fidem Philoſophi Chriſtiani. Et hanc ſolu ionem latè proſequuntur PP. Salmant. *in præſenti.*

35. Cæterum magis ad mentem D. Thom. reſpondeo illi ſecundę probationi, conceſſa maiori, quoad primam partem, negando illam, quoad ſecundam, quia Philoſophus Chriſtianus, non ſolum haberet certitudinem ſcientię naturalis, ſed etiam certitudinem fidei ſupernaturalis de illa veritate, quia videlicèt per fidem firmaretur, & roboraretur in aſſenſu ſcientifico circa illam, illumque eliceret cum certitudine ſupernaturali proveniente ex ipſa fide. Hæc doctrina colligitur ex Div. Thom. *in præſenti, quæſt.* 2. *artic.* 4. vbi reddens rationes, quarè proponuntur per fidem ea, quę ratione naturali demonſtrari poſſunt, ſic ait: *Tertia eſt, vt certiùs cognoſcantur ea, quę naturalis ratio de Deo aſſequitur, quia ratio humana eſt multum deficiens in rebus divinis; vt ergò eſſet indubitata, & certa cognitio apud homines de Deo, oportuit, quod divina eis per modum fidei traderentur, quaſi à Deo dicta, qui mentiri non poteſt.* Ex quibus verbis apertè conſtat intellectum firmari poſſe, & magis certificari per fidem circa ea, quę de Deo per rationem naturalem aſſequitur, & conſequenter, quod, dum per rationem naturalem evidenter demonſtrat Deum eſſe, aut eſſe immutabilem, vel aliud huiuſmodi, circa id ipſum magis certificatur per fidem, quam ſi fidem non haberet, aut Chriſtianus non eſſet.

36. Idque magis confirmatur ex eodem Div. Thom. *in præſenti, quæſt.* 4. *artic.* 8. *ad* 2. vbi ſic ait: *Cæteris paribus viſio eſt certior auditu, ſed ſi ille, à quo auditur, multum excedit viſum videntis, ſic certior eſt auditus, quam viſus, ſicut aliquis parvę ſcientię magis certificatur de eo, quod audit ab aliquo ſcientifico, quam de eo, quod ſibi, ſecundum ſuam rationē, videtur, & multò magis homo certior eſt de eo, quod audit à Deo, qui falli non poteſt, quam de eo, quod videt propria ratione, quę falli poteſt:* Ergò iuxta Div. Thom. magis certificatur intellectus circa veritatem, quam ratione naturali demonſtrativè cognoſcit, quando adiungitur revelatio circa veritatem demonſtratam, ſivè quando illam audit à Deo dictam, & teſtificatam, quam ſi ſolum procederet ealis aſſenſus à ratione naturali nudè ſumpta, quia nempè per conſortium fidei magis certificatur, & roboratur intellectus in ipſo aſſenſu ſcientifico. Qualiter tamen hoc fiat, expetunt ſequentes replicę, vt explicemus.

37. Inſtat ergò primò Suarez: Talis actus ſcientię, in conſortio fidei, non eſt ſupernaturalis, nec mixtus ex naturali, & ſupernaturali, ſed purè naturalis; ſed in actu purè naturali non poteſt dari certitudo ſupernaturalis: Ergò in actu ſcientifico circa prædictam veritatem non poteſt dari certitudo fidei, quę eſt ſupernaturalis. Secundò: Actualis certitudo fidei non poteſt dari ſine actu fidei: Ergò vel Philoſophus Chriſtianus habet ſimùl actum fidei cum actu ſcientię circa illam veritatem, quod intendit argumentum, vel non habet certitudinem fidei circa illam. Probatur antecedens: Certitudo actualis fidei non poteſt procedere ab ipſa fide, niſi per aliquem actum; ſed non per alium, niſi per actum fidei: Ergò. Tertiò: Nullus actus poteſt eſſe certus, certitudine fidei, niſi procedat ex motivo fidei; ſed aſſenſus ſcientificus nequit procedere ex motivo fidei, alias enim eſſet ſimùl actus ſcientię, & fidei: Ergò nequit eſſe certus certitudine fidei. Quartò: Certitudo fidei eſt inſeparabilis ab obſcuritate, eſt enim certitudo obſcura, & non clara; ſed Philoſophus Chriſtianus non eliceret aſſenſum ſcientificum cum obſcuritate fidei: Ergò nec eliceret talem actum cum certitudine fidei. Minor probatur, quia aliàs eſſet ſimùl claritas, & obſcuritas, non ſolum in eodem intellectu, ſed etiam in eodem actu, quod ſanè magis repugnat, quam fides, & ſcientia: Ergò.

38. Reſpondent aliqui, cum Molina, Fonſeca, & Ripalda, non repugnare quod idem actus eliciatur ſimùl ex motivo fidei, & ex motivo evidentię, vel ſcientię, & ſic contingere in Philoſopho Chriſtiano, in quo concurrit ſimùl, & motivum fidei, & motivum ſcientię ad aſſentiendum illi veritati, *Deus eſt*, vndè illi aſſentitur ex vtroque motivo per vnicum actum, qui eſt ſimùl actus ſcientię, & fidei, & ſic habet certitudinem naturalis ſcientię, & certitudinem ſupernaturalem fidei.

39. Sed hic modus dicendi maximè diſplicet, potiſsimè quia coniungit, non ſolum in vno intellectu, ſed etiam in vnico aſſenſu ſcientiam, & fidem reſpectu eiuſdem obiecti,

ti, quod multò difficilius eſt, quam illam coniungere per duplicem actum in eodem intellectu; longè enim impoſsibilius apparet, quod idem obiectum ſit viſum, & non viſum, euidens, & inevidens, clarum, & obſcurum eidem intellectui per diverſos actus, quam per vnicum, & eundem: Ergò. Diſplicet ſecundò, quia actus ſpecificantur ab obiectis motivis, hoc eſt, accipiunt vnitatem, vel pluralitatem ſpecificam, ſunt vnius, vel duplicis ſpeciei, iuxta vnitatem vel pluralitatem obiecti formalis motivi: Sed motivum ſcientię, & motivum fidei, ſunt obiecta ſpecificè diverſa ineſſe obiecti formalis motivi, adeò vt ſpecificent habitus diverſos: Ergò implicat, quod vnus ſpecificè actus moveatur ex illo duplici motivo. Nec dicas, quid ille actus eſſet vnus numero, ſed ſpecie duplex. Non inquam, quia implicat in terminis eundem numero actum eſſe duplicis ſpeciei infimę, & atthomę, quia duę ſpecies infimę, & atthomę important eſſentialiter differentias oppoſitas, ac diviſivas generis, & conſequenter inconiungibiles in eodem indiviſibili actu, alias enim idem numero color poſſet eſſe albus, & viridis, idē numero animal equus, & leo, & ſic de quibuslibet ſpeciebus diverſis: Sed actus fidei, & ſcientię ſunt duplicis ſpeciei infimę, & atthomę: Ergò implicat in terminis quod ſint vnicus numero actus. Tertiò, quia implicat idem numero habitus, qui ſimùl ſit ſcientię, & fidei reſpectu eiuſdem obiecti, aliàs enim eſſet ſimùl naturalis, & ſupernaturalis, clarus, & obſcurus, vndè talem habitum nullus hucuſque excogitavit: Ergò pariter repugnat vnicus actus ſcientię, & fidei ſimùl reſpectu eiuſdem obiecti, cum eadem ratio militet.

40. Dices forſan, non repugnare eundem actum, qui primario moveatur ex motivo ſcientię, & ſecundariò per quandam extẽſionem ex motivo fidei, vel è contra, eo modo, quo PP. Salmantic. *ſuprà diſput. 2. quæſt. 6. num. 25.* tuebantur, eundem actum tendere per medium probabile, & per medium demonſtrativum. Sed hic modus opinandi ſatis ibi reiectus fuit, eo quod repugnat motivum alicuius actus eſſe ſecundarium reſpectu illius.

41. Aliter ergò reſpondeò ad obiecta P. Suarez, ad primum, conceſſa maiori, diſtinguendo minorem: In actu purè naturali non poteſt dari certitudo ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, ſeù conſtitutivè, concedo minorem: Quoad modum, & adiectivè, nego minorem, & conſequentiam. Pro cuius intelligentia adverto, quod dupliciter poteſt actus ſcientię recipere firmitatem, & certitudinem à fide: Primò taliter quod talis actus ſcientię procedat quoad ſubſtantiam à ratione naturali, & quoad modum certitudinis maioris ab habitu fidei; quo pacto actus ſcientię entitativè, & quoad ſubſtantiam manet purè naturalis, veruntamen quoad modum illius maioris certitudinis ſupernaturalis adiectivè, id eſt, quaſi ſupernaturalizatus, & elevatus ad modum perfectionis certitudinis.

42. Nec enim audiendi ſunt PP. Salmantic. qui *in præſenti, diſput. 3. dub. 3. num. 88.* inquiunt, talem modum certitudinis eſſe purè naturalem. Non inquam, tum quia admodum certitudinis naturalis ſuperflueret motivum ſupernaturale fidei, cum certitudo naturalis, quantumvis magna, ex motivo naturali poſsit haberi. Tum quia modus illius certitudinis talis eſt, quod nequit provenire, niſi ex motivo ſupernaturali fidei, cum ſit modus certitudinis fidei: Ergò exigit motivum ſupernaturale fidei: Sed contra naturam modi purè naturalis eſt exigere aliquid ſupernaturale, & importare connexionem cum illo, quia quodlibet ſupernaturale eſt ſuprà exigentiam cuiuſvis rei, vel modi purè naturalis, ſicut ſuprà exigentiam totius naturę: Ergò. Tum quia talis modus adſtruitur, vt Philoſophus Chriſtianos equet in certitudine Ruſticum credentem illam veritatem, *Deus eſt*; ſed per modum certitudinis purę naturalis illum ęquarè nequit, quia certitudo Ruſtici eſt ſupernaturalis: Ergò. Quartò, quia quotiuſcumque lumen inferius fortificatur ex lumine ſuperioris ordinis per aliquem modum participatum ex lumine ſuperiori, modus ille participatus eſt ſuperioris ordinis, & facit lumen inferius participativè, & quoad modum ordinis ſuperioris, vt patet in cogitativa hominis participante modum rationalitatis, & in Angelo inferiori participante modum Angeli ſuperioris per illius illuminationem, & ſic de alijs: Ergò, ſi ſemèl admittatur actum ſcientię participare modum maioris certitudinis ex motivo fidei concurrente, ille modus debet eſſe ſuperioris ordinis, nempè fidei: Ergò ſupernaturalis, & reductivè pertinens ad ſpeciem fidei. Et ita ſentit Ioann. à S. Thom. *in præſenti.*

43. Ad cui contradicendum, PP. Salmant. nec Patronos habent, nec firmam rationem. Nun Patronos, nam Authores, qui negant Philoſopho Chriſtiano maiorem certitudinem de illa veritate, *Deus eſt*, quam Gentili, pariter negant motivum fidei in Philoſopho Chriſtiano concurrere ad actum ſcientię, aut derivare in illo modum maioris certitudinis, vndè non rectè allegantur pro ſe à PP. Salmantic. qui ad-

admiſſo illo modo, dicunt, eſſe naturalem, & pertinentem ad ſpeciem ſcientię. Nec etiam firmam rationem, ratio enim ab ipſis aducta, eſt quia modus ille non eſt maioris extenſionis, ſed intenſionis; modus autem intenſionis ſpectat ad ſpeciem, & naturam actus cuius eſt intenſio. Cæterum hæc ratio nulla eſt, quia modus illa, nec eſt intenſionis actus, nec extenſionis, non enim conſiſtit in eo quod actus ſcientię ad plura ſe extendat, aut ſuum obiectum magis penetret, ſed eſt modus maioris firmitatis, & certitudinis adiectitius, & participatus ex conſortio fidei ordinis ſuperioris, ſicut modus efficacię, quem participat imperium practicum ex actu voluntatis præcedentis, non eſt modus intenſionis, aut extenſionis in imperio, ſed modus alterius potentię; & modus ordinativus, quem ſolet participare actus voluntatis ex actu rationis præcedenti, à nemine dicitur modus intenſionis, aut extenſionis. Nec obſtat, quod modus ille dicatur *maioris certitudinis*, quia non dicitur maioris certitudinis intra idem genus, vel intra eandem ſpeciem, ſed maioris, id eſt, alterius ordinis, ſpeciei, & generis, & ſic non eſt maioritas intenſionis, ſed maioritas ordinis, & ſpeciei. Probant item, quia ſi modus ille eſſet ſupernaturalis, deberet prius habitus ſcientię naturalis participare illum modum ſupernaturalem, vt transfundaretur ad actum. Sed nec iſta ratio quidquam probat, nam quod ille modus ſit naturalis, val ſupernaturalis, dummodo participetur ex motivo, & lumine fidei, minimè probat debere recipi in habitu, ſi ſit ſupernaturalis, potius, quam ſi naturalis ſit. Item, quia opus non eſt, quod recipiatur prius in habitu, ſeù principio elicitivo actus ſcientię, ſed ſatis eſt, quod derivetur in ipſo elici, ſeù in ipſo actu, dum elicitur, ſicut efficacia derivatur ad imperium ex actu voluntatis præcedenti, quin prius derivetur ad principium elicitivum actus imperij, nempè ad intellectum, de quo videri poſſunt à nobis dicta *tract. de Provid. quæſt.* 14. *à num.* 68 *&* 71. Tenendú ergò aſt talem modú maioris certitudinis, eſſe ſupernaturalem participativè, & modaliter, abſque vllo inconvenienti. Et quidem ipſi PP. Salmant. *num.* 90. cenſent non repugnare in aſſenſu ſcientię naturalis modum ſupernaturalem fidei participativè ipſi convenientem: Si ergò non repugnat, cur negatur in Philoſopho Chriſtiano, cum maximè conducat ad explicandam in illo certitudinem fidei, etiam circa veritatem prædictam ſcitam.

44. Tenendum ergò eſt modú illum maioris certitudinis eſſe ſupernaturalem participativè convenientem actui ſcientię naturalis ex motivo, & habitu fidei concurrente ad talem actum ſcientię, non quoad ſubſtantiam, ſed quoad illum modum, ad modum quo in ſententia ſatis probabili habitus acquiſiti concurrunt ad ſuos actus, non quo ad ſubſtantiam, ſed tantum quoad modum ſuavitatis, & facilitatis, & promptitudinis in agendo, in qua ſententia actus procedens ab habitu acquiſito importat, & ſubſtantiam actus, quę vnicè procedit à potentia, & modum facilitatis, hoc eſt, quod ſuaviter, faciliter, & delectabiliter fiat, & hic modus eſt ab habitu: Cur ergò non poterit dici idem de actu ſcientifico elicito à Philoſopho Chriſtiano, quod ſcilicèt ille importat ſubſtantiam actus, nampè, quod ſit aſſenſus evidens veritatis demonſtratę, & modum ſupernaturalis certitudinis, quod nempè eliciatur cum firmitate, & certitudine ſuperioris ordinis, ita vt ſubſtantia actus procedat à lumine, & ratione naturali, & modus ille certitudinis, & firmitatis ab habitu, & lumine fidei, & ex eius motivo?

45. Secundo, & aliter poteſt explicari, qualiter intellectus ex motivo fidei poſsit magis certificari in illa veritate ſcita, *Deus eſt*, nempè per actum fidei reflectentem ſuper actum ſcientię naturalis, & ſuprà obiectum illius, cum enim fides ſit ſuperior ad omnem ſcientiam naturalem, poteſt iudicare de actu eius, & corrigere, ſeù firmare intellectum in illo: Quod quidem non fit per actum fidei directum circa veritatem demonſtratam, & ſcitam, quia hic repugnat cum ſcientia talis veritatis, nec per actum abſolutè reflectentem ſuper actum ſcientię, & affirmantem eius veritatem, nam etiam ſcientia habet ſimilem aſſenſum reflexum ſuprà ſuum actum, & ſic darentur ſimùl actus fidei, & ſcientię reflectentes ſuprà eundem aſſenſum, & affirmantē abſolutè eandem veritatem, quod pariter repugnat; ſed fit per actum reflexum affirmantes abſolutè veritatem illam eſſe divinitus revelatam, adque adeò ita firmam, & certam, quod quamvis deficerent motiva ſcientię naturalis, firmiſsima perſiſterer in vi revelationis divinę: Hic enim actus reflexus non repugnat cum ſcientia naturali, quia eſt de obiecto diſtincto, ac de veritate valdè ſuperiori ad obiectum ſcientię naturalis, & aliundè talis aſſenſus, ſeù actus ſic reflexus non poteſt non firmare maximè intellectum circa veritatem ſcitam, quia quaſi aſſecurat magis ipſum, & per illam veritatem ſuperiorem quaſi fideiubet de veritate inferiori ſcita.

46. Ex quo iam ad ſecundam obiectionem Suarij, *ex num.* 37. diſtinguo antecedens: Actualis certitudo fidei non poteſt dari ſine actu fidei circa eandem veritatem, nego

antecedens, ſine actu fidei circa veritatem diſtinctam, & ſuperiorem, concedo antecedens. Ad cuius probationem eadem diſtinctione reſpondeo, quod intellectus poteſt certificari, certitudine fidei, de illa veritate ſcita *Deus eſt vt Author naturę*, quin eliciat actum fidei de ipſa abſolutè, eliciendo tamen aſſenſum fidei circa veritatem ſuperiorem, credendo nempè illam veritatem ſcitam eſſe à Deo revelatam, & ex vi revelationis certiſsimam, & firmiſsimam independenter à motivo ſcientię naturalis, nam ex hoc ipſo intellectus, licèt directè non credat illam veritatem, quam evidenter ſcit, magis tamen firmatur, & certificatur in aſſenſu ſcientifico illius, ex certitudine fidei de prædicta veritate ſuperiori.

47. Ad tertiam; diſtinguo maiorem: Nullus actus poteſt eſſe certus certitudine fidei intrinſecè, & quoad ſubſtantiam, ſi non procedat ex motivo fidei, concedo maiorem: Certus certitudine fidei, vel ſolum extrinſecè, vel tantum participativè, & quoad modum, ſi non procedat ex motivo fidei, nego maiorem: Et diſtinguo minorem eodem modo, vel illam abſolutè nego, quia vt aliquis actus ſit certus accidentaliter, participativè, & extrinſecè certitudine fidei, non requiritur, quod actus ipſe procedat ex motivo fidei, ſed ſufficit, quod alius actus, ex quo firmatur, & certificatur intellectus, procedat ex motivo fidei: Vel dici poteſt actum ipſum ſcientię, licèt non quoad ſubſtantiam, & eſſentiam intrinſecam, tamen quoad modum maioris certitudinis procedere ex motivo fidei, in quo nullum eſt inconveniens.

48. Ad quartam ſimiliter, diſtinguo maiorem: Certitudo fidei eſt inſeparabilis ab obſcuritate in proprio actu, concedo maiorem: In actu extraneo, cui ſolum participativè convenit, nego maiorem; quia licèt in proprio actu fidei non poſsit inveniri certitudo ſine obſcuritate, quia vtrumque eſt de eius eſſentia, tamen ab actu ſcientifico poteſt participari, vel per modum intrinſecum, vel per denominationem extrinſecam, certitudo ſupernaturalis, cuius eſt capax, ſine obſcuritate, quia obſuritatis non eſt capax, vndè fides, cum ſit lumen ſuperius communicat ſcientię certitudinem, cuius capax eſt, ſed non obſcuritatem, cuius eſt incapax.

49. Sed non quieſces: Talis certitudo fidei participata, vel pertinet ad ſpeciem fidei, vel ad ſpeciem ſcientię: Non ad iſtam, quia aliàs eſſet certitudo naturalis: Nec ad illam, quia certitudo fidei debet eſſe ex motivo fidei, ex quo nequit procedere actus ſcientię, nec illi inniti: Ergò. Secundò, quia adhùc admiſſo tali modo certitudinis in actu ſcientię, non ſalvatur intentum, nempè, quod aſſenſus ſcientificus ſit ęquè certus in Philoſopho Chriſtiano circa illam veritatem, *Deus eſt*, ſicut in Ruſtico: Nam in Ruſtico actus fidei eſt certus eſſentialiter, & quoad ſubſtantiam, in Philoſopho autem actus ſcientię ſolum eſt certus certitudine fidei participativè, & quaſi accidentaliter, vel extrinſecè: Ergò certitudo Philoſophi eſt minor, quam Ruſtici.

50. Reſpondeo ad primum, quod illa certitudo participata ab actu ſcientię, eſt ſupernaturalis, & pertinet reductivè ad fidei ſpeciem, vt dictum manet, & innititur motivo fidei præſuppoſitivè, & extrinſecè, medio nempè illo aſſenſu fidei reflexo, vi cuius credit Philoſophus veritatē ſcitā eſſe revelatam, & cōſequēter firmam forè ſemper, quāvis per impoſsibile fallerent motiva ſcientię, qui aſſenſus certificat aſſenſum ſcientificum, & innititur motivo fidei. Ad ſecundam, dico, quod intentum noſtrum non eſt, quod actus ipſe ſcientię in Philoſopho Chriſtiano ſit ęquè certus ac actus fidei, ſed quod Philoſophus Chriſtianus habeat ęqualem certitudinem de veritate illa ſcita, ac Ruſticus, qui de illa non habet ſcientiam: Licèt autem certitudo fidei conveniat ſolum accidentaliter, & participativè actui ſcientię, tamen ipſi Philoſopho convenit propriè, & formaliter, quia per prædictum aſſenſum reflexum fidei propriè, & formaliter certificatur de veritate ſcita, quamvis illam abſolutè non credat directè, & ęquè certificatur, immò forſan magis, quam Ruſticus, qui certificatur per ſcientiam, & per fidem, Ruſticus autem ſolum per fidem.

51. Inquires, an talis certitudo in actu ſcientię ſit clara, vel obſcura? Item, an ſit illi intrinſeca, vel extrinſeca? Ad primum reſpondeo, nec eſſe poſitivè claram, nec poſitivè obſcuram, ſed negativè, ſeù præciſivè vtrumque, quia actus ſcientię participat de fide certitudinem, præciſivè ſumptam, ſine claritate, quia fides non habet claritatem, & ſine obſcuritate, quia huius eſt incapax ſcientia, & ſic certitudo participata in actu ſcientię à fide, ſolum eſt certitudo, præſcinditque in illo à claritate, & obſcuritate, & negativè ſe habet ad vtrumque. Ad ſecundam dico, quod illa certitudo poteſt defendi vt purè extrinſeca actui ſcientię, quatenus per denominationem extrinſecam ab actu fidei reflexo iam explicato denominatur actus ſcientię directus certus certitudine fidei. Vel poteſt dici, quod ex ipſo actu reflexo fidei circa veritatem ſuperiorem derivatur ad actum ſciētię modus intrinſecus certitudinis fidei, qui intrin-

trinſecus eſt participativè actus ſcientię; hoc ſecundum videtur probabilius in principijs Thomiſtarum, qui ex virtutibus ſuperioribus regulariter defendunt derivari ad inferiores imperatas, vel regulatas, modum intrinſecum ſuperiorum, v. g. in actu naturali imperato ex charitate, inquiunt, derivari ex charitate modum ordinationis ad finem ſupernaturalem charitatis, & ex actu ordinativo intellectus derivari ad actus voluntatis ſequutos modum illum, aut vim ordinativam, quę ſolùm participativè convenit actibus voluntatis, & ſic in alijs. Nec obeſt, quod fides non imperat actum ſcientię; quia quamvis illum non imperet, illum tamen regulat aliquo modo, quia fides in Philoſopho Chriſtiano dirigit rationem naturalem, eamque corrigit, ſi erret, & confirmat in vero, dum veritatem aſſequitur, & ſic vi huius influxus poteſt derivare modum illum.

52. Denique replicabis: Per nos poteſt credi per fidem veritas illa reflexa ſuperior ad veritatem ſcitam, nempè quod *veritas ſcita eſt revelata, & firma perſiſteret, quamvis per impoſsibile falleret motivum ſcientię*: Sed iſta veritas continet, & includit veritatem illam directam, *Deus eſt*; vel ſaltèm illam infert; & aliàs, qui credit veritatem ſuperiorem continentem, vel inferentem aliam, credit etiam aliam in illa contentam: Ergò pariter Philoſophus Chriſtianus poterit credere per fidem veritatem ſcitam. Reſpondeo, conceſſa maiori, & minori quoad primam partem, negando illam quoad ſecundam, quia poteſt credi per fidem aliquà veritas ſuperior continens aliam inferiorem, quin poſsit credi inferior, quia videlicèt inferior ſit evidens, ſuperior vero obſcura, quia licèt ex evidentia ſuperioris vt continentis inferiorem ſequatur evidentia inferioris, tamen ex evidentia inferioris contentę, non ſequitur evidentia ſuperioris, ſicur ex vniverſali ſequitur particularis ſub illa contenta, ſed non ex hac ſequitur illa, ſicut contingeret caſu quo quis haberet ſcientiam infuſam de peccato originali alicuius particularis individui, ſed non de alijs, tunc enim illa vniverſalis, & ſuperior: Omnes in Adam peccaverunt, maneret obſcura, & credi poſſet per fidem, at ſingularis illa per ſcientiam infuſam evidenter viſa non maneret obſcura, nec ubiectum fidei, in ſe ipſa conſiderata: Dixi, in ſe ipſa conſiderata, quia ſolum hoc pacto eſſet evidens, ſi autem conſideretur vt confusè contenta in vniverſali obſcura, & obſcurè tantum revelata, ſic credi poterit per fidem in confuſo, & vniverſaliter.

CÆTERA ARGUMENTA ſolvuntur.

53. OBIJCITUR ſecundò: Theologia eſt ſcientia ſtrictè talis: Sed poteſt dari ſimùl fides, & demoſtratio Theologica reſpectu eiuſdem veritatis: Ergò etiam ſcientia, & fides. Probatur minor, quia de hac veritate, *Datur duplex voluntas in Chriſto, divina, & humana*, datur actus fidei in vi illius teſtimonij; quod Chriſtus D. expreſsè diſtinxit has volũtates, dicens: *Non mea, ſed tua voluntas fiat*: Itemque ſimùl poteſt dari hæc demonſtratio Theologica: *Vbicumque datur duplex natura intellectualis, datur duplex voluntas: Sed in Chriſto datur duplex natura intellectualis, divina, & humana: Ergò in eo datur duplex voluntas divina, & humana*: Ergò eadem veritas poteſt ſimùl credi per fidem, & demonſtrari demonſtratione Theologica.

54. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: Theologia eſt ſcientia ſtrictè talis, ſed obſcura, concedo: Et clara, ſeù evidens, nego maiorem, & conceſſa minori, diſtinguo conſequens eodem modo: Quia Theologia nititur principijs revelatis obſcurè, & creditis obſcurè per fidem, & cum concluſio non poſsit habere claritatem, aut evidentiam, quam non habent principia, ex quibus infertur, indè eſt, quod concluſio Theologica ſemper manet abſolutè obſcura, ac proinde credi poteſt in ſenſu conceſſo per fidem: Nos autem in concluſione ſolum loquuti ſumus de ſcientia clara, & abſolutè evidenti, dum dicimus illam eſſe incompatibilem cum fide.

55. Sed dices: Demonſtratio Theologica infert evidenter ſuam concluſionem: Ergò eſt clara, & evidens. Secundò: Saltèm vna ex præmiſsis, quibus Theologia innititur, ſolet eſſe evidens, vt eſt illa: *Vbicumque datur duplex natura intellectualis, datur duplex voluntas*: Ergò ratione illius poteſt refundere claritatem in concluſione. Reſpondeo ad primum, diſtinguendo conſequens: Ergò eſt clara, & evidens evidentia conſequentis, ſeù abſoluta, nego conſequentiam: Evidentia conſequentię, & ex ſuppoſitione fidei, concedo conſequentiam; quia ex eo, quod Theologia evidenter inferat ſuas concluſiones ex principijs creditis per fidem, non ſequitur evidentia abſoluta, & conſequentis, quia hæc exigit quod præmiſſę ipſę ſint in ſe abſolutè evidentes, ſicut neceſsitas conſequentis exigit quod præmiſſę ſint in ſe abſolutè neceſſarię: Solum ergò ſequi-

quitur evidentia conſequentię, & ex ſuppoſitione præmiſſarum, aut præmiſſę creditę per fidem; & hæc evidentia relinquit conclusionem abſolutè obſcuram, & conſequenter credibilem per fidem, & propterea ſuprà ſæpè admiſimus evidentiam Theologicam conciliari eum fide. Ad ſecundum, nego conſequentiam, quia conclusio ſemper ſequitur debiliorem partem, vndè vt ſit evidens, opus eſt, quod maior, minor, & illatio ſint evidentes, vt autem ſit obſcura ſatis eſt, quod aliquid illorum trium ſit obſcurum, quia malum ex quocumque defectu.

56. Obijcitur tertio: Non eſt de eſſentia fidei, quod ſubiectum non habeat evidentiã rei creditę; ſed hoc ipſo ſaltèm divinitus poteſt coniungi fides cum evidentia rei creditę: Ergò. Maior probatur primo: Quod ſubiectum non videat id quod credit, eſt conditio ſe tenens ex parte ſubiecti: Sed conditio non poteſt eſſe de eſſentia fidei: Ergò. Secundo; quia fidei eſſentia præcisè conſiſtit in eo quod ſit aſſenſus obiecti propter authoritatem Dei revelantis obſcurè: Sed ſtat optimè Deum revelare obſcurè, quamvis intellectus aliundè videat obiectum revelatum: Ergò eſſentia fidei ſalvatur, quamvis intellectus aliundè habeat evidentiam obiecti revelati. Tertio, quia non eſt de eſſentia fidei obſcuritas privativa ſubiecti: Ergò nec quod ſubiectum abſolutè non videat rem, quam credit. Probatur antecedens: Fides eſt lumen ſpirituale intellectus; ſed implicat, quod de eſſentia luminis ſit obſcuritas privativa lucis, ſicut quod de eſſentia lucis ſint tenebrę: Ergò.

57. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: Non eſt de eſſentia fidei, quod ſubiectum non videat rem creditam, tanquam conſtitutivum ipſius fidei in recto, concedo maiorem: Non eſt de eſſentia fidei, tanquam conditio, ſeù connotatum eſſentiale illius, nego maiorem. Ad cuius primam probationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem eodem modo, quia licèt conditio ſubiectiva ad aliquem actum non poſſit conſtituere intrinsecè, & in recto ipſum actum, poteſt tamen ipſum conſtituere de connotato, per modum eſſentialis conditionis, aut connotati, quo præcisè deficiente deficiat eſſentia talis actus, ſicut contingit in actu ſpei, qui connotat eſſentialiter ex parte ſubiecti privationem poſſeſſionis termini *ad quem*; & hoc modo benè poteſt de eſſentia fidei eſſe quod ſubiectum credens non videat id quod credit, & ſufficit vt nec divinitus poſſit cum evidentia obiecti coniungi. Ad ſecundam, omiſſa maiori, diſtinguo minorem: Stat optimè Deum revelare obſcurè, & intellectum moveri ad aſſenſum ex tali revelatione cum eo quod aliundè videat obiectum, nego minorem: Si intellectus non moveatur ex illa revelatione, tranſeat minor, & nego conſequentiam, quia ad actum fidei non ſolum requiritur eſſentialiter, quod Deus revelet obſcurè, ſed etiam quod talis revelatio vt obſcura moveat intellectum, ſivè quod intellectus moveatur ex ipſa: Ad hoc autem eſſentialiter requiritur, quod intellectus non videat id quod credendum eſt, ſeù quod ſit quaſi in obſcuro reſpectu obiecti credendi, nam ſi intellectus ſit clarus, & videns evidenter obiectum credendum, implicat quod revelatio obſcura moveat in actu ſecundo intellectum ad aſſenſum obiecti viſi, vel evidenter ſciti, vt oſtendimus *ſuprà num.* 21. Vndè vt intellectus aſſentiat propter authoritatem Dei revelantis obſcurè, requiritur quod intellectus ſubiectivè ſit non videns obiectum credendum. Ad tertiam, nego antecedens. Ad probationem, diſtinguo maiorem: Fides eſt lumen ſpirituale intellectus eſſentialiter impotens lucere, niſi in caliginoſo, & obſcuro ſubiecto, concedo maiorem: Potens lucere in ſubiecto clarificato per evidentiam obiecti, nego maiorem, quia licèt lumen fidei, intrinſecè, & in recto tenebroſum non ſit, vt benè probat argumentum, exigit tamen eſſentialiter tenebras ex parte ſubiecti, vt actualiter ipſum illuminet de obiecto, ſicut lucerna, quę ſolum lucet in caliginoſo loco.

58. Sed replicabis: Stat optimè intellectum eſſe clarum, & obſcurum per diverſa media: Sed obſcuritas fidei, & claritas ſcientię connotant diſtincta media: Ergò compatiuntur in eodem intellectu. Probatur maior: Intellectum eſſe clarum eſt videre obiectum, & intellectum eſſe obſcurum eſt illud non videre: Sed ſtat optimè intellectum videre obiectum per vnum medium, & illud non videre per aliud: Ergò ſtat optimè eſſe clarum, & obſcurum per diverſa media. Minor patet, quia licèt opponantur iſtę propoſitiones: *Petrus videt obiectum per medium A. Petrus non videt obiectum per medium A.* non tamen opponuntur iſtę: *Petrus videt obiectum per medium A. Petrus non videt obiectum per medium B.* Ergò.

59. Reſpondeo, negando maiorem; Ad cuius probationem, diſtinguo maiorem, quoad ſecundam partem: Et eſſe obſcurum eſt non videre obiectum privativè, concedo: Negativè, nego maiorem, & diſtincta minori eodem modo, ad eius probationem dico, quod obſcuritas intellectus non conſiſtit præcisè in eo quod per aliquod medium determinatum non videat obiectum, ſed in eo quod per nullum

me-

medium illud videat, quia obſcuritas dicit eſſentialiter privationem lucis, ſeù claræ viſionis; privatio autem cuiuſvis formæ eſſentialiter dicit, quod ſubiectum privatum per nullum medium habeat illam formam, vndè diaphanum, quamvis non habeat claritatem per lumen Lunæ, aut Stellarum, ſi tamen eſt illuminatum à Sole, nemo dicet eſſe privativum luce, aut eſſe obſcurum, vel tenebroſum, adhùc per medium Lunæ, aut Stellarũ, quia licèt nõ illuminetur per Stellas, non indè ſequitur, quod per illas obſcuretur, aut tenebris afficiatur : Ita ergò, licèt intellectus non videat obiectum per vnum medium, nempè fidei, non ſequitur quod per illud ſit obſcurum reſpectu obiecti non viſi, ſi illud videt per medium ſcientiæ evidentis.

60. Obijcies quarto : Licèt fides, & ſcientia de eodem obiecto repugnet in intellectu pro eodem ſigno, non tamen pro diverſis ſignis, licèt in eodem inſtanti : Ergò. Probatur antecedens, primo, quia intellectum eſſe obſcurum pro priori, & clarum pro poſteriori, non dicit oppoſitionem: Ergò nec fides pro priori, & ſcientia pro poſteriori. Probatur antecedens: Poſsibilitas pro priori, & impoſsibilitas pro poſteriori non opponuntur, ſicut nec indifferentia pro priori, & determinatio pro poſteriori, vt patet in voluntate libera, in qua pro ſigno actus primi datur indifferentia, & poſsibilitas ad vtrumque extremum libertatis, & tamen in ſigno actus ſecundi, intra idem inſtans, datur determinatio vnius extremi, & impoſsibilitas conſequens alterius : Sed ita dicit impoſsibilitas carentiam poſsibilitatis, & indifferentia carentiam determinationis, ſicut obſcuritas carentiam evidentiæ : Ergò ſicut extrema illa poſſunt conciliari pro diverſis ſignis, ita ſimiliter iſta. Secundò, quia poteſt Deus promittere alicui beatitudinem in premium actus fidei ab ipſo eliciendi, vt ſtatim ac talem actum eliceret, conferendum : Sed in tali caſu, in eodem inſtanti, in quo eliceret actum fidei, licèt pro poſteriori, haberet viſionem claram de obiecto credito pro priori: Ergò poſſunt conciliari fides pro priori, & viſio clara pro poſteriori. Tertio: Si aliquis per fidem humanam credat dicenti Solem eſſe ortum, & aperta feneſtra videat ipſum Solem, firmatur in fide præſtita, ſiquidem ſolet dicere, *Verum mihi dixit ille* : Sed nequit aliquis firmari in fide, niſi ea retenta, quia nemo firmatur in fide, quam iam non habet: Ergò adhùc viſio Sole, manet aſſenſus fidei elicitus pro priori.

61. Reſpondeo, negando antecedens. Ad cuius primam probationem, nego etiam antecedens. Ad cuius probationem, conceſſa maiori, diſtinguo minorem : Ita, & eodem modo, nego minorem : Ita, & diverſo modo, concedo minorem, & nego conſequentiam: Diſparitas ſtat in eo, quod indifferentia libertatis non dicit carentiam privativam determinationis, nec poſsibilitas antecedens carentiam privativam impoſsibilitatis conſequentis, ſed ſolum carentiam præciſivam, vel præciſionem à determinatione, & neceſsitate, & ideò poſſunt compati pro diverſis ſignis in eodem inſtanti; quia pro priori poteſt voluntas præſcindere à determinatione vnius extremi libertatis, & impoſsibilitate alterius, & pro poſteriori determinari ad vnum, & impoſsibilitari conſequenter ad aliud : At verò obſcuritas fidei dicit carentiam viſionis, & evidentiæ, non præciſivam, ſed privativam, vt oſtenſum manet; implicat autem dari carẽtiam privativam lucis pro priori, & lucem pro poſteriori, & conſequenter carentiam privativam evidentiæ, & evidentiam adhùc pro diverſis ſignis eiuſdem inſtantis, vt ſatis evidenter oſtendimus, *in Phyſic. lib.* 2. *quæſt.* 4. *à num.* 17. Ad ſecundam, diſtinguo maiorem : Poteſt Deus promittere beatitudinem in premium ſtatim conferendum, id eſt, immediatè poſt elicitum actum fidei in tempore, vel inſtanti immediatè ſequenti, concedo maiorem : Statim, id eſt, in eodem inſtanti, nego maiorem, & minorem, quia Deus non poteſt promittere impoſsibilia : Impoſsibile autem eſt, quod Deus conferat beatitudinem, id eſt, viſionem patriæ, intellectui, in eodem inſtanti, in quo per fidem obſcurè cognoſcit Deum, ſolum autem eſt poſsibile in inſtanti ſequenti ; vndè ſolum illam promittere poteſt, vt conferendam pro inſtanti ſequenti.

62. Sed dices : Premium non poteſt eſſe oppoſitum, & incompatibile cum merito : Sed in tali caſu actus fidei eſſet meritum, & viſio patriæ premium : Ergò non eſſent incompatibiles, ſaltèm pro diverſis ſignis. Diſtinguo maiorem : Non poteſt eſſe oppoſitum, & incompatibile cum merito pro eodem reali inſtanti, nego maiorem : Succeſsivè, concedo maiorem, & minorem, & nego conſequentiam; Martyrium enim, paupertas, patientia, pœnitentia, & alij huiuſmodi actus ſolent eſſe meritum beatitudinis, & tamen ſunt eſſentialiter incompatibiles cum beatitudine pro eodem inſtanti, cum beatitudo ſit cumulus omnium bonorum cum excluſione privativa cuiuſvis miſeriæ: Non ergò eſt de ratione meriti (vt opinatur Ripalda, & alij Moderni hoc vtentes argumento) quod poſsit compati in eodem inſtanti cum premio.

63. Ad

ſcilicèt excedit facultatem omnium hominum in ſtatu viæ exiſtentium, ſicut Deum eſſe trinum; & huiuſmodi, & de his eſt impoſsibile ab aliquo homine ſcientiam haberi. Veruntamen hæc ſolutio non placet, quia Div. Thom. hic loquitur tantum attenta potentia ordinaria, vel facultate naturali hominum, ratione cuius non poſſunt acquirere ſcientiam evidentem myſteriorum ſupernaturalium fidei; nō autem loquitur attenta potentia Dei abſoluta, nec de ſcientia infuſa, quam Deus poſſet communicare homini; eſt enim ſententia communis Theologorum Deum poſſe infundere homini ſcientiam ſupernaturalem myſteriorum fidei extra Verbum, ſaltèm de potentia abſoluta, qualem communicavit humanitati Chriſti in communi Theologorum ſententia.

68. Vndè aliter reſpondeo; conceſſa maiori, negando minorem. Ad cuius primam probationem, nego maiorem; quia per ſcientiam infuſam omnium myſteriorum deſtrueretur totaliter obiectum fidei, quod conſiſtit in myſterijs obſcurè propoſitis, nam in tali caſu nullum eſſet obſcurum, nec obſcurè proponeretur illi intellectui. Ex quo infero, nulli viatori, nec B. V. fuiſſe communicatam ſcientiam infuſam habitualem omnium myſteriorum fidei, ſed vel ſolum communicatam fuiſſe actualiter, & tranſeunter, vt viſio beatifica Div. Paulo, vel præciſè circa aliqua tantum myſteria remanentibus cæteris, & præcipuis obſcuris, vt circa ea poſſet fides exerceri. Ad ſecundam, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: De facto, & iuxta præſentem providentiam, concedo minorem: De poſsibili, & in illo caſu extraordinario, nego minorem, & conſequentiam; quia dum Apoſtol. ait: *Per fidem ambulamus*, ideò hoc ait, quia non habemus ſcientiam evidentem eorum, quę ſperamus videre in Patria; non autem negat eſſe poſsibilem de potentia abſoluta caſum, in quo aliquis ambularet, & tenderet ad Patriam per ſcientiam infuſam, licèt abſtractivam, eorum, quę ſperaret videre in Patria. Ad tertiam eodem modo reſpondeo, diſtinguendo minorem: Spes regulatur per fidem de facto, & iuxta præſentem providentiam, concedo minorem: In illo caſu extraordinario, nego minorem; quia ſicut modo regulatur ſpes per notitiam obſcuram fidei, tunc loco fidei regularetur per ſcientiam abſtractivam infuſam, nam in hoc nulla eſt implicatio.

69. Ad quartam, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: Ad hoc neceſſario requirітur fides in præſenti providentia, concedo minorem: In illo caſu extraordinariè providentiæ, nego minorem; nec Apoſtolus aliud intendit, nam præciſè loquitur de viatoribus, prout iacent, & prout carent ſcientia evidenti myſteriorum fidei, nam iſtis oportet credere, vt accedant ad Deum, nec poſſunt Deo placere, ſine fide; ſecùs autem foret in illo caſu metaphyſicè poſsibili, in quo ſubſtitueretur evidentia loco fidei.

70. Sed dices primò: Poteſt Deus in præſenti providentia communicare alicui ſcientiam ſupernaturalem omnium actuum fidei circa myſteria ſupernaturalia; ſed talis ſcientia eſſet ſcientia evidens omnium myſteriorum, ſaltèm abſtractiva, ſiquidem eſſet ſcientia evidēs actuū, qui eſſent eſſentialiter veri, & connexi cū myſterijs; hæc autē neceſſariò eſt ſciētia evidens myſteriorū, ſiquidem eſt ſciētia veritatiſ obiectivę, quę in myſterijs ipſis ſita eſt: Ergò poteſt Deus, in præſenti providentia communicare alicui ſcientiam infuſam omnium myſteriorum fidei, ſaltèm abſtractivam. Secundò, quia poteſt Deus in præſenti providentia communicare alicui ſcientiam infuſam, ſaltèm vnius myſterij, vel actus ſupernaturalis; ſed ille haberet ſcientiam infuſam, ſaltèm abſtrativam, de Deo vt Authore ſupernaturali; & aliundè teneretur credere Deum, vt Authorem ſupernaturalem, quia, vt fatemur, in præſenti providentia nemo poteſt placere Deo, nec accedere ad Deum ſine fide: Ergò. Tertiò, quia ad iuſtificationem nunquam poteſt ſufficere ſcientia infuſa Dei, vt Authoris ſupernaturalis: Ergò falſum eſt quod hæc poſſet ſupplere pro fide, caſu, quo daretur. Probatur antecedens; quia fides, quę eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem, eſt fides ſtricta, vt diſtincta ab omni alia cognitione ſupernaturali, vt contra Ripaldam, communiter tenent Theologi, contra quem etiam Innocentius XI. damnavit iſtam propoſitionem: *Fides latè dicta ex teſtimonio creaturarum, ſimilivè, vel motivo ad iuſtificationem ſufficit*: Ergò.

71. Reſpondeo, negando maiorem propter eandem argumenti rationem, nempè, quia talis ſcientia eſſet ſcientia evidens omnium myſteriorum, & excluderet fidem totaliter; Deus autem in præſenti providentia ſtatuit non ſalvare homines, niſi per fidem; niſi fortè talis ſcientia communicaretur purè tranſeunter, ſicut viſio beatifica Div. Paulo; tunc enim poſſet permanere fides habitualis. Ad ſecundam, omiſſa maiori, diſtinguo minorem: Ille haberet ſcientiam infuſam de Deo vt Authore ſupernaturali talis actus, vel myſterij, concedo, vt Authore ſupernaturali omnium myſteriorum, nego minorem, quoad primam partem, & diſtinguo ſecundam eodem modo; quia licèt ille

non poſſet credere Deum, vt Authorem ſupernaturalem illius actus, vel Myſterij, de quo haberet ſcientiam evidentem, poſſet tamen credere Deum, vt Authorem ſupernaturalem aliorum actuum, vel Myſteriorum, de quibus ſcientiam evidentem non haberet, præſertimque vt Authorem beatitudinis ſupernaturalis futuræ, & vt obiectum ipſius, quo pacto eſt obiectum primarium terminativum fidei. Ad tertiam, diſtinguo antecedens, nunquam poteſt ſufficere ſcientia infuſa, in præſenti providentia tranſeat: In providentia extraordinaria, & metaphyſicè poſsibili, nego antecedens, & conſequentiam in eodem ſenſu, quia dum Theologi, & Summus Pontifex dicunt non ſufficere ad iuſtificationem fidem latè dictam, dato quod in fide latè dicta includant cognitionem evidentem ſupernaturalem, quod non ita certum eſt, non loquuntur de potentia Dei abſoluta, ſed tantum iuxta præſentem providentiam, in qua ſtatuit Deus non ſe manifeſtare, vt Authorem, & obiectum beatitudinis ſupernaturalis hominibus, niſi per fidem; nam ſanè, ſi poſſet in præſenti, providentia ita ſe manifeſtare per ſcientiam evidentem ſupernaturalem, illa ſufficeret ad regulandos motus, & actus ſupernaturales, quibus poſſet homo accedere ad Deum, & iuſtificari, conſequique vitam æternam, quam evidenter cognoſceret, vt practicè poſsibilem.

72. Obijcies ſeptimo: Quamvis viſio intuitiva obiecti ſit incompatibilis cum actu fidei reſpectu eiuſdem, compatibilis tamen eſt ſcientia abſtractiva naturalis: Ergò ſaltèm de hac non tenet noſtra concluſio. Probatur antecedens: Scientia naturalis relinquit in obiecto ſufficientam obſcuritatem ad fidem: Ergò eſt compatibilis. Probo antecedens, primò, quia ſcientia naturalis non eſt metaphyſicè infallibilis: Sed hoc ipſo relinquit ſufficientem obſcuritatem in obiecto, vt poſsit credi per fidem, quæ eſt metaphyſicè infallibilis: Ergò. Secundò, quia ſcientia abſtractiva non quietat totaliter intellectum: Ergò relinquit, &c. Antecedens probatur primò, quia intellectus cum ſcientia abſtractiva poteſt timere, & formidare falſitatem in ſuo diſcurſu, cum multoties contigerit rationem naturalem falli in eo, quod evidens iudicabat: Ergò. Secundò, quia poſt ſcientiam abſtractivam, intellectus inquietus, & deſiderat notitiam intuitivam: Ergò non manet totaliter quietus.

73. Reſpondeo, negando aſſumptum. Ad cuius probationem, nego antecedens. Ad cuius primam probationem, diſtinguo maiorem, non eſt metaphyſicè infallibilis ex parte obiecti, nego maiorem ſubiectivè: Ex parte diſcurſus, ſubdiſtinguo: Non eſt metaphyſicè infallibilis in actu exercito, & directè, nego maiorem: In actu ſignato, & reflexè, omitto maiorem, & nego minorem; quia actus ſcientiæ naturalis imprimis eſt metaphyſicè infallibilis ex parte obiecti, quia principia, quibus nititur, & illatio obiectiva ſunt metaphyſicè neceſſaria, & infallibilia, vt patet in hac demonſtratione naturali facta de Deo: *Omne ens neceſſarium, & immutabile eſt æternum; ſed Deus eſt ens neceſſarium, & immutabile: Ergò eſt æternus.* Deindè ex parte ſubiecti, & diſcurſus etiam eſt metaphyſicè infallibilis in actu exercito, quia intellectus cum omnimoda, & metaphyſica ſecuritate aſſentitur tali obiecto, exercitè iudicans non poſſe, adhùc metaphyſicè: Aliter ſe habere, ſolum ergò eſt fallibilis ex parte ſubiecti reflexè conſiderata ex ratione communi diſcurſus naturalis; quia videlicèt intellectus nonnunquam ſolet falli in conſideratione reflexa exiſtimans ſe habere ſcientiam, & evidentiam de aliquo obiecto, quæ tamen in actu exercito, & re ipſa ſcientia non eſt, nec evidentia, ſed forſan opinio falſa. Cæterum hæc fallibilitas in conſideratione reflexa non inducit obſcuritatem ſufficientem ad fidem, ſi ſemèl intellectus in actu exercito habet evidentiam, & ſcientiam directam re ipſa talem de obiecto, quia hæc, quando re ipſa talis eſt, re ipſa eſt infallibilis evidenter, & omninò quietat intellectum in veritate ſcita, abſque omni contingentia falſitatis.

74. Ad ſecundam, nego antecedens. Ad cuius primam probationem, nego etiam antecedens. Quia eo ipſo, quod intellectus inciperet formidare, aut timere falſitatem obiecti, iam ſcientia abſtractiva, non eſſet ſcientia, ſed degeneraret in opinionem, quia de ratione ſcientiæ eſt cum omnimoda ſecuritate aſſentire concluſioni, & quod non poteſt aliter ſe habere: Fatemur ergò, quod poſt ſcientiam abſtractivam poſſet intellectus de illius veritate formidare, non tamen ſimùl, & in eodem inſtanti cum illa, quia aliàs talis ſcientia eſſet ſimùl ſcientia, & opinio, ſecura, & formidoloſa, quod implicat manifeſtam contradictionem. Nec obſtat, quod ratio naturalis multoties falſa fuerit in eo, quod evidens indicabat, quia hoc ſolum probat rationem naturalem eſſe fallibilem, quaſi ſpeculativè, & reflexè, conſiderando ipſius actum, ſecundùm rationem communem diſcurſus naturalis; non tamen, quod intellectus hic, & nunc aſſentiatur cum fallibilitate exercita, aut formidine falſitatis, dum in actu exercio habet ſcientiam evidentem, quia

hæc

hæc omnem formidinem falſitatis excludit, & aliter non erit re ipſa ſcientia. Ad ſecundam diſtinguo antecedens: Intellectus inquirit, & deſiderat notitiam intuitivam, vt certificetur de obiecto ſcito quoad *an eſt*, nego antecedens: Vt illud perfectiori modo cognoſcat, id eſt, quoad *quid eſt*, concedo antecedens, & nego conſequentiam, quia intellectus per ſcientiam abſtractivam evidentem alicuius veritatis, ita ſecurus, & quietus manet circa talem veritatem, quod omninò iudicat impoſſibile aliter ſe habere. Si verò inquirit viſionem intuitivam non eſt vt de tali obiecto magis certificetur, aut propter aliquam formidinem, quam de tali veritate habeat, ſed ſolum vt obiectum perfectiori modo videat, eiuſque perfectiones clarè intuatur; hæc autem inquiſitio, ſeù inquietudo, ſi talis dici debeat, non eſt quę fundat fidem de obiecto, ſed ſola inquietudo circa veritatem credendam, quatenus nulla apparet ratio evidens, quę intellectum in tali veritate aſſecuret, & firmet.

75. Sed replicabis: In viſione intuitiva datur maior claritas, quam in ſcientia abſtractiva: Ergò in hac datur minor claritas, quam in illa: Sed vbicumque datur minor claritas, datur aliqua obſcuritas. Ergò. Probatur minor: Vbicúnque datur minor claritas, datur carentia alicuius claritatis: Sed carentia alicuius claritatis, ſi ſit in ſubiecto capaci, eſt aliqua obſcuritas, ſiquidem eſt privatio alicuius claritatis Ergò.

76. Reſpondeo, conceſſa maiori, & prima conſequentia, negando minorem ſubſumptam. Ad cuius probationem, conceſſa maiori, nego minorem. Quia obſcuritas non eſt privatio vnius, vel alterius claritatis, ſed privatio claritatis ſimpliciter talis, ſicut cæcitas non eſt privatio vnius, vel alterius gradus viſivi, aliàs, qui minus videret, cæcus eſſet, ſed eſt privatio viſus ſimpliciter talis; licèt autem ille, qui tantum habet ſcientiam abſtractivam, ſit privatus luce maiori, non ideò habet obſcuritatem ſimpliciter talem, quia habet claritatem ſimpliciter talem, per quam nempè convincitur intellectus evidenter de obiecto.

77. Obijcies octavo: Non minus opponitur ſcientia abſtractiva cum intuitiva viſione reſpectu eiuſdem obiecti, quam evidentia cum fide: Sed poteſt compati in eodem ſubiecto ſcientia abſtractiva, & intuitiva reſpectu eiuſdem: Ergò pariter ſcientia, & fides. Probatur minor, quia beati per ſcientiam intuitivam clarè cognoſcunt Deum, & etiam illum cognoſcunt abſtractivè per ſcientiam infuſam ex creaturis cognitis per illam extra Verbum, vt docent communiter Thomiſtę 3. *part.* agentes de ſcientia Animę Chriſti: Ergò. Confirmatur, quia non minus opponitur opinio cum fide, quam ſcientia cum fide: Sed poteſt componi opinio cum fide reſpectu eiuſdem obiecti in eodem intellectu. Ergò & ſcientia cum fide. Minor probatur, quia, dum Eccleſia definit aliquam veritatem, quę antea erat inter opiniones, per illam definitionem non ſolvit argumenta, quę partem oppoſitam reddebant probabilem: Sed non ſolutis argumentis, intellectus ſemper manet opinans: Ergò adhùc definita illa ſententia, poteſt intellectus de illa habere opinionem: Sed poteſt, immò, & debet illam credere per fidem divinam, vt potè definitam ab Eccleſia: Ergò.

78. Reſpondeo, negando maiorem, quia eſt clara diſparitas, quam aſsignat Div. Thom. 1. 2. *quaeſt.* 67. *artic.* 3. *in corp.* vbi ſic ait: *Ex parte quidem obiecti cognoſcibilis differunt ſecundum perfectum, & imperfectum, cognitio matutina, & veſpertina, in Angelis, nam matutina eſt de rebus ſecundum quod habent eſſe in Verbo, cognitio autem veſpertina eſt de eis, ſecundum quod habent eſſe in propria natura :: Ex parte verò ſubiecti differunt ſecundum perfectum, & imperfectum opinio, & fides, & ſcientia*: Ex qua doctrina infertur ſcientiam abſtractivam de Deo, & ſcientiam intuitivam, tantum differre penes perfectum, & imperfectum ex parte obiecti, quia videlicèt intuitiva videt Deum in ſe ipſo, abſtractiva tamen ſolum cognoſcit Deum vt in creaturis, & ex creaturis, vndè non dicunt oppoſitionem ſubiectivam, nec vna importat privationem alterius ex parte ſubiecti: At verò ſcientia, & fides iuxta Div. Thom. differunt tanquam perfectum, & imperfectum ex parte ſubiecti, & ſic vna importat ex parte ſubiecti privationem alterius, nempè fides privationem ſcientię claræ, vt ſuprà oſtendimus, & ideò compati nequeunt.

79. Sed dices: Sicut fides eſt de obiecto non apparenti, ita notitia abſtractiva eſt de obiecto abſenti: Sed hoc non obſtante compatitur notitia abſtractiva cum eo quod obiectum ſit præſens per viſionem: Ergò compatitur etiam fides cum eo quod obiectum ſit evidens per ſcientiam. Diſtinguo maiorem: Sicut, & eodem modo, nego maiorem: Et diverſo modo concedo maiorem, & minorem, & nego conſequentiam; diſparitas ſtat in eo, quod ſcientia abſtractiva ſolum petit, quod obiectum ſit abſens negativè, ſub eo modo, & medio, quo cognoſcitur, quia vt inquit Div. Thom. tantum eſt imperfecta ex parte obiecti,

& medij : At fides petit eſſentialiter quod obiectum ſit non apparens privativè, & ex parte ſubiecti, quia fides, vt inquit Div. Thom. dicit imperfectionem ex parte ſubiecti; & ideò inquit ibidem Div. Thom. quod ſcientia abſtractiva, & intuitiva non poſſunt convenire in eodem medio, licèt poſsint convenire in eodem ſubiecto; at fides, & ſcientia non poſſunt convenire in eodem ſubiecto. Et quidem hanc vel aliam diſparitatem omnes reddere tenentur; quia omnes Theologi, qui admittunt in Beatis, & in Chriſto, ſcientiam infuſam rerum extra Verbum, quę ſit abſtractiva reſpectu Dei, excludunt à Chriſto, & à Beatis fidem ſtrictè talem : Ergò apud omnes eſt aliqua ratio incompatibilitatis in fide cum ſcientia, quę non militet in ſcientia abſtractiva cum intuitiva, aliàs enim, cum Chriſto concedenda ſit omnis virtus, & perfectio non incompatibilis cum alijs, concedenda foret Chriſto fides Theologica, vti compatibilis cum viſione, & ſcientia clara Myſteriorum.

RELIQUA SOLVUNTUR obiecta.

80. OBIJCIES nono, argumento communi: Paulus in raptu vidit divinam eſſentiam, & omnia, quę ſpectant ad obiectum fidei : Et tamen habuit fidem reſpectu illorum : Ergò benè poteſt compati fides cum evidentia reſpectu eiuſdem. Reſpondet Div. Thom. *infrà quæſt. 179. artic. 3. Dicendum, quod quia Paulus in raptu non fuit Beatus habitualiter, ſed ſolum habuit actum Beatorum, conſequens eſt, vt ſimùl tunc in eo non fuerit actus fidei, fuit tamen ſimùl in eo habitus fidei.* Quia videlicèt ſolum datur oppoſitio formalis, & directa inter actum fidei, & actum evidentię, & hanc ſolam in præcedenti concluſione defendimus; at verò inter actum viſionis, aut evidentię, & habitum fidei non datur eſſentialis oppoſitio, prout explicabimus concluſ. ſequenti.

81. Sed replicabis primò : Div. Paulus non ſolum habuit actum Beatorum, ſed etiam habitum luminis glorię : Et tamen fuit in eo ſimùl habitus fidei : Ergò conciliantur ſimùl habitus evidentię, & habitus fidei circa idem : Sed non maior eſt oppoſitio inter actum fidei, & actum evidentię : Ergò pariter poterunt conciliari. Secundò, quia Div. Paulus, ſaltèm poſt raptum, potuit habere actum fidei: Sed adhùc poſt raptum non potuit habere obſcuritatem, privativam obiecti fidei : Ergò hæc non requiritur ad actum fidei, & conſequenter poteſt compati actus fidei ſine obſcuritate, & cum evidentia. Probatur minor, quia poſt claram, & intuitivam viſionem obiecti manet videns incapax habendi actualem obſcuritatem, & inevidentiam privativam reſpectu illius, vndè, qui ſemèl vidit Romam, non poteſt in poſterum dicere, quod ſibi eſt inevidens, an Roma exiſtat, ſed ſemper manet cum evidentia actuali de illa : Ergò.

82. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem : Habuit habitum luminis glorię vialiter, & per modum actus communicatum, omitto maiorem : Permanenter, & per modum habitus, nego maiorem, & conceſſa minori, diſtinguo conſequens eodem modo, & minorem ſubſumptam. Prò cuius intelligentia, advertendum eſt, quod viſio beata, quam habuit Div. Paulus in raptu, in ſententia probabili fuit elicita, non per habitum luminis glorię, ſed per lumen actuale, vel auxilium natura ſua tràſiens: Et in hac ſententia nihil probat argumentum factum; quia iuxta eam in raptu Div. Pauli non fuit ſimùl habitus luminis glorię, ſeù viſionis cum habitu fidei, ſed ſolum actus viſionis ab actuali lumine elicitus cum habitu fidei, quę non dicunt eſſentialem oppoſitionem, vt ſtatim dicemus. Quia verò eſt ſententia probabilis inter Thomiſtas viſionem illam elicitam fuiſſe per habitum luminis glorię eiuſdem rationis cum habitu Beatorum, ideò diſtinguimus, & dicimus, quod habuit Div. Paulus talem habitum non permanenter, & habitualiter communicatum, ſicut communicatur cæteris Beatis, ſed ſolum tranſeunter communicatum, & per modū diſpoſitionis, quo pacto ſolum habet erga ſubiectum vim actus, & ideò eſt compatibilis cum habitu fidei circa idem obiectum, ſicut actus viſionis, quia quamvis ſit re ipſa habitus, non communicatur habitualiter, nec reddit ſubiectum habitualiter inclinatum ad viſionem, & ideò componitur cum habitu fidei habitualiter inclinante ad fidem obſcuram.

83. Sed dices : Habitus nequit exiſtere in ſubiecto, niſi præſtet illi ſuum effectum formalem : Sed effectus formalis cuiuſcumque habitus eſt conſtituere ſubiectum habitualiter inclinatum ad ſuum actum : Ergò, ſi Div. Paulus in raptu habuit habitum luminis glorię, per illum fuit permanenter, & habitualiter inclinatus ad viſionem, & non ſolum actualiter. Reſpondeo, hoc argumentum nimis probare, probat enim B. Paulum in raptu fuiſſe beatum habitualiter, quod negat Div. Thom. & eſt per ſe falſum. Deindè, conceſſa maiori, diſtinguo minorem : Eſt conſtituere ſubiectum habitualiter, & permanenter inclinatum in ſta-

tu

tu connaturali, & indiſpoſito, nego minorem, quia ſicut habitus, licèt per ſe, & ex natura ſua ſit difficilè mobilis à ſubiecto, tamē propter indiſpoſitionem ſubiecti, & propter ſtatum præternaturalem, poteſt, & ſolet fieri facilè mobilis ab illo, vt dicitur in Logica, ſic habitus luminis gloriæ, licèt ex natura ſua petat eſſe permanenter in ſubiecto, conſtituendo ſubiectum permanenter inclinatum, quia tamen Paulus erat in ſtatu viæ, & cum diſpoſitionibus viæ, qui quidem ſtatus eſt præternaturalis, & indiſpoſitus ad viſionem Patriæ, ideò ratione huius ſtatus, & indiſpoſitionis habitus ille non conſtituebat ſubiectum habitualiter inclinatum, & permanenter, ſed ſolum tranſeunter, & per modum diſpoſitionis tranſitoriæ; vndè ſolum eſt de eſſentia habitus, & effectus formalis eius, conſtituere habitualiter inclinatum ſubiectum diſpoſitum, & in ſtatu connaturali conſtitutum, non verò ſubiectum indiſpoſitum, & in ſtatu præternaturali exiſtens.

84. Ad ſecundam replicam contra principalem ſolutionem, nego minorem. Ad cuius probationem, diſtinguo antecedens: Poſt viſionem manet videns incapax privativè obſcuritatis circa obiectum viſum, ſi viſio relinquam habitum viſionis, vel ſpeciem propriam obiecti viſi, concedo antecedens: Si nec relinquat habitum, nec ſpeciem propriam, nego antecedens, & conſequentiam; quia ille, qui videt Romam, ideò tranſacta viſione, manet cum evidentia, & ſine obſcuritate reſpectu illius, quia manet cum ſpecie propria, vi cuius ſibi evidenter repræſentatur Roma, quoties illam apprehendit; attamen viſio Div. Pauli non reliquit in eius intellectu, nec habitum, nec ſpeciem propriam Dei viſi, vt omnes fatentur, vndè tota claritas, quam habuit in raptu, fuit per modum tranſeuntis, manente poſteà intellectu in obſcuritate viæ ſufficienti ad habendam fidem habitualem, & actualem.

85. Sed replicabis: Non poteſt negari Div. Paulum habuiſſe evidentiam poſt raptum de ipſo Deo viſo, ait enim: Scio huiuſmodi hominem raptum vſque ad tertium Cœlum, & vidi Arcana Dei, quę non licèt homini loqui: Sed non obſtante hac evidentia habitualiter, & actualiter permanente, habuit poſteà fidem habitualem, & actualem circa Deum, quem viderat: Ergò poteſt compati evidentia habitualis cum fide habituali, & evidentia actualis cum fide actuali eiuſdem obiecti.

86. Reſpondeo primo, negando maiorem, quia vt verum ſit illud quod ait: *Scio huiuſmodi hominem*, &c. ſatis eſt, ſquod cum hæc dicebat, habuerit lumen evidens tranſeunter ſibi communicatum, vi cuius evidenter ſibi repræſentaretur viſio præterita, non autem requiritur, quod permanenter, & habitualiter habuerit tale lumen evidens, quia ſæpè contingit animabus ſupernis viſionibus tranſeunter, & in raptu illuminatis, relinqui poſteà in tali obſcuritate, ac ſi tales viſiones minimè habuiſſent, adeò vt ſibi videantur ſomnia; vndè inquit B. Tereſia in his rebus Cœleſtis Magiſtra, *tom. 2. Epiſtol. epiſtol.* 11. ad Div. Petrum de Alcantara, *num. 26. Veniunt aliqui dies, in quibus videntur à me auferri omnia bona, fabores, ac viſiones, etiam è memoria, adeò vt quantumvis velim nihil boni in me fuiſſe ſciam, omnia mihi videntur ſomnia, vel ſaltèm de nihilo recordari poſſum*, idque ſæpiſsimè alijs in locis teſtatur, & eſt conſtans experientia Sanctarom animarum; & ratio huius eſt, quia ſtatui viatorum non congruit evidentia permanens, & habitualis rerum ſopernaturalium, & ſupernaturalium donorum, adhùc per modum memoriæ permanens, & conſequenter nec lumen evidens habitualiter, & permanenter communicatum; ſed lumen fidei obſcurum: Quando ergò Deus, vel ſe ipſum, vel aliqua ſuperna myſteria evidenter per evidentem viſionem manifeſtat alicui viatori, hic cum ſit ſpecialis favor, ſolum tranſeunter communicatur, quo tranſacto, connaturale eſt ſtatui, vt in priſtinam obſeuritatem redigatur, vt fidem obſequioſam, & propriè dictam exercere poſsit: Nec memoria evidens, quę ſolet poſteà ſuccedere de tali viſione, oportet quod ſit habitualis, & permanens, quia hæc etiam deberet eſſe per lumen evidens ſupernaturale, quod ſolum tranſeunter debet admitti in viatoribus, non autem habitualiter, & permanenter, nam habitualiter, & permanenter ſunt in ſtatu obſcuritatis, & fidei erga res ſupernaturales, & ideò ſemper in eis, & in D. Paulo manere potuit fides habitualis propter habitualem obſcuritatem circa omnia ſupernaturalia, etiam circa viſionem præteritam, & circa omnia viſa per eam; quam quidem fidem actu exercere non poterat, quando actu perfundebatur lumine evidenti circa ea quę per evidentem memoriam cognoſcebat; ſed amiſſa, aut tranſacta hac evidenti memoria, ad fidem recurrere debebat, & illi actualiter inniti, & hanc ſemper, & habitualiter habere in promptu, pro tempore obſcuritatis ſtatui viatoris congruenti. Sed demos, quod manſerit poſt viſionem, cum memoria habituali evidenti illius.

87. Reſpondeo ſecundo, diſtinguendo maiorem: Negari nequit Div. Paulum habuiſſe evidentiam poſt raptum de ipſo Deo viſo inconfuſo, & ſub ratione confuſa viſi, omitto

ma-

maiorem : De Deo viſo clarè, & diſtinctè ſub aliqua ratione, diſtincta, & clara, aut ſub omnibus, quę viderat, nego maiorem, & diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam, quia licèt demus, quod Div. Paulus manſerit poſt raptum cum evidentia, aut memoria evidenti habituali de viſione præterita, hæc tamen memoria evidens habitualis ſolum potuit eſſe de Deo viſo ſub ratione confuſa viſi, ſine evidentia determinante, quid erat determinatè quod viderat, niſi tantum de eo quod eſſet Deus in confuſo, id eſt, ſine evidentia de eo quod erat in ſe, aut quod viderat ipſum vt trinum, vel vt Authorem determinatè huius, aut illius Myſterij determinatè, aut Proviſorem, & Remuneratorem ſupernaturalem, vel alia huioſmodi, nam de his ſolum interdum, & tranſeunter habere potuit evidentiam ſervato ſtatu viatoris.

88. Sed inſtabis : Nam Div. Thom. *1. part. quæſt. 12. artic. 9. ad 2.* inquit : *Paulus, vel quicumque alius videns Deum, ex ipſa viſione eſſentię divinę, poteſt formare in ſe ſimilitudines rerum, quę in eſſentia divina videntur. Quę remanſerunt in Paulo etiam poſtquam deſijt Dei eſſentiam videre.* Et *quæſt. 8. de veritate artic. 5. ad 5.* inquit : *Paulus poſtquam deſijt eſſentiam Dei videre, memor fuit rerum, quas in Verbo cognoverat per ſimilitudines rerum apud ſe remanentes.* Ne verò dicas tales ſpecies vel ſimilitudines remanſiſſe ſolum tranſeunter, & per modum diſpoſitionis, non autem habitualiter, in contra eſt quod Div. Thom *infrà quæſt. 175. art. 4. ad. 3.* inquit : *Paulus, poſtquam ceſſavit videre Dei eſſentiam, memor fuit illorum, quę in illa viſione cognoverat, per aliquas ſpecies intelligibiles habitualiter ex hoc in eius intellectu relictas*: Ergò iuxta Div. Thom. non ſolum tranſeunter, ſed habitualiter, & permanenter remanſerunt in intellectu Div. Pauli ſpecies particulares Myſteriorum, quę viderat in Verbo : Ergò non ſolum permanſit in eo evidentia habitualis Dei ſub ratione viſi in confuſo, ſed etiam evidentia habitualis omnium Myſteriorum, quę viderat in eſſentia divina.

89. Reſpondeo, admittendo cum Div. Thom. quod remanſerint in intellectu Div. Pauli, etiam habitualiter, ſpecies Myſteriorum, quę viderat in eſſentia divina; non tamen conſequentiam, nempè, quod remanſerit in illo evidentia habitualis illorum Myſteriorum in particulari. Ratio eſt, nam ad evidentiam alicuius obiecti, duo requiruntur, nempè, & ſpecies, quę ipſum obiectum repræſentet, & lumen evidens ex parte intellectus, quo ipſe intellectus evidenter cognoſcat obiectum in tali ſpecie repræſentatum : Licèt autem manſerint in Div. Paulo ſpecies ſupernaturales illorum Myſteriorum, non tamen manſit in eo lumen evidens habituale, ſeù per modum habitus ad ea Myſteria, quando vellet, evidenter cognoſcenda, nam tale lumen evidens ad ſummum illi communicabatur gratuito, & tranſeunter, provt Deus volebat, & quando oportebat, forſan medio aliquo mentis exceſſu, quo tranſacto, mens eius remanebat habitualiter, & actualiter obſcura circa illa Myſteria in particulari, immò, & circa ipſum Deum, vt determinatè Authorem illorum Myſteriorum, quo pacto eſt obiectum primarium terminativum fidei; vndè poterat exercere fidem, immò, & habitualiter manebat in eo fides circa obiectum primarium ipſius, non ſolum conditionatè, ſed etiam abſolutè.

90. Objicies decimo : Non minus opponuntur ſcientia, & opinio, quam ſcientia, & fides; ſed per diverſa media rectè cohærent in eodem intellectu ſcientia, & opinio : Ergò pariter ſcientia, & fides. Confirmatur, non minus opponitur opinio cum fide, quam ſcientia, & fides; ſed poteſt componi opinio cum fide : Ergò. Probo minorem: Si aliquis habeat aliquam opinionem, & circa eam Eccleſia definiat veritatem, poteſt ille permanere in ſua opinione credendo ſimùl veritatem definitam ab Eccleſia : Ergò poteſt habere ſimùl fidem, & opinionem. Probo antecedens : Cum Eccleſia definit aliquam veritatem non ſolvit argumenta opinionis contrarię per ipſam definitionem; ſed non ſolutis argumentis alicuius opinionis, intellectus ſemper remanet in tali opinione : Ergò, adhùc poſt definitionem Eccleſię, intellectus ſimùl cum fide retinet opinionem.

91. Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem, cuius falſitatem, iam ſuprà oſtendimus, *diſput. 2. quæſt. 6.* Vbi argumenta in contra, præſertim ex Div. Thom. adducta afflatim ſolvimus. Ad confirmationem, pariter nego minorem. Ad cuius probationem, quę ſuperandi poſſet argumentis quæſtionis præfatę, nego antecedens. Ad cuius probationem, nego minorem, quia duplici ex capite poteſt aliquis deponere opinionem, nempè; vel ex ratione, vel ex Authoritate. Tunc deponitur ex ratione, quando ſolvuntur argumenta, & rationes ſuadentes talem opinionem. Tunc verò deponitur ratione Authoritatis, quando ſupervenit teſtimonium tantę Authoritatis, vt auferat vim omnium rationum, & argumentorum probabilium. Cum ergò Eccleſia definit aliquam veritatem, eius teſtimonium eſt tam in-

fallibilis veritatis, vt in conſpectu illius nullam vim movendi habeant argumenta probabilia, nec contra talem opinionem; & ideò intellectus amplius ex illis moveri non poteſt, & conſequenter nec opinari ſuppoſita fide.

91. Obijcies vndecimo: Stante aſſenſu evidenti de immortalitate Animę, v. g. poteſt ſtare habitus fidei, & divina revelatio de illa, ſiquidem per demonſtrationem evidentem de Animę immortalitate, non amittit fidelis Philoſophus habitum fidei, quo illam antecedenter credebat, nec deſtruitur revelatio de illa: Sed ſtante habitu fidei, & revelatione de aliqua veritate, poteſt ille elicere aſſenſum fidei de tali veritate: Ergò, ſtante aſſenſu evidente de immortalitate Animę, poteſt compati aſſenſus fidei eiuſdem obiecti. Probatur minor: Stante habitu fidei, & motivo formali, poteſt quis elicere aſſenſum fidei circa veritatem revelatam; ſed ſtante habitu fidei, & revelatione de immortalitate Animę, ſtat habitus fidei, & motivum formale circa talem veritatem, quia revelatio eſt motivum formale fidei: Ergò. Probo minorem: Quia ſtante habitu fidei, & motivo formali, ſtat quidquid requiritur ex parte potentię, & actus primi ad aſſenſum fidei: Ergò poteſt elici talis aſſenſus.

93. Reſpondeo, omiſſa maiori, negando minorem, vniverſaliter intellectam. Ad probationem, omiſſa etiam maiori, nego minorem: Quia revelatio non vt cumque eſt motivum formale fidei, ſed revelatio vt connotans obſcuritatem ex parte ſubiecti, aliter enim non habet vim movendi ad aſſenſum fidei, vt ſuprà oſtendimus; nã vt inquit D. Petrus, ſolũ eſt motivũ fidei, tãquã lucerna lucens in caliginoſo loco, hoc eſt, in intellectu obſcuro: Poſito autẽ aſſenſu evidenti de immortalitate Animę in intellectu, deficit huiuſmodi obſcuritas; vndè deficit motivum fidei, vt tale, quia licèt non deficiat ſecundum id, quod importat in recto, deficit tamen ſecundum id, quod importat de connotato, nam motivum fidei, licèt pro recto ſolum ſit divina revelatio, importat tamen eſſentialiter, & de connotato prædictam obſcuritatem ex parte ſubiecti. Et idem poteſt dici de habitu fidei, quod licèt remaneat entitativè, & in eſſe qualitatis, vel etiam in eſſe habitus reſpectu aliarum veritatum, de quibus non adeſt evidentia, non tamen remanet in eſſe habitus reſpectu immortalitatis Animę evidenter cognitę, quia in eſſe habitus importat eſſentialiter de connotato obſcuritatem ſubiectivam, quę quidem deficit reſpectu talis veritatis. Et quidem hæc obſcuritas non ſolum requiritur ex parte actus ſecundi ad aſſenſum fidei; ſed etiam ex parte actus primi, & ex parte potentię, tanquam connotatum, & conditio eſſentialiter exacta, ſicut requiritur obſcuritas loci, vt in eo poſſit lucere lucerna, quę in media diei claritate nec lucet, nec proximè lucere poteſt.

SECUNDA
Concluſio.

94. DICO ſecundò: *Habitus fidei poteſt ſtare ſimul cum actu ſcientię naturalis; immò cum viſione clarà Dei tranſeunter communicata.* Probatur facilè quoad primam partem, quia habitus fidei eſt inclinatio ad credenda Myſteria ſupernaturalia per ſe primò, & quaſi ſecundario ad credendas veritates naturales revelatas, dum non cognoſcuntur evidenter lumine naturę: Sed hæc inclinatio permanet in intellectu ſalva, & indemnis, quamvis intellectus per ſcientiam naturalem cognoſcat aliquam, vel aliquas veritates revelatas, vt Deum eſſe immutabilem, ęternum, immenſum, &c. & Animam eſſe immortalem: Ergò cum actu ſcientię naturalis circa has, vel aliàs veritates rectè cohæret habitus fidei. Minor probatur, quia ſalva manet illa inclinatio circa Myſteria ſupernaturalia, quę ſcientiam naturalem excedunt, & quę per ſe primò reſpicit fides, & etiam conditionatè circa veritates naturales revelatas: Ergò. Confirmatur; quia dum Fidelis Philoſophus demonſtrat evidenter per ſcientiam naturalem prædictas veritates, non amittit habitum fidei, aliàs non maneret Fidelis, & conſequenter nec Chriſtianus; quod quis dicat? Ergò cum actu ſcientię naturalis rectè cohæret habitus fidei.

95. Sed dices: Hoc ipſo, quod deſtruatur inclinatio circa aliquod obiectum partiale fidei, deſtruitur tota fides: Sed poſito actu ſcientię naturalis deſtruitur inclinatio fidei circa aliquod obiectum partiale, nempè, circa aliquod credibile: Ergò. Maior probatur primò, quia fides eſt indiviſibilis habitus, & entitas: Ergò deſtructa eius inclinatione quoad vnum obiectum, deſtruitur tota. Secundò, quia deſtructo aliquo eſſentiali fidei, deſtruitur tota fides: Sed inclinatio ad quodlibet obiectum partiale eſt de eſſentia fidei: Ergò illa deſtructa, deſtruitur tota fides. Tertiò, virtus productiva, v. g. Omnipotentia, ita connectitur cum quolibet producibili, vt ſi minimum producibile redderetur improducibile, ſeu impoſſibile, deficeret Omnipotentia, vt cum Div. Thom. tenent communiter Thomiſtę: Ergò virtus creditiva, qualis eſt habitus fidei, ita connec-

titur cum quolibet credibili, vt ſi vnum credibile reddatur incredibile per ſcientiam illius, deficiat habitus fidei. Denique, quia non minus opponitur ſcientia fidei, quam diſſenſus ipſi fidei, peccatum charitati, & ſcientia opinioni: Sed vnico diſſenſu, hoc eſt, negato tantum vno obiecto fidei, amittitur fides, & vnico peccato amittitur charitas, & vno actu ſcientię excluditur opinio: Ergò pariter vnico actu ſcientię excluditur fides habitualis.

96. Reſpondeo, negando maiorem. Ad eius probationem, diſtinguo antecedens. Fides eſt habitus indiviſibilis entitativè, nego antecedens: Terminativè, concedo antecedens, & conſequentiam. Quia licèt entitativè non poſsit partiri, quia eſt entitativè indiviſibilis, terminativè tamen eſt diviſibilis, quia reſpicit plura obiecta terminativa, vnum primario, & alia ſecundario, & ex his, aliqua per ſe, vt ſunt Myſteria ſupernaturalia, & alia per accidens, vt ſunt veritates naturales revelatę: Remanente ergò obiecto primario, & inclinatione ad illud, remanet totus habitus fidei, & tota eius inclinatio entitativè, licèt deficiat aliquod obiectum ſecundarium, quia ex defectu huius, ſolum ſequitur, quod fides deficiat terminativè, aut denominativè reſpectu illius, & hoc patet in omni habitudine reſpiciente vnum terminum, vel obiectum primario, & alia ſecundario; nam ex defectu ſecundariorum non deficit entitativè talis habitudo, ſed ſolum terminativè, aut denominativè. Ad ſecundam, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: Inclinatio ad quodlibet obiectum partiale, ſumpta quoad entitatem, concedo minorem: Denominativè ſumpta, & vt expedita ad actum, nego minorem; quia non eſt de eſſentia fidei inclinare expedite, nec denominare ſubiectum actu inclinatum ad quodlibet obiectum partiale, & ſecundarium, ſed ſolum id habet reſpectu obiecti primarij, reſpectu autem cuiuslibet ſecundarij ſatis eſt, quod ſit entitativa inclinatio, ſivè expedita, ſivè impedita ad actum. Ad tertiam, diſtinguo maiorem, ita vt ſit aliquod producibile redderetur improducibile accidentaliter, aut ex aliqua ſuppoſitione extrinſeca, deficeret talis virtus productiva, nego maiorem: Si redderetur impoſsibile eſſentialiter, ſeu intrinſecè impoſsibile, concedo maiorem, quia in hoc ſenſu ſolum procedit illa ſententia Thomiſtarum, & in hoc ſenſu, nego minorem, vel ſuppoſitum, quia per actum ſcientię, non redditur veritas ſcita intrinſecè, & eſſentialiter incredibilis, ſed ſolum accidentaliter, & ex ſuppoſitione extrinſeca ſcientię.

97. Ad vltimum, diſtinguo maiorem: Non minus, & diverſo modo, concedo maiorem: Non minus, & eodem modo, nego maiorem; quia ſcientia non deſtruit divinam revelationem in ſe ipſa, adhùc obiectivè negando ipſam, ſed ſolum impedit motionem illius circa aliquod obiectum partiale ſecundarium, propter exceſſum claritatis, relinquendo ipſam expeditam, vt moveat circa obiectum primarium, & circa alia ſecundaria; attamen per diſſenſum pertinacem alicuius veritatis revelatę, negatur divina revelatio, vel eius infallibilitas, ac proindè deſtruitur obiectivè ratio formalis motiva fidei in ſe ipſa, & ideò excluditur totaliter fides, & ſimiliter per vnũ peccatũ mortale deſtruitur totaliter charitas, quia hæc eſt dilectio Dei, non ſolum ſuper hoc, aut illud in particulari, ſed ſuper omnia diligibilia; vndè eo ipſo quod vnum tantum obiectum diligitur pluſquam Deus, deſtruitur obiectivè ratio formalis obiectiva charitatis; Hæc autem ratio non tenet in fide, reſpectu cuiuslibet obiecti. Quantum autem ad ſcientiam, & opinionem, dico quod ſi opinio habitualis reſpiceret vnum obiectum primarium, & alia ſecundariò, benè poſſet compati cum illa entitativè ſumpta actus ſcientię circa ſecundaria, vndè idem dicendum eſt de fide.

98. Secunda pars concluſionis probatur, primò ex Div. Thom. ſuprà expenſo, vbi ait, quod Div. Paulus in raptu retinuit habitum fidei, quia licèt habuerit actum Beatorum, nempè viſionem beatam, non tamen fuit habitualiter, aut permanenter Beatus, aut videns Deum: Ergò ſentit, quod viſio actualis, ſeù tranſeunter communicata, etiam circa obiectum primarium fidei, compatitur cum habitu ipſius fidei. Secundò probatur; quia viſio actualis in tantum eſt oppoſita fidei, in quantum opponitur actui, ad quem fides inclinat; ſed ex hoc non probatur incompatibilitas cum ipſo habitu, ſed ſolum cum actu fidei: Ergò. Probatur minor; quia licèt motus ſurſum opponatur cum motu deorſum, ad quem gravitas lapidis inclinat, exindè non probatur, quod motus ſurſum opponatur cum ipſa gravitate, aut inclinatione ad motum deorſum; vndè dum lapis movetur ſurſum, non amittit gravitatem, aut inclinationem ad motum deorſum, ſed ſolum ipſum motum actualem deorſum: Ergò pariter, licèt actus viſionis opponatur cum actu fidei, non tamen excludit habitum fidei inclinantem ad ipſum actum fidei. Immò idem dicendum de habitu viſionis beatę, ſeù luminis glorię, ſi traſeunter tantum communicetur; quod eodem exemplo probatur, nam lapis, dum inclinatur per impulſum ad motum ſurſum, ſimùl conſervat inclinationem habitualem ad mo-

motum deorſum, & hoc non alia ratione, niſi quia inclinatio ad motum ſurſum eſt tranſeunter illi communicata ex vi impulſus: Ergò pariter, quamvis lumen glorię ex ſe ſit inclinatio ad actum contrarium, & oppoſitum actui fidei, ſi tamen tranſeunter tantum communicetur, vt in raptu Div. Pauli, cohærere poteſt cum inclinatione habitus fidei habitualiter permanente ad actum fidei, etiam circa idem obiectum.

99. Sed dices: Lumen glorię permanenter communicatum excludit actum fidei, & etiam habitum fidei licèt tranſeunter communicatum: Ergò pariter è contra habitus fidei habitualiter permanens excludit actum viſionis, & habitum, etiam tranſeunter communicatum, circa idem obiectum. Confirmatur; quia in alijs formis eadem eſt oppoſitio, ſivè tranſeunter, ſivè permanenter communicentur, vt patet in gratia, & peccato, & ſimilibus: Ergò pariter in fide, & viſione.

100. Reſpondeo, diſtinguendo antecedens: Excludit eſſentialiter, negò antecedens: Ex natura rei, concedo antecedens, & nego conſequentiam; quia imprimis habitus luminis glorię, adhùc permanenter communicatus, non excludit eſſentialiter, attenta potentia abſoluta, actum fidei, nec ipſius habitum tranſeunter communicatum; ſi enim Deus conſervaret in intellectu habitualiter lumen glorię, negando concurſum ad actum ipſius, hoc eſt, ad viſionem beatam, tunc nullum eſſet impedimentum, vt intellectus eliceret actum fidei, & haberet eius habitum tranſeunter communicatum, quia hic ſolum excluditur per actum viſionis, aut ſcientię. Si autem id non poteſt contingere ex natura rei, ideò eſt, quia habitus luminis glorię ex natura rei infert neceſſariò actum viſionis beatę, per quem excluditur formaliter actus fidei: Attamen habitus fidei non infert neceſſariò, ſeù ex natura rei, actum fidei; quia ſolum inclinat ad ipſum liberè, & cum indifferentia; vndè ſicut poteſt ex natura rei exiſtere in ſubiecto ſine actu, ita poteſt coexiſtere cum actu oppoſito. Ad confirmationem dico, quod quando formę eſſentialiter petunt communicare ſubiecto effectus formales privativè oppoſitos, nullo modo poſſunt compati in eodem ſubiecto, & huiuſmodi ſunt gratia, & peccatum, & plures alię formę privativè oppoſitę. Cæterum alię ſunt formę, quę huiuſmodi effectus oppoſitos non eſſentialiter, ſed tantum connaturaliter inducunt, & iſtę non ſe excludunt, niſi conſiderantur in ſtatu connaturali, id eſt, quando perfectè participantur à ſubiecto, & tales ſunt inclinationes; ſeù habitus ad actus directè oppoſitos.

TERTIA CONCLUSIO.

101. DICO tertiò: *Habitus fidei divinę poteſt eſſe in intellectu, ſimùl cum quolibet habitu ſcientię naturalis; ſecùs tamen cum habitu luminis glorię permanenter communicato, & ſimiliter cum habitu ſcientię infuſę circa omnia Myſteria ſupernaturalia.* Primum patet; quia ſcientia naturalis non ſe extendit ad obiectum primarium fidei, immò nec ad obiecta ſecundaria per ſe à fide inſpecta, quę ſunt omnia Myſteria ſupernaturalia: Ergò, quamvis habitualiter exiſtat in intellectu, relinquit intellectum habitualiter obſcurum circa omnia myſteria ſupernaturalia: Sed eo ipſo compatitur cum habitu fidei circa ipſa: Ergò. Item, quia, vt ſuprà oſtendimus, actus ſcientię naturalis compatitur cum habitu fidei: Sed actus ſcientię naturalis neceſſariò generat habitum talis ſcientię: Ergò talis habitus etiam compatitur cum habitu fidei, nam aliàs actus ſcientię generando habitum excluderet habitum fidei à ſubiecto, quod dici nequit. Quoad ſecundam partem etiam probatur concluſio; quia implicat contradictionem ſubiectum eſſe ſimùl habitualiter inclinatum ad actus directè oppoſitos circa idem obiectum terminativum: Sed habitus fidei inclinat habitualiter intellectum ad credendum Deum, & habitus luminis glorię, ſi permanenter communicetur, inclinat habitualiter ad videndum ipſum Deum, & hi actus eſſentialiter, & directè opponuntur, vt oſtenſum manet: Ergò implicat contradictionem, quod ſimùl habitualiter in intellectu reſideant habitus fidei, & habitus luminis glorię, nam aliàs ſimùl intellectus eſſet inclinatus habitualiter ad actus eſſentialiter oppoſitos. Et idem argumentum fit de ſcientia infuſa habitualiter communicata reſpectu omnium Myſteriorum fidei. Vide ſuprà, *diſp. 2. quæſt. 6. num. 36.*

102. Dices: Poteſt ſimùl ſtare in ſubiecto habitus fidei, & ſcientię reſpectu eiuſdem obiecti: Ergò ruunt dicta. Probo antecedens: Nam ponamus, aliquem habere habitum fidei circa immortalitatem Animę, & quod exercitio Philoſophię, & ſtudio acquirat demonſtrationem ſcientificam de tali veritate: Sanè tunc non amittitur habitus fidei præexiſtens circa talem veritatem; & tamen ſimùl generatur habitus ſcientię circa ipſam, quia demonſtratio ſcientifica ſemper generat habitum: Ergò tum ſimùl compatiuntur habitus fidei, & ſcientię reſpectu eiuſdem veritatis.

103. Reſpondeo diſtinguendo maio-

rem: Tunc non amittitur habitus fidei circa talem veritatem entitativè, & per modum diſpoſitionis, concedo maiorem: Denominativè, & per modum habitus, nego maiorem, quia quamvis in eo caſu permaneat habitus fidei quoad totam ſui entitatem, quia permanet obiectum primarium ipſius, circa quod permanet etiam denominativè, & per modum habitus, immò, & ſimiliter circa alia obiecta ſecundaria per ſe inſpecta, qualia ſunt Myſteria ſupernaturalia; tamen reſpectu ipſius veritatis de novo demonſtratę, & ſcitę, iam non permanet in eſſe habitus, nec denominando intellectum habitualiter inclinatum ad credendam illam, non quidem ex defectu entitatis ipſius habitus, ſed ex defectu obſcuritatis habitualis ex parte ſubiecti, quę omninò tollitur per demonſtrationem de tali veritate, eo ipſo quod generat habitum ſcientię de illa, vndè reſpectu illius, habitus fidei perindè eſt in poſterum, ac ſi non eſſet, vel ad ſummum permanet per modum diſpoſitionis, & non per modum habitus, quo pacto ſolet dici de vitijs, quod permanent, poſt virtutes infuſas in homine iuſtificato, nempè per modum diſpoſitionis, & non per modum habitus.

104. Ex dictis in hac, & præcedentibus quæſtionibus colligitur apertè, qualis ſit obſcuritas fidei Theologicę, de qua præcedentem diſputationem inſtituimus. Eſt enim talis conditionis, quòd eſſentialiter excludit evidentiam in atteſtante, ſeù divinę revelationis, quę eſt obiectum motivum fidei, & ſimiliter eſſentialiter excludit evidentiam rei creditę, ſeù obiecti terminativi, non tamen excludit evidentiam credibilitatis ſuprà oſtenſam, *quæſt.* 1. & 3.

(∴) (∴) (∴)

DIS-

CHA-
RI-
TAS.

DISPUTATIO V.

DE ESSENTIA FIDEI, SVBIECTO; *dependentia ipſius à voluntate, & alijs.*

MANENT in præcedentibus diſcuſæ difficiliores, quæ inter Scholaſticos controvertantur, quæſtiones; quæ verò reſtant, minorem habent difficultatem, vel quia ex præcedentibus facilè decidi poterunt, vel quia non ita acri concertatione diſputantur; ideoque breviori ſtylo in poſterum procedi neceſſe erit. Sit ergò.

QUÆSTIO I.

QUID, ET QUALIS SIT FIDES, & quo pacto poſsit definiri.

1. POTEST fides divina dupliciter accipi, nempè, vel pro actu, vel pro habitu, & vtroque modo diffiniri poteſt. De illa ſumpta pro habitu intelligit Div. Tom. *in præſenti, quæſt.* 4. *artic.* 1. illa verba Div. Pauli; *ad Hæbreos* 11. *Fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum argumentum non apparentium.* Item de illa ſumpta pro actu intelligit ipſe Div. Thom. *in præſenti, q.* 2. *artic.* 1. verba Div. Auguſt. *ex lib. de Prædeſtinat. cap.* 2. dicentis · *Ipſum credere nihil aliud eſt, quam cum aſſenſione cogitare.* Difficultas autem eſt, vtrùm per illa verba Apoſt. rectè definiatur fides habitualis, & per hæc Div. Auguſt. rectè definiatur fides actualis, ſeù actus fidei? Ante cuius deciſionem.

Dico primò: *Certũ eſt, dari habitũ, & virtutẽ Theologicã fidei.* Circa quã aſſertionem aliqui exiſtimant fuiſſe olim probabile in Ecclesia non dari virtutes Theologicas, nec illarum habitus; primò quia *in cap. Maioris, de Baptiſma.* §. *Illud verò*, refertur pro opinione inter DD. probabili, non infundi parvulis per Baptiſmum virtutes fidei, ſpei, & charitatis. Idemque habetur in *Clementina de Summa Trinitate, & fide Catholica.* Verumtamen ex his ſolum probatur fuiſſe ea tempeſtate probabile, tales virtutes, vel habitus non infundi parvulis, non autem fuiſſe vnquam inter Catholicos probabile, non dari tales habitus, & virtutes in adultis: Vndè oppoſitum, ſeù præcedens aſſertio; ita certa eſt, vt ab aliquibus exiſtemetur immediatè de fide; ab alijs certa per modum concluſionis Theologicę; ita vt oppoſitum, vel ad minus temerarium cenſeri debeat: De qua cenſura forſan infrà agentes de habitu Charitatis, quid ſentiendum ſit proferemus.

2. Dico ſecundò: *Habitum fidei per ſe infuſę eſſe vnicam virtutem in ſpecie atthoma.* Ita communiter DD. Catholici, & colligitur primò ex illo Pauli, *ad Epheſ.* 4. *Vnus Deus, & vna fides*, quę quidem verba non poſſunt intelligi de vnitate fidei generica tantum; nam ſicut homo, & leo non poſſunt dici abſolutè vnum animal, quia tantum gaudent vnitate generica, ita non poſſet dici fides abſo-

lutè vna ab Apoſtolo, ſi tantum eſſet genericè vna cum multiplicitate ſpecifica. Secundò, quia habitus regulatur in ſua vnitate ſpecifica ex vnitate ſpecifica ſui obiecti formalis; ſed obiectum formale fidei eſt vnum ſpecificè athomè, hoc eſt indiviſsibile in plura obiecta ſpecificativa fidei: Ergò & habitus fidei eſt vnus ſpecificè athomè. Minor patet, quia vt conſtat ex dictis, *in diſputat.* 1. *quæſt.* 2. *& q.* 10. obiectum formale motivum fidei eſt præcisè prima veritas, vt revelans, & obiectum formale terminativum eſt Deus ipſe ſub conceptu Deitatis: Sed tam Deus ſub conceptu Deitatis, quam prima veritas vt revelans, formaliter ſunt in eſſe obiecti ſpecificativi vnumquid, & indiviſibile: Ergò obiectum, tam formale motivum, quam terminativum fidei eſt vnum ſpecificè athomè, &c.

3. Nec dicas, primam veritatem, vt revelantem, poſſe dividi ſpecificè in plures revelationes ſpecie diverſas, quę ſint obiecta motiva ſpecificè diſtincta. Contra enim eſt, primò, quia omnes revelationes Myſteriorum ſolum materialiter differunt ex parte obiectorum materialium, conveniunt autem formaliter, quia omnia revelant per ordinem ad Deum primariò revelatum; ſed hæc diſtinctio purè materialis cum convenientia in obiecto primariò revelato, non ſufficit ad diſtinguenda obiecta ſpecificativa diverſorum habitum: Ergò. Secundò, quia licèt particulares revelationes interſe diſtinguerentur ſpecificè, tamen habitus fidei non movetur ex ipſis, quia diſtinctę, & diverſę ſunt, ſed quia infallibiliter revelant Myſteria per ordinem ad Deum; ſed in hoc omnes revelationes ſpecificè conveniunt, & nullam habent diverſitatem ſpecificam: Ergò omnes revelationes, in quantum ſunt obiectum motivum & ſpecificativum fidei, nullam ſortiuntur diverſitatem ſpecificam, & conſeqoenter nec habitus fidei ex illis ſpecificatus.

4. Ex quibus colliges, non eſſe ponendam aliam fidem pro credenda parte Sacrę Scripturę Hiſtorica, aliam pro Libris Sapientialibus, aliam pro Ceremonialibus, aliam pro doctrinalibus, aliam pro novo, aliam pro veteri Teſtamento; nam omnes iſtę diſtinctiones ſunt purè materiales, & de materiali ſe habentes ad ſpecificandam fidem, nam hæc vnicè ſpecificatur à veritatibus revelatis prout conveniunt ſpecificè in ratione obiecti revelati per ordinem ad Deum; qood autem hoc obiectum ſit hiſtoricum, doctrinale, vel ſapientiale, novi, vel veteris Teſtamenti, per accidens omninò ſe habet ad obiectum formale ſpecificativum fidei. Videantur dicta in Logic. *tract.* 1. *proemial. quæſt. vltim. & in Philoſoph. quæſt. Proem.* Nam ex ibidem dictis probari, defendique poteſt ſufficienter huiuſmodi aſſertio.

5. Dico tertio: *Fidem divinam eſſe re ipſa virtutem.* Pro quo ſuadendo, ſatis eſt Textus, Div. Thom. Difficultas tamen eſt, an ſit virtus intellectualis, an moralis: An ſolum ſit virtus, quando eſt formata, & viua per charitatem, an etiam, dum eſt mortua in peccatoribus ſine operibus. Quantum ad primum Caietanus, *in præſenti, quæſt.* 4. *artic.* 5. dicit fidem eſſe virtutem intellectus, ſed non eſſe virtutem intellectualem. Sed hanc diſtinctionem irridet Franciſcus Oviedo, dicens, eam nec apud Grammaticos locum habere poſſe, nam apud ipſos idem ſignificat virtus intellectus, ac virtus intellectualis, itemque nullo fundamento firmari poſſe. Verumtamen Caietani diſtinctionem defendit *in præſenti*, contra Oviedo, M. Ferre, cum quo ſentio, &c.

6. Dico quartò: *Fides eſt virtus intellectus, ſed non intellectualis.* Et ſuadetur primò ex Div. Thom. *in* 3. *diſt.* 23. *quæſt.* 2. *artic.* 3. *quæſt.* 3. vbi ſic ait: *Vndè non ſufficit ad rationem virtutis intellectualis, quod per eam cognoſcatur verum, ſed oportet, quod actus, quo verum conſideratur, ſit perfectus etiam ex modo, vt benè quis intelligat; benè autem operari intellectum non contingit ex hoc, quod ex bona voluntate eius operatio procedat, ſed ex efficacia intellectus ad obiectum proprium conſpiciendum, vel in ſe, vel per reſolutionem ad id quod in ſe conſpicitur. Fides autem, per actum ſuum ponit intellectum in vltimo, quantum ad obiectum, in quantum facit aſſentire primę veritati, non autem quantum ad modum proprium ipſius intellectus, quia intellectus noſter non eſt per fidem tantę efficacię, vt id quod credit, inſpicere per ſe poſſit, vel ad ea, quę inſpicit, reducere, & ideò fides non eſt virtus intellectualis.* Quid clarius? En qoo pacto irridere nequit Oviedo Caietanum, niſi pari ratione irridendo Divum Thom.

7. Si verò in contra obijcias, indè ſequi fidem eſſe virtutem moralem, quod eſt contra omnes Theologos. Occurrit idem Div. Thom. *in artic.* 4. *quæſt.* 1. ſic inquiens: *Vndè patet, quod fides eſt virtus, non quidem intellectualis, ſed eo modo, quo communiter loquimur de virtute, quę producit actum bonum ex bonitate voluntatis procedentem; nec tamen eſt virtus moralis, quia non eſt ordinativa appetitus ſenſibilis, ſed eſt virtus Theologica, quod quidem genus virtutis Philoſophi non cognoverunt.* Et *quæſt.* 14. *de verit. artic.* 3. *ad* 9. ſic ait: *Dicendum, quod fides, neque eſt virtus moralis, neque intellectualis, ſed virtus Theologica.*

8. Si demùm dicas: Virtus adæquatè dividitur in moralem, & intellectualem: Sed fides eſt vera virtus, vt tradit ipſe Div. Thom. *in præſenti, quæſt.* 4. *artic.* 5. Ergò debet eſſe vel virtus moralis, vel intellectualis. Reſpondet Div. Thom. 1. 2. *quæſt.* 58. *art.* 3. vbi de hoc proponit difficultatem, & tertium argumentum ſic: *Fides, ſpes, & charitas quædam virtutes ſunt, non tamen ſunt virtutes intellectuales; hę enim ſolum ſunt quinque, ſcilicèt ſcientia, ſapientia, intellectus, prudentia, & ars; nec etiam ſunt virtutes morales, quia non ſunt circa paſſiones: Ergò virtus non ſufficienter dividitur per intellectualem, & moralem.* Reſpondet tamen, *dicendum, quod fides, ſpes, & charitas ſunt ſuprà virtutes humanas, ſunt enim virtutes hominis prout factus particeps divinæ gratiæ.* Ex quo infert diviſionem virtutis in moralem, & intellectualem, eſſe diviſionem virtutis humanę, in qua non comprehenduntur virtutes Theologicę, & ideò de fide nihil mirum, quod nec ſit moralis, nec intellectualis, licèt ſit virtus intellectus.

9. Nec in contra eſt, aut aliquid valet obiectio Oviedi, quia non eſt idem eſſe virtutem intellectus, ac eſſe intellectualem, quia non ſemper genitivum converti poteſt in denominativū, nec hoc vnquam Grammatica docuit, aliàs ſicut rectè dicitur, *equus hominis*, dici poſſet, equus humanus, & ſicut rectè aliquis dicitur Dominus equi, vel canis, liceret illum appellare Dominum equinum, vel caninum, quod quis non videat? Et licèt hac irriſione ſatis retundatur obiectio illa irriſiva Caietani, ſeriò, & theologicè loquendo, dici poteſt perfectio relationis, quę tamen non ſit perfectio relativa, & entitas actus liberi, quę tamen non ſit entitas libera, & in præſenti, Div. Thom. admittit virtutes theologicas eſſe virtutes hominis, & negat eſſe virtutes humanas, vt legere licet in eius Textu proximè relato: Ergò pariter poteſt fides eſſe virtus intellectus, quin in rigore ſit virtus intellectualis.

10. Dices forſan, virtutes Theologicas, ideò non eſſe humanas propriè, quia nec propriè ſunt virtutes hominis, vt hominis purè conſiderati, ſed vt inquit Div. Thom. *ſunt virtutes hominis prout factus particeps Divinæ Gratiæ.* Sed contra, quia idem dici poteſt de fide, quod ſcilicèt non ſit virtus intellectus reduplicativè vt intellectus purè conſiderati; quia virtus intellectus in linea intellectus, eſt quę perficit intellectum ſecundum modum proprium, id eſt, vt propria efficacia conſpiciat obiectum proprium, vel in ſe, vel per reſolutionem ad ea, quę in ſe conſpiciuntur, vt aiebat Div. Thom. ſuprà: Sed fides non ita perficit intellectum, quia licèt ponat intellectum in vltimo, quantum ad obiectum, in quantum facit aſſentire primę veritati, non autem quantum ad modum proprium ipſius intellectus, quia intellectus noſter non eſt per fidem tantę efficatię, vt id quod credit, inſpicere per ſe poſſit, vel ad ea, quę inſpicit, reducere Ergò.

11. Dices iterum, quod fides perficit intellectum ſecundum modum proprium, quia facit ipſum aſſentiri infallibiliter primę veritati, & cum certitudine omnimoda. Sed contra, quia huiuſmodi certitudo, licèt infallibilis, non eſt ex modo proprio intellectus, intra lineam intellectus, quia intellectus ſecundum modum proprium non certificatur omninò, niſi quatenus ex ſua efficacia conſpicit obiectum, vel in ſe, vel reducendo ipſum ad id quod in ſe conſpicit: Sed certitudo fidei non eſt huiuſmodi, quia fides non facit intellectum aſſentire ex eo quod conſpiciat obiectum, ſed ex eo quod voluntas applicat intellectum vt infallibiliter aſſentiat obiecto obſcurè propoſito, & non convincenti intellectum: Ergò certitudo prædicta non eſt ſufficiens vt fides ſit virtus intellectus conſiderati præcisè intra lineam intellectus. Valdè enim conſiderandum eſt, quod licèt fides certificet infallibiliter intellectum, & ideò ſit virtus intellectus, quia ipſum determinat infallibiliter ad verum; tamen, non certificat intellectum iuxta modum proprium ipſius, hoc eſt, dando illi efficaciam vt penetret obiectum, & ex penetratione obiecti certificetur omninò, ſed relinquendo obiectum obſcurum, & intellectum ſine efficacia illud penetrandi, quam efficaciam ſupplet voluntas ſuo imperio applicando intellectum, & ideò non poteſt dici virtus propriè, & in rigore intellectualis; item nec moralis: Vndè propriè eſt virtus altioris ordinis ab intellectualibus, & moralibus, nempè virtus theologica.

13. Nec obſtat, quod in hoc tractatu ſæpè appellavimus fidem virtutem intellectualem, vt *diſput.* 1. *quæſt.* 9. *à num.* 6. *&* 91. Nam hoc debet intelligi, non in rigore, ſed reductivè, aut in ſenſu lato accipiendo virtutem intellectualē pro virtute intellectus; quia nempè ad intentum illius quæſtionis hoc ſatis erat; nam vt fides determinet infallibiliter intellectum ad verum in ſe ſine indifferentia ad verum purè apparens, quod erat intentum illius quæſtionis, ſatis eſt, quod fides ſit virtus intellectualis lato modo, & impropriè, prout idem ſonat, ac virtus Theologica intellectus, ipſum intellectum perficiens; nam hoc ipſo repugnat illi reſpicere verum cum indifferentia ad verum

in

in re, vel purè apparens, quidquid ſit an perficiat intellectum iuxta modum proprium, prout requiritur iuxta Div. Thom. ad rationem virtutis propriè, & vnivocè intellectualis. An iuxta modum altiorem, & ex efficatia voluntatis imperantis, prout explicat idem Div. Thom.

13. Quantum ad primum verò de quo dubitabamus *num.* 5. Div. Thom. vbique conſtanter docet, quod *fides formata eſt propriè virtus, at fides informis non habet perfectam rationem virtutis.* Et hoc ſit quintum aſſertum: Ratio primi eſt, *quia cum credere* (inquit Div. Thom. *in præſenti, quæſt.* 4. *artic.* 5. *in corpore*) *ſit actus intellectus aſſentientis verò ex imperio voluntatis ad hoc*; vt iſti actus ſint perfecti duo requiruntur; quorum vnum eſt vt infallibiliter intellectus tendat in ſuum verum; aliud autem eſt vt infallibiliter voluntas ordinetur ad vltimum finem, ptopter quam aſſentit verò: Sed vtrumque invenitur in actu fidei formatę; nam ex ratione ipſius fidei eſt, quod intellectus infallibiliter feratur in verum, quia fidei non poteſt ſub eſſe falſum, vt ſupra habitum eſt; ex charitate autem, quę format fidem, habet anima, quod infallibiliter voluntas ordinetur in finem bonum: Ergò fides formata eſt virtus ſecundum perfectam rationem virtutis. Totus diſcurſus eſt Div. Thomę.

14. Rationem ſecundi ſic reddit Div. Thom. quia etſi actus fidei informis habeat perfectionem debitam ex parte intellectus, non tamen habet perfectionem debitam ex parte voluntatis: Ergò nec habet perfectam rationem virtutis. Conſequentiam probat Div. Thom. à paritate; quia ſi temperantia eſſet in concupiſcibili, & prudentia non eſſet in rationali, temperantia non eſſet virtus, vt dictum ſupponit 1. 2. *quæſt.* 58. *artic.* 4. & *quæſt.* 65. *artic.* 1. quia nempè ad actum temperantię requiritur actus rationis, & actus concupiſcibilis: Sed pariter ad actum fidei requiritur actus intellectus, & actus voluntatis: Ergò quamvis fides ſit in intellectu, ſi tamen ſit informis, hoc eſt, ſi deficiat charitas in voluntate, fides non habebit perfectam rationem virtutis.

15. Sed in contra objicit ſibi Div. Thom. Virtus ordinatur ad bonum: Sed fides ordinatur ad verum: Ergò fides non eſt virtus. Secundò: Fides non eſt virtus acquiſita: Ergò nec poteſt eſſe virtus infuſa. Probatur conſequentia, quia perfectior eſt virtus infuſa, quàm acquiſita: Ergò ſi fides non poteſt pertingere ad rationem virtutis acquiſitę, multò minus ad rationem virtutis infuſę. Tertiò: Fides formata, & informis ſunt eiuſdem ſpeciei, ſed informis non eſt virtus: Ergò nec formata.

16. Reſpondet ad primum, conceſſa maiori, & minori, negando conſequentiam, quia licèt fides ordinetur ad verum, cum tamen bonum intellectus ſit verum, eo ipſo ordinatur ad bonum intellectus ſufficienter, vt poſſit habere veram rationem virtutis. Ad ſecundum reſpondet, quod fides acquiſita, de qua tantum loquutus eſt Philoſophus, dum illam excluſit à ratione virtutis, ſolum innititur ratione, vel teſtimonio humano, cui poteſt ſub eſſe falſum, & ideò merito fuit excluſa à ratione virtutis; at fides, de qua loquimur, vt potè infuſa, innititur Teſtimonio Divino, quod eſt infallibile, & cui non poteſt ſub eſſe falſum, & non fuit cognita à Philoſopho, & ideò habet rationem virtutis. Ad tertium reſpondet, quod fides formata, & informis non differunt ſpecie, differunt autem ſicut perfectum, & imperfectum in eadem ſpecie; vndè fides informis, cum ſit imperfecta, non pertingit ad perfectam rationem virtutis. Huc uſque doctrina Div. Thom.

17. Ex qua infertur, quod fides informis eſt virtus theologica, quoad eſſentiam; non tamen, quoad ſtatum virtutis. Ratio deſumitur ex ipſo Div. Thom. quia iuxta ipſum fides informis eſt eiuſdem ſpeciei, dum eſt informis, ac dum eſt formata: Ergò eſt eiuſdem eſſentię: Sed dum eſt formata habet eſſentiam virtutis theologicę: Ergò pariter dum eſt informis. Vndè, dum inquit Div. Thom. quod fides formata, & informis differunt ſecundum perfectum, & imperfectum in eadem ſpecie, debet intelligi, ſecundum perfectum, & imperfectum accidentaliter, non ſecundum perfectum, & imperfectum eſſentialiter; quia perfectio eſſentialis variari non poteſt, niſi variata ſpecie: Perfectio autem accidentalis, quam habet fides formata prę informi, eſt ordo ille, quem habet per charitatem ad vltimum finem, per quem *pertingit ad perfectam rationem virtus*; vt inquit Div. Thom. Vbi notandum eſt quod non dixit, quod per talem ordinem habet eſſentiam virtutis, aut rationem virtutis abſolutè, ſed dixit *perfectam rationem virtutis*, quia videlicet fides infuſa ex ſe habet eſſentiam, & rationem virtutis theologicę, non tamen conſumatam, & perfectam in ſtatu virtutis, niſi per charitatem ſit formata. Et ratio eſt, quia fides connaturaliter exigit infundi ſimùl cum ſpe, & charitate, & ordinari per charitatem ad vltimum finem; vndè ſine charitate quodammodo eſt in ſtatu imperfecto, & præternaturali, ſine radice, nempè ſine gratia, & ſine ordine ad vltimum finem, nempè ſine charitate: Ergò dum ita ſe habet, non eſt virtus theologica perfecta quoad ſtatum, ſed ſolum quoad eſſentiam, & ſpeciem virtutis theologicę.

18. Ex-

18. Explicatur : Omnis virtus alicuius naturę, quamvis poſsit ſeparari ab illa, & perſiſtere ſine illa in ſtatu præternaturali, exigit tamen connaturaliter coniungi cum illa, & in illa radicari, vt patet in calore, qui ſeparatus ab igne exiſtit tantum in ſtatu præternaturali, & per modum diſpoſitionis, dum verò coniungitur cum igne, & in illo radicatur, dicitur eſſe in ſtatu connaturali, & perfecto: Sed fides, ſicut ſpes, & charitas, eſt virtus gratię habitualis, quę eſt natura in ordine ſupernaturali : Ergò dum exiſtit ſine gratia, & conſequenter, ſine charitate, quo pacto eſt fides informis, non habet ſtatum connaturalem virtutis theologicę, licèt habeat ipſius eſſentiam.

19. Mitto in poſterum quæſtionem, quam hic excitat Mag. Ferre, an videlicet, fides radicetur in gratia habituali? Seù an gratia habitualis ſit radix fidei? Quam perfunctoriè reſulvere non libet.

EXPLICATUR DIFFINITIO *fidei actualis.*

20. DICO ſextò : Rectè definivit Auguſt. fidem actualem, ſivè actum fidei, dicens: *Ipſum credere nihil aliud eſt, quam cum aſſenſione cogitare.* Ita Div. Thom. *in præſenti.* Ante cuius probationem præmittit, quod cogitatio tripliciter ſumi poteſt: Primò latè, ſeù communiter, prò quacumque actuali conſideratione Intellectus. Secundò magis propriè, pro conſideratione intellectus, quę eſt cum quadam inquiſitione antequàm perveniatur ad perfectionem intellectus per certitudinem viſionis : Et ſecundum hoc cogitatio propriè dicitur motus animi deliberantis, nondum perfecti per plenam viſionem veritatis : In prædicta igitur Auguſt. definitione *cogitare* accipitur propriè, ſeù hoc ſecundò modo, non impropriè, & primo modo. Quo ſuppoſito.

21. Probatur aſſertum ex eodem Div. Thom. quia per id ſufficienter definitur actus fidei, per quod ſufficienter diſtinguitur à cæteris actibus intellectus : Sed per hoc, quod eſt *cum aſſenſu cogitare,* ſufficienter diſtinguitur actus fidei à reliqnis actibus intellectus : Ergò rectè definitur à Div. Auguſt. per id ipſum. Probatur primò : Nam inter actus intellectus aliqui habent firmam aſſenſionem, cæterum abſque cogitatione propriè ſumpta, & huius generis ſunt actus ſcientię, & intelligentię, & quilibet actus evidens; nam licet per illos, aut cum illis intellectus conſideret ea, quę ſcit, & intelligit, non tamen ea cogitat cogitatione inquiſitiva, & informi, quę importatur per *ly cogitare* propriè ſumptum : Ergò ex hac parte per *ly cogitare* iam diſtinguitur fides ab actibus ſcientię, ſapientię, & intelligentię, & reliquis evidentibus. Rurſus : Alij actus intellectus habent cogitationem inquiſitivam, & informem; cæterum abſque firma aſſenſione, vt contingit in actu dubitandi, quando nempè intellectus in neutram partem declinat, ſivè ſuſpicandi, quando ex aliquo levi ſigno magis in vnam partem declinat, vel etiam opinandi, quando nempè intellectus vni parti abſolutè adhæret, tamen cum formidine alterius: Sed ab his diſtinguitur fides per ly *cum aſſenſione*; nam per hoc ſignificatur, quod actus fidei ſit firma aſſenſio, quod non habet, nec actus opinandi, nec dubitandi, nec ſuſpicandi : Ergò de primo ad vltimum actus fidei diſtinguitur à reliquis actibus intellectus per hoc, quòd eſt *cum aſſenſione cogitare.* Probatur conſequentia, quia præter actum fidei non ſunt alij actus, niſi vel evidentes, vel obſcuri, ſi ſunt evidentes, ſunt ſine cogitatione infirmi, & inquiſitiva, & ſic diſtinguitur ab illis per *ly cogitare*: Si ſunt obſcuri, ſunt ſine firma aſſenſione, quia non dantur alij actus obſcuri, præter fidem, niſi vel opinio, vel ſuſpicio, vel dubitatio, quorum nullus habet firmam aſſenſionem, & ab his diſtinguitur per ly *cum aſſenſione* cogitare : Ergò. Totus diſcurſus paulò alijs verbis eſt Div. Thom.

22. Nihilominus Oviedo in contra aſſerit prædicta verba Auguſtini non eſſe exactam definitionem actus fidei, nec Div. Auguſtinum intendiſſe, actum fidei definire. Sed contra eſt primo Authoritas Div. Thom. qui verba Auguſtini eſſe definitionem exactam propugnat, & explicat; in intelligentia autē mentis D. Aug. quis aliū præferat Angelico Doctori, niſi ipſe Oviedo ſe ipſum? Secundò, quia D. Auguſt. expreſsè ait: *Ipſum credere nihil aliud eſt, quam cū aſſenſione cogitare* : Si nihil aliud eſt, ergò per hoc explicatur totum quod eſt credere; quia ſi non totum explicatur, ergò credere erit aliquid aliud præter hoc: Id autem eſt contra mentem Auguſtini expreſſam.

23. Reſpondet, ſenſum Auguſtini eſſe, quod credere nihil ſit diſtinctum ab hoc quod eſt, *cum aſſenſione cogitare*, licèt alias formalitates, & prædicata importet. Sed contra eſt, quia ſi alias formalitates importaret, non importatas in hoc quod eſt, *cum aſſenſione cogitare*, iam eſſet aliquid aliud ab eo, ſeù præter illud: Hoc autem expreſsè negat Auguſt. ſiquidem abſolutè dicit, *nihil aliud eſt* : Ergò nullas formalitates importat, non importatas ſufficienter in definitione Auguſtini.

24. Sed in contra objicit Oviedo: Quamvis *credere* per prædictã expreſsionẽ diſtinguatur ſufficienter ab actibus intellectus enumeratis, non tamen ab aſſenſu theologico: Ergò per definitionem illam non ſatis, nec adæquatè definitur. Probatur antecedens, quia aſſenſus theologicus eſt etiam cum cogitatione inquiſitiva: Ergò per hoc non diſtinguitur *credere*, ſed potius convenit cum aſſenſu theologico. Probat antecedens, quia proptereà Div. Thom. inquit aſſenſum fidei eſſe cum cogitatione inquiſitiva, quia eſt obſcurus: Sed etiam aſſenſus theologicus eſt obſcurus: Ergò eſt cum cogitatione inquiſitiva. Reſpondetur tamen facilè, negando antecedens. Ad probationem, diſtinguo antecedens: Aſſenſus theologicus eſt etiam cum cogitatione inquiſitiva præſupoſitivè, concedo: Formaliter, & immediatè, nego antecedens. Ad cuius probationem, diſtinguo cauſalem, *quia eſt obſcurus* in ſe, & formaliter, concedo: Præſuppoſitivè tantum, nego cauſalem, & diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam; quia aſſenſus fidei immediatè, & formaliter eſt obſcurus, & ideò formaliter, & immediatè eſt cum cogitatione informi, & inquiſitiva; at aſſenſus theologicus eſt aſſenſus evidens formaliter ex ſuppoſitione præmiſſarum, quia licèt vtraque, vel altera ex præmiſsis ſit obſcura, ſemèl tamen illa credita firmiter per fidem, & ex hac ſuppoſitione, nulla reſtat nova obſcuritas in aſſenſu concluſionis, ſed potiùs talis aſſenſus, ex ſuppoſitione aſſenſus præſtiti præmiſsis, eſt formaliter evidens, & conſequenter ſine cogitatione inquiſitiva circa concluſionem formaliter, ſed cogitatio inquiſitiva tota eſt circa obiectum aſſenſus fidei creditum in præmiſsis.

25. Denique objicies: In prædicta definitione non explicatur, quod fides ſit aſſenſus ſupernaturalis propter Authoritatem Dei revelantis, nihil enim horum exprimitur: Sed in hoc conſiſtit formaliter actus fidei: Ergò in ea definitione non exprimitur adæquatè id, in quo conſiſtit actus fidei: Ergò nec illa eſt definitio adæquata. Confirmatur primò: Quia cogitatio inquiſitiva eſt per diſcurſum: Sed fides non eſt diſcurſiva Ergò nec eius actus eſt *cũ cogitatione inquiſitiva*. Secúdò, quia Prophetia etiam habet cogitationem inquiſitivam adiunctam, ſiquidem Propheta ſolet talem cogitationem habere: Ergò ab ea non diſtinguitur fides per cogitationem inquiſitivam. Idemque argumentum fieri poteſt de donis ſapientię, & ſcientię, cum quibus etiam ſolet adiun[illegible] cogitatio inquiſitiva in ſubiecto.

26. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: Non explicatur, quod fides ſit aſſenſus ſupernaturalis propter, &c. Non explicatur, inquam, quantum ad modum, ſeù ex modo aſſentiendi, nego maiorem: Non explicatur ex obiecto, concedo maiorem, & minorem, & nego conſequentiam, quia Div. Auguſtinus explicuit eſſentiam actus fidei ex modo intrinſeco aſſentiendi, nempè ex eo quod ſit aſſenſio, ſeù firmis aſſenſus cum cogitatione inquiſitiva, vt explicat Div. Thom. & ex hoc capite ſatis explicuit eſſe aſſenſum ſupernaturalem, & propter Authoritatem divinam revelantem, nam aliter nequit eſſe omninò firmus, & infallibilis aſſenſus, niſi ſit ſupernaturalis, & propter Dei Authoritatem; & ſic non opus fuit expræſsis verbis hoc dicere, vt maneret explicata adæquatè eſſentia fidei divinę. Ad primam confirmationem, conceſſa maiori, & minori, diſtinguo conſequens: Ergò nec eius actus eſt cum aſſenſu cogitare, importata cogitatione in recto, tanquam actus fidei ab ea elicitus, concedo: Importata cogitatione in obliquo, tanquam actus comitans, vel præſupoſitus ad aſſenſum fidei, nego conſequentiam, quia licèt in prædicta definitione importetur vtrumque, nempè aſſentire, & cogitare, non tamen eodem modo, quia ipſum aſſentire importatur in recto, tanquam actus elicitus fidei; cogitare verò inquiſitivè importatur in obliquo, tamquam conditio per ſe exacta ex parte ſubiecti; vndè non requiritur quod ipſum cogitare oriatur à fide, & conſequenter, nec quod fides ſit diſcurſiva, ſed ſatis eſt quod ſubiectũ cogitet per diſcurſum, & inquiſitivè circa rem creditã. Nec obeſt quod D. Auguſt. ponat in recto ipſum cogitare, quia modus loquendi permittit ſæpè invertere ordinem obliqui, & recti, licèt ſenſus Theologicus aliter ſit explicandus. Videatur Div. Thom. *quæſt. 14. de veritat. artic. 1.*

27. Ad ſecundam, diſtinguo antecedens: Prophetia habet cogitationem inquiſitivam adiunctam ſemper, & per ſe, nego antecedens: Aliquando, & per accidens, omitto antecedens, & nego conſequentiam, quia licèt Propheta ſoleat aliquando cogitare inquiſitivè circa rem propheticè cognitam, tamen hoc eſt per accidens reſpectu Prophetię, quia hæc eſt lumen clarum clarè oſtendens intellectui res diſtantes, licèt tranſeunter; & ideò tali lumine tranſacto, manet cogitatio inquiſitiva, ſed non cum lumine prophetico actualiter, vel ſi aliquando illi coniungitur, eſt per accidens, & præter, vel contra exigentiam, & modum talis luminis. Et ſimiliter dico de donis ſapientię, & ſcientię, quę fundantur in fide, & fidem præſupponunt, quod ſcilicèt, per ſe non exigunt cogitationem inquiſi-

Digitized by Google

ſalvaſa, ſed ratione fidei præſuppoſitę, vndè tantum præſuppoſitivè illam exigit: Fides verò per ſe, & formaliter exigit in intellectu cogitationem inquiſitivam, & ideò ab illis per hoc diſtinguitur.

EXPLICATUR DIFFINITIO Apoſtoli de habitu fidei.

27. DICO ſeptimo: *Prædicta verba Apoſtoli continent adæquatam fidei habitualis diffinitionem.* Ita Div. Thom. hic *quæſt. 4. art. 1.* ſic inquiens: *Dicendum, quod licèt quidam dicant, prædicta Apoſtoli verba non eſſe fidei definitionem, quia definitio indicat rei quidditatem, & eſſentiam, vt habetur 7. Metaphyſic: Tamen, ſiquis rectè conſideret, omnia, ex quibus fides poteſt definiri, in prædicta deſcriptione tanguntur, licèt verba non ordinentur ſub forma definitionis, ſicut etiam apud Philoſophos, prætermiſſa ſyllogiſtica forma, ſyllogiſmorum principia tanguntur.*

28. Probatur autem hoc aſſertum reducendo ad hanc formam rationem Div. Thom. Quia fides, cum ſit habitus quidam, debet definiri per proprium actum, & per comparationem ad proprium obiectum: Sed ita definitur fides in prædicta Apoſtoli deſcriptione: Ergò rectè, & adæquatè definitur. Probatur minor; quia actus fidei, cum ſit actus intellectus determinati ad vnum ex imperio voluntatis, habet ordinem, & ad obiectum voluntatis, quod eſt bonum, & finis, & ad obiectum intellectus, quod eſt verum; ad verum quidem, vt non viſum, nec apparens, & ad bonum, etiam vt non poſſeſſum, ſed tantum vt ſperatum; quia cum reſpectu fidei, quę eſt virtus Theologica, idem debeat eſſe obiectum, ac finis, ſi vt obiectum non eſt viſum, etiam vt finis, debet eſſe non poſſeſſum, ſed tantum in ſpe, quia veritas prima, quę eſt obiectum fidei, non poſſidetur, niſi dum videtur: Sed in prædicta deſcriptione Apoſtoli explicatur fides per vtramque iſtam habitudinem, nempè ad obiectum, vt obiectum, & vt finem: Ergò explicatur per ordinem ad proprium actum fidei. Probatur minor; quia in quantum dicitur ſubſtantia rerum ſperandarum, explicatur habitudo ad obiectum fidei, vt finem non poſſeſſum, ſed tantum ſperatum, & quatenus dicitur argumentum non apparentium, explicat habitudo ad obiectum fidei, vt verum non apparens, nec viſum: Ergò explicatur vtraque habitudo ad obiectum; nempè ad ipſum, vt verum non viſum, ſed tantum apparens, & ad ipſum vt finem, non poſſeſſum, ſed tantum ſperatam. Explicatur minor; quia proptereà dicitur ſubſtantia ſperandarum rerum, quia ſubſtantia ſolet dici prima inchoactio euiuſcumque rei, maximè quando tota res ſequens continetur virtualiter in primo principio, quo ſenſu dici poteſt, quod prima principia in demonſtrabilia, à quibus inchoatur ſcientia, ſunt ſubſtantia ſcientię; in hoc igitur ſenſu fides dicitur ſubſtantia rerum ſperandarum, quia ſcilicèt prima inchoatio rerum ſperandarum eſt in nobis per aſſenſum fidei, vt imperatum à voluntate, in quo quaſi virtualiter continentur res ſperatę; ex eo enim ſperamus viſionem, & poſſeſſionem veritatis primę, & ęternę, quia illã nunc credimus per fidem ex pio affectu voluntatis; vndè per illam particulam *ſubſtantia rerum ſperandarum* rectè explicatur habitudo, ſeù actus fidei in ordine ad proprium obiectum, vt finem. Rurſus per aliam particulam *argumentum non apparentium* explicatur habitudo actus fidei ad proprium obiectum, vt verum non apparens; nam ly *argumentum* ſumitur pro argumenti effectu; effectus enim argumenti eſt facere intellectum firmiter aſſentiri alicui veritati, convincendo ipſum aliquo vrgenti motivo; vndè alia Littera loco illius particulę *argumentum* habet *convinctio*; in præſenti ergo ly *argumentum* ſumitur pro firma adhæſione intellectus ad veritatem fidei non apparentem ex motivo, ſeù argumento divinę veritatis revelantis, hæc autem formalitèr eſt habitudo propria actus fidei ad proprium obiectum, vt verum non apparens: Ergò in prædicta deſcriptione rectè explicatur vtraque habitudo fidei ad ſuum obiectum, & in quantum eſt verum non apparens, & inquantum eſt finis, ſeù bonum non poſſeſſum.

29. Confirmatur, quia per Apoſt. verba fides diſtinguitur ab habitibus, qui ad intellectum pertinent, nam per ly *argumentum*, in quo intelligitur *convictio*, qua facit intellectum firmiter aſſentire; diſtinguitur fides ab opinione, ſuſpitione, & dubitatione, per quę intellectus non firmiter aſſentitur; per ly autem *non apparentium* diſtinguitur fides a ſcientia, & intellectu, & ſapientia, quę ſunt de viſis, & apparentibus: Per ly autem *ſubſtantia ſperandarum rerum* diſtinguitur virtus fidei à fide communiter, & latè dicta, prout invenitur, ſecundum aliquos, in Dœmonibus, aut in Beatis, quia hæc non ordinatur ab beatitudinem ſperandam: Ergò prædicta definitio recta eſt, & adæquata. Nec obeſt, quod plures alię diffinitiones inveniantur in Auguſt. Damaſceni. Dioniſ. & alijs PP. quia omnes illę facilè reduci poſſunt ad iſtã Apoſt. Subiũgit autẽ D.Th. quod ſi quis velit reducere verba Apoſtoli in formam definitionis, poteſt dicere: *Fides eſt habitus*

Mmm mentis

mentis, quo inchoatur vita ęterna in nobis, faciens intellectum firmiter aſſentire non apparentibus, quę definitio ſubſtantialiter continet ſenſum, & verba Apoſtoli, vt per ſe patet.

QUÆSTIO II.

AN HABITUS FIDEI SIT practicus, vel ſpeculativus?

1. DICO primò: Habitus fidei eſt ſimùl practicus, & ſpeculativus. Ita communiter Theologi; & patet manifeſtè, quia habitus fidei elicit aliquos actus purè ſpeculativos, vt cum ſpeculatur Gloriã Dei, iuxta illud Pauli ad Coloſenſ. 3. *Nos autem Gloriam Dei ſpeculantes*; aut cum credit ęternitatem, Trinitatem, & alia Myſteria, quę per ſe non ſunt regulę operandi: Item elicit aliquos actus purè practicos, vt cum credit Deum eſſe diligendum ſuper omnia, inimicos eſſe diligendos, & alia divina præcepta, quę ad opus per ſe ordinantur: Sed hi actus non procedunt à duplici habitu fidei, ſed ab vnico, & ſimplici, quia fides eſt vnicus, & ſimplex habitus, vt oſtenſum manet: Ergò iſte habitus fidei eſt ſimùl practicus, & ſpeculativus.

2. Contra hoc videtur ſenſiſſe Scotus dicens, omnem actum fidei eſſe practicum, & probat, quia nullus eſt actus fidei ad quem non poſsit ſequi aliquis affectus in voluntate: Sed actus intellectus, ad quem ſequitur affectus in voluntate, eſt practicus: Ergò. Reſpondetur tamen facilè negando aſſumptum. Ad probationem diſtinguo maiorem: Nullus eſt actus fidei, ad quem non poſsit ſequi affectus in voluntate immediatè tanquam ad regulã proximã, talis affectus, nego maiorem: Ad quem non poſsit ſequi affectus in voluntate mediatè, & tanquam ad puram occaſionem talis affectus, concedo maiorem, & diſtinguo minorem eodem modo; quia vt aliquis actus ſit practicus non ſatis eſt, quod ad illum poſsit ſequi actus voluntatis quomodolibet, ſed requiritur, quod ille ſit regula proxima actus voluntatis, vel alterios operis; plures autem dantur actus fidei, qui non ſunt regula proxima talis affectus, vel operis, vtm actus, quo credimus Trinitatem, vt infallibiliter veram, non regulat per ſe, & immediatè affectum vllum voluntatis, ſed purè ſpeculativè ipſam Trinitatem attingit. Nec obeſt quod voluntas poſsit affici erga ipſam Trinitatem, quia hoc non ſequitur immediatè ex prædicto actu fidei, ſed mediante alio practico, qui conſiderat ipſam Trinitatem, vt ſummè bonam, vel vt omnipotentem, & terribilem, & excitantem timorem; vndè hic ſolum ſecundus actus erit practicus; quia eſt regula timoris, vel amoris; ſecùs autem ille primus.

3. Dico ſecundò: *Habitus fidei non eſt ęquè primò practicus, & ſpeculativus, ſed primariò ſpeculativus, & ſecundariò practicus.* Probatur primò ex Div. Thom. *in præſenti, quæſt. 9. artic. 3.* vbi ſic ait: *Fides autem primò, & principaliter in ſpeculatione conſiſtit, in quantum ſcilicet inhæret primę veritati; ſed quia prima veritas eſt etiam vltimus finis, propter quem operamur, indè etiam eſt, quod fides ad operationem ſe extendit, ſecundum illud ad Galat. 5. Fides per dilectionem operatur.* Nec dici poteſt, quod vtrumque convenit fidei primariò; nam ipſe Div. Thom. immediatè comparat in hoc ipſo fidei, donum ſcientię, de quo ait: *Vndè etiam oportet, quod donum ſcientię primo quidem, & principaliter reſpiciat ſpeculationem, ſecundariò autem ſe extendat ad operationem*: Ergò, dum de fide inquit, quod ad operationem ſe extendit, debet intelligi ſecundariò.

4. Deindè probatur ratione, quia in tantum habitus fidei eſt ſpeculativus, in quantum reſpicit Deum ſub ratione primę veritatis; ſpeculativũ enim dicitur illud, cuius finis eſt veritas, & in tantum eſt practicus, in quantum reſpicit Deum ſub ratione boni, & finis vltimi appetibilis, & conſequibilis per opera, quia finis in practicis eſt regula, & menſura operandi in ordine ad finem, & practicum dicitur illud cuius finis eſt opus: Sed habitus fidei non reſpicit ęquè primò Deum ſub ratione primę veritatis, & ipſum ſub ratione vltimi finis, ſed primariò ipſum ſub ratione primę veritatis, & ſecundariò ipſum ſub ratione vltimi finis: Ergò non eſt ęquè primò practica, & ſpeculativa, ſed primariò practica, & ſecundariò ſpeculativa. Probatur minor, ex doctrina ſuprà data contra Lugo, *diſput. 1, quæſt. 10. à num. 42.* vbi oſtendimus, obiectum primarium fidei eſſe Deum ſub ratione Deitatis, ſolumque eſſe ſecundarium ſub ratione vltimi finis. Explicatur, quia munus primarium fidei eſt credere Deum, eiuſque Myſteria vt infallibiliter vera, quia revelata; munus autem ſecundarium proponere illum voluntati vt ſummum bonum, & vltimum finem, docendo regulas illum aſſequendi per merita: Sed ſub primo munere eſt ſpeculativa, & ſub ſecundo practica: Ergò fides primariò eſt ſpeculativa, & ſolum ſecundariò practica. Probatur

maior

maior, quia fides per prius credit Deum vt Deum, eiuſque Myſteria vt infallibiliter vera, quia revelata, quam extendatur ad movendam voluntatem per propoſitionem ſummi boni, & vltimi finis, ſiquidem hoc ſe habet conſequenter ad illud: Ergò illud eſt munus primarium, & iſtud ſecundarium.

5. Dices, quod fides per prius in executione credit Deum vt Deum, quam vt ſummum bonum,& vltimum finem; cæterum in intentione prius reſpicit Daum vt vltimum finem, & vt ſummum bonum, quam ſub ratione Deitatis, vel primę veritatis.

6. Sed contra, quia illud reſpicit fides per prius in intentione,quod eſt finis obiectivus, & intrinſecus ipſius: Sed ſolus Deus ſub ratione Deitatis, & primę veritatis eſt finis obiectivus, & intrinſecus ipſius, non autem ſub ratione ſummi boni, aut finis aſſequibilis: Ergò adhùc in intentione per prius reſpicit fides Deum ſub illa, quam ſub iſta ratione. Probatur minor, quia idem eſt finis obiectivus, & intrinſecus, & obiectum primariò terminativum:Sed obiectum primariò terminativum fidei, non eſt Deus ſub ratione ſummi boni,& vltimi finis aſſequibilis, ſed ſub ratione Deitatis, & primę veritatis in eſſendo, vt conſtat ex loco citato: Ergò nec finis obiectivus, & intrinſecus ipſius.

7. Dices, fidem vtrumque reſpicere per ſe primò, quia per aliquos actus reſpicit Deum primariò ſub ratione Deitatis, aut primę veritatis, vt quando credit ipſum eſſe, aut trinū eſſe, aut alia Myſteria purè ſpeculabilia in ordine ad ipſum magis cognoſcendum, per alios vero actus primariò reſpicit ipſum vt finem aſſequibilem, vt quando credit præcepta divina, & conſilia, & regulas doctrinales operandi in ordine ad Deum ad illum aſſequendum, & in quantum per prius credit ipſum eſſe ſummum bonum, & vltimum finem hominis. Sed contra, quia implicat, quod per ſe primò reſpiciat Deum ſub vtraque ratione dicta: Ergò ruit ſolutio.Probatur anteçedēs,quia implicat,quod ſit ſimul per ſe primò practica, & per ſe primò ſpeculativa: Sed ſi reſpiceret per ſe primò vtrāque rationē prædictā, eſſet per ſe primò practica, & per ſe primò etiam ſpeculativa,vt per ſe patet:Ergò.Probo maiorē,quia eſſe per ſe primò practicū, & per ſe primò ſpeculativū, ſunt differentię oppoſitę:Sed fides cū eius habitus vnicus, & indiviſibilis eſt, vt ſuprà diximus, non poteſt gaudere differentijs oppoſitis: Ergò non poteſt per ſe primò eſſe practica, & per ſe primò ſpeculativa.

8. Dices, eſſe differentias oppoſitas in habitu purè naturali, ſecùs autem in habitu ſupernaturali, qui propter ſui eminentiam poteſt coniūgere in ſe rationem practici,& ſpeculativi, vtramque per ſe primò. Sed contra,quia propterea habitus naturales nequit in ſe adunare illas differentias, ſeù rationis, quia practicum per ſe primò reſpicit per ſe primò obiectum vt operabile, ſivè vt regulam operandi,& ſpeculativum per ſe primo reſpicit per ſe primo obiectum vt ſpeculabile, & idem indiviſibilis habitus nequit reſpicere ęquè per ſe primò obiectum ſub duplici ratione diſtincta: Sed hæc eadem ratio militat in quolibet habitu ſupernaturali, & ſimiliter in habitu fidei, ſuppoſito,vt ſupponimus, ipſum eſſe indiviſibilem, quia eo ipſo nequit reſpicere ęquè per ſe primo duplicem rationem formalem ex parte obiecti, ſeù obiectum ſub duplici ratione formali: Ergò.

9. Sed dices: Licèt ratio ſcientię, & luminis principiorum non poſſit convenire in eodem habitu naturali, tamen convenire poteſt eidem habitui ſupernaturali; quia lumen glorię, quod in quantum terminatur ad videndam divinam eſſentiam, eſt lumen principiorum., idem eſt etiam lumen ſcientię, in quantum terminatur ad creaturas cognoſcendas in eſſentia divina, & ex ipſa præcognita: Ergò pariter diſcurri poteſt de ratione practici, & ſpeculativi.Reſpondeo, quod eodem modo diſcurrimus, cæterum, quando in lumine glorię coniungitur ratio luminis principiorum, & ratio ſcientię, non convenit illi vtrumque per ſe primò, ſed cum ordine primarij, & ſecundarij, ita vt primariò ſit lumen principiorum, & ſecundariò lumen ſcientię, vndè ſimiliter, quando in habitu fidei coniungitur ratio ſpeculativi & practici, primariò eſt ſpeculativus, & ſecundariò practicus.

10. Demùm dices: Tunc aliquis habitus ſolum ſecundariò eſt practicus, quando reſpicit opus propter ſpeculationem, ſeù propter obiectum vt ſpeculabile: Sed dum fides reſpicit opus, credendo præcepta, & conſilia, & doctrinam regulativam operum noſtrorum, hæc non reſpicit propter ſpeculationem ipſius Dei, nec propter Deum vt ſpeculabilem: Ergò non eſt ſecundariò practica, ſed primariò. Minor patet, quia fides non reſpicit ea præcepta, & conſilia ad ſpeculandum Deum, ſed ad rectè operandum, & merendum,& per merita, & opera Deum aſſequendum tanquam finem. Reſpondeo ex doctrina tradita, *diſput.* 1. *quæſt.* 10. *à num.* 47. primò, quod fides dum reſpicit opus, credendo conſilia, & præcepta quę dirigunt actus humanos, hæc omnia reſpicit, ſecundum quod per ea homo ordinatur ad

Mmm 2 per-

berent aſsignari aliæ præmiſſę creditę ſimiliter per diſcurſum, & ſic in infinitum : Ergò ſaltèm fatendum eſt fidem credere ſine diſcurſu revelationem, vt infallibilem, & conſequenter in aliquo ſui actu non eſſe diſcurſivam.

5. Dico ſecundò : *Fides in nullo ſui actu eſt diſcurſiva* ; Probatur : Implicat quod fides in aliquibus actibus ſit diſcurſiva, & in aliquibus intellectiva ſine diſcurſu ; nam idem indiviſibilis habitus non poteſt eſſe ſimùl diſcurſivus, & non diſcurſivus: Sed ; vt oſtenſum manet, fides in aliquo ſui actu non eſt diſcurſiva: Ergò in nullo ſui actu poteſt eſſe diſcurſiva. Explicatur : Non alia ratione diſtinguitur lumen principiorum ab habitibus ſcientiarum, & habitus fidei ab habitu Theologię ; niſi quia lumen principiorum eſt intellectivum ſine diſcurſu, & ſimiliter habitus fidei, è contra verò lumen ſcientificum, & Theologia intelligunt diſcurſivè : Ergò intelligere diſcurſivè, & ſine diſcurſu non poſſunt adunari in eodem ſimplici habitu : Sed habitus fidei eſt ſimplex, & indiviſibilis : Ergò non poteſt eſſe diſcurſivus in vno actu, & non diſcurſivus in alijs. Secundo probatur, quia ſi fides in aliquo actu eſſet diſcurſiva, maximè credendo Trinitatem ex vi revelationis prius creditę per fidem ; hoc aſſenſu : *Quidquid Deus revelavit ità eſt ; ſed revelavit Trinitatem : Ergò Trinitas eſt*, ſed aſſenſus Trinitatis hoc pacto elicitus non eſt aſſenſus fidei, ſed Theologię : Ergò nullus datur aſſenſus fidei elicitus per diſcurſum. Probatur minor, nam talis aſſenſus Trinitatis aſſentitur Trinitati, vt illatę ex divina revelatione prius credita per fidem theologicam : Ergò motivum intrinſecum talis aſſenſus eſt connexio, ſeù illatio paſsiva Trinitatis ex revelatione prius credita: Sed eo ipſo non eſt intrinſecè aſſenſus fidei, ſed ſolum Theologię, quia in hoc differunt aſſenſus theologicus ab aſſenſu fidei, quod ille innititur illatione, ſeù connexione ex præmiſsis revelatis, iſte verò innititur immediatè, & intrinſecè ipſi revelationi : Ergò.

6. Dices primò : Motivum prædicti aſſenſus non eſſe prædictam illationem paſsivam ex præmiſsis, quia hæc non debet præcognoſci ſignatè ante aſſenſum concluſionis, & conſequenter, nec ſignatè movere, ac proindè motivum illius aſſenſus ſolum eſſe revelationem præcognitam in præmiſsis. Sed contra eſt, quia licèt hoc verum ſit de motivo extrinſeco illius aſſenſus ; hoc eſt de motivo attacto per aliam anteriorem actum, falſum tamen de motivo intrinſeco, aut ratione formali *ſub qua* intrinſecè attacta *vt quo* per ipſum aſſenſum concluſionis; nam hoc motivum, aut ratio formalis *ſub qua*, ſolum eſt in recto illatio concluſionis ex præmiſsis, vt diximus ſuprà, *diſput. 5. quæſt. 6. à num. 22*: Nec obeſt quod talis illatio paſsiva, non debeat ſignatè præcognoſci, quia cum ſolum ſit ratio formalis *ſub qua*, & obiectum *quò* ; non debet præcognoſci ſignatè, & vt *quod*, ſed ſatis eſt quod cognoſcatur exercitè, & vt *quo*:

7. Dices ſecundò, talem aſſenſum non poſſe eſſe theologicum : Nam aſſenſus theologicus eſt propter revelationem mediatam, & virtualem tantum, non propter immediatam, & formalem revelationem ſui obiecti, in prædicto autem diſcurſu intellectus aſſentitur Trinitati, non quia revelatę mediatè tantum, & virtualiter in alio principio illam inferenti, ſed quia immediatè revelatę, nam in illo diſcurſu non intervenit revelatio immediata alterius rei, niſi ſolius Trinitatis.

8. Sed contrà eſt : Quia ex vi prædicti diſcurſus cognoſcitur Trinitas formaliter, quia illata ex præmiſsis prius creditis per fidem: Sed vt ſic illata, ſolum intelligitur vt virtualiter, & mediatè revelata, non verò immediatè, & formaliter : Ergò cognoſcitur, quia mediatè, & virtualiter revelata ; & conſequenter per aſſenſum theologicum, & non fidei. Probo minorem, quia concluſio, vt illata ex præmiſsis creditis per fidem, eſt concluſio, vt illata ex præmiſsis revelatis, quia præmiſſę, vt creditę per fidem, ſunt præmiſſę, vt revelatę, nihil enim creditur per fidem, niſi vt revelatum, & quia revelatum: Sed vt illata ex præmiſsis revelatis, ſolum intelligitur mediatè, & virtualiter revelata, non verò formaliter : Ergò, dum ſic cognoſcitur, cognoſcitur quia virtualiter, & mediatè revelata, non verò formaliter. Nec obſtat, quod revelatio, quę ponitur in præmiſsis, ſit immediata, & formalis revelatio Trinitatis, quia licèt hoc ita ſit, non tamen movet vt exercitè eſt ipſa revelatio immediata Trinitatis, ſed ſolum in quantum ipſa eſt revelata vt *quòd* : Quod ſic oſtendo: Nam movet, quia credita vt *quod* in præmiſsis: Sed non eſt credita vt *quod*, niſi quia revelata vt *quod* : Ergò tantum movet, quia revelata vt *quod*: Sed in revelatione illius vt *quod* ſub hac conſideratione non intelligitur revelari immediatè Trinitatem ; ſed tantum mediatè : Ergò dum intellectus movetur ad aſſenſum Trinitatis, quia credit revelationem Trinitatis, movetur ex revelatione virtuali, & mediata Trinitatis, nempè quia revelatio illius eſt revelata, non verò immediatè, & formaliter.

9. Secundò probatur concluſio : Quia omnis aſſenſus fidei eſſentialiter eſt obſequioſus divinę Authoritati, per quem nempè credens

cap-

ſtrui cum quolibet credibili, vt ſi vnum credibile reddatur incredibile per ſcientiam illius, deficiat habitus fidei. Denique, quia non minus opponitur ſcientia fidei, quam diſſenſus ipſi fidei, peccatum charitati, & ſcientia opinioni: Sed vnico diſſenſu, hoc eſt, negato tantum vno obiecto fidei, amittitur fides, & vnico peccato amittitur charitas, & vno actu ſcientię excluditur opinio: Ergò pariter vnico actu ſcientię excluditur fides habitualis.

96. Reſpondeo, negando maiorem. Ad eius probationem, diſtinguo antecedens. Fides eſt habitus indiviſibilis entitativè, nego antecedens: Terminativè, concedo antecedens, & conſequentiam. Quia licèt entitativè non poſsit partiri, quia eſt entitativè indiviſibilis, terminativè tamen eſt diviſibilis, quia reſpicit plura obiecta terminativa, vnum primario, & alia ſecundario, & ex his, aliqua per ſe, vt ſunt Myſteria ſupernaturalia, & alia per accidens, vt ſunt veritates naturales revelatę: Remanente ergò obiecto primario, & inclinatione ad illud, remanet totus habitus fidei, & tota eius inclinatio entitativè, licèt deficiat aliquod obiectum ſecundarium, quia ex defectu huius, ſolum ſequitur, quod fides deficiat terminativè, aut denominativè reſpectu illius, & hoc patet in omni habitudine reſpiciente vnum terminum, vel obiectum primario, & alia ſecundario; nam ex defectu ſecundariorum non deficit entitativè talis habitudo, ſed ſolum terminativè, aut denominativè. Ad ſecundam, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: Inclinatio ad quodlibet obiectum partiale, ſumpta quoad entitatem, concedo minorem: Denominativè ſumpta, & vt expedita ad actum, nego minorem; quia non eſt de eſſentia fidei inclinare expedite, nec denominare ſubiectum actu inclinatum ad quodlibet obiectum partiale, & ſecundarium, ſed ſolum id habet reſpectu obiecti primarij, reſpectu autem cuiuslibet ſecundarij ſatis eſt, quod ſit entitativa inclinatio, ſivè expedita, ſivè impedita ad actum. Ad tertiam, diſtinguo maiorem, ita vt ſi aliquod producibile redderetur improducibile accidentaliter, aut ex aliqua ſuppoſitione extrinſeca, deficeret talis virtus productiva, nego maiorem: Si redderetur impoſsibile eſſentialiter, ſeù intrinſecè impoſsibile, concedo maiorem, quia in hoc ſenſu ſolum procedit illa ſententia Thomiſtarum, & in hoc ſenſu, nego minorem, vel ſuppoſitum, quia per actum ſcientię, non redditur veritas ſcita intrinſecè, & eſſentialiter incredibilis, ſed ſolum accidentaliter, & ex ſuppoſitione extrinſeca ſcientię.

97. Ad vltimum, diſtinguo maiorem: Non minus, & diverſo modo, concedo maiorem: Non minus, & eodem modo, nego maiorem; quia ſcientia non deſtruit divinam revelationem in ſe ipſa, adhùc obiectivè negando ipſam, ſed ſolum impedit motionem illius circa aliquod obiectum partiale ſecundarium, propter exceſſum claritatis, relinquendo ipſam expeditam, vt moveat circa obiectum primarium, & circa alia ſecundaria; attamen per diſſenſum pertinacem alicuius veritatis revelatę, negatur divina revelatio, vel eius infallibilitas, ac proindè deſtruitur obiectivè ratio formalis motiva fidei in ſe ipſa, & ideò excluditur totaliter fides, & ſimiliter per vnū peccatū mortale deſtruitur totaliter charitas, quia hæc eſt dilectio Dei, non ſolum ſuper hoc, aut illud in particulari, ſed ſuper omnia diligibilia; vndè eo ipſo quod vnum tantum obiectum diligatur pluſquam Deus, deſtruitur obiectivè ratio formalis obiectiva charitatis: Hæc autem ratio non tenet in fide, reſpectu cuiuslibet obiecti. Quantum autem ad ſcientiam, & opinionem, dico quod ſi opinio habitualis reſpiceret vnum obiectum primarium, & alia ſecundariò, benè poſſet compati cum illa entitativè ſumpta actus ſcientię circa ſecundaria, vndè idem dicendum eſt de fide.

98. Secunda pars concluſionis probatur, primò ex Div. Thom. ſuprà expenſo, vbi ait, quod Div. Paulus in raptu retinuit habitum fidei, quia licèt habuerit actum Beatorum, nempè viſionem beatam, non tamen fuit habitualiter, aut permanenter Beatus, aut videns Deum: Ergò ſentit, quod viſio actualis, ſeù tranſeunter communicata, etiam circa obiectum primarium fidei, compatitur cum habitu ipſius fidei. Secundò probatur; quia viſio actualis in tantum eſt oppoſita fidei, in quantum opponitur actui, ad quem fides inclinat; ſed ex hoc non probatur incompatibilitas cum ipſo habitu, ſed ſolum cum actu fidei: Ergò. Probatur minor; quia licèt motus ſurſum opponatur cum motu deorſum, ad quem gravitas lapidis inclinat, exindè non probatur, quod motus ſurſum opponatur cum ipſa gravitate, aut inclinatione ad motum deorſum; vndè dum lapis movetur ſurſum, non amittit gravitatem, aut inclinationem ad motum deorſum, ſed ſolum ipſum motum actualem ad orſum: Ergò pariter, licèt actus viſionis opponatur cum actu fidei, non tamen excludit habitum fidei inclinantem ad ipſum actum fidei. Immò idem dicendum de habitu viſionis beatę, ſeù luminis glorię, ſi traſeunter tantum communicetur; quod eodem exemplo probatur, nam lapis, dum inclinatur per impulſum ad motum ſurſum, ſimùl conſervat inclinationem habitualem ad mo-

motum deorſum, & hoc non alia ratione, niſi quia inclinatio ad motom ſurſum eſt tranſeunter illi communicata ex vi impulſus: Ergò pariter, quamvis lumen glorię ex ſe ſit inclinatio ad actum contrarium, & oppoſitum actui fidei, ſi tamen tranſeunter tantum communicetur, vt in raptu Div. Pauli, cohærere poteſt cum inclinatione habitus fidei habitualiter permanente ad actum fidei, etiam circa idem obiectum.

99. Sed dices: Lumen glorię permanenter communicatum excludit actum fidei, & etiam habitum fidei licèt tranſeunter communicatum: Ergò pariter è contra habitus fidei habitualiter permanens excludit actum viſionis, & habitum, etiam tranſeunter commonicatum, circa idem obiectum. Confirmatur; quia in alijs formis eadem eſt oppoſitio, ſivè tranſeunter, ſivè permanenter communicentur, vt patet in gratia, & peccato, & ſimilibus: Ergò pariter in fide, & viſione.

100. Reſpondeo, diſtinguendo antecedens: Excludit eſſentialiter, nego antecedens: Ex natura rei, concedo antecedens, & nego conſequentiam; quia imprimis habitus luminis glorię, adhùc permanenter communicatus, non excludit eſſentialiter, attenta potentia abſoluta, actum fidei, nec ipſius habitum tranſeunter communicatum; ſi enim Deus conſervaret in intellectu habitualiter lumen glorię, negando concurſum ad actum ipſius, hoc eſt, ad viſionem beatam, tunc nullum eſſet impedimentum, vt intellectus elliceret actum fidei, & haberet eius habitum tranſeunter communicatum, quia hic ſolum excluditur per actum viſionis, aut ſcientię. Si autem id non poteſt contingere ex natura rei, ideò eſt, quia habitus luminis glorię ex natura rei infert neceſſariò actum viſionis beatę, per quem excluditur formaliter actus fidei: Attamen habitus fidei non infert neceſſariò, ſeù ex natura rei, actum fidei; quia ſolum inclinat ad ipſum liberè; & cum indifferentia; vndè ſicut poteſt ex natura rei exiſtere in ſubiecto ſine actu, ita poteſt coexiſtere cum actu oppoſito. Ad confirmationem dico, quod quando formę eſſentialiter petunt communicare ſubiecto effectus formales privativè oppoſitos, nullo modo poſſunt compati in eodem ſubiecto, & huiuſmodi ſunt gratia, & peccatum, & plures alię formę privativè oppoſitę. Cæterum allę ſunt formę, quę huiuſmodi effectus oppoſitos non eſſentialiter, ſed tantum connaturaliter inducunt, & iſtę non ſe excludunt, niſi conſiderantur in ſtatu connaturali, id eſt, quando perfectè participantur à ſubiecto, & tales ſunt inclinationes; ſeù habitus ad actus directè oppoſitos.

TERTIA CONCLVSIO.

101. DICO tertiò: *Habitus fidei divinę poteſt eſſe in intellectu, ſimùl cum quolibet habitu ſcientię naturalis; ſecùs tamen cum habitu luminis glorię permanenter communicato, & ſimiliter cum habitu ſcientię infuſę circa omnia Myſteria ſupernaturalia.* Primum patet; quia ſcientia naturalis non ſe extendit ad obiectum primarium fidei, immò nec ad obiecta ſecundaria per ſe à fide inſpecta, quę ſunt omnia Myſteria ſupernaturalia: Ergò, quamvis habitualiter exiſtat in intellectu, relinquit intellectum habitualiter obſcurum circa omnia myſteria ſupernaturalia: Sed eo ipſo compatitur cum habitu fidei circa ipſa: Ergò. Item, quia, vt ſuprà oſtendimus, actus ſcientię naturalis compatitur cum habitu fidei: Sed actus ſcientię naturalis neceſſariò generat habitum talis ſcientię: Ergò talis habitus etiam compatitur cum habitu fidei, nam aliàs actus ſcientię generando habitum excluderet habitum fidei à ſubiecto, quod dici nequit. Quoad ſecundam partem etiam probatur concluſio; quia implicat contradictionem ſubiectum eſſe ſimùl habitualiter inclinatum ad actus directè oppoſitos circa idem obiectum terminativum: Sed habitus fidei inclinat habitualiter intellectum ad credendum Deum, & habitus luminis glorię, ſi permanenter communicetur, inclinat habitualiter ad videndum ipſum Deum, & hi actus eſſentialiter, & directè opponuntur, vt oſtenſum manet: Ergò implicat contradictionem, quod ſimùl habitualiter in intellectu reſideant habitus fidei, & habitus luminis glorię, nam aliàs ſimùl intellectus eſſet inclinatus habitualiter ad actus eſſentialiter oppoſitos. Et idem argumentum fit de ſcientia infuſa habitualiter communicata reſpectu omnium Myſteriorum fidei. Vide ſuprà, *diſp. 2. quæſt. 6. num. 36.*

102. Dices: Poteſt ſimùl ſtare in ſubiecto habitus fidei, & ſcientię reſpectu eiuſdem obiecti: Ergò ruunt dicta. Probo antecedens: Nam ponamus, aliquem habere habitum fidei circa immortalitatem Animę, & quod exercitio Philoſophię, & ſtudio acquirat demonſtrationem ſcientificam de tali veritate: Sanè tunc non amittitur habitus fidei præexiſtens circa talem veritatem; & tamen ſimùl generatur habitus ſcientię circa ipſam, quia demonſtratio ſcientifica ſemper generat habitum: Ergò tum ſimùl compatiuntur habitus fidei, & ſcientię reſpectu eiuſdem veritatis.

103. Reſpondeo diſtinguendo malo-

Digitized by Google

rem: Tunc non amittitur habitus fidei circa talem veritatem entitativè, & per modum diſpoſitionis, concedo maiorem: Denominativè, & per modum habitus, nego maiorem, quia quamvis in eo caſu permaneat habitus fidei quoad totam ſui entitatem, quia permanet obiectum primarium ipſius, circa quod permanet etiam denominativè, & per modum habitus, immò, & ſimiliter circa alia obiecta ſecundaria per ſe inſpecta, qualia ſunt Myſteria ſupernaturalia; tamen reſpectu ipſius veritatis de novo demonſtratę, & ſcitę, iam non permanet in eſſe habitus, nec denominando intellectum habitualiter inclinatum ad credendam illam, non quidem ex defectu entitatis ipſius habitus, ſed ex defectu obſcuritatis habitualis ex parte ſubiecti, quę omninò tollitur per demonſtrationem de tali veritate, eo ipſo quod generat habitum ſcientię de illâ, vndè reſpectu illius, habitus fidei perindè eſt in poſterum, ac ſi non eſſet, vel ad ſummum permanet per modum diſpoſitionis, & non per modum habitus, quo pacto ſolet dici de vitijs, quod permanent, poſt virtutes infuſas in homine iuſtificato, nempè per modum diſpoſitionis, & non per modum habitus.

104. Ex dictis in hac, & præcedentibus quæſtionibus colligitur apertè, qualis ſit obſcuritas fidei Theologicę, de qua præcedentem diſputationem inſtituimus. Eſt enim talis conditionis, quod eſſentialiter excludit evidentiam in atteſtante, ſeù divinę revelationis, quę eſt obiectum motivum fidei, & ſimiliter eſſentialiter excludit evidentiam rei credirę, ſeù obiecti terminativi, non tamen excludit evidentiam credibilitatis ſuprà oſtenſam, *quæſt.* 1. & 3.

(.·.) (.·.) (.·.)

DIS-

Digitized by Google

CHA-
RI-
TAS.

DISPUTATIO V.

DE ESSENTIA FIDEI, SVBIECTO; dependentia ipſius à voluntate, & alijs.

MANENT in præcedentibus diſcuſæ difficiliores, quæ inter Scholaſticos controvertuntur, quæſtiones; quæ verò reſtant, minorem habent difficultatem, vel quia ex præcedentibus facilè decidi poterunt, vel quia non ita acri concertatione diſputantur; ideoque breviori ſtylo in poſterum procedi neceſſe erit. Sit ergò.

QUÆSTIO I.

QVID, ET QVALIS SIT FIDES, & quo pacto poſſit definiri.

1. POTEST fides divina dupliciter accipi, nempè, vel pro actu, vel pro habitu, & vtroque modo diffiniri poteſt. De illa ſumpta pro habitu intelligit Div. Tom. *in præſenti, quæſt.* 4. *artic.* 1. illa verba Div. Pauli, *ad Hæbreos* 11. *Fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum argumentum non apparentiam.* Item de illa ſumpta pro actu intelligit ipſe Div. Thom. *in præſenti, q.* 2. *artic.* 1. verba Div. Auguſt. *ex lib. de Prædeſtinat. cap.* 2. dicentis *Ipſum credere nihil aliud eſt, quam cum aſſenſione cogitare.* Difficultas autem eſt, vtrùm per illa verba Apoſt. rectè definiatur fides habitualis, & per hæc Div. Auguſt. rectè definiatur fides actualis, ſeù actus fidei? Ante cuius deciſionem.

Dico primò: *Certū eſt, dari habitū, & virtutē Theologicā fidei.* Circa quā aſſertionem aliqui exiſtimant fuiſſe olim probabile in Ecclesia non dari virtutes Theologicas, nec illarum habitus; primò quia *in cap. Maioris, de Baptiſmo. §. Illud verò*, refertur pro opinione inter DD. probabili, non infundi parvulis per Baptiſmum virtutes fidei, ſpei, & charitatis. Idemque habetur in *Clementina de Summa Trinitate, & fide Catholica.* Verumtamen ex his ſolum probatur fuiſſe ea tempeſtate probabile, tales virtutes, vel habitus non infundi parvulis, non autem fuiſſe vnquam inter Catholicos probabile, non dari tales habitus, & virtutes in adultis: Vndè oppoſitum, ſeù præcedens aſſertio, ita certa eſt, vt ab aliquibus exiſtemetur immediatè de fide; ab alijs certa per modum concluſionis Theologicę, ita vt oppoſitum, vel ad minus temerarium cenſeri debeat: De qua cenſura forſan infrà agentes de habitu Charitatis, quid ſentiendum ſit proferemus.

2. Dico ſecundò: *Habitum fidei per ſe infuſę eſſe vnicam virtutem in ſpecie atthoma.* Ita communiter DD. Catholici, & colligitur primò ex illo Pauli, *ad Ephes.* 4. *Vnus Deus, & vna fides*, quę quidem verba non poſſunt intelligi de vnitate fidei generica tantum; nam ſicut homo, & leo non poſſunt dici abſolutè vnum animal, quia tantum gaudent vnitate generica, ita non poſſet dici fides abſo-

lutè vna ab Apoſtolo, ſi tantum eſſet genericè vna cum multiplicitate ſpecifica. Secundò, quia babitus regulatur in ſua vnitate ſpecifica ex vnitate ſpecifica ſui obiecti formalis; ſed obiectum formale fidei eſt vnum ſpecificè athomè, hoc eſt indiviſsibile in plura obiecta ſpecificativa fidei: Ergò & habitus fidei eſt vnus ſpecificè athomè. Minor patet, quia vt conſtat ex dictis, *in diſputat.* 1. *quæſt.* 2. *&* *q.* 10. obiectum formale motivum fidei eſt præcisè prima veritas, vt revelans, & obiectum formale terminativum eſt Deus ipſe ſub conceptu Deitatis; Sed tam Deus ſub conceptu Deitatis, quam prima veritas vt revelans, formaliter ſunt in eſſe obiecti ſpecificativi vnumquid, & indiviſibile: Ergò obiectum, tam formale motivum, quam terminativum fidei eſt vnum ſpecificè athomè, &c.

3. Nec dicas, primam veritatem, vt revelantem, poſſe dividi ſpecificè in plures revelationes ſpecie diverſas, quę ſint obiecta motiva ſpecificè diſtincta. Contra enim eſt, primò, quia omnes revelationes Myſteriorum ſolum materialiter differunt ex parte obiectorum materialium, conveniunt autem formaliter, quia omnia revelant per ordinem ad Deum primariò revelatum; ſed hæc diſtinctio purè materialis cum convenientia in obiecto primariò revelato, non ſufficit ad diſtinguenda obiecta ſpecificativa diverſorum habitum: Ergò. Secundò, quia licèt particulares revelationes interſe diſtinguerentur ſpecificè, tamen habitus fidei non movetur ex ipſis, quia diſtinctę, & diverſę ſunt, ſed quia infallibiliter revelant Myſteria per ordinem ad Deum; ſed in hoc omnes revelationes ſpecificè conveniunt, & nullam habent diverſitatem ſpecificam: Ergò omnes revelationes, in quarum ſunt obiectum motivum & ſpecificativum fidei, nullam ſortiuntur diverſitatem ſpecificam, & conſequenter nec habitus fidei ex illis ſpecificatus.

4. Ex quibus colliges, non eſſe ponendam aliam fidem pro credenda parte Sacrę Scripturę Hiſtorica, aliam pro Libris Sapientialibus, aliam pro Ceremonialibus, aliam pro doctrinalibua, aliam pro novo, aliam pro veteri Teſtamento; nam omnes iſtę diſtinctiones ſunt purè materiales, & de materiali ſe habentes ad ſpecificandam fidem, nam hæc vnicè ſpecificatur à veritatibus revelatis prout conveniunt ſpecificè in ratione obiecti revelati per ordinem ad Deum; quod autem hoc obiectum ſit hiſtoricum, doctrinale, vel ſapientiale, novi, vel veteris Teſtamenti, per accidens omninò ſe habet ad obiectum formale ſpecificativum fidei. Videantur dicta in Logic. *tract.* 1. *proemial. quæſt. vltim. &* *in Philoſoph. quæſt. Proem.* Nam ex ibidem dictis probari, defendique poteſt ſufficienter huiuſmodi aſſertio.

5. Dico tertio: *Fidem divinam eſſe re ipſa virtutem.* Pro quo ſuadendo, ſatis eſt Textus, Div. Thom. Difficultas tamen eſt, an ſit virtus intellectualis, an moralis: An ſolum ſit virtus, quando eſt formata, & viua per charitatem, an etiam, dum eſt mortua in peccatoribus ſine operibus. Quantum ad primum Caietanus, *in præſenti, quæſt.* 4. *artic.* 5. dicit fidem eſſe virtutem intellectus, ſed non eſſe virtutem intellectualem. Sed hanc diſtinctionem irridet Franciſcus Oviedo, dicens, eam nec apud Grammaticos locum habere poſſe, nam apud ipſos idem ſignificat virtus intellectus, ac virtus intellectualis, itemque nullo fundamento firmari poſſe. Verumtamen Caietani diſtinctionem defendit *in præſenti*, contra Oviedo, M. Ferre, cum quo ſentio, &c.

6. Dico quartò: *Fides eſt virtus intellectus, ſed non intellectualis.* Et ſuadetur primò ex Div. Thom. *in* 3. *diſt.* 23. *quæſt.* 2. *artic.* 3. *quæſt.* 3. vbi ſic ait: *Vndè non ſufficit ad rationem virtutis intellectualis, quod per eam cognoſcatur verum, ſed oportet, quod actus, quo verum conſideratur, ſit perfectus etiam ex modo, vt benè quis intelligat; benè autem operari intellectum non contingit ex hoc, quod ex bona voluntate eius operatio procedat, ſed ex efficacia intellectus ad obiectum proprium conſpiciendum, vel in ſe, vel per reſolutionem ad id quod in ſe conſpicitur. Fides autem, per actum ſuum ponit intellectum in vltimo, quantum ad obiectum, in quantum facit aſſentire primę veritati, non autem quantum ad modum proprium ipſius intellectus, quia intellectus noſter non eſt per fidem tantę efficacię, vt id quod credit, inſpicere per ſe poſſit, vel ad ea, quę inſpicit, reducere, & ideò fides non eſt virtus intellectualis.* Quid clarius? En quo pacto irridere nequit Oviedo Caietanum, niſi pari ratione irridendo Divum Thom.

7. Si verò in contra obijcias, indè ſequi fidem eſſe virtutem moralem, quod eſt contra omnes Theologos. Occurrit idem Div. Thom. *in artic.* 4. *quæſt.* 1. ſic inquiens: *Vndè patet, quod fides eſt virtus, non quidem intellectualis, ſed eo modo, quo communiter loquimur de virtute, quę producit actum bonum ex bonitate voluntatis procedentem; nec tamen eſt virtus moralis, quia non eſt ordinativa appetitus ſenſibilis, ſed eſt virtus Theologica, quod quidem genus virtutis Philoſophi non cognoverunt.* Et *quæſt.* 14. *de verit. artic.* 3. *ad* 9. ſic ait: *Dicendum, quod fides, neque eſt virtus moralis, neque intellectualis, ſed virtus Theologica.*

8. Si demùm dicas: Virtus adæquatè dividitur in moralem, & intellectualem: Sed fides eſt vera virtus, vt traddit ipſe Div. Thom. *in præſenti, quæſt. 4. artic.* 5. Ergò debet eſſe vel virtus moralis, vel intellectualis. Reſpondet Div. Thom. 1. 2. *quæſt. 58. art.* 3. vbi de hoc proponit difficultatem, & tertium argumentum ſic: *Fides, ſpes, & charitas quædam virtutes ſunt, non tamen ſunt virtutes intellectuales; hę enim ſolum ſunt quinque, ſcilicèt ſtientia, ſapientia, intellectus, prudentia, & ars; nec etiam ſunt virtutes morales, quia non ſunt circa paſſiones: Ergò virtus non ſufficienter dividitur per intellectualem, & moralem.* Reſpondet tamen, *dicendum, quod fides, ſpes, & charitas ſunt ſuprà virtutes humanas, ſunt enim virtutes hominis prout factus particeps divinæ gratiæ.* Ex quo infert diviſionem virtutis in moralem, & intellectualem, eſſe diviſionem virtutis humanę, in qua non comprehenduntur virtutes Theologicę, & ideò de fide nihil mirum, quod nec ſit moralis, nec intellectualis, licèt ſit virtus intellectus.

9. Nec in contra eſt, aut aliquid valet obiectio Oviedi, quia non eſt idem eſſe virtutem intellectus, ac eſſe intellectualem, quia non ſemper genitivum converti poteſt in denominativũ, nec hoc vnquam Grammatica docuit, aliàs ſicut rectè dicitur, *equus hominis*, dici poſſet, equus humanus, & ſicut rectè aliquis dicitur Dominus equi, vel canis, liceret illum appellare Dominum equinum, vel caninum, quod quis non rideat? Et licèt hac irriſione ſatis retundatur obiectio illa irriſiva Caietani, ſeriò, & theologicè loquendo, dici poteſt perfectio relationis, quę tamen non ſit perfectio relativa, & entitas actus liberi, quę tamen non ſit entitas libera, & in præſenti, Div. Thom. admittit virtutes theologicas eſſe virtutes hominis, & negat eſſe virtutes humanas, vt legere licet in eius Textu proximè relato: Ergò pariter poteſt fides eſſe virtus intellectus, quin in rigore ſit virtus intellectualis.

10. Dices forſan, virtutes Theologicas, ideò non eſſe humanas propriè, quia nec propriè ſunt virtutes hominis, vt hominis purè conſiderati, ſed vt inquit Div. Thom. *ſunt virtutes hominis prout factus particeps Divinæ Gratiæ.* Sed contra, quia idem dici poteſt de fide, quod ſcilicèt non ſit virtus intellectus reduplicativè vt intellectus purè conſiderati; quia virtus intellectus in linea intellectus, eſt quę perficit intellectum ſecundum modum proprium, id eſt, vt propria efficacia conſpiciat obiectum proprium, vel in ſe, vel per reſolutionem ad ea, quę in ſe conſpiciuntur, vt aiebat Div. Thom. ſuprà: Sed fides non ita perficit intellectum, quia licèt ponat intellectum in vltimo, quantum ad obiectum, in quantum facit aſſentire primę veritati, non autem quantum ad modum proprium ipſius intellectus, quia intellectus noſter non eſt per fidem tantę efficacię, vt id quod credit, inſpicere per ſe poſſit, vel ad ea, quę inſpicit, reducere Ergò.

11. Dices iterum, quod fides perficit intellectum ſecundum modum proprium, quia facit ipſum aſſentiri infallibiliter primę veritati, & cum certitudine omnimoda. Sed contra, quia huiuſmodi certitudo, licèt infallibilis, non eſt eo modo proprio intellectus, intra lineam intellectus, quia intellectus ſecundum modum proprium non certificatur omninò, niſi quatenus ex ſua efficacia conſpicit obiectum, vel in ſe, vel reducendo ipſum ad id quod in ſe conſpicit: Sed certitudo fidei non eſt huiuſmodi, quia fides non facit intellectum aſſentire ex eo quod conſpiciat obiectum, ſed ex eo quod voluntas applicat intellectum vt infallibiliter aſſentiat obiecto obſcurè propoſito, & non convincenti intellectum: Ergò certitudo prædicta non eſt ſufficiens vt fides ſit virtus intellectus conſiderati præcisè intra lineam intellectus. Valdè enim conſiderandum eſt, quod licèt fides certificet infallibiliter intellectum, & ideò ſit virtus intellectus, quia ipſum determinat infallibiliter ad verum; tamen, non certificat intellectum iuxta modum proprium ipſius, hoc eſt, dando illi efficaciam vt penetret obiectum, & ex penetratione obiecti certificetur omninò, ſed relinquendo obiectum obſcurum, & intellectum ſine efficacia illud penetrandi, quam efficaciam ſupplet voluntas ſuo imperio applicando intellectum, & ideò non poteſt dici virtus propriè, & in rigore intellectualis; item nec moralis: Vndè propriè eſt virtus altioris ordinis ab intellectualibus, & moralibus, nempè virtus theologica.

12. Nec obſtat, quod in hoc tractatu ſæpè appellavimus fidem virtutem intellectualem, vt *diſput. 1. quæſt. 9. à num. 6. & 9*1. Nam hoc debet intelligi, non in rigore, ſed reductivè, aut in ſenſu lato accipiendo virtutem intellectualẽ pro virtute intellectus; quia nempè ad intentum illius quæſtionis hoc ſatis erat; nam vt fides determinet infallibiliter intellectum ad verum in re ſine indifferentia ad verum purè apparens, quod erat intentum illius quæſtionis, ſatis eſt, quod fides ſit virtus intellectualis lato modo, & impropriè, prout idem ſonat, ac virtus Theologica intellectus, ipſum intellectum perficiens; nam hoc ipſo repugnat illi reſpicere verum cum indifferentia ad verum

in re, vel purè apparens, quidquid ſit an perficiat intellectum iuxta modum proprium, prout requiritur iuxta Div. Thom. ad rationem virtutis propriè, & vnivocè intellectualis. An iuxta modum altiorem, & ex efficatia voluntatis imperantis, prout explicat idem Div. Thom.

13. Quantum ad primum verò de quo dubitabamus *num.* 5. Div. Thom. vbique conſtanter docet, quod *fides formata eſt propriè virtus, at fides informis non habet perfectam rationem virtutis.* Et hoc ſit quintum aſſertum: Ratio primi eſt, *quia cum credere* (inquit Div. Thom. *in præſenti, quæſt.* 4. *artic.* 5. *in corpore*) *ſit actus intellectus aſſentientis verò ex imperio voluntatis ad hoc*; vt iſti actus ſint perfecti duo requiruntur; quorum vnum eſt vt infallibiliter intellectus tendat in ſuum verum; aliud autem eſt vt infallibiliter voluntas ordinetur ad vltimum finem, propter quam aſſentit verò: Sed vtrumque invenitur in actu fidei formatę; nam ex ratione ipſius fidei eſt, quod intellectus infallibiliter feratur in verum, quia fidei non poteſt ſub eſſe falſum, vt ſupra habitum eſt; ex charitate autem, quę format fidem, habet anima, quod infallibiliter voluntas ordinetur in finem bonum: Ergò fides formata eſt virtus ſecundum perfectam rationem virtutis. Totus diſcurſus eſt Div. Thomę.

14. Rationem ſecundi ſic reddit Div. Thom. quia etſi actus fidei informis habeat perfectionem debitam ex parte intellectus, non tamen habet perfectionem debitam ex parte voluntatis: Ergò nec habet perfectam rationem virtutis. Conſequentiam probat Div. Thom. à paritate; quia ſi temperantia eſſet in concupiſcibili, & prudentia non eſſet in rationali, temperantia non eſſet virtus, vt dictum ſupponit 1. 2. *quæſt.* 58. *artic.* 4. & *quæſt.* 65. *artic.* 1. quia nempè ad actum temperantię requiritur actus rationis, & actus concupiſcibilis: Sed pariter ad actum fidei requiritur actus intellectus, & actus voluntatis: Ergò quamvis fides ſit in intellectu, ſi tamen ſit informis, hoc eſt, ſi deficiat charitas in voluntate, fides non habebit perfectam rationem virtutis.

15. Sed in contra objicit ſibi Div. Thom. Virtus ordinatur ad bonum: Sed fides ordinatur ad verum: Ergò fides non eſt virtus. Secundò: Fides non eſt virtus acquiſita: Ergò nec poteſt eſſe virtus infuſa. Probatur conſequentia, quia perfectior eſt virtus infuſa, quam acquiſita: Ergò ſi fides non poteſt pertingere ad rationem virtutis acquiſitę, multò minus ad rationem virtutis infuſę. Tertiò: Fides formata, & informis ſunt eiuſdem ſpeciei, ſed informis non eſt virtus: Ergò nec formata.

16. Reſpondet ad primum, conceſſa maiori, & minori, negando conſequentiam, quia licèt fides ordinetur ad verum, cum tamen bonum intellectus ſit verum, eo ipſo ordinatur ad bonum intellectus ſufficienter, vt poſsit habere veram rationem virtutis. Ad ſecundum reſpondet, quod fides acquiſita, de qua tantum loquutus eſt Philoſophus, dum illam excluſit à ratione virtutis, ſolum innititur ratione, vel teſtimonio humano, cui poteſt ſub eſſe falſum, & ideò merito fuit excluſa à ratione virtutis; at fides, de qua loquimur, vt potè infuſa, innititur Teſtimonio Divino, quod eſt infallibile, & cui non poteſt ſub eſſe falſum, & non fuit cognita à Philoſopho, & ideò habet rationem virtutis. Ad tertium reſpondet, quod fides formata, & informis non differunt ſpecie, differunt autem ſicut perfectum, & imperfectum in eadem ſpecie; vndè fides informis, cum ſit imperfecta, non pertingit ad perfectam rationem virtutis. Huc uſque doctrina Div. Thom.

17. Ex qua infertur, quod fides informis eſt virtus theologica, quoad eſſentiam, non tamen, quoad ſtatum virtutis. Ratio deſumitur ex ipſo Div. Thom. quia iuxta ipſum fides informis eſt eiuſdem ſpeciei, dum eſt informis, ac dum eſt formata: Ergò eſt eiuſdem eſſentię: Sed dum eſt formata habet eſſentiam virtutis theologicę: Ergò pariter dum eſt informis. Vndè, dum inquit Div. Thom. quod fides formata, & informis differunt ſecundum perfectum, & imperfectum in eadem ſpecie, debet intelligi, ſecundum perfectum, & imperfectum accidentaliter, non ſecundum perfectum, & imperfectum eſſentialiter; quia perfectio eſſentialis variari non poteſt, niſi variata ſpecie: Perfectio autem accidentalis, quam habet fides formata prę informi, eſt ordo ille, quem habet per charitatem ad vltimum finem, per quem *pertingit ad perfectam rationem virtus*, vt inquit Div. Thom. Vbi notandum eſt quod non dixit, quod per talem ordinem habet eſſentiam virtutis, aut rationem virtutis abſolutè, ſed dixit *perfectam rationem virtutis*, quia videlicet fides infuſa ex ſe habet eſſentiam, & rationem virtutis theologicę, non tamen conſumatam, & perfectam in ſtatu virtutis, niſi per charitatem ſit formata. Et ratio eſt, quia fides connaturaliter exigit infundi ſimul cum ſpe, & charitate, & ordinari per charitatem ad vltimum finem; vndè ſine charitate quodammodo eſt in ſtatu imperfecto, & præternaturali, ſine radice, nempè ſine gratia, & ſine ordine ad vltimum finem, nempè ſine charitate: Ergò dum ita ſe habet, non eſt virtus theologica perfecta quoad ſtatum, ſed ſolum quoad eſſentiam, & ſpeciem virtutis theologicę.

18. Ex-

18. Explicatur: Omnis virtus alicuius naturę, quamvis poſsit ſeparari ab illa, & perſiſtere ſine illa in ſtatu præternaturali, exigit tamen connaturaliter coniungi cum illa, & in illa radicari, vt patet in calore, qui ſeparatus ab igne exiſtit tantum in ſtatu præternaturali, & per modum diſpoſitionis, dum verò coniungitur cum igne, & in illo radicatur, dicitur eſſe in ſtatu connaturali, & perfecto: Sed fides, ſicut ſpes, & charitas, eſt virtus gratię habitualis, quę eſt natura in ordine ſupernaturali: Ergò dum exiſtit ſine gratia, & conſequenter, ſine charitate, quo pacto eſt fides informis, non habet ſtatum connaturalem virtutis theologicę, licèt habeat ipſius eſſentiam.

19. Mitto in poſterum quæſtionem, quam hic excitat Mag. Ferre, an videlicet, fides radicetur in gratia habituali? Seù an gratia habitualis ſit radix fidei? Quam perfunctoriè reſolvere non liber.

EXPLICATUR DIFFINITIO *fidei actualis.*

20. DICO ſextò: Rectè definivit Auguſt. fidem actualem, ſivè actum fidei, dicens: *Ipſum credere nihil aliud eſt, quam cum aſſenſione cogitare.* Ita Div. Thom. *in præſenti.* Ante cuius probationem præmittit, quod cogitatio tripliciter ſumi poteſt: Primò latè; ſeù communiter, prò quacumque actuali conſideratione Intellectus. Secundò magis propriè, pro conſideratione intellectus; quę eſt cum quadam inquiſitione antequàm perveniatur ad perfectionem intellectus per certitudinem viſionis: Et ſecundum hoc cogitatio propriè dicitur motus animi deliberantis; nondum perfecti per plenam viſionem veritatis: In prædicta igitur Auguſt. definitione *cogitare* accipitur propriè, ſeù hoc ſecundo modo, non impropriè, & primo modo. Quo ſuppoſito.

21. Probatur aſſertum ex eodem Div. Thom. quia per id ſufficienter definitur actus fidei, per quod ſufficienter diſtinguitur à cæteris actibus intellectus: Sed per hoc, quod eſt *cum aſſenſu cogitare*, ſufficienter diſtinguitur actus fidei à reliquis actibus intellectus: Ergò rectè definitur à Div. Auguſt. per id ipſum. Probatur primò: Nam inter actus intellectus aliqui habent firmam aſſenſionem, cæterum abſque cogitatione propriè ſumpta, & huius generis ſunt actus ſcientię, & intelligentię, & quilibet actus evidens; nam licet per illos, aut cum illis intellectus conſideret ea, quę ſcit, & intelligit, non tamen ea cogitat cogitatione inquiſitiva, & informi, quę importatur per *ly cogitare* propriè ſumptum: Ergò ex hac parte per *ly cogitare* iam diſtinguitur fides ab actibus ſcientię, ſapientię, & intelligentię, & reliquis evidentibus. Rurſus: Alij actus intellectus habent cogitationem inquiſitivam, & informem; cæterum abſque firma aſſenſione, vt contingit in actu dubitandi, quando nempè intellectus in neutram partem declinat, ſivè ſuſpicandi, quando ex aliquo levi ſigno magis in vnam partem declinat, vel etiam opinandi, quando nempè intellectus vni parti abſolutè adhæret, tamen cum formidine alterius: Sed ab his diſtinguitur fides per ly *cum aſſenſione*; nam per hoc ſignificatur, quod actus fidei ſit firma aſſenſio, quod non habet, nec actus opinandi, nec dubitandi, nec ſuſpicandi: Ergò de primo ad vltimum actus fidei diſtinguitur à reliquis actibus intellectus per hoc, quod eſt *cum aſſenſione cogitare.* Probatur conſequentia, quia præter actum fidei non ſunt alij actus, niſi vel evidentes, vel obſcuri, ſi ſunt evidentes, ſunt ſine cogitatione infirmi, & inquiſitiva, & ſic diſtinguitur ab illis per *ly cogitare*: Si ſunt obſcuri, ſunt ſine firma aſſenſione, quia non dantur alij actus obſcuri, præter fidem, niſi vel opinio, vel ſuſpicio, vel dubitatio, quorum nullus habet firmam aſſenſionem, & ab his diſtinguitur per ly *cum aſſenſione* cogitare: Ergò. Totus diſcurſus paulò alijs verbis eſt Div. Thom.

22. Nihilominus Oviedo in contra aſſerit prædicta verba Auguſtini non eſſe exactam definitionem actus fidei, nec Div. Auguſtinum intendiſſe, actum fidei definire. Sed contra eſt primo Authoritas Div. Thom. qui verba Auguſtini eſſe definitionem exactam propugnat, & explicat; in intelligentia autē mentis D. Aug. quis aliū præferat Angelico Doctori, niſi ipſe Oviedo ſe ipſum? Secundò, quia D. Auguſt. expreſsè ait: *Ipſum credere nihil aliud eſt, quam cū aſſenſione cogitare*: Si nihil aliud eſt, ergò per hoc explicatur totum quod eſt credere; quia ſi non totum explicatur, ergò credere erit aliquid aliud præter hoc: Id autem eſt contra mentem Aguſtini expreſſam.

23. Reſpondet; ſenſum Auguſtini eſſe, quod credere nihil ſit diſtinctum ab hoc quod eſt, *cum aſſenſione cogitare*, licèt alias formalitates, & prædicata importet. Sed contra eſt; quia ſi alias formalitates importaret, non importatas in hoc quod eſt, *cum aſſenſione cogitare*, iam eſſet aliquid aliud ab eo; ſeù præter illud: Hoc autem expreſsè negat Auguſt. ſiquidem abſolutè dicit, *nihil aliud eſt*: Ergò nullas formalitates importat, non importatas ſufficienter in definitione Auguſtini.

24. Sed in contra obijcit Oviedo: Quamvis *credere* per prædictã expreſsioñe diſtinguatur ſufficienter ab actibus intellectus enumeratis, non tamen ab aſſenſu theologico: Ergò per definitionem illam non ſatis, nec adæquatè definitur. Probatur antecedens, quia aſſenſus theologicus eſt etiam cum cogitatione inquiſitiva: Ergò per hoc non diſtinguitur *credere*, ſed potius convenit cum aſſenſu theologico. Probat antecedens, quia propterea Div. Thom. inquit aſſenſum fidei eſſe cum cogitatione inquiſitiva, quia eſt obſcurus: Sed etiam aſſenſus theologicus eſt obſcurus: Ergò eſt cum cogitatione inquiſitiva. Reſpondetur tamen facilè, negando antecedens. Ad probationem, diſtinguo antecedens: Aſſenſus theologicus eſt etiam cum cogitatione inquiſitiva præſuppoſitivè, concedo: Formaliter, & immediatè, nego antecedens. Ad eiuſus probationem, diſtinguo cauſalem, *quia eſt obſcurus* in ſe, & formaliter, concedo: Præſuppoſitivè tantum, nego cauſalem, & diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam; quia aſſenſus fidei immediatè, & formaliter eſt obſcurus, & ideò formaliter, & immediatè eſt cum cogitatione informi, & inquiſitiva; at aſſenſus theologicus eſt aſſenſus evidens formaliter ex ſuppoſitione præmiſſarum, quia licèt vtraque, vel altera ex præmiſsis ſit obſcura, ſemèl tamen illa credita firmiter per fidem, & ex hac ſuppoſitione, nulla reſtat nova obſcuritas in aſſenſu concluſionis, ſed potiùs talis aſſenſus, ex ſuppoſitione aſſenſus præſtiti præmiſsis, eſt formaliter evidens, & conſequenter ſine cogitatione inquiſitiva circa concluſionem formaliter, ſed cogitatio inquiſitiva tota eſt circa obiectum aſſenſus fidei creditum in præmiſsis.

25. Denique obijcies: In prædicta definitione non explicatur, quod fides ſit aſſenſus ſupernaturalis propter Authoritatem Dei revelantis, nihil enim horum exprimitur: Sed in hoc conſiſtit formaliter actus fidei: Ergò in ea definitione non exprimitur adæquatè id, in quo conſiſtit actus fidei: Ergò nec illa eſt definitio adæquata. Confirmatur primò: Quia cogitatio inquiſitiva eſt per diſcurſum: Sed fides non eſt diſcurſiva Ergò nec eius actus eſt *cũ cogitatione inquiſitiva*. Secùdò, quia Prophetia etiam habet cogitationem inquiſitivam adiunctam, ſiquidem Prophetæ ſolet talem cogitationem habere: Ergò ab ea non diſtinguitur fides per cogitationem inquiſitivam. Idemque argumentum fieri poteſt de donis ſapientiæ, & ſcientiæ, cum quibus etiam ſolet adiun[ct]ã cogitatio inquiſitiva in ſubiecto.

26. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: Non explicatur, quod fides ſit aſſenſus ſupernaturalis propter, &c. Non explicatur, inquam, quantum ad modum, ſeù ex modo aſſentiendi, nego maiorem: Non explicatur ex obiecto, concedo maiorem, & minorem, & nego conſequentiam, quia Div. Auguſtinus explicuit eſſentiam actus fidei ex modo intrinſeco aſſentiendi, nempè ex eo quod ſit aſſenſio, ſeù firmis aſſenſus cum cogitatione inquiſitiva, vt explicat Div. Thom. & ex hoc capite ſatis explicuit eſſe aſſenſum ſupernaturalem, & propter Authoritatem divinam revelantem, nam aliter nequit eſſe omninò firmus, & infallibilis aſſenſus, niſi ſit ſupernaturalis, & propter Dei Authoritatem; & ſic non opus fuit expræſsis verbis hoc dicere, vt maneret explicata adæquatè eſſentia fidei divinæ. Ad primam confirmationem, conceſſa maiori, & minori, diſtinguo conſequens: Ergò nec eius actus eſt cum aſſenſu cogitare, importata cogitatione in recto, tanquam actus fidei ab ea elicitus, concedo: Importata cogitatione in obliquo, tanquam actus comitans, vel præſupoſitus ad aſſenſum fidei, nego conſequentiam, quia licèt in prædicta definitione importetur vtrumque, nempè aſſentire, & cogitare, non tamen eodem modo, quia ipſum aſſentire importatur in recto, tanquam actus elicitus fidei; cogitare verò inquiſitivè importatur in obliquo, tamquam conditio per ſe exacta ex parte ſubiecti; vndè non requiritur quod ipſum cogitare oriatur à fide, & conſequenter, nec quod fides ſit diſcurſiva, ſed ſatis eſt quod ſubiectũ cogitet per diſcurſum, & inquiſitivè circa rem creditã. Nec obeſt quod D. Auguſt. ponat in recto ipſum cogitare, quia modus loquendi permittit ſæpè invertere ordinem obliqui, & recti, licèt ſenſus Theologicus aliter ſit explicandus. Videatur Div. Thom. *quæſt.* 14. *de veritat. artic.* 1.

27. Ad ſecundam, diſtinguo antecedens: Prophetia habet cogitationem inquiſitivam adiunctam ſemper, & per ſe, nego antecedens: Aliquando, & per accidens, omitto antecedens, & nego conſequentiam, quia licèt Propheta ſoleat aliquando cogitare inquiſitivè circa rem propheticè cognitam, tamen hoc eſt per accidens reſpectu Prophetiæ, quia hæc eſt lumen clarum clarè oſtendens intellectui res diſtantes, licèt tranſeunter; & ideò tali lumine tranſacto, manet cogitatio inquiſitiva, ſed non cum lumine prophetico actualiter, vel ſi aliquando illi coniungitur, eſt per accidens, & præter, vel contra exigentiam, & modum talis luminis. Et ſimiliter dico de donis ſapientiæ, & ſcientiæ, quæ fundantur in fide, & fidem præſupponunt, quod ſcilicèt, per ſe non exigunt cogitationem inqui-

ſi-

ſalvam, ſed ratione fidei præſuppoſitę, vndè tantum præſuppoſitivè illam exigit: Fides verò per ſe, & formaliter exigit in intellectu cogitationem inquiſitivam, & ideò ab illis per hoc diſtinguitur.

EXPLICATUR DIFFINITIO Apoſtoli de habitu fidei.

27. DICO ſeptimo: *Prædicta verba Apoſtoli continent adæquatam fidei habitualis diffinitionem.* Ita Div. Thom. hic *quæſt. 4. art. 1.* ſic inquiens: *Dicendum, quod licèt quidam dicant, prædicta Apoſtoli verba non eſſe fidei definitionem, quia definitio indicat rei quidditatem, & eſſentiam, vt habetur 7. Metaphyſic: Tamen, ſiquis rectè conſideret, omnia, ex quibus fides poteſt definiri, in prædicta deſcriptione tanguntur, licèt verba non ordinentur ſub forma definitionis, ſicut etiam apud Philoſophos, prætermiſſa ſyllogiſtica forma, ſyllogiſmorum principia tanguntur.*

28. Probatur autem hoc aſſertum reducendo ad hanc formam rationem Div. Thom. Quia fides, cum ſit habitus quidam, debet definiri per propriū actum, & per comparationem ad proprium obiectum: Sed ita definitur fides in prædicta Apoſtoli deſcriptione: Ergò rectè, & adæquatè definitur. Probatur minor; quia actus fidei, cum ſit actus intellectus determinati ad vnum ex imperio voluntatis, habet ordinem, & ad obiectum voluntatis, quod eſt bonum, & finis, & ad obiectum intellectus, quod eſt verum; ad verum quidem, vt non viſum, nec apparens, & ad bonum, etiam vt non poſſeſſum, ſed tantum vt ſperatum; quia cum reſpectu fidei, quę eſt virtus Theologica, idem debeat eſſe obiectum, ac finis, ſi vt obiectum non eſt viſum, etiam vt finis, debet eſſe non poſſeſſum, ſed tantum in ſpe, quia veritas prima, quę eſt obiectum fidei, non poſſidetur, niſi dum videtur: Sed in prædicta deſcriptione Apoſtoli explicatur fides per vtramque iſtam habitudinem, nempè ad obiectum, vt obiectum, & vt finem: Ergò explicatur per ordinem ad proprium actum fidei. Probatur minor; quia in quantum dicitur ſubſtantia rerum ſperandarum, explicatur habitudo ad obiectum fidei, vt finem non poſſeſſum, ſed tantum ſperatum, & quatenus dicitur argumentum non apparentium, explicat habitudo ad obiectum fidei, vt verum non apparens, nec viſum: Ergò explicatur vtraque habitudo ad obiectum; nempè ad ipſum, vt verum non viſum, ſed tantum apparens, & ad ipſum vt finem, non poſſeſſum, ſed tantum ſperatum. Explicatur minor; quia propterea dicitur ſubſtantia ſperandarum rerum, quia ſubſtantia ſolet dici prima inchoactio cuiuſcumque rei, maximè quando tota res ſequens continetur virtualiter in primo principio, quo ſenſu dici poteſt, quod prima principia indemonſtrabilia, à quibus inchoatur ſcientia, ſunt ſubſtantia ſcientię; in hoc igitur ſenſu fides dicitur ſubſtantia rerum ſperandarum, quia ſcilicèt prima inchoatio rerum ſperandarum eſt in nobis per aſſenſum fidei, vt imperatum à voluntate, in quo quaſi virtualiter continentur res ſperatę; ex eo enim ſperamus viſionem, & poſſeſſionem veritatis primę, & ęternę, quia illā nunc credimus per fidem ex pio affectu voluntatis; vndè per illam particulam *ſubſtantia rerum ſperandarum* rectè explicatur habitudo, ſeù actus fidei in ordine ad proprium obiectum, vt finem. Rurſus per aliam particulam *argumentum non apparentium* explicatur habitudo actus fidei ad proprium obiectum, vt verum non apparens; nam ly *argumentum* ſumitur pro argumenti effectu; effectus enim argumenti eſt facere intellectum firmiter aſſentiri alicui veritati, convincendo ipſum aliquo vrgenti motivo; vndè alia Littera loco illius particulę *argumentum* habet *convinctio*; in præſenti ergo ly *argumentum* ſumitur pro firma adhæſione intellectus ad veritatem fidei non apparentem ex motivo, ſeù argumento divinę veritatis revelantis, hæc autem formalitèr eſt habitudo propria actus fidei ad proprium obiectum, vt verum non apparens: Ergò in prædicta deſcriptione rectè explicatur vtraque habitudo fidei ad ſuum obiectum, & in quantum eſt verum non apparens, & inquantum eſt finis, ſeù bonum non poſſeſſum.

29. Confirmatur, quia per Apoſt. verba fides diſtinguitur ab habitibus, qui ad intellectum pertinent, nam per ly *argumentum*, in quo intelligitur *convictio*, quæ facit intellectum firmiter aſſentire; diſtinguitur fides ab oppinione, ſuſpitione, & dubitatione, per quę intellectus non firmiter aſſentitur; per ly autem *non apparentium* diſtinguitur fides a ſcientia, & intellectu, & ſapientia, quę ſunt de viſis, & apparentibus: Per ly autem *ſubſtantia ſperandarum rerum* diſtinguitur virtus fidei à fide communiter, & latè dicta, prout invenitur, ſecundum aliquos, in Dæmonibus, aut in Beatis, quia hæc non ordinatur ab beatitudinem ſperandam: Ergò prædicta definitio recta eſt, & adæquata. Nec obeſt, quod plures alię definitiones inveniantur in Auguſt. Damaſceni. Dioniſ. & alijs PP. quia omnea illę facilè reduci poſſunt ad iſtā Apoſt. Subiūgit autē D. Th. quod ſi quis velit reducere verba Apoſtoli in formam definitionis, poteſt dicere: *Fides eſt habitus*

mentis, quo inchoatur vita æterna in nobis, faciens intellectum firmiter aſſentire non apparentibus, quę definitio ſubſtantialiter continet ſenſum, & verba Apoſtoli, vt per ſe patet.

QUÆSTIO II.

AN HABITUS FIDEI SIT practicus, vel ſpeculatiuus?

1\. DICO primò : Habitus fidei eſt ſimùl practicus, & ſpeculatiuus. Ita communiter Theologi ; & patet manifeſtè, quia habitus fidei elicit aliquos actus purè ſpeculatiuos, vt cum ſpeculatur Gloriã Dei, iuxta illud Pauli ad Coloſſenſ. 3. *Nos autem Gloriam Dei ſpeculantes*; aut cum credit æternitatem, Trinitatem, & alia Myſteria, quę per ſe non ſunt regulę operandi : Item elicit aliquos actus purè practicos, vt cum credit Deum eſſe diligendum ſuper omnia, inimicos eſſe diligendos, & alia diuina præcepta, quę ad opus per ſe ordinantur: Sed hi actus non procedunt à duplici habitu fidei, ſed ab vnico, & ſimplici, quia fides eſt vnicus, & ſimplex habitus, vt oſtenſum manet : Ergò iſte habitus fidei eſt ſimùl practicus, & ſpeculatiuus.

2\. Contra hoc videtur ſenſiſſe Scotus dicens, omnem actum fidei eſſe practicum, & probat, quia nullus eſt actus fidei ad quem non poſſit ſequi aliquis affectus in voluntate: Sed actus intellectus, ad quem ſequitur affectus in voluntate, eſt practicus : Ergò. Reſpondetur tamen facilè negando aſſumptum. Ad probationem diſtinguo maiorem: Nullus eſt actus fidei, ad quem non poſſit ſequi affectus in voluntate immediatè tanquam ad regulã proximã, talis affectus, nego maiorem: Ad quem non poſſit ſequi affectus in voluntate mediatè, & tanquam ad puram occaſionem talis affectus, concedo maiorem, & diſtinguo minorem eodem modo ; quia vt aliquis actus ſit practicus non ſatis eſt, quod ad illum poſſit ſequi actus voluntatis quomodolibet, ſed requiritur, quod ille ſit regula proxima actus voluntatis, vel alterius operis ; plures autem dantur actus fidei, qui non ſunt regula proxima talis affectus, vel operis, nam actus, quo credimus Trinitatem, vt infallibiliter veram, non regulat per ſe, & immediatè affectum vllum voluntatis, ſed purè ſpeculatiuè ipſam Trinitatem attingit. Nec obeſt quod voluntas poſſit affici erga ipſam Trinitatem, quia hoc non ſequitur immediatè ex prædicto actu fidei, ſed mediante alio practico, qui conſiderat ipſam Trinitatem, vt ſummè bonam, vel vt omnipotentem, & terribilem, & excitantem timorem ; vndè hic ſolum ſecundus actus erit practicus ; quia eſt regula timoris, vel amoris ; ſecùs autem ille primus.

3\. Dico ſecundò : *Habitus fidei non eſt ęquè primò practicus, & ſpeculatiuus, ſed primariò ſpeculatiuus, & ſecundariò practicus.* Probatur primò ex Div. Thom. *in præſenti, quæſt. 9. artic. 3.* vbi ſic ait : *Fides autem primò, & principaliter in ſpeculatione conſiſtit, in quantum ſcilicet inhæret primę veritati; ſed quia prima veritas eſt etiam vltimus finis, propter quem operamur, indè etiam eſt, quod fides ad operationem ſe extendit, ſecundum illud ad Galat. 5. Fides per dilectionem operatur.* Nec dici poteſt, quod vtrumque conuenit fidei primariò ; nam ipſe Div. Thom. Immediatè comparat in hoc ipſo fidei, donum ſcientię, de quo ait : *Vndè etiam oportet, quod donum ſcientię primo quidem, & principaliter reſpiciat ſpeculationem, ſecundariò autem ſe extendat ad operationem* : Ergò, dum de fide inquit, quod ad operationem ſe extendit, debet intelligi ſecundariò.

4\. Deindè probatur ratione, quia in tantum habitus fidei eſt ſpeculatiuus, in quantum reſpicit Deum ſub ratione primę veritatis, ſpeculatiuũ enim dicitur illud, cuius finis eſt veritas, & in tantum eſt practicus, in quantum reſpicit Deum ſub ratione boni, & finis vltimi appetibilis, & conſequibilis per opera, quia finis in practicis eſt regula, & menſura operandi in ordine ad finem, & practicum dicitur illud cuius finis eſt opus : Sed habitus fidei non reſpicit ęquè primò Deum ſub ratione primę veritatis, & ipſum ſub ratione vltimi finis, ſed primariò ipſum ſub ratione primę veritatis, & ſecundariò ipſum ſub ratione vltimi finis : Ergò non eſt ęquè primò practica, & ſpeculatiua, ſed primariò practica, & ſecundariò ſpeculatiua. Probatur minor, ex doctrina ſuprà data contra Lugo, *diſput. 1. quæſt. 10. à num. 42.* vbi oſtendimus, obiectum primarium fidei eſſe Deum ſub ratione Deitatis, ſolumque eſſe ſecundarium ſub ratione vltimi finis. Explicatur, quia munus primarium fidei eſt credere Deum, eiuſque Myſteria vt infallibiliter vera, quia reuelata; munus autem ſecundarium proponere illum voluntati vt ſummum bonum, & vltimum finem, docendo regulas illum aſſequendi per merita : Sed ſub primo munere eſt ſpeculatiua, & ſub ſecundo practica : Ergò fides primariò eſt ſpeculatiua, & ſolum ſecundariò practica. Probatur

maior

maior, quia fides per prius credit Deum vt Deum, eiuſque Myſteria vt infallibiliter vera, quia revelata, quam extendatur ad movendam voluntatem per propoſitionem ſummi boni, & vltimi finis, ſiquidem hoc ſe habet conſequenter ad illud: Ergò illud eſt munus primarium, & iſtud ſecundarium.

5. Dices, quod fides per prius in executione credit Deum vt Deum, quam vt ſummum bonum, & vltimum finem; cæterum in intentione prius reſpicit Deum vt vltimum finem, & vt ſummum bonum, quam ſub ratione Deitatis, vel primę veritatis.

6. Sed contra, quia illud reſpicit fides per prius in intentione, quod eſt finis obiectivus, & intrinſecus ipſius: Sed ſolus Deus ſub ratione Deitatis, & primę veritatis eſt finis obiectivus, & intrinſecus ipſius, non autem ſub ratione ſummi boni, aut finis aſſequibilis: Ergò adhùc in intentione per prius reſpicit fides Deum ſub illa, quam ſub iſta ratione. Probatur minor, quia idem eſt finis obiectivus, & intrinſecus, & obiectum primariò terminativum: Sed obiectum primariò terminativum fidei, non eſt Deus ſub ratione ſummi boni, & vltimi finis aſſequibilis, ſed ſub ratione Deitatis, & primę veritatis in eſſendo, vt conſtat ex loco citato: Ergò nec finis obiectivus, & intrinſecus ipſius.

7. Dices, fidem vtrumque reſpicere per ſe primò, quia per aliquos actus reſpicit Deum primariò ſub ratione Deitatis, aut primę veritatis, vt quando credit ipſum eſſe, aut trinũ eſſe, aut alia Myſteria purè ſpeculabilia in ordine ad ipſum magis cognoſcendum, per alios verò actus primariò reſpicit ipſum vt finem aſſequibilem, vt quando credit præcepta divina, & conſilia, & regulas doctrinales operandi in ordine ad Deum ad illum aſſequendum, & in quantum per prius credit ipſum eſſe ſummum bonum, & vltimum finem hominis. Sed contra, quia implicat, quod per ſe primò reſpiciat Deum ſub vtraque ratione dicta: Ergò ruit ſolutio. Probatur antecedẽs, quia implicat, quod ſit ſimul per ſe primò practica, & per ſe primò ſpeculativa: Sed ſi reſpiceret per ſe primò vtrãque rationẽ prædictã, eſſet per ſe primò practica, & per ſe primò etiam ſpeculativa, vt per ſe patet: Ergò. Probo maiorẽ, quia eſſe per ſe primò practicũ, & per ſe primò ſpeculativũ, ſunt differentię oppoſitę: Sed fides cũ eius habitus vnicus, & indiviſibilis eſt, vt ſuprà diximus, non poteſt gaudere differentijs oppoſitis: Ergò non poteſt per ſe primò eſſe practica, & per ſe primò ſpeculativa.

8. Dices, eſſe differentias oppoſitas in habitu purè naturali, ſecùs autem in habitu ſupernaturali, qui propter ſui eminentiam poteſt contingere in ſe rationem practici, & ſpeculativi, vtramque per ſe primò. Sed contra, quia propterea habitus naturales nequit in ſe adunare illas differentias, ſeù rationis, quia practicum per ſe primò reſpicit per ſe primò obiectum vt operabile, ſivè vt regulam operandi, & ſpeculativum per ſe primò reſpicit per ſe primò obiectum vt ſpeculabile, & idem indiviſibilis habitus nequit reſpicere ęquè per ſe primò obiectum ſub duplici ratione diſtincta: Sed hæc eadem ratio militat in quolibet habitu ſupernaturali, & ſimiliter in habitu fidei, ſuppoſito, vt ſupponimus, ipſum eſſe indiviſibilem, quia eo ipſo nequit reſpicere ęquè per ſe primò duplicem rationem formalem ex parte obiecti, ſeù obiectum ſub duplici ratione formali: Ergò.

9. Sed dices: Licèt ratio ſcientię, & luminis principiorum non poſſit convenire in eodem habitu naturali, tamen convenire poteſt eidem habitui ſupernaturali; quia lumen glorię, quod in quantum terminatur ad videndam divinam eſſentiam, eſt lumen principiorum, idem eſt etiam lumen ſcientię, in quantum terminatur ad creaturas cognoſcendas in eſſentia divina, & ex ipſa præcognita: Ergò pariter diſcurri poteſt de ratione practici, & ſpeculativi. Reſpondeo, quod eodem modo diſcurrimus, cæterum, quando in lumine glorię coniungitur ratio luminis principiorum, & ratio ſcientię, non convenit illi vtrumque per ſe primò, ſed cum ordine primarij, & ſecundarij, ita vt primariò ſit lumen principiorum, & ſecundariò lumen ſcientię, vndè ſimiliter, quando in habitu fidei coniungitur ratio ſpeculativi & practici, primariò eſt ſpeculativus, & ſecundariò practicus.

10. Demùm dices: Tunc aliquis habitus ſolum ſecundariò eſt practicus, quando reſpicit opus propter ſpeculationem, ſeù propter obiectum vt ſpeculabile: Sed dum fides reſpicit opus, credendo præcepta, & conſilia, & doctrinam regulativam operum noſtrorum, hæc non reſpicit propter ſpeculationem ipſius Dei, nec propter Deum vt ſpeculabilem: Ergò non eſt ſecundariò practica, ſed primariò. Minor patet, quia fides non reſpicit ea præcepta, & conſilia ad ſpeculandum Deum, ſed ad rectè operandum, & merendum, & per merita, & opera Deum aſſequendum tanquam finem. Reſpondeo ex doctrina tradita, *diſput.* 5. *quæſt.* 10. *à num.* 47. primò, quod fides dum reſpicit opus, credendo conſilia, & præcepta quę dirigunt actus humanos, hæc omnia reſpicit, ſecundum quod per ea homo ordinatur ad

Mmm 2 per-

berent aſsignari alię præmiſſę creditę ſimiliter per diſcurſum, & ſic in infinitum: Ergò ſaltèm fatendum eſt fidem credere ſinè diſcurſu revelationem, vt infallibilem, & conſequenter in aliquo ſui actu non eſſe diſcurſivam.

5. Dico ſecundò: *Fides in nullo ſui actu eſt diſcurſiva*: Probatur: Implicat quod fides in aliquibus actibus ſit diſcurſiva, & io aliquibus intellectiva ſine diſcurſu; nam idem indiviſibilis habitus non poteſt eſſe ſimùl diſcurſivus, & non diſcurſivus: Sed, vt oſtenſum manet, fides in aliquo ſui actu non eſt diſcurſiva: Ergò in nullo ſui actu poteſt eſſe diſcurſiva. Explicatur: Non alia ratione diſtinguitur lumen principiorum ab habitibus ſcienciarum, & habitus fidei ab habitu Theologię; niſi quia lumen principiorum eſt intellectivum ſine diſcurſu, & ſimiliter habitus fidei, è contra verò lumen ſcientificum, & Theologia intelligunt diſcurſivè: Ergò intelligere diſcurſivè, & ſine diſcurſu non poſſunt adunari in eodem ſimplici habitu: Sed habitus fidei eſt ſimplex, & indiviſibilis: Ergò non poteſt eſſe diſcurſivus io vnò actu, & non diſcurſivus in alijs. Secundo probatur, quia ſi fides in aliquo actu eſſet diſcurſiva, maximè credendo Trinitatem ex vi revelationis prius creditę per fidem; hoc aſſenſu: *Quidquid Deus revelavit ita eſt; ſed revelavit Trinitatem: Ergò Trinitas eſt*, ſed aſſenſus Trinitatis hoc pacto elicitus non eſt aſſenſus fidei, ſed Theologię: Ergò nullus datur aſſenſus fidei elicitus per diſcurſum. Probatur minor, nam talis aſſenſus Trinitatis aſſentitur Trinitati, vt illatę ex divina revelatione prius credita per fidem theologicam: Ergò motivum intrinſecum talis aſſenſus eſt connexio, ſeù illatio paſsiva Trinitatis ex revelatione prius credita: Sed eo ipſo non eſt intrinſecè aſſenſus fidei, ſed ſolum Theologię, quia in hoc differunt aſſenſus theologicus ab aſſenſu fidei, quod ille innititur illatione, ſeù connexione ex præmiſsis revelatis, iſte verò innititur immediatè, & intrinſecè ipſi revelationi: Ergò.

6. Dices primò: Motivum prædicti aſſenſus non eſſe prædictam illationem paſsivam ex præmiſsis, quia hæc non debet præcognoſci ſignatè ante aſſenſum concluſionis, & conſequenter, nec ſignatè movere, ac proindè motivum illius aſſenſus ſolum eſſe revelationem præcognitam in præmiſsis: Sed contra eſt, quia licèt hoc verum ſit de motivo extrinſeco illius aſſenſus; hoc eſt de motivo attacto per alium anteriorem actum, falſum tamen de motivo intrinſeco, aut ratione formali *ſub qua* intrinſecè attacta *vt quo* per ipſum aſſenſum concluſionis; nam hoc motivum, aut ratio formalis *ſub qua*, ſolum eſt in recto illatio concluſionis ex præmiſsis, vt diximus ſuprà, *diſput. 1. quæſt. 6. à num. 22*: Nec obeſt quod talis illatio paſsiva, non debeat ſignatè præcognoſci, quia cum ſolum ſit ratio formalis *ſub qua*, & obiectum *quò*; non debet præcognoſci ſignatè, & vt *quod*, ſed ſatis eſt quod cognoſcatur exercitè, & vt *quo*:

7. Dices ſecundò, talem aſſenſum non poſſe eſſe theologicum: Nam aſſenſus theologicus eſt propter revelationem mediatam, & virtualem tantum, non propter immediatam, & formalem revelationem ſui obiecti, in prædicto autem diſcurſu intellectus aſſentitur Trinitati, non qoia revelatę mediatè tantum, & virtualiter in alio principio illam inferenti, ſed quia immediatè revelatę, nam in illo diſcurſu non intervenit revelatio immediata alterius rei, niſi ſolius Trinitatis.

8. Sed contrà eſt: Quia ex vi prædicti diſcurſus cognoſcitur Trinitas formaliter, quia illata ex præmiſsis prius creditis per fidem: Sed vt ſic illata; ſolum intelligitur vt virtualiter, & mediatè revelata, non verò immediatè, & formaliter: Ergò cognoſcitur, quia mediatè, & virtualiter revelata; & conſequenter per aſſenſum theologicum, & non fidei. Probo minorem, quia concluſio, vt illata ex præmiſsis creditis per fidem, eſt concluſio, vt illata ex præmiſsis revelatis, quia præmiſſę, vt creditę per fidem, ſunt præmiſſę, vt revelatę, nihil enim creditur per fidem, niſi vt revelatum, & quia revelatum: Sed vt illata ex præmiſsis revelatis, ſolum intelligitur mediatè, & virtualiter revelata; non verò formaliter: Ergò, dum ſic cognoſcitur, cognoſcitur quia virtualiter, & mediatè revelata, non verò formaliter. Nec obſtat, quod revelatio, quę ponitur in præmiſsis, ſit immediata, & formalis revelatio Trinitatis, quia licèt hoc ita ſit, non tamen movet vt exercitè eſt ipſa revelatio immediata Trinitatis, ſed ſolum in quantum ipſa eſt revelata vt *quòd*: Quod ſic oſtendo: Nam movet, quia credita vt *quod* in præmiſsis: Sed non eſt credita vt *quod*, niſi quia revelata vt *quod*: Ergò tantum movet, quia revelata vt *quod*: Sed in revelatione illius vt *quod* ſub hac conſideratione non intelligitur revelari immediatè Trinitatem; ſed tantum mediatè: Ergò dum intellectus movetur ad aſſenſum Trinitatis, quia credit revelationem Trinitatis, movetur ex revelatione virtuali; & mediata Trinitatis, nempè quia revelatio illius eſt revelata, non verò immediatè, & formaliter.

9. Secundò probatur concluſio: Quia omnis aſſenſus fidei eſſentialiter eſt obſequioſus divinę Authoritati, per quem nempè credens cap-

Digitized by Google

captivat intellectum in obſequium Chriſti: Sed aſſenſus elicitus per diſcurſum non eſt obſequioſus divinę Authoritati: Ergò nullus aſſenſus fidei eſt elicitus per diſcurſum: Ergò fides in nullo ſui aſſenſu eſt diſcurſiva. Probatur minor, quia aſſenſus elicitus per diſcurſum, eſt aſſenſus præſtitus concluſioni ex vi præmiſſarum prævîè cognitarum: Sed huiuſmodi aſſenſus non eſt obſequioſus divinę Authoritati, quia ſemel quod quis credat, vel cognoſcat has præmiſſas, v. g. *Quidquid Deus dicit ita eſt: Sed Deus dicit ſe eſſe trinum*, nullum eſt obſequium divinę Authoritati, aſſentire, huic concluſioni evidenter illatę, nempè: *Ergò Deus eſt trinus*: Ergò aſſenſus elicitus per diſcurſum non eſt obſequioſus divinę Authoritati. Vide ſuprà, *diſput. 1. quæſt. 13. num. 23.*

10. Reſpondebis, talem aſſenſum eſſe obſequioſum abſolutè, quia licèt creditis præmiſsis, non poſsit intellectus diſſentiri concluſioni ex ſuppoſitione aſſenſus præmiſſarum, poteſt tamen abſolutè illi diſſentire, diſſentiendo præmiſsis, vel alicui earum. Sed contra, quia ex hoc ad ſummum ſequitur, quod talis aſſenſus ſit præſuppoſitivè obſequioſus, non autem formaliter: Sed eo modo eſt aſſenſus fidei, quo eſt obſequioſus: Ergò ſolum præſuppoſitivè erit aſſenſus fidei, hoc eſt, ex parte præmiſſarum, non autem formaliter, & per ſe. Probatur maior, quia eo tantum modo eſt obſequioſus, quo intellectus libere aſſentitur cum poteſtate diſſentiendi: Sed id ſolum verificatur in tali aſſenſu præſuppoſitivè, nempè, quatenus intellectus præſuppoſitivè aſſentitur libere præmiſsis, aut alicui illarum, & poteſt illi præſuppoſitivè diſſentire, non autem formaliter, ita vt poſito aſſenſu præmiſſarum, liberè formaliter aſſentiatur concluſioni, quia ſuppoſito aſſenſu præmiſſarum, ex vi illius neceſsitatur, & concitur irreſiſtibiliter intellectus ad aſſenſum concluſionis, & illi aſſentitur ſic convictus, & neceſsitatus formaliter: Ergò talis aſſenſus ad ſummum erit præſuppoſitivè, & in cauſa obſequioſus, non tamen formaliter.

11. Ex quibus infero, fidem nec virtualiter eſſe diſcurſivam. Probatur, quia illud lumen dicitur virtualiter diſcurſivum, quod eodem actu cognoſcit præmiſſas obiectivas, & concluſionem, cum ordine tamen obiectivo, nempè cognoſcendo per ipſum actum prius vt *quod* præmiſſas obiectivas, & ex illis præcognitis vt *quod*, eodem ipſo actu inferendo concluſionem, vt dicitur de intellectu divino, & Angelico, & de lumine Glorię: Sed hoc dici nequit de habitu fidei: Ergò non poteſt dici, quod fides ſit virtualiter diſcurſiva. Probatur minor, primò quia habitus fidei eſt lumen imperfectum, ſeù inferioris ordinis commenſuratum intellectui in modo intelligendi pro hoc ſtatu: Sed intellectus noſter pro hoc ſtatu non habet cognoſcere eodem lumine, & eodem actu præmiſſas, ſeù principia, & concluſiones, ſed per diſtinctos actus, vnde non eſt diſcurſivus virtualiter, ſed formaliter: Ergò nec fides poteſt, cum ſit vnicum, & indiviſibile lumen, cognoſcere eodem actu præmiſſas vt *quod*, & ex illis etiam concluſionem vt *quod* diſcurſu virtuali. Vrgetur: Si hoc poſſet habitus fidei, non eſſet opus diſtinguere ab illo habitum Theologię, ſiquidem ipſemet habitus fidei poſſet ex principijs creditis virtualiter inferre concluſiones theologicas: Sed hoc eſt contra omnes Theologos: Ergò. Secundò probatur minor: Quia ęqualis difficultas eſt in diſcurſu virtuali fidei, ac in diſcurſu formali, nã etiam in diſcurſu virtuali deberet fides prius virtualiter credere vt *quod* præmiſſas, & ex illis præcognitis vt *quod* concluſionem, quia hoc eſt de eſſentia omnis diſcurſus, ſivè formalis, ſivè virtualis, quamvis in diſcurſu virtuali fiat per vnicum actum: Ergò licèt actus ille reſpectu præmiſſarum eſſet formaliter obſequioſus divinę Authoritati, tamen vt formaliter terminatus ad concluſionem ex præmiſsis præcognitis vt *quod*, eſſet neceſſarius, & neceſſariò extortus, & ab intellectu vt convicto ex præmiſsis illis ſic præcognitis: Ergò vt terminatus ad concluſionem non eſſet obſequioſus formaliter, & conſequenter nec fidei: Sed ſolum eſſet virtualiter diſcurſivus in quantum terminatus ad concluſionem ex præmiſsis obiectivè præcognitis: Ergò in quantum diſcurſivus non eſſet fidei.

SOLVVNTVR OBIECTA.

12. OBIJCIES primò: Charitas in linea voluntatis eſt diſcurſiva ex obiecto formali ad obiectum materiale: Ergò fides etiam in linea intellectus poteſt eſſe diſcurſiva. Probatur antecedens: Quia charitas ex amore Dei, vt *quod* amati, movetur ad amorem proximi, & ex actu amoris erga Deum infert actum amoris erga proximum: Sed hoc eſt diſcurrere in linea voluntatis: Ergò charitas eſt diſcurſiva in linea voluntatis. Reſpondeo, diſtinguendo antecedens: Charitas eſt diſcurſiva ex obiecto formali motivo ad obiectum materiale primarium, ſeù formale terminativum, nego antecedens: Ex obiecto formali primario terminati-

vo

vo ad obiectum materiale ſecundariò ſubdiſtinguo; eſt diſcurſiva propriè, nego antecedens: Impropriè, concedo antecedens, & nego conſequentiam; quia in primis charitas non eſt diſcurſiva ex obiecto formali motivo ad obiectum formale terminativum, ſeù materiale primariũ, ita vt prius debeat amare vt *quod* ſummã Dei bonitatem in abſtracto, & ex illa vt *quod* amata inferre amorem ipſius Dei per diſtinctum actum realiter, aut virtualiter; hoc enim nullus aſſeruit, ſed omnes Theologi fatentur, charitatem attingere ſimplici actu, & abſque diſcurſu bonitatem divinam, vt rationem formalem motivam, & *ſub qua*, & ipſum Deum, vt ſummum bonum tanquam obiectum materiale primarium, ſeù formale terminativum: Ex quo in primis ſequitur, quod ſi paritas eſt ſeruanda, fides non debet eſſe diſcurſiva ex obiecto formali motivo, nempè ex divina revelatione, quę eſt obiectum formale motivum fidei, ad obiectum primarium terminativum, ſeù primariò revelatum, nempè ipſum Deum, vt eſt Author ſupernaturalis, ſed ſimplici actu, & abſque omni diſcurſu, credere Deum ipſum, quia revelatum, non credendo prius revelationem vt *quod*, quam credat vt *quod* ipſum Deum revelatum: Quo ſuppoſito doctrina contrariorum ruit, quę in eo fundatur, quod fides debeat credere prius revelationem vt *quod*, quam obiectum revelatum. Deindè, dato quod charitas ſit diſcurſiva ex obiecto primario ad ſecundarium, hoc eſt, ex Deo primariò amato ad amorem proximi, indè ad ſummum poſſet probari, quod fides eſſet diſcurſiva ex Deo primariò credito vt *quod* ad alia credenda ſecundariò; qui quidem diſcurſus, nec à contrarijs intenditur, nec eſt proprius fidei, ſed ad ſummum Theologię; nam diſcurrere ex Deo, vel ex Deitate prius credita vt *quod* inferendo Deum eſſe ſapientem, veracem, & alia atributa ſecundariò credibilia, aut inferendo Myſteria ſupernaturalia, vt poſsibilia, vnicè pertinet ad theologiam, non autem ad fidem, iuxta omnes.

13. Demùm dico, quod charitas non eſt propriè diſcurſiva ex obiecto primario amato ad proximum amandum, quia non procedit ad proximum amandum vi connexionis, aut illationis, ex eo, nempè, quod bonitas proximi inferatur neceſſariò ex bonitate Dei, hoc enim falſum eſt, ſed ſolum quia bonitas divina, quę per eſſentiam competit Deo, participativè reſplendet in proximo, & ideò ex amore Dei procedit ad amorem proximi in obſequium ipſius Dei prius amati, non per proceſſum, qui ſit verus diſcurſus, ſed per proceſſum, qui ſolum importat ordinem inter primarium, & ſecundarium: Hoc autem pacto concedimus, quod etiam fides procedit ex Deo primariò credito ad credenda attributa, vel Myſteria ſupernaturalia: Cæterum vt diximus, *diſput. 1. quæſt. 13. num.* 41. hic proceſſus non eſt verus diſcurſus; ſiquidem non eſt in vi illationis, & connexionis, ſed ſolum per ordinem obiecti primarij ad ſecundarium. Vbi valdè notandum eſt, quod in hoc diſcurſu improprio, cum non ſit vi connexionis neceſſarię, rectè compatitur, quod actus, circa obiectum ſecundarium ſit obſequioſus Deo, vt obiecto primario; vndè charitas in obſequium Dei prius amati poteſt amare proximum propter ipſum, & fides in obſequium Dei prius crediti poteſt credere Myſteria ſupernaturalia propter ipſum; cæterum ſi eſſet propriè diſcurſiva ex revelatione prius credita vt infallibili ad aſſenſum rei revelatę, aſſenſus fidei non eſſet formaliter obſequioſus divinę veritati revelanti, vt oſtenſum manet, quia eſſet neceſſariò extortus vi connexionis ex illa ſic prius credita.

14. Obijcies ſecundò: Antequam quis credat Deum eſſe Trinum, neceſſe eſt quod credat has præmiſſas: *Deus eſt ſummè verax*: *Deus dixit ſe eſſe trinum*: Sed, his prius creditis, neceſſariò aſſentitur per diſcurſum huic concluſioni *Deus eſt trinus*: Ergò fides neceſſariò eſt diſcurſiva. Maior probari poteſt; vt illam probabat Suarez ſuprà, *quæſt. 13. num.* 24. Confirmatur primò, quia ſaltem ex illis præmiſſis prius cognitis poteſt intellectus cognoſcere Deum eſſe Trinum: Sed talis cognitio, vel aſſenſus eſſet actus fidei, & alias per diſcurſum: Ergò poteſt actus fidei elici per diſcurſum: Probatur minor, quia talis aſſenſus Trinitatis non eſſet aſſenſus theologicus: Ergò eſſet aſſenſus fidei. Probatur ancedens: Talis aſſenſus non moveretur ex revelatione mediata Trinitatis, ſed ex revelatione immediata: Sed aſſenſus theologicus eſſentialiter debet moveri ex revelatione mediata, ad differentiam aſſenſus fidei, cuius eſt moveri ex revelatione immediata: Ergò talis aſſenſus non eſſet theologicus, ſed fidei. Probo maiorem: Talis aſſenſus ſolum moveretur ex revelatione contenta in præmiſſis, ſiquidem ibi non intercedit alia, ex qua moveri poſsit: Sed revelatio contenta in præmiſsis eſt revelatio immediata Trinitatis, ſiquidem eſt revelatio, non quia Deus dicat aliquid ex quo inferatur Trinitas, ſed quia Deus immediatè dicit ſe eſſe trinum: Ergò talis aſſenſus movetur ex revelatione immediata Trinitatis. Confirmatur ſecundò: Nam qui ex hoc antecedenti: *Deus dixit Verbum caro factum eſt*, infert:

Er-

Ergò Verbum caro factum eſt, aſſentitur concluſioni per fidem; ſed aſſentitur per diſcurſum: Probo maiorem, primò, quia aſſentitur illi concluſioni, quia Deus dicit: Ergò per fidem. Secundò: Quia ſi negaret illam concluſionē, illam negaret formaliter per infidelitatem, ſeù hæreſim, ſiquidem eo ipſo, quod illam negaret eſſet formaliter Hæreticus; ſed contrariorum eadem eſt ratio: Ergò dum illi aſſentitur, formaliter per fidem aſſentitur.

15. Reſpondeo ad argumentum, negando maiorem, cuius falſitas, ſatis efficaciter oſtenſa manet ſuprà, *diſput*. 1. *quæſt*. 13. *à num*. 13. contra Suarez, ibique ad eius obiecta ſatisfactum *à num*. 24. Ad primam confirmationem, conceſſa maiori, nego minorem. Ad cuius probationem, nego antecedens. Ad cuius probationem, nego maiorem. Ad cuius probationem diſtinguo maiorem, ſolum moveretur ex revelatione contenta in præmiſsis, vt præcisè revelante nego maiorem, vt revelata, concedo maiorem, & diſtincta minori eodem modo nego conſequentiam; quia revelatio contenta in præmiſsis non moveret præcisè attracta vt *quo*, ſed credita vt *quod*; non intelligitur autem credita vt quod, niſi revelata vt *quod*, dum autem ipſa revelatur vt *quod*, revelatur mediatè Trinitas, quia revelatur immediatè ipſa revelatio Trinitatis, ex qua, vt prius immediatè revelata, intellectus vi connexionis illius cum Trinitati aſſentitur Trinitati; vndè in tali aſſenſu intellectus re ipſa movetur ex revelatione mediata, & vt eſt revelatio mediata ipſius Trinitatis. Nec obſtat, quod in præmiſsis non exprimatur ſignatè, talis revelatio, vt revelatio mediata, ſeù tanquam revelatio revelationis connexę cum Trinitate, quia licèt non exprimatur hoc pacto ſignat, è attingitur tamen exercitè, vt ratio formalis *ſub qua* credendi præmiſſas, & hoc ſufficit, vt talis aſſenſus moveatur ex revelatione mediata; ſicut quando quis ita diſcurrit: *Omnis homo eſt riſibilis; ſed Chriſtus eſt homo: Ergò Chriſtus eſt riſibilis*; licèt in præmiſsis nulla exprimatur ſignatè revelatio, tamen omnes fatentur, quod aſſenſus concluſionis, ſeù riſibilitatis, movetur ex revelatione mediata ipſius, quia videlicet movetur vi connexionis, ex eo quod Chriſtus eſt homo, & non credit Chriſtum eſſe hominem, niſi quia hoc eſt revelatum, quę revelatio de Chriſto, vt homine, iuncta connexione hominis cum riſibilitate, eſt revelatio mediata riſibilitatis. Explicatur hoc ipſum: Nam quando dicitur, quod aſſenſus Theologicus movetur ex revelatione mediata, non aliud ſignificatur, niſi quod movetur ad aſſenſum ſui obiecti, quia illati ex alio immediatè revelato, nam idem eſt inferri ex alio immediatè revelatum, ac eſſe mediatè revelatum: Sed in ſyllogiſmo argumenti intellectus aſſentitur exercitè Trinitati, quia infertur ex revelatione, vt immediatè revelata, ſiquidem infertur ex illa, vt credita in præmiſsis, & non eſt credita, niſi quia immediatè revelata: Ergò aſſentitur Trinitati, quia mediatè revelatę, ſeù, quod idem eſt, aſſentitur Trinitati immediatè, & formaliter, quia illatę ex aliquo revelato. Valdè enim conſideranda eſt differentia inter revelationem, vt moventem per diſcurſum, & ipſammet vt moventem ſimplici aſſenſu ad aſſenſum rei revelatę; nam quando movet ſimplici aſſenſu attracta, movet præcisè, vt exercitè revelans, & manifeſtans obiectum, tanquam ratio formalis *ſub qua*; quando verò movet per diſcurſum, movet quia revelata vt *quod*, ſiquidem movet quia prius credita, vt *quod*, & non eſt prius credita vt *quod*, niſi quia revelata vt *quod*, quo pacto non revelatur immediatè, ſed ſolum mediatè obiectum ipſius revelationis, vndè ſemper ſalvatur, quod aſſenſus elicitus per diſcurſum ſit aſſenſus theologicus, & non fidei.

16. Ad ſecundam confirmationem, nego maiorem. Ad cuius primam probationem, diſtinguo antecedens: Aſſentitur illi concluſioni intrinſecè, & immediatè, quia Deus dicit, nego antecedens, mediatè, & extrinſecè, concedo antecedens, & nego conſequentiam; nam aſſentitur illi concluſioni immediatè, & intrinſecè, quia illatę ex dicto Dei vt prius credito, & revelato vt *quod*, nam ratio formalis ſub *qua* illius aſſenſus eſt prædicta illatio paſsiva, vndè ſolum movetur mediatè, & extrinſecè ex tali dicto Dei, quod non ſufficit ad aſſenſum fidei, ſed ſolum ad aſſenſum theologicum. Ad ſecundam diſtinguo maiorem, ſi negaret illam concluſionem vnicè, & præcisè, quia non illatam, nego maiorem: Si negaret illam concluſionem abſolutè, concedo maiorem, & minorem, & nego conſequentiam. Fateor enim, quod ſi negaret illam propoſitionem abſolutè eſſet hæreticus formaliter, & quod illam negaret formaliter per infidelitatem, non quidem præcisè quia negaret illam ſub ratione illatę ex dicto Dei, quia ſi hoc pacto præcisè illam negaret, ex hoc non eſſet formaliter hæreticus, niſi forſan adverteret, quod ipſa illatio eſt etiam formaliter, & immediatè revelata, ſed ideò eſſet formaliter hæreticus, quia ſciret ipſam concluſionem eſſe immediatè revelatam, & nihilominus illam negaret, vndè negaret propoſitionem immediatè revelatam, quod ſufficit ad rationem hæreſis formalis.

17. Ex quo brevius reſpondeo

con-

Digitized by Google

conceſſa maiori, & minori, negando conſequentiam; quia plus requiritur ad actum fidei, quam ad actum infidelitatis, nam ad actum fidei requiritur, quod aſſentiatur veritati immediatè revelatę, & aſſentiatur illi immediatè ſub ratione revelatę; ad actum autem infidelitatis non requiritur vtrumque, ſed ſatis eſt quod neget propoſitionem, quę ſibi proponitur, vt immediatè revelata, & non requiritur quod illam neget, quia immediatè revelatam, ſed ſatis eſt quod illam neget abſolutè: Nec obeſt illud axioma: Contrariorum eadem eſt ratio; quia quando cõtrarietas eſt inter bonum, & malum, bonum dicitur ex integra cauſa, & malum ex quocumque defectu.

QUÆSTIO IV.

AN FIDES DIVINA, SEV theologica ſit eſſentialiter ſupernaturalis.

1. NOTO primò, quæſtionem poſſe intelligi de habitu fidei, vel de actu, de fide habituali, vel de actuali. Habitum fidei theologicę eſſe ſupernaturalem, & per ſe infuſum, ita iam certum eſt, vt de re ipſa vix diſputetur inter Theologos, ſolumque dubium ſit de gradu certitudinis, alijs aſſerentibus, alijs negantibus, id eſſe immediatè de fide: De actu autem fidei, non eſt tanta certitudo, quia Nominales, & cum illis Durandus, Scotus, & alij ex Antiquis Scholaſticis, necnon Molina in Concordia, *quæſt. 14. artic. 13. diſput. 14. & 15.* tenent actum fidei Catholicę eſſe naturalem quoad ſubſtantiam, & ſpeciem, ita vt ſit eiuſdem ſpeciei cum actibus merè naturalibus. E contra tamen cæteri Theologi, iam communiter exiſtimant oppoſitum.

2. Noto ſecundò, illud dici ſupernaturale quoad ſubſtantiam, quod ex ſua eſſentia, ſpecie, & entitate intrinſeca excedit vires, & exigentiam naturę, vt viſio clara Dei, cognitio prophetica futurorum, & alia huiuſmodi. Illud verò dicitur ſupernaturale tantum quoadmodum, quod licèt ex ſua eſſentia, & ſpecie non excedat vires, & exigentiam naturę, tamen ex modo fiendi hic, & nunc, talem exceſſum habet, vt viſus cæco reſtitutus, aut roſa in hieme producta. Noto tertio, fidem theologicam, aut divinam poſſe eſſe, vel exiſtimativè tantum talem, vel re ipſa talem. Tunc eſt exiſtimativè tantum talis, quando quis exiſtimat ſe credere vnicè propter Authoritatem divinam, ſed tamen aliquo alio movetur ad credendum, vt contingit in hæretico, modo infrà explicando. Tunc eſt re ipſa talis, quando re ipſa credit Deum, aut ipſius Myſteria ſupernaturalia vnicè propter Authoritatem divinam, abſque omni alio motivo occulto. De quo vide ſuprà, *diſp. 1. quæſt. 9. à num. 33.*

PRIMA CONCLUSIO.

3. DICO primò: *Habitus fidei verè divinę, & theologicę eſt per ſe infuſus, & quoad ſubſtantiam ſupernaturalis: Idquè, quoad rem ipſam, licèt non ſub his terminis, eſt immediatè de fide.* Probatur primò ex Concilio Trident. *Seſſion. 6. de iuſtificat. cap. 7.* vbi primò definit, quod iuſtificatio, *non eſt ſola peccatorum remiſſio; ſed & ſanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratię, & donorum.* Infrà verò explicans, quænam ſint iſta dona, ſic ait: *Vndè in ipſa iuſtificatione cum remiſſione peccatorum, hæc omnia ſimùl infuſa accipit homo per Ieſum-Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem*: Ergò ex Concil. Trident. fides verè theologica, de qua eſt ſermo, & quę ſola ad iuſtificationem diſponit, eſt donum nobis infuſum à Deo per Ieſum-Chriſtum. Confirmatur primò ex eodem Concilio, & eadem *Seſſion. cap. 15.* & præſertim, *Can. 28.* vbi ſic ait: *Si quis dixerit, amiſſa per peccatum gratia, ſimùl, & fidem ſemper amitti, aut fidem, quę remanet, non eſſe veram fidem, licèt non ſit viva, aut qui eam fidem ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum, Anathema ſit*: Ergò iuxta Tridentin. fides eſt donum Dei nobis infuſum, permanenſque adhùc poſt amiſſam gratiam, tanquam vera fides in nobis, licèt non viua. Et quod hæc ſit mens Tridentin. probatur primò ex Vega *lib. 7. in Tridentin. cap. 24.* vbi referens illas duas opiniones, de quibus mentionem facit Innocentius 3. *in cap. maiores, de Baptiſmo*, & Conciliũ Vienenſe relatum *in Clementina vnica, de Summa Trinitate*, primam, quę negabat habitus infuſos, aliam quę tales habitus infuſos virtutum theologalium ponebat; de hac ſecunda ſic inquit, tãquam teſtis oculatus Concilij Tridentini: *Viſum eſt huic Sanctę Synodo acceptare ſententiam iſtam, & aſſerenti oppoſitum Anathema indicere: Intellexit enim hanc eſſe communem Eccleſię fidem, tametſi non ſub nomine habitum.* Id ipſum teſtatur pariter Sotus *lib. 2. de Natur. & Gratia, cap. 18.* vbi verba Tridentini ſic refert: *Sancta Synodus, cap. 7. Seſſ. 6. ait, merito Sanctiſſimę*

Paſſionis Chriſti in ipſa iuſtificatione infundi iuſtitiam , hoc eſt, fidem , ſpem , & charitatem, quæ eſt ſicut prima ſtola evangelica : *Tametſi conſulto de habituum nomine nihil meminerit.* Secundò ex Concilio Moguntino, celebrato Anno 1549. duobus Annis poſt editam prædictam Seſsionem Tridentini , vbi prædictam definitionem ſic refert ex ipſo Tridentino : *Iuſtificatio cum peccatorum remiſsione , etiam ſanctificationem , & interiorem renovationem confert, quatenus per meritum Chriſti , quod iam credenti communicat, cum venia peccatorum, Dei gratiam, & per Spiritum Sanctum, vna cum fide, ſimùl ſpem, & charitatem in corde diffuſam accipit, hiſque donis in ipſo permanentibus, non ſolum reputatur, ſed verè exiſtit iuſtus* : Ergò ex apertiſsima mente Tridentini fuit, definire, fidem, ſpem, & charitatem eſſe dona nobis à Deo infuſa , & in nobis permanentia poſt iuſtificationem, & ſpecialiter de fide , quod ſit donum permanens , etiam amiſſa per peccatum gratia , & iuſtificatione.

4. Probatur ſecundò, ſeù confirmatur ex Sacris Teſtimonijs, in quibus hæc doctrina cōtinetur, nam primò Apoſtolus *ad Epheſ.* 2. ſic ait : *Gratia eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, donum enim Dei eſt.* Et item 1. *ad Timoth.* 1. *Miſericordiam conſequutus ſum, vt fidelis eſſem.* In quibus locis ſermo eſſe videtur de fide, non ſolum actuali, ſed habituali, nam loquitur de fide, qua fidelis quiſque eſt; ſed quiſque eſt fidelis per fidem habitualem , & non ſolum per actualem : Ergò. Confirmatur ex Auguſt. qui ex his , & alijs Sacræ Scripturæ verbis ſæpiſsimè contendit fidem eſſe donum Dei ab ipſo Deo gratis nobis conceſſum , vndè *lib. de Prædeſtin. SS. cap.* 2. ſic ait : *Prius itaque fidem, qua Chriſtiani ſumus, donum Dei eſſe, debemus oſtendere* : *Si tamen diligentius id facere poſſumus , quam in voluminibus tot, tantiſque iam fecimus.* Ecce vbi teſtatur, ſe magna diligentia pluribus voluminibus oſtendiſſe , fidem , qua Chriſtiani ſumus , donum Dei eſſe : Sed fides, qua Chriſtiani ſumus , non ſolum eſt actualis, ſed etiam habitualis : Ergò iuxta Auguſtinum fides , etiam habitualis , eſt donum Dei, vbi nota, id Div. Auguſt. non oſtendere ex proprio Marte, aut ingenio , ſed ex innumeris Sacræ Scripturæ Teſtimonijs, in quibus hanc veritatem manifeſtè contineri docet.

5. Ex quibus iam conſtat ſecunda pars concluſionis : Nam id eſt immediatè de fide , quod continetur revelatum in Sacro Textu, & vt tale definitur expreſsè ab Eccleſia: Sed fidem re ipſa divinam, & theologicam , nempè, qua Chriſtiani, & Fideles ſumus, eſſe nobis à Deo infuſam, revelatur ex Sacro Textu, vt contendit Auguſt. & vt ſic revelata definitur ab Eccleſia in Concilio Tridentino, licèt non expreſsis terminis habitus fidei, ſeù fidei habitualis , tamen ſub terminis fidei infuſæ , aut doni permanentis, quo Fideles, & Chriſtiani ſumus , quibus re ipſa idem omninò ſignificatur, ac per fidem habitualem , aut habitum fidei : Ergò quoad rem ipſam de fide eſt habitum fidei eſſe ſupernaturalem , & à Deo infuſum. Ratio autem, quarè nec Concilium , nec Apoſtol. nec Div. Auguſt. non exprimunt fidem habitualem , aut habitum fidei , prout diſtinctum ab actu , eſt quia ad firmandum dogma fidei, non fuit neceſſe , nec oportebat vti nomine habitus ; quia, an donum fidei, ſivè aliarum virtutum theologalium , ſit qualitas pertinens ad ſpeciem habitus , an auxilium continuò perſeverans , videtur quæſtio philoſophica , & ſcholaſtica , terminique ipſi actus, & habitus, ſeù qualitatis, ſunt ſcholaſtici, à quibus oportuit abſtinere in dogmate fidei ſtatuendo : Tamen, ſuppoſito pro certò apud omnes Scholaſticos , quod donum permanens fidei, quo Chriſtiani, & Fideles ſumus , nequit eſſe aliud, niſi qualitas permanens , ſeù habitus inclinans , & tribuens facultatem credendi in Chriſto , quoad rem ipſam manet immediatè de fide, talem habitum, ſeù qualitatem eſſe donum per ſe infuſum à Deo.

6. Dices, ex prædictis ad ſummum probari, habitum fidei eſſe de facto infuſum , & donum Dei, ac proindè ſupernaturalem quoad modum , non autem eſſe per ſe infuſum , & ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, nam nec Concilium Tridentinum , nec Teſtimonia Sacræ Scripturæ, nec Div. Auguſt. id diſtinctè exprimunt. Sed contra, quia licèt verum ſit, id non exprimi diſtinctè, atque ideò non ſit ita certum de fide, habitum fidei eſſe per ſe , & ex natura ſua infuſum , & ſupernaturale quoad ſubſtantiam, tamen ſi mens Concilij, Auguſt. & Apoſt. attentè inſpiciatur , certiſsimè probant, fidem non per accidens, ſed per ſe eſſe donum Dei, & per ſe à Deo infuſam, & cōſequēter ſupernaturalem quoad ſubſtantiam. Primò, quia æquo iure inquiunt, fidem à Deo nobis infundi , ac gratiam ipſam, & charitatem : Sed de fide eſt, gratiam, & charitatem , qua iuſtificamur, eſſe donum per ſe infuſum, & non ſolum per accidens, & conſequenter ſupernaturale quoad ſubſtantiam : Ergò pariter de dono fidei id certum erit. Secundò, quia propterea Apoſtolus inquit, fidem eſſe donum Dei , *quia non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis , quaſi ex nobis*, & ſimiliter Auguſt. indè potiſsimum ſemper oſtendit id ipſum, quia homo ex viribus naturæ non poteſt credere ea fide , qua Chriſtianus , &

ſi-

fidelis fiat: Ergò in eo ſenſu aſſerunt, fidem eſſe infuſam, & donum Dei, quod non poſsit viribus naturę acquiri, & quia vires naturę omnino excedit: Sed hoc eſt eſſe ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, & per ſe infuſam: Ergò.

7. Confirmatur: Quia tunc ſolum aliquis habitus eſt per accidens infuſus, & ſupernaturalis tantum quoad modum, quando ſecundum ſuam ſpeciem non excedit vires naturę: Sed habitus fidei ſecundum ſuam ſpeciem excedit vires naturę: Ergò non ſolum quoad modum, ſed etiam quoad ſubſtantiam eſt ſupernaturalis, & per ſe infuſus. Probo minorem, quia habitus ſpecificatur ab actibus per ſe ab illo elicitis: Sed actus per ſe eliciti ab habitu fidei, nempè actus fidei verè theologicę, & divinę, ex ſua ſpecie ſunt eſſentialiter ſupernaturales, excedunt que vires naturę, vt ſtatim probo: Ergò.

SECUNDA CONCLUSIO.

8. DICO ſecundo: *Actus fidei verè Theologicę, & divinę eſt quoad ſubſtantiam ſupernaturalis.* Hæc concluſio mihi non eſt minus certa, quam præcedens. Tum quia ſi actus fidei, re ipſa theologicę, eſſet quoad ſubſtantiam naturalis, per infallibilem conſequentiam habitus eſſet etiam naturalis quoad ſubſtantiam, & è contra ex eo quod habitus ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, infallibiliter ſequitur actum eſſe etiam ſupernaturalem quoad ſubſtantiam. Vna tamen eſt differentia inter habitum, & actum, quod actus, quamvis ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, non poteſt dici propriè infuſus, quia eſt actus vitalis, & propriè elicitur à potentia intellectiva, cui proindè repugnat infundi propriè, & ſtrictè, hoc eſt, potentia ipſa merè paſsivè ſe habente. Cæterum poteſt dici propriè donum Dei, quia hoc non eſt contra rationem actus vitalis ſupernaturalis. Quo ſuppoſito.

9. Probatur primo concluſio ex Sacro Textu; nam *Matth.* 11. aiebat Chriſtus: *Patrem nemo novit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Et *Joann.* 6. *Hoc eſt opus Dei, vt credatis.* Et infrà: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum:* Et Apoſt. 1. *ad Corinth.* 12. *Nemo poteſt dicere Dominus Jeſus, niſi in Spiritu Sancto.* Et 2. *ad Corinth.* 3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis,* quod intelligit Auguſtin. de ipſa fide actuali, quam definit *cum aſſenſione cogitare.* Et *ad Philipp.* 1. *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum vt credatis in eum, verum etiam, &c.* Ex quibus omnibus, & alijs, manifeſtè colligitur, quod credere in Deum per fidem verè theologicam haberi non poteſt, niſi per gratiam Chriſti, ſivè per gratuitam donationem per Chriſtum: Sed eo ipſo eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam: Ergò. Probo minorem, quia eo ipſo quod haberi non poſsit, niſi per gratiam Chriſti, excedit vires naturę, ſiquidem ſi non excederet vires naturę, haberi poſſet à nobis, quaſi ex nobis, & viribus proprijs acquiri independenter à gratia: Sed eo ipſo, quod excedat vires naturę, eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, & non ſolum quoad modum: Ergò.

10. Confirmatur ex Concilio Trident. *Seſſ. 6. de Iuſtificatione, cap.* 6. vbi explicans modum concipiendi fidem, ſic ait: *Diſponuntur autem ad ipſam iuſtitiam, dum excitati divina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe, quę divinitus revelata, & promiſſa ſunt.* Et paulò infrà: *De hac diſpoſitione ſcriptum eſt, accedentem ad Deum oportet credere quia eſt, & quia credentibus in ſe remunerator ſit.* Vndè *Canon.* 3. ſic inquit: *Siquis dixerit, ſine preveniente Spiritu Sancti inſpiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, Anathema ſit.* Id ipſum clarè expreſſerat Concilium Arauſicanum, *Canon.* 5. vbi definit, fidem haberi non poſſe, niſi per gratiam, quę *per inſpirationem Spiritus Sanctè corrigit voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem.* Et *Can.* 6. *Siquis ſine gratia Dei, credentibus, volentibus, deſiderantibus, &c. nobis miſericordiam Dei dicit conferri divinitus, non autem vt credamus, velimus, vel hæc omnia, ſicut oportet, agere valeamus, per infuſionem, vel inſpirationem Spiritus Sancti in nobis fieri confitetur, & reſiſtit Apoſtolo dicenti: Quid habes, quod non accepiſti:* Et, *gratia Dei ſum id, quod ſum.* Et Canon. ſequent. *Siquis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet, vitæ æternæ, cogitare, vt expedit, aut eligere, ſivè ſalutari, id eſt, Evangelicæ prædicationi conſentire poſſe abſque illuminatione, & inſpiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus ſuavitatem in conſentiendo, & credendo veritati, hæretico fallitur ſpiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis: Sine me nihil poteſtis facere, &c.* Et tandem concludit: *Nullum, aut diligere Deum, ſicut oportet, aut credere in Deum, aut operarè propter Deum quod bonum eſt, poſſe, niſi gratia eum, & miſericordia divina prævenerit.* Ex quibus manifeſtè conſtat, eſſe dogma Catholicum, & de fide, quod nemo poteſt credere, prout oportet ad ſalutem, ſeù ea fide, qua credens verè converſus, & Fidelis, Chriſtianus que fit, niſi per gratiam Dei, ac proindè hoc pacto credere eſſe actum eſſentialiter ſupernaturalem: Sed actus fidei verè theologicę, & divinę eſt fides, qua

credens verè fidelis, & Chriſtianus fit, & quę verè conducit, & vtilis eſt ad ſalutem: Ergò talis actus fidei eſt eſſentialiter ſupernaturalis, & conſequenter quoad ſubſtantiam, & non ſolum quoad modum.

12. Confirmatur ſecundò ex Auguſt. cuius teſtimonia refferre opus non eſt, nam ipſemet teſtatur ſuprà *num.* 4. ſe tot, tantiſque voluminibus oſtendiſſe, fidem, qua Chriſtiani ſumus, eſſe donum Dei, vt id diligentius præſtare non poſsit; loquitur autem, non præciſè de habitu fidei, ſed principalius, & multò clarius de ipſo actu credendi, quo qui credit, Chriſtianus fit, aut eſt. Idem, cum Auguſt. ſentiunt S. Proſper contra Caſianum, *à cap.* 36. *& dub.* 8. *ad cap. Gallorum. Et dub.* 1. *ad Ienuenſ. & lib.* 1. *de Vocat. gentium, à cap.* 23. Similiter S. Fulgent. *lib. de Incarnat. cap.* 8. vbi efficaciter oſtendunt, fidem eſſe donum ſpeciale Dei, quod intelligitur, non ſolum de habitu fidei, ſed etiam de actu credendi; idque ſuadent ex teſtimonijs Sacrę Scripturę, ſuprà expenſis: Ergò non ſolum habitus, ſed etiam actus fidei eſt eſſentialiter donum Dei per Chriſti gratiam nobis conceſſum, & conſequenter ſupernaturalis quoad ſubſtantiam.

12. Ex quo reijciendus venit Scotus, *in* 3. *diſtinct.* 23. vbi, referente Soto, inquit, *hominem poſſe fide acquiſita aſſentiri toti prædicationi Chriſtianę; imo ita*, inquit, *credimus authoritate Eccleſię, & inſtitutione parentum, qui fide ſuos erudiunt liberos.* Quod ſi ab illo inquiras; ad quid habitus infuſſus fidei? Inquit: *Sed infunditur à Deo fides, tum propter maiorem animi perfectionem, tum propter maiorem certitudinem, & intenſionem in actu credendi.* cui ſententię clarius ſubſcribit Durandus *quæſt.* 1. *in* 2. *ſententiar. diſtinct.* 28. dicens, fidem infuſſam non eſſe neceſſariam, niſi vt facilius credamus. Reijciuntur, inquam, hi AA. & quicumque alij ita ſentientes; nam, vt inquit Sotus de natura, & gratia, *lib.* 2. *cap.* 8. ſalva illuſtrium AA. exiſtimatione, non planè video, quomodo ſit ſatis tutum illorum ſentire. Et merito, quia D. Auguſt. ſic loco citat. proſequitur: *Sed nunc eis reſpondendum eſſe video, qui divina teſtimonia, quæ de hac re adhibuimus, ad hoc dicunt valere, vt noverimus, ex nobis quidem nos habere ipſam fidem, ſed incrementum eius ex Deo, tanquam fides non ab ipſo donetur nobis, ſed ab ipſo tantum augeatur in nobis.* Sanè inter ita reſpondentes comprendi videntur quicumque tenent, actum fidei quoad ſpeciem, & ſubſtantiam eſſe à nobis ex viribus naturę, & ſolum indigere habitu infuſo fidei, eſſeque ex Dei gratia, quoad modum maioris perfectionis, aut maioris certitudinis, aut facilitatis. Contra quos tamen ſic inquit Auguſt. *Non ergò receditur ab ea ſententia, quam Pelagius ipſe in Epiſcopali iudicio Paleſtino, ſicut eadem Geſta teſtantur, damnare compulſus eſt, nempè, gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari, ſi non pertinet ad Dei gratiam, quod credere cœpimus, ſed illud potius, quod propter hoc nobis additur, vt plenius perfectiuſque credamus, ac per hoc initium fidei noſtræ priores damus Deo, vt retribuatur nobis ſupplementum eius.* En vbi Pelagianam appellat ſententiam eorum, qui dicunt non pertinere ad Dei gratiam, quod credamus, ſeù quod credere incipiamus, in quo intelligitur actus fidei quoad ſubſtantiam; ſed ſolum quod plenius, perfectiuſque credamus, in quo intelligitur modus ille maioris perfectionis, ſeù facilitatis, ad quem tantum exigunt prædicti AA. habitum infuſſum fidei, ſeù gratiam Dei. Vide igitur, quam parum tuta ſit ea ſententia.

13. Contra quam ſic vlterius arguit Aguſt. dicens: *Cur non potius audimus: Quis prior dedet illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: Et ipſum igitur initium fidei noſtræ, ex quo niſi ex ipſo eſt?* Et paulò poſt: *Quiſquis igitur hanc damnabilem vult ex omni parte damnare ſententiam, veraciter intelligat dictum Apoſt. Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum vt credatis in eum, &c. Nec ait, vt plenius, & perfectius credatis in eum, ſed vt credatis in eum: Nec ſe ipſum miſericordiam conſequutum dixit, vt fidelior, ſed vt fidelis eſſet.* Et proſequitur, id ipſum ſuadens ex illo Apoſt. *Non ſumus ſufficientes, &c.* Ergò tenendum eſt firmiter actum credendi, non ſolum quoad modum maioris perfectionis, facilitatis, vel certitudinis, ſed etiam quoad ſubſtantiam, & ſpeciem ipſius, nempè, quatenus eſt re ipſa credere ea, quę revelata ſunt, quia divinitus revelata, non eſſe ex nobis ſecundum naturę vires, ſed ex Spiritus Sancti gratia, & conſequenter actum fidei eſſe ſupernaturalem quoad ſubſtantiam. Vndè rectè dixit Sotus loco cit. Vndè colligitur, fidem donum Dei eſſe. Quo circa, fateor, me intelligere non poſſe, quomodo gloſari poſſit, quod ſit donum, non ſimpliciter neceſſarium, ſed ad maiorem perfectionem, ſeù facilitatem; nam hoc ipſum verbum, *donum Dei*, propalam ſignificat, nullatenus quempiam id poſſe naturaliter. Etenim cum dicit Paulus: *Non ex vobis; ſed donum Deò eſt*, quid aliud exprimere voluit, quam quod niſi ex dono Dei fides haberi non poſsit: Pari ergò modo, vbi ait: *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum vt in eum credatis, &c.* Quid aliud eſt, quam dicere, non alia via credere potuiſtis? Quarè optimè illic adnotavit Auguſt. verbum Pauli: *Charitas cum fide à Deo*

Pa-

Patre, & Domino Ieſu-Chriſto, quaſi dixiſſet: Non ſolum charitas, ſed etiam per ſe fides, puta, aſſentiri Evangelio, à ſolo Deo eſſe poteſt, à ſolo inquam Deo præveniente. Hucuſque Sotus, contra Scotum, & Durandum.

14. Deniquè confirmatur ex Div. Thom. qui *in præſenti, quæſt. 6. artic. 1. in corp.* In primis, ad credendum ſupponit duo requiri, nempè, & quod credibilia homini proponantur, & quod homo præſtet ſuum aſſenſum. Quantum ad primam probat fidem eſſe à Deo, ſeù ſupernaturalem, quia ea, quę ſunt fidei, non poſſunt cognoſci, niſi Deo revelante, vel per ſe immediatè, ſicut Apoſt. & Prophetis, vel per Eccleſiam, & ſuos Miniſtros, Authoritate ipſius Dei Myſteria proponentes. Quantum ad ſecundum, ſcilicet, ad aſſenſum præſtādū, duplicem cauſam requirit: *Vna quidem exterius inducens; ſicut miraculum viſum, vel perſuaſio hominis inducentis ad fidem, quorum neutrum eſt ſufficiens cauſa: Videntium enim vnum, & idem miraculum, & audientium eamdem prædicationem, quidam credunt, & quidam non credant: Et ideò oportet ponere aliam cauſam interiorem, quę moveat hominem interius ad aſſentiendum his, quæ ſunt fidei. Hanc autem cauſam Pelagiani ponebant ſolum liberum arbitrium hominis, & propter hoc dicebant, quod initium fidei eſt ex nobis: Sed hoc eſt falſum; quia cum homo aſſentiendo his, quæ ſunt fidei, elevetur ſuprà naturam ſuam, oportet quod hoc inſit ei ex ſupernaturali principio interius movente, quod eſt Deus, & ideò fides; quantum ad aſſenſum, qui eſt principalis actus fidei, eſt à Deò interius movente per gratiam*: Ergò iuxta Div. Thom. actus, ſeù aſſenſus fidei, eſt eſſentialiter ſupernaturalis, & à Deo, vt principio ſupernaturali, neceſſariò procedens.

15. Ne verò dicas, Div. Thom. loqui de aſſenſu fidei quoadmodum tantum, & non quoad ſubſtantiam; in contra eſt, quod *artic. 2.* immediatè inquirit, vtrum fides informis ſit donum Dei, & reſpondet affirmativè; & reddit rationem, quia quod fides ſit formata, vel informis non pertinet ad ſpeciem fidei: *Et quia, dum aſſignatur cauſa alicuius rei, intelligitur aſſignari cauſa eius, ſecundum quod in propria ſpecie exiſtit: Et ideò illud eſt cauſa fidei informis, quod eſt cauſa fidei ſimpliciter dictę: Hoc autem eſt Deus, vt dictum eſt*, nempè art. præcedenti, *vndè relinquitur, quod fides informis ſit donum Dei*: Ergò dum art. præced. defendit, fidem eſſe donum Dei procedens à Deo, vt ſupernaturali principio movente interiùs, loquitur de fide, non quoadmodum aliquem adjectitium, ſed de fide ſecundum quod in propria ſpecie exiſtit, & conſequenter de fide quoad ſubſtantiam. Et valdè notandum eſt, quod oppoſitam ſententiam, ponentem ſolum liberum arbitrium hominis, vt cauſam ſufficientem aſſenſus fidei, tribuit Pelagianis; vndè Pelagianum cenſet dicere, quod fides, quoad aſſenſum, poſsit elici ex viribus proprijs ſolius liberi arbitrij.

16. Deindè probatur concluſio ratione deducta ex ipſo Div. Thom. Quia nemò poteſt credere fide verè theologica viribus ſolius naturę: Ergò fides verè theologica, quoad ſuam eſſentiam, ſeù ſpeciem, excedit vires naturę: Ergò eſt quoad ſubſtantiam ſupernaturalis. Probatur antecedens, in quo ſtat difficultas, quia credere fide verè theologica, eſt aſſentire rebus fidei re ipſa, & vnicè propter Authoritatem divinam revelantem; ſed nemo poteſt ita aſſentire viribus ſolius naturę: Ergò. Probatur minor, quia, dum quis aſſentitur rebus fidei re ipſa, & vnicè propter Authoritatem divinam revelantem, elevatur in hoc aſſenſu ſuprà ſuam naturam, vt inquit Div. Thom. citatus; ſed nemo poteſt viribus ſolius naturę elevari ſuprà naturam, ſed *oportet, quod hoc inſit ei ex ſupernaturali principio interius movente*: Ergò nemo poteſt aſſentiri rebus fidei propter Authoritatem divinam revelantem vnicè, & re ipſa, ex ſolis veribus naturę, ſed ſolum ex virtute ſupernaturalis principij interiùs moventis, quod eſt Deus.

17. Confirmatur primò hæc ratio Div. Thom. nam actus fidei ex ſua eſſentia, & ſpecie eſt actus, quo homo diſcit immediatè à Deo revelante veritates obſcuras, ac ſibi ignotas; ſed homo viribus ſolius naturę non poteſt diſcere à Deo immediatè aliquid: Ergò nec poteſt viribus ſolius naturę elicere actum fidei quoad ſpeciem, & ſubſtantiam. Probatur minor, quia diſcere immediatè à Deo aliquid ignotum, eſt fieri immediatum diſcipulum Dei; Sed homo non poteſt ſolis viribus naturę fieri immediatus diſcipulus Dei: Ergò nec diſcere immediatè aliquid à Deo revelante. Probatur minor, quia fieri immediatum diſcipulum Dei eſt eſſentialiter elevari ſuprà ſuam naturam, quia eſſentialiter eſt ſuprà naturam humanam, & creatam, immediatè doceri à Deo, & ab eo diſcere tanquam immediatus diſcipulus illius; hoc enim evidenter eſt beneficium ſuprà totam exigentiam naturę creatę: Sed nemo poteſt ſe elevare ſuprà ſuam naturam viribus ſolius naturę: Ergò.

18. Confirmatur hic diſcurſus ex illo *Ioan. 6.* vbi cum dixiſſet Chriſtus: *Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum, quem miſsit ille*, poſteà ſubiungit: *Nolite murmurare invicem; nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſsit me tra-*

traxerit eum. Et explicans, quo pacto Pater trahit ad Filium, ſubiungit: *Eſt ſcri, tum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Deī: Omnis, quia audidivit à Patre, & didicit, venit ad me.* Suprà quę verba Auguſt. *lib. de Prædeſtinat. SS. cap. 8.* ſic air: *Valdè remota eſt à ſenſibus carnis hæc ſchola, in qua Pater auditur, & decet, vt veniatur ad Filium, ibi eſt ipſe Filius, quia ipſe, eſt verbum eius, per quod ſic docet :: Simùl eſt & ibi Spiritus Patris, & Filij :: De quo Apoſtolus dicit: Habentes autem eundem Spiritum Fideī :: Multos venire videmus ad Filium, quia multos credere videmus in Chriſtum, ſed vbi, & quomodo à Patre audierēat, & didicerint, non videmus, nimium gratia ēſta ſecreta eſt, gratiam verò eſſe, quis ambigat?* Et item: *Ergò trahè à Patre ad Chriſtum & audire, ac diſcere à Patre, vt veniat ad Chriſtum, nihil aliud eſt, quam donum accipere à Patre, quo credat in Chriſtum :: Fides ēgitur, & inchoata, & imperfecta donum Dei eſt.* Ex quibus manifeſtè colligitur, tanquam dogma Catholicum, & Evangelium, quod credere in Chriſtum eſt propriè venire ad Chriſtum, & conſequenter, quod nemo poteſt ita venire, ac credere, niſi audierit, & didicerit à Patre in Schola illa valdè remota à ſenſibus, in qua Pater auditur, & docet, vbi eſt ipſe Filius, tanquam Verbum, per quod docet, & etiam Spiritus Sanctus, per gratiam nimium ſecretam, quam tamen eſſe gratiam, ambigere non licèt: Ergò nemo poteſt credere in Chriſto, ſeù Evangelio, & his, quę ſunt fidei, niſi diſcat immediatè à Deo, & fiat immediatus diſcipulus Dei in Schola illà ſecreta, & nimium occulta per gratiam ſimiliter ſecretam, & occultam: Sed totum hoc eſſentialiter eſt quid ſupernaturale: Ergò pariter actus fidei.

19. Neque dicas, opus non eſſe ad credendum diſcere immediatè ab ipſo Deo res fidei, ſed ſatis eſſe diſcere mediatè ab ipſo, hoc eſt, mediantibus Prædicatoribus prædicantibus Evangelium, Contra enim eſt, quia Prædicatores Evangelij, & cæteri Miniſtri proponentes res fidei, non ſunt propriè, & formaliter Doctores, aut Magiſtri, à quibus diſcimus ea, quę ſunt fidei, neque enim eorum Authoritate innitimur in credendo, ſed immediatę, & ſolè Authoritate ipſius Dei, & Chriſti, vndè aiebat Chriſtus: *Nolite plures Magiſtri fieri, nec vocemini Magiſtri, vnus eſt enim Magiſter veſter, qui eſt Chriſtus*: Ergò, dum credimus Evangelio, diſcimus immediatè à Deo, & Chriſto, tanquam ab vnico, & immediato Magiſtro, & Doctore, & conſtituimur immediatè diſcipuli ipſius in Schola illa ſecreta, vt inquit Auguſt. Nec hanc immediationem tollit Prædicator extrinſecus intimans Evangelium, aut doctrinam fidei, nam, vt inquit Auguſt. loco citat. *Qui credunt, Prædicatore forinſecus inſonante, intus à Patre audiunt, atque diſcunt; qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt, neque diſcunt, nam Schola illa valdè remota eſt à ſenſibus, & nimium ſecreta, in quo Deus auditur, & docet*: Prædicatio igitur exterior ſolum requiritur tanquam conditio ad exteriorem intimationem fidei: Ergò in Schola illà interiori immediatè diſcimus à Deo revelante, & immediatè efficimur diſcipuli Dei. Nec item Eccleſia tollit talem immediationem, quia Eccleſia ſolum eſt Organum Spiritus Sancti, per quod Spiritus Sanctus loquitur: Et ſicut propriè non diſcimus ab organo loquentis, v.g. à lingua, labijs, aut gutture, ſed ab ipſo, qui tali organo loquitur principaliter: Ita propriè loquendo, dum credimus fide theologica, non diſcimus immediatè ab Eccleſia, ſed immediatè à Deo loquente per Eccleſiam, tanquam per ſuam linguam, & organum. Vndè non promiſsit Chriſtus, *Eccleſia vos docebit*: Sed ille (nempè Spiritus Sanctus) *vos docebit omnia, quæcumque dixero vobis*: Et notandum eſt valdè ly *quæcumque dixero vobis*, quo expreſsè aſſerit, ipſummet dicturum nobis, quę Spiritus Sanctus docet nos per Eccleſiam: Ipſe igitur cum Patre, & Spiritu Sancto eſt, qui immediatè docet Fideles, & à quo immediatè diſcunt, & cuius immediatè diſcipuli efficiuntur credendo, licèt requiratur exterius myſterium prædicantium, tanquam neceſſaria conditio, iuxta illud: *Fides ex auditu, quomodo autem audient ſine prædicante, quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* Cum igitur immediatè diſcere ab ipſo Deo Myſteria fidei eſſentialiter, & quoad ſubſtantiam actus, ſit elevari ſuprà exigentiam totius naturę; inſertur manifeſtè actum credendi, per quem diſcimus ea Myſteria à Deo, eſſe ſuprà exigentiam totius naturę, & conſequenter ſupernaturalem quoad ſubſtantiam.

20. Confirmatur ſecundò ratio D. Thom. quia credere fide verè theologica, & divina, eſt captivare intellectum, & totam ipſius rationem naturalem in obſequium Chriſti, vt explicat Apoſtolus: Sed, dum intellectus ita captivatur, elevatur ſuprà ſuam naturam: Ergò per actum fidei verè theologicę elevatur intellectus ſuprà ſuam naturam. Probatur minor, quia hoc, quod eſt intellectum captivari, quantum ad totum ſuum lumen naturale in obſequium Chriſti excedit manifeſtè vires naturales ipſius intellectus: Ergò per id elevatur ſuprà ſuam naturam. Probatur antecedens, quia nemo captivatur, niſi à ſuperiore vt tali, & ſu-

pe-

peranti vires proprias : Ergò captivari intellectum in obſequium Chriſti ſecundum totum eius lumen naturale fieri nequit, niſi à ſuperante vires naturales ipſius intellectus, aut per virtutem ſuperantem tales vires, nempè per virtutem gratię. Explicatur : Licèt intellectus poſsit viribus naturę captivari ſecundum quid in obſequium, vel aſſenſum alicuius obiecti, quia videlicet ſecundum vnam rationem poteſt eſſe ſuperior ad ſe ipſum ſecundum aliam, tamen adæquatè, & ſimpliciter captivari, ſeù captivare totam ſuam rationem, & lumen naturale manifeſtè excedit vires naturales ipſius, quia alias eſſet adæquatè ſuperior ad ſe ipſum ſecundum totas ſuas vires naturales, quod manifeſtè repugnat, niſi per vires gratię, quę ſuperant vires naturę : Sed per actum fidei credens captivat ſuum intellectum in obſequium Chriſti, non ſecundum quid, & in adæquatè, ſed adæquatè, & ſecundum totam ſuam rationem, & lumen naturale, hoc enim habet fides verè theologica, & divina, ad diſtinctionem fidei humanę, vt infrà magis explicabitur, loquendo de fide hæretici : Ergò.

21. Denique probatur concluſio ratione, ad quam præcedentea reducuntur : Actus, qui eſt ſupernaturalis ex obiecto formali, eſt ſupernaturalis, non præcisè quoadmodum, ſed ſecundum ſuam ſpeciem, quia actus ſpecificatur ex ſuo obiecto formali ; Sed actus fidei verè theologicę eſt ſupernaturalis ex obiecto formali : Ergò ex ſua ſpecie, & non ſolum quoadmodum. Probatur minor : Quia obiectum formale motivum fidei eſt divina authoritas vt actu revelans myſteria fidei, quę ſuperant rationem naturalem, quod quidem eſt apertè motivum formale ſupernaturale : Sed actus, cuius obiectum formale motivum eſt ſupernaturale, eſt ſupernaturalis ex obiecto : Ergò actus fidei eſt ſupernaturalis ex obiecto.

22. Hanc rationem reijcit, Lugo *in præſent.* vt nullam, quia inquit non ſatis probari ex hoc capite ſupernaturalitatem, cum poſsit dari naturalis aſſenſus circa idem obiectum formale motivum, & ſine formidine; & vniverſaliter docet, poſſe dari actus purè naturales circa obiecta virtutum infuſarum, cum eodem formali obiecto motivo, & terminativo : Cum quo ſentiunt plures eiuſdem Scholę RR. & Scotiſtę. Cæterum, quia opinio iſta, præſertim in fide theologica, ſpecialem exigit contradictionem, illam ad ſequentem quæſtionem impugnandam differimus.

23. Interea tamen, ſic arguo : Nullo ex capite probari poteſt ſupernaturalitas actus fidei quoad ſpeciem, ſi non probatur ex obiecto: Sed iuxta Lugo, & cæteros eius ſententię, nõ probatur ex obiecto : Ergò nullo ex capite probari poterit, quod quis dicat? Probatur maior, quia eſſentia actuũ intellectus, & ſpecies eorum ſemper ex obiecto deſumitur, vt eſt communis Philoſophorum doctrina: Ergò ſi ex obiecto nõ habet ſupernaturalitatem, nullo ex capite illam habere poteſt. Secundò : Nam ſi non probatur ex obiecto, qua ratione probari poteſt? Reſpondet Lugo, id probari ex eo quod actus fidei, qui in præſenti datur, exigit habitum, vel auxilium ſupernaturale ex parte principij. Sed contra; quia vndè, rogò, aut ex quo capite probari poterit, actum fidei exigere auxilium, vel habitum ſupernaturalem ex parte principij, ſi non prius probatur ipſum actum eſſe ſupernaturalem ex ſua ſpecie? Hoc autem vndè probari poteſt, niſi ex obiecto formali motivo, à quo actus ſpecificatur? Reſpondet talem indigentiam probari ex Authoritate Conciliorum, & SS. PP. aſſerentium dari habitum infuſum, & conſequenter ſupernaturalem ad credendum, qui quidem habitus non daretur, niſi eſſet neceſſarius, ſaltèm ad connaturaliter eliciendum actum fidei. Sed contra eſt, quia habitum eſſe ſupernaturalem, & infuſum per ſe, probari nequit, niſi ex eo, quod actus, ad quem datur ſit ſupernaturalis, & excedens vires naturę : Ergò prædictus Author committit circulum manifeſtum, probando à priori ſupernaturalitatem actus ex ſupernaturalitate principijs cum tamen ſupernaturalitas principij, vel habitus probari nõ poſsit à priori, niſi ex ſupernaturalitate actus. Antecedens probatur ex communi Philoſophorum axiomate, quod habitus ſpecificantur ab actibus.

24. Nec obeſt, quod, habitum fidei eſſe infuſum, & ſupernaturalem ſatis probetur ex Authoritate Conciliorum, & PP. nam hic non quæritur probatio ab Authoritate, ſed ratio à priori prædictę ſupernaturalitatis. Item, quia, dum Concilia & PP. aſſerunt habitum fidei eſſe ſupernaturalem, & infuſum, & ſimiliter actum non id aſſerunt abſque omni ratione obiectiva, ſed evidenter exprimunt talem rationem obiectivam, nempè actum fidei eſſe tantę excellentię, & perfectionis, vt ad ipſum non ſufficiat natura proprijs viribus : Vndè Auguſt. cum alijs id probat ex illo Apoſtoli : *Non ſumus ſufficientes, &c.* Et Div. Thom. *Quia homo aſſentiendo his, quæ ſunt fidei, elevatur ſupra naturam ſuam*, & ipſa Concilia exprimunt, proptereà requiri auxilium Dei ſupernaturale, quia natura ex ſe, & ex proprijs viribus eſt inſufficiens ad actum fidei, quod dicere non poſſent, niſi in ipſo actu fidei agnoſcerent excellentiam,

&

& perfectionem ſpecificam ſuperantẽ vires naturę: Hanc autem excellentiam, & perfectionem ſpecificam nullo alio ex capite agnoſcere potuerunt, niſi ex obiecto formali motivo, & terminativo ipſius fidei; quia nempè intellectus, credendo, elevatur ad cognoſcenda Myſteria ſupernaturalia propter divinam Authoritatem interius docentem, & revelantem: Ergò ex ipſa Authoritatę PP. & Conciliorũ conſtat manifeſtè, quod ſi actus fidei nõ probatur eſſe ſupernaturalis ex obiecto, nullo ex capite probari poterit. Quod magis conſtabit ex quæſtione ſequenti.

25. Contra præcedentes concluſiones nihil momenti occurrit; ſolum indiget explicatione, quod Div. Thom. *quæſt.* 171 *art.* 2. *ad* 3. ſic ait: *Omne donum gratię hominem elevat ad aliquid quod eſt ſuprà naturam humanam, quod quidem poteſt eſſe dupliciter. Vno modo quantum ad ſubſtantiam actus, ſicut miracula facere, &c. Et ad hoc actus non datur homini donũ gratiæ habituale. Alio modo eſt aliquid ſuprà naturam humanam, quantum ad modum actus, non autem quantum ad ſubſtantiam ipſius; ſicut diligere, & cognoſcere Deum in ſpeculo creaturum, & ad hoc datur donum gratiæ habituale*: Ergò iuxta Div. Thom. ſolum datur donum gratię habituale ad actus naturales, quoad ſubſtantiam, & ſupernaturales, quoad modum: Sed ad actum fidei datur donum gratię habituale, nempè habitus infuſus fidei: Ergò actus fidei ſolum eſt ſupernaturalis quoad modum, non verò quoad ſubſtantiam.

26. Reſpondeo Div. Thom. in prædicto Textu nominare actum naturalem quoad ſubſtantiam, actum ex ſuo genere naturalem, & non excedentem vires naturę: Actum verò ſupernaturalem quoad modum intelligere actum ſupernaturalem ex ſua differentia infima, & ſpecifica, & ex modo intrinſeco tendendi; & in hoc ſenſu tantum aſſerere actum patrandi miracula, & cognoſcendi ſecreta cordium eſſe ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, quia huius generis actus ſemper excedunt vires naturę ex genere ipſo actionis. De actibus verò cognoſcendi, & amandi Deum, inquit, eſſe tantum quoad modum ſupernaturales, id eſt, quantum ad differentiam ſpecificam, quia ex genere, ſeù ex ratione communi diligendi, & amandi Deum non exigitur ſupernaturalitas in illis actibus, ſed tantum ex differentia ſpecifica deſumpta ex obiecto, & motivo formali ſupernaturali; vndè ſemper remanet certum, quod actus fidei ex ſua differentia ſpecifica, quatenus eſt aſſenſus Myſteriorum ſupernaturalium ex motivo ſupernaturali revelationis, ſit eſſentialiter ſupernaturalis in ſenſu præſentis quæſtionis, licèt non in ſenſu, quo loquitur Div. Thom. in illo articulo.

QUÆSTIO V.

VTRUM POSSIT DARI ACTUS fidei ex motivo ſupernaturali?

1. HÆC quæſtio ſub vniverſalioribus terminis ſolet agitari, nempè, an poſsint virtutes naturales tendere ad idem obiectum materiale, & ſub eodem motivo formali, ac virtutes infuſę, ſeù an actus virtutis naturalis differant ſemper ex obiecto, ſaltèm formali motivo, ab actibus virtutum infuſarum, an verò poſsint convenire in eodem obiecto formali motivo. Sed nos quæſtionem ſtringimus ad fidem, tum quia fides acquiſita non eſt virtus, adhùc naturalis, tum quia rationes, quę militant in fide, forſan non militabunt in alijs virtutibus.

2. Igitur duplex eſt ſententia. Prima aſſerit, eſſe poſsibilem, immò, & de facto dari actum naturalem fidei acquiſitę, cuius obiectum, tam materiale, quam formale motivum ſit idem ac obiectum materiale, & formale motivum fidei infuſę, ac proindè vnam ab altera non diſtingui neceſſariò ex obiecto, ſed aliundè. Hanc tenet Molina in Concordia, *diſp.* 7. *§. Noſtram ſententiam, & diſput.* 13. *&* 14. *& diſput.* 32. Salas 2. *tom. in* 1. 2. *tractat.* 11. *diſput.* 6. *num.* 34. P. Coninch. *de Moralitate actuum ſupernaturalium, diſput.* 5. *dub.* 1. 2. *&* 3. & alij RR. Ieſuitę, quos refert, & ſequitur Lugo, *in præſenti, diſput.* 9. *ſect.* 1. Secunda verò eſt communis Thomiſtarum, quos opus non eſt referre, quia inconſequens profectò Thomiſta erit, qui ab ea diſcedere voluerit, immò, & diſcedet manifeſtè à Div. Thomę doctrina, cum Div. Thom. perpetuo doceat actus ſpecificari ab obiecto, & penes diverſa obiecta ſpecificè diverſificari; & non aliter, vndè illam pro concluſione ſtatuto.

NOSTRA SENTENTIA.

3. DICO 1. *Non poteſt dari actus fidei acquiſitæ, ſed naturalis, qui habeat idem omninò obiectum terminativum, & formale motivum ac fides infuſa.* Probatur primò ex illa ratio-

tio

Digitized by Google

tione generali, & philoſophica, nempè, quia actus cuiuslibet potentię ſpecificantur ab obiectis, hoc eſt, menſurantur in vnitate, vel diverſitate ſpecifica, ex vnitate, vel diverſitate obiecti formalis in eſſe obiecti; communiſsimum enim eſt inter Philoſophos probare diverſitatem ſpecificam potentiarum, habituum, & actuum ex diverſitate obiecti in eſſe obiecti, & vnitatem ſpecificam ſimiliter ex vnitate obiecti in eſſe obiecti: Sed actus fidei acquiſitę ſpecificè differt ab actu fidei infuſę, tum primus ſit naturalis, & ſecundus quoad ſpeciem ſupernaturalis: Ergò non poſſunt habere idem omninò obiectum, tam materiale, quam formale, tam terminati, quam motivum. Confirmatur, quia ſi hoc pacto haberent idem omninò obiectum, non eſſet vndè ſpecificè diſtinguerentur, nam ſi vterque actus credit idem, & ex eodem omninò motivo formali, in quo poterit eſſe diſtinctio ſpecifica vnius ab alio?

4. Dices, actus non ſolum ſpecificari penes diverſum obiectum, ſed etiam ex diverſitate principij, & in hoc ſenſu, licèt vterque actus haberet idem omninò obiectum motivum, & terminativum, poſſent diſtingui ſpecificè ex diverſitate principij, quia nempè vnus eſſet ab habitu, vel auxilio ſupernaturali, alter ex ſolis viribus naturę: Quę doctrina poteſt confirmari ex Div. Thom. *quæſt.* 1. *de Vnion. verb. artic.* 5. *in corp.* ſic aiente: *Poteſt conſiderari vnitas, vel pluralitas actionis ex parte principij, quo agēs operatur, & ex hoc dicitur eſſe vna, vel plures ſecūdū ſpeciem.* Sed contra eſt, quod ſubiungit D. Thom. *Nec obſtat, quod actiones recipiant ſpeciem ſecundum obiecta, quia determinatę virtutes, determinata obiecta reſpiciunt.* Ex quo infertur, iuxta ipſum, nunquam actus, vel actiones diverſificari ex diverſitate principiorum, quin etiam diverſificentur ex parte obiecti, nec actus poſſe exigere diſtincta principia, niſi quia reſpiciunt diverſa obiecta formalia: Ergò licèt verum ſit, quod actus fidei acquiſitę, & fidei infuſę exigant diverſa principia, & penes illa diverſificentur ſpecificè, hoc non tollit, ſed potius infert, quod habeant diverſa obiecta, & ex diverſitate illorum in eſſe obiecti diverſificentur: Sed, ſi vterque actus crederet idem omninò, & ex eodem omninò obiecto formali motivo, nullo pacto reſpicerent diverſa obiecta: Ergò nec exigere poſſent diverſa principia.

5. Secundò probatur ratione theologica; quia actus fidei naturalis, ſi haberet idem obiectum terminativum, & motivum cum actu fidei infuſę, crederet idem, & ex eodem motivo formali, quod creditur per fidem infuſam: Sed repugnat actus purè naturalis, quò intellectus credat id ipſum, quod credit per fidem infuſam, & ex eodem motivo formali: Ergò repugnat actus fidei purè naturalis habens idem obiectum formale, ac fides infuſa. Probatur minor; quia quod intellectus credit per fidem infuſam ſunt Myſteria ſupernaturalia, motivum autem formale ipſius eſt, *quia divinitus ſunt revelata*: Sed repugnat actus purè naturalis, quo intellectus credat Myſteria ſupernaturalia, formaliter quia divinitus revelata: Ergò repugnat actus naturalis, &c. Probatur minor, nam actus purè naturalis eſt actus non ſuperans vires naturę, ſed potens elici ab homine proprijs viribus independenter ab auxilio gratię: Sed repugnat intellectum credere Myſteria ſupernaturalia fidei, quia divinitus revelata, ex ſolis viribus proprijs independenter ab auxilio gratię: Ergò repugnat actus purè naturalis, quo intellectus credat Myſteria ſupernaturalia, quia divinitus revelata. Probo minorem, quia, vt quæſtione præcedenti oſtenſum manet, ad credenda Myſteria fidei quia divinitus revelata, non ſufficiunt vires naturę, ſed neceſſariò requiritur auxilium gratię, vt vidimus ex Tridentin. Arauſicano, Div. Thom. Aug. Proſp. Fulg. & alijs PP. ex quibus conſtat eſſe dogma Catholicum, hominem non poſſe ſolis viribus naturę abſque auxilio gratię credere Myſteria ſupernaturalia, quia revelata, neque aſſentire Evangelio Chriſti, vt divinitus tradito: Ergò repugnat intellectum credere Myſteria ſupernaturalia fidei, quia divinitus revelata, ex ſolis viribus proprijs independenter ab auxilio gratię.

6. Confirmatur, quia dum PP. & Concilia exigunt auxilium gratię, & inquiunt non ſufficere vires ſolius naturę ad actum fidei, nihil aliud intelligunt, nec exprimunt pro actu fidei, quam credere Evangelium, ſeù Myſteria noſtrę fidei, quia divinitus revelata: Ergò ſentiunt manifeſtè actum credendi talia Myſteria, quia divinitus revelata, non poſſe eſſe purè naturalem, hoc eſt, ex ſolis viribus naturę: Ergò qui ſentiunt poſſe intellectum ſolis viribus naturę credere Myſteria ſupernaturalia fidei quia divinitus revelata, contradicere videntur Concilijs, & PP. oppoſitum definientibus.

7. Mirum eſt, quot effugia excogitaverint adverſarij ad Authoritatem PP. & Concilior. eludendam: In primis, inquit Lugo, talem actum naturalem eſſe quidem poſsibilem ex ſolis viribus naturę, attamen de facto non dari, ſed omnes actus, quibus Catholici credimus Myſteria ſupernaturalia, quia revelata, eſſe ſupernaturales, ac proindè rectè de illis, PP. & Concilia definiunt indigere auxilio gratię.

8. Sed contra eſt, quia per te eſt poſſibilis actus purè naturalis, quo intellectus credat Myſteria fidei, quia divinitus revelata: Ergò talis actus non excedit vires naturales hominis: Ergò homo viribus proprijs, ſeù naturę poteſt talem actum elicere, & per illum verè credere Myſteria fidei, quia divinitus revelata. Si autem poteſt, vndè infert Lugo intellectum de facto talem actum purè naturalem non elicere? Etenim ſi, vt ipſe fatetur, intellectus poteſt viribus proprijs, & actu naturali credere Myſteria fidei, quia divinitus revelata, & ad hoc non indiget auxilio gratię, alias enim iam ille actus non eſſet purè naturalis, vndè, niſi purè voluntariè, colligi poteſt intellectum nunquam de facto ita credere? Reſpondet, intellectum de facto ita non credere, ſed ſemper credere actu ſupernaturali, & dependenter ab auxilio gratię, quia Deus voluit concurrere per auxilium gratię ad omnem ſimilem actum, vt poſſet, eſſe meritorius vitę ęternę. Sed ſanè hæc ratio purè voluntaria eſt, nam pariter dicere poſſet, omnem actum prudentię, patientię, temperantię, & aliarum virtutem moralium eſſe de facto ſupernaturalem, quia Deus voluit concurrere ad illos auxilio ſupernaturali, vt poſſent eſſe meritorij vitę ęternę; ſed ſicut hoc purè divinatoriè dici poſſet, ita de actu fidei, ſi poteſt eſſe purè naturalis, nam vndè ſanè conſtat, quod Deus ita voluit? Vbi Deus id revelavit? Nam aliundè voluntas Dei conſtare non poteſt: Ergò prædicta ratio, *quia Deus voluit*, eſt purè voluntaria.

9. Explicatur; quia vel hoc, quod eſt credere Myſteria ſupernaturalia, quia divinitus revelata, ex ſe excedit vires naturę, & indiget auxilio gratię, vel non? Si non: Ergò purè voluntariè aſſeritur Deum voluiſſe concurrere auxilio gratię ad talē actum credendi, potiſsimè cum Deus nullum concurſum fruſtra exhibeat in effectum, quando effectus ex ſe tali concurſu non indiget. Si autem ex ſe indiget auxilio gratię: Ergò repugnat ex terminis credere Myſteria fidei, quia divinitus revelata, & quod hoc ſit actu merè naturali, ſiquidem contra rationem actus merè naturalis eſt indigere auxilio gratię, & excedere vires naturę. Nec obſtat titulus, quam prætextat Lugo, nempè, vt actus fidei poſsit eſſe meritorius. Tum, quia vt poſsit eſſe meritorius vitę ęternę, forſan non requiritur, quod ex ſe, & intrinſecè ſit ſupernaturalis, nam iuxta ſententiam valdè probabilem, actus purę naturalis, vt elicitus ex motivo ſupernaturali, & propter finem ſupernaturalem charitatis, poteſt eſſe meritorius vitę ęternę. Tum quia ſaltèm in peccatore ſuperflueret auxilium gratię ad talem actum fidei, quia in ipſo actus fidei non poteſt eſſe meritorius vitę ęternę. Tum denique, quia ſi poſſent dari actus naturales omninò ſimiles actibus virtutum infuſarum circa idem obiectum terminativum, & ex eodem formali motivo, nempè ſupernaturali, poſſet homo per actus purè naturales mereri vitam ęternam, nam hoc abſurdum ſequitur ex oppoſita ſententia, vt infrà conſtabit: Ergò, &c. Vrgetur, quia PP. & Concilia, dum ad actum fidei exigunt auxilium gratię, non hoc fundant, quia Deus voluit, ſed in indigentia intrinſeca liberi arbitrij non potentia credere Myſteria fidei, quia divinitus revelata, niſi ex dono Dei, & auxilio divinę gratię: Ergò ſi ſemèl negetur huiuſmodi indigentia, nulla ſuppetit fundamentum PP. & Concilijs, ſed ſola ratio purè voluntaria: Quod quis dicat?

10. Reſpondent ſecundò alij, quod credere Myſteria fidei, quia divinitus revelata, poteſt intelligi dupliciter, vel firmiter, & ſine formidine vlla, vel cum formidine falſitatis: Dum ergò PP. & Concilia exigunt auxilium gratię ad credenda Myſteria fidei, quia divinitus revelata, id exigunt ad credere firmiter, non autem ad credere cum formidine: Ex quo ſolum infertur, non poſſe intellectum actu merè naturali credere Myſteria fidei firmiter, quia divinitus revelata, non autem quod non poſsit cum formidine. Sed contra eſt, quia repugnat intellectum credere Myſteria fidei re ipſa, & vnicè quia divinitus revelata revelatione infallibili, & quod hic aſſenſus non ſit intrinſecè firmus, & ſine formidine: Sed vt credat ex eodem motivo, ac fides infuſa, debet credere Myſteria fidei re ipſa quia divinitus revelata revelatione infallibili: Ergò nequit credere idem, & ex eodem motivo formali fidei infuſę, niſi firmiter, & ſine formidine: Sed hoc iuxta ſolutionem repugnat per actum merè naturalem, aut ex ſolis viribus naturę: Ergò repugnat actus fidei naturalis ex eodem motivo formali fidei infuſę. Cætera patent, & maior probatur, nam firmitas, vel infirmitas aſſenſus ex motivo, cui talis aſſenſus innititur, debet provenire: Sed implicat credere Myſteria fidei re ipſa, & vnicè, quia divinitus revelata revelatione infallibili, & quod ex motivo iſto aſſenſus ſit formidoloſus, & non potius intrinſecè firmus, & abſque vlla formidine: Ergò implicat, quod credat ex prædicto motivo, quin talis aſſenſus ſit firmus, & ſine formidine, intrinſecè, & ex natura ſua.

11. Explicatur; nam fides infuſa non aliundè probatur exigere firmitatem in ſuo aſſenſu, niſi quia innititur pro motivo divina Authoritate, vt infallibiliter revelante, quę non po-

poteſt obiectivè movere ad aſſenſum rei revelatę, niſi firmando intellectum in tali aſſenſu; nam quomodo intellectus poterit eſſe dubios, aut formidare de veritate rei revelatę, quando certificatur de ipſa obiectivè per divinam revelationem vt infallibilem? Sed iuxta Authores contrarios, fides acquiſita hoc eodem motivo formaliter, & re ipſa inniteretur : Ergò eſſet firma, & ſine formidine, & ſimùl viribus ſolius naturę exercita. Nec hoc diffitetur Lugo, Coninch. & cæteri RR. oppoſitę ſententię, qui cum Molina cenſent, per actum naturalem, ſeù viribus naturę, poſſe intellectum etiam firmiter, & ſine formidine credere Myſteria fidei quia revelata, ſeù ex eodem motivo fidei infuſę, vndè prædicta evaſione vti non poſſunt. Immò contra illos vrgentius militant teſtimonia PP. & Conciliorum ſuprà expenſa, quia ſi poteſt quiſque actu merè naturali, ſeù ex ſolis viribus naturę credere firmiter Myſteria noſtrę fidei, & cōſequēter Evangelium, re ipſa, & vnicè quia divinitus revelatum : Ergò falluntur PP. & CC. dum abſolutè definiunt, neminem poſſe credere Evangelio, niſi ex dono, & auxilio gratię, quod ſaltèm intelligi debet de credere firmiter propter Authoritatem Dei revelantis. Propterea

12. Reſpondent tertiò, PP. & CC. loqui de credere prout oportet ad ſalutem, ſeù prout conducit ad iuſtificationem : Et hoc pacto verum eſſe, neminem credere poſſe ſine auxilio gratię, quia caſu, quo crederet actu merè naturali, hic non conduceret ad iuſtificationem. Sed contra eſt, quia credere Myſteria ſupernaturalia noſtrę fidei firmiter, & vnicè quia divinitus revelata, eſſentialiter eſt actus conducens ad ſalutem, & iuſtificationem : Ergò ſi id fieri poſsit actu merè naturali, & ex ſolis viribus naturę, poterit quiſque ex ſolis viribus naturę credere prout conducit ad ſalutem, & iuſtificationem. Probatur antecedens, quia actus, quo quis firmiter, & ſine formidine adhæret, & inhæret Deo vt Authori ſupernaturali, non poteſt non conducere poſitivè ad ſalutem, & iuſtificationem : Sed credere firmiter Myſteria noſtrę fidei re ipſa, & vnicè quia divinitus revelata, eſt adhærere, immò & inhærere Deo vt Authori ſupernaturali : Ergò taliter credere eſſentialiter eſt actus conducens ad ſalutem, & iuſtificationem. Maior videtur per ſe nota. Minor verò probatur, quia credere firmiter Myſteria noſtrę fidei re ipſa, & vnicè quia divinitus revelata, eſt adhærere firmiter Deo vt revelanti Myſteria noſtrę fidei, & ipſi inhærere per talem aſſenſum, ſiquidem eſt firmiter credere Deo vt revelanti, & ipſi vt revelanti inhærere in tali aſſenſu, vt ex terminis liquet : Sed Deus vt divinitus revelans Myſteria noſtrę fidei eſt formaliſsimè Deus vt Author ſupernaturalis, ſiquidem, vt omnes Theologi fatentur, Deus non poteſt revelare Myſteria ſupernaturalia, niſi vt Author ſupernaturalis, immò nec veritates naturales per propriam loquutionem vt ſuprà probabam, *diſput.* 2. *quæſt.* 1. *à num.* 3. Ergò credere firmiter Myſteria noſtrę fidei re ipſa, & vnicè quia divinitus revelata, eſſentialiter eſt adhærere, & inhærere Deo vt Authori ſupernaturali.

13. Nec obſtat, ſi dicas, quod per tale credere ſolum adhæret intellectus Deo vt primę veritati in dicendo, non autem ei ſub ratione ſummi boni, hoc autem ſecundum eſt, quod conducit ad iuſtificationem. Contra enim eſt, quia adhærere Deo vt primę veritati ſupernaturaliter revelanti, licèt non ſufficiat, conducit tamen ad iuſtificationem, quia conducit vt voluntas adhæreat ei vt ſummo bono; qua adhæſione proximè diſponitur ad iuſtificationem : Ergò. Explicatur : Quia fides infuſa poſitivè conducit ad iuſtificationem iuxta omnes Theologos, immò, & hoc eſt dogmma Catholicum definitum in Tridentina Synodo *Seſſ.* 6. *& iuſtific. cap.* 4. *&* 8. Sed cur rogo? Sanè non alia ratione, niſi quia per illam creditur Deus vt Author ſupernaturalis, & eius Myſteria, quia divinitus revelata, ex hoc enim oritur, quod credens in Deum, liberè movetur in ipſum, credens Deum vt remuneratorem, concipit timorem Gehenę, & ſpem Glorię, & ſic diſponitur ad iuſticationem : Sed ſi per fidem acquiſitam credi poſſunt eadem Myſteria, & obiecta, & ex eodem motivo, nempè re ipſa quia divinitus revelata, talis fides idem omninò præſtabit, ac infuſa : Ergò.

14. Contra ſecundò : Quia credere firmiter Chriſtum, & eius Myſteria, quia divinitus revelata, eſſentialiter eſt venire ad Chriſtum, immò, & immediatè diſcere ab ipſo, & à tota Trinitate in ſchola illa ſecreta mentis, vbi Deus loquitur per verbum, in Spiritu Sancto, vt vidimus ſuprà ex Auguſtino, *quæſt. præced. à num.* 18. Sed hoc eſſentialiter eſt quid conducens ad iuſtificationem : Ergò ſi per fidem acquiſitam poteſt quis credere firmiter Chriſtum, & eius Myſteria verè, & re ipſa quia divinitus revelata, talis fides conducere poterit poſitivè ad ſalutem.

15. Contra tertiò, quia credere, ex fide, qua quis verè Fidelis, & Chriſtianus efficitur, non poteſt non conducere ad iuſtificationem, & ſalutem, ſiquidem eſt fieri verè membrum Chriſti : Sed credere firmiter Evange-

lio, & eius Myſteria, re ipſa, & vnicè, quia divinitus revelata, eſt credere ea fide, qua ita credens verè Chriſtianus, & Fidelis efficitur: Ergò ita credere conducit ad ſalutem. Probatur minor, quia ſi ita credens per hoc non fieret verè Fidelis, & Chriſtianus, poſſet contingere, quod quis firmiter crederet Evangelio, & omnia Myſteria, quę docet Eccleſia, vnicè, & re ipſa, quia divinitus revelata, & tamen, quod non eſſet verus Fidelis, nec Chriſtianus, quia nempè hoc viribus ſolius naturę præſtaret per actum merè naturalem: Sed hoc dici nequit: Ergò.

16. Contra quarto: Quia credere prædicto modo eſt captivare intellectum in obſequium Chriſti: Sed hoc in primis eſt ſatis ad verum Chriſtianum efficiendum; deindè formaliſsimè eſt quid conducens ad iuſtificationem, & ſalutem: Ergò credere prædicto modo eſt actus conducens ad ſalutem, & ſufficiens ad efficiendum verum Chriſtianum. Probatur maior; quia credere firmiter Evangelio, & eius Myſteria vnicè quia divinitus revelata, eſt formaliſsimè ſubijcere totam rationem naturalem intellectus divinę Authoritati vt revelanti, & illi credere, & cedere in rebus rationem naturalem ſuperantibus, qualia ſunt Evangelium, & eius Myſteria: Sed hoc eſt formaliſsimè captivare intellectum in obſequium Chriſti: Ergò.

17. Contra quintò: Quia credere prædicto modo Evangelio, & eius Myſteria eſt credere fide verè theologica, & divina, ſiquidem eſt credere re ipſa Deo, propter ipſius divinam Authoritatem, innitendo; & inhærendo divinę Authoritati, tanquam motivo vnico, & formali: Sed vt conſtat ex quæſtione præcedenti, repugnat credere fide verè divina, & theologica, ſolis viribus naturę, & abſque auxilio gratię: Ergò.

18. Reſpondebis, totum hoc nihil probare contra adverſarios, fatentur enim, quod credere firmiter Evangelio, & eius Myſteria, quia divinitus revelata, ſi credantur fide infuſa, & ſupernaturali, conducit poſitivè ad iuſtificationem, & ſalutem, eſtque actus excedens vires naturę, & quoad ſubſtantiam ſupernaturalis, & ita creduntur de facto à Fidelibus, & proptereà PP. & Concilia rectè aſſerunt ad ita credendum non ſufficere liberum arbitrium. Cæterum hoc non tollit, quod ſit poſsibilis actus merè naturalis, quo intellectus prædicta obiecta credere poſsit ex eodem motivo divinę Authoritatis revelantis, qui quidem actus tunc non conduceret poſitivè ad ſalutem, quia nullus actus naturalis poteſt diſponere poſitivè ad iuſtificationem, vt tenent communiter Theologi, nec excederet vires naturę, nam hoc eſt contra rationem actus purè naturalis.

19. Sed contra eſt; quia hæc ſolutio manifeſtè petit principium. Nos enim probamus intellectum non poſſe ita credere per actum merè naturalem, quia ita credere eſt verè, & propriè adhærere, & inhærere Deo, vt Authori ſupernaturali revelanti: Eſt venire ad Chriſtum, & diſcere ab ipſo immediatè in ſchola mentis ſecreta: Eſt fieri verum Chriſtianum, & Fidelem: Eſt captivare intellectum in obſequium Chriſti: Et denique eſt credere fide verè divina, & theologica, quia totum hoc habet fides ex obiecto terminativo, & motivo, nempè, quia credit Myſteria ſupernaturalia, re ipſa, & vnicè, quia divinitus revelata per Chriſtum; & quia totum hoc repugnat actui merè naturali, & ex ſolis viribus naturę elicito: Ergò reſpondere quod ſi totum hoc fiat per actum merè naturalem, non repugnat, eſt mera petitio principij, & ſupponere, vt poſsibile, id ipſum, quod eſſe impoſsibile probamus.

20. Contra ſecundò; quia dum PP. & Concilia aſſerunt intellectum non poſſe credere ſine auxilio gratię, aut ex ſolis viribus liberi arbitrij, planè loquuntur de eodem credere, de quo Pelagius loquebatur, alias non contradicerent directè Pelagio, nec ipſi ſe opponerent, ſi nempè de alio credere diſtincto loquerentur, de quo ipſe non affirmaſſet poſſe fieri ſolis viribus liberi arbitrij: Sed Pelagius nunquam aſſeruit intellectum ex ſolis viribus liberi arbitrij poſſe credere actu ſupernaturali; hoc enim in mentem ipſius venire non potuit, cum apertiſsimam importet contradictionem ex ipſis terminis; ſed ſolum loquebatur de actu purè naturali, ſiquidem loquebatur, de credere ex ſolis viribus liberi arbitrij: Ergò dum PP. & CC. illi directè cõtradicũt, excludũt manifeſtè non ſolum actum ſupernaturalem, ſed multò magis actum merè naturalem, quo intellectus ex ſolis viribus liberi arbitrij poſsit credere Evangelio, & eius Myſteria, quia divinitus revelata. Explicatur: Controverſia inter PP. & CC. ex vna parte, & Pelag. ex alia, an nempè poſſet homo ex ſolis viribus liberi arbitrij credere Evangelio, aſſerente Pelagio, reluctantibus PP. & CC. manifeſtè procedebat de eodem credere. Rogò igitur ab adverſarijs, de quo credere erat controverſia illa dogmatica? Si dicant quod de credere per fidem infuſam, & ex auxilio ſupernaturali, ſeù de credere ſupernaturali, manifeſtè falluntur, nam de ita credere, nec Pelagius, nec vllus, quantumvis bardus, & hebetiſsimi ingenij, de hoc credere aſſereret poſſe elici ex ſolis viribus liberi arbitrij: Si

au-

autem dicant, quod loquebantur de credere, prout oportet ad iuſtificationem, & ſalutem; rogò vlterius, quodnam credere ſit, quod oportet ad iuſtificationem, & ſalutem, de quo erat controverſia inter PP. & Pelagiū? Si dicant quod credere per actum ſupernaturalem, manifeſtè falluntur, quia de hoc, vt oſtenſum manet, non poterat eſſe controverſia, an eſſet ex ſolis viribus liberi arbitrij. Si de credere per actum naturalem, ſimiliter non poterat eſſe controverſia, quia nec PP. aſſererent, quod ad credere per actum merè naturalem non ſufficiebant vires liberi arbitrij, cum de eſſentia actus merè naturalis ſit poſſe elici ex ſolis viribus liberi arbitrij: Ergò controverſia inter PP. & Pelagium, erat de credere firmiter Myſteria fidei, quia divinitus revelata, abſtrahendo ex parte ſubiecti controverſię à credere naturali, & credere ſupernaturali, nam aliter non poterat eſſe controverſia de eodem ſubiecto; & de hoc credere conveniebant PP, & Pelag. quod conduceret ad ſalutem, & iuſtificationem, & propterea errabat Pelag. non quia diceret, quod ita credere ad ſalutem conducebat, nam in hoc à PP. impugnatus non fuit, ſed quia dicebat ſufficere vires liberi arbitrij ad ita credere: Sed iuxta contrarios id ipſum poſsibile aſſeritur, dum dicitur eſſe poſsibilem actum merè naturalem, quo quis credat firmiter Evangelio, & eius Myſteria, quia divinitus revelata, quia idem eſt formaliſsimè credere actu merè naturali, ac ſufficere vires liberi arbitrij ad ita credere: Ergò.

21. Et hinc infertur, quam meritò oppoſita ſententia olim impugnata fuerit à Thomiſtis, eo quod videretur coincidere cum errore Pelagij; nam ſanè Pelagius ſolum videtur aſſeruiſſe poſſe hominem ex ſolis viribus liberi arbitrij, & conſequenter per actum merè naturalem, credere, voluntariè, & firmiter Evangelio, & cuius Myſteria, tanquam divinitus revelata; & in hoc poriſsimè impugnatur, & contradicitur ab Auguſt. Proper. & Fulgentio, & à Concilio Arauſiano, vt videre licèt locis quæſtione præcedenti expreſsis, vbi núquam legitur PP. contradixiſſe Pelag. tanquam aſſerenti, ſufficere vires liberi arbitrij ad credendum actu ſupernaturali, ſed vnicè, quia aſſerebat ſufficere liberum arbitrium ad credendum firmiter, & abſolutè Myſteria noſtrę fidei, tanquam divinitus revelata: Ergò qui hoc ipſum aſſerit, licèt poſteà dicat, ſolum id eſſe poſſibile per actum fideī merè naturalis, colligi videtur coincidere cum ipſo errore Pelagij.

22. Explicatur: Licèt PP. agnoſcerent Pelagium manifeſtè loqui de actu merè naturali, non ideò ipſi contradicebant, eo quod talis actus non poſſet conducere ad ſalutem, ſed potius ex oppoſita ratione, quia videlicet ſupponebant quod taliter credere, nempè firmiter, & propter divinam Authoritatem revelantem, non poterat non conducere ad ſalutem, & ideò reputabant, tanquam hæreſim divinę gratię adverſam, dicere, quod homo poſsit ita credere ex ſolis viribus liberi arbitrij, & conſequenter per actum merè naturalem: Sed ſi PP. exiſtimarent poſsibilem actum naturalem credendi firmiter Myſteria fidei quia divinitus revelata, qui non conduceret ad ſalutem, oppoſito modo contra Pelagium procederent, nempè concedēdo, vel permittēdo ipſi, quod ſufficerent vires liberi arbitrij ad ita credere, & negādo, quod cōduceret ad ſalutē, & ad iuſtificationē: Ergò cōtroverſia illa non fuit de conducentia, vel non conducentia actus credendi ad ſalutem, ſed potius procedebat de actu credendi; qui ex communi conſenſu Pelagij, & Auguſtini conduceret ad ſalutē, & tota lis erat, an talis actus poſſet eſſe naturalis, & ex ſolis viribus liberi arbitrij, an neceſſario deberet eſſe ſupernaturalis, & ex viribus gratię? Pelagio primum, Auguſtino ſecundum propugnante.

23. Confirmatur, quia ſi eſt poſsibilis actus merè naturalis, quo quis credat voluntariè, & firmiter Evangelio, & eius Myſteria, quia divinitus revelata: Ergò poteſt quiſque ex ſolis viribus liberi arbitrij conari ad talem actum. Ponamus ergò, quod ad ipſum conetur: Vel ergò ex tali conatu, ſequetur actus fidei naturalis, vel actus fidei ſupernaturalis? Si dicas, quod, poſito tali conatu, ſemper ſequitur actus fidei, non purè naturalis, ſed ſupernaturalis, quia Deus de facto, quotieſcumque videt liberum arbitrium conari ad cred endum firmiter Evangelium propter divinam Authoritatem in præſenti providentia ſemper ſe ingerit concurrendo per modum Authoris ſupernaturalis per auxilium gratię, vt actus fidei evadat ſupernaturalis, & conducens ad ſalutem, & iuſtificationem, ſi, inquam, hoc dicas, manifeſtè incides in errorem Semipelagianorum, quorum ſententia erat, initium bonę voluntatis eſſe à nobis ex viribus liberi arbitrij, quo à Deo inſpecto, aiebant, Deum concurrere per ſuam gratiam, vndè aiebat Abbas Cheremon. in Collationibus Caſian. *Collat. 13. cap. 13. Cum in nobis Deus ortum bonæ voluntatis inſpexerit, illuminat eam confeſtim, atque confortat, & incitat ad ſalutem, incrementum tribuens ei, quam vel ipſe plantavit, vel noſtro conatu viderit emerſiſſe.* De qua ſententia in Annotationibus eiuſdē Caſiani, *Annot.* 20. ſic

ſic dicitur : *Hæc Cheremonis Abbatis ſententia prorſus hæretica eſt.* Si verò dicas, quod ſuppoſito tali conatu ex viribus liberi arbitrij, ſequitur ſolum actus fidei naturalis : Ergò ſæpè contingere poterit, immò & de facto contingret hominem ex ſolis viribus liberi arbitrij eredere actu merè naturali Evangelio, & eius Myſteria firmiter, quia divinitus revelata. Si autem id dicatur, vlterius rogo, ille qui ita crederet eſſet ne verus Chriſtianus, vel non? Si eſſet verus Chriſtianus : Ergò tandem conceditur poſſe quemlibet ſolis viribus liberi arbitrij fieri verum Fidelem, & Chriſtianum, & conſequenter verum membrum Chriſti, quod manifeſtè eſt error impugnatus ab Auguſt. contra Pelag. Si autem non eſſet verus Chriſtianus : Ergò plures erunt de facto verè, & firmiter credentes Evangelio,& omnia Myſteria, quę tenet,& docet Ecclesia, quia divinitus revelata, qui tamen nō ſint verè Fideles,& Chriſtiani,ſed re ipſa infideles : Hoc autem omni abſurdo intolerabilius eſt; nec puto ab vllo vnquam deglutiri poterit.

24. Dices cum Lugo, non ſolum de facto non dari fidem merè naturalem, qua quis firmiter credat omnia,quę teneat S. M. E. propter divinam Authoritatem revelantem; ſed nec dari etiam de facto conatum voluntatis efficacem ad ita credendum per actum merè naturalem, quia Deus voluit, propter plures congruentias, actum fidei, & conatum voluntatis ad ipſum non procedere ex ſolis viribus liberi arbitrij, ſed ſemper ex auxilio ſuę gratię. Sed contra; quia ſi ſemel ſupponatur poſsibilitas talis actus merè naturalis,purè divinatoriè, negatur quod voluntas de facto ſæpè conetur ex ſolis viribus liberi arbitrij ad ipſum; nam ſanè Deus per gratiam nullatenus impedit vires liberi arbitrij, nec eas ligat, ne conentur intra propriam ſphęram ad actus naturales, ſibique naturaliter poſsibiles : Ergò vel negandum eſt talem actum fidei merè naturalem eſſe poſsibilem, vel concedendum eſt, liberum arbitrium poſſe abſque vllo impedimento ex ſolis viribus proprijs conari ad ipſum efficaciter, id eſt,totis ſuis viribus, & quantum poſsit, vt eum eliciat: Si autem ita poteſt, & nullum eſt impedimentum per gratiam : Ergò ſæpè ita conabitur, & ipſum de facto eliciet, vel ſaltèm, nullo fundamento id negari poterit, niſi purè divinando. Vndè ſic vrgeo:Quiſque poteſt ex viribus liberi arbitrij conari ad quemcunque actum naturalem, ſivè naturaliter poſsibilem : Sed iuxta contrarios eſt poſsibilis actus naturalis credendi omnia Myſteria fidei, quia divinitus revelata: Ergò poteſt quiſque conari ex ſolis viribus naturę ad ea ita credenda. Cur ergò, ita de facto plures non credent, quando quidem poſſunt, & nullum habent impedimentum per gratiam? Si autem plures ita credunt, hoc eſt, ex ſolis viribus liberi arbitrij, rogo : Vel iſti ſunt veri Chriſtiani, vel non? Si ſunt : Ergò ex ſolis viribus liberi arbitrij fiunt veri Chriſtiani, in quo conſiſtebat hæreſis Pelagiana. Si non ſunt : Ergò erunt de facto plures credentes firmiter omnia, quę tenet S. M. E. quia divinitus revelata, qui tamen non ſint verè Chriſtiani, nec Fideles. Sanè contrarij AA. vnum ex his duobus abſurdis neceſſariò incurrunt, nempè,vel ex ſolis viribus liberi arbitrij poſſe quemque fieri verum Fidelem, & Chriſtianum, vel de facto plures eſſe credentes omnia, quę tenet S. M. E. quia divinitus revelata, qui verè Fideles non ſint.

25. Tertiò probatur concluſio: Quia ſtante eodem obiecto motivo, & terminativo in actu fidei, implicat quod vnus actus fidei ſit ſupernaturalis, & alius purè naturalis quoad ſubſtantiam : Ergò implicat, quod ex eodem motivo, & circa idem obiectum terminativum ſit poſsibilis actus naturalis, & actus ſupernaturalis fidei. Probo antecedens, nam ſi vterque actus habet idem obiectum motivum,& terminativum, nulla poteſt eſſe in illis differentia,cur vnus indigeat auxilio gratię, & non alter : Sed eo ipſo, non poteſt vnus eſſe ſupernaturalis, & alius purè naturalis : Ergò. Probo maiorem, quia ſtante eodem obiecto motivo, & terminativo, vterque credit firmiter Myſteria ſupernaturalia vnicè, & re ipſa, quia divinitus revelata : Vel ergò ex hoc capite exigitur auxilium gratię ad ipſum, vel non? Si ex hoc capite:Ergò vterque indiget auxilio gratię, ſiquidem in hoc capite vterque convenit. Si non ex hoc capite: Ergò nullum eſt caput differentię, vel aſsignent contrarij, in quo iſta differentia ſita ſit.

26. Dices primò, differentiam eſſe; quia vnus credit, prout oportet ad ſalutem, alter ſecùs. Sed contra, quia huius rationem inquiro; nam vterque credit firmiter eadem Myſteria ſupernaturalia, & ex eodem motivo, nempè, quia divinitus revelata : Cur ergò vnus credit prout oportet, & alter ſecùs? Aſsigna rationem. Si dicas,quia vnus procedit ex auxilio gratię, & alter ex ſolis viribus naturę, en manifeſtum circulum; nam probas, quod vnus procedit ex auxilio gratię, & alter ſecùs, quia vnus credit prout oportet, & non alter; & hoc ipſum iterum probas, quia vnus indiget auxilio gratię,ſecùs alter : Ergò committis manifeſtum circulum. Vrgetur, nam cum inquis procede-

Digitized by Google

te ex auxilio gratię, vel intelligis, quod procedit pro mero libito Dei ex auxilio gratię, vel ex indigētia intrinſeca? Si pro mero libito Dei: Ergò credēs illomet actu, vt ipſomet actu credat, nō indiget auxilio gratię, ſed Deus pro mero libito ſe ingerit cōcurrēdò concurſu ſuperabūdāti, & intrinſecè non exactò ex parte credentis ad ita credendum; quod ſi fatearis, in primis ſequitur talem actum non eſſe intrinſecè, & quoad ſubſtantiam ſupernaturalem contra tuam ipſam ſententiam, quia intrinſecè non indiget auxilio ſupernaturali. Item ſequitur, ita credentem gratias nō debere Deo vt Authori ſupernaturali, quia eius concurſu non indigebat; quod ſi ſe vltro ingeſsit ad ita concurrendum, potius videtur Deum ambitioſo quodam affectu voluiſſe habere partem in tali actu, quam ex miſericordia ſuccurrere indigentię liberi arbitrij; quod quis dicat? Si autem dicas, quod ex indigentia intrinſeca liberi arbitrij ad ita credendū: Ergò debes aſsignare aliquod prædicatū intrinſecum in illo actu, vi cuius indigeat auxilio gratię, quod quidem prædicatum non inveniatur in alio actu: Hoc autem prædicatum non poteſt eſſe credere prout oportet, ſi credere prout oportet probatur ex indigentia auxilij gratię; & non aliundè: Ergò aſsignari debet aliud caput differentię.

27. Dices ſecundò, caput differentię eſſe, quòd vnus importat proportionem ad finem, & beatitudinem ſupernaturalem, ſecùs alter. Sed contra, quia in quo ſtat iſta proportio, vel improportio? Si enim vterque credit eadem Myſteria, & propter eandem divinam Authoritatem, vt infallibiliter revelantem, vterque voluntariè, & vterque firmiter, & abſque formidine, cur vnus erit proportionatus, & alter improportionatus? Sanè hoc eſſe non poteſt, niſi propter aliquam perfectionem intrinſecam, & ſpecificam, in qua differat vnus ab alio: Quęnam igitur eſt hæc perfectio ſpecifica, diverſa in vno, ac in alio? Hanc debent contrarij ſpecialiter exprimere, & aſsignare, nam ſi non aſsignant, convincuntur manifeſtè purè voluntariè attribuere vni actui indigentiam auxilij gratię, & convenientiam; ſeu proportionem ad finem ſupernaturalem; quam alteri negant.

28. Dices tertiò, differentiam eſſe, quia vnus credit firmiter firmitate infallibili, & hic eſt ſupernaturalis, & conducens ad ſalutem, alter verò, licèt credat firmiter, non tamen omninò infallibiliter, quia cū ſit naturalis, nullo ex capite ei repugnat falſitas. Sed contra, quia repugnantia falſitatis in vno pręalionon poteſt eſſe, niſi vel ex parte principij, vel ex parte obiecti: Rogò igitur, ex quo capite vnus ex illis actibus repugnat falſitati, ſecùs alter? Et quidē reſpōdere nequis, quod ex parte obiecti, quia ſupponimus vtrumque actum habere formaliſsimè idem obiectum motivum, & terminativum: Reſtat igitur, quod reſpondeas, talem falſitatis repugnantiam illi actui provenire à priori ex parte principij, nempè, quia intrinſecè indiget provenire ex auxilio gratię, & à Deo Authore ſupernaturali, qui non poteſt eſſe Author falſitatis: Ergò iterum petis principium, & incurris manifeſtum circulum; ſiquidem probas talem actum indigere auxilio gratię, quia intrinſecè repugnat falſitati, cum tamen aliundè probare non poſsis repugnare falſitati, niſi quia intrinſecè exigit procedere ex auxilio gratię.

29. Contra ſecundo, quia ſi actus alter, quem naturalem vocas, innitur eodem ipſiſsimo motivo formali, nempè divinę Authoritati vt infallibiliter revelanti, etiam intrinſecè repugnabit falſitati, & erit intrinſecè infallibilis: Ergò nulla erit vtriuſquè differentia. Probo antecedens ex doctrina Div. Thomę, ſuprà expenſâ, *diſput. 1. quæſt. 9. à num. 35.* quia ratio à priori, quarè fidei divinę repugnat ſubeſſe falſum, iuxta Div. Thom. eſt, quia veritas prima eſt ratio formalis motiva fidei, & ſub veritate prima nihil falſum ſtare poteſt: Sed ſi ratio formalis motiva vtriuſque actus eſt eadem ipſiſsima, vt ſupponit ſententia contraria, hæc ratio ęquè militat in vtroque actu: Ergò vel vterque, vel neuter repugnabit intrinſecè falſitati.

30. Dices forſan, rationem formalem vtriuſque actus eſſe divinam Authoritatem, vt revelantem exiſtimativè, attamen in actu ſupernaturali eſſentialiter exigi; quod Authoritas divina ſupponatur ita revelans in re, ſicuti exiſtimativè proponitur, & hoc non ſupponi eſſentialiter in actu fidei naturalis, ſeu acquiſitę. Sed contra eſt; quia ſi ratio formalis motiva vtriuſque fidei eſt præcisè Authoritas divina, vt revelans exiſtimativè, exiſtimatione fallibili, implicat, quod fides, quam appellant ſupernaturalem, intrinſecè, & eſſentialiter ſupponat revelationem ita eſſe in re, ſicut exiſtimatur: Ergò non poterit repugnare intrinſecè falſitati: Probatur antecedens, quia nullus actus ſupponit eſſentialiter ex parte obiecti, niſi rationem formalem obiectivam, & quidquid ad illam neceſſario exigitur, ſiquidem ſtante ratione formali motiva alicuius actus; & quidquid ad illam exigitur, nihil amplius ex parte obiecti requiritur: Sed ſi ratio formalis obiectiva fidei ſolùm eſt Authoritas divina, ſeu divina revelatio, vt exiſtimata, exiſtimatione fallibili, ad

ad hanc rationem formalem non exigitur eſſentialiter, quod ſupponatur Authoritas divina, ita revelans in re: Ergò implicat quod talis actus ſupponat eſſentialiter revelationem divinam ita ſe habere in re. Recole ſup. dict. vſque ad *num.* 47.

31. Quartò probatur concluſio ab abſurdo, quia ſi ſemèl admittitur poſsibilis actus naturalis fidei ex eodem motivo ſupernaturali fidei infuſę, conſequenter debet etiam admitti poſsibilis actus ſpei naturalis ex eodem motivo ſpei infuſę, & actus charitatis naturalis ex eodem motivo charitatis infuſę, immò & timor Dei naturalis ex eodem motivo timoris ſupernaturalis, attritio, & contritio naturalis ex eodem motivo attritionis,& contritionis ſupernaturalis: Ex quo planè infertur, quod poterit quiſque ex ſolis viribus liberi arbitrij, non ſolum credere firmiter omnia quę tenet S.M.E. quia divinitus revelata,ſed ſperare firmiter beatitudinem innitendo obiectivè divinę miſericordię, & omnipotentię vt auxilianti, item diligere Deum ſuper omnia propter ſe ipſum,dolere de peccatis per actum verę attritionis, & contritionis ex motivo ſupernaturali, & totum hoc actibus naturalibus,& ex ſolis viribus naturę: Sed hoc vel eſt ipſa hæreſis Pelagiana, vel error illam excedens: Ergò. Sequela patet, quia non eſt minus ſupernaturale motivum fidei, & obiectum terminativum illius, quam motivum ſpei, & obiectum terminativum ipſius, & idem de motivo, & obiecto terminativo charitatis, timoris, attritionis, contritionis, & aliorum: Ergò ſi poteſt quiſque ſolis viribus naturę credere firmiter obiectum ſupernaturale, & ex motivo ſupernaturali, pariter ſperare firmiter beatitudinem ſupernaturalem, & ex motivo ſupernaturali, diligere efficaciter Deum vt Authorem ſupernaturalem, & ex motivo ſupernaturali, dolere de peccatis ex motivo ſupernaturali, &c. Et ad totum hoc non indigebit homo auxilio gratię, ſed poterit illud præſtare per actus merè naturales ex ſolis viribus naturę.

32. Et quidem rogo,an ita ſperare, & diligere Deum eſſentialiter conducat ad ſalutem, etſi fiat per actus naturales? Si affirmes: Ergò pariter credere Myſteria ſupernaturalia ex motivo ſupernaturali. Si neges: Ergò poterit quiſque firmiter ſperare beatitudinem ſupernaturalem ex motivo ſupernaturali, quin hoc per ſe conducat ad ſalutem, poterit diligere Deum efficaciter ex motivo ſupernaturali, dolere de peccatis per actum naturalem contritionis, & attritionis ex motivo ſupernaturali, quin hoc conducat ad iuſtificationem: Hoc autem quis percipiat? Ergò recurſus ille ad conducentiam, vel non conducentiam ad ſalutem, ad credere, ſperare, aut diligere *prout oportet*, vel *non prout oportet*, ſi ſemèl ſupponatur, eſſe idem obiectum motivum, & terminativum actus naturalis, ac ſupernaturalis, eſt merum effugium, & palliata evaſio, adſtruendo ex vna parte hominem poſſe ſolis viribus naturę credere, ſperare, & diligere Deum vt Authorem ſupernaturalem,& ex motivo ſupernaturali, quod evidenter conducit ad ſalutem; & poſteà negare quod id conducit ad ſalutem, ad vitandam cenſuram,qua PP. & Concil. inurunt Pelagianos, & Semipelagianos.

33. Quintò probatur concluſio ratione,qua vtitur P. Suarez, quia ſi poteſt dari actus naturalis fidei circa idem obiectum,& ex eodem motivo fidei infuſę, ſequitur, quod qui credit Myſteria ſupernaturalia quia divinitus revelata, omninò per accidens, & præter eius determinationem credat fide ſupernaturali potius quam naturali: Sed hoc dici nequit, quia aliàs ſupernaturalitas fidei nec faceret actum fidei meritorium, nec vtilem ad iuſtificationem, quia quod convenit actui omninò per accidens, & præter determinationem, & conatum elicientis, nec ad culpam, nec ad meritum ei imputari poteſt: Ergò. Sequela probatur, quia ita credens, quantum eſt ex ſe, & ex propriè libertate,ſolum ſe determinat ad credenda Myſteria ſupernaturalia quia divinitus revelata: Ergò ſi hoc indifferenter fieri poteſt, tam actu merè naturali, quam actu ſupernaturali, quod potius actus credendi evadat ſupernaturalis quam naturalis,non erit per ſe ex determinatione credentis, ſed purè per accidens, quia nempè Deus voluit ſe in genere concurrendo vt Author ſupernaturalis per auxilium gratię. Vndè penès Deum tantum erit determinare, quod actus fiat naturalis,aut ſupernaturalis, non penès voluntatem.

34. Ad hoc, inquit Lugo,facilè reſpondemus,negando ſequelam, quia licèt motivum actus fidei, & omnium,qui ex ipſo procedunt in voluntate, ſit tale, quod ad illud terminari potuiſſent actus naturales, de facto tamen Deus non concurrit ad actus naturales, ſed ad ſupernaturales, atque adeò, quoties homo de facto operatur circa illud motivum, operatur actu ſupernaturali.Sed ſanè hoc nō eſt facilè reſpondere,ſed nullo modo reſpondere,quia difficultas intacta manet. Etenim difficultas argumenti in eo ſita eſt, quod ſi actus,quo quis credit,non eſt ſupernaturalis ex obiecto nec motivo,nec terminativo,non erit penès voluntatem, nec ex eius determinatione, quod actus quo cre-

credit, ſit ſupernaturalis, ſed ſolum penes Deum: Ergò reſpondere, quod Deus de facto non concurrit ad actus merè naturales, ſed ſolum ad ſupernaturales, & propterea, quod homo non credit actu naturali, ſed ſupernaturali, potius eſt tacitè ſuccumbere difficultati, & conſentire argumento, quam ei reſpondere, ſiquidem fatetur, actum, quo credimus, non ideò eſſe ſupernaturalem, quia credimus obiectum ſupernaturale, & ex motivo ſupernaturali, & conſequenter nec ex noſtra determinatione, ſed quia Deus concurrere vult vt Author ſupernaturalis: Ergò non eſt penes nos; ſed penes Deum vnicè, quod actus, quo credimus, ſit ſupernaturalis.

SOLVUNTUR OBIECTA.

31. OBIJCIES primò: Quia in primis actus fidei naturalis poteſt habere idem obiectum materiale, & terminativum, ac actus fidei infuſę: Deindè poteſt habere idem obiectum formale motivum: Ergò poteſt dari actus naturalis fidei acquiſitę, qui habeat idem obiectum materiale, & formale motivũ, ac fidei infuſę. Minor, in qua ſtat difficultas, probatur, primò, quia obiectum formale motivum fidei infuſę eſt divina authoritas, vt revelans: Sed hoc idem motivum poteſt habere actus fidei acquiſitę, & naturalis: Ergò. Probo minorem primò, quia ruſticus, cui falsò proponitur à Parrocho aliquod falſum pro articulo fidei, credit firmiſſimè illum errorem propter revelationem Dei apparentem, eodem modo, quantum eſt ex ſe, ac cæteros articulos fidei: Et tamen ille aſſenſus non eſt ſupernaturalis, cum ſit falſus, ſed purè naturalis: Ergò poteſt aſſenſus naturalis habere idem motivum formale, ac aſſenſus fidei infuſę. Nec valet dicere, eſſe diverſum motivum, quia aſſenſus falſus ſolum movetur ex revelatione apparenti; & aſſenſus verus ex revelatione vera in re. Contra enim arguit Lugo in præſenti, cuius eſt argumentum, quia illa differentia materialiter ſe habet in ordine ad motivum formale: Non enim magis movet revelatio, quando re vera exiſtit, quam quando re vera non exiſtit, cũ in vtroque caſu ęquè appareat, & apprehendatur exiſtens: Nec ideò erit minus ſupernaturale obiectum in vno caſu, quã in alio, nã qui credit Deũ aliquid revelaſſe, ſivè id verũ ſit, ſivè falſum, ſemper habet pro obiecto revelationem Dei, & conſequenter aliquid ſupernaturale.

32. Secundò, quia hæreticus, ea Myſteria ſupernaturalia, quę credit, verè credit propter authoritatem divinam revelantem: Et tamen non credit fide infuſa, ſed fide naturali, vt infrà dicemus: Ergò fides naturalis poteſt habere idem formale motivum, ac fides infuſa. Tertiò, quia per ſe loquendo non eſt ſuprà totius naturę vires credere aliquid propter Dei authoritatem vt revelantem: Ergò ex ſolis viribus naturę poteſt quis habere tale motivum. Probatur antecedens, quia poſſumus homini fidedigno aliquid narranti credere, & facilius Angelo: Ergò etiam Deo dicenti poſſumus credere viribus naturę.

37. Reſpondeo, negando minorem. Ad eius primam probationem conſtat ex dictis, *diſput. 1. quæſt. 9.* quod nempè ruſticus ille ſolum crederet illud Myſterium ſub conditione tacita, quod illud ita doceret S. M. E. & ſub hac conditione non ſolum crederet ex motivo ſupernaturali, ſed etiam fide ſupernaturali obiectivè conditionata, quia vt obiectivè conditionata falſa non eſſet. Crederet etiam abſolutè extrinſecè, modo ibi explicato, ſed fides illa vt extrinſecè abſoluta non moveretur re ipſa ex authoritate divina, ſed vnicè ex authoritate Parrochi, & ſic nihil mirum, quod eſſet naturalis, & falſa, quantum ad actum credendi abſolutè Parrocho, per quem actum fides tacitè conditionata fieret extrinſecè abſoluta, & in hoc ſenſu naturalis, & falſa.

38. Sed dices: Ad credenda abſolutè cætera Myſteria vera moveretur re ipſa ex divina authoritate vt revelante: Ergò etiam ad credendum abſolutè illud Myſterium falſum. Probatur conſequentia, quia eodem modo proponeretur à Parrocho Myſterium falſum, ac cætera vera, & ſub eodem motivo: Ergò ex eodem motivo crederet abſolutè Myſterium falſum, ac alia vera. Reſpondeo, admiſſo antecedenti, negando conſequentiam. Ad probationem, diſtinguo antecedens: Eodem modo proponeretur à Parrocho exterius, & diverſo modo per illuſtrationem internam interius, concedo antecedens: Eodem modo interius, & exterius, nego antecedens, & conſequentiam, quia licèt in externa propoſitione Parrochi eſſet omnimoda paritas, tamen hæc non ſufficit ad fidem ſupernaturalem, ſed requiritur quod revelatio proponatur interius in ſchola mentis ſecreta, vt ſuprà aiebat Auguſt. per illuſtrationem internam eſſentialiter cõformem revelationi in re: Et in hac propoſitione interna eſſet maxima diſparitas, quia erga Myſterium falſum non proponeretur per illuſtrationem ſupernam revelatio eſſentialiter vt vera in re, & conſequenter nec ipſa revelatio vt vera in re moveret ad illud abſolutè credendum, ſed ſolum moveret authori-

tas Parrochi, vel revelatio vt fallibiliter exiſtimata ex eius Authoritate: Attamen erga Myſteria vera proponeretur revelatio per illuſtrationem internam eſſentialiter vt vera in re, & ideò in aſſenſu illius moveretur intellectus re ipſa ab ipſa revelatione vt vera in re: Vndè iam eſſet diverſum motivum re ipſa erga Myſterium verum, ac erga Myſterium falſum. Nec obeſt, quod in contra opponitur, nempè, quod iſta diverſitas de materiali eſſet, eo quod ſolum moveret formaliter revelatio apparens, & vtrobique equaliter appareret vt vera. Nego enim quod vtrobique ęqualiter appareret vt vera, quia erga Myſterium verum appareret ex divina illuſtratione eſſentialiter vt vera in re, ſine contingentia aliter ſe habendi in re; attamen erga Myſterium falſum appareret ſolum ex authoritate Parrochi apparientia fallibili, & cum contingentia aliter ſe habendi in re; quia illa apparentia requiritur eſſentialiter ad aſſenſum fidei verè divinę, & theologicę, iſta autem ſolum movere poteſt ad fidem exiſtimativè divinam, & opinativè theologicam, quę re ipſa potius ſit opinio, quam fides. Vide ſupra dicta *diſput.* 1. *quæſt.* 9. *à num.* 84.

39. Nec in contra eſt, quod ibidem objeitur *num.* 88. nempè, quod fides divina debet reſolvi vnicè in revelationem vt exterius propoſitam per Eccleſiam, & eius Miniſtros, quę propoſitio ęqualis eſt reſpectu ruſtici in Myſterio falſo, ac vero. Nego enim, ſicut ibidem negavi, quod vnicè reſolvatur in talem externam propoſitionē, quaſi ſola externa propoſitio, & prædicatio Evangelij ſufficiat ad verā fidem divinam, & theologicam concipiendam, nam hoc aſſerere, redolet hæreſim Pelagianam, quę ad credendum non aliam gratiam moventem, ſeù prævenientem exigebat, quam gratiam externę prædicationis; in cuius confirmationem ſufficit legere Auguſtinum ſuprà expenſum *quæſt. præcedent. à num.* 18. immò & Div. Thom. *num.* 14. vbi reijcit, vt Pelagianam, ſententiam, quę ad credendum fide divina, ſeù ſimpliciter dicta, ſolum exigit liberum arbitrium, & gratiam externę prædicationis, aut miraculorum: Debet ergò fides reſolvi, & in externam Eccleſię propoſitionem, & in illuſtrationem internam Spiritus Sancti; in primam viſibiliter, & perceptibiliter, ſeù ſignatè; in ſecundam intelligibiliter, & in actu exercito, modo ſuprà explicato. Et vtrumque requiritur ad vitandas hæreſes, nam ad vitandam hæreſim Pelagianam requiritur, quod fides reſolvatur in revelationem interius propoſitam per illuſtrationem Spiritus Sancti in ſchola mentis ſecreta, in qua Pater doceat per Verbum in Spiritu Sancto, vt explicat Auguſtinus: Ad vitandam autem hæreſim modernam Luteri, Calvini, & aliorum, quę negat regulam viſibilem fidei, debet reſolvi fides Catholica in revelationem vt propoſitam per Eccleſiam exterius.

40. Sed dices: Demus, quod quis sētiat ſe moveri, aut illuſtrari interius, vt credat, tanquam divinitus revelatum, aliquid quod non proponit Eccleſia, aut contra id quod tenet S. M. E. ſanè tunc fides non poterit reſolvi in Eccleſię propoſitionem: Ergò ſolum poterit reſolvi in illuſtrationem internam, vt tenent hæretici, & ſequetur ſciſio fidei. Reſpondeo, eſſe impoſſibile, quod per illuſtrationem internam proponatur vt revelatum aliquid contra id, quod tenet S. M. E. quia hæc eſt regula viſibilis fidei infallibilis ab ipſo Deo inſtituta, & conſequenter Deus nequit contra illam aliquid per internam illuſtrationem proponere; vndè ſiquis ſentiat, aut exiſtimet ſe ita illuſtrari contra id quod tenet S. M. E. hæretico Spiritu hoc ſentiet, aut exiſtimavit, quia illuſtrationē internam debet quiſque iudicare cum ſubiectione ad externam Eccleſię propoſitionem, ſi vult eſſe Catholicus. Si verò illuſtratio interna ſit præter, ſed non contra id, quod Eccleſię tenet, illa non ſufficiet ad fidem Catholicam, poterit tamen ſufficere ad fidem privatam, ſi proponatur revelatio privata cum ſufficienti credibilitate. Ex quo

41. Ad ſecundam probationem, nego maiorem, quia vt infrà explicabimus, hæreticus non verè, ſed tantum exiſtimativè credit propter Authoritatem divinā. Ad tertiam nego antecedens. Ad probationē, concedo, quod homini, & Angelo loquenti poſſit credere naturali aſſenſu propter ipſius authoritatem, nego tamen quod aſſenſu naturali poſſimus credere Deo loquenti propter ipſius Authoritatem. Ratio eſt manifeſta, quia loquutio, & Authoritas in dicendo hominis, vel Angeli eſt quid naturale, & motivum naturale proportionatum naturę: At Dei loquutio, & authoritas in dicendo eſt eſſentialiter motivum ſupernaturale, & ideò illi ſic credere nemo poteſt aſſenſu purè naturali, & ex ſolis viribus naturę. Et quidem argumentum nimis probat; probat enim, quod Deo propter ſui authoritatem in dicendo poſſimus credere facilius, quam homini, & conſequenter, quod ad credenda Myſteria ſupernaturalia nec ad facilius ea credenda requiratur gratia, quod nec Pelagius dixit.

42. Objicies ſecundò: In ſtatu naturę purę, ſi homo in illo fuiſſet creatus, potuiſ-

ſet

ſet credere Deo loquenti propter eius Authoritatem: Sed tunc non eſſet gratia, nec aſſenſus ſupernaturalis, ſed ſolum vires naturę: Ergò non repugnat credere Deo propter eius Authoritatem in dicendo ex ſolis viribus naturę, & aſſenſu merè naturali. Probatur maior: Quia in illo ſtatu poſſet Deus homini aliquid præcipere: Ergò oporteret credere Deo præcipienti, alias præceptum irritum foret: Sed aſſenſus, quo ſic homo Deo crederet, haberet idem motivum formale, ac nunc fides infuſa, nempè Authoritatem infallibilem Dei in dicendo: Ergò. Confirmatur, quia lumine naturę cognoſcitur honeſtum eſſe, & debitum credere Deo aliquid revelanti, quando adſunt motiva evidentis credibilitatis: Ergò per naturę vires potuiſſet tūc voluntas imperare aſſenſum, quando adeſſent talia motiva: Sed voluntate imperante aſſenſum, intellectus neceſſariò obediret: Ergò ex ſolis viribus naturę intellectus crederet. Explicatur: Quidquid lumine naturę cognoſcitur vt honeſtum, poteſt voluntas illud efficaciter velle ex ſolis viribus naturę: Sed ſolo lumine naturę cognoſcitur eſſe honeſtum credere Deo aliquid revelanti propter eius Authoritatem: Ergò voluntas poteſt id ex ſolis viribus naturę efficaciter velle: Ergò & illud imperare: Ergò & intellectus ita credere.

43. Sic arguit Lugo, ſed quis non videat hoc argumentum directè etiam probare contra indigentiam gratię ad credendum in præſenti ſtatu ſtatutam à PP. & CC. & ſimiliter ſuadere errorem Pelagij: Siquidem ſuadet, ad credenda omnia, quę Deus revelavit, ſufficere vires naturę, & per ſe non exigi adiutorium gratię, & ſimiliter ad ſperandum, & diligendum Deum ſuper omnia etiam ex motivo ſupernaturali, & conſequenter fruſtra Deum condidiſſe hominem cum donis ſupernaturalibus fidei, ſpei, & charitatis, vt fide, ſpe, & charitate Deum coleret, ſiquidem hoc poterat ſine illis donis, ſaltèm in prima conditione. Hoc autem ſi dicatur, incidetur in illam ſententiam Michaelis Baij, quam inter aliàs damnavit Pius V. & Gregorius XIII. illa enim, nempè 24. propoſitio ex damnatis, ſic aiebat: *Abſurda eſt ſententia eorum, qui dicunt hominem ab initio, dono quodam ſupernaturali, & gratuito ſuper conditionem ſuę naturę fuiſſe exaltatum, vt fide, ſpe, & charitate Deum coleret.* Sanè, ſi homo in prima conditione poſſet ex ſolis viribus naturę Deum colere fide, ſpe, & charitate, etiam ex motivo ſupernaturali, quia lumine naturę cognoſcebat id honeſtum eſſe, & poterat voluntas ſolis viribus naturę velle efficaciter, quod lumine naturę ſibi honeſtum proponebatur: Ergò fruſtra fuit exaltare hominem ſuprà conditionem ſuę naturę dono ſuperno vt Deo crederet, in ipſo ſperaret, & ipſum diligeret etiam ex motivo ſupernaturali. Item, quantum ad credere, non videò cur ſi in ſtatu naturę purę poſſet homo ſolis viribus naturę credere Deo propter ipſius Authoritatem, non poſſit etiam in ſtatu naturę lapſę: Siquidem diſparitas illa, quam aſſignant Theologi in vtroque ſtatu, vt poſſet in illo diligere Deum ſuper omnia, & non in iſto, nempè, quia in iſto reſiſtit concupiſcentia, & paſſionum rebelio, quę in illo non foret, defectu peccati originalis, ita indomabilis, non tenet in fide, quia poteſt quis verè credere, licèt nullam paſſionem, nec rebellionem appetitus velit vincere, quamvis non poſſit diligere Deum ſuper omnia, niſi vellit efficaciter vincere rebelionem appetitus: Ergò licèt demus, quod in illo ſtatu poſſet homo diligere Deum ſuper omnia, & non in iſto, tamen ſi in illo poſſet credere Deo propter eius Authoritatem, etiam poterit in iſto naturę lapſę, quia rebelio appetituum non poteſt impoſſibilitare actum credendi, ſi aliundè poſſibilis eſt naturę, quandoquidem ad credendum, non exigitur vincere rebelionem. Mitto quod Authores, qui in illo ſtatu ponunt poſſibilem dilectionem Dei ſuper omnia, non ponunt illam poſſibilem ex motivo ſupernaturali, ſed ſolum ex motivo naturali, item quod plores in hoc ęquè diſcurrunt de illo ſtatu, ac de ſtatu naturę lapſę. Sed de his alibi. Nunc.

44. Reſpondeo, negando maiorem. Ad eius probationem iam reſpondi ſuprà *diſput. 2. quæſt. 1. à num. 13.* Vidè ibi *à num. 3.* Ad confirmationem, quę probat pariter in ſtatu naturę lapſę, diſtinguo maiorem: Lumine naturę cognoſcitur honeſtum eſſe, conditionatè, nempè ſi id ſit poſſibile practicè, concedo: Omninò abſolutè, nego, ſi ſenſus ſit de fide verè divina, re ipſa mota ex divina Authoritate revelante; quia poſſibilitas practica huius fidei determinatè divinę, cognoſci nequit abſolutè ſolo lumine naturę, vndè nec poteſt ſolo lumine naturę cognoſci abſolutè eſſe honeſtum ita credere fide verè divina, & verè innixa divinę Authoritati. Vidè ſuprà *diſput. 4. quæſt. 4.* ibi enim expenditur, quo pacto ſit evidens, aut lumine naturę cognoſcibilis credibilitas fidei divinę, quin poſſit lumine naturę evidenter cognoſci poſſibilitas fidei verę divinę. Ex quo patet ad explicationem, diſtinguendo minorem: Solo lumine naturę cognoſcitur eſſe honeſtum credere Deo revelanti propter ipſius Authoritatem, cognoſcitur, inquam, conditionatè, ſub cōditione quod ſit poſſibile, tranſeat: Abſolutè,

cognoſcendo evidenter ipſius poſsibilitatem practicam, nego minorem, & conſequentiam, quia vt voluntas poſsit efficaciter velle, & imperare aliquem actum, requiritur quod ſibi proponatur talis actus vt abſolutè, & practicè honeſtus, & poſsibilis: Hoc autem eſt impoſsibile per ſolum lumen naturale, loquendo de actu credendi re ipſa propter Authoritatem divinam revelantem.

45. Obijcies tertiò: Poteſt dari actus ſupernaturalis ex motivo naturali: Ergò & actus naturalis ex motivo ſupernaturali. Probo antecedens, quia Chriſtus per ſcientiam per ſe infuſam, & ſupernaturalem cognovit entia naturalia in ſe ipſis: Sed in entibus naturalibus non eſt aliquid ſupernaturale, quod poſsit eſſe motivum: Ergò ea cognovit per ſcientiam ſupernaturalem ex motivo ſolum naturali. Secundò: Nam per virtutes morales infuſas poſſumus imperare actus naturales ex motivo naturali: Ergò. Probatur antecedens, quia cum quis per miſericordiam infuſam ſubvenit indigenti, idem motivum habet, ac miſericordia naturalis, & acquiſita, nempè ſublevare miſeriam proximi, ſeù honeſtatem talis ſublevationis: Sed honeſtas illa eſt naturalis: Ergò. Confirmatur, quia non poteſt explicari differentia vlla obiectiva inter actum miſericordię infuſę, & miſericordię naturalis, & idem de cæteris virtutibus moralibus infuſis, & naturalibus: Ergò non datur talis differentia ex parte obiecti, nec terminativi, nec motivi. Confirmatur ſecundò: Quando aliquis mihi narrat, Verbum incarnaſſe, quia Deus id revelavit, ego naturaliter audio illas voces: Ergò naturaliter poſſum concipere totum illud obiectum: Ergò poſſum naturaliter affici circa illud, quamvis ſit ſupernaturale: Ergò poteſt dari actus naturalis ex motivo ſupernaturali.

46. Reſpondeo hoc argumentum alias excitare quæſtiones, quas non licèt hic perfunctoriè decidere, & ideò reſpondeo primò, diſtinguendo antecedens: Poteſt dari actus ſupernaturalis ex motivo naturali, ſi contra hoc militet eadem ratio, & authoritas, quę militat contra actum fidei ex motivo ſupernaturali, nego antecedens: Si non militet eadem ratio, & authoritas, nego antecedens. Ad cuius probationem, ſub eadem conditione, reſpondeo affirmando, & negando, & recuſando diſputationem abſolutam de ſcientia per ſe infuſa, an nempè per illam cognoſcantur entia naturalia in ſe ipſis, ſeù ex motivo naturali. Ad ſecundam probationem ſimiliter diſtinguo antecedens: Per virtutes morales infuſas poſſumus imperare actus naturales ex motivo naturali, ſi contra hoc militet vis rationis, & authoritatis, quę militat contra fidem naturalem ex motivo ſupernaturali, nego: Si non militet, tranſeat antecedens. Et ſimiliter ad primam confirmationem, diſtinguo antecedens: Non poteſt explicari differentia vlla obiectiva inter actum miſericordię infuſę, & miſericordię naturalis, ſi militet eadem vis rationis, & authoritatis, ac in fide naturali, & infuſa, nego: Si non militet concedo, recuſando ſemper diſputationem abſolutam an militet, vel non. Et ita retundendi ſunt aliqui arguentes, quorum genium eſt ſaltare extra chorum, & prætextu paritatis ad alias difficultates, & quæſtiones ab ea, quę ex propoſito diſputatur, argumentum deducere; qui hoc pacto magis propriam inopiam produnt, quam ingenium oſtendunt; ſi enim exiſtimant eamdem vim rationis militare in diſputatione, quę ex propoſito verſatur, cur talem rationem in terminis præſentis difficultatis non obijciunt? Si autem diverſa ratio militat, convincuntur nihil contra præſentem, quod obijciant, ſibi occurrere, & ex inopia ingenij extra chorum ſaltare. Præterquam quod nimis faſtidioſum eſſet, & onus importabile obligare Theologum defendentem vnam concluſionem ad decidendas omnes alias difficultates, quas prætextu paritatis arguens pro libito vellet excitare. Vndè his reſpondendum eſt ſicut ſuprà, inſiſtendo diſtinctionibus conditionalibus, & recuſando ſemper diſputationem abſolutam de alijs difficultatibus. Veruntamen, ne quis putet hoc eſſe meum effugium.

47. Reſpondeo ſecũdò, negando antecedens. Ad eius primam probationem poteſt reſponderi, quod per ſcientiam infuſam non cognoſcuntur entia naturalia, naturaliter cognoſcibilia in ſe ipſis, ſed ſolum entia ſupernaturalia, vel futura, aut ſecreta cordis, quę vt cognoſcibilia in ſe ipſis eſſentialiter ſunt obiecta ſupernaturalia, quę per ſcientiam naturalem minimè ſunt cognoſcibilia. Et ita ſentiunt non pauci Theologi. Vel ſecundò reſpondeo, conceſſa maiori, diſtinguẽdo minorẽ: In entibus naturalibus nõ eſt aliquid ſupernaturale entitativè, cõcedo minorem: Obiectivè, nego minorẽ, quia AA. propugnantes, quod entia naturalia in ſe ipſis cognoſcuntur per ſcientiam per ſe infuſam, detegunt in ipſis entibus naturalibus aliquam cognoſcibilitatem obiectivam ſupernaturalem, nempè aliquam abſtractionem à materia excedentem omnem cognitionem naturalem, ſub qua, nempè, per ſcientiam naturalem cognoſci nequeunt. Ad ſecundam probationem, nego etiam antecedens, quia cum quis per miſericordiam infuſam ſubvenit indigenti, reſpicit honeſ-

ta-

tatem talis actus, non vt purè naturalem, ſed quia conducentem ad finem ſupernaturalem, quę conducentia eſt obiectivè ſupernaturalis, & inattingibilis motivè per actum naturalem miſericordię.

48. Ad primam confirmationem, ſimiliter nego antecedens, quia talis differentia explicatur penes vtilitatẽ diverſam in ſublevatione miſerię alienę, cum enim virtutes morales reſpiciant per ſe media, vt vtilia ad finẽ vltimum, ſecundum diverſam vtilitatem, & conducentiam, ſpecificant diverſam virtutẽ ita, vt quatenus vtilia, & conducentia ad finẽ vltimum naturalem moveant, & ſpecificent virtutes naturales morales, & ſecundum vtilitatem, & conducentiam ad finem ſupernaturalem, virtutes per ſe infuſas, & ſupernaturales. Ad ſecundam confirmationem, conceſſo antecedenti, & prima conſequentia, diſtinguo conſequens: Ergò poſſum naturaliter affici circa illud affectu inefficaci, tranſeat conſequens: Affectu efficaci, nego conſequentiam, & diſtinguo vltimum conſequens eodem modo, quia licèt admittatur cum pluribus Theologis affectus inefficax naturalis ex motivo ſupernaturali, non tamen debet admitti affectus efficax, qualis requiritur ad credenda myſteria ſupernaturalia abſolutè, & firmiter ex motivo ſupernaturali; vndè, ſi indè aliquid probaretur, ad ſummum probaretur eſſe poſsibilem fidem formidoloſam, aut opinionem ex motivo ſupernaturali, quia hæc in intellectu videtur ęquivalere affectui inefficaci in voluntati. Vel melius, & cõſequentius, nego etiam eſſe poſsibilem affectum inefficacem naturalem ex motivo ſupernaturali re ipſa, & immediatè movente, quia licèt naturaliter poſſet quis audire, *Verbum caro factum eſt*, & alia myſteria ſupernaturalia, vt revelata, tamen ex ipſis immediatè moveri nequit ad affectum purè naturalem ex viribus proprijs liberi arbitrij, & naturę, vndè ſi quandoque experimur tales affectus inefficaces, vel dicendum eſt illos eſſe ſupernaturales, & indeliberatos ex divina illuſtratione excitatos, vel ſi ſunt naturales, illos moveri ex ratione communi proprię vtilitatis, & convenientię in illis obiectis ſupernaturalibus apprehenſa; propria autem vtilitas, & convenientia in communi conſiderata, motivum naturale eſt.

49. Obijcies quartò: Stat optimè actus naturales, & ſupernaturales diſtingui ſpecificè ex parte principij, exigereque diverſa principia, quamvis non diſtinguantur ex parte obiecti, nec terminativi, nec motivi: Ergò poſſunt dari actus ſupernaturalis, & naturalis fidei erga idem obiectum, tam motivum, quam terminativum. Probo antecedens: Quia duo Angelus, & homo cognoſcunt eamdem veritatem in ſe ipſa, & ſimiliter Angelus Inferior, & ſuperior, v. g. *Cœlum moveri*, cognoſcunt idem obiectum motivum, & terminativum, aliàs obiectum motivum, & terminativum, quod cognoſcit homo, ipſummet non poſſet cognoſcere Angelus, & quod cognoſcit vnus Angelus, ipſummet non poſſet cognoſcere alter Angelus: Et tamen cognitio Angeli, & hominis, & cognitiones diverſorum Angelorum ſpecificè differunt: Ergò ſtat diverſitas ſpecifica cognitionis ex parte principij, abſque diverſitate obiectiva, hoc eſt abſque diverſo obiecto motivo, & terminativo. Confirmatur: Stat cognitionem aliquam intrinſecè exigere diverſum principium, ac alia, licèt reſpiciant idem obiectum motivum, & terminativum, nam vt Angelus cognoſcat aliquam veritatem, & ex eodem motivo ac homo, indiget ſuperiori lumine intellectuali, tamquam principio, non propter ſuperioritatem obiecti, ſed propter ſuperioritatem cognitionis, & cognoſcentis: Ergò pariter ſtat duplex actus fidei circa idem obiectum motivum, & terminativum, & quod vnus exigat principium ſuperius, quam aliud, nempè vnus auxilium gratię, & alius ſolas vires naturę.

50. Reſpondeo, negando antecedens. Ad cuius probationem diſtinguo maiorem: Cognoſcunt idem obiectum motivum, & terminativum, motivum, inquam, vt motivum in actu exercito idem, nego maiorem: Idem obiectum motivum, vt terminativum, omitto maiorem, & minorem, & nego conſequentiam, quia aliud eſt cognoſcere idem obiectum motivum, aliud cognoſcere ex eodem, vel ſub eodem obiecto motivo, nam primum accipit obiectum motivum, vt terminativum, ſiquidem dum accipitur obiectum motivum cognitum, *vt quod*, ex hoc præcisè non exercet rationem motivi, ſed tantum rationem terminativi; vndè falluntur adverſarij, ſeù equivocationem patiuntur, dum pro eodem reputant cognoſcere idem obiectum motivum, ac habere idem obiectum motivum in cognoſcendo, ſeù cognoſcere ex eodem, & ſub eodem motivo; fatemur enim, quod Angelus poteſt cognoſcere idem obiectum motivum, quod eſt motivum cognitionis humanę, quia quod eſt motivum cognitionis humanę poteſt eſſe obiectum terminativum cognitionis Angelicę, & obiectum motivum Angeli inferioris poteſt eſſe obiectum terminativum Angeli ſuperioris, & ideò quidquid cognoſcit homo, poteſt cognoſcere Angelus, & quidquid cognoſcit vnus Angelus poteſt cognoſcere alter: Cæterum hinc non ſequitur, quod Angelus cognoſcat illud idem ex eodem, & ſub eodem

dem motivo, ac homo, nec vnus Angelus ex eodem, & ſub eodem motivo, ac alius, quia ſemper diverſificantur ex parte obiecti motivi cognoſcendi, licèt totum, quod vnus cognoſcit, cognoſcat alter, vt *quod*, & terminativè. Sicut quidquid amat voluntas cognoſcit intellectus, & ideò cognoſcit obiectum, tam motivum, quam terminativũ voluntatis; ſed ex indè nullus intulit, quod intellectus habeat idem omninò obiectum motivum, quod voluntas, nec quod actus intellectus procedat ex eodem formali motivo, ac actus voluntatis, quia licèt id ipſum, quod eſt motivum voluntatis, ſit obiectum terminativum intellectus, non tamen poteſt eſſe idem formale motivum ex parte vtriuſque: Sic ergò ſimiliter contingit in cognitione humana, & Angelica, & in cognitionibus diverſorum Angelorum. Fateor enim, difficilius explicari diverſitatem obiecti motivi in his cognitionibus, quam in intellectu, & voluntate, ſiquidem intellectu, & voluntate facilè explicatur, dicendo, quod obiectum motivum voluntatis eſt ſola bonitas obiecti, & motivum intellectus eſt ſola veritas, quia licèt intellectus cognoſcat totum id, quod vult voluntas, voluntas vult illud ſub ratione boni, & quia bonum, at intellectus cognoſcit id ipſum, non ſub ratione boni, nec quia bonum formaliter, ſed ſub ratione veri, & quia verum formaliter; cæterum licèt hæc differentia obiecti motivi non ita facilè ſit explicabilis inter diverſas cognitiones hominis, & Angeli, Angelique ſuperioris, & inferioris, dum idem omninò cognoſcunt *vt quod*, & ex parte obiecti terminativi, tamen non proptereà neganda eſt talis diverſitas, quia plures differentiç ſunt noſtro captui ferè inexplicabiles, quas tamen dari neceſſe eſt, & huius generis eſt diverſitas obiectiva ex parte obiecti motivi inter prædictas cognitiones, nam cum illç, vt fatetur arguens, procedant à principijs ſpecificè diverſis, neceſſe eſt, quod reſpiciant obiecta motiva, ſeù rationes formales obiectivas *ſub quibus*, ſpecificè diverſas, nam vt ſuprà aiebat Div. Thom. *num.* 4. *virtutes diverſç diverſa obiecta neceſſariò reſpiciunt.* Talis tamen diverſitas, quãvis non facilè percipiatur, explicari tamẽ poteſt pro noſtro captu, diſtinguẽdo in quolibet obiecto plures, & infinitos gradus immaterialitatis, ita vt penès vnum gradú immaterialitatis ſit motivum formale, & ratio formalis *ſub qua* cognitionis humanç, & penès alium cognitionis Angelicç, penès vnum ſit ratio formalis *ſub qua* obiectiva cognitionis inferioris Angeli, & penès alium ſuperioris; vndè Div. Thom. & cum eo Schola Thomiſtica tuetur Angelum ſuperiorem cognoſcere obiecta eadem, quç Angelus inferior, ſed tamen per ſpecies vniverſaliores, quç nempè repræſentent obiecta ipſa ſub maiori abſtractione à materia, & ſub ratione obiectiva magis vniverſali. Sed de hoc alibi. Ex quo patet ad confirmationem; quia iam explicatum relinquimus, quo pacto cognitiones humana, & Angelica, & diverſorum Angelorum reſpiciant diverſa obiecta formalia motiva, & ideò cognitio illa, quç reſpicit rationem formalem motivam ſuperiorem, & perfectiorem, nempè rationem obiectivam magis immaterialem, & magis vniverſalem, ex ſuperioritate obiecti motivi exigit ſuperius lumen, & principium perfectius cognoſcendi.

51. Ex quo infertur, rationem ad quam recorrit Lugo, vt ſine diverſitate obiectiva oſtendat indigentiam luminis ſupernaturalis pro vno actu fidei, ſecùs pro altero, eſſe nullam. Recurrit hic Auth. ad diverſitatẽ principij radicalis, ſeù naturç, inquitque, quod ſicut Angelo, quia ſuperioris naturç eſt ad naturam humanam, debentur potentiç, & principia operativa perfectiora, quam naturç humanç, ita ex ſuppoſitione, quod homo fuit elevatus per gratiam, & factus particeps ordinis divini, & divinç naturç, debentur illi principia divina, & ſupernaturalia cognoſcendi, & amandi perfectiora, quam, quç ipſi debentur ſecundum propriam naturam, non ex perfectiore ratione formali obiectiva, & motiva, ſed ex perfectiore natura, radicali, & ex perfectiori eſſe, in quo conſtitutus eſt.

52. Eſt, inquam, nullus hic recurſus, primò quia, ſiquis attentè legere vellit CC. & PP. vbicumque exigunt auxilium gratiç ad credenda Myſteria fidei vt divinitus revelata, & ſimiliter ad actus ſpei, & charitatis, inveniet manifeſtè, quod non fundant hanc exigentiam, aut indigentiam in eo, quod homo ſit particeps naturç divinç, aut conſtitutus in ordine divino, & ideò debeantur ei principia ſupernaturalia, & auxilia gratiç, ſed in eo quod viribus naturç non poſsit credere fide divina, & theologica, nec fieri verus Chriſtianus, & Fidelis, nec diſcere in ſchola illa ſecreta, in qua omnis, qui diſcit, venit ad Chriſtum, vt inquit Auguſtinus, & quia non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: Sed ſi quiſque poſſet viribus naturç credere firmiter Myſteria fidei propter divinam Authoritatem revelantem, prædictum fundamentum non ſubſiſteret: Ergò vt fundamentum PP. & Conciliorum mens ſubſiſtat, debet negari hæc facultas naturç, & nõ ſatis eſt recurrere ad exigentiam gratiç habitualis, per quam efficimur ordinis divini, ſeù divinç naturç con-

ſor-

Digitized by Google

fortes. Et quidem mirum eſſet, quod habitus infuſus, ſeu principium ſupernaturale ad credendum ſolum probari poſſet ex gratię habitualis exigentia, quando à PP. probatur, & à Concilijs fundatur in naturę indigentia.

53. Secundò, quia habitus fidei, ſeù auxilium ſupernaturale ad credendum datur independenter ab ſtatu gratię, in quolibet peccatore: Sed in illo non datur propter exigentiam gratię habitualis, quę in illo non eſt: Ergò propter indigentiam naturę, quia ex viribus naturę nemo credere poteſt Myſteria fidei propter divinam Authoritatem. Tertiò, quia Pelagius, qui ad credenda talia Myſteria ex tali motivo negavit indigentiam gratię auxiliantis, multò melius negaret gratiam habitualem, vndè nullus contra Pelagium probavit hominem indigere auxilio gratię, quia per gratiam habitualem eſſet conſtitutus in ordine divino, & vt talis exigeret virtutes infuſas, & ordinis divini. Quartò, quia tota controverſia contra Pelagium non erat de actibus fidei, ſpei, & alijs elicitis ab homine iuſtificato, & grato, ſed de actibus diſponentibus, & prævijs ad iuſtificationem, quibus homo convertitur ad Chriſtum, & de infideli fit Fidelis, de iniuſto Iuſtus: Sed in his actibus probari nequit quod ſint ex auxilio gratię, ſeù quod ſint actus ſupernaturales, eo quod homo, à quo eliciuntur, ſit conſtitutus in ordine divino per gratiam habitualem, vt per ſe patet: Ergò. Quintò, quia adhùc ſuppoſito, quod homo per gratiam ſit particeps naturę divinę, ad credendum aliquid propter Authoritatem humanam, ſeù ex motivo purè naturali, non indiget principio ſupernaturali, nec ad alios actus circa obiecta purè naturalia, & ex motivo purè naturali, nec circa hæc obiecta, & motiva debetur illi ex gratia modus operandi ſupernaturalis, & divinus: Ergò ſi debetur illi modus credendi ſupernaturalis, & ex principio ſupernaturali circa Myſteria fidei vt attingenda ex motivo ſupernaturali, non eſt præcisè ex eo quod homo ſit particeps per gratiam ordinis divini, ſed potiſsimè ex ſuperioritate obiecti & motivi, aliàs enim etiam circa obiecta naturalia vt attingibilia ex motivo purè naturali deberetur ipſi modus operandi ſupernaturaliter, & nulla eſſet actio in homine iuſto, quę non eſſet ſupernaturalis; quodquis dicat? Et denique, quia licèt natura, quo ſuperior eſt, perfectiora principia operativa exigat, & perfectiores operationes, ideò eſt, quia illi correſpōdēt obiecta ſub perfectiori ratione motiva, ſeù formali *ſub qua*, & attingi nequeunt obiecta ſub illa ratione perfectiori, niſi modo perfectiori, & per principia perfectiora, & ideò Angelus, quia perfectioris naturę eſt, quam homo, exigit perfectiora principia operativa, & idem de vno Angelo reſpectu alterius, quia nempè, quo vnus perfectioris naturę eſt, quam alius, eo perfectior ratio formalis motiva in obiectis illi correſpondet: Ergò negata differentia ex parte rationis formalis obiectivę, fundari nequit in diverſitate ſolius naturę diverſitas principiorum, & operationum: Ergò negata diverſitate motivi formalis fidei, non poteſt fundari diverſitas illa fidei acquiſitę, & infuſę, ſolum ex capite naturę radicantis.

QUÆSTIO VI.

VTRUM APPREHENSIONES præcedentes actum fidei debeant eſſe ſupernaturales?

1. SUPPONO primò, ante aſſenſum fidei, qui eſt perfectum, abſolutum, & firmum iudicium de Myſterio revelato, debere præcedere apprehenſiones ipſius Myſterij credendi, & revelationis ipſius tanquam motivi ad credendum, v. g. antequam quis credat, quod *Verbum caro factum eſt*, quia revelatum, debet præcedere apprehenſio Verbi, carnis, vnionis vtriuſque in eodem ſuppoſito, & revelationis divinę de illa. Hoc patet, quia ante iudicium debet præcedere apprehenſio terminorum, & motivi iudicandi, nec hoc ab vllo negatur. Suppono ſecundò hic non eſſe quæſtionem de alijs appræhenſionibus, quę intrinſecè non pertinent ad actum fidei, ſed ſolum extrinſecè, aut per modum conditionis, v. g. de prædicatore extrinſeco, de externa voce ipſius, aut de alijs, quę ſolum per modum conditionis remotę requiruntur ad fidem, nam de iſtis certum eſt, non requiri, quod ſint ſupernaturales. Suppono tertiò, me nunc nō diſputare, an ad actum fidei ſufficiant appræhenſiones immediatè abſque iudicio prævio, an requiratur iudicium prævium, vel de exiſtentia revelationis, vel de credibilitate Myſterij, id enim poſteà diſputabitur, ſed ſolum diſputo nunc de aprehenſionibus immediatè præcedentibus aſſenſum fidei, & proximè ad illum concurrentibus, ad diſtinctionem aliarum apræhenſionem, quę remotè ſe habent. His ſuppoſitis.

2. Dico primò: *Ad actum fidei pre requiritur aliqua ſaltèm appræhenſio ſupernaturalis.* Eſt contra Lugo *in præſenti diſput. 9. Seſſ. 5.*

Pro-

Probatur tamen quia ex communi PP. & CC. ſententia ad credendum fide divina requiritur illuſtratio, & illuminatio Spiritus Sancti, vndè Concilium Arauſic. *Can.*7. definit, quod ſiquis dixerit : *Hominem poſſe conſentire Evangelicę, & ſalutari prædicationi abſque illuminatione, & inſpiratione Spiritus Sancti, hæretico fallitur Spiritu*. Vide ſuprà *quæſt.* 4. *num* 10. Sed talis illuminatio in alio conſiſtere nequit, quam in appræhenſione ſupernaturali, vel ſaltèm ſine illa ſalvàri nequit : Ergò requiretur aliqua appræhenſio ſupernaturalis. Probatur minor, quia talis illuſtratio, & illuminatio debet conſiſtere in eo, quod lumine ſupernaturali proponatur, repræſentetur, & notificetur intellectui ratio motiva, & ſuaſiva ad credendum : Sed hæc repræſentatio, propoſitio, & notificatio ante actum credendi, vel conſiſtit in appræhenſione aliqua talis rationis motivę, & ſuaſivę, vel fieri nequit niſi media illa appræhenſione : Ergò.

3. Confirmatur, quia intellectus nequit credere fide ſupernaturali niſi motus obiectivè, ſeù moraliter motione ſupernaturali ad credendum ; ſed motio obiectiva, & moralis ſupernaturalis ad credendum, eſſe nequit niſi media appræhenſione ſupernaturali : Ergò. Maior patet, quia licèt requiratur motio phyſica ex parte ſubiecti, & principij elicitivi iuxta Thomiſtas, hoc non tollit, quod etiam requiratur motio moralis, & obiectiva : Et ſicut motio phyſica ad credendum fide ſupernaturali debet eſſe ſupernaturalis ita motio obiectiva, quia vtraque poſſe inclinat in actum ſupernaturalem, & motio purè naturalis nequit per ſe inclinare in actum ſupernaturalem. Vidę dicta *Tract. de Provid. quæſt.* 10. *à num* 90.

4. Confirmatur ſecundò, quia ad credendum debet præcedere aliqua appræhenſio obiecti motivi, ſeù rationis motivę, & ſuaſivę quę proindè per ſe aliciat, & moveat ad fidem : Sed hæc appræhenſio neceſſariò debet eſſe ſuprà vires naturę, & conſequenter ſupernaturalis : Ergò. Probo minorem, quia appræhenſio per ſe aliciens, & movens ad fidem eſt cogitatio aliqua poſitivè conducens ad fidem, & conſequenter ad ſalutem ; Sed ad huiuſmodi cogitationem non poſſunt ſufficere vires naturę, iuxta illud Apoſtoli : *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis*, quod intelligitur ab Auguſtino, & theologis de cogitatione qualibet conducente ad ſalutem, & ad illam excitante : Ergò appræhenſio per ſe conducens ad fidem, & ad ſalutem neceſſariò excedit vires naturę.

5. Reſpondent contrarij primò, illuſtrationem, & illuminationem requiſitam ad credendum, ſolum requiri ante actum voluntatis imperantis aſſenſum fidei, vt proponatur voluntati obligatio, & honeſtas credendi : Hanc autem illuminationem non debere fieri per appræhenſionem, aut appræhenſiones ſupernaturales, ſed fieri per iudicium, non liberum, ſed neceſſarium, & evidens per quod homo verè illuminatur à Deo ſolo faciente actum illum in nobis, ſine nobis, & per quod evidenter cognoſcimus credibilitatem Myſteriorum, & obligationem credendi. Ita Lugo in præſenti.

6. Sed contra eſt primò, quia, iuxta ſolutionem, voluntas non poteſt imperare actum credendi, niſi moveatur obiectivè per illuminationem ſupernaturalem proponentem obiectum, & motivum talis Imperij, nempè obligationem, & honeſtatem credendi : Ergò nec intellectus poteſt credere, niſi etiam moveatur obiectivè per illuſtrationem ſupernaturalem oſtendentem rationem obiectivam, & motivum formale credendi. Patet conſequentia, quia ſicut voluntas non poteſt aliquid velle, niſi mota obiectivè ab aliqua ratione intentionaliter ſibi propoſita, ita intellectus non poteſt aliquid iudicare, credere, ſeù aſſentiri alicui obiecto, niſi motus obiectivè ex alia ratione obiectiva, ſibi intentionaliter propoſita : Requiritur ergò ad credendum duplex illuſtratio, ſeù illuminatio, vna per quam Deus oſtendat voluntati rationem obiectivam, & motivam, vt imperet aſſenſum fidei, alia per quam oſtendat intellectui immediatè rationem obiectivam motivam ad aſſentiendum, ſeù credendum. Quod quidem vrgentius probatur, nam ad credendum requiritur duplex actus, nempè imperium abſolutum voluntatis, & aſſenſus abſolutus intellectus ; ſed per vos ad imperium voluntatis requiritur, quod voluntas moveatur obiectivè ex aliqua ratione obiectivè ſibi propoſita per illuſtrationem ſupernam : Ergò pariter ad aſſenſum abſolutum intellectus requiritur quod intellectus ipſe moveatur obiectivè ex aliqua ratione obiectivè ſibi propoſita per illuſtrationem ſupernam. Explicatur amplius, quia non minus rationalis eſt intellectus in aſſentiendo, quam voluntas in imperando : Sed quia voluntas rationaliter imperat debet moveri ex aliqua ratione obiectiva ſibi propoſita : Ergò pariter intellectus ad aſſentiendum debet moveri ex aliqua ratione obiectiva, ſibi ſimiliter propoſita.

7. Quod autem hæc motio obiectiva, ſivè propoſitio rationis obiectivè moventis debeat eſſe duplex, & diſtincta, vna ex parte intellectus, & alia ex parte voluntatis patet ma-

nife

nifeſtè; nam ratio obiectiva motiva voluntatis, debet eſſe aliqua ratio boni, nempè, honeſtas, vel convenientia in eredendo; ſeù in obiecto actus imperij, quod eſt ipſum eredrre; hæc autem ratio non poteſt eſſe rario immediatè motiva intellectus, quia intellectus non movetur immediatè ex ratione boni, ſed ex ratione veri: Vndè requiritur alia ratio obiectiva veritatis immediatè propoſita intellectui, quę ipſi ſit ratio obiectiva aſſentiendi intra propriam lineam; nec enim voluntas poteſt imperare intellectui, quod aſſentiatur obiecto abſque omni ratione obiectiva veritatis movente ſub ratione veri ad talem aſſenſum, aliàs imperaret intellectui aſſenſum irrationalem: Ergò concedendum eſt ab omnibus, requiri ad credendum duplicem rationem obirctivam dupliciter propoſitam, vnam propoſitam voluntati ſub ratione boni, vt imperet intellectui aſſenſum, aliam propoſitam immediatè intellertui ſub ratione veri, vt abſolutè aſſentiatur obiecto.

8. Quo ſuppoſito, ſic argumentor: Per vós, vt voluntas imperet aſſenſum, requiritúr, quod ratio obiectiva imperandi ſibi proponator per illuſtrationem ſupernaturalem, quia videlicet actus imperandi eſt actus ſupernaturalis, & actus ſupernaturalis exigit rationem obiectivam, & motivam modo ſupernaturali propoſitam: Sed etiam aſſenſus abſolutus intellectus erga Myſterium credendum eſt ęquè ſupernaturalis: Ergò pariter exigit rationem obiectivam motivam ſibi proponi modo ſupernaturali, hoc eſt, per illuſtrationem ſupernam: Ergò debet dari duplex propoſitio, ſeù duplex illuſtratio, & vtraque ſuperna; vna, per quam oſtendatur voluntati ratio bonitatis motiva ad imperandum aſſenſum, alia etiam ſupernaturalis, per quam oſtendatur intellectui ratio aliqua veritatis motiva ad aſſentiendum: Ergò, quidqoid ſit, an illuſtratio facta voluntati ſit per iudicium neceſſarium, & evidens, reſtat reſpondere de illuſtratione facta intellectui. Tunc ſic; ſed hæc non poteſt fieri per iudicium neceſſarium, & evidens: Ergò debet fieri per apprehenſionem aliquam ſupernaturalem. Probo minorem, quia intellectus ad credendum intra propriam ſpheram non movetur ex iudicio aliquo evidenti, nec ex ratione obiectiva veritatis evidenter iudicata, alias opus eſſet quod intellectus prius iudicaret evidenter Myſterium eſſe verum, vt illud crederet; quod per ſe eſt falſum: Ergò propoſitio, ſeù illuſtratio requiſita ex parte intellectus non poteſt eſſe per iudicium neceſſarium, & evidens.

9. Dices, talem illuſtrationem fieri per iudicium evidens de credibilitate Myſterij non de veritate ipſius Myſterij. Sed contra eſt primò, quia iudicium de credibilitate regulariter ponitur ab AA. ad regulandum imperium, & piam affectionem voluntatis: Ergò ad regulandum immediatè aſſenſum intellectus non exigitur ex parte ipſius intellectus iudicium de cradibilitate. Secundò, quia non ſolum debet proponi intellectui, vt aſſentiatur Myſterio, credibilitas Myſterij, ſed etiam veritas ipſius, ſiquidem intellectus non ſolum aſſentitur Myſterio, vt credibili, ſed etiam, Myſterio, vt vero, & quia vero apparenti ex vi divinę revelationis? Sed non poteſt proponi vt verum per iudicium evidens de veritate ipſius, quia intellectus non credit obſcurè, quod evidenter iudicat verum: Ergò debet proponi vt verum per apprehenſionem ſuaſivam veritatis, quę immediatè regulet aſſenſum fidei ex parte intellectus. Tertiò, quia non poteſt iudicari evidenter Myſterium eſſe credibile proximè ab intellectu, niſi ſupponatur apparientia aliqua, vi cuius intellectui appareat verū, quia prius eſt obiectū apparere verum ex teſtimonio dicentis, quam eſſe credibile, non enim eſt credibile, quod ita non apparet verum. Sed hæc apparientia veritatis non poteſt eſſe per iudicium evidens de veritate ipſius: Ergò debet eſſe per apprehenſionem aliquam ſuaſivam veritatis ipſius. Hæc autem apprehenſio iam conſtat debere eſſe ſupernaturalem; quia per illam proponitur intellectui ratio formalis obiectiva motiva ad aſſenſum ſupernaturalem, quę neceſſariò debet proponi per illuſtrationem ſupernaturalem, ſicut ratio obiectiva motiva voluntatis ad imperandum aſſenſum debet proponi per illuſtrationem ſupernaturalem, quia imperium eſt ſupernaturale.

10. Sed demus, quod ratio motiva intellectus ad aſſentiendum proponatur intellectui per iudicium, ſivè evidens, ſivè obſcurum, ſicut proponitur voluntati ratio motiva ipſius ad imperandum, iuxta contrarios; adhùc ſic arguo: Ante tale iudicium debent apprehendi termini; ex quibus tale iudicium formatur, nam cum ſit compoſitio, ſeù diviſio ex terminis obiectivis, neceſſariò debet procedere ex apprehenſione terminorum, vndè de ipſis etiam principijs, ſeù propoſitionibus evidentiſsimis ſolemus dicere, quod ſunt evidentes, & per ſe notę ex apprehenſione terminorum, quia videlicet ſemper ad iudicium; quantumvis evidens; præcedit apprehenſio terminorum, ex qua movetur intellectus ad aſſenſum, ſeù iudicium, movetur, in quam, neceſſariò, quando termini apprehenſi ſuadent evidenter veritatem media illorum apprehenſione; libere, quando termini apprehenſi ſolum obſcurè ſuadent veritatem: Ergò, adhùc dato, quod actus fidei regularetur immediatè per iudicium evidens ſupernaturale,

tamen ad tale iudiciũ ſupernaturale ſemper præ requiritur apprehenſio terminorum evidenter oſtenſiva veritatis : Sed hæc neceſſariò eſſet ſupernaturalis illuſtratio, & non purè naturalis apprehenſio, quia moveret neceſſariò, & efficaciter ad iudicium ſupernaturale, & ſola apprehenſio naturalis implicat, quod moveat efficaciter, & neceſsitando ad iudium ſupernaturale: Ergò adhùc admiſſo tali iudicio evidenti, & ſupernaturali, ſemper præexigitur apprehenſio ſupernaturalis, & non ſufficit purè naturalis.

11. Nec valet dicere, vt inquit Lugo, illud iudicium fieri in nobis ſine nobis à ſolo Deo; quia, vt ipſe explicat, fit in nobis ſine nobis libere concurrentibus, non verò ſine nobis neceſſariò concurrentibus, quia intellectus non poteſt non concurrere elicitivè ad tale iudicium, licèt concurrat neceſsitatus ad ita iudicandum : Sed nequit intellectus neceſſitari ad illud iudicium, niſi ex obiecto ipſius prius apprehenſo : Ergò licèt fiat à Deo illud iudicium in nobis ſine nobis, non fit niſi media apprehenſione neceſsitante intellectum : Sed apprehenſio obiecti neceſsitans intellectum ad aſſenſum, ſeù iudicium ſupernaturale, non poteſt eſſe purè naturalis, ſed debet eſſe ſupernaturalis, quia actus purè naturalis non poteſt efficaciter, & neceſſariò inferrè actum ſupernaturalem, alias daretur in natura initium ordinis gratię, immò efficacia ad actus ſupernaturales, & gratuitos, quod redolet hæreſim Pelagianam : Ergò prædicta apprehenſio præcedens illud iudicium ſupernaturale eſſet ſupernaturalis : Ergò ſemper exigitur apprehenſio ſupernaturalis.

12. Ex dictis inferes, requiri apprehenſionem ſupernaturalem, non ſolum, quę proponat intellectui Myſterium vt revelatum ſub ratione veri, vt illi aſſentiatur, ſed etiam alia ex parte voluntatis, quę proponat voluntati motivum ſupernaturale, vt imperet aſſenſum fidei : Quodnam autem ſit motivum talis imperij, infrà explicabimus.

13. Dico ſecundò : *Probabilius exiſtimo, non requiri apprehenſionem ſupernaturalem Myſterij credendi ſecundum ſe, ſed ſatis eſſe naturalem.* Probatur, quia Myſterium ſecundum ſe eſt obiectum materiale fidei, ex ſe non movens ad aſſenſum, ſed purè indifferens ex ſe vt illi aſſentiatur, vel non, intellectus : Ergò licèt illius apprehenſio ſit conditio exacta ad aſſenſum ſupernaturalem, non tamen importat motionem, nec propoſitionem motivi, aut cauſę ad aſſentiendum : Ergò non requiritur quod ſit ſupernaturalis. Patet hæc conſequentia, quia de ratione conditionis purę ad aſſenſum ſupernaturalem, non eſt, quod ſit ſupernaturalis, ſolum enim probari poteſt ſupernaturalitas ex eo quod influit, cauſat, excitat, aut movet per ſe ad aſſenſum ſupernaturalem vt talem; vndè licèt auditio Evangelij, illiuſque prædicatio, ſit conditio exacta ad credendum Evangelio, quia tamen ſecundum ſe ſumpta, non movet per ſe ad aſſenſum ſupernaturalem, non exigitur quod ſit ſupernaturalis, & idem de intelligentia idiomatis, in quo Evangelium prædicatur, & de ſpecie Myſterij ſecundum ſe, vel ſaltèm terminorum ex quibus coaleſcit, vt immediatè dicemus : Ergò. Confirmatur, quia quiſque poteſt viribus naturę apprehendere hominem, & Deum : Ergò poteſt etiam viribus naturę apprehendere concretum vtriuſque, nempè *hominem Deum* : Ergò & Myſterium Incarnationis, quod in hoc concreto conſiſtit.

14. Sed indè objicies primò contra primam concluſionem : Poteſt etiam homo viribus naturę apprehendere Myſterium vt revelatum, & revelationem Myſterij : Sed hoc eſt motivum formale aſſenſus ſupernaturalis: Ergò non requiritur apprehenſio ſupernaturalis, adhùc obiecti motivi ad aſſenſum ſupernaturalem. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem : Poteſt homo ex viribus naturę apprehendere Myſterium vt revelatum, & ipſam revelationem, vt in actu exercito ſuaſivam, & motivam ad aſſenſum ſupernaturalem, nego : Præſcindendo à tali motione obiectiva, concedo maiorem, & in hoc ſenſu nego minorem; quia ego nunc apprehendere poſſum, & de facto apprehendo revelationem Incarnationis Patris, aut quaternitatis perſonarum, ſiquidem de illa loquor, ſed hæc non eſt apprehenſio ſuaſiva, aut motivá in actu exercito, nec practica, ſed purè ſpeculativa, & nullatenus excitans ad aſſenſum, & de hac fatemur non debere eſſe ſupernaturalem, ſed ſolum debere eſſe ſupernaturalem apprehenſionem excitãtem, & moventem ad aſſenſum ſupernaturalem, quę eſt apprehenſio practica, & gratia excitans ad credendum.

15. Objicies ſecundò : Non ſunt multiplicandi actus ſupernaturales ſine neceſsitate : Sed non eſt neceſſum adſtruere apprehenſionem ſupernaturalem ante iudicium, ſeù aſſenſum ſupernaturalem : Ergò. Probatur minor, primò, quia ad credendum ſatis eſt, quod iudicium immediatè præcedens ſit ſupernaturale : Ergò non requiritur apprehenſio ſupernaturalis. Secundò, quia alias omnes apprehẽſiones, etiam remotè præcedentes, deberent eſſe ſupernaturales, quod eſt multiplicare nimis apprehenſiones, & actus ſupernaturales. Tertiò, quia alias etiam iudicium credibilitatis deberet eſſe ſu-

ſupernaturale. Quartò, quia aliàs etiam ſpecies præcedentes deberent eſſe ſupernaturales. Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem. Ad eius probationem, dico, quod infrà videbimus an ante aſſenſum fidei debeat, vel non debeat præcedere iudicium, vel ſola apprehenſio, & ſaltèm, ſi non præcedat immediatè iudicium, apprehenſio immediatè præcedens debet eſſe ſupernaturalis; ſed dato quod immediatè præcedat iudicium, illud debet eſſe ſupernaturale, vt fatentur contrarij: Ergò ante illum debent præcedere apprehenſiones, vel apprehenſio aliqua ſupernaturalis, vt iam probatum relinquimus. Vndè in forma diſtinguo antecedens: Ad aſſenſum ſupernaturalem ſatis eſt, quod iudicium immediatè præcedens ſit ſupernaturale, & tale iudicium ſupernaturale eſſe nequit niſi ex apprehenſione aliqua ſupernaturali, concedo: Et poteſt eſſe ſupernaturale ſine apprehenſione vlla ſupernaturali, nego antecedens, & conſequentiam. Ad ſecundam, nego ſequelam, quia non omnes apprehenſiones præcedentes ſunt per ſe ſuaſivæ, & motivæ ad aſſenſum ſupernaturalem, nec practicè proponentes motivum aſſenſus ſupernaturalis, & ideò non omnes, ſed ſola illa, vel illæ debent eſſe ſupernaturales, quæ practicè proponunt motivũ ſupernaturalis aſſenſus, quia iſtæ ſolæ ſunt gratia excitans. Ad tertiam dico, quod iudicium credibilitatis practicè conducens per ſe ad aſſenſum ſupernaturalem vt talem, ſi eſt iudicium, & non apprehenſio, debet eſſe ſupernaturale; non verò iudicium de credibilitate in genere, ſivè per fidem re ipſa divinam, ſivè humanam, & exiſtimativè divinam, quia de hac credibilitate poteſt dari evidentia naturalis. Vide ſuprà *diſp.* 4. *quæſt.* 4. per totam. Ad 4. dico, quod licèt ſpecies non debeant eſſe ſupernaturales, debent tamen eſſe ſupernaturalizatæ vt immediatè oſtendo.

QVÆSTIO VII.

VTRVM SPECIES FIDEI DESERVIENTES debeant eſſe ſupernaturales.

1. RESPONDEO, & dico primò: *Quod ſpecies obiectorum materialium fidei, non debent eſſe ſupernaturales.* Patet, quia obiecta materialia fidei non influunt, nec movent per ſe ad fidem: Ergò non eſt neceſſum, quod repræſententur per ſpecies ſupernaturales, ſed ſatis eſt, quod repræſententur per ſpecies naturales. Tum etiam, quia ſi ſatis eſt, quod apprehendantur per apprehenſiones naturales: Ergò multò magis ſufficient ſpecies naturales, ſiquidem ad naturales apprehenſiones non requiruntur ſpecies ſupernaturales. Immò

2. Dico ſecundò: *Nec requiritur quod ſpecies iſtæ obiectorum materialium intrinſecè eleventur, vel ordinentur lumine ſupernaturali.* Probatur, quia obiecta materialia non cõcurrũt cauſaliter vllo modo ad aſſenſum fidei, & conſequenter nec eorum ſpecies, quia ſolum terminativè ſe habent: Sed elevatio ſupernaturalis ſolum requiritur ad influendum, aut cauſandum actum ſupernaturalem, non autem ad illum purè terminandum: Ergò. Nec item vt ordinatè concipiantur illa obiecta materialia, videtur exigi lumen ſupernaturale; quia propterea exigeretur, quia intellectus non poſſet ordinare ſua vi naturali talia obiecta in formam concreti ſupernaturalis, v. g. Trinitatem perſonarum ſecundum ſe cum vnitate eſſentiæ, faciendo concretum Trinitatis perſonarum, & vnitatis eſſentiæ: Sed hoc poteſt intellectus ordinare, & concernere in vnum vi ſua naturali, cum poſsit vi ſua naturali apprehendere in vnum quaternitatem perſonarum cum vnitate eſſentiæ: Ergò. Ratio autem fundamentalis eſt, quia obiecta materialia vt materialia non exigunt repræſentari modo practicè ſuaſivo, & motivo ad aſſenſum ſupernaturalem, ſed modo ſpeculativo, & indifferenti vt negentur vel affirmentur: Sed hoc modo ſpeculativo poteſt intellectus concernere, & componere ſeù ordinare apprehenſivè quælibet obiecta, quantumvis naturaliter incompoſsibilia, immò quamvis chimerica, & impoſsibilia: Ergò vt intellectus ordinet, ſeù concernat quælibet obiecta in formam cuiuslibet concreti, quantumvis ſupernaturalis, per modum obiecti materialis fidei, non requiritur lumen ſupernaturale. Nihilominus.

3. Dico tertiò: *Species repræſentativa obiecti formalis motivi fidei, vt illud debitè repræſentet, debet elevari aliquo lumine ſupernaturali ſibi intrinſeco.* Probatur, quia motivum ſupernaturale, media tali ſpecie, debet per ſe concurrere ad aſſenſum ſupernaturalem vt talem: Sed non poteſt per ſe concurrere ad aſſenſum ſupernaturalem vt talem, media illa ſpecie vt purè naturali: Ergò illa ſpecies debet elevari aliquo lumine, ſeù virtute ſupernaturali. Minor probatur, quia non poteſt per ſe concurrere ad aſſenſum ſupernaturalem vt talem, niſi præcontinendo ipſum aliqua continen-

tia, vt ſupernaturalem : Sed neqoit vllo pacto illum præcontinere vt ſupernaturalem conſiderata vt purè naturalis : Ergò vt purè naturalia nequit per ſe concurrere ad aſſenſum ſupernaturalem, vt talem.

4. Dices primò, aſſenſum ſupernaturalem fidei non cauſari immediatè ab obiecto motivo prout in ſpecie impreſſa, ſed ab obiecto motivo proot apprehenſo, & ſic ſatis eſſe quod apprehenſio ſit ſupernaturalis, non tamen exigi quod ſpecies ſupernaturalizetur intrinſecè. Sed contra eſt, quia licèt obiectum prout in ſpecie non concurrat, niſi mediantè apprehenſione ſupernaturali, ad aſſenſum fidei, concurrit tamen immediatè ad apprehenſionem ſupernaturalem motivi, nam cum apprehenſio illa ſit notitia intellectualis, neceſſariò debet procedere ab obiecto, & potentia, non ab obiecto phyſicè vt in re influenti, ſed ab obiecto vt in ſpecie, ſeù ratione ſpeciei impreſę : Ergò ſpecies impreſſa obiecti motivi debet concurrere per ſe ad talem apprehenſionem ſupernaturalem : Sed hoc repugnat, niſi ipſa ſpecies ſupernaturalizetur, aut elevetur intrinſecè : Ergò.

5. Dices ſecundò : Speciem non concurrere ad notitiam, ſivè apprehenſivam, ſivè iudicativam in genere cauſę efficientis, ſed ſolum in genere cauſę formalis extrinſecè determinantis, & ſpecificantis; ac proindè opus non eſſe, quod præcontineat notitiam obiecti, vndè quamvis notitia producta ſit ſupernaturalis, non requiritur, quod ſpecies, vi cuius producitur, ſit ſupernaturalis, nec ſupernaturalizata. Sed contra, quia, licèt ea ſententia, quę negat ſpeciei cauſalitatem verè effectivam in notitiam productam ex illa, ſit probabilior, & vt talis à nobis propugnata *in lib. de Anima*, tamen nec per modum cauſę formalis extrinſecè determinantis, & ſpecificantis concurrere poteſt ad notitiam ſupernaturalem, niſi intrinſecè elevetur, & ſupernaturalizetur : Ergò. Probo aſſumptum, quia conſiderata vt purè naturalis, non poteſt per ſe determinare intellectum ad notitiam ſupernaturalem, nec talem notitiam per ſe ſpecificare, immò vt purè naturalis per ſe ſolum poteſt determinare intellectum ad notitiam, ſeù apprehenſionem purè naturalem, & ſolum illā ſpecificare : Ergò, vt determinet, & ſpecificet notitiam ſupernaturalem vt talem, requiritur neceſſariò, quod intrinſecè ſupernaturalizetur, & elevetur.

6. Dices tertiò, ſatis eſſe, quod elevetur extrinſecè; elevatur autem extrinſecè ſpecies naturalis per habitum fidei ſupernaturalem, nam vt effectus aliquis ſit ſupernaturalis non opus eſt, quod omnia principia, nec omnes cauſę ſint ſupernaturales, ſed ſatis eſt, quod vna cauſa ſit ſupernaturalis, nam ex ipſa cæterę concauſę elevantur extrinſecè ad influendum in effectum ſupernaturalem. Et hæc eſt doctrina communis Ieſuitarum, quam pariſicant in præmiſſa naturali influente cum alia ſupernaturali in concluſionem theologicam ſupernaturalem.

7. Sed contra eſt, quia actus ſupernaturalis intellectus debet eſſe per ſe ſupernaturalis, non ſolum ex principio elicitivo, ſed etiam per ſe ex obiecto motivo, vt oſtenſum manet, quia implicat quod ſit ſupernaturalis ex motivo purè naturali : Ergò vt ſit ſupernaturalis non ſatis eſt ſupernaturalitas principij elicitivi, ſed exigitur influxus etiam ſupernaturalis ex parte motivi : Sed hic influxus neqoit eſſe ſupernaturalis ex parte motivi, niſi ſpecies, qua mediāte, motivum movet, determinat, & ſpecificat, intrinſecè ſupernaturalizetur ex parte ſua ſupernaturali elevatione diſtincta ab habitu ſe tenente ſolum ex parte principij elicitivi : Ergò. Explicatur : Species ex parte ſua debet ſpecificare actum intellectus ex illa procedentem, & determinare intellectum ad ſpeciem talis actus, nam hoc eſt munus proprium ſpeciei prout diſtinctę à principio elicitivo actus intellectus: Sed hoc implicat, niſi ex parte ſua ſit ſupernaturalis, vel ſupernaturalizata ſeorſin ab habitu : Ergò. Probo minorem, quia ſi ex parte ſua relinquatur in ſuo eſſe purè naturali, per ſe loqoendo, nequit determinare intellectum, niſi ad actum purè naturalem, quia nequit determinare obiectivè, niſi ad actum ſui ordinis, & ſibi proportionatum, vndè reſpectu illius per accidens omninò erit, quod actus elicitus ſit ſupernaturalis ſpecificè, potius quam naturalis : Ergò vt ſpecies ex parte ſua determinet obiectivè ad actū ſupernaturalem præ naturali, omninò exigitur, quod illa ex parte ſua ſit ſupernaturalis, vel ſupernaturalizata ſaltèm.

8. Ex quo patet diſparitas ad exemplum præmiſſę naturalis concurrentis ad concluſionem theologicam ſupernaturalem. Quia vt præmiſſa naturalis concurrat, non eſt neceſſum, quod ipſa per ſe ſpecificet actum ſupernaturalem, nec quod determininet per ſe intellectum ad illam ſpecificè concluſionem, ſed concurrit per modum cauſę vniverſalis, de ſe indifferentis ad concluſionem naturalem, vel ſupernaturalem, vndè per accidens eſt reſpectu illius, quod concluſio illata ſit ſupernaturalis, quia concluſio non evadit ſupernaturalis ex illa, ſed ex præmiſſa ſupernaturali, quę ſola determinat intellectum obiectivè ad concluſionem ſupernaturalem præ naturali, & ſola eſt cauſa obiectiva con-

concluſionis quoad differentiam ſpecificam, vi cuius eſt ſupernaturalis. Attamen ſpecies obiecti motivi actus fidei debet per ſe ſpecificare actum fidei in ſpecie ſupernaturali, & determinare per ſe intellectum ad talem ſpeciem actus ſupernaturalis, quia obiectum motivum debet eſſe cauſa per ſe, cur actus fidei evadat ſupernaturalis præ naturali, & determinare obiectivè ad illam ſpeciem actus, & id præſtare nequit, niſi ratione ſpeciei, & ea mediante, vndè & ipſa hoc ipſum debet præſtare per ſe, & non purè per accidens, nec per modum cauſę vniverſalis, & cum indifferentia, alias obiectum formale motivum media illa ita concurreret, nempè per accidens, & cum indifferentia ad illum, vel alium actum diverſę ſpeciei, quod quidem apertè eſt contra eſſentiam obiecti formalis motivi, de cuius ratione eſt determinare per ſe ſpeciem actus: Eſt ergò manifeſta diſparitas.

9. Vndè potius ex hac paritate confirmatur noſtra ratio, quia obiectum formale motivum actus fidei, non poteſt concurrere obiectivè per modum cauſę vniverſalis, & cum indifferentia ad hunc vel alium actum diverſę ſpeciei, ſicut concurrit præmiſſa naturalis ad concluſionem theologicam; alias non eſſet obiectum ſpecificativum actus fidei, quod eſt contra omnes: Ergò debet concurrere per ſe determinando obiectivè intellectum ad ſpeciem actus fidei, & determinatè ad illum præ alio: Sed non concurrit, niſi per ſui ſpeciem, quia obiecta realia non movent, nec cauſant actus intellectus, niſi per ſui ſpecies: Ergò ſpecies talis obiecti motivi debet concurrere, non per modum cauſę vniverſalis, & cum indifferentia, ſed per ſe determinando obiectivè ad talem ſpeciem actus. Patet conſequentia, quia ſpecies eſt vicaria obiecti, & præſtare debet quidquid obiectum mediante ipſa præſtat.

10. Confirmatur ſecundò, quia vt concluſio evadat ſupernaturalis, debet altera ſaltèm præmiſſa eſſe ſupernaturalis, ita vt ex vtraque præmiſſa naturali non poſſit inferri concluſio ſupernaturalis, & hoc quamvis habitus Theologię ſupponatur ſupernaturalis: Sed cur hoc? Sanè ſi ſufficeret ſupernaturalitas principij elicitivi abſque ſupernaturalitate ex parte obiecti motivi, ſatis eſſet, quod habitus Theologię, qui eſt principium elicitivum aſſenſus, ſeù concluſionis theologicę, eſſet ſupernaturalis, vt concluſio eſſet ſupernaturalis: Ergò hoc nõ ſufficit, ſed requiritur influxus ſupernaturalis etiã ex parte obiecti motivi; & quia præmiſſę cõcurrũt tanquam motivum concluſionis, indè eſt, quod requiritur aliquam ex illis eſſe ſupernaturalem: Sed ſpecies concurrunt ex parte obiecti: Ergò requiritur, quod aliqua ex illis ſit ſupernaturalis, vel ſaltèm ſupernaturalizata, vt actus intellectus evadat ſupernaturalis, & non ſufficit ſupernaturalitas ex parte principij elicitivi: Ergò requiritur quod ſaltèm ſpecies repræſentativa obiecti formalis motivi ſit ſupernaturalis, vel ſupernaturalizata, ſiquidem ſi aliqua debet eſſe talis, nulla magis, quam ſpecies obiecti formalis motivi, quę magis determinat, & concurrit ſpecificando.

SOLVVNTVR OBIECTA.

11. OBIICIES primò: Si requireretur ſpecies ſupernaturalis, vel ſupernaturalizata, maximè vt obiecta fidei clarius, & melius repræſentarentur, vel apprehenderentur: Sed ad hoc non requiritur, quia ſæpè hæretici clarius, & melius apprehendunt obiecta fidei, quam Ruſticus, Catholicus, & tamen hæreticus non habet ſpecies ſupernaturales, nec ſupernaturalizatas: Ergò. Reſpondeo, concedendo maiorem quod ſecundam partem, & de apprehenſione motivi formalis fidei, nempè, quod requiritur ſpecies ſupernaturalizata, vt obiectum motivum fidei melius apprehẽdatur, & negãdo minorem; quia dato, quod hæreticus melius, & clarius apprehendat obiecta materialia fidei, nempè Myſteria ipſa, tamen non melius apprehendit obiectum motivum, nempè divinam Authoritatem revelantem, ſiquidem illam apprehendit vt diſcernibilem, & diiudicabilem ex proprio lumine, & diſcurſu, vndè quid Deus revelet, quid non revelet, ex proprio lumine, & diſcurſu iudicat; è contra autem quilibet Catholicus, quamvis Ruſticus, apprehendit divinam authoritatem revelantem, vt tantę authoritatis, quod illi ſubiici debeat, & in obſequium illius captivari omne lumen naturale, & naturalis diſcurſus, & ideò, quid Deus revelet, quid non revelet, non ex proprio captu, lumine, aut diverſu, ſed vnicè ex divina authoritate revelante per organum proprium, nempè per Eccleſiam, diſcernit, & iudicat: Qui quidem modus diverſus iudicandi de divina authoritate vt revelante provenit ſanè ex diverſo modo illam apprehendendi, quia regularitèr diverſitas iudicandi ex diverſitate apprehendendi provenit; cum ergò hæretici indebitè iudicant de divina authoritate, ſiquidem illi non ſubiiciunt totum ſuum iudicium, ſed potius illam iudi-

dicant ex proprio iudicio, & diſcurſu, colligitur ſanè illos indebitè etiam illam apprehendere, & non prout ex meritis proprijs exigit apprehendi, nempè vt talis, & tanta, cui cæco modo omne noſtrum iudicium ſubijci debeat : Catholici autem hoc modo practicè, & in actu exercito illam apprehendunt; & ideò debitè, & pro meritis de illa iudicant, & illi ſe ſummitunt: Ergò melius illam apprehendunt, quam hæretici, ſaltèm loquendo in actu exercito. Et item, quia proportionatè illam apprehendunt, nempè cum ipſa in revelando ſit ſupernaturalis, illam apprehendunt ſupernaturaliter, apprehenſione nempè ſupernaturali, at hæretici apprehenſio improportionata eſt tantę Authoritati.

12. Obijcies ſecundò : Species deſervientes primò actui fidei, ſeù primę apprehenſioni ſupernaturali non repræſentant quidditativè obiectum fidei, ſed ſolum abſtractivè: Ergò per ſe non ſunt ſpecies quidditativę obiecti ſupernaturalis, ſed obiecti naturalis materialis, & ſolum repræſentant ſecundariò, & admodum obiecti materialis, obiectum ſupernaturale fidei : Sed ad hoc ſufficit ſpecies naturalis: Ergò. Confirmatur : Quia Deus non infundit homini, ad hoc vt credat, novas ſpecies ſupernaturales, alias homo fidelis haberet permanentes ſpecies infuſas Myſteriorum fidei, ſeù ſaltèm divinarum revelationum, ſiquidem ſpecies ſemèl infuſę, ſunt natura ſua permanentes : Ergò ſufficiunt ſpecies naturales ad credendum. Confirmatur ſecundò : Quia ſpecies ſupernaturalis, vel eſſet à Deo infuſa, vel ab obiectis accepta : Sed nec requiritur ſpecies à Deo infuſa, nec poteſt eſſe ſupernaturalis, ſi eſt ab obiectis accepta : Ergò. Probatur minor, quoad primam partem, quia ſi ſpecies deſervientes actui fidei eſſent infuſę, & non ab obiectis acceptę, Prædicatores, & Magiſtri fidei nullum prorſus influxum haberent in converſionem infidelium, eorumque miniſterium eſſet apparientia ſolum phantaſtica, ad nihil deſerviens, niſi vt tegeretur operatio Dei, qui ſolus interius ſpecies miniſtraret, abſque vllo concurſu Prædicationis humanę; quarè immeritò Paulus diceret : *Ego plantavi*: Et immeritò etiam interrogaret: *Quomodo audient ſine prædicante?* Ridiculus enim eſſet, & alienę glorię vſurpator fraudulentus, qui diceret ſe plantaſſe arborem, eo quod ipſo ſemen iaciente, quod nihil prorſus germinavit, alius ſemen aliud diverſum, ex quo ſolo arbor nata eſt, poſuit ibidem : Ergò immeritò diceret Paulus : *Per Evangelium ego vos genui*: Immò enim ſolus Deus eos genuiſſet : Fatendum ergò eſt, ſpecies illas, quas prædicatio gignit in mentibus audientum, influxum habere ſaltèm mediatum in fidem Evangelij, ne totam prædicationem Evangelicam phantaſticam dicamus, & conſequenter non eſſe neceſſarias ſpecies infuſas. Si verò dicas, quod ſpecies illę ſunt acceptę ab obiectis. Contra eſt, quia eo ipſo non poſſunt eſſe ſupernaturales, ſed debent eſſe purè naturales, quia ab obiectis non accipiuntur, niſi per ſenſus, & ſenſationes, huiuſmodi autem ſenſationes ſunt purè naturales : Ergò ſpecies per has ſenſationes acquiſitę ſunt purè naturales. Ita arguit Lugo.

13. Reſpondeo, hoc argumentum ad ſummum probare, quod ad actum fidei non requiruntur ſpecies entitativè ſupernaturales, non autem quod non requiratur ſpecies aliqua ſaltèm obiecti motivi ſupernaturalizata, ſeù elevata intrinſecè ratione alicuius luminis ſupernaturalis. Vndè in forma, conceſſo primò antecedenti, & prima conſequentia, nego minorem ſubſumptam, quia ad repræſentandum motivum ſupernaturale credendi, etiam abſtractivè, & admodum rerum materialium, ſi repræſentetur tale motivum pro meritis, & proportionatè ad ſui exigentiam, requiritur, ſi non ſpecies ex ſe ſupernaturalis, tamen, quod ipſa ſpecies entitativè naturalis elevetur aliqua vi ſupernaturali repræſentativa debitè motivi ſupernaturalis, quia aliter illud repræſentare nequit pro meritis ipſius, & proportionatè. Ad primam confirmationem, reſpondeo, quod Deus non infundit credenti novas ſpecies quoad ſubſtantiam, & entitatem earum, ſed acceptas ex prædicatione externa, elevat interius virtute ſupernaturali, vt poſſint determinare obiectivè ad actum fidei, & repræſentent debitè, & proportionatè motivum ſupernaturale credendi; vbi, quamvis ſpecies ſint naturales, & per ſe permanentes, tamen earum elevatio, ſeù virtus ſuperna eas elevans non petit eſſe per ſe permanens, ſed eſt motio quædam obiectiva tranſiens, & pertinens ad gratiam excitantem, vt infrà dicam.

14. Ad ſecundam confirmationem pariter reſpondeo, non eſſe neceſſariam ſpeciem per ſe infuſam, & id ad ſummum probat arguens, requiritur tamen, quod ſpecies acquiſita, & accepta ex prædicatione exteriori, elevetur interius obiectivè, ſeù ex parte obiecti, vt poſſit repræſentare debito modo motivum ſupernaturale credendi, & ita elevatur per illuſtrationem divinam à Deo ipſo interius docente in ſchola mentis ſecreta, vt inquit Auguſt. vndè deſerviunt quidem ſpecies acquiſitę ex prædicatione externa, vt verum teneat, quod inquit Div. Paulus : *Ego plantavi, Apollo rigavit.* Sed non ratione ſui movent mentem ad fidem ſu-

per-

pernam, ſed ratione diviuę illuſtrationit elevantis, vt ſimul ſit verum, quod ſequitur: *Deus autem incrementum dedit*; & illud: *Non ego, ſed gratia Dei mecum*; & illud: *Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatu, operatus eſt & mihi inter gentes, & gratia Dei ſum id quod ſum*, & in hoc ſenſu debet intelligi illud: *Per Evangelium ego vos genui*, nempè, in virtute divinę gratię intus illuminantis, & illuſtrantis vt prædicatio exterior fructum poſſet afferre: Vndè prædicatio Evangelij, & miniſterium prædicantium non eſt phantaſticum, ſed verè conducens ad converſionem, ſed non vltimo, & proximè movens, niſi Deo illuminante, & dante virtutem internam ipſi prædicationi, vt moveat mentem, ſiquidem, *Verbo Domini Cœli* (id eſt, Apoſtoli) *firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum*, id eſt, virtus prædicationis eorum, quia vt ſuprà Auguſtinus, & Div. Thom. contra Pelagium oſtendunt, non ſatis eſt ad movendam mentem vt credat, doctrina, & prædicatio exterior, ſed hæc debet elevari, & adiuvari divina illuſtratione, & illuminatione, quę eſt quaſi doctrina interna, per quam Deus intus docet, & auditur ab anima credente. Vidè Auguſt. ſuprà, *quæſt.* 4. *num.* 18. Nec valet recurſus ad habitum fidei, aut auxilium adiuvans potentiam ad credendum, quia hoc auxilium, vel hic habitus vnicè ſe tenet ex parte potentię, & concurrit phyſicè, non obiectivè, & confortat potentiam vt audiat, & diſcat à Deo docente interius: Vltrà hoc autem requiritur illuminatio alia, vi cuius Deus intus doceat, & illuminet mentem, quę quidem debet eſſe obiectiva, ſeù ex parte obiecti, & debet concurrere movendo obiectivè; quia docens, vt docens, obiectivè movet, & medio obiecto, non autem purè ſubiectivè, & ex parte potentię: Cum autem veriſſimum ſit, quod Deus intus docet mentem vt credat, tum ex illo, *vnctio docebit vos*, ex illo: *Ille vos docebit omnia, quæcumque dixero vobis*, & ex illo *omnis; qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me*; de quo videatur ſuprà Auguſt. Indè eſt, quod requiritur illuſtratio obiectiva elevans ſpecies, & obiecta propoſita per externam prædicationem, vt poſſint movere obiectivè ad fidem: Et hæc illuminatio diſtincta eſt ab habitu fidei, & à principio elecitiva actus fidei, ſiquidè eſt per modum doctrinę divinę interioris, & item, quia eſt gratia excitans mentem, & gratia excitans eſt diſtricta ab habitu fidei, qui permanet etiam in dormientibus, & quando nulla eſt mentis excitatio ad credendum: Concluditur ergò, neceſſarium eſſe, quod ipſę ſpecies acceptę ex prædicatione externa eleventur obiectivè, & ex parte ſua, & conſequenter intrinſecè virtute aliqua ſuperna, ſeù illuſtratione, vt poſſint movere mentem, tum ad apprehenſionem debitam motivi eredendi, tum ad fidem.

15. Difficultas vero poteſt eſſe, an talis illuſtratio, ſeù virtus divina elevans inſideat intrinſeceè verbis etiam ipſis Prædicatoris Evangelici, tum in eorum prolatione, tum in ipſis prout recipiuntur, & percipiuntur ſenſibus corporęis vſque dum perveniunt ad mentem? An vero ſolum in mētis ingreſſu incipiat illa elevatio? Ratio difficultatis eſt, quia videmus plerumque, verba Prædicatoris Evangelici, maiori ſanctitate, gratia, & fidei zelo prædi ti, maiorem virtutem movendi ad fidem habere, ex quo videtur inferri, quod talem virtutem trahunt verba ipſa ex ipſo proferente: Si autem hoc ita eſt, talis virtus comittabitur verba ipſa ex quo à Prædicatore proferuntur, & verba ipſa trahent elevationem, & virtutem ſupernam ſibi inhærentem ex proferente. Nec illam deſerent, dum per ſenſus externos audientis tranſeunt ad internos, & per internos ad mentem, ſiquidem ſenſus, quamvis corporei, non ſunt incapaces, vt per illos tranſeat virtus ſupernaturalis, ſicut à qua non eſt incapax, vt per illam tranſeat virtus divina ſupernaturalis cauſativa gratię. Et vrgeri poteſt, quia ſi verba ex prædicante nullam vim ſupernam traherent, ſed Deus ſpecies ſolum intelligibiles illuminaret, & verba ſolam vim naturalem haberent vſque dum ad mentem pervenirent, non eſſet ratio cur magis moverent verba Viri charitate ferventiſſimi, quam alterius tepidi, immò potius valleret eloquentia, & facundia naturalis prædicantis, quę ineſt ipſis verbis prout à prædicante ordinatis, quam zelus, & charitas, & fervor ipſius, de quo verba nihil participarent. Poteſt etiam patrificari in verbis, quę ſunt forma Sacramentorum, de quibus Div. Thom. 3. *part. quæſt.* 62. *artic.* 4. *ad* 1. inquit, quod licèt virtus ſpiritualis non poſſit permanenter reſidere in re corporea, qualia ſunt illa verba, poteſt tamen in eis reſidere tranſeunter per modum motionis. *Sicut*, inquit, *in ipſa voce ſenſibili eſt quædam vis ſpiritualis ad excitandum intellectum hominis, in quantum procedit à conceptione mentis, & hoc modo vis ſpiritualis eſt in Sacramentis*: Ergò pariter, verbis hominis charitate, & zelo ferventis poteſt ineſſe tranſeunter, & per modum motus vis divina, ac ſpiritualis in ordine ad excitandam mentem audientis, ratione cuius eleventur inſtrumentaliter verba ipſa externa, ad cauſandas ſpecies cum ſimili vi, & elevatione.

16. Veruntamen, in contra videtur eſſe, primò, quia ſi hæc aliquid probant, pro-ba-

bare etiam videntur, in verbis etiam ſcriptis reſidere talem virtutem ſpiritualem, & ſupernam, & cum ipſa verba ſcripta ſint permanentia in libro alicuius Sancti, vel Doctoris, eſſet in illis permanenter talis virtus divina, & ſuperna; etiã quin comitiaret ea verba in quolibet idiomatè traducta, & per varias editiones typis mandata, & characteres ipſi typographici participarēt ipſam vim ſupernam, quod ſanè ridiculũ videtur. Sequela autem patet, quia etiam verba ſcripta ab vno viro docto, ſancto, & fervore charitatis prædito habent ſpecialem vim motivam mentis, & trahunt ab ipſo Authore virtutem excitativam mentis ad ſuperna, & hoc etiam per alienam manum ſcripta, typis etiam mandata, immò, & alio idiomate traducta: Ergò opus eſſet, quod talis vis ſupernaturalis comittaret dicta verba, eiſque inſideret, in eorum ſcriptione, in libro ſcripto, in typis ipſis, & characteribus, &c.

17. Secundò, quia verbis ipſis Sacramentorum conceditur talis virtus, propter dignitatem Sacramentorum novę legis, vt cauſent phyſicè gratiam; at verba prædicantis Evangeliũ nõ ſunt Sacramēta, nec cauſant phyſicè gratiam in anima: Ergò. Tertiò, quia quamvis prædicans Evangelium nullo charitatis fervore moveatur, immò quamvis ex vanagloria prædicet, ſolent eius verba movere audientes, & ipſoſmet ad fidem excitare, & reducere: Ergò non in eſt verbis externis de neceſsitate vis ſupernaturalis tracta ex virtute prædicantis. Quartò, quia ſæpè verba, quantumvis fervidè dicta, nihil movent audientem: Non ergò virtus motiva eſt in verbis, ſed aliundè deduci debet.

18. In hac ergò difficultate, cenſeo primò, poſſe verba prædicantis trahere ex virtute ipſius virtutem divinam, & ſupernaturalem inſtrumentalem motivam mentis ad ſuperna, reſidentem tranſeũter in ipſis verbis externis, & ſenſibilibus per modum motus. Et id probant rationes pro prima parte adductę. Nec in contra obſtant, quę opponuntur, quia in charactęribus, ſeù verbis ſcriptis non eſt eadem ratio; nam cum ſint permanentia, & in eis ceſſet motus loquentis, ſeù loquentis motio, ſunt incapacia prædictę virtutis, quę non niſi per motum participatur, & communicatur, vtpotè virtus per ſe tranſiens, & per modum motionis; in verbis autem prolatis continuatur motus, & motio proferentis per medium aereni, auditum, & ſenſus internos vſque ad mentem audientis, & ideò in toto illo motu poteſt tranſire virtus ſuperna ex impreſsione proferentis, quę pervenit vſque ad mentem audientis. Nec item obeſt, quod verba ipſa non ſint Sacramenta, quia ex hoc ſolum ſequitur quod vis ipſis inſidens non cauſet phyſicè gratiam, non vero tollitur quod poſsint cauſare obiectivè, & intentionaliter excitando actus ſupernaturales in audiente. Nec demum obeſt, quod aliquando verba Evangelica prolata ex vanagloria moveant, & excitent ad fidem ſupernam, hoc enim ſolum probat, non eſſe neceſſarium vt verba moveant, quod trahant ex prædicante virtutem ſupernam, quia ſine hoc poteſt Deus ea elevare in mente audientis, ſeù in ſpecie intelligibili ex ipſis cauſata, vt moveant ſupernaturaliter, ita vt elevatio illorum incipiat in ſpecie excitante apprehenſionem ſupernaturalem. Et ſimiliter, quod verba ex ſpiritu fervido, & charitate ardenti procedentia, non movent, non provenit, quia verba ſic prolata non ferant ſecum vim ſupernam motivam, ſed quia audiens præoccupatus alijs apprehenſionibus, & affectibus contrarijs impedit motionem ſupernam ſuę mentis.

19. Dico ſecundò, non ſemper, nec neceſſario verba externa prædicationis Evangelicę ferrè ſecum intrinſecè talem vim ſupernam, ſed quandoque Deum incipere motionem mentis ab ſpecie intelligibili ex eis verbis in mente naturaliter cauſata, elevando, & illuſtrando eam vt poſsit cauſare, & determinare apprehenſiones, vel apprehenſionem debitam motivi ſupernaturalis. Id etiam patet, tum quando Prædicator Evangelij prædicat ex vanagloria, aut non ex impulſu gratię, tunc enim non eſt, cur imprimat ipſe verbis virtutem gratię. Tum quando verba movent vt ſcripta; licèt enim ſcripta, aut dictata fuerint ex impulſu gratię, talis tamen impulſus iam ceſſavit. Sed dices: Vndè eſt, quod verba illa, adhuc ſcripta, movent efficacius, quam ſi ex impulſu vanęgloriç ſcripta forent? Reſpondeo, quia licèt non in ſe ipſis, tamen in ſua origine exigentiam habent, vt Deus illuminet mentem legentis, vt eo ſpiritu ea percipiat, quo dictata fuerunt, & ſic Deus iuxta huiuſmodi exigentiam ſervat proportionem regulariter, illuſtrando mentem percipientis, vt percipiat ſupernaturaliter eorum verborum ſenſum, ſicut illuſtravit mentem proferentis, vel dictantis, vt ea ſcriberet, vel dictaret.

20. Dico tertiò: Quamvis verba ex ſpiritu proferentis trahant ſecum virtutem illam excitativam animi ſupernam, poteſt Deus, & ſæpè id facit, ſpecialiter illuſtrare audientis mentem, & ſpecies intelligibiles ex eis verbis acceptas, vt excitentur apprehenſiones ſupernę, quibus obiectum motivum fidei debitè, & ſu-

per-

pernaturaliter proponatur, nunc cum maiori vi ſuaſiva, & motiva, nunc cum minori. Id infero, quia Deus, non ſolum docet per verba externa, quantumvis trahentia ex gratia proferentis virtutem illuminativam, ſed etiam ſpecialiter docet, quos vult, & prout vult, in ſchola mentis ſecreta per internam illuminationem, & illuſtrationem: Ergò non eſt regula certa in modo movendi, ſed aliquando Deus ita, aliquando aliter illuſtrat, & movet, aliquandò ſolum per verba externa, aliquando etiam illuſtratione interna ſpecialiter addita, aliquando magis ſuadendo, aliquando minus.

21 Dico denique: Hæc divina motio, & illuſtratio, qua Deus illuſtrat ſpecies in mente audientis, vel legentis Evangelium, eſt quidem efficax ad excitandas apprehenſiones vel apprehenſionem ſupernaturalem motivi fidei; ſed ſe ſola, nec cum iſtis apprehenſionibus, non eſt efficax ad extorquendum aſſenſum fidei. Primum patet, quia illę apprehenſiones ſunt neceſſarię, & indeliberatę, & per conſequens neceſſariò determinatę, & cauſatę ab obiectis medijs ſpeciebus illuminatis, & elevatis: Ergò ſpecies illę vi motionis, & illuſtrationis divinę efficaciter inferunt illas apprehenſiones abſque indifferentia; ſi enim cum indifferentia excitarent tales apprehenſiones, illę apprehenſiones non neceſſarię, ſed liberę forent; ſupponimus autem eſſe neceſſarias: Ergò. Secundum etiam patet, quia etiam poſt tales apprehenſiones ſupernas excitatas, & excitantes, ſuadenteſque aſſenſum fidei, intellectus manet indifferens ad aſſenſum, vel diſſenſum, quantumvis enim ſit obiectivè ſolicitatus, ſuaſus, & motus, motione ſuperna, eſt tamen motus ſolum obſcurè, & non ex evidentia obiecti propoſiti: Ergò ex vi illius motionis non neceſsitatur, nec efficaciter determinatur obiectivè ad aſſenſum, ſed permittendo, quod aliundè motus diſſentiat. Rurſus, quia motio obiectiva non eſt ſe ſola efficax ad aliquem actum, niſi quando movet ſine indifferentia obiectiva; ablata autem indifferentia obiectiva, aufertur libertas: Sed nunquam Deus movet obiectivè ad fidem auferendo libertatem: Ergò nunquam illa motio obiectiva eſt de ſe efficax, ſed ſemper cum obiectiva indifferentia ad aſſenſum fidei. Demùm, quia intellectus non movetur efficaciter ad aſſenſum obiecti ex obiecto, niſi evidenter propoſito; ſola enim evidentia obiecti efficaciter rapit, & extorquet aſſenſum intellectus: Sed motio illa non eſt cum evidentia obiecti, ſed cum obſcuritate: Ergò non eſt obiectivè efficax. Vndè ad actu credendam vlterius requiritur motio phyſica, & impetium voluntatis, vt infrà oſtendam.

22. Ex quo obiter infero; talem divinam illuſtrationem, & apprehenſiones ſupernaturales ſæpè eſſe etiam in infidelibus, & hæreticis reluctantibus; quia ſæpè in ipſis eſt gratia excitans de ſe indifferens ad aſſenſum, & diſſenſum, & Concil. Trident. definit liberum arbitrium poſſe diſſentire Deo excitanti, nempè per illas apprehenſiones, & illuſtrationes, in quibus gratia excitans ſita eſt; quod debere intelligi in ſenſu compoſito relatè ad gratiam excitantem ſatis oſtendimus *tractat. de Provid. quæſt. 17. à n. 179.* Ergò illę apprehenſiones, & illuſtrationes rectè cohærent in reluctantibus, diſſentientibus, & contradicentibus, nempè in hæreticis.

23. Infero ſecundò; ad credendum, vltrà hanc motionem obiectivam, ſeù illuſtrationem, quę ſpectat; ad gratiam excitantem, requiri motionem phyſicam, & ſubiectivam ex parte voluntatis, quę ſit gratia ex ſe efficax, & adiuvans. Patet; quia illa obiectiva motio, & illuſtratio eſt communis reluctantibus, & credentibus, & eſt ſolum gratia excitans: Sed vltrà gratiam excitantem communem reluctantibus, & hæreticis, requiritur ad credendum gratia adiuvans ſpecialis credentibus, & qua efficaciter credentes, & Chriſtiani efficiantur: Ergò.

QUÆSTIO VIII.

AN ACTUS FIDEI DIVINÆ ſit liber, & quo pacto?

1. IN præcedentibus oſtendimus, quid requiratur ex parte intellectus ad actum fidei, nempè apprehenſiones, & ſpecies, & quales illę debeãt eſſe: Nunc ſequitur indagare, quid requiratur ex parte voluntatis; & quia dependentia actus fidei, (de qua in Titulo huius diſputationis agere promiſsimus) maximè fundatur in eius libertate; ideò primum inquirimus de ipſa.

2. Dico primò: *Actus fidei theologicę, ſeù divinę, non eſt actus neceſſarius, ſed liber.* Præſcindimus in hoc aſſerto à modo, quo eſt liber, & in hac præciſione, eſt certiſsimum inter omnes DD. Catolicos, conſtatque ex illo Apoſt. *ad Rom.* 10. *Corde creditur ad iuſtitiam*, corde, id eſt, voluntate, nam cor pro voluntate ponitur in Sacro Textu. Et ex illo

Actor. 8. *Si credis ex toto corde, licèt*, idem eſt enim corde, ſeù voluntate credere, ac liberè credere. Item ex illo *Luc.* 14. vbi Chriſtus reprehendit Diſcipulos, ſic: *O ſtulti, & tardi corde ad credendum!* Patet autem neminem reprehendi iuſtè, eo quod ſit tardus in aliquo actu, niſi talis actus ſit liber. *Marc. vlt.* dicitur: *Qui crediderit, ſalvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur*, vbi proponitur premium credentibus, & pœna non credentibus; patet autem pœnam, aut premium non proponi, niſi pro actu libero: Ergò conſtat ex S. Textu, quod credere eſt actus liber, & non neceſſarius.

3. Conteſtantur Concil. & SS. PP. Nam *Arauſic.* II. *Can.* 5. definit: *Initium fidei, ipſumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui iuſtificat impium, &c.* Si affectu credulitatis credimus: Ergò liberè credimus. Item Trident. *Seſſ. 6. cap. 6.* inquit, quod adulti, *diſponuntur ad iuſtitiam, dum fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes, &c.* Item Toletanum VI. *Can.* 55. *Sicut enim homo propria arbitrij voluntate Serpenti obediens perijt, ſic, vocante ſe Dei gratia, propriæ mentis converſione, quiſque credendo ſalvatur.* Item Div. Auguſtinus perpetuus eſt in adſtruenda fidei libertate, nam *Tract.* 26. *in Ioann.* ſic ait: *Multa poteſt homo facere non volens, credere autem nō poteſt niſi volens.* Lib. de Bono perſev. ca. 16. *Fides ſine voluntate eſſe nequit.* Lib. 1. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 19. *Nemo per fidem venit ad Deum, niſi velit.* Lib. 1. ad Simplicianum, quæſt. 2. *Nec credit aliquis, niſi libera voluntate.* Et id ipſum repetit pluribus alijs in locis. Cui conſonant cæteri PP.

4. Et ratione probatur, quia tota Scriptura plena eſt exortationibus ad credendum, & reprehenſionibus contra incredulos: ſed ſi non eſſet in noſtra libera poteſtate credere, vel non credere, fruſtrà eſſent tales exortationes, aut reprehenſiones, quia fruſtra quis exortatur vt faciat, & fruſtrà reprehenditur, quia non facit, quod non eſt in eius libera poteſtate: Ergò credere eſt in noſtra libera poteſtate, & conſequenter eſt actus liber. Secundò, quia datur præceptum credendi, & non diſcredendi veritatibus fidei: Sed præcepta non dantur, niſi de actibus liberis: Ergò credere, ſeù actus fidei eſt actus liber.

5. Tertiò, & à priori, quia actus elicitus cum indifferentia ſubiectiva, & obiectiva, hoc eſt, à potentia indifferenti, & ex obiecto non neceſsitante, eſſentialiter eſt actus liber: Sed actus fidei eſt huiuſmodi: Ergò eſt liber. Probatur minor, quia in primis potentia elicitiva actus fidei, nempè intellectus, de ſe non eſt determinata ad credendū, cū videamus, ſæpè intellectum non credere veritates fidei: Deindè obiectum illius, cum proponatur obſcurè, & ſine evidentia, proponitur cum indifferentia obiectiva, & minimè neceſsitat ad ſui aſſenſum: Ergò aſſenſus fidei elicitur cum indifferentia ſubiectiva, & obiectiva: Ergò eſt liber.

6. Dico ſecundò: *Actus fidei, non ſolum eſt liber quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpecificationem.* Ita Div. Thom. *in præſenti, artic.* 10. vbi ait: *Aſſenſus fidei ſubiacet voluntati, non ſolum, quoad vſum, ſed etiam quoad aſſenſum.* Et ita ſimiliter ſentiunt communiter Theologi. Et ſuadetur eiſdem authoritatibus ac præcedens concluſio, quia in illis non ſolum inſinuatur libertas in credendo, quoad vſum, ſed etiam quoad aſſenſum. Et vrgetur ex Trid. definiente, *Liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum poſſe diſſentire, ſi velit*, quod intelligi debet etiam dum movetur, & excitatur ad fidem: Sed quoties adeſt poteſtas diſſentiendi, eſt libertas non ſolum quoad exercitium, ſeù quoad vſum, ſed etiam quoad ſpeciem, ſiquidem eſt libertas ad actum ſpecie oppoſitum: Ergò. Et confirmatur ex illo *Actor.* 22. vbi Paulo prædicante, & proponente res fidei, *quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt, audiemus te de hoc iterum, quidam verò adhærentes ei crediderunt.* Ex quo conſtat, quod propoſita ſufficienter doctrina fidei, eſt indifferentia in ipſis audientibus, tum ad poſitivum diſſenſum, tum ad ſuſpendendum iudicium, tum ad aſſenſum: Sed hæc eſt libertas quoad ſpeciem: Ergò.

7. Deindè probatur ratione, quia ille actus eſt liber quoad ſpeciem, ſeù libertate contrarietatis, & non ſolum quoad vſum, ſeù libertate contradictionis, qui elicitur à ſubiecto potente, non ſolum non exercere actum illum, ſed potente exercere oppoſitum: Sed actus fidei eſt huiuſmodi: Ergò eſt liber libertate contrarietatis, & non ſolum libertate contradictionis, ſeù eſt liber quoad ſpeciem, & non ſolum quoad vſum. Probatur minor, quia ille, qui credit, non ſolum eſt liber in eo quod credit, ſed etiam in eo quod non diſcredit rebus fidei: Ergò quia credit potens diſcredere. Secundò, quia obiectum fidei, quantumvis propoſitum, ſemper proponitur obſcurè, & non cum evidentia: Sed ſola evidentia neceſsitare poteſt intellectum ad aſſenſum, ita vt non poſſit intellectus diſſentire, nec aſſenſum ſuſpendere: Ergò quotieſcumque intellectui proponitur obiectum fidei, retinet indifferentiam vel ad diſſenſum, vel ſaltèm ad ſuſpendendum iudicium,

Digitized by Google

tium, & aſſenſum: Sed hoc ſufficit ad libertatem quoad ſpeciem, ſeù contrarietatis, vt infra explicabo; Ergò actus fidei eſt liber, non ſolum quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpeciem. Tertiò, quia actus fidei eſt magis liber, quam actus ſcientię, nam obiectum motivum ſcientię, ſemèl ſufficienter propoſitum, eum importet evidentiam, neceſſitat intellectum ad aſſenſum, at obiectum motivum fidei, cum obſcurè proponatur, non neceſſitat intellectum: Sed actus ſcientię eſt liber quoad exercitium, ſeù quoad vſum, ſiquidem exercere ſcientiam aliquam, ſeù ea vti eſt in poteſtate libera ſcientis, cum poſſit ſe applicare, vel non applicare ad conſiderationem illius: Ergò actus fidei eſt liber, non ſolum hoc pacto, ſed etiam quoad ſpeciem, alias non eſſet magis liberum credere, quam ſcire. Hæc igitur communia ſunt inter AA. Reſtat tamen non levis difficultas in explicando, qualis ſit hæc libertas, an mediata, an immediata, an eſſentialis, an contingens actui fidei, cuius difficultatis explicationem extorquebit ſequens obiectio.

PROPONITUR INGENS *difficultas.*

8\. OBIJCIES igitur: Nemo poteſt credere fide divinâ cum poteſtate libera diſſentiendi: Sed ad libertatem contrarietatis in credendo requiritur credere cum poteſtate libera, non ſolum non aſſentiendi, ſed diſſentiendi, quia requiritur poteſtas libera ad actus contrarios: Ergò nemo poteſt credere cum libertate contrarietatis. Probo maiorem: Nemo poteſt credere fide divina cum poteſtate libera aſſentiendi errori oppoſitò: Sed diſſentire fidei eſt aſſentire errori contradictoriè oppoſito, quia ex duobus contradictorijs oppoſitis negare vnum, eſt afirmare aliud: Ergò nemo poteſt credere cum poteſtate libera diſſentiendi. Probo maiorem, quia nemo poteſt credere fide divina, niſi articulus, quam credit, proponatur ſibi ex parte actus primi vt evidenter credibilis præ oppoſito errore: Sed dum ita proponitur implicat, quod ille, cui ſic proponitur, habeat poteſtatem liberam ad aſſentiendum oppoſito errori: Ergò nemo poteſt credere fide divina cum poteſtate libera aſſentiendi oppoſito errori. Maior communiter ſupponitur, & nobis eſt certiſsima, præſertim ex dictis *Tractat. de Conſcient. quaeſt.* 26. vbi ſtatim oſtendimus non poſſe intellectum aſſentire, ſaltèm prudenter, opinioni propoſitę, vt minus, aut ęquè tantum probabili, ſed opus eſſe vt illi aſſentiatur prudenter, quod illa omnibus inſpectis proponatur vt probabilior pre oppoſita; hoc autem potiori ratione militat in actu fidei divinę: Nemo ergò fide divina credere poteſt, niſi articulus credendus ſibi proponatur credibilior errori oppoſito. Minor autem, nempè, quod ſimùl ille, cui ſic proponitur, non retineat poteſtatem liberam credendi errorem oppoſitum, pari ratione probatur, quia vt habeat poteſtatem liberam credendi errorem oppoſitum, opus eſt, quod error oppoſitus proponatur vt credibilis, vel credibilior articulo Catholico ſibi contrario, quia intellectus nequit credere minus credibile propoſitũ vt minus credibile ſuo contrario, immò nec ęquè credibile in conſpectu ſui oppoſiti propoſiti vt ęquè credibilis; tum quia, vt ex loco citato dictis conſtat, non poteſt aſſentire minus, aut ęquè probabili in conſpectu ęquali s, vel maioris probabilitatis pro oppoſito: Tum quia inter teſtes numero, & authoritate ęquales, vel inęquales, nequit intellectus credere his, qui apud ſe faciunt minorem, aut tantum ęqualem fidem, & credibilitatem, vt videre eſt *loco cit. num.* 26. Ergò vt poſsit credere errorem oppoſitum requiritur, quod error oppoſitus proponatur ex parte actus primi vt credibilior articulo fidei: Sed hoc implicat ſimùl dum articulus fidei proponitur vt credibilior tali errore, quia ſimùl, & in ſenſu compoſito nequit proponi intellectui articulus Catholicus vt credibilior errore contrario, & error contrarius ſimùl, vt credibilior articulo Catholico: Ergò dum articulus Catholicus proponitur vt credibilior errore cõtrario non poteſt dari ſimùl in credente poteſtas libere ad credendum errorem oppoſitum.

9\. Et vrgeri poteſt, quia ad credendum fide divina non ſatis eſt, quod obiectum credendum proponatur vtcumque credibilius oppoſito, ſed requiritur quod ita credibilius proponatur, quod illius credibilitas non relinquat errorem oppoſitum credibilem, adhùc minus, ſed potius reddat illum abſolutè incredibilem, & ſolum maneat abſolutè credibilis articulus fidei; nam cum aſſenſus fidei divinę debeat eſſe firmiſsimus, & abſque omni formidine, non poteſt elici ſtante credibilitate oppoſiti erroris, adhùc minori, quia manente credibili, licèt minus, oppoſita Secta, non poſſet intellectus aſſentire doctrinę Catholicę, niſi cum aliquali formidine de veritate oppoſitę Sectę ſibi apparentis credibilis, licèt minus: Requiritur ergò vt poſsit quis credere doctrinam Catholicam fide divina, quod illa ſibi proponatur vnicè credibilis cum incredibilitate Sectę oppoſitę; ſed ſtante huiuſmodi propoſitione,

non poteſt ſimùl ſtare poteſtas libera aſſentiendi Sectę oppoſitę; quia huiuſmodi poteſtas ſtare nequit, niſi oppoſita Secta proponatur vt credibilis, ſaltèm minus, vel ęquè, quia nemo poteſt credere quod ſibi non proponitur vt credibile: Ergò non poteſt ſimùl ſtare poteſtas libera credendi fide divina doctrinam Catholicam, & poteſtas libera credendi Sectam contrariam.

10. Et magis vrgeri poteſt, quia iuxta communiorem Sententiam RR. non ſatis eſt ad credendum fide divina, quod ex parte actus primi proponatur credibilis vnicè, vel credibilior doctrina Catholica ſolum apprehenſivè, ſeù per ſolam apprehenſionem, ſed requiritur etiam ex parte actus primi, & poteſtatis, quod proponatur ita credibilis iudicativè, ſeù per iudicium, quo intellectus præviè iudicet doctrinam Catholicam eſſe vnicè credibilem, vel longè credibiliorem oppoſitis Sectis, nam ad conſtituendam libertatem ex parte actus primi, inquiunt, non ſufficere apprehenſionem obiecti, ſed requiri iudicium perfectum, & abſolutum: In qua ſententia, etiam ad credendum Sectam oppoſitam erit neceſſarium ex parte libertatis, & actus primi, quod illa proponatur vt credibilis, non ſolum apprehenſivè, ſed etiam iudicativè, per iudicium nempè perfectum, & abſolutum de eius credibilitate, nam etiam actus credendi oppoſitam Sectam eſt actus liber, & ex conditione generali actus liberi exigunt ex parte actus primi, & libertatis, quod obiectum eius proponatur, non ſolum apprehenſivè, ſed etiam per iudicium: Ergò vt detur poteſtas libera credendi doctrinam Catholicam requiritur ex parte talis poteſtatis, iudicium perfectum de illius credibilitate vnicè, vel de illius credibilioritate; & ſimiliter, vt detur poteſtas libera credendi Sectam oppoſitam, requiretur ex parte poteſtatis iudicium de illius credibilitate: Sed implicat quod ſimùl in eodem intellectu detur iudicium abſolutum, & perfectum de eo quod doctrina catholica eſt vnicè credibilis, vel longè credibilior oppoſita Secta, & iudicium abſolutum, & perfectum, de eo quod oppoſita Secta eſt credibilis, ſeù credibilior doctrina Catholica: Ergò repugnat quod ſimùl in eodem detur poteſtas libera credendi doctrinam Catholicam, & poteſtas libera credendi Sectam contrariam: Sed libertas contrarietatis importat hanc duplicem poteſtatem liberam: Ergò repugnat libertas contrarietatis ad credendam doctrinam Catholicam, vel Sectam adverſam.

11. E contra autem pro oppoſita ſententia alij arguunt: Quia non minor eſt libertas hominis in credendo, quam in amando: Sed datur libertas contrarietatis apud omnes ad amandum, vel odio habendum idem obiectum: Ergò poteſt dari libertas contrarietatis ad credendum, vel diſcredendum idem obiectum. Explicatur primò: Non minus requiritur ex parte poteſtatis liberę ad amandũ aliquod obiectum, quod illud proponatur vt bonum, & amabile, & ex parte poteſtatis ad odium illius, quod illud proponatur vt malum, & odibile, quam exigitur ex parte poteſtatis ad credendum, quod obiectum proponatur vt credibile, & ex parte poteſtatis ad illi diſcredendum, quod proponatur vt incredibile, ſeù diſcredibile: Nec minus requiritur, quod obiectum amandum vel odio habendum proponatur per iudiciũ, & non ſolum per apprehenſionem, quam de obiecto credendo, vel diſcredendo: Sed, primò non obſtante, omnes admittunt, poſſe obiectum ſufficienter proponi voluntati, vt illa habeat libertatem contrarietatis, ad illud amandum, vel odio habendum: Ergò poterit etiam proponi obiectum credibile ſufficienter, vt credens habeat libertatem contrarietatis ad illud credendum, vel negandum.

12. Explicatur ſecundò: Omnes admittunt libertatem contrarietatis in voluntate ad amorem vnius obiecti ex duobus oppoſitis, ita, vt propoſitis duobus bonis oppoſitis, poſſit liberè quodlibet illorum diviſim amare: Ergò omnes etiam tenentur admittere, quod poſſit quis ex duobus articulis oppoſitis ſibi propoſitis, habere libertatem contrarietatis ad credendum quodlibet diviſim. Patet conſequentia, quia non minus ad amandum liberè bonum requiritur ex parte poteſtatis, quod illud proponatur, vel vnicè amabile, vel amabilior oppoſito, quam ad credendum aliquem articulum, quod ille proponatur, vel vt vnicè credibile, vel vt credibilior oppoſito.

13. Et vrgeri poteſt, primò, nam, dum hæreticus credit ſuum errorem, ſimùl ei proponitur doctrina catholica vt credibilis ſufficienter vt illam poſſit credere, immò vt credibilior, dicunt aliqui: Ergò poteſt ſtare ſimùl in eodem ſufficiens propoſitio doctrinę catholicę vt credibilis, & ſufficiens propoſitio erroris contrarij: Ergò & ſimùl libertas contrarietatis ad vtrumlibet credendum. Probatur antecedens primò, quia hæreticus, dum credit ſuum errorem, retinet ſimùl obligationem credendi doctrinam Catholicam, aliàs contra illam non peccaret: Sed non ſtat obligatio credendi doctrinam Catholicam, niſi illa ſit propoſita vt ſufficienter credibilis: Ergò tunc illi ſimùl proponetur doctrina Catholica, vt ſufficienter credibilis. Secundò: Hæreticus credens

dens ſuum errorem eſt pertinax contra fidem, hæreſis enim definitur *error pertinax contra fidem*: Sed non poteſt eſſe pertinax contra fidem, niſi dum fides illi ſufficienter credibilis proponitur: Ergò dum credit ſuum errorem ſimùl ei proponitur fides catholica vt ſufficienter credibilis.

14. Confirmatur denique: Sæpè per actum fidei vincit credens tentationem contra fidem: Sed tentatio, quę vincitur per actum, eſt ſimùl, ſeù in eodem inſtanti cum eo actu, quia non vincitur tentatio, niſi quando eſt: Ergò ſimùl compatitur actus fidei, & tentatio contra fidem: Sed tentatio contra fidem neceſſario conſiſtit in eo quod ſufficienter proponatur error contrarius vt credibilis ſufficienter, quia ſi error oppoſitus non proponitur vt credibilis, ſed ſolum vt incredibilis, nulla eſt tentatio contra fidem: Ergò cum actu fidei ſimùl compatitur, quod error oppoſitus proponatur vt ſufficienter credibilis. Difficultatem iſtam ita præmiſi, quia ea ſtudioſus magis excitabitur ad illius ſolutionem, & explicationem addiſcendam.

EXPLICATVR LIBERTAS contrarietatis fidei.

15. DE hoc argumento egi *Tract. de Conſcient. quæſt. 26. à num. 107.* licèt per transſennam, & non ex profeſſo. Conſequenter ergò ad ibidem dicta, difficultatem præcedentem, quę multorum ingenia torquet, expediam.

16. Noto primò, libertatem contrarietatis dnplicem excogitari poſſe, nempè vel mediatam, vel immediatam, & proximam. Mediata, ſeù remota eſt poteſtas mediata, ſeù remota, libera tamen, ad vtrumque contrarietatis extremum, id eſt, ad actus contrarios: Immediata, ſeù proxima eſt proteſtas proxima, & immediata ad actus contrarios. Noto ſecundò, ad veram, & propriam libertatem contrarietatis, non exigi quod ſit immediata, ſed ſatis eſt, quod ſit vera, & libera poteſtas, licèt mediata, ad actus contrarios. Pro cuius intelligentia notandum eſt tertiò, quod dupliciter poteſt eſſe aliqu apoteſtas mediata, nēpè, vel dependenter à medio, quod agens acquirere poteſt pro ſua libera poteſtate, vel depēdenter à medio, quod in eius libera poteſtate non eſt illud acquirere: V. g. dupliciter poteſt quis habere poteſtatem mediatam recitandi officium divinum, aut legendi, nempè vel dependenter à Brebiario, vel libro, quem pro ſua libertate poteſt acquirere, vel dependenter à libro, ſeù Brebiario, quod pro ſua libertate acquirere nequit, ſed vnicè pendet ab alio illud habere vel non habere: Poteſtas mediata hoc ſecundo modo, non eſt verè poteſtas libera, quia non eſt vera poteſtas libera ad aliquem actum, quę nec eſt poteſtas immediata, nec poteſt pro ſua libertate acquirere poteſtatem immediatam; quę nec proximè poteſt actum elicere, nec poteſt acquirere, quod ſibi deeſt, vt proximè poſſit; vndè ille, qui non habet librum, nec poteſtatem liberam illum acquirendi, non habet veram, & liberam poteſtatem legendi in illo, adhùc mediatam. Poteſtas verò mediata primo modo eſt vera poteſtas libera, licèt mediata, quia licèt non ſit per ſe immediata poteſtas, nec de facto habeat quod ſibi deficit ad proximum poſſe, habet tamen illud in ſua poteſtate libera, quia poteſt illud pro ſua libertate habere; vndè qui actu non habet præ manibus librum, non habet poteſtatem proximam legendi, quia ad hanc requiritur litteras eſſe actu oculis obiectas, tanquam obiectum legendum; ſi tamen habet librum in domo, ſeù alibi ad arbitrium ſuum, habet veram, & liberam poteſtatem legendi, licèt mediatam, vt per ſe patet. Noto quartò, libertatem contrarietatis ad actum fidei, poſſe reſpicere diverſa extrema contraria. Primò poteſt reſpicere actum credendi fidei catholicę, & pro extremo contrario actum credendi oppoſitum errorem, vel Sectam, v. g. mahumetanam, vel luteranam. Secundò poteſt reſpicere pro extremo contrario, actum negandi fidem catholicam, ſeù illi poſitivè diſſentiendi, præſcindendo à qualibet alia Secta, vel errore contrario; poteſt enim quis poſitivè diſſentire, ſeù negare fidem catholicam propter difficultates in illa ſibi apparentes, quin vllum alium errorem admittat, & hic diſſenſus eſſet actus contrarius actui fidei, & extremum contrarietatis reſpectu illius. Tertiò poteſt libertas prædicta reſpicere pro extremo contrario actui fidei, non oppoſitum errorem, non poſitivum diſſenſum, ſeù negationem fidei catholicę, ſed ſolam poſitivam dubitationem, quia poſitiva dubitatio intellectus eſt etiam actus poſitivus contrarius actui fidei, & conſequenter extremum contrarietatis. Quartò poteſt reſpicere pro extremo contrario ſolam ſuſpenſionem iudicij circa res fidei, quia licèt talis ſuſpenſio iudicij videatur ſecundum ſe potius extremum contradictorium actui fidei, quam extremum contrarietatis, ſeù contrarium, tamen vt volita, & imperata à voluntate, iam eſt extremum contrarium, & non purę contradictionis, quia inter voluntatem imperare aſſenſum fidei, vel imperare ſuſpenſionem iudicij non

non eſt pura contradictio, ſed contrarietas, quia eſt inter duo imperia contraria, inter quę eſt medium, nempè neutrum imperare. Ex his, iam multimodis explicatur libertas contrarietatis in fide.

16. Dico primò: Quilibet homo credens habet poteſtatem liberam, ſaltèm mediatam, ad extrema contraria actui fidei, & conſequenter veram libertatem contrarietatis. Probatur, nam quilibet credens, dato, quod non habeat poteſtatem proximam credendi errorem oppoſitum, quia ſibi de facto non apparet credibilis in conſpectu doctrinę Catholicę, tamen poteſt, ſi velit, acquirere talem apparientiam neceſſariam ad illum errorem credendum, ſiquidem poteſt, ſi velit, avertere conſiderationem à motivis doctrinę Catholicę, & Catholicos non audire Miniſtros, nec legere libros, & ſe applicare ad conſiderationem motivorum erroris contrarij, legere libros Sectariorum, eos libenter audire, &c. Et ſic abſdubio aſſequetur, quod error oppoſitus ſibi credibilior, vel etiam vnicè credibilis proponatur, potiſsimè, ſi, vt poteſt, claudat mentis oculos divinis inſpirationibus, & oblibiſcatur ęternorum amorem, & ſolum temporalibus inhiet convenientijs: Ergò iam habet poteſtatem liberam, ſaltèm mediatam, quiſque ad credendum oppoſitum errorem, licèt requiratur ad illum credendum, quod ille appareat, aut iudicetur credibilior doctrina Chriſtiana.

17. Secundò, quia licèt credere oppoſitam Sectam, vel errorem pluribus Catholicis ſit valdè remotè liberum, & poſsibile, tamen negare fidem Catholicam, ſeù illi poſitivè diſſentire non adeò remotè eſt poſsibile, vt egeat homo credens ad hoc audire hæreticos, aut legere eorum libros, aut aliud huiuſmodi, ſed ſatis eſt, ſiquis intra ſe nimium avertat in primis conſiderationem à rebus ſpiritualibus, & ęternis, inhiet carnalibus, & temporaneis, & hac diſpoſitione præmiſſa, nimum conſideret motiva naturalia, & ſenſibilia, quę apparenter contradicunt fidei, nam hoc pacto facilè, ſi velit, aſſequetur, quod tota doctrina fidei velut omnium ſibi appareat, & non niſi ſtultè credibilis, & ſic acquiret poteſtatem proximam, & proximam apparientiam exactam ad eam re ipſa negandam ex corde, & illi poſitivè diſſentiendum, vt prudentee incredibili; quia ſemèl imbutus prudentia ſola carnis, & huic immerſus, nihil mirum, quod imprudens ſibi videatur fides Chriſtiana, quę prudentię carnis inimica eſt: Ergò quilibet, ſi velit, poteſt acquirere poteſtatem proximam negandi ex propria mente fidem, & illi diſſentiendi poſitivè; Ergò quilibet credens habet poteſtatem liberam mediatam, & remotam negandi fidem, & illi diſſentiendi poſitivè, & quidem minus remotam, quam ad credendas Sectas contrarias, aut oppoſitos errores.

18. Tertiò, quia etiam eſt minus remota poteſtas ad poſitivè dubitandum de fide Catholica, quia ad hoc ſolum requiritur ex parte actus primi proximi, quod menti repræſententur motiva contra fidem, cum ęquali, vel ferè ęquali apparientia veritatis, ac motiva pro fide, nam, vt inquit Div. Thom. *quæſt.* 14. *de veritate artic.* 1. hæc eſt propria diſpoſitio dubitantis: Sed ad hoc acquirendum habet liberam poteſtatem, quia poteſt avertere conſiderationem à motivis fidei, & nimum inſiſtere conſiderationi motivorum in contra, ex quo cito fiet, quod in intellectu ęquę, vel ferè ęquè ponderent motiva contraria, potiſsimè ſi affectus inordinati, & paſsiones inſurgentes præcedant; quod quidem totum eſt in libera poteſtate cuiuſque: Ergò quilibet credens habet liberam poteſtatem acquirendi apparientiam, & diſpoſitionem proximam, ſeù proximam poteſtatem dubitandi poſitivè de fide: Ergò habet poteſtatem liberam, licèt remotam, ad poſitivè dubitandum, & quidem minus remotam, quam eſt poteſtas ad poſitivè diſſentiendum fidei.

19. Ac demum, quia ad voluntariè ſuſpendendum iudicium circa fidem, minus multò requiritur, nam adhùc, dum fides proponitur vt credibilior, immò, & inter omnes Sectas vnicè credibilis, non variata hac diſpoſitione ex parte intellectus, poteſt quiſque ſibi repræſentare vt melius, & conveniens ſuſpendere iudicium, & intellectum minimè captivare, ſi nempè ductus ſolo lumine naturali conſideret totam credibilitatem prædictam non facere evidentiam, nec evidentem certitudinem de rebus fidei, & ex indè ſibi repræſentet, cum tota illa credibilitate eſſe contingentem falſitatem, & incertam veritatem, nam ſi ſolo lumine naturali inſiſtere velit, ita certè ſibi proponetur, & repreſentabitur, & ſic erit iam in proxima diſpoſitione, & proxima poteſtate voluntariè ſuſpendendi iudicium, vel nollendi poſitivè credere, nec captivare intellectum, ſeù volendi tantum ratione naturali clara, & patenti duci, & non fide obſcura: Ergò iam retinet poteſtatem liberam, ſaltèm mediatam, ad actum poſitivum nollendi credere, ſeù volendi ſuſpendere iudicium.

20. Tum ſic: Ex dictis, quilibet credens habet poteſtatem liberam, ſaltèm mediatam, primò, voluntariè ſuſpendendi iudicium,

cium, & nollendi credere: Secundò, licèt magis remotè, poſitivè dubitandi: Tertiò, licèt magis remotè, poſitivè diſſentiendi doctrinę fidei: Quartò, licèt magis remotè, credendi oppoſitos errores: Sed credere oppoſitos errores, diſſentire poſitivè fidei, dubitare poſitivè de illa, voluntariè ſuſpendere iudicium, & nolle credere, ſunt actus contrariè oppoſiti actui fidei: Ergò quilibet credens habet poteſtatem liberam, magis, minuſvè remotam, verè tamen liberam ad quatuor actus contrarios actui fidei: Ergò veram libertatem contrarietatis ſaltèm mediatam. Maior difficultas eſt de libertate immediata contrarietatis. De qua.

21. Dico ſecundò: *Non poteſt dari in eodem inſtanti libertas immediata, & proxima ad actum fidei, & ad credendum oppoſitum errorem, vel Sectam.* Et in hoc ſenſu dicebam *Tract. de Conſc. quæſt. 26. num.* 181. actum fidei non eſſe liberum immediatè libertate immediata contrarietatis. Probatur autem rationibus adductis pro prima ſententia ſuprà *à num.* 8. Quia omnibus illis vt minimum probatur, non poſſe doctrinam catholicam apparere ſufficienter credibilem fide divina, & ſimiliter apparere ſufficienter credibilem oppoſitam Sectam ſimùl, & in eodem inſtanti reſpectu eiuſdem intellectus. Etenim vt doctrina Catholica appareat ſufficienter credibilis fide divina, debet actu apparere vt longè credibilior omni alia Secta oppoſita, vel vt inter omnes ſola ipſa credibilis: Et ſimiliter vt Secta oppoſita appareat ſufficienter proximè credibilis, debet apparere vt credibilior fide catholica, vel ſaltèm vt abſolutè credibilis: Sed implicat, quod in eodem inſtanti, & eidem intellectui ſimùl appareat doctrina catholica vt ſola ipſa inter omnes credibilis, vel longè credibilior cæteris, & contraria Secta ſimùl vt credibilior vel abſolutè credibilis, quia iam non appareret doctrina catholica vt ſola inter omnes Sectas credibilis, nec vt longè credibilior cæteris omnibus, vt per ſe patet: Ergò non poteſt ſimùl concurrere in eodem intellectu apparientia credibilitatis proximè ſufficiens ad credendam fide divina doctrinam Catholicam, & apparientia credibilitatis proximè ſufficiens ad credendam Sectam, vel errorem oppoſitum. Sed eo ipſo non poteſt dari in eodem inſtanti, ſeù ſimùl libertas proxima, & immediata, tum ad actum fidei divinę, tum ad credendum errorem oppoſitum, quę nimirum ſit ſimùl immediata ad vtrumque extremum: Ergò.

22. Dices, poſſe ſimùl dari in eodem intellectu prædictas apparientias ex diverſis motivis, ſi nimirum ex motivis noſtrę fidei, noſtra fides appareat evidenter credibilior oppoſita Secta, vel vnicè credibilis, & ex motivis pro oppoſita Secta, illa appareat etiam credibilior noſtra fide, vel vnicè credibilis; quia licèt hoc repugnet ex eodem motivo; non repugnat tamen ex diverſis motivis. Sed contra eſt, quia ad credendum fide divina, non ſufficit, quod noſtra fides proponatur vt credibilis vnicè, vel credibilior, præcisè attentis proprijs motivis, ſine collatione illorum cum motivis contrarij erroris ſimùl propoſitis, ſed requiritur, quod omnibus pro ipſa, & contra ipſam conſideratis, collatis, & penſatis, abſolutè, & ſimpliciter noſtra fides appareat, vel vnicè credibilis, vel longè credibilior: Sed cum hoc implicat, quod ſimul oppoſita Secta, adhùc ex motivis ſuis appareat ſufficienter proximè credibilis: Ergò non poteſt ſimùl ſtare ſufficiens, & proxima credibilitas noſtrę fidei, & ſufficiens, & proxima credibilitas Sectę contrarię. Maior patet, quia, vt quis credat fide divina, debet credere maturè, & prudenter; ad hoc autem non ſatis eſt, quod res credenda appareat ex his, aut illis motivis precisè credibilis, aut credibilior, alijs non conſideratis, ſed requiritur, quod conſiderentur omnia motiva occurrentia, & conferantur, & omnibus illis collatis, & penſatis, appareat res credenda ſimpliciter, & vnicè credibilis, & oppoſita incredibilis, quia aliter non eſſet proximè credibilis conſideratè, & prudenter, ſed inconſideratè, & imprudenter. Deindè probatur minor, quia ſuppoſita debita collatione, & conſideratione omnium motivorum, & quod omnibus actu cōſideratis appareat noſtra fides vnicè credibilis, & oppoſita incredibilis, in ſenſu compoſito huius conſiderationis, & apparientię, non poteſt eſſe, nec apparere ſufficienter proximè credibilis oppoſita Secta, quia non poteſt oppoſita Secta eſſe proximè, & ſufficienter credibilis, niſi imprudenter, & inconſideratè, hoc eſt, per inconſiderationem, aut defectum conſiderationis debitę motivorum noſtrę fidei: Sed in ſenſu compoſito collationis, & conſiderationis omnium motivorum non poteſt dari inconſideratio, ſeù defectus debitę conſiderationis, nec apparientia credibilitatis Sectę contrarię ex inconſideratione proveniens; quia non poteſt ſimùl, & in eodem inſti idem intellectus conſiderare, & non conſiderare debitè omnia motiva occurrentia: Ergò.

23. Ex quo retunditur ſolutio, quę poſſet adhiberi, nempè, quod licèt ſuppoſita matura conſideratione omnium motivorum, ſola noſtra fides appareat prudenter credibilis, & ſola illa poſſit prudenter credi, hoc non tollit,

Google

collit; quod ſimùl ſit proximè credibilis oppoſita Secta temerè, inconſideratè, & præcipitanter, quia quantumvis aliquis cognoſcat, quod omnibus penſatis ſola noſtra fides apparet prudenter credibilis, poteſt nihilominus iudicium præcipitare, & temerè, ac imprudenter aſſentire oppoſitę Sectę. Retunditur, inquam, hæc ſolutio, quia licèt exiſtente prædicta conſideratione motivorum, & apparientia noſtrę fidei, vt vnicè credibilis prudenter, poſsit ille, cui ſic apparet, præcipitare iudicium, non tamen id poteſt proximè, & immediatè in ſenſu compoſito debitę illius conſiderationis, & apparientię, ſed ſolum id poteſt mediatè, & remotè, quatenus poteſt avertere prædictam conſiderationem, ſeù illam prætermittere, & prætermiſſa debita conſideratione, tunc præcipitare iudicium: Ergò nunquam ſalvant contrarij, quod ſimùl cum debita conſideratione, & apparientia credibilitatis noſtrę fidei, cohæreat proxima, & immediata poteſtas libera credendi oppoſitum errorem, adhùc imprudenter, & temerè, ſed ſolum cohæret poteſtas mediata, & remota. Probatur antecedens, primò, quia nequit intellectus in ſenſu compoſito prædictę apparientię, & conſiderationis immediatè credere errorem oppoſitum, niſi hoc modo tendendi, vel formaliter, vel virtualiter, nempè dicendo mentaliter: *Quamvis omnibus inſpectis, penſatis, & conſideratis mihi apparet catholica fides credibilior longè oppoſita Secta, vel vnicè credibilis, & oppoſita Secta incredibilis, tamen credo oppoſitam Sectam eſſe veram, & catholicam falſam*: Sed hic modus tendendi repugnat intellectui, cum ſit prorſus fatuus, & irrationalis: Ergò. Secundò, quia credere præcipitando iudicium, eſt credere prætermittendo debitam conſiderationem motivorum: Ergò ſtante, & perſeverante debita conſideratione non poteſt immediatè credere præcipitando iudicium, ſed requiritur prius prætermittere, ſeù excludere debitam conſiderationem, vt illa prætermiſſa, poſsit immediatè credere temere, & præcipitanter.

24. Et hæc ratio vrgentius premit, ſi ſtemus communi opinioni RR. quę prærequirit ex parte actus primi ad credendum, non ſolam apprehenſionem obiecti vt credibilis, ſed iudicium perfectum, & abſolutum dictans illud eſſe hic, & nunc credibile; nam iuxta hanc ſententiam non poteſt fides noſtra eſſe proximè credibilis, niſi iudicetur abſolutè vt hic, & nunc credibilior, vel ſola ipſa credibilis collata cum Sectis contrarijs, nec Secta vlla oppoſita poteſt eſſe proximè credibilis, niſi actu iudicetur etiam abſolutè credibilis: Sed implicant ſimùl in eodem intellectu duo iudicia, quorum vnum affirmet, quod doctrina catholica abſolutè, & omnibus inſpectis eſt ſola ipſa credibilis, & aliud, quod etiam Secta contraria eſt hic, & nunc credibilis; nam hæc iudicia obiectivè contrariantur inter ſe: Ergò implicat, quod ſimùl eidem intellectui ſit proximè credibilis noſtra fides, & etiam proximè credibilis Secta contraria.

25. Nec dicas, non eſſe iſta iudicia obiectivè contraria, quia procedunt, & iudicant ex diverſis motivis, & nulla eſt contrarietas in eo quod noſtra fides ex his motivis ſit credibilis, & oppoſita Secta ſit etiam credibilis ex alijs motivis. Contra enim eſt; quia vt ſit proximè credibilis fide divina noſtra Doctrina, non ſatis eſt, quod iudicetur credibilis *ſecundum quid*, hoc eſt ex his præcisè motivis, alijs non attentis, nec conſideratis, ſed requiritur, quod omnibus inſpectis abſolutè, & ſimpliciter iudicetur ſola ipſa credibilis: Sed cum hoc iudicio non compatitur aliud, quod iudicet Sectam contrariam ex ſuis motivis, vt abſolutè credibilem, quia eſt apperta contradictio obiectiva in eo quod omnibus inſpectis ſola noſtra doctrina ſit credibilis, & ſimùl oppoſita ex ſuis motivis ſit etiam hic, & nunc abſolutè credibilis: Ergò.

26. Vrgetur: Quia vel illa duo iudicia reſpiciunt motiva diverſa etiam ex parte obiecti terminativi, ſignatè ea exprimendo in obiecto affirmato, ita vt vnum iudicium dicat: *Doctrina Catholica eſt credibilis ex ſuis motivis*, & aliud dicat: *Secta contraria eſt credibilis ex motivis contrarijs*, & ſic vltrò fatear, quod hæc iudicia non ſint obiectivè contraria, quia loquuntur de diverſa credibilitate ſignatè; cæterum neutrum eorum eſt proximè ſufficiens ex parte actus primi ad credendum, quia ad credendum, præſertim fide divina, requiritur ex parte actus primi, quod obiectum iudicetur, omnibus motivis inſpectis, & conſideratis, vt abſolutè, & ſimpliciter credibilis; immò etiam ad credendum, licèt imprudenter, oppoſitum errorem, requiritur, quod ille iudicetur, licèt per inconſiderationem, abſolutè, & ſimpliciter credibilis, & non cum illo addito, *ex his præcisè motivis pro ipſo*, nam quomodo quis credet talem Sectam, quamvis illam iudicet credibilem *ex his præcisè motivis pro ipſa*, ſi actu iudicat, quod omnibus motivis inſpectis eſt incredibilis? Quis enim re vera credet dictum vnius, eo quod iudicat, quod ex ipſius authoritate præciſivè ſumpta eſt credibile, ſi ſimùl iudicet, quod ex maiori authoritate contradicentium, & omnibus penſatis, eſt incredibile? Non ergò

gò ſufficit ad aliquid abſolutè credendum, quod illud iudicetur credibile *ſecundum quid*, hoc eſt, *quantum eſt præcisè ex aliquibus motivis*, ſi ſimùl iudicat abſolutè, & omnibus inſpectis eſſe incredibile. Vel illa duo iudicia non ponunt motiva diverſa ſignatè ex parte obiecti, ſed exercitè moventur ex diverſis motivis, affirmant tamen vnum, quod fides noſtra eſt abſolutè hic, & nunc ſola ipſa credibilis; & aliud, quod Secta contraria eſt etiam abſolutè, hic, & nunc credibilis; & ſi ita affirmant: Ergò ſunt obiectivè contraria, quia in eodem ſenſu affirmant credibilitates oppoſitas, & contrarias ex parte obiecti; nam quis dubitet eſſe inter ſe contraria, quod noſtra fides hic, & nunc ſit abſolutè ſola ipſa credibilis, cum incredibilitate Sectę oppoſitę, & quod ſimùl Secta oppoſita maneat hic, & nunc abſolutè credibilis? Ergò ſi hoc iudicant illa duo iudicia, illa ſunt obiectivè contraria, & conſequenter incompoſsibilia in eodem intellectu.

27. Confirmatur hæc doctrina ex ipſa experientia, ſiquidem nullum vidimus, nec videbimus, qui credat noſtram fidem, qui ſimùl affirmet ſibi eſſe credibilem ſufficienter Sectam contrariam; nullumque, qui credat Sectam contrariam, & ſimùl affirmet doctrinam Catholicam illi Sectę adverſam eſſe ſibi abſolutè, & ſimpliciter credibilem, ſeù vnicè credibilem: Ergò ex ipſa experientia conſtat, quod iudicium, ſeù credibilitas exacta ex parte actus primi ad credendam fidem Catholicam, eſt incompatibile cum credibilitate proximè ſufficienti ad credendum oppoſitum errorem. Et vrgetur, quia licèt aliquando hæreticus fiat Catholicus, & Catholicus hæreticus, non tamen iſte tranſitus eſt ita inſtantaneus, vt immediatè poſtquam actu credit doctrinam Catholicam actu fidei divinę, immediatè credat oppoſitum errorem, ſed ſemper intercedit tempus, vt varietur paulatim diſpoſitio intellectus, & apparientia credibilitatis: Sed ſi ſtare poſſet proxima credibilitas erroris cum actu fidei Catholicę, poſſet fidelis inſtantaneè, & immediatè tranſire de actu credente articulum fidei ad actu credere oppoſitum errorem, ſiquidem poſſet immediatè credere, quod ſibi proximè, & immediatè eſſet credibile: Ergò ſi hoc nunquam contingit, ideò eſt, quia nunquam coniunguntur proxima credibilitas erroris contrarij cum actu fidei Catholicę, ſeù cum proxima illius credibilitate: Nunquam ergò coniungitur cum actu fidei Catholicę proxima diſpoſitio intellectus, nec proxima poteſtas ad credendum errorem contrarium: Ergò nunquam actus fidei Catholicę eſt immediatè liber libertate proxima contrarietatis ad credendum errorem oppoſitum. Vndè videmus, quod ſi quis Catholicus fiat hæreticus, prius ceſſat exercere actus fidei, dehinc declinat à conſideratione motivorum pro noſtra fide, & ea paulatim non attendit debitè, & nimium attendit motivis Sectę contrarię, & ſic paulatim, mutando conſiderationem, devenit ad hoc quod Secta contraria illi videtur credibilior ex defectu debitę conſiderationis, & tunc illi credit, & aſſentitur: Ergò ſignum eſt quod, qui credit firmiter noſtram fidem, non habet diſpoſitionem proximè ſufficientem, & conſequenter nec poteſtatem proximam ad credendum oppoſitum errorem.

28. Dico tertiò: *Dum quis actu credit fide divina, non habet ſimùl poteſtatem proximam ad diſſentiendum poſitivè fidei per poſitivam negationem ipſius, & conſequenter actus fidei non eſt liber libertate immediata contrarietatis ad poſitivum diſſenſum.* Patet ex dictis, quia hoc modo diſſentire fidei eſt illam reſpuere, & negare vt falſam: Sed nemo, dum credit firmiter noſtram fidem, retinet poteſtatem proximam reſpuendi illam vt falſam: Ergò nemo credit firmiter noſtram fidem cum poteſtate proxima diſſentiendi illi vt falſę prædicto modo: Ergò nec cum proxima libertate ad talem diſſenſum. Probatur minor, in qua eſt difficultas, quia non datur poteſtas proxima reſpuendi fidem vt falſam, niſi illa ſufficienter appareat falſa; & vt falſa repræſentetur; & proponatur: Sed hoc repugnat in eo ſtanti, in quo quis credit eam firmiter vt veram: Ergò nemo, dum eam credit firmiter vt veram, retinet poteſtatem proximam diſſentiendi illi vt falſę. Probatur minor, quia, quando quis credit firmiter noſtram fidem, pro ſigno actus primi repræſentatur illi vt vera, & vt omnibus inſpectis credibilis vnicè cum incredibilitate falſitatis illius: Sed cum hoc nequit componi quod ſufficienter proponetur, & appareat falſa, vt illi diſſentire immediatè poſsit intellectus: Ergò. Confirmatur, quia reſpicere noſtram fidem vt falſam eſt iudicare illam eſſe falſam; hoc autem eſt credere errorem oppoſitum noſtrę fidei, nam quis error magis oppoſitus noſtrę fidei, quam iudicare ipſam eſſe falſam: Sed ex dictis conſtat, credentem firmiter noſtram fidem non retinere poteſtatem proximam credendi oppoſitos errores: Ergò multò minus retinebit poteſtatem proximam ad credendum noſtram fidem eſſe falſam. Explicatur: Non poteſt intellectus illam reſpicere vt falſam, niſi ex parte actus primi, & pro priori magis ſibi appareat falſa quam vera; ſed implicat, quod dum intellectus credit firmiter illam vt veram, illa ſibi appa-

reat magis falſa quam vera, aliàs crederet firmiter illam vt veram, quamvis ſibi magis videretur falſa, quam vera; qui eſt fatuus modus credendi, penitus repugnans intellectui: Ergò implicat, quod dum intellectus credit firmiter noſtram fidem vt veram, retineat apparientiam falſitatis requiſitam ex parte actus primi proximi vt poſsit iudicare illam eſſe falſam.

29. Et vt ęquivocatio vitetur, nota, quod non loquor de negatione externa fidei, qua quis dicat exterius, & ore tantum, fidem eſſe falſam, nam vltrò fateor, quod quamvia alicui videatur vnicè vera noſtra fides, immò, quamvis illam actu firmiter credat vt veram, poteſt illam exterius, & ore tantum negare vt falſam, quia ad hoc non requiritur ex parte actus primi, quod illa appareat vt falſa, vt per ſe patet; loquimur ergò de diſſenſu poſitivo interno, quo quis intus, & ex propria mente diſſentiat re ipſa fidei vt falſę, & illam mentaliter neget vt falſam, ſeù ſeriò iudicet eam falſam eſſe; loquendo igitur de hoc actu contrario fidei, dico, quod qui firmiter credit, non retinet, adhùc ex parte actus primi, proximam, & immediatam diſpoſitionem vt poſsit immediatè talem actum, ſeù diſſenſum elicere, quia ex parte actus primi proximi requiritur ad talem internam negationem fidei, quod illa magis appareat falſa quam vera: Sed hoc penitus repugnat in eo, qui actu credit firmiter noſtram fidem vt veram, aliàs crederet firmiter illam vt veram, quamvis ſibi appareret magis falſa, quam vera: Ergò.

30. Explicatur: Vt quis credat firmiter noſtram fidem vt veram, requiritur ex parte poteſtatis proximę, quod illa appareat vel vnicè vera, vel longè magis vera, quam falſa, vt per ſe patet; deindè, vt quis neget illam mentaliter tanquam falſam, requiritur etiam ex parte poteſtatis proximę, quod illa appareat magis falſa, quam vera: Sed repugnat, quod ſimùl eidem intellectui appareat magis falſa quã vera, & ſimùl appareat vel vnicè vera, vel lõgè magis vera, quam falſa: Ergò & quod detur poteſtas proxima ad illam credendam firmiter vt veram ſimùl cum poteſtate proxima reſpuendi illam vt falſam. Et quidem neminem vidimus, qui immediatè tranſiret de actu credendi firmiter vt veram noſtram fidem, ad iudicium contrarium illam negandi vt falſam: Ergò ſignum eſt, quod credens firmiter non habet proximam, & immediatam poteſtatem ad diſſentiendum poſitivè noſtrę fidei vt falſę.

31. Dico quartò: *Credens firmiter non retinet poteſtatem proximam dubitandi poſitivè, & ſic non credit cum libertate proxima contrarietatis ad hoc extremum, nempè dubitandi.* Probatur, quia credens firmiter non retinet diſpoſitionem exactam ex parte actus primi ad dubitandum: Sed ſine hac non datur poteſtas proximè, & immediata poſitivè dubitandi: Ergò. Probo maiorem, quia iuxta Div. Thom. *quęſt. 14. de veritate artic. 1. Propria diſpoſitio dubitantis eſt, cum intellectus non inclinatur magis ad vnum, quam ad aliud, propter apparentem ęqualitatem eorum, quę movent ad vtramque partem*: Sed, qui credit firmiter, non retinet hanc apparentem ęqualitatem motivorum pro vtraque parte contradictionis, tũ quia non crederet firmiter; tũ quia ſed in eius mẽte motiva pro parte, quã credit, omninò prævalent, & apparent longè validiora, & credibiliora, vel vnicè valida, & credibilia: Ergò non habet propriam diſpoſitionem dubitantis. Explicatur: Ille cui non proponitur ſufficienter motivum proximum dubitandi, non habet poteſtatem proximam dubitandi, nam ad quemcumque actum requiritur ex parte poteſtatis proximę ſufficiens propoſitio obiecti motivi: Sed credenti firmiter vnam partem contradictionis non proponitur ſufficienter motivum dubitandi: Ergò non retinet poteſtatem proximam dubitandi poſitivè. Probatur minor, quia motivũ dubitãdi poſitivè eſt ęqualitas apparens motivorũ pro vtraque parte contradictionis: Sed in credente firmiter non apparent ęqualia motiva pro vtraque parte contradictionis, ſed longè validiora pro parte credita: Ergò.

32. Nec dicas, apparere quidem validiora conſequenter ad affectum voluntatis, ſed ęqualia pro priori, & antecedenter; vndè ſtat libertas proxima antecedens, vel ad dubitandum, vel ad diſſentiendum, vel ad credendum, prout voluntas voluerit. Contra enim eſt, quia vt fusè oſtẽdimus *Tract. de Conſc. quęſt. 26. à num. 6.* ſtante ęqualitate antecedenti motivorum non poteſt voluntas immediatè imperare intellectui aſſenſum; quod ſaltèm tenet in aſſenſu firmo fidei divinę: Ergò non ſtat talis aſſenſus cum ęqualitate antecedenti motivorum pro vtraque parte contradictionis. Etenim, fateor, quod ſtante ęqualitate antecedenti, poſsit voluntas velle credere, aut diſcredere, ſed non poterit immediatè credere poſt talem ęqualitatẽ motivorum, ſed paulatim variando conſiderationem, & apparientiam illorum, qua mediante poterit intellectus diſſentire, aut aſſentire, credere, aut diſcredere, prout motiva magis inclinaverint: Vndè nec qui credit firmiter habet poteſtatem immediatam diſcredendi,

di, aut dubitandi, nec qui diſcredit, habet poteſtatē ad immediatè credere, aut diſcredere poſitivè, ſed ſolùm mediatè, media nempè diverſa occurrentia, conſideratione, aut apparientia motivorum, Indè enim oritur tota libertas, nempè quia intellectus poteſt multis, & diverſis modis conſiderare, & conferre motiva, & ſic poteſt ſibi ex diverſis affectibus voluntatis varias ſibi repræſentationes facere, & his mediantibus credere, aut diſcredere, aut dubitare; vndè ſemper poteſtas ad diſcredendum, vel dubitandum in eo, qui credit firmiter, eſt mediata, nunquam verò immediata; & ſimiliter libertas contrarietatis ad hæc extrema. Et hæc dixerim conſequenter ad Doctrinam traditam *Tractat. de Conſcientia, quæſt. 26. à num.* 111. vt ſatis facerem aliquibus, qui maiorem illius doctrinę explicationem optabant.

33. Nihilominus dico quinto: *Credens firmiter retinet poteſtatem proximam antecedentem nollendi credere, ſeù voluntariè ſuſpendendi iudicium; & per poteſtatem proximam ad hanc ſuſpenſionem, & nolitionem poteſt dici actus fidei immediatè liber libertate contrarietatis.* Primum patet, quia credens firmiter, antecedenter, ſeù in ſigno actus primi proximi non eſt neceſsitatus ad credendum, quia quamvis veritas noſtrę fidei illi appareat, vel longè credibilior, vel vnicè credibilis, non apparet evidens, nec evidenter, aut neceſſario convincens intellectum, ſed tantum obſcurè proponitur, & cum indifferentia vt credatur, vel non credatur: Ergò, adhùc perſeverante illa eadem apparientia maioris credibilitatis, & debita conſideratione motivorum, vi cuius noſtra fides appareat evidenter credibilis, poteſt voluntas in ſenſu compoſito nolle credere, nec captivare iudicium, ſed illud ſuſpendere circa res fidei, quia ad captivandum iudicium, & aſſenſum non neceſsitatur ab obiecto, nec à motivis credibilitatis quamvis debitè conſideratis; nam ex vi illorum ad ſummum convincitur vt iudicet evidenter noſtram fidem eſſe vnicè credibilem, vel longe credibiliorem exteris Sectis, ſed non convincitur evidenter vt iudicet eam eſſe veram, ſed hoc manet obſcurum: Ergò circa hoc poteſt voluntariè ſuſpendere iudicium, & nolle credere.

34. Confirmatur ex differentia fidei à ſcientia evidenti: Quia propoſitis debitè motivis aſſenſus ſcientifici, illa neceſſario convincunt intellectum, non tam vt iudicet obiectum eſſe ſcibile, quam vt evidenter agnoſcat eſſe re ipſa verum, & ſic intellectus neceſſario movetur, & convincitur ab obiecto, vt aſſentiat veritati ipſius. Attamen, adhùc debitè conſideratis motivis fidei, illa non convincunt neceſſario intellectum circa veritatem obiecti, nec illum neceſſario captivant, vndè poteſt intellectus ſuſpendere iudicium circa veritatem ipſam, & voluntas nolle credere, nec aſſentire. Et hoc ipſum niſallor, voluit exprimere Div. Thom. dum dixit: *Quod aſſenſus fidei ſubiacet voluntati, non ſolum quoad vſum, ſed etiam quoad aſſenſum*, non enim hoc dixit, quia ſuppoſito vſu, hoc eſt applicatione intellectus ad debitam conſiderationem motivorum, poſsit intellectus poſitivè diſſentire fidei vt falſę, aut dubitare poſitivè de illa, aut credere errores contrarios, hoc enim non requiritur, ſed quia ſuppoſito tali vſu, & conſideratione, adhùc poteſt intellectus non aſſentire, nec convinci, ſed ſuſpendere iudicium, & manere quaſi in dubio negativo indeciſus circa Religionem credendam: Et in hoc ſtat propria differentia à fidei ſcientię, nam ſcientię ſolum ſubiacet voluntati quoad vſum, quatenus poteſt quis ſe applicare, vel non applicare ad conſideranda motiva ſcientię, ſemel autem ſuppoſito vſu, nempè conſideratione motivorum, non ſubiacet voluntati quoad aſſenſum, ſed neceſſario intellectus convincitur vt aſſentiatur veritati concluſionis.

35. Sed dices: Si hic eſt ſenſus Div. Thom. Ergò ex prædicto textu ineptè probant Thomiſtę, & nos cum ipſis, *ſuprà num. 6.* actum fidei eſſe liberum, non ſolum quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpecificationem. Probatur ſequela, quia ex prædicto textu ſic intellecto, & explicato ſolùm probatur actum fidei, eſſe liberum, quatenus poteſt credens ex propria voluntate applicare, vel non applicare intellectum ad conſiderationem motivorum, & item quatenus motivis debitè cōſideratis poteſt etiam ex propria voluntate aſſentire, vel non aſſentire; non autem ita quod poſsit diſſentiri poſitivè, nec credere oppoſitos errores: Sed hoc ſecundum exigitur ad libertatem quoad ſpecificationem, & contrarietatis, primum verò non excedit libertatem quoad exercitium, quia ſolum eſt libertas ad aſſenſum, vel non aſſenſum, ſeù ad ſuſpendendum iudicium; hæc autem non eſt propriè libertas contrarietatis, nec quoad ſpecificationem, ſed ſolum quoad exercitium: Ergò ex prædicto textu Div. Thom. ſolum probatur libertas contradictionis, ſeù quoad exercitium.

36. Hanc replicam late præcluſi, *ſuprà num.* 16. vbi dicebam, quod licèt ſuſpenſio iudicij ſecundum ſe eſſet extremum purę contradictionis reſpectu actus credendi, tamen vt voluntaria, ſeù vt imperata, & cauſata à voluntate, eſt extremum contrarium, ſiquidem velle credere, & nolle credere, ſunt actus contrarij, &

ſimiliter credere voluntariè, & voluntariè ſuſpendere iudicium. Ex quo conſtat vltima pars Aſſerti, nempè, quod per indifferentiam ad hæc extrema poteſt dici actus fidei liber libertate immediata contrarietatis, nempè per immediatam libertatem ad voluntariè credendum, vel ad voluntariè ſuſpendendum iudicium, invariata diſpoſitione intellectus ex parte actus primi. Et hanc libertatem intelligo expreſſam in prædicto Textu Div. Thom. non verò libertatem ad alia extrema contraria, quia ibidem Div. Thom. præter libertatem quoad vſum, ſolum conceſsit libertatē quoad aſſenſum, nō tamen aſſeruit libertatē ad aſſenſus ſpecie diſtinctos, ſeù contrarios, nec ad contraria, & oppoſita iudicia. Si verò inſtes, hanc libertatem ſolum quoad aſſenſum, non eſſe propriè libertatem quoad ſpecificationem, nec contrarietatis. Non diſceptabo de propietate loquendi, nam ſi ſuprà probabam ex dicto Textu Div. Thom. libertatem quoad ſpeciem, ſeù contrarietatis, non fuit intentum probare ex illo libertatem proprię cōtrarietatis, ſeù ad cōtrarius aſſenſus, & actus intellectus, ſed ſolum libertatem contrarietatis improprię, ſi impropria dicenda eſt libertas ad voluntarium aſſenſum, & ad ſuſpenſionem voluntatiam iudicij; quia video, nec intentum Div. Thom. alium fuiſſe, nam ibi nun diſtinxit libertatem quoad ſpecificationem, & quoad exercitium, nec contradictionis, & contrarietatis, ſed ſolum libertatem quoad vſum, qualis etiam datur in actu ſcientię, & libertatem quoad aſſenſum, quę in actu ſcientię nō datur, ſed ſolum in actu fidei. Ratio autem, cur Div. Thom. hac diſtinctione vſus eſt, & non illa, ea ni fallor eſt, quia voluit explicare libertatem immediatam, & eſſentialem actui fidei, non verò accidentalem, & mediatam: Et ſola libertas quoad aſſenſum eſt eſſentialis, & immediata in fide, non verò libertas ad iudicia contraria, vel contrarios aſſenſus, vt ſtatim explico, reſpondendo ad vltimum caput difficultatis propoſitę *num. 7. ad finem.* Igitur.

37. Dico vltimò: *Libertas quoad aſſenſum, id eſt, ad aſſentiendum, vel non aſſentiendum, eſt eſſentialis in fide, non verò libertas ad aſſenſus oppoſitos, nec ad aſſenſum, & poſitivum diſſenſum intellectus.* Primum patet, quia de eſſentia fidei eſt, quod eius obiectum proponatur obſcurè, & inevidenter: Sed hoc eſt formaliſsimè proponi cum indifferentia, & libertate aſſentiendi, vel non aſſentiendi, quia obiectum obſcurè propoſitum talem indifferentiam importat, ſiquidem non neceſsitat ad aſſenſum: Ergò de eſſentia fidei eſt, quod credens habeat libertatem quoad aſſenſum, ſeù aſſentiendi, vel non aſſentiendi.

38. Dices: Poteſt obiectum motivum fidei proponi evidenter, nempè per evidentiam in atteſtante: Ergò tunc credens non haberet libertatem quoad aſſenſum. Reſpondeo, hoc argumentum difficultatem habere contra PP. Salm. & alios, qui conciliare conantur fidem propriè talem cum evidentia in atteſtante, quorum aliqui, qui conſequenter procedunt, negant libertatem, adhùc quoad aſſenſum, eſſe eſſentialem fidei; alij, ſed inconſequenter, conantur componere etiam cum evidentia in atteſtante libertatem fidei quoad aſſenſum; ſed quam difficilè hoc conciliari poſſit, ſatis conſtat ex ſuprà dictis *diſp. 4. quæſt. 5. à num.* 44. Nos verò, facilè reſpondemus, quod propoſito motivo fidei cum evidentia in atteſtante, non eſt locus fidei ſtrictè tali, & ſic, quid mirum, quod nec ſit locus libertati fidei?

39. Secunda pars aſſerti, nempè, quod libertas ad alios actus contrarios non ſit eſſentialis fidei, patet, quia non eſt de eſſentia fidei, quod credenti occurrant motiva contra fidem; patet autem, quod libertas ad actus, ſeù aſſenſus fidei contrarios, petit ex parte actus primi, quod proponantur motiva iudicandi contra fidem, quia non propoſitis motivis, non eſt libertas ad actum, vel actus eliciendos ex illis motivis: Ergò non eſt de eſſentia fidei talis libertas.

40. Dices, ex hoc ſolum probari, quod non ſit de eſſentia fidei libertas immediata, & proxima ad aſſenſus contrarios, quia ad iſtam requiritur actualis occurrentia, ſeù propoſitio illorum motivorum; non autem quod non ſit de eſſentia fidei libertas mediata ad aſſenſus, vel actus contrarios. Sed contra, quia licèt ad hanc libertatem mediatam non requiratur actualis propoſitio motivorum contra fidē, tamē requiritur, quod credēs poſsit pro libertate talia motiva ſibi practicè proponere: Sed nō ſemper ea poteſt ſibi practicè proponere, nec eſt de eſſentia fidei, quod ea poſsit credēs ſibi ſic proponere, aliàs eſſet de eſſentia fidei, quod credēs poſſet ſe ipſum tētare, & quod poſſet peccare; quod quidē minimè ita eſt, quia Angelus in primo inſtanti habuit fidem, & non potuit ſe ipſum tentare, nec peccare, & Chriſtus D. ſi careret viſione beata, poſſet habere fidem, & non poſſet ſe tentare, nec peccare; & poſſet Deus alicui auferre poteſtatem ſe tentandi contra fidem, qui propterea maneret impotens credere: Ergò adhùc libertas mediata propriè talis non eſt de eſſentia fidei.

41. Im-

41. Immò nec libertas ad voluntariam ſuſpenſionem iudicij, ſeù ad nolitionem credendi poſitivam eſt de eſſentia fidei, ſed ſolum ad aſſenſum, vel non aſſenſum, ſumpto non aſſenſu permiſsivè, ſivè vt ſolum permiſivè voluntario, quo pacto eſt extremum ſolius contradictionis. Patet, quia de eſſentia fidei non eſt, quod ſubiectum credens poſsit peccare, aliàs fides non poſſet eſſe in ſubiecto ſine libertate peccandi, quod falſum eſſe iam conſtat: Sed poteſtas ad nolitionem poſitivam credendi eſſet poteſtas peccandi, ſaltèm vrgente præcepto: Ergò non eſt de eſſentia fidei quod credens habeat hanc libertatem nollendi poſitivè credere. Sed ſolum ita credere, quod poſsit non credere merè negativè ſe habendo, eo quod non neceſsitatur ad aſſenſum. Vide ſuprà *diſput. 4. quæſt. 5. à num. 125.*

42. Dices contra hoc vltimum aſſertum: Actus fidei eſſentialiter eſt actus ſolius intellectus: Sed intellectus eſt potentia non libera: Ergò actus fidei eſt eſſentialiter actus ſolius potentiæ non liberæ: Sed actus ſolius potentiæ non liberæ eſſentialiter potius eſt non liber, quam liber: Ergò falsò aſſerimus, quod eſſentialiter eſt liber. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: Actus fidei eſſentialiter eſt actus ſolius intellectus elicitivè, concedo maiorem; excludendo quod ſit actus voluntatis imperativè, nego maiorem, & conceſſa minori, diſtinguo conſequens diſtinctione data, & iuxta illam reſpondeo, verum eſſe, quod intellectus eſt eſſentialiter ex ſe potentia non libera, quia, quidquid dicat Arriaga, repugnat intellectus in propria linea formaliter liber; libertas enim ſolum formaliter eſt in voluntate, licèt radix illius ſit intellectus, vndè fatemur, quod actus fidei prout præcisè eſt actus elicitus intellectus, non eſt formaliter liber; verumtamen, quia eſt eſſentialiter actus elicitus ab intellectu non determinato, nec neceſsitato ab obiecto, ideò eſſentialiter ſubiacet voluntati quoad aſſenſum, & dependet ab imperio voluntatis in ſui eliciendo, & hoc pacto eſt liber eſſentialiter relatè ad voluntatem, quæ eſt potentia formaliter libera: Vndè cum defendimus quod eſt eſſentialiter liber, non eſt intelligendum, quod ſit eſſentialiter formaliter, & intrinſecè in propria linea liber, ſed eſſentialiter exactivè, hoc eſt, quod exigit eſſentialiter elici à credente cum libertate, ſeù ex determinatione libera voluntatis, eo quod eſt eſſentialiter actus intellectus non perfectè moti ab obiecto, nec ab eo perfectè determinati ad aſſenſum, & etiam, quia eſt eſſentialiter actus obſequioſus Deo, repugnat autem obſequium ſine libertate.

SOLVUNTUR SUPRA obiecta.

43. RESTAT nunc ſolvere primam obiectionem ſuprà à *num.* 8. expenſam; quatenus militat contra libertatem mediatam contrarietatis aſſertam, & etiam ſecundam *à num.* 11. roboratam, quatenùs probare videtur libertatem immediatam contrarietatis à nobis negatam. Igitur ad primum ex *num.* 8. diſtinguo maiorem: Nemo poteſt credere eum poteſtate libera, ſed mediata, diſſentiendi, nego maiorem: Cum poteſtate libera immediata diſſentiendi, ſubdiſtinguo: Diſſentiendi poſitivè per actum contrarium intellectus, concedo maiorem: Diſſentiendi negativè per voluntariam ſuſpenſionem iudicij, modo explicato, nego maiorem. Ad cuius probationem eiſdem diſtinctionibus reſpondeo, quæ facilè poſſunt applicari in forma, quia in primis vt poſsit quis immediatè diſſentire per voluntariam ſuſpenſionem iudicij, non opus eſt, quod poſsit proximè credere errores oppoſitos, nec reſpicere fidem vt falſam, vt oſtenſum manet. Deindè, licèt credens non poſsit liberè proximè credere errores oppoſitos, aut diſcredere fidei vt falſæ, poteſt tamen liberè libertate mediata, modo iam explicato: Ad hoc autem non requiritur, quod error oppoſitus proponatur vt ſufficienter proximè credibilis, ſed ſatis eſt, quod poſsit credens diverſo modo conſiderare motiva, ita vt poſsit apparere ei error ſufficienter proximè credibilis. Vndè totum illud argumentum efficaciter quidem probat, quod ſtante proxima credibilitate noſtræ fidei, non ſtet ſimùl cum illa proxima credibilitas erroris contrarij, non verò, quod non poſsit credens per inconſiderationem motivorum noſtræ fidei, & nimiam conſiderationem aliorum, variare credibilitatem proximam, & ſic diſſentire, aut credere errores contrarios, & hoc ſufficit vt ſimpliciter, & abſolutè habeat libertatem ad diſſenſum, & ad illos errores credendos; ſiquidem libertas mediata vera libertas eſt, vt ſuprà oſtendi *num.* 16.

44. Ad confirmationem ex *num.* 9. concedo maiorem, quæ rectè ibi probatur, & diſtinguo minorem: Non poteſt ſtare ſimùl poteſtas libera immediata aſſentiendi Sectæ oppoſitæ, concedo: Poteſtas libera mediata, quæ ſimpliciter ſit poteſtas libera, nego minorem, quia ad hoc non requiritur, quod actu Secta cõtraria proponatur vt credibilis nec minus, nec æquè, nec magis, ſed ſatis eſt, quod credens poſ-

poſsit ita conſiderare motiva, quod illa credibilia appareat, vel vnicè, vel magis, quam fides, cum autem credens retineat poteſtatem antecedentem ita conſiderandi motiva oppoſita, indè eſt, quod retinet libertatem mediatam credendi Sectam oppoſitam. Et ſimiliter.

45. Ad vrgentiam ex *num.* 10. dico, quod admiſſa pro nunc illa ſententia, de qua infrà, ex illa vrgentiſsimè probatur repugnare cum libertate proxima credendi libertatem proximā diſcredēdi poſitivè, aut credēdi errores oppoſitos, aut Sectas, vt vidimus *num.* 16. & a 1. nō autē repugnare libertatē mediatā, quæ ſit vera libertas ad aliter conſideranda motiva, & media alia conſideratione, ad diſſentiendum fidei vt falſæ, & credendam Sectam, vel Sectas oppoſitas, quæ credibiles proximè apparuerint ex diverſa conſideratione, vel ita credibiles iudicatæ fuerint, nam qui poteſt aliter conſiderare, poteſt aliter iudicare.

46. Ad obiecta autem à *num.* 11. pro contraria ſententia, nempè pro libertate contrarietatis diſcredendi poſitivè, aut credendi errores oppoſitos, reſponderi poteſt primò, conceſſa maiori, negando minorem de libertate proxima contrarietatis, quia ſi ſtemus illi ſententiæ, quæ ex parte libertatis proximæ ad amorem liberum obiecti requirit iudicium determinatum de illo vt hic, & nunc convenienti, & amabili, & ex parte libertatis proximæ ad odium liberum illius, iudicium determinatum de illo vt hic, & nunc diſconvenienti, & diſplicenti, diſſicilimè conciliabitur ſimùl libertas proxima ad amorem liberum obiecti cum libertate proxima ad odium liberum illius, quia difficilimè poterunt conciliari ſimùl in eodem illa duo iudicia contraria: *Hoc obiectum hic, & nunc omnibus attentis eſt conveniens*: *Hoc obiectum hic, & nunc omnibus attentis eſt diſconveniens*, de qua difficili conciliatione infrà forſan loquemur: Negata autem proxima libertate contrarietatis ad amorem, & odium eiuſdem obiecti, vt negari probabiliter poteſt, & ſolum admiſſa libertate mediata, nulla eſt difficultas argumenti, quia pariter negari poterit ad credendum, & diſcredendum libertas immediata contrarietatis, & ſolum admitti mediata. Et ſequendo hanc ſententiam, ad ſecundam explicationem ex *num.* 12. reſpondetur, quod omnes admittunt libertatem contrarietatis mediatam ad amorem vnius, vel alterius ex duobus bonis oppoſitis propoſitis voluntati, in prædicta autem ſententia admitti nequit libertas contrarietatis, quæ ſit immediata reſpectu vtriuſque extremi, ſed ſolum quæ ſit immediata reſpectu vnius, ſed mediata tantum reſpectu alterius. Et ſic pariter de libertate contrarietatis ad credendum vnum è duobus articulis oppoſitis intellectui propoſitis.

47. Vel ſecundò, & melius reſpondetur, aſsignando diſparitatem inter bonum, & verum, & inter malum, & falſum; nempè, quod bonum, & malum dicuntur reſpectivè ad ſubiectum, vndè id ipſum, quod eſt bonum, & conveniens vni, eſt malum, & diſconveniens alteri, & quod eſt bonum, & conveniens ad vnum finem, eſt malum, & diſconveniens ad alium finem. Ex quo iam infertur, quod idem intellectus poteſt ſimùl iudicare de eodem obiecto, eſſe bonum, & eſſe malum, nempè bonum ſibi ſecundum partem ſenſitivam; malum ſibi ſecundum rationem, bonum ad delectationem capeſſendam, malum ad honeſtatem, & virtutem, & ſic poteſt illud ſibi præſentare pro bonere ſimùl vt bonum, & vt malum, vt conveniēs, & diſcōveniens, vt volibile, & nolibile ſecundum diverſos reſpectus, & vt ſic propoſitum poteſt conſtituere proximam libertatem ad volitionem, & ad poſitivam nolitionem illius. Et idem de duobus bonis oppoſitis, quia vtrumque poteſt iudicari ſimùl bonum ſecundum diverſos reſpectus, v. g. caſtitas bona homini ſecundum partem rationalem, & luxuria bona, & delectabilis ſecundum partem ſenſitivam; & ideò vtrumque hoc bonum, licèt vnum alteri oppoſitum, ſecundum diverſas connotationes poteſt ſimùl proponi proximè vt volibile. Attamen de vero, & falſo eſt longè diſpar ratio, quia verum, & falſum non dicuntur reſpectivè ad ſubiectum, nec ad finem, ſed vnicè reſpectivè ad realitatem obiecti prout in ſe, quæ eſt vnica regula veritatis, & indè naſcitur, quod idem obiectum non poteſt ſimùl eſſe, nec iudicari verum, & falſum, nec duo contraria, aut contradictoria poſſunt eſſe ſimùl, aut ſimùl iudicari vt vera, nec ſimùl vt vera repræſentari, ac proindè nec ſimùl vt credibilia proximè proponi, quia quod non proponitur, nec repræſentatur vt verum, non proponitur vt proximè credibile: Cum ergò fides noſtra non poſsit ſimùl proponi, nec iudicari vt vera, & vt falſa, nec etiam poſsit ſimùl repræſentari vt vera Secta contra fidem, quando creditur, ſeù proponitur ſufficienter noſtra fides vt infallibiliter vera, indè eſt, quod nec noſtra fides poteſt proponi ſimùl, vt proximè vt credibilis, & diſcredibilis poſitivè, nec noſtra fides, & Secta oppoſita poſſunt ſimùl proponi vt proximè credibiles. Hanc diſparitatem ſatis etiam expreſsi *Tract. de Conſc. quæſt.* 26. *num.* 77. & 84. Et conſtat ex ipſa experientia, nam videmus homines immediatè tranſire de velle ad nolle idem obiectum, & de

ve-

velle vnum, ad velle oppoſitum; at non videmus ita immediatè, & facilè mutare iudicium de contrario in contrarium: Ergò ſignum eſt, quod non eſt ęquè immediata libertas in iudicando, ac in volendo.

48. Ex quo in forma ad obiectionem ex *num.* 11. nego maiorem, quia iam conſtat, qualiter ſimùl poteſt voluntati proponi idem obiectum cum proxima indifferentia contrarietatis, nempè vt bonum, & amabile, & vt malum, & nolibile, per duas nempè cogitationes conſiderantes illud idem obiectum reſpectivè ad diverſa connotata: Attamen intellectui non poteſt obiectum proponi cum tali indifferentia contrarietatis, quia non poteſt proponi ſimùl vt verum, & vt falſum, & ideò nec vt credibile, & diſcredibile ſimùl. Ad primam explicationem, conceſſa maiori, & minori, nego conſequentiam, quia propterea omnes admittunt poſſe idem obiectum proponi voluntati cum indifferentia contrarietatis, quia poteſt ſimùl iudicari practicè bonum, & malum: At idem obiectum non poteſt ſimùl iudicari, nec credibiliter proponi vt verum, & vt falſum, vt explicatum manet. Ad ſecundam explicationem ſimiliter, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ad probationem, conſtat diſparitas, quia ex duobus bonis oppoſitis poteſt vtrumque proponi, immò, & iudicari bonum, & amabile ex diverſo motivo, & per diverſam cogitationem ſimùl concurrentem, quarum vna vnicè proponat vnum vt amabile, vel amabilius altera ex motivo delectationis, & altera vnicè proponat oppoſitum vt amabile, vel amabilius ex motivo honeſtatis. At duo contradictoria, aut contraria obiecta, vt ſunt fides catholica, & Secta contraria, non poſſunt ſimùl proponi, nec minus iudicari vt vera, adhùc ex diverſis motivis, vt omnibus eſt per ſe notum, & ideò nec ſimùl proponi, aut iudicari vt proximè credibilia.

49. Ad vrgentiam ex *num.* 13. nego antecedens. Ad probationem diſtinguo maiorem: Retinet ſimùl obligationem credendi doctrinam catholicam, obligationem, inquam, radicalem, & fundamentalem, concedo maiorem: Obligationem actualem, & formalem in propria conſcientia nego maiorem: Et diſtincta minori eodem modo, non ſequitur conſequens. Itaque obligatio credendi doctrinam catholicam dupliciter excogitari poteſt, nempè vel obiectivè, & fundamentaliter, vel ſubiectivè: Obiectivè, & fundamentaliter, nihil aliud eſt, quam lex, ſeù præceptum credendi, vel, ſi mavis, ipſa doctrina catholica, vt ſufficienter à Deo Mundo promulgata, hæc enim obiectivè, & fundamentaliter omnes homines obligat ad credendam ipſam. Subiectivè verò poteſt adhuc conſiderari dupliciter, nempè vel radicaliter, vel actualiter, ſeu formaliter: Radicaliter obligatur quis ſubiectivè, dum ex principijs vniverſalibus ſindereſis obligatur ad quærendam veram Religionem, maturè, & conſideratè reſpiciendo motiva illius, cui obligationi ſi obtemperet, non poterunt non proponi motiva noſtrę Religionis vt credibiliora, & graviora motuis cuiuſvis Sectę. Formaliter autem obligatur quis in conſcientia, quando actu iudicat eſſe obligatorium, & in præcepto credere doctrinam catholicam. Igitur, hæreticus, dum eſt in ſuo errore contra fidem, neutiquam obligatur actualiter, ſeu formaliter in propria conſcientia ad credendam fidem catholicam, nam ſua conſcientia actualiter illi talem obligationem non dictat, immò per conſcientiam erroneam iudicat nullam eſſe obligationem credendi doctrinam catholicam in illo articulo, ſed potius eſſe obligationem credendi oppoſitum; quod ipſe credit; & hoc dico, ſi verè credit, & eſt in ſuo errore, quia forſan ſunt aliqui hæretici, purè vocales, & externi, qui ingenuè credentes doctrinam catholicam ſolam eſſe veram, nihilominus hæreſim externè ſolum profitentur, ne bona temporalia omittant; aut propter temporales convenientias acquirendas: Hi enim obligantur etiam actualiter, & formaliter in conſcientia, tum ad credendum, tum ad externam fidei confeſsionem, & profeſsionem; ſed iſti non ſunt in mentali errore, nec credunt re ipſa Sectam, quam profitentur, nec quod illa ſit credibililior fide catholica.

50. Loquendo autem de verò, & mentali hæretico, ille obligatur ad credendam fidem catholicam, tum obiectivè fundamentaliter, quia datur lex ipſa, & catholica doctrina promulgata, quę obiectivè, & fundamentaliter omnes obligat, quibus intimata fuerit, ad eam credendam; & cum hæretico ſupponatur intimata, aliàs hæreticus non foret, illum pariter obiectivè, & fundamentaliter obligat, hoc eſt, tanquam fundamentum obiectivum ſufficiens ad ipſum formaliter, & actualiter obligandum, ſi velit attendere, & conſiderare debitè illud. Tum etiam obligatur ſubiectivè radicaliter, ſeù in radice, quia habet dictamen vniverſale ſindereſis, vel etiam illuſtrationem ſupernam, quę illi proponit Religionem incommuni vt purè propter ſe ipſam, & citrà reſpectum ad temporalia quærendam, & hæc eſt obligatio radicalis ad credendam Religionem catholicam, ſiquidem ſi illi obligationi vniverſali obtemperet, abſdubio inveniet Religionem catholicam

eam inter omnes Sectas eſſe vnicè credibilem, & tunc obligabitur formaliter in conſcientia ad illam amplectendam, & credendam: Sufficit autem hæreticum obligari fundamentaliter, & radicaliter modo explicato, vt peccet contra fidem peccato hæreſis, & non requiritur, quod obligetur formaliter in conſcientia, quia cum hoc ſit peccatū erroris, implicat, quod ab eo qui errat, cognoſcatur actualiter vt error, nec vt hæreſis, nec vt erroris peccatum, aliàs non iam erraret, nec falleretur, ſed veritatem cognoſceret; ſed potius ille, dum errat, & fallitur, exiſtimat, & credit ſe veritatem credere, & verum iudicare; cum hoc autem non compatitur quod actu, & formaliter dictet illi conſcientia illud iudicium eſſe deponendum quia erroneum, & hæreticum, nec eſſe credendum oppoſitum vt verum, vndè peccatum hæreſis, vel erroris non eſt peccatum formaliter contra conſcientiam errantis, ſed potius eſt peccatum ex conſcientia, licèt culpabiliter erronea, & ſolum contra legem, & doctrinam Chriſti vt fundamentaliter obligantem.

51. Vbi etiam advertendum eſt, quod peccatum erroris mentalis nunquam eſt directè, aut formaliter voluntarium, quaſi quia actu advertens ſe errare, velit errare, vel actu advertens ſe peccare negãdo veram doctrinam, neget veram doctrinam; hoc enim ridiculum eſt, & planè chimericum: Solum ergò peccatum hæreſis, vel erroris eſt voluntarium, & liberum, non in ſe, ſed in cauſa indebitę conſiderationis, & pravę indagationis verę Religionis; ex eo enim, quod quis potens, & debens ſuper omnia, & citrà reſpectum ad temporalia quærere veram Religionem, & doctrinam ſalutis, & ex hac pura intentione conſiderare motiva occurrentia, non ita ſe gerit, ſed potius quærit Religionem cum reſpectu ad temporalia bona, & ſine pura intentione, & exindè indebitè conſiderat motiva, devenit ad hoc, quod ipſi apparet verior Secta Lutetana, quam Religio Catholica, & iudicat eam eſſe, quam amplectere tenetur, & eam credit vt divinitus revelatam; & hic error pertinax non cognoſcitur actualiter ab ipſo, vt per ſe patet, ſed ſolum aptitudinaliter, & in debito, quatenus in ſignis antecedentibus potuit, & debuit procedere ita quod illum agnoſceret, nempè purè inquirendo veritatem, & rectè conſiderando motiva ſine paſsione, & quia in hoc voluntariè defecit, in hac cauſa voluntaria eſt voluntarius, & liber ille error, non autem formaliter, & immediatè in ſe ipſo. Et idem dicendum de omni errore mentali culpabili. Videantur dicta *Tractat. de Conſc. quæſt. 6. num. 100. & quæſt. 10. à num. 12. quæſt. 7. num. 23. quæſt. 9. num. 26. & quæſt. 26. à num. 111.*

52. Ex quo ad ſecundam probationem antecedentis *ex eodem num. 13.* conceſſa maiori, diſtinguo minorem: Non poteſt eſſe pertinax contra fidem, niſi dum fides illi ſufficienter credibilis proponitur, ſufficienter inquam, quantum ad externam propoſitionem, & promulgationem, concedo minorem: Sufficienter, quantum ad internam propoſitionem, ſubdiſtinguo: Sufficienter proximè, & abſolutè, nego: Sufficienter remotè, ſeu conditionatè, concedo minorem, & nego conſequentiam, quia vt hæreſis ſit error pertinax, ſatis eſt, quod hæretico propoſita fuerit externè fides catholica vt ſufficienter credibilis, hoc eſt, cum motivis credibilitatis ſufficientibus, vt ſi illa citrà paſſionem, & reſpectum ad temporalia conſideracet, fieret ei fides catholica proximè, & prudenter credibilis internè: Vel ſufficit, quod internè proponantur motiva noſtrę fidei ſufficienter remotè, ita vt ſua culpa, & quia claudit oculos mentis, & obſcurat aures cordis ne videat, & intelligat, non proponatur ſufficienter proximè; hoc enim modo eſt hæreticus pertinax contra fidem, non verò, quia iudicet actualiter noſtram fidem eſſe vnicè credibilem, aut credibiliorem, & nihilominus credat oppoſitam ſectam, nec quia dum actu conſiderat noſtram fidem vt ſufficienter credibilem, & illi prudenter credibilis apparet, cum hac apparentia coniungat internam negationem ipſius fidei, & credat oppoſitam Sectam, nam hoc eſt impoſsibile, vt oſtenſum manet.

53. Ad confirmationem ex *num. 14.* conceſſa maiori, minori, & prima conſequentia, nego minorem, quia tentatio contra fidem poteſt eſſe multiplex, nec enim eſt facilè numerare motiva, & modos, quibus poteſt quis contra fidem tentari; ex his tamen modis, aliqui ſunt, in quibus tentatio non poteſt immediatè vinci per actum fidei, ſed debet vinci pro priori ad actum fidei per debitam conſiderationem motivorum, & ita contingit, quando quis tentatur contra fidem ex nimia attentione ad motiva Sectariorum, & per inconſiderationem authoritatis Eccleſię Romanę, tunc enim ea tentatio, præſertim ſi ita aggravata fuerit, quod iam Secta appareat ſibi verior, & credibilior, aut æquè credibilis quam noſtra fides, non poteſt immediatè vinci per actum fidei, ſed ſolum per debitam conſiderationem, & collationem motivorum, præſertim authoritatis Eccleſię Catholicę, cum qualibet Secta; niſi enim hæc debita conſideratio præmittatur, non poterit intellectus immediatè elicere actum fidei Chriſtia-

tianę, quia durante ęquali, vel maiori apparientia veritatis in Secta contraria, & in ſenſu compoſito talis apparientię, non poteſt intellectus credere vt veram noſtram fidem prę contraria Secta, vt oſtenſum manet, vndè ſolum poteſt mediatè, id eſt, mediante debita conſideratione, & attentione, quę variet apparientiam veritatis; & loquendo de hac tentatione, eſt falſa maior, ſi ſenſus ſit; quod immediatè vincitur per actum fidei: Cōceſſi tamen illam, quia non dixit *ſemper*, ſed *ſæpè* vinci per ipſum actum fidei, quod verum eſt in ſequentibus caſibus.

54. Aliquando autem tentatio non eſt ita gravis, vt vi illius appareat credibilior Secta cōtraria, nec equè credibilis, ſed, licèt multò minus credibiliter, pulſat tamen intellectum ſufficienter ad cauſandam formidinem de veritate noſtrę fidei, & ita regulariter contingunt Catholicis tentationes contra fidem; & de his, fatemur, quod vinci poſſunt immediatè per actum fidei, quia dum tales apparientię contra fidem indeliberatè, & involuntariè occurrunt menti contra longè maiorem authoritatem Eccleſię, melius modus vincendi eas tentationes, ſivè ſcrupulos contra fidem, eſt firmiter credere authoritati Eccleſię, ſeù Deo per Eccleſiam revelanti; cæterum huiuſmodi tentationes, quę vincuntur immediatè per fidei exercitium, non proponunt Sectam contrariam vt ſufficienter proximè credibilem, ſed ſolum remotè, id eſt, taliter, quod ſi illis nimium intellectus attendat, alijs inconſideratis, poterit devenire ad proximam credibilitatem illius Sectę, & proximam incredibilitatem noſtrę fidei.

55. Aliquando etiam aliter tentatur mens contra fidem, nempè, quia licèt iudicatur credibilior alijs Sectis, nihilominus arduitas rerum credendarum, difficultas, & obſcuritas earum conſiderata lumine naturali, aliqualiter retrahit intellectum ab aſſenſu, & illum difficilem reddit; & hæc ſimiliter vinci poteſt immediatè per actum fidei, quia hæc tentatio non tollit proximam credibilitatem, & conſequenter, nec libertatem, & potentiam proximam credendi fide divina, ſed ex arduitate obiecti nimis cōſiderata retrahit ab actuali aſſenſu, & illum reddit difficilem, ſed minimè reddit proximè credibilem Sectam adverſam, nec incredibilem poſitivè, ſed à credibilitate illius præſcindit, & ſolum conſtituit poteſtatem proximam diſcredendi, aut diſſentiendi noſtrę fidei negativè, per voluntariam ſuſpenſionem iudicij, quę poteſtas proximè compatibilis eſt cum actu fidei, & cum libertate proxima credendi fide divina, vt ſuprà diximus Aſſerto quinto, *num.* 53.

56. Vndè falſo arguitur, quod ſi Secta cōtraria non proponitur, vt credibilis, ſed vt incredibilis, nulla eſt tentatio contra fidem, tum quia poteſt non proponi, nec vt credibilis, nec vt incredibilis, & nihilominus eſſe tentatio contra fidem, non quę ſuadeat aſſenſum Sectę contrarię, ſed quę retrahat ab aſſenſu fidei propter rerum obſcuritatem, & arduitatem: Tum quia licèt proponeretur Secta contraria vt incredibilis, poſſet etiam proponi ſimùl noſtra fides vt incredibilis ſecundum quid; nempè propter arduitatem myſteriorum, & hæc tentatio vincitur per ipſum actum fidei immediatè, quia licèt arduitas Myſteriorum lumine ſolum rationis naturalis inſpecta reddat Myſteria quodam modo incredibilia ex hac parte, tamen ipſa arduitas ſimùl inſpecta lumine fidei facit ipſa credibilia fide divina. Vndè pulchrè Tertulianus *in lib. de Carne Chriſti adverſus gent.* dixit: *Mortuus eſt Chriſtus, credibile, quia incredibile: Reſurrexit, poſſibile, quia impoſſibile iudicatur; quid enim eſt vniverſum Evangelium, niſi mera ſtultitia, ſi cum humana ratione conferatur.* Quia nempè humanę rationi ſtultum, impoſsibile, incredibile que apparet, Deum natum, mortuum, & ſepultum fuiſſe, & reſurrexiſſe; ſed tam longè abeſt hæc incredibilitas, ſtultitia, & impoſsibilitas reſpectivè ad purā rationę humanam, vt auferat credibilitatem noſtra fidei, quod ex ea potius eſt obiectum dignum fide, non vulgari, ſed divina, & conſequenter proximè credibile fide divina, ſi lumine ſuperno inſpiciatur.

57. Quam doctrinam vt brevius complectar, dico; quod quando tentatio reddit oppoſitam Sectam abſolutè, & proximè credibilem, non eſt immediatè vincibilis per actum ipſum fidei, ſed debet vinci per conſiderationem præviam motivorum; qua non præmiſſa, vinci nun poterit, quia non poterit repræſentari noſtra fides proximè credibilis abſolutè, & ſimpliciter, ſi non varietur conſideratio prævia, & conſequenter nec elici poterit actus fidei. Quando verò tentatio non reddit oppoſitam Sectam abſolutè, & proximè credibilem, ſed tantum remotè, aut conditionatè, aut quando relinquit noſtram fidem ex parte actus primi abſolutè, & ſimpliciter proximè credibilem, tunc vinci poterit immediatè per actum fidei, vt explicatum manet. Et per huiuſmodi diſtinctionem reſpondendum eſt.

58. Sed dices: Liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum poteſt diſſentire, ſi velit, vt definit Trid. quod debere intelligi de motione, & excitatione ad fidem, ſuprà diceebamus *num.* 6. *& quaeſt. præced. num.* 22. Sed diſſentire fidei eſt credere illius falſitatem, ſeù

illi vt falſę diſcredere : Ergò dum liberum arbitrium movetur, & excitatur à Deo vt credat, quo caſu abſdubio eſt illi proximè credibilis noſtra fides, poteſt in ſenſu compoſito illi vt falſę diſcredere, & credere falſitatem illius, quod ſaltem eſt contra tertium Aſſertum, ex *num.* 28. Reſpondeo primo, quod ly *diſſentire* poteſt ſumi pro actu intellectus oppoſitum ſentientis, vel pro actu voluntatis nollentis aſſentiri: Cum igitur Concilium Trident. definit, liberum arbitrium poſſe diſſentire, ſi velit, non eſt ſenſus, quod poſsit diſſentire per actum intellectus poſitivè ſentientis contra ſuaſionem gratię excitantis ad fidem, in ſenſu compoſito talis gratię excitantis, ſed ſolum quod poſsit diſſentire per actum voluntatis nollentis credere, nec aſſentiri, hoc enim ſatis eſt ad ſalvandam mentem Tridentini, quia poſſe liberum arbitrium nolle aſſentiri, dum actu excitatur ad aſſenſum, & in ſenſu compoſito talis excitationis, formaliſsimè eſt poſſe liberum arbitrium diſſentire gratię excitanti, & hoc ſolum definit Concilium Trident. Secundo reſpondeò, quod non omnis gratia excitans ad credendum reddit noſtram fidem proximè credibilem, quia, vt infrà explicabo, eſt gratia excitãs, quę illuſtrat ſpecies vt debitè apprehẽdatur motivũ noſtrę fidei, vel etiã motiva credibilitatis, & hæc ſola gratia non reddit proximè, & completè credibilẽ noſtrã fidem, ſed ſolum initiativè, & remotè: Eſt etiam gratia excitans ad debitam conſiderationem, & attentionem motivorum, quę conſiſtit in pia affectione voluntatis, & nec iſta ſe ſola reddit proximè credibilẽ noſtrã fidem: Eſt denique gratia excitans, quę, ſuppoſita debita conſideratione motivorum, repræſentat noſtram fidem vt vnicè re ipſa revelatam à Deo, & vnicè credendam inter omnes Sectas, & hæc eſt quę proximè, & completè credibilem reddit noſtram fidem: Ad hoc igitur, vt ſalvetur mens Trid. ſatis eſt, quod poſsit intellectus diſſentire fidei vt falſę in ſenſu compoſito gratię excitantis, quę reddit initiativè credibilem noſtram fidem, non verò in ſenſu compoſito gratię excitantis, quę reddit proximè, & completè illam credibilem. Vel reſpondeo tertiò, quod ſi Concilium loquitur de libero arbitrio excitato ad credendum, & definit, poſſe diſſentire diſſenſu poſitivo intellectus, non eſt ſenſus, quod poſsit diſſentire gratię excitanti, ſed divinę revelationi propoſitę per illam, & hoc pacto poſſe illi diſſentire ſi velit, ſolum facit ſenſum compoſitum cum revelatione, & poteſt intelligi in ſenſu diviſo illius gratię excitantis, quę reddit proximè credibilem noſtram fidem, quia ſi velit, poteſt avertere conſiderationem à motivis noſtrę fidei, & ſic impedire illam gratiam excitantem, quę reddit completè credibilem noſtram fidem, & in ſenſu diviſo illius diſſentire revelationi divinę.

59. Dices ſecundò: Si vera eſt doctrina tradita: Ergò tota libertas ad credendum, vel diſcredendum fidei, aut credendas Sectas contrarias, eſt vnicè libertas conſiderandi, vel non conſiderandi, conſiderandi debitè, vel indebitè: Ergò ad hoc vt infideles credant, exortandi erunt ſolum vt conſiderent debitè motiva, non autem vt credant: Sed hoc eſt abſurdum, ſiquidem tota Scriptura plena eſt exortationibus ad credendum: Ergò. Confirmatur, quia ſi tota libertas ad credendum eſſet libertas conſiderandi debitè, vel indebitè, ſuppoſita indebita conſideratione, non eſſet iam libertas credendi: Ergò nec culpa in non credendo: Ergò tota culpa, & peccatum eſſet in defectu conſiderationis, illo autem defectu ſuppoſito, non eſſet novum peccatum non credere fidem Catholicam, nec credere Sectam contrariam: Sed defectus ille conſiderationis, vel non eſt peccatum, vel ſolum eſt peccatum negligentię contra virtutem ſtudioſitatis: Ergò hæreticus non credens fidem Catholicam, & credens ſuam Sectam ſolum peccaret per negligentiam contra virtutem ſtudioſitatis, non verò contra fidem peccato hæreſis: Sed hoc dici nequit: Ergò.

60. Reſpondeo, negando primam conſequentiam, tum quia, adhuc ſuppoſita debita conſideratione, & apparente proximè credibili noſtra fide, manet libertas immediata quoad aſſenſum, hoc eſt, credendi, vel non credendi, licèt non maneat libertas immediata ad diſſenſum poſitivum intellectus, nec ad aſſenſum oppoſitę Sectę. Tum quia licèt libertas ad credendum, vel non credendum, pro priori ad conſiderationem motivorum, ſit ſolum libertas immediata conſiderandi, vel non conſiderandi, tamen eſt vera libertas, licèt mediata, credendi vel non credendi, vt conſtat ex dictis *num.* 16. Vndè ad ſecundam conſequentiam dico, quod non rectè infertur, ſed ſolum quod infideles vt credant, exortandi ſunt ad tria. Primò, ad hoc, vt quærant ex toto corde veram Religionem. Secundò, quod ex ſua parte citrà omnem paſsionem, & affectum ad temporalia conſiderent motiva noſtrę Religionis, & ea conferant cum motivis Sectarum ſuarum. Tertiò, quod ſemel quod noſtra apparuerit, vt certè apparebit, credibilior, vel vnicè credibilis, illi aſſentiantur, & credant. Ratio huius eſt, quia libertas circa fidem, & Religionem per hos tres gradus exercetur; nempè prius eſt libertas quærendi, vel

non

non quærendi ex corde, & ſuper omnia veram fidem, & Religionem : Secundò eſt libertas conſiderandi debitè, vel indebitè motiva noſtræ Religionis, & aliarum Sectarum, & ea debitè conferendi, vel iudebitè : Tertiò eſt libertas credendi, vel non credendi eam, quę alijs credibilior, vel vnicè credibilis apparuerit : Et ideò in his tribus gradibus, aut ſignis libertatis ſingulę conveniunt exortationes; in primo prima, in ſecundo ſecunda, in tertio tertia : Mitto, quod in quolibèt gradu, aut ſigno, ad rectè procedendum indiget homo gratia excitante, & adiuvante, & ſic in primis, & ante omnia exortandus eſt, vt per orationem imploret à Supremo Numine gratiam illuminantem, & adiuvantem vt rectè quærat, & inquirat, rectè conſideret motiva, & rectè credat : Et ad hæc omnia afferuntur exortationes in S. Scriptura.

61. Ad confirmationem, iam dixi, quod, adhùc ſuppoſita conſideratione, manet libertas proxima credendi, vel non credendi doctrinā, quę credibilior apparuerit, licèt non maneat libertas proxima credendi eam, quę incredibilis, vel minus credibilis apparuerit: Vndè, ſuppoſito, quod conſideratio fuerit indebita, & ex illa apparuerit Secta aliqua credibilior noſtra fide, & noſtra fides minus credibilis, concedo quod in hoc ſigno non eſt libertas proxima credendi noſtra fidem, licèt ſit libertas proxima credendi, vel non credendi illam Sectam. Et cum arguis, quod non erit novum peccatum, poſt indebitam illam conſiderationem non credere noſtram fidem, nec credere Sectam oppoſitam, nego aſſumptum, da quo latè egi *Tract. de Conſc. quæſt.* 7. in qua probavi, quod adhùc ſuppoſita conſcientia erronea culpabili, quę idað errat culpabiliter, quia ex indebita conſideratione formatur, nihilominus actus ſequutus ad illam aſt novum peccatum, & habet novam malitiam diſtinctam à culpa, & malitia ignorantię, vel inconſiderationis, ex qua error conſcientię proceſsit, nam ad hoc non requiritur, quod hæc nova, & diſtincta malitia ſit immediatè, & in ſe libera, & voluntaria, ſed ſatis eſt, quod ſit libera, & voluntaria in cauſa voluntarię ignorantię, vel inconſiderationis; ex ibi enim dictis ſufficientiſsimè ſolvitur hæc obiectio, nam licèr defectus conſiderationis, vel non ſit peccatum, vel ſolum ſit peccatum contra virtutem ſtudioſitatis, tamen ex illo defectu voluntario, ſeù ex eo, quod cum illo defectu conſiderationis procedit voluntariè, & liberè ad credendum, fit illi voluntarius, & liber omnis error, quem in credendo habuerit, ſiquidem talis error eſt inexcuſabilis ex ignorantia, aut inconſideratione, cum illa ſit culpabilis, & ex ignorantia, vel inconſideratione culpabili nullus excuſatur. Videantur dicta, *quæſt. cit.* non enim vacat eadem repetere.

QUÆSTIO IX.

AN AD CREDENDUM FIDE divina requiratur pia affectio, motivorum conſideratio, & qualis? Imperium voluntatis, & quale?

1\. PLURES RR. in præſenti non diſtingunt inter piam affectionem, & imperium voluntatis ad credendum, verumtamen eſſe diſtinguendum cenſeo, quia ad credendum prius requiritur debita attentio, & conſideratio motivorum, & cum hæc ſit libera, debet præſupponere aliquem affectum voluntatis, ex quo intellectus applicetur ad conſiderandum, & attendendum. Rurſus, ſuppoſita conſideratione, & attentione ad motiva, ſequitur actus credendi, & de illo dubitatur, an requirat intellectus imperium voluntatis ipſum applicans ad actū credendum. Igitur.

PRIMA CONCLUSIO.

2\. DICO primò : *Ad debitè attendenda, & conſideranda motiva credibilitat requiritur aliquis pius affectus in voluntate movens intellectum ad talem conſiderationem.* Huic aſſerto, neminem legi, qui contradiceret, & merito, quia conſideratio, & attentio prædicta eſt actus liber, poteſt enim audiens prædicationem Evangelicam illam non attendere, nec motiva, quę illi prædicantur, conſiderare, aliundè talis conſideratio, & attentio aſt actus intellectus: Sed repugnat actus intellectus liberè elicitus, niſi ex affectu libero voluntatis applicante intellactum : Ergò ad debitam conſiderationem, & attentionem motivorum requiritur talis affectus in voluntate. Dicitur autem affectus pius, quia debet eſſe affectus erga veram Religionem, ſaltèm in confuſo, aut erga ſalutem animę, vel erga bona repromiſſa. Confirmatur : Quia nemo inquirit, & conſiderat debitè motiva verę Religionis, niſi illa conſideret, aut inquirat ex motivo ſpirituali, aut ex intentione circa ęterna, & ſpiritualia, nam ſi ea conſideret cum reſpectu ad bona temporalia, & ex affectu ad illa, pravè, & inordinatè ea conſidera-

rabit, & indè reſultabit credibilior ea doctrina, quę magis arrideat temporalibus convenientijs, non quę magis, vel vnice vera ſit: Sed nequit quis conſiderare motiva fidei ex affectu ad ęterna, & ſpiritualia, niſi talis affectus ſit pius: Ergò.

3. Dices forſan, hoc verùm eſſe de inquirentibus veram Religionem, antequam illam invenerint, non tamen de Catholicis Fidelibus, hi enim non inquirunt, ſed iam habent veram Religionem, & ideò non egent ad credendum tali præmiſſa conſideratione, nec inquiſitione, ſed immediatè poſſunt credere. Sed contra eſt, quia in his quæſtionibus Theologicis potiſſimè inquiritur de requiſitis ad credendum in illis, qui nondum crediderunt, & ad vincendam arduitatem, & difficultatem fidei Chriſtianę; hi autem ſolum ſunt, qui nondum poſſident veram Religionem, ſed illam inquirunt, vel inquirere tenentur: Ergò ſatis eſt, quod in his verum teneat doctrina præmiſſa, & concluſio. Etenim, dum inquiritur, an requiratur pia affectio ad credendum, non inquiritur an credens vt credens indigeat ad credendum, &c. quia credens vt credens, iam nihil ad credendum deſiderat, ſiquidem iam credit, ſed ſenſus eſt, an nondum credens indigeat &c.

4. Contra ſecundo, quia adhùc Fideles habent libertatem mediatam contrarietatis, & quoad ſpecificationem ad credendam noſtram Religionem, vel aliam Sectam oppoſitam, conſiderando ergò Fideles, non vt Fideles, ſed vt homines liberos ad fidem, vel infidelitatem, ad eſſe Catholicos, vel Luteranos, inquirimus, an vt præferant Religionem Catholicam Sectę luteranę, egeant conſideratione debita motivorum, & ad hanc pia affectione? Et affirmativè reſpondemus, & probamus vt ſuprà. Contra quam probationem non obſtat, quod qui iam ſunt Fideles, & Catholici, non egeant illa conſideratione, & collatione motivorum, tum quia licèt ea non egeant reduplicativè vt Fideles, ea tamen egent vt homines liberi ad fidem, vel infidelitatem; tum quia licèt non egeant conſideratione diuturna, & difficili, quia hanc ſupponunt iam factam ab Eccleſia Catholica, in qua vivunt, egent tamen conſideratione facili, & collatione Eccleſię Catholicę cum alijs Sectis, in qua facilè Eccleſia eminet vniverſis, cum ſit Civitas Dei in monte locata. *Vide Tract. de Conſcient. quæſt. 16. à num. 124.*

*** *** ***

EXPLICATUR CONSIDERATIO exacta in ſimplicibus ad credendum fide divina.

5. SED dices: Aliquando, aliqui credunt ſine hac prævia conſideratione, aut collatione Eccleſię cum alijs Sectis, vt Ruſtici, qui ſæpè credunt ſimplici fide ſine tali collatione, adhùc facili, & præſertim pueri inter ipſos educati, dum perveniunt ad vſum rationis, nihil ſcientes de motivis credibilitatis, aut de alijs Sectis, ſimpliciter credunt, & quidem fide divina: Ergò non eſt neceſſaria illa conſideratio exacta motivorum, nec collatio cum alijs Sectis. Reſpondent aliqui, credentes ſine tali conſideratione, & collatione, credere ſolum fide humana, non autem divina, vſque dum maturè, & exactè conſiderent, vt habere poſſint evidentiam ex motivis credibilitatis. Sed huic ſolutioni non acquieſco, quia negare pueris pervenientibus ad vſum rationis inter Catholicos, & Ruſticis ſimplicibus educatis in illa felici ignorantia aliarum Sectarum fidem verè divinam, eſt quid durum, imò & abſurdum, quia alias non poſſent iuſtificari iuſtificatione adultorum, nec debitè ſuſcipere Sacramenta, vſque dum ſcirent conferre ſaltem Eccleſię authoritatē cum alijs Sectis, quod quis dicat? Reſpondeo ergò, quod pueri, & Ruſtici inter Catholicos degentes non egent ea collatione motivorum, ſed ſolum ſimplici attentione, & conſideratione motivi principalis credibilitatis, nempè authoritatis Eccleſię proponentis; nam vt inquit Ioan. à S. Thom. *in præſent. diſput. 2. articul. 3. nu. 5.* non eſt neceſſe ad credendum fide infuſa, deducere in particulari per conſequentiam, rationes, & motiva credibilitatis evidentis, id enim pertinet ad Sapientes, & Theologos, ſed tamen requiritur aliquod motivum credibilitatis evidenter attingere, quantum requiritur ad prudenter credendum, qui enim ſine motivo credibilitatis credit, leviter, & imprudenter credit: Motivum autem principale credibilitatis noſtrę fidei eſt, quia ſic proponit Eccleſia vniverſalis, cuius propoſitioni qui credit, non imprudenter credit; & intentio credentis ſemper debet ferri in id, quod proponit vniverſalis, & Catholica Eccleſia, non iſta, vel illa particularis: Hoc autem motivum nulli deeſt, quantumcumque rudi, nam cuicumque proponitur fides in Symbolo, proponitur, quod credat, quidquid tenet S. M. E. & ita credit, attendens ad Eccleſię authoritatem, & illam conſiderans maximam in terris, licèt ſimplici, & facili attentione, & conſideratione. Vndè in forma concedo antecedens, quatenus dicit, pue-

ros,

ros, & Ruſticos credere ſine prævia collatione Eccleſię cum alijs Sectis,& ſine multum exacta, & diſcurſiva conſideratione motivorum: Nego tamen illud, quatenus aſſerit, quod credunt abſque conſideratione, & attentione facili, & pro tunc debita, ad principale motivum credibilitatis, quod eſt Eccleſia maximę, & divinę authoritatis in terris, quia ad hanc ſolum tenentur, & hæc ſufficit ad fidem infuſam.

6. Sed indè replicabis primo: Ergò Ruſtici etiam, & pueri inter Sectarios educati non tenebuntur ad ampliorem attentionem, & conſiderationem, & ſic ſatis facient præcepto fidei, credentes quod eorum Eccleſia, vel Secta ipſis proponit credendum, abſque ampliori conſideratione, vel collatione ſuę Sectę, cum noſtra Eccleſia: Sed hoc eſt falſum, quia alias non eſſent hæretici: Ergò. Secundo: Quia ſi ſufficit illa ſimplex attentio, & conſideratio ad authoritatem Eccleſię proponentis: Ergò ineptè ad illam exigimus piam affectionem, præſertim ſupernaturalem, ſiquidem illa ex quolibèt motivo, & viribus naturę elici poteſt, vtpotè facilis, & prompta.

7. Ad primum reſpondent aliqui, Ruſticos illos, & pueros, qui degunt inter Sectarios, communiter eſſe infideles tantum negativè, & non obligari ad fidem Catholicam, ſed excuſari, eo quod ipſis non proponuntur ſufficienter motiva credibilitatis. Sed hæc ſolutio non placet, quia excuſat innumeros hæreticos ab hæreſi, innumeri enim ſunt Ruſtici, & pueri, quibus non aliud propoſitum eſt, niſi quod audierunt à ſuis, vndè.

8. Melius reſpondet M. Ioan. à S. Thoma, *vbi ſuprà*, dicens: Et propter hoc non habent excuſationem, qui à pueritia nutriuntur inter hæreticos, quia licèt ipſi credant, quod ſibi à ſuis Miniſtris proponitur, & non habent alios, à quibus doceantur de vera fide, tamen in hoc deficiunt, quod non fertur eorum intentio ad credendum id, quod credit, vniverſalis, & Catholica Eccleſia, cum potius negent Eccleſiam Catholicam, ſed ſolum fertur eorum intentio ad credendum ſuo particulari Miniſtro, aut ſuę particulari Sectę, vel Eccleſię, ſiquidem dividunt Eccleſias, & Sectas,& vnuſquiſque ſuę credit tantum: Motivum autem credibilitatis ad credendum quod tenet vniverſalis Eccleſia ſufficienter illis proponitur, ſi pio affectu velint attendere, & debitè conſiderare, quia ipſa proponitur in Symbolo Apoſtolorum ſufficienter authoritas Eccleſię, in illis verbis: *Credo vnam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam*, ita præfatus Mag. & rectè.

9. Cui addo, omnes inter hæreticos educatos teneri ad maiorem conſiderationem, & collationem motivorum ſuę Sectę, cum motivis Eccleſię Catholicę Romanę, quam teneantur Ruſtici educati inter Catholicos. Primò, quia in pueris,& Ruſticis Catholicorum, Eccleſia ipſa ſupplet talem conſiderationem, & collationem, eo quod in Concilijs vniverſalibus exactiſſimè conſideravit, & contulit motiva credibilitatis noſtrę fidei cum motivis hæreticorum, & in illa exactiſsima collatione apparuit evidenter credibilior noſtra fides, & ſic deinceps non eſt vlterius neceſſaria maior collatio, aut conſideratio, nec obligantur Fideles ad aliam collationem, & conſiderationem, ſed potius Eccleſia prohibet filijs ſuis lectionem librorum hæreticorum,& collationes cum ipſis hæreticis: At in hæreticis nihil eſt quod ſuppleat exactam conſiderationem, & collationem motivorum ſuę Sectę cum motivis noſtrę fidei, nec quod eos liberet à tali obligatione, quia in illa collatione facta in Concilijs Generalibus, eorum Secta apparuit falſa, & incredibilis fide divina, vndè illa non eos excuſat, ſed potius accuſat. Ita reſpondebam *Tractat. de Conſcient. num.* 124.

10. Sed contra ibidem dicta inſtari poteſt, quia Ruſtici, & pueri hæreticorum ſæpè nihil ſciunt de collationibus factis in Concilijs Generalibus, nec de differentia,& exceſſu Catholicę Romanę Eccleſię à ſuis Sectis, nec vbi, aut quænam ſit Eccleſia vniverſalis, an viſibilis, an inviſibilis, an Eccleſia Romana ſit Secta particularis, ſicut Luterana, an Luterana includatur, vel ſit excluſa ab Eccleſia Catholica, & vniverſali, de hoc inquam nihil ſciunt niſi quod à ſuis Miniſtris ſibi proponitur: Proponitur autem ipſis, quod ſua Eccleſia eſt verè Eccleſia Catholica, vel intra Eccleſiam Catholicam, quam aſſerunt eſſe inviſibilem: Ergò non poſſunt facilè diſcernere, nec tenentur ad maiorem collationem ſuę Eccleſię cum noſtra, ſed ęquè in ipſis ſupplebunt ſui Miniſtri, & Doctores talem collationem, ac inter noſtros, cum nihilo firmiùs proponatur noſtris Ruſticis noſtra doctrinam vt verè Catholica, quam ſuis ſua etiam vt Catholica, de rei autem veritate nihil plus ſcire poſſunt Ruſtici illorum, quam noſtri: Ergò vel illi excuſabuntur à maiori obligatione inquirendi, & conſiderandi, vel noſtri non liberabuntur à tali obligatione maioris conſiderationis.

11. Reſpondeo, omiſſo antecedenti, & quod attentà propoſitione externa facta pueris, & Ruſticis hæreticorum, & noſtris nulla ſit differentia perceptibilis ab ipſis lumine naturali, negando conſequentiam, quia, ſuppoſito, vt omnes Theologi ſupponere debemus,

tan-

tanquam de fidę divina, noſtros Ruſticos, & pueros viuere in gremio verę Eccleſię Catholicę, quę ſola eſt Romana, vt ſuprà oſtendimus *diſput. 3. quæſt. 16.* Ruſticos autem, & pueros hæreticorum eſſe extra veram Chriſti Eccleſiam Catholicam, cum ſint extra Romanam, Deum in noſtris ſupplere per internam illuſtrationem defectum maioris conſiderationis, & collationis, ſecùs autem in illis. Ratio eſt, quia cum Spiritus Sãctus aſsiſtat ſpecialiter verę Chriſti Eccleſię, vt Matri vniverſali ſuorum filiorum, ſpecialiter etiam aſsiſtit teneris filijs, ſimplicibus, & Ruſticis, eos illuminando, quando externè ipſis proponitur doctrina fidei, tali illuſtratione, quod ex vi illius, abſque ampliori conſideratione, aut collatione, proponitur interius Eccleſia Romana, vt vera Chriſti Eccleſia, & tanquam divinę authoritatis, & hoc cum tanta firmitate, & certitudine, ſeù cum maiori, quam ſi exactiſſimè conſideraſſent omnia motiva credibilitatis cum magna eruditione, & ſapientia; & ideò minimè obligantur ad maiorem conſiderationem, ſed prudentiſsimè, & fide divina credunt, & non leviter, aut temere: Oppoſitum autem contingit in pueris hæreticorum, aut Ruſticis, quia dum illis proponitur doctrina ſuę Sectę, minimè Deus illorum mentem illuſtrat, illuſtratione ſupplente defectum maioris conſiderationis, tum quia non ſunt intra Eccleſiam Catholicam, nec illius filij, cui vt Matri Fidelium, & ſuę Sponſę Spiritus Sanctus ſpecialiter aſsiſtit; tum quia illis proponitur doctrina mixta erroribus, & ad hanc credendam implicat, quod Spiritus Sanctus mentes illorum illuſtret; & ideò, ſi velint prudenter credere, & non temerè, tenentur ad maiorem conſiderationem, & ab illa non de obligantur vllo modo, quia non eſt, quod in illis ſuppleat huius defectum.

12. Et ne huiuſmodi doctrina videatur voluntaria, probari poteſt ex illo Math. 10. *Nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini; non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Sanctus qui loquitur in vobis.* Sanè, ad prudenter loquendum, præſertim coram Regibus, & Senioribus, ratio ipſa dictat, eſſe prius maturè, & exactè cogitandum, & conſiderandum, quomodo, aut quid loquendum ſit: Veruntamen Chriſtus inquit: *Nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini.* Sed quarè? Quia eis adſtiturus erat SpiritusSanctus, qui ſuggereret verba, & ſuppleret defectum cogitationis, & conſiderationis maturioris, & exactioris, & exindè liberabantur ab obligatione maioris, & exactioris conſiderationis, quia SpiritusSanctus, ſuggerendo, & illuminando, pro tali conſideratione ſupplebat: Ergò poteſt Spiritus Sanctus ſua illuminatione ſupplere defectum maioris conſiderationis, & facere, quod actus, qui ſine tali illuminatione eſſet imprudens, & temerarius, cum tali illuminatione ſit prudens, & minimè temerarius: Ergò poterit facere, quod actus credendi, qui ex defectu conſiderationis in hæreticis eſt præcipitatus, & imprudens, quia deeſt illis interna illuſtratio, quę ſuppleat pro maiori conſideratione exacta, nihilominus in Catholicis credentibus Miniſtris Eccleſię minimè ſit imprudens, nec præcipitatus, aut temerarius, ſed prudentiſsimus eminenter, vt infrà oſtendam, quia Spiritus Sanctus ſua illuſtratione ſupplet defectum conſiderationis. Sequitur ergò Ruſticos, & pueros audientes doctrinam ſuę Sectę à Miniſtris hæreticis non liberari ab obligatione maturius conſiderandi motiva credibilitatis, quia non illuſtrantur interius ab Spiritu Sancto ſupplente defectum conſiderationis: E contra verò Ruſtici, & pueri Catholicorum, quibus à Miniſtris Catholicis proponitur vera fides, liberantur ab obligatione maioris conſiderationis, quia pro maiori conſideratione ſupplet illuſtratio interna Spiritus Sancti. Et hæc quidem eſt maxima fœlicitas, qua ſine meritis proprijs, ex meritis Chriſti, fruuntur Filij S. M. E. Catholicę Romanę, & qua carent educati inter hæreticos, vel tanquam beneficio indebito, vel ex demerito peccati originalis, ſi baptizati non ſint, vel ex aliqua culpa propria in primo inſtanti vſus rationis, de quo nunc non diſputo.

13. Sed dices: Catholici credentes non cognoſcunt ſe illuminari ab Spiritu Sancto circa doctrinam fidei, quę ſibi proponitur: Sed vt vi talis illuſtrationis, ſupplentis conſiderationis defectum, liberarentur ab obligatione magis conſiderandi, opus erat, quod cognoſcerent tale ſupplementum, nam qui neſcit, an id, ad quod obligatur, ſuppletum ſit ab alio, eandem retinet obligationem, ac ſi non ſuppletum foret: Ergò vi talis illuſtrationis non liberantur ab obligatione magis conſiderandi. Si reſpondeas, Catholicos id certo, & ſcienter non cognoſcere, tamen fiduciam habere quod ſic illuminantur. Contra eſt, quia de hoc maiorem fiduciam ſolent habere hæretici, qui ſe illuminatos pre Catholicis credunt.

14. Reſpondeo tamen, quod fiducia, ſeù fides hæreticorum in hoc potiſsimè falſiſsima eſt, & ideò ex illa ad ſummum probatur, quod ipſi credant falſo ſe illuminatos, & exemptos ab obligatione maioris conſiderationis, non verò quod re ipſa ſint liberi, & exempti, ſicut re vera non ſunt illuminati. Nec conſcien-

cien-

ſcientia iſta erronea illos excuſat, quia eſt temeraria, & culpabilis. E contra autem infidelibus fiducia iſta vera erit, quia ipſis verè promiſſus eſt Spiritus Sanctus tanquam Filijs veræ Eccleſiæ Chriſti, vt illos interius doceat omnia quæcumque per Miniſtros Eccleſiæ illis propoſita fuerint; ait enim Chriſtus: *Ille vos docebit omnia, quæcumque dixero vobis*, nempè, per Miniſtros ſuos. *Vos*, inquit, nempè, Eccleſiæ ſuæ Filios, qui in gremio illius nutriuntur, non autem extraneos, quales ſunt hæretici.

15. Vel ſecundò reſpondeo, diſtinguendo maiorem: Catholici credentes non cognoſcunt ſe illuminari ab Spiritu Sancto circa doctrinam propoſitam, non, inquam, id cognoſcunt exercitè, & ex modo cognoſcendi, nego maiorem: Signatè, & reflexè, concedo: Et diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam; quia, dum Catholicis proponitur doctrina credenda, & motiva credibilitatis, præſertim Eccleſiæ authoritas, intus per lumen, & inſpirationem divinam, adiuti ab eodem divino ſpiritu, illam conſiderant, & attendunt in actu exercito, & ex modo cognoſcendi, vt certificantem, & quietantem mentem ipſorum, modo quodam ita ſupernaturali, & eminenti, quod ſuperat certitudinem, & ſatisfactionem omnem, quam media diligentiſsima conſideratione naturali poſſet acquirere intellectus ex proprio lumine; & ſufficit hoc pacto cognoſcere divinam illuſtrationem, vt in actu exercito liberentur, ab obligatione magis inquirendi motiva, & magis ea conſiderandi, non autem requiritur id cognoſcere reflexè, & ſignatè, quia reflexè, & ſignatè cognoſci nequit differentia luminis naturalis, & ſupernaturalis, ſicuti nec differentia fidei acquiſitæ, & fidei infuſæ. Hæretici autem, licèt ſignatè, & reflexè affectent ſe illuminari ab Spiritu Sancto, tamen in actu exercito, nec illuminantur, nec ex modo cognoſcendi attingunt doctrinam vt intus ſibi propoſitam per divinam illuſtrationem, ſed vnicè per proprium ſpiritum, quem excæcati, & illuſi putant Spiritum Dei, & ſic re ipſa non de obligantur à maiori inquiſitione veræ Religionis, & maiori conſideratione motivorū credibilitatis, licèt ſe putent per errorē culpabilē à tali obligatione liberos. Et quidē Apoſtoli, & viri Apoſtolici, dū loquuntur, ſeu ſcribunt abſque præmeditatione, quæ ſuggeruntur ab Spiritu Sancto, (vt de ſe teſtatur S. M. Tereſia *ad finem lib. de Perfect. vlæ.* Vbi laborem quidem in ſcribendo libèter concedit, negat autem illum habuiſſe in cogitando, quæ ſcripta relinquit; quod ſanè omnem ſuperat admirationem, & certiſsimè probat, Spiritum Sanctū ſuppleviſſe eminenter conſiderationē ad ſcribēdū talia, & de talibus exactā) nō cognoſcūt priuſ, ante quā loquantur, reflexè, & ſignatè, ſe illuminari ab Spiritu Sancto, nec id eſt neceſſarium, vt liberentur ab obligatione præmeditandi, & à vitio temeritatis, & imprudentiæ, ſed ſatis eſt, quod in actu exercito cognoſcant ea, quæ loquuntur, & modum loquendi cum modo quodam eminentiori, & certiori ad modum omnem loquendi ex diligentiſsima conſideratione: Sic ergò in noſtro caſu.

16. Et confirmari poteſt hæc doctrina ex D. Maximo, *lib. Coment. in Matth. cap. 9.* vbi, cum Porphyrius, & Iulianus in vocatione, & converſione Apoſtolorum, argnetent, *vel imperitiam hiſtorici mentientis, vel ſtultitiam eorum, qui ſtatim ſecuti ſunt Salvatorem, quaſi irrationabiliter quemlibet hominem ſint ſecuti.* Ad hanc ſtultitiam propulſandam; primò recurrit Hieronymus ad motiva credibilitatis externa, dicens: *Cum tantæ virtutes, tantaque ſigna præceſſerint, quæ Apoſtolos, antequam crederent, vidiſſe, non dubium eſt.* Deindè recurrit ad vim Maieſtatis occultæ, dicens: *Certè fulgor ipſe, & Maieſtas Divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad ſe videntes trahere poterat aſpectu. Si enim in magnete lapide, & ſuccinis hæc eſſe vis dicitur, vt annulos, & ſtipulam, & feſtucas ſibi copulent, quanto magis Dominus creaturarum ad ſe poterat trahere quos volebat.* Rogò igitur, nunquid illi, quos Chriſtus ex primò ad ſe aſpectu ad ſe traheret, propter vim occultam diviniratis, & fulgorem Maieſtatis etiam in humana faciè relucentem, argui poſſent imprudentiæ, & ſtultitiæ? Minimè ait Hieronymus, contra Porphyrium, & Iulianum. Sed cur, ſi tam citò, ex primò aſpectu, abſque diligenti conſideratione, & examine, credebant in Chriſtum, ipſumquē ſequebantur? Sanè, quia trahebantur inſtinctu, & vi Maieſtatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, & imprudentiæ notari nequit, qui tractus vi divinitatis occultæ Chriſtum ſequitur, licèt ex primo aſpectu, quia motio, illuſtratioque interior, qua divinitas occulta mentem illuſtrat, & affectum movet, magis certificat, & aſſecurat mentem credentis, quam diligentiſsima inquiſitio, & conſideratio præmiſſa. E contra autem ferer, ſi proprio Spiritu Chriſtum ſequerentur, tunc enim vix vlla ſufficeret conſideratio, vt prudenter ſequerentur ipſum. Sic ergò dici poteſt de Chriſto in Eccleſia per ſuos Miniſtros hodiè prædicante Evangelium, nempè, quod fulgor ipſe, & vis Maieſtatis occultæ, quæ in ipſa Eccleſia ſatis relucet, & intus corda movet, & illuſtrat mentes, poteſt, quos vult, primo ad ſe trahere aſpectu, & quaſi ſic trahit pueros, &

Ruſ-

Digitized by Google

Ruſticos in ſinu Matris Eccleſię educatos; quin tamen imprudentię, aut temeritatis in credendo argui poſsint, quia veniunt ad Chriſtũ tracti, & illuminati ab ipſo, illuminatione ſupplente pro exactiſsimã, & diuturna conſideratione, hi enim ſunt, de quibus dicit Chriſtus: *Sinite parvulos venire ad me.* E contra autem inter hæreticos, qui in credendo non ducuntur divina illuſtratione, ſed proprio ſpiritu, nihil eſt quod eos ab imprudentia, & temeritate in credendis proprijs Sectis liberare poſsit.

17. Valdè tamen notandum eſt, divinam illuſtrationem, & inſpirationem non ęqualiter ſupplere in omnibus defectum conſiderationis, ſed inæqualiter; quanto maior eſt, & quanto magis certificat obiectivè mentem, tãto magis ſupplet, quãto minus, minus, & ideò non ſemper liberantur credituri ab obligatione diligenter conſiderandi motiva credibilitatis; vult enim Deus regulariter, quod vnuſquiſque præſtet quod ex ſe poteſt, vt quod deficit ſuppleat ſua gratia, & ideò, cum quis adultus litteratus, & ingenio præditus ad fidem convertitur, non diſplicèt Deo, quod maturè conſideret, quantum poſsit, motiva credibilitatis, antequam ſe determinet ad credendum, quia cum hanc conſiderationem ex proprio penù poſsit ipſe adhibere, & ea ſe diſponere, ſaltèm negativè, hanc Deus regulariter non ſupplet in Sapienti, & litterato, licèt eam ſuppleat in pueris, & Ruſticis, qui eam præmittere nequeunt.

18. Notandum etiam eſt, quod etiam in Sapientibus non ſufficit conſideratio motivorum credibilitatis, quantumvis exactiſsima, ſi fiat ſolo lumine naturali, vt Doctrina Catholica fiat proximè credibilis fide determinatè divina, vndè ſemper neceſſe eſt, quod ſuppleat divina illuſtratio, & gratia, etiã in Sapiẽtibus, & id ſatis oſtenſum manet *quæſt.* 4. *num.* 4. *&* 12. Vndè in omnibus ſupplet divina gratia defectum luminis naturalis, & naturalis conſiderationis, quia cum hæc in nullo ſufficiat proximè, & ſe ſola ad fidem infuſam, exigitur in omnibus lumen ſupernum, vt debitè conſiderent motiva credibilitatis prout proximè requiritur, & ſufficit ad fidem divinam. Vndè *Actor.* 16. de quadam muliere, nomine Lidia, quę credidit, prædicante Paulo, dicitur: *Cuius Dominus aperuit cor intendere his, quę dicebantur à Paulo*: Vbi valdè notandum eſt, Sacrum Textum, non ſolum exigere, quod Deus aperiat cor humanum, vt credat, his quę prædicantur ab Apoſtolo, ſed per prius vt intendat his, quę prædicantur, quia videlicèt, niſi Deus illuſtret mentem, vt debitè conſideret, & intendat his, quę prædicantur, ſeù motivis credibilitatis, non erit ſufficiens conſideratio, & attentio, quę proximè exigitur ad credendum fide infuſa.

19. Confirmatur denique præcedens doctrinam ex illo *Actor.* 17. vbi, prædicante Paulo Athenis: *Cum audiſſent Reſurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt, audiemus te de hoc iterum: Quidam verò adhærentes ei crediderunt, vt Dionyſius, & mulier quædam, nomine Damaris.* Vbi videre licet, quam diversè apparuit Doctrina Apoſtoli illis audientibus; alijs enim vt irridenda, alijs vt res magni momenti, nec irridenda, nec citò credenda, ſed maturius conſideranda, alijs ita credibilis apparuit, vt quam primum eam crederent, & Paulo adhærerent. Sanè doctrina, prout ex ore Pauli ad aures eorum perveniens, eadem erat reſpectu omnium audientium, tamen in eorum mentibus diverſiſsimam habuit apparientiam; quare? Sanè, quia diverſo affectu, diverſa que luce conſideratíonis accepta fuit. Alij enim, qui abſdubio nimium carnales, ſeù terreni in affectibus erant, & propterea lumen naturale rationis, veluti carnis mancipium, carnalibus, & temporalibus cogitationibus immerſum habebant, ita vt vix aliquid ſuprà ſenſibilia, & viſibilia cogitare poſſent, irridebant Pauli doctrinam; quia lumini naturali ita affectibus terrenis immerſo aliter non apparet doctrina ſupernaturalis, niſi vt irridenda. Alij autem, mente magis libera, & ſyncero affectu attendentes, & magis maturè conſiderantes, exiſtimarunt eam doctrinam dignam maiori conſideratione, ſiquidem ipſis apparuit proximè graviter dubitabilis. Alij denique ſuperna illuminatione magis adiuti, & affectu ſuperno impulſi, abſque diuturniori conſideratione eam ſuſceperunt, & crediderunt, quia ipſis apparuit tanquam vera, & infallibilis, ſupplente cœleſti lumine defectum maioris conſiderationis. Et ratio eſt, quia, quo maiori lumine conſiderantur obiecta, ſeù motiva credibilitatis, tanto citius, & promptius penetratur vis, & efficacia eorum ad movendum intellectum: Ergò, quo magis illuſtretur intellectus audientis Evangelium cœleſti lumine, tanto minori egebit conſideratione; poteſt ergò illuſtratio cœleſtis ſupplere defectum maioris conſiderationis. *Maioris* dico ſemper, quia defectum omnis conſiderationis nunquam ſupplet, requiritur enim ſemper aliqua, licèt ſimplex, & prompta conſideratio, & attentio ad motiva, vel motivum aliquod credibilitatis, vt vi illius doctrina fidei appareat proximè, & ſufficienter credibilis.

SE-

SECUNDA CONCLUSIO.

20. DICO ſecundò : *Adhùc ſuppoſita debita conſideratione motivorum credibilitatis, ex qua appareat noſtra fides ſufficienter, & proximè credibilis, ad actu credendum requiritur etiam pius affectus, ſeù imperium voluntatis, quo moveat intellectum ad aſſenſum, & minimè ſatis eſt, quod voluntas non contramoveat.* Ita communiter Theologi, & præſertim omnes Thomiſtę, contra Scotum, & aliquos Scotiſtas, quos citat, & ſequitur noviſsimè P. Sendin *controv.* 10. de fide actuali. Et probatur primò ex Div. Thom. *artic.* 10. illis verbis : *Aſſenſus fidei ſubiacet voluntati, non ſolum quoad vſum, ſed etiam quoad aſſenſum.* Nam ſi tota dependentia fidei à motione voluntatis eſſet in conſideratione debita motivorum credibilitatis, illis autem debitè conſideratis, non dependeret iam intellectus à motione voluntatis in credendo, ſolum ſubiaceret fides voluntati quoad vſum, id eſt, vt applicaret intellectum ad quærenda, & conſideranda motiva, in quo vſus conſiſtit, ſuppoſito verò vſu, non ſubiaceret voluntati, quantum ad aſſenſum : Sed iuxta Div. Thom. non ſolum ſubiacet voluntati quoad vſum ; ſed etiam quoad aſſenſum : Ergò eget pia motione, non ſolum ad conſideranda debitè motiva, ſed etiam, illis debitè conſideratis, ad actualem aſſenſum.

21. Dices, authoritatem Div. Thom. non probare contra Scotum, & Scotiſtas. Sed contra, quia ſi non probat authoritas, probabit ipſius ratio; etenim negari nequit, quod magis ſubiacet imperio voluntatis aſſenſus fidei, quam aſſenſus ſcientię evidentis, tum quia quod quis evidenter ſcit, velit nolit, illud ſcit, quod autem credit, credere nequit, niſi volens, vt ſuprà vidimus *quæſt. præced. à num.* 2. ex S. Textu, SS. PP. & præſertim ex Auguſtino. Tum quia ſciens evidenter cogitur, & convincitur ad aſſenſum rei ſcitę per evidentiam demonſtrationis, credens autem non aſſentitur convictus, nec coactus ex evidentia demonſtrationis, aut obiecti : Sed aſſenſus ſcientię evidentis eſt liber quantum ad conſiderationem motivorum : Ergò aſſenſus fidei eſt etiam liber quoad aſſenſum rei creditę, ſuppoſita conſideratione motivorum. Hæc ratio deſumitur ex Div. Thom. *artic.* 9. *ad* 20. vbi ſic ait : *In ſcientia duo poſſunt conſiderari, ſcilicèt ipſe aſſenſus ſcientis in rem ſcitam, & conſideratio rei ſcitę : Aſſenſus autem ſcientię non ſubiacet libero arbitrio, quia ſciens cogitur ad aſſentiendum per efficaciam demonſtrationis, & ideò aſſenſus ſcientię non eſt meritorius ; ſed conſideratio actualis rei ſcitę, ſubiacet libero arbitrio, eſt enim in poteſtate hominis conſiderare, vel non conſiderare, & ideò conſideratio ſcientię poteſt eſſe meritoria : : : Sed in fide vtrumque ſubiacet libero, & ideò quantum ad vtrumque actus fidei poteſt eſſe meritorius.* Quòd clarius? Sed iſta differentia inter actum ſcientię, & actum fidei, non ſalvatur, ſi fides ſolum ſubiaceat libero arbitrio quantum ad conſiderationem præviam, non autem ſuppoſita conſideratione, etiam quoad aſſenſum : Ergò.

22. Secundò probatur ratione à priori, quia adhùc ſuppoſita conſideratione debita motivorum, & evidentia credibilitatis ex illis reſultans, Myſteria fidei proponuntur ex parte obiecti obſcurè, & inevidenter : Sed eo ipſo ad actu aſſentiendum requiritur pia motio, & imperium voluntatis : Ergò. Probo minorem, quia dum Myſteria noſtrę fidei proponuntur obſcurè, & inevidenter, intellectus non neceſsitatur nec convincitur ad aſſenſum, ſiquidem intellectus non convincitur niſi ex ſola evidentia obiecti : Sed dum intellectus non eſt convictus, nec neceſsitatus ad aſſenſum, eget pia affectione voluntatis, & imperio ad aſſenſum : Ergò. Probo minorem: Dum intellectus non eſt convictus, nec neceſsitatus ad aſſenſum, eſt indifferens ad aſſentiendum, vel non aſſentiendum : Sed dum intellectus eſt indifferens, eget motione, & imperio voluntatis : Ergò. Probo minorem, quia indifferens ad aſſenſum, vel non aſſenſum, nequit actu aſſentiri, niſi determinetur : Sed intellectus indifferens nequit determinari à ſe ipſo, ſiquidem ipſe non eſt potentia libera, cuius ſolius eſt determinare ſe ipſam ad actum ſuum : Ergò eget motione, & imperio voluntatis determinantis intellectum ad aſſenſum.

23. Reſpondent primò Scotiſtę, quod, ſuppoſita conſideratione motivorum credibilitatis, & iudicio credibilitatis evidentis ex illa reſultante, ſufficit, quod voluntas non contramoveat intellectum ad diſſenſum, ſeù quod illum non dimmoveat à conſideratione motivorum. Non autem requiritur, quod ipſum poſitivè moveat ad aſſenſum, quia vt aſſenſus fidei ſit liber, primum ſufficit, & non requiritur hoc ſecundum. Sed contra eſt, quia licèt hoc ita eſſet, non ſufficeret vt aſſenſus fidei eſſet poſitivè liber, ſed ſolum vt eſſet liber permiſsivè : Sed aſſenſus fidei non ſolum debet eſſe liber permiſsivè, ſed poſitivè : Ergò. Probo maiorem, quia quod voluntas non

contra moveat, ſolum facit quod permittat intellectui aſſenſum, non verò, quod illum poſitivè cauſet, aut determinet : Sed actus, quem voluntas purè permittit, non determinando illum, nec illum poſitivè cauſando, ad ſummum eſt liber permiſivè : Ergò quod voluntas non contramoveat, ſolum ſufficit, vt actus fidei ſit liber permiſſivè, non verò vt ſit liber poſitivè. Minor verò, nempè quod debeat eſſe liber poſitivè, probatur etiam, tum quia debet eſſe liber libertate ſufficienti ad meritum, cum actus fidei de ſe ſit meritorius accedente fine debito, & ſtatu in gratia credentis : Sed vt ſit meritorius non ſatis eſt libertas permiſſiva, ſeù quod voluntas merè permiſſivè ſe habeat, alias quis mereri poſſet per omnes actus, quos in ſe, vel in alijs permitteret ; immò, & poſſet demereri per actus purè permiſſos, quod eſt contra omnes Theologos : Ergò in actu fidei non ſufficit libertas purè permiſſiva. Secundò, quia vel intellectus, ſuppoſita ſufficienti, & proxima credibilitate, ex illa manet determinatus efficaciter, & quoad exercitium; vel adhùc manet indifferens : Si manet efficaciter ex illa determinatus quoad exercitium : Ergò quamvis voluntas contramoveat, nihilominus intellectus aſſentiet, ſicut patet quando intellectus convincitur efficaciter ab evidentia obiecti, nam velit nolit voluntas, intellectus ſic convictus neceſſario aſſentitur : Ergò adhùc permiſſivè non erit liber voluntati talis aſſenſus, nec opus erit vt intellectus aſſentiat, quod voluntas non contramoveat, ſed quamvis contramoveat, aſſentiet, quod eſt contra ipſos Scotiſtas. Si autem manet indifferens, ſic argumentor : Intellectus indifferens, vt indifferens, nõ poteſt elicere actú, ad quẽ eſt indifferẽs, niſi poſitivè determinetur: Sed non poteſt ſe ipſum determinare poſitivè, aliàs eſſet potentia formaliter libera, quod repugnat : Ergò eget determinari poſitivè à voluntate : Sed per puram permiſſionem, aut non contramotionem, intellectus non determinatur poſitivè, ſed ſolum relinquitur ſecundum quod ex ſe habet, & prout ſe habet præſuppoſitivè, nempè in indifferentia : Ergò. Vrgetur : Vt intellectus indifferens ad aſſenſum poſitivè aſſentiat, non ſufficit, quod purè permiſſivè determinetur: Sed per puram non contramotionem purè permiſſivè determinatur : Ergò non ſufficit pura non contramotio. Probo maiorem : Intellectum purè permiſſivè determinari eſt ſini, ſeù relinqui, & non impediri : Sed hoc non ſufficit, ſi intellectus non poteſt ſe ipſum determinare, vt ſupponimus : Ergò. Probo hanc minorem : Vt quis ambulet per potentiam progreſſivam, non ſufficit quod ſe ipſum ſinat, & relinquat, purè non impediendo potentiam progreſſivam, ſeù illam ſibi relinquendo, vt experientia patet, & hoc non alia ratione, niſi quia potentia progreſſiva de ſe eſt indifferens ad motum progreſſivum: Sed intellectus, adhùc ſuppoſita conſideratione motivorum, & evidentia credibilitatis indè reſultante, manet indifferens : Ergò non ſatis eſt, quod voluntas non contramoveat, ſeù quod permiſſivè ſe habeat, purè non impediendo intellectum, & illum ſibi relinquendo.

24. Dices, quod ſuppoſita conſideratione debita motivorum, & evidenti credibilitate, intellectus ratione habitus fidei inclinantis ad aſſenſum ſufficienter determinatur poſitivè ad aſſenſum. Sed contra, quia inclinatio habitus fidei non eſt inclinatio efficax, ſed determinans ſufficienter quoad exercitium, ſeù eſt inclinatio ex parte actus primi cum indifferentia, ſaltèm negativa, & quoad exercitium, inclinat enim, ſed non efficaciter determinat, ſicut habitus acquiſitus ſcribendi, de ſe quidem inclinat ad ſcribendum, & tamen cum indifferentia, & non cum efficacia, vndè manus habilitata ad ſcribendum, quantumvis inclinata ad ſcribendum ex tali habitu, niſi poſitivè moveatur à voluntate, & efficaciter determinetur, purè ſibi relicta, nihil ſcribet, vt dum hæc ſcribo, evidenter experior, & quiſque evidenter experietur : Ergò non ſatis eſt inclinatio habitus, vt poſitivè determinetur intellectus.

25. Reſpondet ſecundò P. Sendin, quod conſideratis debitè motivis credibilitatis, & ſuppoſito iudicio evidenti illius, intellectus non manet indifferens ad aſſenſum, ſed determinatus, quia ex evidentia credibilitatis infertur per metaphyſicam connexionem veritas fidei; & cum evidentia vnius obiecti metaphyſicè connexi cum alio determinet intellectum ad aſſenſum illius, cum quo connectitur, indè eſt, quod evidentia credibilitatis determinat intellectum, & illum non relinquit indifferentem ad aſſenſum fidei.

26. Sed contra eſt, quia vt intellectus efficaciter determinetur ex vno obiecto ad aſſenſum alterius, non ſolum requiritur quod obiectum prius ſit phyſicè, & metaphyſicè connexum cum poſteriori, ſed etiam quod talis connexio ſit evidens intellectui, nam ſi obiectum evidenter cognitum connectitur, ſed connexio eſt obſcura, & inevidens, vi connexionis non poteſt convincere intellectum, nec illum efficaciter determinare, quia connexioni obſcuræ, & inevidenti poteſt intellectus diſ-

ſen

ſentire: Sed dato, quod evidentia credibilitatis ſit metaphyſicè eonnexa cum veritate fidei, talis connexio non eſt evidens, ſed obſcura: ergò ex vi credibilitatis evidentis non determinatur efficaciter intellectus ad aſſenſum fidei. Minorem habes probatam abundè ſuprà *diſput.* 1. *quæſt.* 3. *à num.* 31. & videri poſſunt ibidem dicta *à num.* 28. vſque *ad* 35. nam ex illis facilè impugnari poteſt hæc evidens connexio credibilitatis cum veritate, motivumque quo illam fundat præcitatus Auctor.

27. Confirmatur: Quia ſi eſſet evidens connexio credibilitatis cum veritate fidei catholicę, ex motivis credibilitatis fieret evidens veritas noſtrę fidei, ſaltèm evidentia in atteſtante, hoc eſt, fieret evidens Deum eſſe Authorem teſtificantem inſallibiliter doctrinam catholicam: Sed ex motivis credibilitatis non reſultat huiuſmodi evidentia, vt latè probavi contra R. Tyrſo, *diſput.* 4. *quæſt.* 3. *per totam*: Ergò. Et confirmari poteſt doctrina ibidem data ex Div. Thom. ſuprà expenſa, *quæſt.* 4. *num.* 14. vbi Angelic. Præcep. diſtinguens duplicem cauſam ad aſſenſum fidei requiſitam, ſic ait: *Vna quidem exterius inducens, ſicut miraculum viſum, vel perſuaſio hominis inducentis, quorum neutrum eſt ſufficiens cauſa, videntium enim vnum, & idem miraculum, & audientium eandem prædicationem, quidam credunt, & quidam non credunt.* Supponamus enim, quod alicui nondum credenti Miniſter Evangelicus proponat exactiſsimè omnia motiva credibilitatis, vt ipſi ſuadeat veritatem noſtrę fidei, immò, & quod in illius confirmationem patret miraculum, v. g. mortuum ſuſcitando, totum hoc, inquit Div. Thom. non ſufficit, quia videntium vnum, & idem miraculum, & audientium candem prædicationem, quidam credunt, quidam non credunt: Ergò ex motivis credibilitatis, quantumvis evidenter propoſitis, non fit evidens veritas noſtrę fidei adhùc in atteſtante. Et ex hac doctrina interpretanda eſt alia eiuſdem Angel. Præcept. quę nobis opponebatur *diſput.* 4. *num.* 49. vbi videtur aſſerere, quod miraculum patratum in confirmationem doctrinę convinceret videntem ad evidentiam illius in atteſtante; non enim poteſt intelligi de evidentia propria in atteſtante, aliàs nemo videns illud miraculum poſſet non credere, & ſolum illud miraculum ſufficeret ad convincendos videntes, cuius contrarium aſſerit Div. Thom. ſed intelligendus eſt de evidentia credibilitatis ſolius, manente obſcura, & in evidenti veritate, adhùc in atteſtante, ſeù Dei, revelantis, prout ibi explicabam *num.* 51. ne Div. Thom. ſibi contradicat.

28. Vrgetur: Videntium vnum, & idem miraculum, & audientium eamdem prædicationem, quidam credunt, & quidam non credunt, vt inquit Div. Thom. Sed omnibus ſic videntibus, & audientibus eſt evidenter credibilis doctrina prædicata: Ergò non ſufficit evidentia credibilitatis ſine pia motione voluntatis ad determinandum intellectum vt credat. Minor probatur, nam vt arguit P. Sendim *num.* 70. in tantum aliqua doctrina proponitur evidenter credibilis credibilitate abſoluta, in quantum in ſe nullam habet deformitatem, aut contradictionem, & miraculis confirmatur, vt conſtat ex cap. *Cum ex iniuncto, de hæreticis*: Sed doctrina Evangelica prædicata, in caſu, quo miraculo, vel miraculis confirmetur, omnibus videntibus talis eſt: Ergò omnibus eſt evidenter credibilis: Et tamen non omnes eam credunt: Ergò non ſufficit evidentia credibilitatis, niſi accedat voluntatis imperium.

29. Dices, aliud eſſe, quod ipſa doctrina in ſe ſit evidenter credibilis: Aliud quod videntibus miraculum, & audientibus prædicationem illa iudicetur evidenter credibilis: In caſu autem talis prædicationis, & patrationis miraculi, verum eſt, quod illa doctrina proponitur vt evidenter credibilis, & talis eſt in ſe, ſed non omnes videntes, & audientes illam iudicant evidenter credibilem, & ideò non omnes credunt, ſed ſoli illi, qui illam iudicant evidenter credibilem, qui quidem ex ſuppoſitione talis iudicij de credibilitate non poſſunt non credere, & ideò non egent pia motione voluntatis.

30. Sed contra eſt primò, quia quod in ſe eſt evidens, & proponitur evidenter; non poteſt non evidenter cognoſci, & iudicari ab omnibus videntibus, quibus ſic proponitur: Sed per te Doctrina Evangelica, quando prædicatur, & miraculis confirmatur, cunctis videntibus, & audientibus proponitur evidenter vt credibilis credibilitate abſoluta, vt probas *ex cap. Cum ex iniuncto, de hæreticis*: Ergò omnes ſic videntes, & audientes non poſſunt non cognoſcere, & iudicare evidenter eius credibilitatem: Et tamen non omnes credunt: Ergò iudicium evidens de credibilitate abſoluta non ſufficit ſine motione voluntatis. Maior videtur innegabilis, tum quia quod eſt evidenter album, ſi proponatur evidenter vt tale, nequit non evidenter iudicari tale ab omnibus, quibus ſic proponitur, & quod eſt evidenter verum, ſi proponatur evidenter vt verum, neceſſario ab omnibus, quibus ſic proponitur, iudicatur verum. Tum quia evidentia obiec-

ti propoſiti neceſsitat, & determinat intellectum, quoad aſſenſum, & iudicium: Ergò quod in ſe eſt evidens, & proponitur evidenter tale, nempè vt evidenter credibile, non poteſt non cognoſci, & iudicari evidenter vt credibile.

31. Et quidè, rogo: Si doctrina ſic prædicata proponitur evidenter vt credibilis credibilitate abſoluta, cur ab omnibus nō iudicatur talis? Dices, ad hoc eſſe neceſſariam piam motionem voluntatis, & eius imperium, *quia tota indifferentia voluntatis* (concludit P. Sendin *num. 74.*) *reducitur ad iudicium prudentis credibilitatis, non autem ad ipſum actum credendi.* Sed ſanè, quis non videat huius doctrinę inconſequentiam? Etenim credibilitas doctrinę, ſuppoſita prædicatione, & miraculis, proponitur evidenter cunctis videntibus, & audientibus, adhùc autem ſuppoſita credibilitate, veritas doctrinę proponitur obſcurè, & inevidenter: Sed omninò inconſequens eſt, quod tota indifferentia credentis ſit ad iudicium, vel aſſenſum illius obiecti, quod evidens eſt, & evidenter proponitur, & non ad aſſenſum illius, quod obſcurum eſt, & obſcurè proponitur: Ergò omninò inconſequens eſt dicere, quod tota indifferentia voluntatis reducitur ad iudicium prudentis credibilitatis, quę evidens eſt, & evidenter proponitur, non autem ad actum credendi veritatem doctrinę, quę obſcura eſt, & obſcurè proponitur, adhùc ſuppoſita evidenti credibilitate.

32. Contra ſecundò: Quia omnes videntes miraculum patratum à Miniſtro Prædicante in confirmationem Doctrinę Evangelicę evidenter vident, & iudicant doctrinam illam eſſe miraculo confirmatam: Sed in hoc potiſsimè conſtituit P. Sendin evidentem credibilitatem doctrinę: Ergò omnes cognoſcunt in eo caſu evidenter, ſeù evidenter iudicant credibilitatem abſolutam Myſterij, ſiquidem evidenter agnoſcunt id, in quo ſita eſt talis credibilitas, nempè quod miraculis confirmatur.

33. Dices, & benè, quod licèt omnes videant miraculum patratum à Miniſtro, v. g. ſuſcitatum mortuum, non omnes vident, illud eſſe verum miraculum, & veram mortui Reſurrectionem, re ipſa à Deo patratam, potius quam apparentem, & præſtigioſam; nec hoc dato, vident evidenter eſſe patratam intentione confirmandi illam doctrinam: Et ideò non omnes iudicant eam doctrinam evidenter credibilem. Sed contra, quia hic detegitur ęquivocatio illius Authoris, non benè diſcernentis credibilitatem evidentem à non evidenti, vndè ſic inferò: Ergò vt aliquis evidenter iudicet doctrinam prædicatam eſſe evidenter credibilem, non ſatis eſt, quod ad ſenſum videatur miraculum, dicente Miniſtro illud patrari in confirmationem eius doctrinę, ſed requiritur quod audiens, & videns, evidenter videat, & cognoſcat illud eſſe verum miraculum, verè patratum à Deo, & ex intentione confirmandi doctrinam illam. Vel concedis, vel negas? Si concedis: Ergò nullus erit, qui habeat iudicium evidens de prudenti credibilitate, quia nullus eſt, qui evidenter cognoſcat ea requiſita: Ergò nullus ex tali iudicio neceſsitabitur, aut determinabitur ad credendum, & conſequenter egebit quiſque pia motione voluntatis. Si negas: Ergò quamvis audientes prædicationem, & videntes miraculum ea requiſita non cognoſcant evidenter, omnes habebunt iudicium evidens de prudenti credibilitate, quia omnes habent evidentiam de cæteris, quę requiruntur, & ſufficiunt: Ergò vel nullus, vel omnes habent iudicium evidentis credibilitatis.

34. Etenim in hoc falluntur præcitatus Author, & alij cum ipſo, quod iudicant præcedere ad fidem iudicium evidens de motivis credibilitatis, non ſolum quoad ſenſibilem apparientiam eorum, ſed etiam quoad veritatem internam, & realem cauſam illorum ſupernaturaliter operantem: Falluntur inquam in hoc, nam veritas intrinſeca miraculorum, & quod re ipſa ſint à Deo ea patrante in confirmationem Doctrinę Catholicę, non eſt quid evidens ante fidem, nec evidenter cognoſcitur ab vllo, antequam credat, nec de hoc habet evidens iudicium, quia hoc eſt Myſterium non minus obſcurum, nec minus inevidens, quam cætera fidei Myſteria, cum ſit quid ſupernaturale, & ſuprà lumen naturale intellectus, vt ſatis monſtravi, ſuprà *diſput. 4. quæſt. 3. à num. 30.* ſolum ergo præcedit ad fidem iudicium evidens de motivis credibilitatis ſecundum externam, & ſenſibilem apparientiam, aut ſecundum authoritatem humanam Hiſtoriarum, aut Miniſtrorum proponentium ea motiva, ſeù miracula, hoc enim tantum eſt evidenter cognoſcibile ab hominibus antequam credant fide divina. Cæterum totum hoc vt evidenter cognitum minimè importat evidentem connexionem metaphyſicam, nec cum veritate revelationis, nec cum veritate Doctrinę Catholicę, vt ſatis oſtendi loco citato. Vndè ſic.

35. Vltimò arguò contra doctrinam P. Sendin: Ideò per te iudicium evidens credibilitatis determinat intellectum ad aſſenſum fidei divinę, quia eſt iudicium evidens de cre-

Digitized by Google

credibilitate, ſeù de motivis metaphyſicè connexis cum veritate doctrinę : Sed minimè eſt iudicium evidens de motivis ſecundum eam rationem, ſecundum quam metaphyſicè connectuntur cum veritate doctrinę : Ergò minimè determinat intellectum ad aſſenſum veritatis doctrinę. Probo minorem, quia ea motiva ſolum connectuntur metaphyſicè cum veritate revelationis, & doctrinę, quatenus vera in re, & à Deo ſupernaturaliter, & ſpecialiter operante : Sed iudicium evidens præcedens fidem minimè eſt iudicium evidens de illis motivis, v. g. de miraculis, vt veris miraculis in re, & vt à Deo ſupernaturaliter ea patrante in confirmationem doctrinę : Ergò.

36. Confirmatur, quia vt *diſput.* 4. *quæſt.* 4. explicavi, credibilitas, quę eſt evidens, præſertim evidentia naturali, & ſpeculativa, ante fidem, non eſt credibilitas poſitiva determinatè per fidem divinam, ſed ſolum credibilitas poſitiva relatè ad fidem in cōfuſo abſtrahentem ab infuſa, vel acquiſita, à verè divina, vel ſolum apparenter divina, & credibilitas negativa relatè ad fidem infuſam : Sed huiuſmodi credibilitas non connectitur metaphyſicè cum veritate noſtrę fidei, immò nec importat poſitivum ordinem ad fidem divinam, aut ad veritatem Myſteriorum ſupernaturalium, vt ex ibidem dictis conſtat : Ergò iudicium præcedens fidem, non eſt iudicium evidens de credibilitate metaphyſicè connexa cum veritate fidei, aut doctrinę credendę.

37. Denique reſponderi poteſt, ex doctrina ipſius Sendin, & aliorum RR. non ſolum præcedere ad fidem iudicium de credibilitate, ſed iudicium certum de exiſtentia revelationis divinę, & infallibilis, revelantis doctrinam fidei; ſuppoſito autem hoc iudicio certò, intellectum non manere indifferentem ad aſſenſum, vel diſſenſum talis doctrinę, ſed determinari neceſſariò ad aſſenſum.

38. Sed contra hanc ſolutionem inſurgit D. Ferreras *in præſenti*; quia adhùc ſuppoſito iudicio certò de exiſtentia revelationis, ſic iudicans manet liber, & indifferens ad credendum, vel non credendum : Ergò vitalis iudicij non tollitur indifferentia, nec indigentia pię motionis voluntatis ad credendum. Probat antecedens primò, quia aliàs nunquam aſſenſus fidei eſſet liber, quia ſemper ante ipſum præcedit tale iudicium. Secundò, quia aſſenſus fidei eſt liber, ita vt poſitis omnibus requiſitis ex parte actus primi ad credendum poſſit quis credere, vel non credere, quia in hoc conſiſtit actum aliquem eſſe liberum; & PP. abſolutè pronunciant actum fidei eſſe liberum : Sed vnum ex requiſitis ex parte actus primi eſt tale iudicium certum de revelatione, ſiquidem ante illum non eſt poſsibilis fides: Ergò, adhùc poſito tali iudicio, poteſt quis credere, vel non credere : Ergò manet indifferens, & liber. Tertiò, quia adhuc ſuppoſita obligatione credendi, manet quis liber ad credendum, ſiquidem obligatur ad credendum liberè : Sed non datur obligatio credendi, niſi ex iudicio certò de exiſtentia revelationis; tū quia ante illum non eſt poſsibilis fides, & nemo obligatur ad impoſsibile; tum quia ex iudicio purè probabili nemo obligatur ad credendum; vt conſtat in Theologis, quando diſputant, an aliquid ſit revelatum : Ergò. Quartò, ſuppoſito iudicio certò de revelatione datur dictamen prudentię dictans debere credi Myſterium per illam revelatum : Sed dictamen prudentię ſemper eſt de actu, ad quem quis eſt liber : Ergò adhuc illo ſuppoſito iudicio, quiſque manet liber ad credendum, vel non credendum. Quintò, quia alias, ſuppoſito tali iudicio, non aliter eſſet liber aſſenſus fidei, quàm aſſenſus theologicus deductus ex præmiſsis, vna de fide, & alia evidenti : Sed hoc dici nequit : Ergò. Sextò, quia adhùc ſuppoſito iudicio certò de revelatione, aſſenſus Myſterij manet obſcurus : Sed dum manet obſcurus, intellectus manet indifferens ad talem aſſenſum : Ergò adhùc ſuppoſito eo iudicio, &c. Probat maiorem, quia aſſenſus Myſterij ex revelatione non poteſt eſſe evidens, niſi per diſcurſum : Ergò aſſenſus Myſterij, non per diſcurſum, ſed per ſimplicem tendentiam in Myſterium vt revelatum, manet obſcurus. Septimò, quia iudicium certum de revelatione, quod neceſſariò præſupponitur, ſolum eſt certum moraliter : Sed certitudo moralis non cogit intellectum ad aſſenſum Myſterij revelati : Ergò manet intellectus indifferens, & conſequenter egens pia motione voluntatis. Minorem probat, quia intellectus ſolum cogitur ex evidentia phyſica, aut metaphyſica. Octavò, quia poteſt quis, velit nolit, habere iudicium moraliter certum de revelatione, nam ſi alicui ligarentur manus, ne obturaret aures, & clauderetur os, ne vocibus impediret auditum, & ſic illi prædicarentur motiva, quę faciunt evidentem, & certam moraliter exiſtentiam revelationis, ille non poſſet ita animum divertere, vt ſi crebro, & claris vocibus illi inculcarentur motiva prædicta, tandem attenderet, & vellet, nollet, eliceret iudicium moraliter certum de revelatione : Sed dici nequit, quod tunc maneret determinatus, & non indifferens ad

cre-

credendum, aliàs crederet Myſterium, vellet, nollet, quod evidenter repugnat: Ergò adhùc ſuppoſito iudicio certò moraliter, maneret liber, & indifferens. Vltimo ex experientia, nam pleriquc Sectariorum apprimè noverunt veritatem noſtrę Religionis ex motivis credibilitatis evincti; ſed diſtenti vxoribus, Filijs, patria, & cenſu, difficultate hæc peſſundandi, manent voluntariè erroribus obſtricti: Ergò compatitur eum illo iudicio revelationis intellectum non credere, ſed potius eſſe in erroribus oppoſitis fidei.

39. Ita præcitatus Author contra Sendin. Sed niſi fallor, ipſum non tangit, ſed potius auget difficultatem in favorem ipſius, quia Sendin ſolum expreſsè ſupponit ante aſſenſum fidei iudicium evidentis credibilitatis, & motivorum ipſius, & ex ipſis probat intellectum ita determinari ad aſſenſum fidei, quod non maneat indifferens ex ſuppoſitione illius; at Ferreras præſupponit ante aſſenſum fidei iudicium certum de ipſa revelatione, quod non ita clarè ſupponit P. Sendin, & quod ſanè multò magis determinat intellectum: Ergò auget difficultatem. Rurſus probat, quod ſi illud iudicium determinaret intellectum, aſſenſus fidei non eſſet immediatè, ſed tantum mediatè liber: Hoc autem non eſt contra, ſed ipſa ſententia Sendin, quia ipſe propugnat actum fidei non eſſe immediatè, ſed ſolum mediatè liberum. Demum falſum eſt quod aſſumit probandam, nempè, quod ſuppoſito iudicio certò de revelatione, maneat intellectus indifferens ad credendum, vel non credendum, & egens motione voluntatis; vndè contra ipſum dicam quæſtione ſequenti, vbi eius probationes facilè diſſolvam.

40. Aliter ergò impugno vltimam evaſionem, ex *num.* 37. Primò, quia falſum eſt, quod ad primum aſſenſum fidei requiratur iudicium certum de revelatione vt infallibili: Sed in hoc fundatur prædicta ſolutio: Ergò falſo nititur fundamento. Probatur maior primò ex dictis contra Suarez *diſput.* 1. *quæſt.* 13. *à num.* 17. vbi ſatis efficaciter probabi, non requiri ad credendum cognoſcere prius indicativa divinam revelationem, nec eius infallibilitatem. Secundò, quia propterea requireretur, quia non poteſt movere revelatio, niſi vt iudicativè præcognita: Sed ad primum actum fidei potius nequit movere vt iodicativè præcognita: Ergò non requiritur illud iudicium certum. Probo minorem, quia in primis non poteſt movere vt iudicativè præcognita iudicio probabili, quia ſufficere notitiam probabilem revelationis vt moveat ad fidem, iam eſt proſcriptum ab Innocent. XI. De quo vidè ſuprà *diſput.* 4. *quæſt.* 3. *à num.* 18. Deindè, nec iudicio fidei humanę, quia revelationem non movere ad fidem divinam, vt ereditam fide humana probatum relinquimus *diſput.* 1. *quæſt.* 8. Item, nec iudicio fidei divinę, quia ante primum actum fidei divinę non poteſt præcedere iudicium fidei divinę: Item, nec iudicio evidenti ex motivis, & ſignis credibilitatis per evidentem diſcurſum, quia hæc evidentia revelationis repugnat, vt probatum relinquimus *diſput.* 3. *quæſt.* 3. Ac demum, nec iudicio certò moraliter per diſcurſum ex illis motivis, tum quia hoc iudicium eſt acquiſitum ſolo lumine naturali, revelatio autem vt cognita iudicio purè naturali non poteſt movere ad fidem divinam, vt oſtendebam *diſput.* 4. *quæſt.* 3. *à num.* 16. tum quia illud iudicium eſt fallibilè phyſicè, & metaphyſicè, revelatio autem vt ſic iudicata non poteſt movere ad fidem divinam, aliàs fides divina evaderet etiam fallibilis phyſicè, & metaphyſicè: Ergò non requiritur iudicium illud de exiſtentia revelationis ante primum actum fidei ex parte actus primi.

41. Secundò, quia adhùc ſuppoſito illo iudicio, ſolum moraliter certò, ex illo ad ſummum convincitur, & neceſsitatur intellectus ad aſſenſum Myſterij revelati moraliter certum, non autem ad aſſenſum phyſicè, & metaphyſicè certum, & infallibile: Sed aſſenſus fidei divinę eſt metaphyſicè certus, & infallibilis ex ſua eſſentia intrinſeca: Ergò adhùc ſuppoſito illo iudicio moraliter certò de revelatione, non manet intellectus determinatus ad aſſenſum fidei divinę: Ergò manet indifferens ad ipſum: Ergò eget imperio voluntatis determinante, & applicante.

TERTIA CONCLVSIO.

42. DICO tertiò: *Pia motio voluntatis præcedens conſiderationem debitã motivi, vel motivorum, & ſimiliter affectus imperans aſſenſum fidei, debet eſſe ſupernaturalis.* Ita communiter Theologi. Et merito, quia videtur definitum in Concil. Arauſ. *Can.* 2. *cap.* 5. vbi deciditur, *ipſum credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui iuſtificat impium, dari nobis Spiritus Sancti inſpiratione corrigente voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem.* Vbi valdè advertendum eſt, Concilium non ſolum exigere inſpirationem divinam, quę determinet ad fidem quoad exercitium, ſed etiam quę determinet quoad ſpecificationem, hoc eſt, ad fidem

dem pte infidelitate, ſiquidem exigit *inſpirationem corrigentem voluntatem noſtram, non præcisè ab omiſſione credendi ad exercitium, ſed ab infidelitate ad fidem*, hoc eſt, à nolitione credendi, ſivè ab adhæſione, qua ſuis erroribus pertinaciter adhærebat, ad affectum pium erga noſtram fidem, & ad voluntatem credendi: Sed vt voluntas ſic corrigatur ab infidelitate ad fidem debèt incipere inſpiratio divina ad conſiderationem debitam motivorum; ſiquidem per illam corrigitur, ab infidelitate, ita quod ſi antea adhærebat errori, quia ſibi ex prava conſideratione apparebat credibilior, poſteà per debitam conſiderationem appareat noſtra fides vnicè credibilis, & illi adhæreat: Ergò credulitatis affectus exactus à Concilio, non ſolum exigitur, vt poſtquam apparet noſtra fides credibilior ex debita conſideratione, velit credere, ſed etiam vt velit debitè conſiderare, ad hoc vt noſtra fides proponatur intellectui vt credibilior.

43. Deindè probatur, quia tam actus credendi, ſuppoſita credibilitate proxima, quam debita conſideratio, ex qua reſultat proxima credibilitas, ſunt actus intellectus ſupernaturales, & liberi: Sed ad omnem actum intellectus ſupernaturalem, & liberum debet præcedere affectus voluntatis ſupernaturalis, quo liberè moveat ad illum: Ergò affectus voluntatis, quo movet intellectum, tum ad debitam motivorum attentionem, & conſiderationem, tum immediatè ad actum credendi, debet eſſe affectus ſupernaturalis. Maior, quantum ad actum credendi, ſupponitur ab omnibus; quantum verò ad conſiderationem debitam cenſeo non eſſe minus certam; tum ex dictis *num.* 12. vbi oſtendebam talem conſiderationem debere fieri lumine ſupernaturali. Tum ex Arauſicano 2. *Can.* 7. vbi inquit: *Siquis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet, cogitare vt expedit, aut, &c. poſſe confirmat, abſque illuminatione, & inſpiratione Spiritus Sancti, &c. hæretico fallitur ſpiritu.* Tum ex illo *Apoſt.* 2. *ad Corinth.* 13. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis*, quod exponens Div. Auguſt. *lib.* 2. *contra Epiſt. Pelag. cap.* 8. ſic ait: *Quis non videat prius eſſe cogitare, quam credere, nullus enim credit, niſi prius cogitet eſſe credendum, & hoc vult Apoſtolus non eſſe ex nobis, ſed ex gratia.* Et in hac ſententia eſt perpetuus Auguſtinus vbicumque illud Apoſt. teſtimonium adducit. Ex quo planè infertur, tanquam Dogma Catholicum, quod cogitare vt expedit ad fidem ſalutarem, ſeù cogitare debitè, & exactè motiva fidei, prout conducit ad credendum eſſe nequit in nobis niſi ex gratia, & conſequenter quod eſt actus ſupernaturalis: Sed idem eſt formaliſsimè ſic cogitare, ac conſiderare: Ergò conſiderare debitè, & exactè motiva fidei prout expedit ad credendum eſt actus ſupernaturalis, non minus quam ipſe actus credendi. Minor verò probatur, quia voluntas ex viribus naturæ movere nequit nec ſe, nec intellectum ad actum ſupernaturalem, vt omnibus eſt notum: Ergò nec affectu purè naturali: Ergò ad omnem actum intellectus ſupernaturalem, & liberum debet præcedere affectus voluntatis, quo moveat intellectum ad ipſum, qui affectus non ſit purè naturalis, ſed ſupernaturalis.

44. Confirmatur, nam ille pius affectus voluntatis eſt ſaltèm initium fidei, tum, quia vt inquit Div. Thom. *quæſt.* 14. *de verit. artic.* 2. *ad* 10. *Inchoatio fidei eſt in affectione, in quantum voluntas determinat intellectum, &c.* Tum quia ex eo, quod voluntas piè afficitur erga Religionem ſibi propoſitam, incipit debitè, & meliori luce conſiderare motiva credendi, quibus cœleſti luce conſideratis, proponitur iam vt vnicè credibilis, immò, & credenda noſtra Religio, & tunc ex eodem affectu iam efficaciori illam amplectitur, & credit: Sed initium fidei non poteſt eſſe ex ſolis viribus naturæ, vt eſt Dogma Auguſtini, & Catholicorum: Ergò nec ille pius affectus: Ergò debet eſſe ex gratia, & conſequenter ſupernaturalis. Confirmatur denique ex modo, quo credidit mulier illa nomine Lydia, de qua ſuprà *num.* 18. *Cuius Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo*, vbi notandum eſt, quod prius Deus aperuit cor, id eſt, voluntatem eius pia affectione, *vt intenderet his, quæ dicebantur à Paulo*: Ergò vt debitè quis attendat prædicationem Evangelicam, vt ex illa moveatur, opus eſt, quod Deus prius moveat voluntatem pio affectu à ſe immiſſo, & conſequenter ſupernaturali.

45. Dico quartò: *Talis pia affectio ante fidem eſt affectus erga bonum in Evangelio repromiſſum Fidelibus, vel erga veram Religionem in communi: Poſt fidem autem ad illius exercitium poteſt movere affectus charitatis.* Prima pars probatur ex Div. Thom. *quæſt.* 14. *de veritat. artic.* 2. *ad* 10. vbi ait: *Voluntas determinat intellectum ad aſſentiendum his, quæ ſunt fidei, ſed illa voluntas neque eſt actus charitatis, neque ſpei, ſed quidam appetitus boni repromiſſi;* loquitur autem ante primum actum fidei, nam in hoc ſenſu procedebat argumẽtum 10. Ergò. Secundò, quia affectus movens ad credendum debet eſſe affectus erga bonum illud, quod creden-

dendo, præcipuè adipiſcimur : Sed hoc eſt bonum, ſeù bona repromiſſa, vndè Apoſtol. ad Hebræos, inquit : *Sancti per fidem vicerunt Regna, adepti ſunt repromiſſiones* : Ergò.

46. Quod autem poſsit etiam eſſe affectus erga Religionem veram in communi, ſuadetur hac ratione: Quia ſicut in ordine naturali prius movetur creatura rationalis circa bonum, ſeù beatitudinem in communi, & ex hoc affectu deſcendit ad inquirendum vbi ſit iſta beatitudo realiter, & in ſingulari; ita in ordine ſupernaturali poteſt Deus prius movere creaturam rationalem ad inquirendam veram Religionem vage, & in confuſo, vt ex hac motione deſcendat ad illam inquirendam in particulari: Sed Deus non aliter movet creaturam rationalem circa Religionem veram in communi, niſi immittendo illi affectum erga illam, vndè Auguſtinus ante converſionem ſolebat exclamare : *Vbi eſt veritas? Vbi eſt veritas?* Quod ſanè ortum habebat ex vehementi affectu erga veram Religionem, ſeù veram viam ad veram beatitudinem inveniendam : Ergò ab hoc pio affectu erga veram Religionem in communi interdum, vel ſemper incipit motio ad fidem. Dico *vel ſemper*, quia exiſtimo, talem motionem ita in adultis, qui ad fidem veniunt, contingere, quod prius illuminat Deus mentem ipſorum circa beatitudinem ſupernam in confuſo, & circa veram viam eam adipiſcendi, quę debet eſſe vera Religio, & movet voluntatem per affectum pium, & quaſi vniverſalem erga veram Religionem, non deſignando illam, ex vi huius primę illuſtrationis, & motionis; & ex hac movetur voluntas ad inquirendum vbi, vel quænam illa ſit; &, ſi in hoc affectu efficaciter perſeveret, vt perſeveravit Auguſtinus, magis, & magis in dies illuminatur ad eam inquirendam, & tunc cum audit Evangelium, & ingentia bona in eo credentibus repromiſſa, piè efficitur erga illa, affectu ſupernaturali, tanquam erga vera bona, & veram beatitudinem, & ideò Religio Chriſtiana ei apparet ex ſuperna illuſtratione credibilior, & imperat intellectui aſſenſum firmum, & perfectum, in quo actus fidei conſiſtit; vndè vtrumque componitur, & quod illa pia affectio ſit appetitus boni repromiſsi, & quod ſit affectus erga veram Religionem pro illo priori non dumcreditam in particulari. Sed hoc infrà amplius explicabo.

47. Secunda verò pars aſſerti, nempè, quod poſt fidem poſsit movere ad illius exercitium actus charitatis, eſt communis inter Theologos, quia charitas non ſolum poteſt imperare actus virtutum moralium, ſed etiam actus in fidei, immò tunc actus fidei eſt meritorius, quando imperatur à charitate : Ergò poteſt charitas imperare actum, ſeù aſſenſum fidei, quoad exercitium. Nec obſtat, quod charitas regulatur per fidem, & ſupponit actum fidei, quia hoc ſolum probat, quod non poſsit movere, nec imperare primum, aut priorem actum fidei, quo regulatur, non verò quod non poſsit imperare alium actum fidei poſteriorem.

48. Dico vltimò : *Talis pia affectio, in quantum movet ad inquirendam veram Religionem, & conſideranda motiva credibilitatis, nondum habet rationem imperij ad credendum; at poſtquam apparet iam ſufficienter proximè credibilis, tunc iam eſt actus imperans efficaciter aſſenſum.* Patet, quia dum movet ad priores actus, movet per modum ſimplicis affectionis, vel affectus, abſque determinatione ad aliquid ſingulare, cum quadam indifferentia; at poſtquam apparet iam noſtra Religio proximè credibilis, tunc iam movet cum efficacia, & determinatione ad determinatam Religionem credendam; Sed de ratione imperij eſt efficacia, & determinatio ad actum imperatum : Ergò, propriè loquendo, non dicitur actus imperans, vſque dum iam Religio noſtra proponitur ſufficienter credibilis, id eſt, vt vnicè illa inter omnes determinatè vera.

SOLVVNTVR OBIECTA.

49. OBIJCIES primò, contra primam, & tertiam concluſionem : Poteſt quis ex pura curioſitate conſiderare motiva Sectarum, & noſtrę Religionis, & ex hac conſideratione invenire, quod noſtra Religio ſit omnibus credibilior, ſeù vnicè credenda : Sed affectus ex pura curioſitate non eſt pius, nec ſupernaturalis : Ergò ad conſideranda debitè motiva credibilitatis non requiritur pius affectus, nec ſupernaturalis. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem : Poteſt quis conſiderare motiva ex pura curioſitate, & talis conſideratio erit prout oportet, & expedit ad credendum fide divina, nego maiorem : Et non erit prout oportet, concedo maiorem, & minorem, diſtinguo, quę conſequentiã eodem modo; nam conſiderans ex pura curioſitate, dum ex pura curioſitate conſideret, & non mutet affectum, poterit quidem invenire noſtram fidem eſſe credibiliorem, aut credibilem fide acquiſita, ſed non fide divina, & infuſa, quia ad hoc vt reddatur proximè credibilis fide infuſa, debent conſide-

ra-

tare motiva, prout oportet ad fidem infuſam, nempè lumine divino, & infuſo, & conſideratione illa, de qua dixit, Apoſto. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis;* huiuſmodi autem conſideratio non poteſt eſſe ex puro curioſitatis affectu, ſed ſolum ex pio, & ſupernaturali.

50. Obijcies ſecundò contra ſecundam concluſionem: Dæmones credunt, & contremiſcunt: Sed in illis non requiritur pius affectus: Ergò nec in nobis. Reſpondet Div. Thom. *quæſt.* 14. *de verit. artic.* 9. *ad* 4. *Quod credere dicitur æquivocè de Dæmonibus, & Fidelibus, nam credere Dæmonum eſt fidei acquiſitæ*, credere verò Fidelium eſt fidei infuſæ, & de hoc credere procedit quæſtio, & intelligitur noſtra concluſio, non verò de quocumque credere.

51. Sed replicabis: Credere Dæmonum etiam reſpicit obiectum obſcurè propoſitum, quia ipſi non vident Myſteria ſupernaturalia, quę credunt: Sed non obſtante hac obſcuritate, non indiget eorum intellectus moveri à voluntate, vt credat: Ergò non obſtante obſcuritate noſtrę fidei, non indigebit intellectus noſter moveri ex affectu pio voluntatis. Maior probatur, quia Dæmones credunt coacti, & inviti: Ergò non egent moveri ex affectu voluntatis. Confirmatur, quia fides humana, quando obiectum eſt evidenter credibile, non egit pio affectu, nec motione voluntatis, ſiquidem, vt credamus, Romam eſſe, non eſt neceſſaria motio voluntatis: Ergò nec ad fidem divinam, ſiquidem fides humana etiam eſt obſcura, ſicut fides divina.

52. Reſpondeo, negando maiorem, quia Dæmones etiam credunt ex affectu voluntatis, non quidem pio, aut erga res credendas, vel erga bonum repromiſſum, ſed erga ſe ipſos, quatenus nolunt manere ſuſpenſi circa res credendas, cum vrgentur motivis credibilitatis, nec ſubſtinere violentiam moralem, quam pateretur eorum natura, & intellectus in continua ſuſpenſione, & in hoc ſenſu credunt coacti, non phyſicè, ſed moraliter, & per hoc patet ad probationem maioris. Quę doctrina eſt Div. Thom. vbi ſuprà, nam ſic ait: *Credere Dæmonis eſt fidei acquiſitę, ad quam ſufficit voluntas electiva actus credendi, quia non vult manere ſuſpenſus, ſed non dilectiva obiecti propoſiti.* Ad confirmationem reſpondeo primò, quod Romam exiſtere non eſt quid obſcurum, ſed evidens, non ſolum moraliter, ſed phyſicè, & metaphyſicè, vt oſtendi *diſputat.* 4. *quæſt.* 3. *num.* 59. & ſic nihil mirum, quod ad hoc credendum non ſit neceſſaria motio voluntatis, è contra autem contingit in fide Myſteriorum ſupernaturalium, quę minimè nobis evidentia ſunt. Vel ſecundò reſpondeo, quod Romam eſſe eſt evidens evidentia morali poſitiva de re oculis ſubiecta, & ſenſibus experta, quę poteſt convincere intellectum ſufficienter, vt ſine motione voluntatis aſſentiat; at Myſteria fidei non ſunt ſic evidentia, ſed ſolum negativè modo explicato, *vbi ſuprà num.* 60. quę videas obſecro. Vel tertiò reſpondeo cum Ioann. à S. Thom. quod ſi aſſenſus de Romę exiſtentia eſt verè fides humana, non præſtatur ſine aliquo actu voluntatis imperante, licèt ſolum phyſicè libero, moraliter autem neceſſariò, quia ex tot teſtibus ocularibus moraliter neceſsitatur voluntas vt vellit credere.

53. Obijcies tertiò: Si aliquo ex capite exigeretur pia motio voluntatis, maximè ad ſupplendum defectum ex parte obiecti, quia nempè obiectum non ſufficienter movet intellectum: Sed talis pia motio, ſeù imperium voluntatis nequit ſupplere defectum obiecti: Ergò non requiritur. Probatur minor, quia talis pia motio, ſeù imperium nihil ponit ex parte obiecti, quod ex parte obiecti magis moveat, quam ipſum obiectum: Sed non poteſt ſuppleri defectus obiecti, niſi ponendo aliquid ex parte obiecti loco illius, quod deficitt Ergò. Minor patet, nam ille pius affectus, ſeù imperium ſolum movet ſubiectivè, applicando phyſicè intellectum ad aſſenſum, non autem obiectivè, alias vt quis crederet, non ſatis eſſet, quod imperaret aſſenſum, ſed vltra exigeretur, quod imperium, ſeù voluntas credendi repræſentaretur, & proponeretur intellectui, vt ratio obiectiva credendi, quod quidem nullus dixit, & meritò, quia quamvis repræſentaretur, nihil amplius moveret intellectum obiectivè, quia iſte ſolum movetur à verò, ſub ratione veri, imperium autem nullam rationem veri addit obiecto, ſed ſolum denominationem extrinſecam voliti, quę ex ſe non facit obiectum magis verum: Ergò affectus, ſeù imperium voluntatis nihil addit ex parte obiecti, & conſequenter nec ſupplere poteſt defectum obiecti. Confirmatur, quia ſi voluntas ſuo affectu poſſet ſupplere defectum obiecti, poſſet facere quod intellectus aſſentiret obiecto non propoſito, nec intentionaliter præſenti, ſeù quamvis propoſito, non propoſito vt verò, ſed vt falſo, vel cum indifferentia ad verum, & falſum: Sed hoc nequit facere voluntas: Ergò nequit ſupplere defectum obiecti. Confirmatur ſecundò, quia affectus, ſeù imperium voluntatis non ſpecificat actum intellectus, cum non ſit obiectum illius: Ergò nequit ſup-

plere defectum illius, ſaltèm quoad ſpecificationem.

54. Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem. Ad cuius probationem, conceſſa maiori, quę rectè probatur in argumento, negando minorem; quia duplex poteſt excogitari inſufficientia obiecti, prima vt ſe ſolo moveat in actu ſecundo, & quoad exercitium convincendo intellectum ad aſſenſum, ad hoc enim eſt obiectum inſufficiens quotieſcumque proponitur obſcurè, & inevidenter. Secunda, vt moveat intellectum ex parte actus primi tantum, & quoad ſpecificationem, ad hoc enim eſt inſufficiens obiectum, quotieſcumque proponitur indifferenter ad aſſenſum, vel diſſenſum intellectus, hoc eſt, cum indifferentia ex vi apparientię ad verum, & falſum, ſeù non magis ſub ratione veri, quam ſub ratione falſi. Igitur vtramque inſufficientiam poteſt ſupplere voluntas per piam affectionem, licèt diverſo modo; nam inſufficientiam quoad ſpecificationem, ſupplet, non immediatè, & per ſe, ſed mediante conſideratione debita intellectus, movendo nempè intellectum vt debitè conſideret obiectum fidei, & vt media hac conſideratione illud repræſentet ſub ratione veri infallibilis, nam obiectum fidei ſub hac conſideratione, & repræſentatione, non proponitur vt indifferens ad verum, & falſum, nec ad aſſenſum, & diſſenſum, ſed determinatè vt verum infallibile, & vt determinatè ſpecificativum aſſenſus, potius quam diſſenſus, licèt non convincendo ad aſſenſum. Vndè loquendo de hoc ſupplemento obiecti quoad ſpecificationem, dico, quod illud ſupplet voluntas, non immediatè per ipſam piam affectionem, aut imperium, ſed cauſaliter, & mediatè faciendo, quod repræſentetur ſub ratione obiectiva ſufficiente ad ſpecificandum aſſenſum potius quam diſſenſum, quę ratio obiectiva non eſt formaliter ipſa pia affectio, ſed veritas infallibilis repræſentata, & propoſita ex conſideratione debita motivorum, vel alicuius motivi. Inſufficientiam autem quoad exercitium, ſupplet voluntas immediatè per ſuum imperium, nam ſuppoſita iam ex parte obiecti ſufficienti determinatione quoad ſpecificationē, hoc eſt ſufficienter propoſito obiecto determinatè ſub ratione veri infallibilis condigni aſſenſus, ad hoc vt actu aſſentiat, non eſt opus repræſentare novam rationem, aut motivum ex parte obiecti, ſed ſatis eſt, movere intellectum quoad exercitium, vt actu aſſentiat, quia iam ſupponitur obiectum vt condignum proximè tali aſſenſu, & cum ſufficienti ratione obiectiva, vt aſſenſus ſit rationalis, & prudens.

55. Ex quo patet ad primam confirmationem, diſtinguendo maiorem: Si voluntas poſſet immediate ſupplere defectum totalem obiecti, vel quoad vim ſpecificativam actus concedo maiorem. Si ſolum poſſet ſupplere, mediatè, & cauſaliter defectum obiecti quoad vim ſpecificativam actus, & immediatè ipſum quoad efficaciam movendi in actu ſecundo, nego maiorem, & minorem, quia quando datur defectus totalis obiecti propoſiti, aut ſolum proponitur ſub ratione falſi, & incredibilis, vel cum indifferentia ad verum, & falſum, non magis ſub ratione veri, quam ſub ratione falſi, hunc defectum, ſeù indifferentiam poteſt ſupplere voluntas, non quidem immediatè ſuo affectu, aut imperio, ſed ſolum cauſaliter, faciendo nempè quod intellectus conſideret obiectum, & quod illud conſideret debitè, ita vt appareat determinatè ſub ratione veri infallibilis, qua apparientia ſuppoſita iam obiectum ſic apparens movet determinatè quoad ſpecificationem, id eſt, ad aſſenſum vnicè, & non ad diſſenſum; ſed, quia illa apparientia eſt obſcura, non convincit intellectum, nec illum cogit, aut rapit efficaciter ad aſſenſum in actu ſecundo, & ideo nondum ſufficienter movet, abſque indigentia vlterioris motionis, vt intellectus actu aſſentiat; & defectum huius ſufficientię ſupplet voluntas immediatè ſuo imperio imperando aſſenſum, & faciendo quod intellectus aſſentiat obiecto, non quidem obiecto non propoſito, nec obiecto propoſito vt falſo, nec obiecto propoſito cum indifferentia non magis ſub ratione veri, quam falſi, quia iam ita non proponitur, ſed quod aſſentiat illi, prout iam proponitur, nempè, ſub ratione veri infallibilis, & determinatè credibilis fide divina. Et eodem modo reſpondeò ad ſecundam confirmationem, nempè, quod actus voluntatis non ſpecificat aſſenſum fidei; ſed ex hoc ad ſummum infertur, quod per ſe non ſuppleat immediatè defectum obiecti, quoad vim ſpecificativam, non vero quod cauſaliter illum non ſuppleat, hoc eſt faciendo; quod ſi anteà ex prava conſideratione, vel non repræſentabatur magis vt falſum, quam verum, vel cum indifferentia, vel vt verum putè humanum, & fallibile, quo pacto inſufficiens erat ad aſſenſum fidei ſpecificandum, poſteà ex debita conſideratione repræſentetur vt verum divinum, & infallibile, quo pacto iam determinatè eſt ſpecificativum fidei divinę, & hoc pacto ſuppler defectum obiecti quoad ſpecificationem.

*** *** ***

PIA

PIA AFFECTIO NON SUPPLET in obiecto fidei munus determinandi quoad ſpecificationem, niſi ſolum cauſaliter.

56. VNDE non acquieſco aliquorum RR. doctrinę, qui videntur aſſerere, quod voluntas per ſuum affectum, & impetium ſupplet defectum obiecti, & movet intellectum quoad ſpecificationem, ſi hoc intelligant immediatè, & formaliter, & non cauſaliter, vt nos explicamus. Non inquam acquieſco. Primò, quia hoc quod eſt movere quoad ſpecificationem eſt proprijſsimum intellectus, & contra naturam voluntatis, cuius ſolius proprium eſt movere quoad exercitium, vt Angelicè explicat Div. Thom. 1. 2. *quæſt.* 9. *artic.* 1. *in corpore*: Ergò nequit voluntas immediatè, & formaliter movere intellectum quoad ſpecificatorem actus.

57. Dicunt aliqui, quod ſicut intellectus poteſt ex participatione voluntatis movere quoad exercitium, vt explicat Divus Thom. 1. 2. *quæſt.* 17. *artic.* 1. *in corpore*, ita poteſt voluntas determinate, & movere quoad ſpecificationẽ. Sed cõtra eſt, quia ideò intellectus movet quoad exercitium per imperium ex participatione voluntatis, quia ante actum imperij præſupponitur actus voluntatis efficax ex ſe movens quoad exercitium, & ex illo intellectus in actu imperij participat virtualiter vim motivam quoad exercitium, ſeù efficaciam, quę eſt propria voluntatis. Sed ante actum pię affectionis non ſupponitur actus intellectus determinans quoad ſpecificationem, ex quo pia affectio poſsit participare motionem quoad ſpecificationem: Ergò non eſt eadem, ſed contraria ratio. Probatur minor, quia actus intellectus non determinat quoad ſpecificationem niſi ratione obiecti, quod proponit: Sed obiectum propoſitum ante piam affectionem non determinat quoad ſpecificationem, iuxta RR. nam propterea inquiunt piam affectionem ſupplere defectum, ſeù inſufficientiam obiecti quoad ſpecificationem, quia obiectum ex ſe non determinat quoad ſpecificationem: Ergò nec actus intellectus ante piam affectionem determinat quoad ſpecificationem ad credendum. Explicatur: Pia affectio non poteſt determinare quoad ſpecificationem ſecundum quod eſt precisè actus voluntatis, quia voluntas ex proprijs ſolum habet determinate, & movere quoad exercitium: Ergò ſi determinat quoad ſpecificationem ad aſſenſum prę diſſenſu, eſt ſolum ex participatione prioris actus intellectus: Ergò ante piam affectionem iam ſupponitur actus intellectus determinans quoad ſpecificationem ad aſſenſum prę diſſenſu: Sed actus intellectus non determinat quoad ſpecificationem niſi ratione obiecti propoſiti: Ergò ſupponitur obiectum propoſitum vt determinans quoad ſpecificationem, hoc eſt, ad aſſenſum prę diſſenſu: Ergò pia affectio non ſupplet defectum obiecti quãtum ad munus determinandi quoad ſpecificationem, ſed potius illud ſupponit cum tali munere, & ex illo participat ipſa pia affectio tale munus, ſi illud exercet. Vndè prædicta doctrina videtur implicare contradictionem, nam ſi volũtas participat ab obiecto propoſito per intellectum vim movendi quoad ſpecificationem, implicat quod ſuppleat defectum obiecti in hoc genere, quia implicat in terminis ſupplere in obiecto defectum illius muneris, quod ex ipſo obiecto participat.

58. Vrgetur: Voluntas in pia affectione, ſeù actu imperante aſſenſum, determinatur quoad ſpecificationem ab obiecto per intellectum propoſito, ſiquidem voluntas nequit ſe ipſam movere quoad ſpecificationem, vt fatentur communiter omnes: Ergò in munere determinandi quoad ſpecificationem non ſupplet voluntas defectum obiecti, ſed potius ab illo accipit talem determinationem.

59. Dices: Voluntatem determinari quoad ſpecificationem ab obiecto propoſito ſub ratione boni, & convenientis; ſed ſupplere defectum obiecti propoſiti ſub ratione veri, quia vt propoſitum ſub ratione obſcura veri non ſufficienter movet intellectum, at ſub ratione boni, & convenientis ſufficienter movet voluntatem. Vndè Div. Thom. *quæſt.* 14. *de verit. artic.* 1. *in corp.* ait: *Quod intellectus determinatur per voluntatem, quæ eligit aſſentire vni parti determinatè, & præcisè propter aliquid, quod eſt ſufficiens ad movendam voluntatem, non autem ad movendum intellectum, vt potè, quod videtur bonum, vel conveniens huic parti aſſentire: Et iſta eſt diſpoſitio credentis, vt cum aliquis credit dictis alicuius hominis, quia videtur decens, vel vtile, & ſic etiam movemur ad credendum dictis Dei, in quantum nobis repromittitur, ſi crediderimus, præmium vitæ æternæ*: Ex quo ſic argui poteſt: Obiectum motivum voluntatis, vt velit credere, eſt ſufficiens movere voluntatem, ſed obiectum propoſitum intellectui non eſt ſufficiens movere intellectum vt credat, nam iuxta Div. Thom. *Voluntas eligit aſſentire propter aliquid quod eſt ſufficiens movere voluntatem, non autem ad movendum intellectum.* Vndè con-

cludit poſt verba relata : *Et hoc præmio movetur voluntas ad aſſentiendum his, quæ dicuntur, quamvis intellectus non moveatur per aliquid intellectum* : Ergò in eo ſenſu, in quo movetur voluntas ſufficienter à bono propoſito, nõ movetur intellectus ſufficienter à vero propoſito; Sed volũtas ſolum movetur ſufficienter à bono propoſito quoad ſpecificationem, non autem quoad exercitium, quia obiectum non movet voluntatem quoad exercitium, niſi quando eſt ſummum bonum clarè propoſitum : Ergò intellectus non movetur ſufficienter ab obiecto propoſito, adhùc quoad ſpecificationem, aliàs ęquè ſufficienter moveretur à vero, ac voluntas à bono, & nulla eſſet differentia aſsignata à Div. Thom.

60. Sed contra eſt, quia licèt tota iſta doctrina ſit admirabilis, & rectè probet indigentiam pię affectionis ad credendum, non ſolum quoad vſum, hoc eſt, quantum ad conſiderationem motivorum, ſeù credendorum, ſed etiam quoad aſſenſum, tamen ex illa non probatur piam affectionem immediatè, & per ſe ſupplere defectum obiecti quoad munus movendi, aut determinandi adhùc ſub ratione veri : Ergò. Probatur, quia quando Div. Thom. inquit, hominem credere propter aliquid, quod eſt ſufficiens ad movendum voluntatem, & non ad movendum intellectum, ſolum eſt ſenſus quod obiectum fidei, adhùc vt proximè propoſitum, non eſt ſufficiens ad movendum intellectum in actu ſecundo, & quoad aſſenſum, non vero quod non ſit ſufficiens ad movendum in actu primò, & quoad ſpecificationem, ſiquidem Div. Thom. ibi ſolum inquit, quod obiectum obſcurè propoſitum non eſt ſufficiens contrapoſitivè ad obiectum clarè propoſitum, & cum evidentia, ſivè quod non eſt ſufficiens, quia indiget alterius motione, nempè voluntatis, vt moveat in actu ſecundò : Sed hoc ſalvatur, licèt ſufficienter moveat quoad ſpecificationem : Ergò ad ſalvandam mentem D.Tho. non eſt neceſſarium, quod obiectum vt proximè credibile, ſit inſufficiens quoad munus movendi quoad ſpecificationem. Minor patet, quia quamvis vt proximè credibile ſufficienter moveat quoad ſpecificationem, non movet ſufficienter abſolutè, ſiquidem vt actu moveat, pendet ex vlteriori motione, nempè quoad exercitium, ſeù quoad aſſenſum : Ergò.

61. Confirmatur : Quia non poteſt voluntas per ſuum imperium immediatè, & formaliter ſupplere defectum obiecti ſub ratione veri, niſi quia non proponitur ſufficienter ſub ratione veri, & voluntas ſupplet aliquam rationem veri per ſuum imperium : Sed hoc dici nequit, tum quia obiectum credendum proponitur, quamvis obſcurè, ſub ratione dicti à Deo, qui non mentitur, & conſequenter ſub ratione veri infallibilis, quę eſt ſufficientiſsima ratio veri ad ſpecificandum aſſenſum infallibilem; tum quia caſu, quo obiecto deficeret aliqua ratio veri, voluntas per ſuum imperium hanc non ſupplet immediatè, quia ex eo præcisè quod voluntas velit credere obiectum non redditur formaliter magis verum, nec proponitur magis ſub ratione veri : Ergò voluntas per ſuum imperium non ſupplet immediatè defectum obiecti ſub ratione veri, ſed ad ſummum cauſaliter, quatenus facit quod præviè proponatur determinatè ſub ratione veri infallibilis, & non indifferenter ad rationem veri, vel falſi. Vrgetur : Quia ſi voluntas per ſuum imperium poſſet ſupplere in obiecto munus determinandi quod ſpecificationem, ſeù rationem veri, poſſet facere quod intellectus aſſentiret obiecto vnicè propoſito vt falſo, vel vnicè propoſito indifferenter ad verum, & falſum, ſiquidem licèt ex parte obiecti non reluceret ratio obiectiva veritatis, magis quam falſitatis, & conſequenter nec ratio magis determinans ad aſſenſum, quam ad diſſenſum, voluntas ſuo imperio immediatè hunc defectum ſuppleret : Sed hoc dici nequit, quia voluntas nequit facere quod intellectus aſſentiat falſo propoſito vt falſo, nec etiam indifferenti, quia non poteſt facere quod aſſentiat abſque ratione formali obiectiva, & ſpecificativa ipſius intellectus, ſeù abſque ratione obiectiva aſſentiendi potius quam diſſentiendi : Ergò voluntas ſuo imperio nequit ſupplere immediatè munus determinandi quoad ſpecificationem. Amplius : Implicat intellectum, adhùc ex imperio voluntatis, aſſentire obiecto propoſito, niſi propter aliquam rationem obiectivã, quę determinatè ſit ratio aſſentiendi potius quam diſſentiendi : Sed ratio obiectiva, quę determinatè ſit ratio aſſentiendi potius quam diſſentiendi, eſt ratio obiectiva determinans quoad ſpecificationem : Ergò implicat intellectum, adhùc ex imperio voluntatis, aſſentire obiecto abſque ratione obiectiva, & conſequenter abſque obiecto determinante obiectivè quoad ſpecificationem : Ergò implicat quod imperium ſuppleat per ſe in obiecto munus determinandi quoad ſpecificationem. Maior patet, quia aſſentire abſque ratione obiectiva, quę determinatè ſit ratio aſſentiendi magis quam diſſentiendi; eſt aſſentire omninò irrationaliter, & modo repugnanti intellectui, ſiquidem eſt dicere : *Credo hoc obiectum vt verum*

rum

vum, licèt nullam rationem obiectivam habeo cur potius ſit verum, quam falſum, aut quę nec determinatè moveat ad illum credendum vt verum, potius quàm ad illum reſpuendum vt falſum: Sed adhùc ex imperio voluntatis nequit intellectus hoc modo aſſentire: Ergò. Vidè *Tractat. de Conſc. quæſt. 26. præcipuè à num. 6.*

62. Denique vrgetur: Quia iuxta omnes, vt intellectus credat, debet proponi obiectum vt prudenter credibile, non vt cumque, ſed vt longè credibilior omni errore contrario, vel quod verum eſt, vt vnicè credibile infallibiliter inter omnes Sectas: Sed obiectum vt ſic propoſitum determinat ſufficienter intellectum quoad ſpecificationem: Ergò non eſt neceſſarium quod voluntas immediatè per imperium ſuppleat defectum obiecti quoad munus determinandi ſufficienter quoad ſpecificationem. Minor probatur: Quia obiectum ita propoſitum, quod non poſsit terminare alium actum intellectus niſi aſſenſum fidei, determinat quoad ſpecificationem ad aſſenſum, licèt non determinet intellectũ quoad exercitium, quia poteſt tam aſſenſum, quam diſſenſum ſuſpendere: Sed obiectum fidei propoſitum vt credibile vnicè, & infallibiliter inter omnes Sectas, non poteſt terminare alium actum intellectus, niſi aſſenſum fidei: Ergò determinat ſufficienter quoad ſpecificationem. Probatur minor, quia nequit terminare diſſenſum, ſiquidem diſſenſus ſolum terminatur ab obiectum propoſitum vt falſum, ſeù vt diſcredibile, implicat autem quod terminetur ab obiectum ſub ratione veri, & vnicè credibilis: Nec etiam poteſt terminare dubium poſitivum, quia hoc terminatur ab obiectum vt indifferenter apparens credibile, vel diſcredibile, verum, & falſum, non autem ad obiectum vt vnicè verum, & credibile: Nec item actum opinionis, quia hic terminatur ad verum propoſitum vt verum fallibile, & opinabile, non vero ad verum vt infallibile, & infallibiliter credibile: Nec demum actum fidei humanę propter ſimilem rationem: Ergò obiectum fidei propoſitum vt credibile vnicè, & infallibiliter propter authoritatem Dei, nequit termiuaxe alium actum intellectus niſi aſſenſum fidei diuinę: Ergò determinat ſufficienter quoad ſpecificationem.

63. Nec obſtat, quod maneat intellectus indifferens ad ſuſpenſionem iudicij, quia ſuſpenſio iudicij non eſt actus intellectus, ſed pura carentia actus, & exercitij, & ſic indifferentia ad ipſam ſolum eſt indifferentia quoad exercitium, non autem quoad ſpecificationem, niſi forſan accipias illam ſuſpenſionem vt poſitivè voluntariam, quia hoc pacto importat actum poſitivum, ſed non intellectus, ſed ſolius voluntatis, vndè ſolum probatur; quod propoſito obiecto fidei vt proximè credibili infallibiliter, maneat indifferentia voluntatis quoad ſpecificationem ad actus contrarios, nempè ad aſſenſum voluntarium, & ad voluntariam ſuſpenſionem iudicij, ſeù ad imperia contraria, & ſpecie diſtincta, vt ſunt volitio, vel nolitio aſſenſus, non autem quod intellectus maneat proximè indifferens ad actus intellectus contrarios erga obiectum ſic propoſitum.

64. Vndè ad obiectionem factam ex Div. Thom. *num.* 59. reſpondeo, conceſſa prima conſequentia, & ſimiliter ſecunda, diſtinguendo minorem ſubſumptam: Sed voluntas ſolum movetur ſufficienter à bono propoſito quoad ſpecificationem, & motio quoad ſpecificationem eſt ſufficiens abſolutè reſpectu voluntatis, non autem reſpectu intellectus; concedo minorem: Et motio quoad ſpecificationem eſt ęquè ſufficiens, vel inſufficiens reſpectu voluntatis, ac reſpectu intellectus, nego minorem, & conſequentiam. Itaque concedo, quod bonum finitum propoſitum voluntati, & quamvis ſit infinitum, ſi proponatur obſcurè, ſolum determinat voluntatem quoad ſpecificationem, cæterum hæc motio quoad ſpecificationem eſt ſufficiens reſpectu voluntatis, quia cum voluntas ex ſe habeat movere quoad exercitium, ſuppoſita motione quoad ſpecificationem, nulla alia motione extranea indiget, vt moveatur, ſed poteſt, independenter ab alio movente, immediatè moveri ab obiecto (independenter inquam ab alio movente intra ſphæram cauſę ſecundę) attamen motio quoad ſpecificationem reſpectu intellectus non eſt abſolutè ſufficiens, quia cum intellectus non habeat ſe movere quoad exercitium, adhùc poſita motione quoad ſpecificationem, eget altera motione, quam ex ſe non habet, nempè motione quoad exercitium, quam ſolum habere poteſt à voluntate. Vndè rectiſsimè dixit Div. Thom. quod credens credit propter aliquid, quod licèt non ſit ſufficiens movere intellectum, eſt ſufficiens movere voluntatem, quia videlicèt verum obſcurè propoſitum non eſt ſufficiens abſolutè movere intellectum abſque voluntate movente quoad exercitium; at convenientia, vel bonitas propoſita voluntati in credendo eſt ſufficiens movere voluntatem abſque alio movente ipſam, quia ipſa ſe movet quoad exercitium. Vndè verum obſcurè propoſitum non movet ſuffi-cien-

cienter ad credendum in actu ſecundo, ſed indiget alio movente, & hanc inſufficientiam ſupplet ratio boni, ſeù convenientia propoſita voluntati, quia hæc eſt ſufficiens movere voluntatem vt moveat intellectum quoad exercitium; & ſic ad credendum requiritur duplex motivum, vnum quod moveat ſub ratione veri quoad ſpecificationem, aliud quod moveat ſub ratione boni voluntatem vt ipſa moveat quoad exercitium ipſum intellectum; ad differentiam veri evidenter propoſiti, quod ita ſufficienter movet intellectum, vt ſolum ſub ratione veri moveat quod ſpecificationem, & quoad exercitium aſſenſus, abſque indigentia alterius moventis ſub ratione boni.

65. Sed dices: Div. Thom. inquit: *Quod voluntas eligit aſſentire vni parti determinatè propter aliquid*, &c. Sed ſi non ſupponeretur indifferens intellectus quoad ſpecificationem, ſed potius determinatus quoad ſpecificationem ad aſſenſum, non eſſet locus electioni voluntatis, quia non eſt locus vt voluntas eligat aſſenſum præ diſſenſu, quando non eſt indifferentia ad vtrumque: Ergò. Reſpondeo, quod de voluntate poſſumus loqui dupliciter, primo reſpectivè ad obiectum fidei ſecundum ſe nondum propoſiti vt evidenter credibile, & reſpectu illius datur locus vt volũtas eligat aſſentiri illi præ diſſentire, quia obiectum ſic ſumptum eſt indifferens ad terminandum aſſenſum, vel diſſenſum, ſiquidem eſt indifferens quoad ſpecificationem, hoc eſt, vt appareat verum, vel vt appareat falſum, vt proponatur vt credibile, vel vt diſcredibile, ſecundum diverſam conſiderationem motivorum; cæterum huiuſmodi indifferentia eſt indifferentia mediata, & vt voluntas eligat mediatè aſſenſum prę diſſenſu, hoc eſt, mediante conſideratione, & attentione debita motivorum. Secundò poteſt conſiderari voluntas reſpectu obiecti vt proximè credibilis poſt debitam conſiderationem motivorum; & reſpectu illius ſic propoſiti iam non datur locus vt voluntas eligere poſsit diſſenſum poſitivum, & conſequenter nec vt eligat aſſenſum prę diſſenſu, quia diſſenſus in eo ſigno non eſt poſsibilis, ſed ſolum vt eligat aſſenſum prę ſuſpenſione iudicij, quia ſuſpenſio iudicij adhùc in eo ſigno manet proximè poſsibilis, quamvis obiectum fidei proponatur vt proximè credibile, & cum determinatione quoad ſpecificationem, quia proponitur cum indifferentia immediatè ad aſſenſum, vel ſuſpenſionem iudicij, & hæc indifferentia, vel electio ſufficit vt actus fidei ſit liber, & ex electione voluntatis. Vndè de fide Dæmonum, aiebat ſuprà Div. Thom. quod ad illam *ſufficit voluntas electiva actus credendi, quia non vult manere ſuſpenſus.* Vndè in forma, conceſſa maiori, diſtinguo minorem: Si non ſupponeretur intellectus indifferens quoad ſpecificationem, non eſſet locus electioni, qua eligeret voluntas aſſentiri prę ſuſpendere iudicium, nego minorem, quia hæc electio ſtat optimè quamvis intellectus ſit obiectivè determinatus quod ſpecificationem, ſi manet indifferens ad actualem aſſenſum: Non eſſet locus electioni, qua eligeret aſſenſum præ diſſenſu, ſubdiſtinguo: Quia ita eligeret ante actualem conſiderationem, & attentionem debitam motivorum, ſeù mediatè, nego: Immediatè poſt debitam attentionem motivorum, & poſtquam iam Myſterium proponitur vt verum, & proximè credibile, concedo minorem, & nego conſequentiam.

CÆTERA SOLVUNTUR obiecta, & aliqua vtiliter inſeruntur.

66. OBIJCIES quartò: Omnis actus fidei infuſę ſupponit iudicium de evidenti credibilitate Myſteriorum noſtrę fidei: Sed ſuppoſito tali iudicio, iam intellectus non ſupponitur vllo pacto indifferens ad actum credendi: Ergò nullus actus fidei oritur ab intellectu vt indifferẽti vlla indifferentia: Ergò nec indiget pia motione voluntatis, nam hæc ſolum adſtruitur ad determinandam indifferentiam intellectus. Minor probatur: Quotieſcumque aliqua inter ſe neceſſario connectuntur, qui aſſentitur vni neceſsitatus manet ad aſſenſum alterius connexi cum primò: Sed iudicium de evidenti credibilitate eſt iudicium de obiecto connexo neceſſario cum veritate Myſterij: Ergò ſuppoſito eo iudicio intellectus manet neceſsitatus, & non indifferens ad aſſenſum Myſterij. Minor probatur, quia doctrinam aliquam proponi vt evidenter credibilem toti vniverſo, & eſſe doctrinam à Deo revelatam ſunt inter ſe adeò neceſſario connexa, vt repugnet metaphyſicè primum ſine ſecundò: Ergò iudicium de primò eſt iudicium de obiecto connexo cum eo quod doctrina, ſeù Myſterium ſit à Deo revelatum, & conſequenter cum veritate doctrinę, & Myſteriorum, quę iudicantur evidenter credibilia. Hoc eſt potiſsimum fundamentum P. Sendin.

67. Reſpondeo tamen facilè, omiſſa maiori (quę plures patitur diſtinctiones) negando minorem. Ad cuius probationem, diſtinguo maiorem: Quotieſcumque aliqua inter ſe neceſſario connectuntur, qui aſſentitur vni ne-

neceſsitatus manet ad aſſenſum alterius, ſi connexio ſit evidens ipſi, concedo maiorem: Si talis connexio ipſi non ſit evidens, nego maiorem, & diſtinguo minorem: Iudicium de evidenti credibilitate eſt iudicium de obiecto connexo cum veritate, & talis connexio eſt per ſe evidens ante fidem, nego: Et talis connexio non eſt evidens, concedo minorem. Ad cuius probationem in primis dico, quod iudicium de evidenti credibilitate, quod neceſſario ſupponitur ad actum fidei, & de quo procedit argumentum non eſt iudicium evidens de eo quod doctrina catholica proponitur vt evidenter credibilis toti vniverſo; quia dum doctrina catholica intimatur, & prædicatur Athenienſibus, v.g. aut Hiſpanis, illi non cognoſcunt evidēter illam proponi vt evidēter credibilem Turcis, Indis, Perſis, aut Tartaris, nec id eſt neceſſarium ad credendum, ſed ſatis eſt, quod audiens doctrinam, cognoſcat evidenter illam ſibi proponi cum evidenti, ſeù prudenti credibilitate; hoc autem, quamvis importaret connexionem neceſſariam cum eo quod talis doctrina eſſet à Deo verè revelata, tamen talis connexio non eſt per ſe evidens ante fidem, vt ſatis oſtendi ſuprà *diſputat.* 1. *quæſt.* 3. *à num.* 38. Deindè adhùc præmiſſo iudicio de eo, quod doctrina fidei proponitur toti Vniverſo vt evidenter credibilis, nec eſt evidens connexio metaphyſica huius credibilitatis cum eo, quod talis doctrina ſit verè à Deo revelata, ſed ad ſummum eſt evidens evidentia Theologica ex ſuppoſitione fidei, qua firmiter credimus ea ſigna quibus Deus talem doctrinam confirmavit, re ipſa verè eſſe à Deo, vera que miracula, & in confirmationem noſtrę doctrinę patrata; nam ſi hæc fides non ſupponatur, nulla poteſt eſſe evidentia metaphyſica de credibilitate vt metaphyſicè connexa cum veritate revelationis, & doctrinę, ſed ad ſummum evidentia credibilitatis per fidem in confuſo abſtrahendo à fide re ipſa divina, vel ſolum apparenter tali, vt ſatis ſuprà monſtratum manet *diſput. præced. quæſt.* 3.

68. Sed replicabis: Nullus eſt qui diſſentiat doctrinę noſtrę fidei, niſi prius diſſentiat credibilitati illius, quia omnes hæretici, qui negant doctrinam catholicam, pariter negant eam eſſe vnicè, aut prudenter credibilem, vel credibiliorem oppoſita, & nemo eſt, qui admittens noſtram doctrinam eſſe evidenter credibiliorem, nihilominus eam neget, aut illi diſſentiat: Ergò ſuppoſito iudicio evidentis credibilitatis, non manet intellectus indifferens ad aſſenſum: Ergò non eget pia affectione, vt aſſenſum præſtet. Confirmatur, quia non ſolum ante aſſenſum fidei prærequiritur iudicium de credibilitate, ſed iudicium de revelatione: Sed ſuppoſito iudicio de revelatione, non manet intellectus indifferens vt aſſentiat, vel diſſentiat myſterio, quia nullus, quantumvis hæreticus, admiſit Deum revelaſſe myſterium, & illud negavit: Ergò idem quod prius. Confirmatur ſecundo: Quia propterea dicimus intellectum manere indifferentem, & egere pia motione, quia ei myſteria proponuntur obſcurè: Sed hæc ratio nihil probat: Ergò. Probatur minor, quia etiam concluſio theologica proponitur obſcurè: Et tamen, ſuppoſitis præmiſſis, intellectus ad aſſenſum illius non eget pia motione: Ergò. Reſpondeo, conceſſo antecedenti, diſtinguendo primum conſequens: Ergò intellectus, ſuppoſito eo iudicio, non manet indifferens ad aſſenſum indifferentia contrarietatis, hoc eſt, ad aſſenſum, & diſſenſum, concedo conſequentiam: Indifferentia contradictionis, hoc eſt, ad aſſenſum, vel ſuſpenſionem iudicij, nego conſequentiam; & pariter vltimam, quia ſatis eſt hæc indifferentia, vt intellectus egeat pia motione, ſeù imperio voluntatis ad actualem aſſenſum. Ad primam confirmationem, nego maiorem, quia iam oſtendimus non requiri iudicium de exiſtentia revelationis ante primum actum fidei, & id magis infrà confirmabimus. Ad ſecundam, conceſſa maiori, nego minorem. Ad cuius probationem, diſtinguo maiorem: Concluſio theologica proponitur obſcurè, ex ſuppoſitione præmiſſarum, nego maiorem: Abſolutè, & antecedenter, concedo maiorem, & diſtinguo minorem eodem modo, negoque conſequentiam, quia in eo ſenſu, in quo obſcurè proponitur concluſio theologica, nempè antecedenter ad præmiſſas, eget pia affectione; ſi autem ſuppoſitis præmiſſis non eget pia affectione, ideo eſt, quia ex ſuppoſitione illarum, iam concluſio eſt evidens, & non obſcura.

69. Ex dictis infero primo contra Ripálda, non ſatis eſſe ad aſſenſum fidei, quod voluntas nolit efficaciter diſſenſum, ſeù quod imperet carentiam diſſenſus, immò ſuppoſito quod doctrina proponatur vt proximè, & ſimpliciter credibilis, talis nolitio, ſeù imperium eſt fruſtraneum, vel impoſsibile, quia in eo ſigno talis ſuppoſitionis eſt impoſsibilis diſſenſus, & ſolum manet poſsibilis, ſuſpenſio iudicij. Et item, quia ex hoc præcisè, quod quis nolit poſitivè diſſentire rebus fidei, non determinatur efficaciter ad aſſenſum, ſiquidem eſt medium inter aſſenſum, & diſſenſum poſitivum, nempè, ſuſpenſio iudicij.

70. Infero ſecundo, Scotiſtas in conſequenter procedere exigentes non contra

mo-

Digitized by Google

motionem voluntatis, & reijcientes neceſsitatem pię motionis. Nam propterea reijciunt neceſsitatem pię motionis, quia ſuppoſito iudicio euidenti credibilitatis, vel reuelationis, manet intellectus neceſsitatus, & determinatus ad aſſenſum. Rogo igitur, vel manet neceſsitatus, & determinatus quoad exercitium, vel ſolum quoad ſpecificationem? Si ſolum quod ſpecificationem : Ergò indiget pia motione vt determinetur quoad exercitium, quia intellectus ex ſe indifferens quoad exercitium, ſe ipſum nequit determinare quoad exercitium, vt ſuprà oſtenſum manet. Si vero manet neceſsitatus, & determinatus quoad exercitium aſſenſus ex vi præcedentis iudicij: Ergò non eget ad aſſenſum noncontramotione voluntatis, ſiquidem intellectus neceſsitatus quoad exercitium aſſenſus non poteſt non aſſentire, ſivè voluntas contramoveat, ſivè non.

71. Inquiunt, requiri noncontramotionem voluntatis, vt voluntas non dimoveat intellectum à conſideratione motivorum, & iudicio prudentis credibilitatis. Sed contra eſt, quia ad conſiderationem motivorum, ex qua oritur iudicium prudentis credibilitatis, nō ſatis eſt noncontramotio voluntatis, ſed requiritur poſitiva motio voluntatis, adhùc iuxta ipſos Scotiſtas, quia intellectus non poteſt applicari potius ad conſiderationem motivorum noſtrę fidei, quam ad alia conſideranda, niſi à voluntate poſitivè ipſum applicante, & movente, vndè P. Sendin *num. 99.* loquens de aſſenſu erga exiſtentiam motivorum credibilitatis, ſic ait : *Hic autem aſſenſus, cum non ſit evidens phyſicè, aut metaphyſicè, ſed tantum moraliter ſupponit affectum poſitivum voluntatis imperantem, & determinantem intellectum ad talem aſſenſum* : Ergò circa motiva illa non ſatis eſt noncontramotio, ſed requiritur motio poſitiva voluntatis. Vrgetur : Vel Scotiſtę loquuntur de indigentia formali, & immediata ad aſſenſum fidei, ſuppoſito iudicio de exiſtentia motivorum credibilitatis, ſeù de prudenti credibilitate, vel loquuntur de indigentia præſupoſitiva, & antecedenti ad tale iudicium? Si primum, fruſtra, ſeù falſò exigunt noncontramotionem, ſeù quod voluntas non dimoveat intellectum à conſideratione motivorum, quia ſuppoſito quod intellectus conſiderat, & iudicat exiſtentiam motivorum, & ex illis iudicat evidenter Doctrinam Catholicam eſſe credibilem, iam ſupponitur quod voluntas non dimovet, nec contramovet intellectum à tali conſideratione, & iudicio, & ſic iam non requiritur, ſed ſupponitur talis noncontramotio. Si ſecundum, ipſe Sendin fatetur, quod ad talem conſiderationem, & iudicium de exiſtentia motivorum, non ſufficit noncontramotio, ſed requiritur affectus poſitivus voluntatis imperans aſſenſum de exiſtentis motivorum : Ergò in eo ſenſu, in quo requirunt non contramotionem, requirunt affectum poſitivum, & in eo ſenſu, in quo non requirunt piam motionem poſitivam, nec noncontramotio requiritur : Ergò inconſequenter iſtam requirunt, & non illam.

72. Infero tertiò, inconſequēter etiam P. Sendin explicare *affectum credulitatis* exactū à Concil. Arauſicano, dicendo, talem affectum poſitivum voluntatis ſupernaturalem requiri, ſeù præſupponi ante aſſenſum, quo intellectus credit exiſtentiam motivorum credibilitatis, non verò immediatè ante aſſenſum fidei divinę, ſeù infuſę. Contra enim eſt, quia ille aſſenſus, quo credimus exiſtentiam motivorum, vel eſt fidei divinę, ſeù infuſę, vel ſolum humanę, & acquiſitę? Si ſolum humanę, & acquiſitę: Ergò talis aſſenſus non præſupponit immediatè pium affectum ſupernaturalem, quia ad credenda talia motiva fide humana, & acquiſita ſufficit affectus naturalis, & acquiſitus, & ſic fruſtra ponitur affectus ſupernaturalis ante illum. Si vero talis aſſenſus eſt fidei infuſę : Ergò iam immediatè ante aſſenſum fidei infuſę exigit, ſeù præſuppunit affectum poſitivum voluntatis.

73. Inquit, quod affectus ille, quo voluntas imperat aſſenſum erga motiva eſt initium fidei, nam ſuppoſito aſſenſu motivorum, ex illo determinatur intellectus ad iudicium evidens credibilitatis, ex quo etiam determinatur ad áſſenſum fidei : Vndè tota difficultas ad credendum ſtat in credendo doctrinam eſſe confirmatam tot ſignis, & motivis, quibus credibilis redditur ; hoc autem credito, nulla reſtat difficultas in credendo illam doctrinam: Ad illum ergò primum aſſenſum requiritur pia motio ſupernaturalis. Et vrget, quia ille qui negaret Doctrinam Catholicam eſſe confirmatam ſignis, & motivis, quibus redditur prudenter credibilis, abſdubio peccaret contra præceptum fidei, habitum quę fidei deperdet, immò, inquit, omnes heretici ſunt hæretici, quia negant hunc, vel illum articulum fidei eſſe confirmatum ſignis credibilitatis : Ergò tota difficultas fidei ſita eſt in credendo doctrinam eſſe confirmatam illis ſignis, & motivis : Ergò ad hunc aſſenſum requiritur affectus poſitivus credibilitatis ſupernaturalis, ſiquidem ille aſſenſus eſt verum initium fidei.

74. Sed contra eſt, quia vel loqui-

tur

tur, de aſſenſu quo credimus exiſtentiam motivorum, & miraculorum ſecundum externam, viſibilem aparientiam, quo pacto ſubijciantur fidei humanę, & hiſtoriali narrationi; vel quo credimus ea ſigna, & motiva ſecundum veritatem internam, & ſupernaturalem, quatenus à ſolo Deo patrata, & ordinata ad confirmandam hanc, vel illam doctrinam? Si primum, ſtat nos credere ea ſigna, & motiva fide humana, & nihilominus diſcredere doctrinę, negãdo videlicèt, vel ea re ipſa fuiſſe patrata à Deo, vel fuiſſe in cõfirmationẽ talis doctrinę. Si ſecundum, falſo ſupponit, quod ante primum actum fidei divinę credimus firmiter exiſtentiam motivorum, & quod aſſenſus erga illa eſt ſolum fidei humanę, & hiſtorialis, quia quod illa motiva ſint verè à Deo in confirmationem talis doctrinę determinatę non ſubijcitur hiſtorię humanę, & humanę fidei, quę ſolum eſt de his, quę homines teſtificari poſſunt ex, viſu, vel auditu, vel alio ſenſu, non de his, quę nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis, vt hominis, aſcendit, qualis eſt veritas miraculorum, & intentio confirmandi per ea talem doctrinam determinatam, quia hoc, vt poſte quid ſupernaturale, omnem ſupernat ſenſum humanum. Et quia plures RR. non diſtingunt inter motiva, & ſigna credibilitatis primò, & ſecundo modò ſumpta, ideò forſan difficultates præſentes, dum ſolvere nituntur, obſcuriores reddiderunt.

75. Fateor ergò quod tota difficultas in credendo ſtat in credendo ea motiva, & miracula eſſe re ipſa vera, & re ipſa patrata à Deo in confirmationem doctrinę credendę, & item quod hæretici ideò hæreticè negant talem doctrinam, quia negant talia ſigna eſſe verè patrata à Deo in confirmationem talis doctrinę; veruntamen nego, quod ante fidem divinam, ſeù infuſam, ſeù ante primum illius actum præſupponatur, aut requiratur aſſenſus firmus intellectus de hoc ipſo, aut de motivis ita conſideratis, quia idem eſt credere, vel aſſentire firmiter motivis ita conſideratis, ac credere fide divina, & non niſi per fidem divinam poſſumus illis ſic aſſentire, ſicuti nec poſſumus diſſentire motivis, ſeù miraculis in hoc ſenſu conſideratis ea negando, niſi per directam infidelitatem, & hæreſim, non ſolum per irreverentiam fidei, vt inquit Sendin *num.* 100. ſed per veram fidei negationem, quia non ſólum eſt directè de fide quilibet articulus fidei Catholicę Romanę, ſed etiam eſt directè de fide omnes illos articulos eſſe à Deo veris miraculis, & ſignis credibilitatis roboratos, & ſic eſſet directè contra fidem negare, vel miracula illa non fuiſſe vera, vel non fuiſſe patrata à Deo in confirmationem huius, vel illius articuli, v.g. Tranſſubſtantiationis panis in Corpus Chriſti, ſed ſolum aliorum, vt inquiunt hæretici. Sed de hoc infrà. Loquendo autem de miraculis, & alijs ſignis credibilitatis, ſecundum quod ſubijciũtur fidei purę hiſtoriali, & humanę fateor, quod credi poſſunt ante fidẽ divinã, & ſæpè ita credũtur per fidẽ humanã, & quod ex his ſic creditis poteſt reſultare iudicium de prudenti credibilitate doctrinę per fidem, abſtrahendo à divina, vel humana, acquiſita, vel infuſa, quod quidem iudicium minimè neceſsitat ad aſſenſum fidei divinę, vel infuſę, ſed compatitur cum carentia illius; nego tamen quod reſultet iudicium evidens de credibilitate poſitiva per fidem verè divinam, & infuſam, quia hoc iudicium repugnat ante fidem divinam, & infuſam, vt ſtatim dicam. Loquendo autem de illo iudicio evidenti credibilitatis per fidem abſtrahentem, & negativè ſe habentis ad ipſam, formato ex ſignis ſolum fide humana creditis, nego quod tota difficultas in credendo ſita ſit in illo iudicio, quia adhùc ſuppoſito illo iudicio, & fide humana ſignorum, & miraculorum, poteſt quis negare veritatem occultam, & ſupernam miraculum, aut divinam intentionem confirmandi hanc doctrinam, quia hæc veritas occulta, & divina intentio non ſubiacet fidei, aut hiſtorię humanę, ſed ſolum traditioni divinę.

76. Rurſus cognoſcitur in conſequentia prædicti Authoris in eo, quod ad aſſenſum de exiſtentia motivorum, quem tenet eſſe per hiſtoriam, & fidem purè humanam, exigit immediatè affectum poſitivum voluntatis ſupernaturalem; & rationem reddit: *Quia non eſt evidens phyſicè, aut metaphyſicè, ſed tantum moraliter*; & tamen cum aſſenſus fidei divinę pariter non ſit evidens, & rurſus ſit fidei divinę, ad illum non exigit immediatè affectum poſitivum, nec ſupernaturalem voluntatis. Dicet forſan, ad aſſenſum de exiſtentia motivorum exigi pium affectum poſitivum, quia ille aſſenſus eſt primus, & non ſupponit alium aſſenſum de obiecto connexo cum exiſtentia motivorum, & ideò eſt ab intellectu indifferente, & non determinato ad talem aſſenſum; at aſſenſum fidei divinę non exigere immediatè affectum poſitivum voluntatis, quia ſupponit alium aſſenſum de exiſtentia motivorum, ſeù de credibilitate connexa cum revelatione, & doctrina credita per fidem divinam, & ideò procedit ab intellectu determinato, & non indifferenti

77. Sed contra hoc militat, quod

iam diximus, nempè, quod aſſenſus de exiſtentia motivorum per fidem humanam, aut de eredibilitate ex vi illorum, vt fidei humanę ſubiacent, non importat connexionem metaphyſicam, ſaltèm evidentem, cum veritate revelationis. Sed inquit, *num.* 100. *Exiſtentiam motivorum fidem exornantium habere vim loquutionis divinę mediatę neceſſario connexę cum immediata.* Veruntamen in hoc rurſus ęquivocatur, non diſtinguens exiſtentiam motivorum ſecundum ſenſibilem apparientiam eorum, qua ratione ſubiacent fidei humanę, & minimè important connexionem neceſſariam, ſaltèm evidentem, cum loquutione divina immediata, ab exiſtentia motivorum ſecundum veritatem, & intentionem divinam ſupernam, qua ratione fateor, quod ſunt loquutio mediata, vel etiam immediata; ſed ideò in hoc ſenſu certo eredi non poſſunt, ante fidem divinam, nec ſubiacent fidei humanę.

78. Rurſus militat contra ipſum, quod aſſenſus de exiſtentia motivorũ, vel eſt prudens, vel imprudens: Hoc ſecundum nequit dicere, quia ad illum exigit affectum ſupernaturalem, qui ad imprudentem aſſenſum exigi nequit. Si autem eſt prudens; vel ſupponit iudicium de eredibilitate prudenti illorum motivorum, vel non? Si non, cur ad aſſenſum prudentem de veritate doctrinę, & de exiſtentia revelationis prę requirit iudicium de prudenti eredibilitate revelationis, & doctrinę? Sanè, ſi hac paritate vrgeatur, non facilem adhibebit diſparitatem, quia non alio titulo exigit ad aſſenſum de exiſtentia revelationis, & veritate doctrinę iudicium prævium de eredibilitate, niſi quia ille aſſenſus eſt firmus, & prudens; ſed iuxta ipſum aſſenſus de exiſtẽtia motivorũ etiam debet eſſe firmus, & prudens: Ergò. Si autem dicat, quod aſſenſus prudens de exiſtẽtia motivorum etiam ſupponit iudicium de eredibilitate illorum, ſic infero: Ergò ſupponit aſſenſum de alijs motivis ex quibus exiſtentia motivorũ redditur prudenter eredibilis: Sed illa motiva ex quibus exiſtẽtia motivorum, nempè miraculorum, redditur prudenter, & firmiter eredibilis, debent eſſe connexa cum exiſtentia motivorum: Ergò iam aſſenſus prudens, & firmus de exiſtentia motivorum ſupponit aſſenſum de alio, vel alijs motivis connexis cum illa: Ergò procedit ab intellectu determinato: Ergò non indiget pia motione immediatè ipſe aſſenſus de exiſtentia motivorum. Explicatur: Sanè exiſtentia motivorum, quibus roboratur noſtra fides, non eſt per ſe nota, aut evidens, alias fruſtra ad illius aſſenſum exigetur affectus poſitivus voluntatis: Eſt ergò obſcura, & ante fidem divinam ſolum eredi poteſt fide humana. Rogo igitur: Ex quo motivo? Nam vt credatur fide firma, prudenti, & moraliter certa, qualem exigit Sendin, motivum aliquod requiritur. Quale igitur eſt illud? Dices, eſſe hiſtoriam, prædicationem, & traditionem fidedigniſſimam, & moraliter infallibilem de præterita exiſtentia talium miraculorum, ſignorum, & motivorum: Rectè quidem, ſed ſic infero: Ergò ante aſſenſum de exiſtentia illorum motivorum præcedit aſſenſus, ſeù iudicium de hiſtoria, & traditione fidedigniſſima, & moraliter infallibili de exiſtentia illa: Ergò ad aſſenſum de exiſtentia illa non exigitur immediatè affectus poſitivus voluntatis. Probo conſequentiam ex doctrina ipſius Authoris, quia ſuppoſito aſſenſu, quo quis credat eſſe hiſtoriam, & traditionem fidedigniſſimam, & moraliter infallibilem de exiſtentia illorum motivorum, iam ille eſt determinatus ad aſſenſum de tali exiſtentia, quia nemo erit, qui concedat primum, & neget ſecundum, & tota difficultas eſt in concedendo primo, vndè qui negant exiſtentiam illorum motivorum reſpectu huius, vel illius doctrinę, pariter negant eſſe traditionem, aut hiſtoriam fidedigniſſimam, aut moraliter infallibilem de tali exiſtentia reſpectivè ad talem doctrinam: Sed hoc pacto probat prædictus Author, quod ad aſſenſum revelationis, & doctrinę immediatè non requiritur poſitivus affectus voluntatis, ſed ſolum ad aſſenſum de exiſtentia motivorum: Ergò ex hoc ipſo tenore arguendi probatur, nec ad talem aſſenſum immediatè exigi affectum poſitivum voluntatis: Ergò in conſequenter procedit.

79. Dices forſan, poſitivum affectum ſaltèm requiri ad aſſenſum de hiſtoria, & traditione moraliter infallibili, & ex illo incipere fidem. Sed contra; quia exiſtentia hiſtorię, & traditionis moraliter infallibilis, & fide digniſſimę de veris miraculis confirmantibus hanc doctrinam, vel eſt per ſe nota, vel obſcura, & purè credita. Si eſt per ſe nota: Ergò ad aſſenſum illius non requiritur pius affectus voluntatis. Si obſcura, & eredita: Ergò reddit eadem difficultas, nam debet credi exiſtentia talis hiſtorię, & traditionis vt moraliter infallibilis ex alijs motivis: Ergò erit procedere in infinitum. Quomodo autem hic proceſſus vitandus ſit, infrà dicemus.

IX.

EXPLICATVR QVALITER pia affectio præſtet fidei certitudinem.

80. PRO complemento huius quæſtionis inquires. An pia affectio præſtet fidei certitudinem, & qualiter? Huic inquiſitioni motivum, & occaſionem præbuit propoſitio 19. damnata ab Innocent. XI. quę huius tenoris erat: *Voluntas non poteſt efficere, vt aſſenſus fidei in ſe ipſo ſit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.* Quam propoſitionem vt intelligas, ſubnecto ſequentem, ſeù 20. *Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habet, ſupernaturalem.* Et ſequentem, ſeù 21. *Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & vtilis ad ſalutem, ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis, immò cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit locutus Deus.* Has propoſitiones iure damnat Sanctiſſimus, vt vel erroneas, vel temerarias, vel ſcandaloſas. Et quantum ad primam, eſt huiuſmodi difficultas: Etenim, certitudo aſſenſus fidei in ſe ipſo eſt certitudo intrinſeca ipſius de linea intellectus propria: Ergò provenire nequit à voluntate: Ergò voluntas facere nequit vt aſſenſus fidei ſit magis certus in ſe ipſo. Secundò, quia motivum aſſenſus fidei, nempè divina authoritas, eſt tanti ponderis, & meretur aſſenſum tantę certitudinis, quod repugnat intellectum maiori certitudine illi aſſentire, quam illa mereatur: Ergò nec voluntas poterit efficere, quod aſſenſus fidei ſit in ſe ipſo magis certus, quam mereatur pondus motivi ipſius: Ergò nec quod ſit magis certus, quam pondus rationum impellentium. Verumtamen.

81. Dico: *Voluntas per piam motionem poteſt præſtare aſſenſui fidei, formaliter quidem, maiorem certitudinem extrinſecam, ſed efficienter, & cauſaliter etiam maiorem certitudinem intrinſecam, quam mereatur pondus omnium rationum humanarum, & naturalium, immò, & rationum ſupernaturalium, ſi quę ſint, ad aſſenſum impellentiū, nec tamen ei tribuere certitudinem nec extrinſecam, nec intrinſecam, quam mereatur pondus motivi formalis ipſius aſſenſus: Et ideò rectè, & iure damnatur prædicta propoſitio.* Hoc aſſertum ſolà eget explicatione. In primis dico, quod formaliter poteſt præſtare, & re ipſa præſtat pia affectio maiorem certitudinem extrinſecam. Ratio eſt, quia certitudo extrinſeca fidei eſt firmitas adhæſionis ad obiectum, & doctrinam creditam, per extrinſecam denominationem ex firmo, & efficaci affectu voluntatis, quò voluntas firmiter afficitur erga fidem: Sed abſdubio voluntas per piam affectionem præſtat aſſenſui huiuſmodi firmitatem, & certitudinem extrinſecam, multò maiorem, quam mereatur pondus rationum probabilium impellentium: Ergò. Minor probatur, quia ſæpè, quamvis rationes ſint parum firmę, & certę ad aliquam ſententiam tenendam, videmus, quod affectus voluntatis erga illam doctrinam, vel ſententiam facit aliquem firmiùs multò adhærere, quam mereatur pondus illarum rationum; hoc patet inter ipſos Scholaſticos, qui ex affectu, vel ad Thomiſtas, vel ad Ieſuitas, tenaciſſimè ſolent adhærere alicui ſententię, quę tamen, ſi depoſito affectu inſpiciatur, ratione parum firma, aut levi fulcitur: Quin, in ipſis hæreticis videmus quam firmiter, & pertinaciter ſuis erroribus adhærent, quin tamen firmitas illa ſit ex pondere rationum, ſed potiſsimè ex pervicacia, & cæco affectu voluntatis: Ergò potiori iure valebit voluntas erga aſſenſum fidei ſupernaturalis magis, & magis firmare ſubiectum in eo, firmitate nempè extrinſeca, ex firmiori adhæſione voluntatis deſumpta.

82. Deindè dico, quod talis pia affectio efficienter, ſeù applicativè, & cauſaliter, tribuit aſſenſui fidei maiorem certitudinem, quam mereretur pondus rationum. Ratio eſt manifeſta, quia talis pia affectio efficit quod intellectus firmiter aſſentiatur, non propter tales rationes, ſed vnicè propter divinam authoritatem revelantem, tánquam propter motivum formale, & ad hoc applicat intellectum: Sed ex hoc habet talis aſſenſus multò maiorem certitudinem, quam mereatur pondus rationum, quia pondus rationum ſolum meretur certitudinem probabilem, vel ad ſummum moralem, ex eo autē quod aſſenſus firmiter aſſentitur propter authoritatem divinam, habet certitudinem metaphyſicam, & metaphyſicè infallibilem: Ergò pia affectio cauſaliter, ſeù applicativè tribuit aſſenſui multò maiorem certitudinem, quam meretur pondus rationum ad aſſenſum impellentium. Et vrgetur, quia rationes ad aſſenſum impellentes, iuſta ſenſum propoſitionis damnatę, erant rationes ſolum probabiles, ſolum probabiliter ſuadentes exiſtentiam revelationis, & ideò ſubdit, quod aſſenſus fidei ſtat cū notitia ſolum probabili revelationis: Ergò dicere, quod voluntas nequit efficere, vt aſſenſus fidei in ſe ipſo ſit magis certus, ſeù firmus, quam mereatur pondus rationum, eſt dicere, quod voluntas per piam motionem nequit efficere, quod aſſenſus fidei in ſe ipſo ſit magis firmus, & cer-

tus quam certitudine probabili: Hoc autem merito damnatur, vt potè contra certitudinem, & infallibilitatem noſtrę fidei: Ergò tenendum eſt oppoſitum, nempè, quod voluntas, applicando intellectum, vt aſſentiat propter divinam, & infallibilem authoritatem Dei loquentis, efficit, quod aſſenſus ille in ſe ipſo ſit magis certus, & firmus, quam mereatur pondus rationum impellentium. Quod quidem verum tenet, non ſolum quando rationes impellentes ſunt humanę, & naturales, ſolum probabiliter, aut moraliter ſuadentes exiſtentiam revelationis, ſed etiam ſi forent rationes ſupernaturales, dummodo ſint diſtinctę à motivo formali fidei, id eſt, à divina authoritate; quia rationes illę, quamvis fundarent certitudinem metaphyſicam, eſſet certitudo metaphyſica ſcientię, & per diſcurſum ex effectibus connexis cum revelatione; huiuſmodi autem certitudo minor eſt, quam certitudo aſſenſus fidei in ſe ipſo, quam habet ex eo quod aſſentitur firmiter propter divinam authoritatem revelantem, vt ſatis conſtat ex dictis *diſput.* 2. *quæſt.* 5. *præſertim num.* 37. vbi diximus, fidem divinam eſſe certiorem ſcientia infuſa, quia nititur perfectiori, & certiori motivo.

83. Ex quo obiter inferes, ineptè aliquos voluiſſe, ex damnatione dictę propoſitionis argumentum deſumere adverſus noſtram doctrinam datam *Tractat. de Conſcient. quæſt.* 26. *à num.* 6. & alijs in locis, qua docebam, voluntatem per ſuum imperium non poſſe facere, quod intellectus aſſentiatur obiecto propoſito vt minus probabili ſuo contradictorio, ſeù propoſito vt minus vero, quia imperium illud per ſe non ponit, nec addit probabilitatem, aut veritatem. Ineptè, inquam, quia toto Cœlo diſtat illa mea doctrina à propoſitione damnata: Etenim in aſſenſu probabili, de quo loquebar loco citato, non datur aliud motivum formale, ex quo poſſit ſortiri veritatem, aut certitudinem, quam rationes probabiles, quę menti proponuntur, & ideò certiſsimum eſt, quod ſi tales rationes, prout menti proponuntur, ſunt minus probabiles, voluntas nequit per ſuum imperium facere quod intellectus illis aſſentiatur cum maiori probabilitate, aut certitudine intrinſeca, quam mereatur pondus illarum rationum, quia certitudo intrinſeca aſſenſus deſumitur à motivo formali, & tunc non eſt aliud motivum formale illius aſſenſus probabilis, quam pondus illarum rationum. Attamen in caſu propoſitionis damnatę, præter rationes ad aſſenſum impellentes, per quas illa propoſitio ſolum intelligit rationes probabiles, aut moraliter certas, eſt aliud motivum formale aſſenſus; nempè divina authoritas revelans, quę eſt motivũ metaphyſicè infallibile, & ſummę, ac infinitę certitudinis, cuius pondus pro meritis ęquare nequit aſſenſus quilibet, quominus illud excedere, & ideò merito damnatur propoſitio dicens, quod aſſenſus ille, adhùc ex imperio voluntatis, non eſt magis firmus in ſe ipſo, quam ſit pondus rationum, cum ex ſuo motivo formali, infinitę excedenti pondus rationum illarum, habeat longè maiorem certitudinem, quia ex imperio voluntatis aſſentitur, non iam propter illas rationes, ſed vnicè propter divinam authoritatem infinitè certiorem.

84. Vndè valdè notandum eſt, quod propoſitio damnata non dicebat, quod voluntas nequit efficere quod aſſenſus ſit magis firmus, quam mereatur motivum formale illius; hoc enim ſi diceret, verum diceret, & minimè damnaretur, ſed diſtinguit motivum formale, & rationes impellentes, quę alię eſſe nequeunt, quam motiva credibilitatis vt humano diſcurſu præcognita, quo pacto non habent maiorem certitudinem, quam moralem, ſeù probabilem, & permittunt formidinem falſitatis; & in hoc ſenſu dicebat, quod aſſenſus fidei non habet maiorem firmitatem in ſe ipſo, quam mereatur pondus rationum illarum, & propterea conſequenter dicebat alia propoſitio damnata: *Quod aſſenſus fidei ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis, immò cum formidine, ne non loquutus ſit Deus*, & alia, conſequenter etiam dicebat: *Quod poteſt quis prudenter deponere talem aſſenſum*; & ideò omnes illę propoſitiones damnantur, quia non dant maiorem certitudinem fidei, quam certitudinem probabilem, quod ſanè, vel hæreticum, vel erroneum eſt, & meritiſsimè damnatum.

85. Reſtabat ſolvere aliud argumentum contra ſupernaturalitatem pię affectionis, quo RR. aliqui contendunt ſuadere, poſſe dari actum fidei imperatum ex affectu pravo voluntatis. Sed huius ſolutionem reſervamus in poſterum, vt quæſtionem ſpecialem exigentem, & interim tranſeo ad iudicium ſeù cognitionem regulativam actus fidei, & pię affectionis indagandam.

(.·.)

QVÆS-

QUÆSTIO X.

QUÆNAM COGNITIO REQUIRATUR ad regulandam piam affectionem, & actum fidei.

1\. PLURES circa quæſtionẽ iſtam reperio ſententias. Nam aliqui requirũt ad proximè regulandum actum fidei, & ante piam affectionem, iudicium moraliter certum de exiſtentia divinę revelationis, ſeù de eo, quod doctrina ſit à Deo revelata. Ita D. Ferreras in præſenti, & hoc appellat iudicium prudentis credibilitatis. Alij inquiunt ſufficere iudicium probabile. Alij fidem hiſtorialem, & purè humanam de exiſtentia motivorum credibilitatis moraliter certam, & in hanc videtur inclinare Sendin loco ſuprà citato. Alij requirunt iudicium evidens ſpeculativum de eo quod doctrina credenda attentis motivis, ſub quibus proponitur, ſit prudenter credibilis vt à Deo revelata, & fide firmiſsima. Alij inquiunt ſufficere ſimplicem apprehenſionem divinę revelationis. Ad proximè autem regulãdam piam affectionem aliqui requirunt iudicium dictans, quod eſt honeſtum, & prudens credere firmiter doctrinã propoſitam vt à Deo revelatam. Sendin verò, inquit, quod obiectum proximum pię affectionis non eſt honeſtas, & prudentia credendi doctrinam a Deo revelatam, quia ad hoc non terminatur immediatè, iuxta ipſum, pia affectio, ſed eſt honeſtas, & prudentia aſſenſus, quo credimus doctrinam, & ipſius revelationem eſſe roboratam miraculis, & alijs ſignis credibilitatis, & ſic cognitionem illam regulantem eſſe iudicium dicens: *Honeſtum, & prudens eſt credere, quod dantur motiva, ſeù ſigna, & miracula, quę reddunt doctrinam, & revelationem prudenter credibilem.*

2\. Vt tamen clarè, inter tot ſententias, noſtram explimere poſsim, valdè notandum eſt, quod duplex propoſitio requiritur ad credendum, nempè vna facta intellectui, alia voluntati; nam cum actus fidei ſit actus intellectus, & voluntatis, nempè intellectus elicitivè, & voluntatis applicativè, ſeù imperativè, opus eſt, quod proponatur intellectui res credenda, & motivum credendi; & item quod proponatur voluntati res credenda, & motivum etiam volendi credere, ſeù imperandi aſſenſum fidei, cum hac diſtinctione, quod intellectui debet proponi res credenda, & motivum credendi ſub ratione veri, voluntati autem ſub ratione boni.

3\. Suppoſita igitur hac diſtinctione, valdè neceſſaria, prius explicanda eſt cognitio exacta vt proponatur obiectum fidei intellectui vt proximè credibile. Secundo cognitio exacta vt proponatur voluntati ſuficienter vt proximè poſsit imperare aſſenſum. Vtrumque exponam varijs concluſionibus.

PRIMA CONCLUSIO.

4\. DICO primo: *Vt proponatur doctrina fidei intellectui ſufficienter, & proximè credibilis, non requiritur iudicium certum de exiſtentia revelationis, nec ſatis eſt iudicium ſolum probabile.* Hæc ſecunda pars, nempè, quod non ſufficiat iudicium ſolum probabile, iam eſt communis inter Theologos, præſertim poſtquam Innocent. XI. damnavit illam: *Aſſenſus fidei ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis, &c.* Vndè non eget probatione. Difficultas ergò ſolum devolvitur ad primam; nam videtur ſecundę contraria; ſi enim non ſufficit iudicium ſolum probabile de exiſtentia revelationis, ergò requiritur iudicium certum. Quomodo ergò admittimus, immò & defendimus, non ſufficere illud, & negamus requiri iſtud? Verumtamen, hac non abſtante difficultate, cui facilè poſteà reſpondebo.

5\. Probatur concluſio, primo ex dictis, & citatis *quæſt. praeced. num.* 40. Secundo, quia ſi requireretur iudicium certum de exiſtentia revelationis vt obiectum fidei proponeretur proximè credibile, non poſſet intellectui proponi obiectum fidei vt proximè credibile vſque dum intellectus iudicaret certo, & firmiter dari revelationem de illo obiecto, ſeù illud eſſe à Deo revelatum: Sed hoc eſt falſum: Ergò talè iudicium non requiritur. Probo minorem, quia ſi non proponeretur obiectum vt proximè credibile, niſi certo iudicaretur à Deo revelatum, quotieſcumque proponeretur vt proximè credibile, proponeretur vt convincens intellectum, & illum neceſsitans ad aſſenſum: Sed hoc eſt falſum, vt potè contra libertatem fidei, & indigentiam pię affectionis, quam probatam relinquimus: Ergò etiam eſt falſum, quod requiratur iudicium illud. Probatur maior, quia dum obiectum iudicatur certò, & firmiter eſſe à Deo revelatum, ex hac ſuppoſitione convincitur inte-

te-

Digitized by Google

tellectus, & neceſsitatur ad aſſenſum illius, cum quo evidenter connectitur talis ſuppoſitio; ſicut, dum quis aſſentitur certò, & firmiter antecedenti evidenter connexo cum alio conſequenti, ex vi talis aſſenſus, vel iudicij convincitur, & neceſsitatur ad aſſenſum conſequentis: Sed obiectum eſſe à Deo revelatum connectitur evidenter cum eo quod obiectum ita ſit in re, ſeù cum ipſo obiecto in re: Ergò, dum obiectum certò iudicatur revelatum à Deo, proponitur vt convincens intellectum, & illum neceſsitans ad aſſenſum ipſius obiecti in re: Ergò ſi non proponeretur proximè credibile vſque dum certò iudicaretur à Deo revelatum, non proponeretur vt proximè credibile, niſi dum proponeretur convincens, & neceſsitans ad aſſenſum ipſius.

6. Explicatur hæc ratio: Non poteſt proponi obiectum fidei vt proximè credibile, niſi cum indifferentia quoad aſſenſum: Sed dum certò iudicatur eſſe à Deo revelatum non proponitur cum tali indifferentia, ſed potius cum determinatione quoad aſſenſum: Ergò tam longè abeſt, vt requiratur tale iudicium certum ad proximam credibilitatem, quod potius cum illo repugnat proxima credibilitas. Maior probatur, quia non poteſt proponi obiectum fidei vt proximè credibile, niſi vt credibile libere quoad aſſenſum, quia fides eſt libera eſſentialiter quoad aſſenſum, vt vidimus, *quæſt. 8. præſertim num.* 37. Sed nequit proponi vt libere credibile quoad aſſenſum, niſi proponatur cum indifferentia quo ad aſſenſum: Ergò. Deindè probatur minor: Quia obiectum vt à Deo revelatum evidenter connectitur cum ſe ipſo in re: Ergò dum certò iudicatur eſſe à Deo revelatum, certò iudicatur evidenter connexum cum ſe ipſo in re: Sed dum certò iudicatur evidenter connexum cum ſe ipſo in re, non proponitur cum indifferentia quoad aſſenſum, ſed potius cum determinatione convincente, & neceſsitante ad aſſenſum ipſius in re: Ergò.

7. Vrgetur: Quia enim evidenter connectitur aliquid eſſe totum cum eo quod ſit maius ſua parte, implicat aliquem iudicare de Mundo v. g. quod eſt totum, & quod per tale iudicium proponatur cum indifferentia vt aſſentiatur, vel non aſſentiatur quod eſt maius ſua parte: Et item, quia identitas extremitatum cum tertio evidenter connectitur cum identitate illarum inter ſe, implicat quod quis iudicet certò extremitates identificari cum tertio, & quod per tale iudicium proponatur extremitates cum indifferentia ad aſſenſum identitatis illarum inter ſe; ſed aliquid eſſe à Deo revelatum evidenter connectitur cum eo quod ſit verum in re: Ergò implicat aliquem certò iudicare de aliquo obiecto, illud eſſe revelatum à Deo, & quod per tale iudicium proponatur cum indifferentia ad aſſentiendum, vel non aſſentiendum quod ſit verum in re.

8. Reſpondebis primò, quod per iudicium de eo quod obiectum ſit à Deo revelatum non proponitur tale obiectum cum indifferentia quoad ſpecificationem, quia non proponitur cum indifferentia ad aſſenſum, & diſſenſum, cum ſit impoſsibile quod intellectus diſſentiat obiecto, quod certò iudicat eſſe à Deo revelatum, proponitur tamen cum indifferentia quoad exercitium, quia poteſt intellectus tali obiecto non aſſentire actualiter, & in exercitio, quamvis iudicet ipſum eſſe revelatum. Sed contra, quia ſuppoſito tali iudicio nequit intellectus conſequenter ad ipſum ſuſpendere aſſenſum, ſeù iudicium, ſed manet neceſsitatus, & convictus ad aſſenſum: Ergò ruit ſolutio. Probatur antecedens: Suppoſito iudicio certò de veritate præmiſſarum, quę evidenter inferunt concluſionum, nequit intellectus ſuſpendere aſſenſum erga concluſionem, ſed manet neceſsitatus, & convictus ad aſſenſum concluſiones, & hoc non alia ratione, niſi quia iudicium certum de obiecto evidenter connexo cum alio, non ſolum impoſsibilitat ad diſſenſum alterius, ſed neceſsitat ad aſſenſum: Sed obiectum eſſe à Deo revelatum connectitur cum eo quod ita ſit in re non minus evidenter quam præmiſſę cum concluſione, præſertim apud Sapientes, qui evidentiſſimè cognoſcunt revelationem divinam non poſſe eſſe falſam: Ergò ſuppoſito iudicio certò de eo quod obiectum eſt à Deo revelatum, non poteſt intellectus ſuſpendere iudicium, ſed manet neceſsitatus ad aſſenſum in exercitio. Explicatur: De eſſentia fidei, vt diſtinctę à ſcientia, eſt quod intellectus credendo aſſentiatur non convictus ad aſſenſum ex obiecto præcognito: Sed ſi aſſenſus fidei præſupponeret iudicium certum de revelatione obiecti credendi, aſſentiret intellectus tali obiecto convictus, & neceſsitatus ad illius aſſenſum, quia iudicium certum de revelatione obiecti convincit, & neceſsitat ad aſſenſum obiecti propter evidentem connexionem: Ergò.

9. Reſpondet ſecundò Ferreras; quod revelatio Myſterij poteſt dupliciter conſiderari, nempè, vel in vi connexionis cum Myſterio, vel prout eſt præcisè enunciatio, & repræſentatio Myſterij; ſeù ſecundum quod

præ-

præciſè illud affirmat, & negat : Fatetur ergò quod revelatio primò modo iudicata non relinquit indifferentiam, nec quoad exercitium, nec quod ſpecificationem ad aſſenſum Myſterij; attamen iudicata præciſè ſecundum quod affirmat, & negat, relinquit intellectum indifferentem ad aſſenſum quoad exercitium, & ſpecificationem. Sed contra hanc ſolutionem iam ſatis egimus *ſuprà diſputat. 4. quæſt. 5. à num.* 52. Et meritò, quia propterea prædictus Author præ requirit ad fidei aſſenſum iudicium de revelatione, quia revelatio eſt motivum formale fidei : Sed revelatio, non ſolum eſt motivum ſecundum quod affirmat rem revelatam, ſed ſecundum quod illam affirmat infallibiliter in dicendo : Ergò iudicium revelationis exactum à prædicto Authore debet eſſe iudicium de revelatione vt infallibiliter affirmante obiectum : Sed iudicium de revelatione vt infallibiliter affirmante obiectum non relinquit indifferentiam ad aſſenſum, & diſſenſum : Ergò. Probo hanc minorem, quia qui ſemèl certò iudicat Deum infallibiliter revelaſſe Myſterium, niſi ratione careat, convincitur evidenter vt aſſentiat Myſterio; nec enim poteſt præſcindere à connexione revelationis cum Myſterio, quia idem eſt formaliſſimè revelationem eſſe metaphyſicè infallibilem, ac eſſe metaphyſicè connexam cum Myſterio, vt per ſe patet, nec erit vllus, qui iudicet certò Myſterium eſſe à Deo infallibiliter revelatum, & nihilominus neget Myſterium, aut maneat indeciſus erga illud, ſuſpenſo iudicio : Ergò iudicium de revelatione vt infallibiliter affirmante Myſterium non relinquit indifferentiam ad aſſenſum, & diſſenſum Myſterij, immò nec ad ſuſpenſionem iudicij. Vndè cenſeo, quod ſi ſemèl requireretur ex parte actus primi ad aſſenſum fidei iudicium de revelatione vt eſt obiectum fidei, nempè vt infallibili metaphyſicè, verum teneret ſententia Scotiſtarum, & P. Sendin, nempè quod non eſſet neceſſaria pia motio voluntatis immediatè ante aſſenſum fidei, quia per tale iudicium ſufficientiſſimè determinaretur intellectus; & maneret abſque indifferentia ad aſſenſum.

10. Nec obſtat, quę ſuprà obijciebat *quæſt. præcedenti, num.* 38. Ad primum enim negatur antecedens. Ad eius probationem, negatur aſſumptum, nempè quod ſemper ante aſſenſum fidei præcedat iudicium de exiſtentia revelationis. Ad ſecundum, conceſſa maiori, nego minorem, quia antequam quis iudicet de exiſtentia revelationis, dummodo illa proponatur cum ſufficiente credibilitate, vt proponi poteſt ſine iudicio, iuxta infrà dicenda, iam eſt proximè poſſibilis fides. Ad tertiam, conceſſa maiori, nego minorem, quę falſiſſima eſt, quia hæreticus habet obligationem credendi articulum, quem negat, aliàs non peccaret illum negando, & tamen non iudicat illum articulum eſſe revelatum : Nec vt ſit poſſibilis aſſenſus fidei requiritur actuale iudicium de revelatione, ſed ſatis eſt, quod ſit poſſibile iudicium, vel exercitum, vel ſignatum de illa per ipſam fidem, vt per ſe patet. Itemque, licèt ad obligationem credendi non ſufficiat iudicium probabile, ex hoc non probatur, requiri iudicium certum, quia obligatio credendi non fundatur, nec in iudicio certò, nèc in iudicio probabili de exiſtentia revelationis, ſed in propoſitione Myſterij, & revelationis illius cum ſufficienti credibilitate, quę fieri poteſt abſque iudicio, nec certò, nec probabili; quia hæretico proponitur Doctrina Catholica cum ſufficiente credibilitate ad ipſum obligandum, quin tamen ille iudicet, nec certò, nec probabiliter, articulum, quem negat, eſſe revelatum. Ad quartum ſimiliter, nego quod conſequenter ad iudicium certum de exiſtentia revelationis infallibilis detur dictamen prudentię dictans debere credi Myſterium per eam revelatum, tum quia fidei aſſenſus non regulatur formaliter per dictamen prudentię, cum ſit virtus theologica minimè ſubiecta prudentię, ſed regulans ipſam prudentiam, vt infrà magis explicabo. Tum quia pro illo ſigno non datur indifferentia determinabilis per prudentiam, ſemèl enim quod quis certò iudicet aliquid eſſe infallibiliter à Deo revelatum, ad illud credendum manet convictus, & neceſſitatus, & nihil poteſt ibi agere prudentia; ſicut ſuppoſito iudicio præmiſſarum nihil poteſt agere prudentia erga aſſenſum concluſionis. Ad quintum, conceſſa ſequela, nego minorem, quia aſſentire Myſterio, ſuppoſito iudicio certò de revelatione infallibili illius, propter ipſam revelationem ſic præiudicatam, in nihilo differt ab aſſenſu theologico, vel ſcientię moralis, vt infrà dicam, & iam alibi dixi.

11. Ad ſextum, diſtinguo maiorem : Adhùc ſuppoſito eo iudicio, aſſenſus Myſterij manet obſcurus obſcuritate conſequente, & non ſuperata, nego maiorem : Obſcuritate antecedente, & iam ſuperata per iudicium certum de revelatione, nego maiorem, & ad probationem in contra, conceſſo antecedenti; nego ſuppoſitum conſequentis. Itaque, ſuppoſito iudicio certò de eo quod Myſterium eſt infallibiliter à Deo revelatum, aſſenſus Myſterij manet obſcurus antecedenter, & abſolutè,

te, ſed obſcuritate iam victa, & ſuppetata per iudicium certum de revelatione, quia ſemèl quod quis vicerit obſcuritatem iudicando certo myſterium eſſe revelatum infallibiliter à Deo, iam conſequenter nulla reſtat obſcuritas vincenda, quia iam conſequenter, & ex ſuppoſitione quod myſterium ſupponitur ſic revelatum, evidens eſt, illud ita eſſe in re. Nec obeſt, quod non poſsit eſſe evidens, niſi per diſcurſum, nam qui aſſentitur myſterio conſequenter ad revelationem infallibilem vt præviè iudicatam, aſſentitur per diſcurſum, & ſic falſo ſupponit, quod ſuppoſito iudicio illo, ſit locus aſſenſui ſimplici myſterij ſine diſcurſu.

12. Ad ſeptimam ſimiliter, nego ſuppoſitum, nempè, quod ad aſſenſum fidei ſupponatur neceſſario iudicium certum de revelatione. Deindè dico, quod ſi illud iudicium eſſet ſolum certum moraliter, cogeret intellectum ad aſſenſum myſterij certum moraliter, licèt non ad aſſenſum myſterij metaphyſicè certum, quia revelatio certo moraliter iudicata metaphyſicè connectitur, & non ſolum moraliter, cum myſterio revelato, & ſic cogit ad aſſenſum moraliter certum de myſterio; nam ſicut ex præmiſsis evidētibus, & certis metaphyſicè intellectus neceſsitatur ad aſſenſum concluſionis metaphyſicè certum, & evidentem, & ex præmiſsis probabilibus neceſsitatur ad aſſenſum probabilem, ita ex præmiſsis moraliter certis neceſsitatur ad aſſenſum moraliter certum, & conſequenter ex iudicio moraliter certo de revelatione infallibili myſterij neceſsitatur ad aſſenſum myſterij moraliter certum: Ergò non manebat indifferentia, nec ad diſſenſum, nec ad dubium, nec ad ſuſpenſionem iudicij de myſterio, quia cum aſſenſu certo moraliter de myſterio repugnat diſſenſus, dubium, aut ſuſpenſio iudicij, immò, & formido de falſitate myſterij iuxta præfatum Authorem: Sufficit ergò ad tollendam prædictam indifferentiam iudicium certum moraliter de revelatione.

13. Dices: Non neceſsitaret ad aſſenſum metaphyſicè certum de myſterio: Ergò nec ad aſſenſum fidei divinę, qui eſt eſſentialiter metaphyſicè certus: Ergò relinqueret indifferentiam ad ipſum. Reſpondeò, diſtinguendo antecedens: Non neceſsitaret ad aſſenſum metaphyſicè certum, nec ipſum regularet, ſed potius ipſum impediret, vel impertinenter ſaltèm ad ipſum ſe haberet, concedo: Et ipſum regularet, nego antecedens, & conſequentiam ſub eadem diſtinctione, quia licèt certum ſit, quod iudicium ſolum moraliter certum non convinceret intellectum, niſi ad aſſenſum moraliter certum de myſterio, ex hoc ipſo probatur, quod non poſſet regulare aſſenſum fidei metaphyſicè infallibilem, ſed potius illum impediret inſerendo iudicium fallibile, & impediendo iudicium infallibile. Sed de hoc infrà. Ad octavum, nego aſſumptum, quia quantumvis alicui clauderetur os, & ligarentur manus, & cætera, quę dicit arguens, tamen cum conſideratio, & attentio interna ſemper maneat libera, poſſet non attendere, nec conſiderare motiva, quę illi prædicarentur, & ſic non formare iudicium certum moraliter. Et quidem, ſi modus ille ſufficeret ad cogendum audientem, vt iudicaret cum certitudine morali, doctrinam catholicam eſſe à Deo revelatam, poſſet quilibèt hæreticus per vim phyſicam cogi, vt deponeret ſuum errorem, & relinqueret hæreſim internam, quia per iudicium certum moraliter de eo, quod doctrina catholica eſt revelata à Deo, à fortiori deponitur error contrarius, vt ſtatim dicam: Hoc autē falſiſsimum eſt, quia intellectus non cogitur vi externa, & phyſica: Et item, quia ſi id admittatur poſsibile, pariter admitti poſſet, quod per ſimilem vim determinaretur, & cogeretur ad aſſentiendum rebus fidei. Ad vltimum, nego ſimiliter aſſumptum, quia Sectarij, ſi verè ſunt hæretici, verè habent iudicium erroneum contra veritatem noſtrę Religionis; ſi autem hoc ita eſt, quomodo poteſt dici, quod apprimè noverunt veritatem noſtrę Religionis, ſi enim illam verè cognoſcunt, ergò apprimè iudicant noſtram Religionem eſſe veram, quomodo ergò habent iudicium erroneum contra veritatem noſtrę Religionis? Non nego eſſe aliquos inter Sectarios, qui ſolum externè profitentur ſuos errores, licèt mente cognoſcant, & credant ſolam noſtram Religionem eſſe veram; hi tamen non ſunt verè, & internè hæretici, ſed ſolum externè, & peccant cōtra fidei confeſsionem, ſubijciuntur que pœnis hæreticorum, quia Eccleſia non iudicat de occultis: Dicere autem, quod apprimè cognoſcunt veritatem noſtrę Religionis, & quod manent ſuis erroribus obſtricti, eſt dicere contradictoria ſimùl.

SECVNDA CONCLVSIO,
in confirmationem præcedentis.

14. DICO ſecundo: *Iudicium ſolum moraliter certum de exiſtentia revelationis, non ſolum non requiritur vt regula actus fidei, ſed nec poteſt ipſum proximè regulare.* Probatur, quia tale iudicium eſt metaphyſicè fallibile: Sed iudicium metaphyſicè fallibile nequit regulare proximè actum fidei: Ergò. Probo minorem, quia ſi

illu

iudicium illud fallibile metaphyſicè regularet proximè actum fidei, actus fidei eſſet metaphyſicè fallibilis : Sed hoc eſt falſum, vt potè contra fidei infallibilitatem : Ergò. Probo maiorem, quia actus fidei nequit eſſe magis infallibilis, aut certus, quam eius regula proxima, cum eius certitudo innitatur certitudini regulę proximę : Ergò ſi iudicium illud fallibile metaphyſicè regularet proximè actum fidei, actus fidei eſſet fallibilis metaphyſicè. Cõfirmatur: Quia enim deciſio, & iudiciũ Papę definientis ex Cathedra eſt regula externa, & viſibilis fidei, omnes Theologi iam requirunt quod illud iudicium ſit metaphyſicè, & omninò infallibile, quia ſi eſſet fallibile nutaret certitudo, & firmitas noſtrę fidei : Sed non minus nititur certitudo noſtrę fidei regulę internę immediatè proponenti obiectum fidei, quam regulę externę, & viſibili : Ergò requiritur, quod regula proxima, & interna ſit infallibilis omninò, & non ſufficit quod ſolum ſit certa moraliter, & metaphyſicè fallibilis, quia aliàs nutaret firmitas noſtrę fidei.

15. Dices : Iudicium illud eſſe regulam actus fidei, non per modum motivi formalis, ſed ſolum per modum proponentis, & applicantis motivum formale, & ideò opus non eſſe, quod ſit metaphyſicè infallibile. Sed contra eſt, quia etiam definitio Papę non eſt regula fidei per modum motivi formalis, ſed per modum proponentis, & applicantis motivum formale : Et tamen requiritur quod definitio Papę ſit metaphyſicè infallibilis, & non ſufficit in illa ſola certitudo moralis : Ergò pariter, licèt iudicium illud proximè regulans actum fidei ſit ſolum regula per modum applicantis, & proponentis, requiritur quod ſit omninò infallibile, & non ſatis eſt, quod ſit moraliter certum. Vide ſuprà *diſput.* 3. *quæſt.* 12. *à num.* 9. Contra ſecundò, quia ſi applicatio, & propoſitio, per quam proximè regulatur actus fidei, falleretur, proponendo vt revelatum quod non eſſet revelatum, falleretur actus fidei credendo vt revelatum illud obiectum: Ergò ſi regula illa per modum proponentis, & applicantis obiectum ſit fallibilis, erit in eodem gradu fallibilis actus ea proximè regulatus, nempè actus fidei : Hoc dici nequit : Ergò nec quod iudicium ſolum moraliter certum regulet proximè actum fidei per modum proponentis, & applicantis.

16. Confirmatur : Certitudo moralis tantum, admittit contingentiam, & poſſibilitatem falſitatis phyſicam, & metaphyſicam : Ergò cum iudicio ſolum moraliter certò de exiſtentia revelationis ſtat contingentia phyſica, & metaphyſica de eo quod non ſit talis revelatio : Ergò formido aliqua prudens, ne non loquutus ſit Deus. Probo hanc conſequentiam; quia quod manet contingens phyſicè, & metaphyſicè, & ſi moraliter loquendo non poſſit contingere, poteſt terminare aliqualem formidinem cum ſufficienti fundamento, quia non ſemèl vidimus contingere de facto aliqua, quę erant moraliter impoſſibilia, quia phyſicè poſſibilia fuerunt, impoſſibilitas enim moralis eſt phyſicè vincibilis per potentiam phyſicam, vt alibi oſtendam : Ergò ſi cum iudicio moraliter certò de revelatione ſtat contingentia phyſica, & metaphyſica de eo quod non ſit talis revelatio, ſtabit etiam formido aliqua cum ſufficienti fundamento, ne non loquutus ſit Deus : Ergò per tale iudicium nequit regulari proximè fides, aliàs ſtaret fides cum formidine fundata ne non loquutus ſit Deus, quod iam eſt damnatum.

17. Secundo probatur concluſio, quia iudicium moraliter tantum certum non poteſt eſſe iudicium ſupernaturale, ſiquidem iudicium ſupernaturale eſſentialiter eſt infallibile, & conſequenter metaphyſicè, & non moraliter tantum certum : Sed cognitio immediatè, ſeù proximè regulans actum fidei eſſentialiter debet eſſe ſupernaturalis : Ergò nequit eſſe iudicium moraliter tantum certum. Minor probatur, quia cognitio immediatè regulans actum fidei adminus concurrit diſpoſitivè per ſe tanquam proxima diſpoſitio ad ſpeciem actus fidei : Sed implicat proxima diſpoſitio ad ſpeciem actus fidei, quin ſit ſupernaturalis, quia actus fidei eſſentialiter eſt ſupernaturalis, & ordinis gratię, & nequit actus merè naturalis proximè, & poſitivè diſponere per ſe ad actum ſupernaturalem, & ordinis gratię : Ergò. Secundò, quia actus ſupernaturales, & ordinis gratię nequit proximè regulari per actum purę naturalem, aliàs gratia regularetur per naturam, quod eſt contra ſuperioritatem, & eminentiam ordinis gratię : Ergò iudicium illud merè naturale nequit proximè regulare actum fidei.

18. Confirmatur : Cognitio immediatè regulans actum fidei divinę, ſeù proponens, & applicans obiectum motivum fidei ſufficienter, nempè revelationem vt infallibilem, ad minus eſt cognitio, vel cogitatio prout oportet ad credendum fide ſalutari, poſitivèque conducens ad fidem ſalutarem : Sed huiuſmodi cognitio, ſeù cogitatio non poteſt eſſe purè naturalis, ſeù ex viribus ſolius naturę : Ergò nec poteſt eſſe iudicium ſolum moraliter certum, quod neceſſario eſt purè natu-

tale, vt potè intrinſecè fallibile. Minor probatur ex Concil. Arauſic. *Can.* 7. ſic definiente: *Si quis per naturę vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet, cogitare vt expedit, aut eligere, ſiuè Evangelicę prædicationi conſentire poſſe confirmat, abſque illuminatione Spiritus Sancti, hæretico fallitur ſpiritu*: Ergò cognitio, ſeù cogitatio proponens divinam revelationem prout oportet ad credendum fide ſalutari, quę nempè poſitivè conducit ad ſalutarem fidem, implicat, quod ſit purè naturalis, ſeù ex vigore naturę. Vrgetur ex illo Auguſt. *lib.* 2. *contra Pelagian. cap.* 8. vbi ſic ait: *Quis non videat prius eſſe cogitare, quam credere, nullus enim credit, niſi prius cogitet eſſe credendum, & hoc vult Apoſtolus non eſſe ex nobis, ſed ex gratia.*: Tum ſic; ſed cognitio proponens doctrinam vt à Deo revelatam, & propterea regulans immediatè actum fidei, ad minus eſt cognitio cogitans eſſe credendum: Ergò illa eſſentialiter debet eſſe ſupernaturalis.

19. Reſpondebis, duplicem cognitionem regulare actum fidei, vnam quidem practicam, & ex parte voluntatis, inducentem voluntatem immediatè vt imperet aſſenſum; & hanc debére eſſe ſupernaturalem: Aliam ſpeculativam proponentem intellectui immediatè doctrinam vt a Deo revelatam, & vt dignam fide divina, & firmiſsima; & hanc poſſe eſſe merè naturalem, & iudicium ſpeculativum ſolum moraliter certum ſufficere. Quod quidem confirmari poteſt ex ipſo Concilio Arauſicano, quod non definit, *per naturę vigorem nos non poſſe aliquod verum cogitare*, quod pertineret ad cogitationem ſpeculativam; ſed ſolum *non poſſe aliquod bonum cogitare* in ordine ad ſalutem, quod ſpectat ad cognitionem practicam: Ergò Concilium ſolum definit de cognitione practica movente voluntatem, non verò de cognitione ſpeculativa proponente intellectui obiectum motivum fidei ſub ratione veri. Secundò ex Auguſtino, qui ſolum loquitur de cogitatione, qua quis *cogitat eſſe credendum*: Sed huiſmodi cogitatio eſt practica, & non ſpeculativa: Ergò ſolum loquitur de hac, & non de illa, dum aſſerit, illam non poſſe eſſe à nobis, quaſi ex nobis. Tertiò, quia ſi etiam cogitatio ſpeculativa immediatè regulans fidem deberet eſſe ſupernaturalis, etiam apprehenſiones præcedétes fidem, immò & auditiones prædicationis, & voces ipſę deberent eſſe ſupernaturales: Hoc autem eſt multiplicare entia ſupernaturalia ſine neceſsitate, quod non licèt: Ergò. Quartò, quia quamvis actus miſericordię v. g. ſit ſupernaturalis, non requiritur, quod cognitio ſpeculativa miſericordię moventis ſit ſupernaturalis, & infallibilis, ſed ſufficit naturalis, & probabilis: Ergò pariter licèt actus fidei ſit ſupernaturalis.

20. Sed contra eſt, quia propterea cognitio practica regulans piam affectionem, ſeu imperium voluntatis ad credendum eſt, & debet eſſe ſupernaturalis, quia pia affectio voluntatis eſt actus ſupernaturalis, & cognitio immediatè regulans actum ſupernaturalem debet eſſe ſupernaturalis: Sed etiam aſſenſus fidei ſalutaris eſt actus ſupernaturalis, & cognitio proponens immediatè doctrinam credendam vt a Deo revelatam, & propterea, vt dignam fide divina, eſt immediata regula illius: Ergò pari ratione hæc cognitio debet eſſe ſupernaturalis. Confirmatur: Cognitio ſpeculativè proponens intellectui veritatem Doctrinę Catholicę vt à Deo revelatam, & infallibilem, & vt dignam fide infallibili vt illi intellectus aſſentiatur, verè movet, & alicit intellectum ſub ratione veri ad credendum, ſicut cognitio practica proponens voluntati vt bonum credere, movet, & alicit voluntatem vt imperet ipſum credere; & item ipſum credere, ad quod movet cognitio illa ſpeculativa, non minus eſt ſupernaturale, quam iſtud imperare, ad quod movet cognitio practica: Sed quia cognitio practica movet, & alicit ſub ratione boni ad iſtud imperare, quod eſt ſupernaturale, eſt ſupernaturalis: Ergò quia cognitio ſpeculativa proponēs doctrinā vt divinitus revelatā movet, & alicit immediatè intellectum ſub ratione veri ad credere, quod eſt etiam ſupernaturale, eſt, & debet eſſe ſupernaturalis. Nec enim video cur cognitio movens, & aliciens immediatè ad actum voluntatis ſub ratione boni debeat proportionari cum ipſo actu voluntatis, ad quem movet, & non paritèr cognitio movens intellectum immediatè ſub ratione veri ad aliquem actum non debeat proportionari cum illo actu. Non enim eſt ad rem, quod vna ſit practica, & alia ſpeculativa, nam cognitio proponens intellectui doctrinam vt divinitus revelatam, & infallibilem, & propterea movens ipſum intellectum ſub ratione veri, non ideò dicitur ſpeculativa, quia non moveat poſitivè ad credendum, movet enim, & poſitivè movet ratione obiecti propoſiti ſub ratione veri, ſicut movet cognitio practica ratione obiecti propoſiti ſub ratione boni: Solum ergò dicitur ſpeculativa, quia movet intra lineam intellectus, & ſub ratione veritatis, non verò ſe extendendo ad voluntatem, ſeù ad aliā potentiam, quo ſolum modo cognitio eſt practica, quia intellectus ſola extenſione fit practicus: Ergò cognitio ſpeculativa, & practica,

de

PIA AFFECTIO NON SUPPLET in obiecto fidei munus determinandi quoad ſpecificationem, niſi ſolum cauſaliter.

56. VNDE non acquieſco aliquorum RR. doctrinę, qui videntur aſſerere, quod voluntas per ſuum affectum, & Imperium ſupplet defectum obiecti, & movet intellectum quoad ſpecificationem, ſi hoc intelligant immediatè, & formaliter, & non cauſaliter, vt nos explicamus. Non inquam acquieſco. Primò, quia hoc quod eſt movere quoad ſpecificationem eſt proprijſsimum intellectus, & contra naturam voluntatis, cuius ſolius proprium eſt movere quoad exercitium, vt Angelicè explicat Div. Thom. 1. 2. *quæſt.* 9. *artic.* 1. *in corpore*: Ergò nequit voluntas immediatè, & formaliter movere intellectum quoad ſpecificatorem actus.

57. Dicunt aliqui, quod ſicut intellectus poteſt ex participatione voluntatis movere quoad exercitium, vt explicat Divus Thom. 1. 2. *quæſt.* 57. *artic.* 1. *in corpore*, ita poteſt voluntas determinare, & movere quoad ſpecificationē. Sed cōtra eſt, quia ideò intellectus movet quoad exercitium per imperium ex participatione voluntatis, quia ante actum imperij præſupponitur actus voluntatis efficax ex ſe movens quoad exercitium, & ex illo intellectus in actu imperij participat virtualiter vim motivam quoad exercitium, ſeù efficaciam, quę eſt propria voluntatis. Sed ante actum pię affectionis non ſupponitur actus intellectus determinans quoad ſpecificationem, ex quo pia affectio poſsit participare motionem quoad ſpecificationem: Ergò non eſt eadem, ſed contraria ratio. Probatur minor, quia actus intellectus non determinat quoad ſpecificationem niſi ratione obiecti, quod proponit: Sed obiectum propoſitum ante piam affectionem non determinat quoad ſpecificationem, iuxta RR. nam proptereà inquiunt piam affectionem ſupplere defectum, ſeù inſufficientiam obiecti quoad ſpecificationem, quia obiectum ex ſe non determinat quoad ſpecificationem: Ergò nec actus intellectus ante piam affectionem determinat quoad ſpecificationem ad credendum. Explicatur: Pia affectio non poteſt determinate quoad ſpecificationem ſecundum quod eſt precisè actus voluntatis, quia voluntas ex proprijs ſolum habet determinare, & movere quoad exercitium: Ergò ſi determinat quoad ſpecificationem ad aſſenſum prę diſſenſu, eſt ſolum ex participatione prioris actus intellectus: Ergò ante piam affectionem iam ſupponitur actus intellectus determinans quoad ſpecificationem ad aſſenſum prę diſſenſu: Sed actus intellectus non determinat quoad ſpecificationem niſi ratione obiecti propoſiti: Ergò ſupponitur obiectum propoſitum vt determinans quoad ſpecificationem, hoc eſt, ad aſſenſum prę diſſenſu: Ergò pia affectio non ſupplet defectum obiecti quā-tum ad munus determinandi quoad ſpecificationem, ſed potius illud ſopponit cum tali munere, & ex illo participat ipſa pia affectio tale munus, ſi illud exercet. Vndè prædicta doctrina videtur implicare contradictionem, nam ſi volūtas participat ab obiecto propoſito per intellectum vim movendi quoad ſpecificationem, implicat quod ſuppleat defectum obiecti in hoc genere, quia implicat in terminis ſupplere in obiecto defectum illius muneris, quod ex ipſo obiecto participat.

58. Vrgetur: Voluntas in pia affectione, ſeù actu imperante aſſenſum, determinatur quoad ſpecificationem ab obiecto per intellectum propoſito, ſiquidem voluntas nequit ſe ipſam movere quoad ſpecificationem, vt fatentur communiter omnes: Ergò in munere determinandi quoad ſpecificationem non ſupplet voluntas defectum obiecti; ſed potius ab illo accipit talem determinationem.

59. Dices: Voluntatem determinari quoad ſpecificationem ab obiecto propoſito ſub ratione boni, & convenientis; ſed ſupplere defectum obiecti propoſiti ſub ratione veri, quia vt propoſitum ſub ratione obſcura veri non ſufficienter movet intellectum, at ſub ratione boni, & convenientis ſufficienter movet voluntatem. Vndè Div. Thom. *quæſt.* 14. *de verit. artic.* 1. *in corp.* ait: *Quod intellectus determinatur per voluntatem, quæ eligit aſſentire vni parti determinatè, & præcisè propter aliquid, quod eſt ſufficiens ad movendam voluntatem, non autem ad movendum intellectum, vt potè, quod videtur bonum, vel conveniens huic parti aſſentire. Et iſta eſt diſpoſitio credentis, vt cum aliquis credit dictis alicuius hominis, quia videtur decens, vel vtile, & ſic etiam movemur ad credendum dictis Dei, in quantum nobis repromittitur, ſi crediderimus, præmium vitæ æternæ*: Ex quo ſic argui poteſt: Obiectum motivum voluntatis, vt velit credere, eſt ſufficiens movere voluntatem, ſed obiectum propoſitum intellectoi non eſt ſufficiens movere intellectum vt credat, nam iuxta Div. Thom. *Voluntas eligit aſſentire propter aliquid quod eſt ſufficiens movere voluntatem, non autem ad movendum intellectum.* Vndè con-

cludit poſt verba relata : *Et hoc præmio movetur voluntas ad aſſentiendum his, quæ dicuntur, quamvis intellectus non moveatur per aliquid intellectum* : Ergò in eo ſenſu, in quo movetur voluntas ſufficienter à bono propoſito, nō movetur intellectus ſufficienter à vero propoſito: Sed volūtas ſolum movetur ſufficienter à bono propoſito quoad ſpecificationem, non autem quoad exercitium, quia obiectum non movet voluntatam quoad exercitium, niſi quando eſt ſummum bonum clarè propoſitum : Ergò intellectus non movetur ſufficienter ab obiecto propoſito, adhùc quoad ſpecificationem, aliàs çquè ſufficienter moveretur à vero, ac voluntas à bono, & nulla eſſet differentia aſsignata à Div. Thom.

60. Sed contra eſt, quia licèt tota iſta doctrina ſit admirabilis, & rectè probet indigentiam piç affectionis ad credendum, non ſolum quoad vſum, hoc eſt, quantum ad conſiderationem motivorum, ſeù credendorum, ſed etiam quoad aſſenſum, tamen ex illa non probatur piam affectionem immediatè, & per ſe ſupplere defectum obiecti quoad munus movendi, aut determinandi adhùc ſub ratione veri : Ergò. Probatur, quia quando Div. Thom. inquit, hominem credere propter aliquid, quod eſt ſufficiens ad movendum voluntatem, & non ad movendum intellectum, ſolum eſt ſenſus quod obiectum fidei, adhùc vt proximè propoſitum, non eſt ſufficiens ad movendum intellectum in actu ſecundo, & quoad aſſenſum, non vero quod non ſit ſufficiens ad movendum in actu primò, & quoad ſpecificationem, ſiquidem Div. Thom. ibi ſolum inquit, quod obiectum obſcurè propoſitum non eſt ſufficiens contrapoſitivè ad obiectum clarè propoſitum, & cum evidentia, ſivè quod non eſt ſufficiens, quia indiget alterius motiône, nempè voluntatis, vt moveat in actu ſecundò : Sed hoc ſalvatur, licèt ſufficienter moveat quoad ſpecificationem : Ergò ad ſalvandam mentem D. Tho. non eſt neceſſarium, quod obiectum vt proximè credibile, ſit inſufficiens quoad munus movendi quoad ſpecificationem. Minor patet, quia quamvis vt proximè credibile ſufficienter moveat quoad ſpecificationem, non movet ſufficienter abſolutè, ſiquidem vt actu moveat, pendet ex vlteriori motione, nempè quoad exercitium, ſeù quoad aſſenſum : Ergò.

61. Confirmatur : Quia non poteſt voluntas per ſuum imperium immediatè, & formaliter ſupplere defectum obiecti ſub ratione veri, niſi quia non proponitur ſufficienter ſub ratione veri, & voluntas ſupplet aliquam rationem veri per ſuum imperium : Sed hoc dici nequit, tum quia obiectum credendum proponitur, quamvis obſcurè, ſub ratione dicti à Deo, qui non mentitur, & conſequenter ſub ratione veri infallibilis, quç eſt ſufficientiſsima ratio veri ad ſpecificandum aſſenſum infallibilem; tum quia caſu, quo obiecto deficeret aliqua ratio veri, voluntas per ſuum imperium hanc non ſupplet immediatè, quia ex eo præcisè quod voluntas velit credere obiectum non redditur formaliter magis verum, nec proponitur magis ſub ratione veri : Ergò voluntas per ſuum imperium non ſupplet immediatè defectum obiecti ſub ratione veri, ſed ad ſummum cauſaliter, quatenus facit quod prævìè proponatur determinatè ſub ratione veri infallibilis, & non indifferenter ad rationem veri, vel falſi. Vrgetur : Quia ſi voluntas per ſuum imperium poſſet ſupplere in obiecto munus determinandi quod ſpecificationem, ſeù rationem veri, poſſet facere quod intellectus aſſentiret obiecto vnicè propoſito vt falſo, vel vnicè propoſito indifferenter ad verum, & falſum, ſiquidem licèt ex parte obiecti non reluceret ratio obiectiva veritatis, magis quam falſitatis, & conſequenter nec ratio magis determinans ad aſſenſum, quam ad diſſenſum, voluntas ſuo imperio immediatè hunc defectum ſuppleret : Sed hoc dici nequit, quia voluntas nequit facere quod intellectus aſſentiat falſo propoſito vt falſo, nec etiam indifferenti, quia non poteſt facere quod aſſentiat abſque ratione formali obiectiva, & ſpecificativa ipſius intellectus, ſeù abſque ratione obiectiva aſſentiendi potius quam diſſentiendi : Ergò voluntas ſuo imperio nequit ſupplere immediatè munus determinandi quoad ſpecificationem. Amplius : Implicat intellectum, adhùc ex imperio voluntatis, aſſentire obiecto propoſito, niſi propter aliquam rationem obiectivá, quç determinatè ſit ratio aſſentiendi potius quam diſſentiendi : Sed ratio obiectiva, quç determinatè ſit ratio aſſentiendi potius quam diſſentiendi, eſt ratio obiectiva determinans quoad ſpecificationem : Ergò implicat intellectum, adhùc ex imperio voluntatis, aſſentire obiecto abſque ratione obiectiva, & conſequenter abſque obiecto determinante obiectivè quoad ſpecificationem : Ergò implicat quod imperium ſuppleat per ſe in obiecto munus determinandi quoad ſpecificationem. Maior patet, quia aſſentire abſque ratione obiectiva, quç determinatè ſit ratio aſſentiendi magis quam diſſentiendi, eſt aſſentire omninò irrationaliter, & modo repugnanti intellectui, ſiquidem eſt dicere : *Credo hoc obiectum vt verum*

rum, licèt nullam rationem obiectivam habeo cur potius ſit verum, quam falſum, aut quę nec determinatè moveat ad illum credendum vt verum, potius quam ad illum reſpuendum vt falſum : Sed adhùc ex imperio voluntatis nequit intellectus hoc modo aſſentire : Ergò. Vidè *Tractat. de Conſc, quæſt. 26. præcipuè à num. 6.*

62. Denique vrgetur : Quia iuxta omnes, vt intellectus credat, debet proponi obiectum vt prudenter credibile, non vt cumque, ſed vt longè credibilior omni errore contrario, vel quod verum eſt, vt vnicè credibile infallibiliter inter omnes Sectas : Sed obiectum vt ſic propoſitum determinat ſufficienter intellectum quoad ſpecificationem : Ergò non eſt neceſſarium quod voluntas immediatè per imperium ſuppleat defectum obiecti quoad muuus determinandi ſufficienter quoad ſpecificationem. Minor probatur : Quia obiectum ita propoſitum, quod non poſsit terminare alium actum intellectus niſi aſſenſum fidei, determinat quoad ſpecificationem ad aſſenſum, licèt non determinet intellectū quoad exercitium, quia poteſt tam aſſenſum, quam diſſenſum ſuſpendere : Sed obiectum fidei propoſitum vt credibile vnicè, & infallibiliter inter omnes Sectas, non poteſt terminare alium actum intellectus, niſi aſſenſum fidei: Ergò determinat ſufficienter quoad ſpecificationem. Probatur minor, quia nequit terminare diſſenſum, ſiquidem diſſenſus ſolum terminatur ab obiectum propoſitum vt falſum, ſeù vt diſcredibile, implicat autem quod terminetur ab obiectum ſub ratione veri, & vnicè credibilis: Nec etiam poteſt terminare dubium poſitivum, quia hoc terminatur ab obiectum vt indifferenter apparens credibile, vel diſcredibile, verum, & falſum, non autem ad obiectum vt vnicè verum, & credibile : Nec item actum opinionis, quia hic terminatur ad verum propoſitum vt verum fallibile, & opinabile, non vero ad verum vt infallibile, & infallibiliter credibile : Nec demum actum fidei humanę propter ſimilem rationem : Ergò obiectum fidei propoſitum vt credibile vnicè, & infallibiliter propter authoritatem Dei, nequit terminare alium actum intellectus niſi aſſenſum fidei divinę : Ergò determinat ſufficienter quoad ſpecificationem.

63. Nec obſtat, quod maneat intellectus indifferens ad ſuſpenſionem iudicij, quia ſuſpenſio iudicij non eſt actus intellectus, ſed pura carentia actus, & exercitij, & ſic indifferentia ad ipſam ſolum eſt indifferentia quoad exercitium, non autem quoad ſpecificationem, niſi forſan accipias illam ſuſpenſionem vt poſitivè voluntariam, quia hoc pacto importat actum poſitivum, ſed non intellectus, ſed ſolius voluntatis, vndè ſolum probatur, quod propoſito obiecto fidei vt proximè credibili infallibiliter, maneat indifferentia voluntatis quoad ſpecificationem ad actus contrarios, nempè ad aſſenſum voluntarium, & ad voluntariam ſuſpenſionem iudicij, ſeù ad imperia contraria, & ſpecie diſtincta, vt ſunt volitio, vel nollitio aſſenſus, non autem quod intellectus maneat proximè indifferens ad actus intellectus contrarios erga obiectum ſic propoſitum.

64. Vndè ad obiectionem factam ex Div. Thom. *num. 59.* reſpondeo, conceſſa prima conſequentia, & ſimiliter ſecunda, diſtinguendo minorem ſubſumptam : Sed voluntas ſolum movetur ſufficienter à bono propoſito quoad ſpecificationem, & motio quoad ſpecificationem eſt ſufficiens abſolutè reſpectu voluntatis, non autem reſpectu intellectus; concedo minorem : Et motio quoad ſpecificationem eſt ęquè ſufficiens, vel inſufficiens reſpectu voluntatis, ac reſpectu intellectus, nego minorem, & conſequentiam. Itaque concedo, quod bonum finitum propoſitum voluntati, & quamvis ſit infinitum, ſi proponatur obſcurè, ſolum determinat voluntatem quoad ſpecificationem, cæterum hæc motio quoad ſpecificationem eſt ſufficiens reſpectu voluntatis, quia cum voluntas ex ſe habeat movere quoad exercitium, ſuppoſita motione quoad ſpecificationem, nulla alia motione extranea indiget, vt moveatur, ſed poteſt, independenter ab alio movente, immediatè moveri ab obiecto (independenter inquam ab alio movente intra ſphæram cauſę ſecundę) attamen motio quoad ſpecificationem reſpectu intellectus non eſt abſolutè ſufficiens, quia cum intellectus non habeat ſe movere quoad exercitium, adhùc poſita motione quoad ſpecificationem, eget altera motione, quam ex ſe non habet, nempè motione quoad exercitium, quam ſolum habere poteſt à voluntate. Vndè rectiſsimè dixit Div. Thom. quod credens credit propter aliquid, quod licèt non ſit ſufficiens movere intellectum, eſt ſufficiens movere voluntatem, quia videlicèt verum obſcurè propoſitum non eſt ſufficiens abſolutè movere intellectum abſque voluntate movente quoad exercitium; at convenientia, vel bonitas propoſita voluntati in credendo eſt ſufficiens movere voluntatem abſque alio movente ipſam, quia ipſa ſe movet quoad exercitium. Vndè verum obſcurè propoſitum non movet ſuffici-

cien-

nam illius, qoia hæc ſolum poteſt cognoſci certo, & infallibiliter per fidem divinam, vt ſatis conſtat *ex diſput. præced. quæſt. 3.* Si verò dicatur ſecundum, nempè, quod motivum credibilitatis, de quo debet præcedere iudicium ante fidem, eſt authoritas Eccleſię, vel hoc intelligitur de authoritate viſibili, vt humana, viſibili, & ſenſibili; & ſic fateor, quod ante fidem poteſt præcedere iudicium evidens, & omnino certum de authoritate illius viſibili; ſed hoc iudicium eſt purè naturale, & minimè ſufficit ad proximè regulandum aſſenſum fidei. Vel intelligitur, (vt debet intelligi, vt poſitivè condoceat ad actum fidei) de authoritate divina Eccleſię inviſibiliter in ea reſidente; & de hac authoritate divina, & occulta Eccleſię nequit dari iudicium evidens, aut infallibile ante fidem divinam de illa, quia hæc authoritas eſt vnum ex myſteris, quod ſolum per fidem divinam infallibiliter cognoſci poteſt: Ergò nullum eſt iudicium de motivis, aot motivo aliquo credibilitatis, quod prętequiratur vt regula proxima actus fidei divinę. Ex quo.

QVARTA CONCLVSIO.

38. DICO quarto: *Cognitio proximè regulativa actus fidei non eſt iudicium aliquod ſpeculativum, ſed ſola apprehenſio ſuaſiva revelationis, & myſterij, habita, ſeù reſultans ex conſideratione motivorum, vel alicuius motivi credibilitatis; quę apprehenſio ſuaſiva dici poteſt practicè, & in actu exercita iudicium credibilitatis.* Hæc concluſio colligitur ex præcedentibus, & eſt vnicus modus componendi regulationem eſſentialem fidei ex parte intellectus. Et quoad primam partem patet, quia proximum, & eſſentiale regulativum fidei non eſt iudicium ſpeculativum de exiſtentia revelationis, nec quod ſit certum moraliter, vt oſtendimus in ptima concluſione; nec quod ſit evidens, & certum metaphyſicè, quia ante fidem non præcedit evidentia prædicta de exiſtentia revelationis: Aliundè nec eſt iudicium ſpeculativum, & ſignatum de credibilitate, aut de motivis credibilitatis, vt etiam oſtenſom manet, nec eſt aliud iudicium excogitabile ſpeculativum, quod poſsit regulare fidem: Ergò nullum iudicium ſpeculativum regulat proximè fidem.

39. Reſtat ergò, quod cognitio regulans proximè fidem, ſeù quę immediatè proponit motivum formale credendi, id eſt, divinam revelationem infallibilem, ſit apprehenſio ſuaſiva revelationis, & myſterij credendi propter ipſam. Dices forſan, eſſe medium inter iudicium ſpeculativum, & apprehenſionem ſuaſivam, nempè iudicium practicum credibilitatis. Sed contra eſt, quia in primis iudiciom propriè practicum ſolum eſt illud, quod regulat voluntatem, aut aliam potentiam activam diſtinctam ab intellectu, quia ſola extenſio ad opus facit intellectum eſſe propriè practicom: Sed in præſenti ſolum loquimur de cognitione regulativa intellectus immediatè vt credat, ſeù quę proponat immediatè intellectui obiectum motivum, & terminativum credendi ſub ratione veri intra ſphæram intellectus: Ergò talis cognitio non poteſt eſſe propriè iudicium practicum. Deindè nec poteſt eſſe propriè iudicium, quia vt ſit propriè iudicium, debet propriè, & ſignatè aliquid affirmare, vel negare: Rogo autem, quid propriè, & ſignatè affimat? Si dicas, quod propriè, & ſignatè affirmat credibilitatem, ſeù obiectum eſſe credibile; in primis convincitur eſſe iudicium reflexum, & ſpeculativom, quia hoc ſignatè affirmari nequit, niſi per reflexionem, & ſpeculativè: Deindè iam oſtenſum manet, quod iudicium propriè, & ſignatè iudicans, ſeù affirmans credibilitatem, non poteſt eſſe regula proxima credendi, nec requiſitom oeceſſario ad credendum. Si autem dicas, quod in actu exercito affirmat credibilitatem, & ob hoc dicitur iudicium practicum credibilitatis; non ſatisfacis, nam rogo: Quid affirmat ſignatè, ſeù ex parte obiecti ſignatè attactū? Si dicas, ſignatè affirmare exiſtentiam revelationis, ſeù obiectum eſſe revelatum; iam eſt iudicium ſpeculativum de exiſtentia revelationis, vt per ſe patet; quod quidem non poſſe regulare proximè actum fidei iam probavimus. Si aotem dicas, quod nihil ſignatè affirmat: Ergò non eſt propriè iudicium, ſed apprehenſio ſuaſiva: Ergò in ordine ad regulandum immediatè actum fidei oon aſsignatur medium inter iudicium ſpeculativum, & apprehenſionem ſoaſivam.

40. Explicatur: Cognitio, quę nec negat, nec affirmat ſuum obiectū ſignatè repræſentatū non eſt propriè iudicium, ſed apprehenſio: Sed cognitio immediatè regulans actum fidei, non affirmat, oec negat obiectum ſignatè repræſentatum: Ergò noo eſt propriè iudicium, ſed propriè ſolum eſt apprehenſio. Probo minorem, qoia talis cognitio ſolum repræſentat ſignatè intellectui revelationem, & rem revelatam, ſeù myſterium vt revelatum, vt ſuprà probabam, *num.* 27. Sed talis cognitio non affirmat ſignatè myſterium vt revelatum, nec exiſtentiam revelationis, quia hoc non affirmat ſignatè intellectus, nec iudicat propriè ante fidem, ſeù antequam credat, quia antequam cre-

das

dat,eſt indeciſuà intellectus,an myſterium illud ſit, vel non ſit vt ſignatè revelatum : Ergò talis cognitio non affirmat, nec negat obiectum ſignatè repræſentatum.

41. Confirmatur primo, quia cognitio proximè regulans actum fidei, proponit obiectum intellectui cum indifferentia vt intellectus illi aſſentiat, vel ſuſpendat iudicium, ſiquidem proponit obiectum vt credibile, non neceſsitando ad illius aſſenſum, vt ſatis conſtat ex ſupradictis : Sed ſi eſſet propriè iudicium de tali obiecto, non proponeret illud intellectui cum indifferentia ad aſſentiendum illi, vel ad ſuſpendendum iudicium de illo, vt per ſe patet : Ergò non eſt iudicium de tali obiecto, quod proponit : Ergò eſt propriè apprehenſio, licèt ſuaſiva. Vrgetur hæc ratio, mihi quidem ſatis efficax : Nam cognitio immediatè regulans fidem eſt cognitio proponens immediatè intellectui ipſummet obiectum fidei vt in actu exercito proximè credibile, vt illud in actu ſecundo credat, ſi velit, vel ſi nolit, non credat, ſed ſuſpendat iudicium de illo : Sed huiuſmodi cognitio implicat, quod per ſe ipſam ſit iudicium de illo obiecto, quod proponit : Ergò ſolum eſt apprehenſio de illo. Probo minorem, quia idem eſt proponere intellectui aliquod obiectum in actu exercito vt proximè credibile, ſivè vt illud credat, ſi velit, vel ſuſpendat iudicium, ac illud proponere, vt proximè iudicabile, vt illud iudicet, ſi velit, vel ſi nolit, ſuſpendat iudicium, quia obiectum vt proximè credibile, eſt proximè iudicabile, ſicut actu credere ipſum eſt ipſummet actu iudicare : Sed implicat quod cognitio proponens obiectum in actu exercito vt proximè iudicabile, vt illud iudicet intellectus, ſi velit, vel ſi nolit, ſuſpendat iudicium, ſit propriè iudicium de illo obiecto, quia iam non proponeret obiectum vt iudicabile, ſed vt iudicatum : Ergò.

42. Explicatur amplius : Nam illa cognitio, in quantum eſt regula actus fidei, nec iudicat id ipſum quod proponit credendum, nec aliud diverſum : Ergò nihil iudicat : Ergò eſt ſolum apprehenſio. Antecedens quoad primam partem patet, quia implicat quod iudicet id ipſum, quod proponit iudicandum, illud autem quod proponit credendum proponit vt iudicandum, quia credere eſt iudicare. Quoad ſecundam autem etiam probatur, in primis, quia caſu quo iudicet aliud diverſum ab eo quod proponit credendum; hoc non ſpectat ad rationem regulę credendi, ſiquidem regula credendi proxima ſolum eſt talis in quantum proponit, aut repræſentat quid credendum ſit, non verò in quantum repræſentat, aut iudicat, quod credendum non eſt. Deindè rogo : Quid eſt illud diverſum, quod iudicat?

43. Dices, illud eſſe motivum credendi, quia cognitio regulans fidem debet quidem proponere duo, & motivum credendi, nempè teſtimonium dicentis, & obiectum credendum; obiectum credendum proponere nequit iudicando ipſum, vt rectè probat noſtrum argumentum; at motivum credendi debet proponere iudicando ipſum, ſeù ipſum affirmativè cognoſcendo, vt patet in fide humana, quę, vt credat, exigit, quod teſtimoniū dicentis, quod eſt motivum credendi, prius iudicetur, at obiectum credendum proponitur, vt proximè credibile. Sed contra eſt, quia reſpectu fidei divinę, non ſolum Myſterium, ſed motivum credendi, nempè divina revelatio, proponitur vt quid credendum : Sed iuxta ſolutionem, quod proponitur vt credendum non poteſt proponi vt iudicatum, ſeù per iudicium, ſed ſolum apprehenſivè, ſeù per apprehenſionem : Ergò reſpectu fidei divinę, non ſolum res credenda, ſed motivum credendi, nempè divina revelatio, debet proponi per apprehenſionem. Minor probatur, quia reſpectu fidei divinę ęquè obſcurum eſt, & ęquè credibile Deum revelaſſe Myſterium, ac ipſum Myſterium credendum, ęqueque cognoſci nequit certò, & infallibiliter revelatio Myſterij, niſi per fidem, ac ipſum Myſterium : Ergò ęquè proponi debet vt quid credendum revelatio, quę eſt motivum credendi, ac Myſterium credendum vt *quod*. Explicatur : Ideò reſpectu fidei humanę motivum credendi, nempè teſtimonium dicentis, & eius authoritas debet proponi, ſeù proponitur per iudicium, quia aliundè poteſt ſupponi iudicativè præcognitum cum ęquali vel maiori certitudine, quam per ipſam fidem humanam : Sed motivum credendi fide divina non poteſt ſupponi ante fidem divinam aliundè iudicativè præcognitum cum ęquali, vel maiori certitudine, quam per fidem divinam : Ergò non debet ſupponi vt aliundè iudicativè præcognitum. Confirmatur, quia non ſolum teſtimonium humanum eſt motivum fidei humanę, ſed eius authoritas, & fidedignitas : Sed licèt teſtimonium ipſum prius iudicativè præcognoſcatur, quia nimirum prius evidenter auditur, tamen eius authoritas, aut fidedignitas non debet iudicativè præcognoſci ante fidem humanam : Ergò adhùc reſpectu fidei humanę non eſt de ratione ipſius quod motivum eius formale prius iudicativè præcognoſcatur, & conſequenter nec reſpectu fidei divinę. Probatur minor, quia vt quis credat dictis alterius

opus

opus non eſt quod prius iudicet ſignatè, ipſum eſſe hominem fidedignum, & authoritatis in dicendo, & teſtificando, ſed ſatis eſt, quod illum apprehendat ſuaſivè vt talem, & quod credendo illi, in actu exercito eredat, & iudicet per ipſam fidem ipſum eſſe fidedignum, & authoritatis in dicendo, vt ſatis probavi ſuprà, *diſputat.* 1. *quæſt.* 13. *num.* 26. Ergò. Videantur ibi dicta præſertim *à num.* 9. vſque *ad* 32.

44. Secundò probatur concluſio: Quia cognitio proximè regulativa actus fidei debet eſſe ſupernaturalis, vt ſatis probatum relinquimus: Sed nequit eſſe iudicium ſupernaturale: Ergò debet eſſe apprehenſio ſupernaturalis. Probatur minor: Iudicium ſupernaturale eſt metaphyſicè infallibile titulo ſupernaturalitatis, vt eſt communis Sententia Theologorum: Sed nequit eſſe iudicium metaphyſicè infallibile: Ergò nec ſupernaturale. Minorem probo, quia nec poteſt eſſe iudicium metaphyſicè infallibile de re credenda, vt per ſe patet, quia ante fidem non debet, immò nec poteſt quis infallibiliter iudicare id ipſum, quod credendum proponitur. Deindè nec de motivo credendi, nempè de revelatione vt infallibili, quia ante fidem non eſt lumen per quod intellectus iudicet infallibiliter Deum revelaſſe Myſterium, præſertim quando non datur evidentia in atteſtante, ſicut regulariter non datur: Demùm nec de credibilitate ſignatè iudicata, vt conſtat ex tertia concluſione: Ergò. Explicatur: Ante fidem theologicam non præcedit in intellectu lumen iudicativum ſupernaturale? Ergò ante actum fidei, præſertim primum, non præcedit ordine naturę iudicium ſupernaturale, ſiquidem illud iudicium deberet procedere à lumine ſupernaturali iudicativo ante fidem præſuppoſito. Probo antecedens, quia ante fidem non præcedit ordine naturę lumen ſupernaturale iudicativum evidenter: Deindè nec lumen iudicativum obſcurè: Ergò nullum præcedit lumen ſupernaturale iudicativum. Quod non præcedat lumen iudicativum obſcurè, patet, quia lumen ſupernaturale iudicativum obſcurè non eſt aliud niſi fides infuſa: Sed ante fidem infuſam, non præcedit fides infuſa: Ergò nec lumen ſupernaturale iudicativum obſcurè. Quod autem nec lumen iudicativum evidenter, etiam patet, quia hoc aliud eſſe nequit, niſi ſcientia infuſa: Sed ordine naturę non præcedit ante fidem ſcientia infuſa: Ergò nec lumen iudicativum evidenter.

45. Tertio probatur concluſio, quia ſi regulatur actus fidei per iudicium prævium, & ſignatum, vel de revelatione infallibili, vel de credibilitate, difficilè admodum explicabitur, quomodo aſſenſus fidei ſit intrinſecè, & immediatè obſequioſus, & egens pia affectione; attamen ſi reguletur apprehenſione ſuaſiva, id optimè explicatur: Ergò hac, & non illo regulatur. Probatur antecedens quoad primam partem, quia in primis, ſi reguletur iudicio de revelatione infallibili, ex vi illius, ſeù illo ſuppoſito, nullum fit obſequium authoritati divinę, credendo, quod prævie iam iudicatur infallibiliter revelatum, vt probabam *diſput.* 1. *quæſt.* 13. *num.* 23. & in hac *diſput. quæſt.* 3. *num.* 9. Deindè nec intellectus manet cum ſufficienti indifferentia, vt egeat pia affectione, ſi obiectum fidei proponatur per tale iudicium, vt probabam *ſuprà à num.* 7. quia ex vi talis iudicij prævij intellectus convincitur, & neceſſitatur ad aſſenſum; ſi autem reguletur iudicio de credibilitate evidenti, ſeù prudenti, etiam difficilè iſta explicantur, quia ex ſuppoſitione quod quis iudicet evidenter Myſterium, vel Articulum eſſe prudenter credibile, præſertim credibilitate divina, ex veris miraculis, aut ſignis ſupernis patratis in confirmationem talis Myſterij, vel Articuli, parum, vel nullū obſequium fit conſequenter ad tale iudicium, credendo illud Myſterium, vel Articulum, nam vel ipſi hæretici, ſi ſemèl iudicarent, Articulum præſentię Corporis Chriſti in Sacramento eſſe evidenter credibilem ex ſignis, aut miraculis verè à Deo patratis in confirmationem illius, à fortiori talem Articulum crederent; & ſanè nullum vidimus iudicantē noſtram Doctrinam Catholicam Romanam eſſe prudenter credibilem ex ſignis ſupernis factis in confirmationem illius doctrinę, qui adhùc maneret anceps, & ſuſpenſus, aut indifferens ad credendam, vel non credendam noſtram doctrinam: Ergò ſignum eſt, quod iudicium evidens credibilitatis prudentis non relinqueret indifferentem intellectum ad credendum, vel non credendum, ita vt egeret pia, affectione, ſeù imperio ad credendum.

46. Explicatur: Cognitio regulativa actus fidei, de qua loquimur, debet conſtituere libertatem proximam ad credēdum, vel non credendum, ſiquidem debet proponere obiectum credibile cum indifferentia, vt ſuprà dicebamus: Sed iudicium ſignatè affirmans Doctrinam Catholicam eſſe evidenter credibilem ex ſignis, & miraculis à Deo patratis in confirmationem talis doctrinę, nequit conſtituere, vel ſaltèm regulariter non conſtituit libertatem proximam credendi, vel non credendi: Ergò nec eſt cognitio regulativa actus fidei.

dei. Probo minorem, quia ſæpè hæretici, & alij infideles habent libertatem proximam credendi noſtrę fidei, præſertim dum divinis inſpirationibus ſuadentur vt credant, quamvis talibus inſpirationibus reluctantes, nolint credere : Et tamen non habent iudicium, quo ſignatè affirmant doctrinam, quam nolunt credere, eſſe evidenter credibilem ex ſignis, & miraculis à Deo patratis : Ergò libertas credendi, vel non credendi non conſtituitur tali iudicio. Vrgetur, quia totus labor Catholicorum, dum hæreticos, vel infideles conantur convertere, impenditur in perſuadendo ipſis quod noſtra ſola doctrina eſt à Deo revelata, & confirmata miraculis, & portentis, & ſic ſola ipſa eſt, quę debet credi vt talis, & dum modo hoc perſuadeatur, nihil reſtat laboris, aut difficultatis, ſed totum negotium concluſum eſt, & tota difficultas victa manet, ſi nempè id ſignatè iudicent ita eſſe : Sed hoc falſum eſſet, ſi illud iudicium eſſet indifferens, vt crederent, vel non crederent, & conſtitueret libertatem proximam, & indifferentem ad credendum, vel non credendum, quia dici nequit, quod totus labor, & conatus eſt in eo quod habeant libertatem indifferentem credendi, vel non credendi, & quod hac conſequuta, in ipſis tota difficultas eſt victa, & negotium concluſum : Ergò falſum eſt, quod iudicium, quo quis ſignatè iudicet noſtram doctrinam eſſe revelatam, & confirmatam à Deo ſignis, & portentis, ſeù ex illis evidenter credibilem, conſtituit libertatem credendi, & non credendi, ſeù quod eſt iudicium indifferens.

47. Nec valet reſpondere, quod infideles abijciunt, vel non admittunt iudicium de revelatione, aut de credibilitate evidenti ex ſignis, & portentis, non quia ſtante tali iudicio, adhùc non poſſent diſcredere, aut non credere, ſed ne arguantur imprudentię, quia eſſet manifeſta imprudentia non credere, ſuppoſito dicto iudicio. Ita in præſenti Ferreras. Sed contra eſt, quia non ſolum eſſet manifeſta imprudentia, ſed manifeſta ſtultitas, cuius eſt incapax homo rationis compos, nempè concedere, ſeù certo iudicare doctrinam eſſe à Deo infallibiliter revelatam, & conteſtatam veris miraculis, & portentis, & nihilòminus illi non credere, ſed diſſentire vt falſę : Ergò ſi non admittunt tale iudicium, non ſolum eſt, quia ex illo titulo prudentię obligarentur credere, ſed quia evidenter cogerentur ad credendum, ſeù aſſentiendum veritati doctrinę abſque libertate diſcredendi, aut ſuſpendendi iudicium : Ergò tale iudicium non relinquit libertatem veram credendi, & non credendi, ſeù diſcredendi. Vrgetur. Per te eſſet manifeſta imprudentia diſcredere, ſuppoſito tali iudicio : Ergò ſuppoſito tali iudicio, nequit hæreticus diſcredere, niſi imprudenter imprudentia ſibi manifeſta : Sed repugnat hoc modo diſcredere : Ergò nullo modo maneret hæreticus potens diſcredere; & conſequenter, nec liber, & indifferens. Probo minorem ſubſumptam : Repugnat aliquem diſcredere, niſi exiſtimando doctrinam, cui diſcredit, eſſe falſam : Sed exiſtimando doctrinam, cui diſcredit, eſſe falſam, non poteſt manifeſtè cognoſcere ſe imprudenter diſcredere, quia ſi exiſtimat doctrinam eſſe falſam, potius iudicabit eſſe prudentiam illi diſcredere, cum evidenter ſit prudentia diſcredere doctrinę falſę : Ergò repugnat diſcredere imprudenter imprudentia ſibi manifeſta, ſeù cognoſcendo manifeſtè ſe imprudenter diſcredere. Explicatur : In intellectu ſpeculativo nequit eſſe ſcienter imprudens diſſenſus, niſi quatenus diſſentitur vero, aut exiſtimato vero, ſiquidem diſſentire falſo, à nullo exiſtimatur imprudentia, vndè ſi hæreticus manifeſtè cognoſceret eſſe imprudentiam diſſentire doctrinę, ſuppoſito iudicio de revelatione illius, ideò eſſet, quia convinceretur talem doctrinam eſſe veram, nec enim aliter convinci poſſet de imprudentia diſſenſus, niſi convictus de veritate doctrinę, cui diſſentiret : Sed convictus de veritate doctrinę implicat, quod illi mentaliter, & re ipſa diſſentiat; quia diſſenſus eſt iudicium de doctrina, illam reſpuendo, aut mentaliter negando vt falſam, & implicat quod hæreticus convictus de veritate doctrinę illam mentaliter iudicet falſam : Ergò implicat in terminis quod hæreticus convictus de imprudentia diſſenſus re ipſa mentaliter diſſentiat. Immò, ſi eſſet convictus de imprudentia diſſenſus, iam non hæreticè, ſed Catholicè ſentiret de noſtra doctrina, ſiquidem ſentiret eſſe manifeſtam imprudentiam illi diſſentire : Ergò implicat hæreticum diſſentire noſtrę fidei cum imprudentia ſibi manifeſta, ſeù convictus de imprudentia diſſenſus : Sed per te, ſuppoſito iudicio evidentis credibilitatis, aut de revelatione doctrinę, convictus eſſet, & cognoſceret manifeſtè eſſe imprudentiam illi diſſentire: Ergò implicat quod ſuppoſito tali iudicio diſſentiat : Ergò eo ſuppoſito non maner indifferens ad diſſenſum. Mitto, quod in intellectu ſpeculativo repugnat imprudentia propriè ſumpta, hoc eſt iudicium ſpeculativum contra dictamen actuale prudentię dictantis oppoſitum eſſe iudicandum, ſicut etiam repugnat prudentia propriè dicta determinans intellec-

tum

tum, quoad aſſenſum; non enim datur in intellectu ſpeculativo alia prudentia, vel imprudentia, quam conſideratio, vel defectus conſiderationis debitę; tunc enim prudẽter iudicat, quando ex debita conſideratione iudicat, tunc autem imprudenter, quando ſine debita conſideratione iudicat; implicat autem, quod poſt debitam conſiderationem inveniat intellectus DoctrinamCatholicam ſolam eſſe credendam, & à Deo revelatam, & quod in ſenſu compoſito illi diſſentiat, nec prudenter, nec imprudenter.

48. Iam probatur ſecunda pars primi antecedentis, nempè, quod ſi reguletur actus fidei apprehenſione ſuaſiva, rectè explicatur libertas, & indifferentia in credendo, & indigentia pię affectionis, ſeù imperij voluntaris. Siquidem, apprehenſio revelationis, & myſterij vt revelati, quantumvis ſuaſiva, non determinat efficaciter intellectum quoad aſſenſum, quamvis illum incliner, & moveat; ſtat enim alicui proponi apprehenſivè, & ſuaſivè myſterium vt revelatum, & nihilominus illum non credere, nec iudicare revelatum, & conſequenter illi non credere, & ratio eſt, quia quando obiectum ſuaſivè apprehenſum non eſt evidens ex apprehenſione terminorum, ex apprehenſione terminorum non convincitur intellectus ad aſſenſum illius, licèt ſuadeatur in actu primo, & moveatur obiectivè: Sed doctrinam eſſe revelatam non eſt evidens ex apprehenſione terminorum, vt per ſe patet, ſed quid inevidens, & obſcurum: Ergò quamvis ſuaſivè apprehendatur doctrina vt revelata, ex hac apprehenſione non convincitur, nec neceſſitatur intellectus ad aſſenſum, ſed manet indifferens, & conſequenter egens pia affectione.

49. Item, hoc pacto etiam explicatur facilè, qualiter cognitio regulativa fidei ſit ſupernaturalis, quia vt ſuprà explicavimus, negari nequit, Deum per ſuam illuſtrationem internam, & gratiam excitantem immitere mentibus audientium prædicationem evangelicam, apprehenſiones ſupernaturales ſuaſivas doctrinę vt ab ipſo revelatę; vi quarum Deus facit in ipſis, ſine ipſis, quod doctrina evangelica proponatur eis vt revelata, vera, & credibilis, excitando, & ſuadendo mentem, vt illi credat; attamen huiuſmodi gratia excitans difficillimè explicatur per iudicium propriè tale, ſivè de revelatione doctrinę, ſivè de evidenti credibilitate; tum quia gratia excitans ſit in nobis ſine nobis libere concurrentibus: Difficilè autem explicabitur iudicium ſignatum, & proprium de revelatione doctrinę ſine nobis liberè ad tale iudicium concurrentibus, quia cum doctrinam eſſe revelatam ſit quid obſcurum, & inevidens, nequit intellectus illi neceſſario aſſentiri, aut illud neceſſario iudicare; ſed ſolum libere ex imperio voluntatis. Si tamen tale iudicium ponatur de credibilitate, non minor eſt difficultas, quomodo poſſit eſſe ſupernaturale; & in nobis ſine nobis, quia ſi eſt de credibilitate naturaliter evidenti ex ſenſibili, & viſibili apparentia motivorum, non erit iudicium ſupernaturale: Si autem eſt de credibilitate ſupernaturali ex ſignis, & motivis vt ſupernaturalibus, eſſe nequit iudicium evidens, cum huiuſmodi credibilitas non ſit evidens, ſed obſcura; debet ergò tale iudicium pendere à libero imperio voluntatis, & non erit in nobis ſinè nobis libere concurrentibus.

50. Rurſus per hanc apprehenſionem ſupernaturalem ſuaſivam facilè explicatur, quomodo regula proxima fidei infallibilis ſit in proponendo, ſiquidem talis apprehenſio ſuaſiva, vtpotè ſupernaturalis, & à Deo Authore ſupernaturali procedẽs, infallibilis eſt in proponendo, & ſuadendo, nequitque, adhùc metaphyſicè loquendo, proponere, aut ſuadere falſum; ac proindè in proponendo, & regulando eſt intrinſecè infallibilis, ad diſtinctionem aliarum apprehenſionum naturalium, quę ſolent eſſe ſuaſivę obiecti falſi, & proponere falſum ſub ratione veri; licèt enim omnis apprehenſio in ſe, & formaliter nec poſſit eſſe falſa, nec vera, quia nihil affirmat, aut negat, & in hoc ſenſu omnis apprehenſio ſit negativè infallibilis, tamen in proponendo, & regulando, & ſuadendo poteſt apprehenſio eſſe prava, ſeù fallax, vel recta, & verax, & in hoc ſenſu dicimus, quod apprehenſio ſupernaturalis proximè regulativa fidei eſt infallibilis in regulando, & proponendo, ad diſtinctionem apprehenſionum naturalium: Et quod dentur huiuſmodi apprehenſiones ſuaſivè, quę in proponendo, & ſuadendo poſſunt eſſe rectę, vel pravę, verę, vel falſę, videtur innegabile, tum quia dantur apprehenſiones rerum vt ſunt in ſe, & rerum aliter ac ſunt in ſe, apprehenſiones; quę verum apprehendunt ſub ratione veri, & quę falſum etiam apprehendunt ſub ratione veri, vel è contra verum ſub ratione falſi; tum quia verum, vel falſitas in iudicando regulariter provenit ex rectitudine, vel pravitate in apprehendendo, vt aſſerunt metaphyſici; quod falſum eſſet; niſi ad iudicium præcederet apprehenſio verè, vel falſo ſuaſiva obiecti iudicandi; poteſt ergò apprehenſio ſupernaturalis eſſe infallibilis ſuaſivè, in proponendo, & regulando fidem. Cæterum ſi eſſet in-

iudicium difficillimè explicatur, quomodo ante fidem poſſit eſſe infallibile, vt ex dictis conſtat. Ex quo tandem concludo cognitionem proximè regulativam fidei ponendam eſſe in tali apprehenſione ſupernaturali ſuaſiva, & non in iudicio propriè dicto.

51. Dixi propriè dicto, quia apprehenſio ſuaſiva benè poteſt dici impropriè, & ſecundum quid iudicium practicum credibilitatis; quia ea parte, qua ſuaſiva eſt, quaſi practicè dicit, & affirmat obiectum eſſe credibile, ſiquidem in actu exercito illud vt credibile proponit ipſi intellectui, licèt ſpeculativè, aut ſignatè nihil affirmet, aut iudicet, ſed ſolum apprehendat; ideoque licèt propriè loquendo ſolum ſit apprehenſio, dixi in concluſione, poſſe appellari iudicium practicum credibilitatis, & forſan ita illam appellaverim aliquando in præcedentibus, & appellabo in ſequentibus, ſervato tamen vero ſenſu, quod nempè propriè loquendo ſolum ſit apprehenſio ſuaſiva, quia cum pluribus eſt loquendum, ſentiendū verò cum paucioribus.

52. Dixi item in concluſione, regulativam cognitionem fidei eſſe apprehenſionem ſuaſivam, non quamliber, ſed quę reſultat ex debita conſideratione motivorum credibilitatis, ſemper enim requiro aliquam conſiderationem motivorum credibilitatis, qua motiva credibilitatis lumine ſuperno conſiderentur, & inſpiciantur, ex qua ſtatim reſultat apprehenſio etiam ſupernaturalis doctrinę vt verè à Deo revelatę, ex vi cuius proponitur in actu exercito vt firmiter credenda, ſeù credibilis fide divina. Et in hoc ſigno eſt, in quo datur illa *evidens credibilitas poſitiva, proxima, & completa per fidem determinatè divinam, non quidem evidens reflexè, & ſpeculativè, ſed ſolum evidens in actu exercito, & practicè*; quam aſſervimus ſuprà, *diſput.* 4. *quæſt.* 4. *num.* 12. quam credibilitatem attingit evidenter in actu exercito, licèt obſcurè in actu ſignato, fides ipſa infuſa, & divina, vt ibidem oſtendimus, & amplius inſtà explicabo.

53. Demum, per hanc apprehenſionem ſuaſivam etiam facilè explicatur, quomodo pueri, ſimplices, & ruſtici, habeant ſufficientem cognitionem credibilitatis, vt credant fide infuſa, quia hæc apprehenſio ſuaſiva, ſeù iudicium practicum credibilitatis in actu exercito attactę illis prompta eſt ex illuminatione ſuperna, & ſimplici attentione, ſeù conſideratione authoritatis Eccleſię, quę eſt præcipuum motivum credibilitatis, quia ad hanc non requiritur laborioſus diſcurſus, quo Sapientes vtuntur ad demonſtrandam credibilitatem noſtrę fidei ex omnibus motivis credibilitatis. Aliter autem difficilè explicatur, qualiter poſſint formare iudicium evidens de credibilitate ſignatè ſumpta, aut certum moraliter de exiſtentia revelationis ex prædictis motivis, quia hoc requirit diſcurſum valdè operoſum, & plures notitias hiſtoriales, & traditiones, quas illi penitus ignorant; vndè plures Theologi dixerunt, quod in illis non eſt neceſſarium ad credendum fide divina, iudicium evidens credibilitatis ſignatę, licèt illud neceſſarium exiſtiment in Sapientibus. Verumtamen inconſequenter in hoc procedunt, quia regula proxima, & interna fidei infuſę eadem debet eſſe in omnibus Fidelibus, ſicut eſt eadem regula viſibilis, & externa, & eadem fides: Vndè ſi in ſimplicibus eſt regula apprehenſio ſuaſiva explicata; cur non in alijs?

54. Inquiunt alij, quod evidentia credibilitatis ſignata, & ſpeculativa, eſt neceſſaria pro toto corpore Eccleſię, non vero pro ſingulis credentibus. Quibus ex parte conſentio, ſi nimirum illam evidentiam requirant in corpore Eccleſię, non pro regula proximà credendi, ſed pro fide defenſanda adverſus infideles, & pro illis perſuadendis vt relinquant ſuas Sectas, & pro alijs vtilitatibus explicatis, ſuprà, *diſput.* 4. *quæſt.* 4. *à num.* 16.

SOLVUNTUR OBIECTA.

55. OBIICIES primò, quod ferè omnes Theologi RR. tam ex Thomiſtis, quam ex Ieſuitis, inquiunt, regulandam eſſe fidem per iudicium credibilitatis, aut de exiſtentia revelationis; & non ſufficere apprehenſionem ſolam: Ergò noſtra ſententia ſingularis eſt, & nova, ac per conſequens non ſubſtinenda. Reſpondeo; concedendo, quod plerique RR. exigunt iudicium ad regulandam fidem; verumtamen non ſatis ſe explicarunt, de quo iudicio loquantur, nec quodnam ſit obiectum ſignatè iudicatum per tale iudicium; nam aliqui videntur ſentire, tale iudicium debere eſſe ſignatè de exiſtentia revelationis, vel probabile, vel certum moraliter, vel evidens; & omnes iſti habent plures alios Authores ſibi adverſos. Nam in primis contra iudicium probabile de exiſtentia revelationis vt regulans fidem, militat definitio Pontificia, & Theologorum ferè omnium ſententia. Contra iudicium purè moraliter certum de revelatione ipſa, quod proximè regulet fidem militant omnes, qui affirmant, cognitionem regulativam fidei debere eſſe ſupernaturalem. Iudicium ad

autem evidens de revelatione, ſolum invenio in tribus Theologis ſuprà expenſis, *diſputat.* 4. *quæſt.* 2. *à num.* 5. & ibidem impugnatis, *quæſt.* 3. Cui addendum cenſeu, argumentum illud, quod Elizalde ex SS.PP. *num.* 7. ponderabat, ſolutum inveniri in Div. Thom. *in præſent. quæſt.* 1. *artic.* 5. *ad* 2. dicendum: *Quod rationes; quę inducuntur à Sanctis ad probandum ea, quę ſunt fidei, non ſunt demonſtrativę, ſed perſuaſiones quædam manifeſtantes non eſſe impoſsibile, quod in fide proponitur. Vel procedunt ex principijs fidei, &c.* Alij verò videntur ſentire tale iudicium regulativum debere eſſe, non de exiſtentia reali revelationis, ſed de credibilitate; verumtamen non ſatis explicant, an ſit iudicium de credibilitate exercitè attacta, an ſignatè iudicata, an iudicium ſpeculativum, & proprium, an ſolum practicum, an improprium, & in confuſo loquuntur. Alij, licèt requirant iudicium evidens de credibilitate doctrinę, non explicant an illud iudicium evidens, aut evidentia credibilitatis, quam acquiſitam fatentur, ſit proxima regula fidei, an ſolum conditio requiſita, & diſpoſitio purè negativa. Vndè in tanta confuſione ſententiarum, non facilè poteſt propria explicari, niſi cum aliqua ſingularitate, & novitate; quę in hoc puncto excuſanda videtur, quia inexcuſabilis. Præterquam, quod non pauci, nec innobiles Theologi noſtram ſententiam ſatis expreſsè tuentur, nempè Almainus *in* 3. *diſt.* 32. *quæſt.* 2. Vega *lib.* 6. *in Trident. cap.* 6. Ripald. *diſput.* 62. *de Ente ſupernaturali, & in præſent. diſput.* 15. *ſect.* 1. Pontius *diſput.* 28. *quæſt.* 4. *concl.* 1. Qui omes negant requiri iudicium propriè tale, & inquiunt ſufficere apprehenſionem, & Lumbier *quæſt.* 9. *artic.* 2. *num.* 479. tenet in pueris, & ſimplicibus non requiri iudicium certum de credibilitate doctrinę, quod ſolo diſcurſu à Sapientibus acquiritur; ac per conſequens ſatis eſſe apprehenſionem. Et inter Thomiſtas, fateor, quod omnes exigunt iudicium credibilitatis, ſed explicari poſſunt de iudicio practico improprio credibilitatis, quod nempè non affirmat ſignatè credibilitatem ipſam, ſed ſolum in actu exercito, proponendo nempè revelationem vt credibilem ex modo proponendi, quod competere poteſt apprehenſioni ſuaſivę iam explicatę.

56. Sed dices: hanc noſtram ſententiam eſſe contra mentem Div. Thom. qui evidentiam rerum credendarum exigit ad fidem, non ſecundum rationem particularem, ſed ſecundum rationem communem credibilium; quę quidem evidentia, niſi per iudicium haberi nequit. Ergò prædicta ſententia inter Thomiſtas ſaltèm ſubſtineri nequit. Probatur antecedens, quia *in præſent. quæſt.* 1. *artic.* 4. *ad* 2. inquit: *Ea, quę ſunt fidei dupliciter conſiderari poſſunt; vno modo in ſpeciali, & ſic non poſſunt eſſe ſimùl viſa, & credita, ſicut ſupradictum eſt. Alio modo in generali ſub ratione communi credibilis; & ſic ſunt viſa ab eo, qui credit, non enim crederet, niſi videret ea eſſe credenda, vel propter evidentiam ſignorum, vel propter aliquid huiuſmodi.* Ad 3. autem ſic ſubiungit; dicendum: *Quod lumen fidei facit videri ea, quę creduntur, ſicut enim per alios habitus virtutum homo videt illud, quod eſt ſibi conveniens ſecundum habitum illum; ita etiam per habitum fidei inclinatur mens hominis ad aſſentiendum his, quę conveniunt rectę fidei, & non alijs.* Et *articul.* 5. *ad* 1. dicendum: *Quod infideles, eorum, quę ſunt fidei, ignorantiam habent, quia nec vident, nec ſciunt ea in ſe ipſis, nec cognoſcunt ea eſſe credibilia; ſed per hunc modum Fideles habent eorum notitiam, non quaſi demonſtrativè, ſed in quantum per lumen fidei vident ea eſſe credenda; vt dictum eſt;* nempè; *articul.* 4. *ad* 2. *&* 3. *vbi ſuprà.* Hæc ſunt præcipua Div. Thom. loca, ex quibus ſic argui poteſt; Div. Thom. inquit, quod Fideles vident res fidei ſecundum rationem communem credibilium; & quod vident eas eſſe credendas, & quod niſi viderent eas eſſe credendas, non crederent: Ergò cenſet omnino requiſitum ad credendum; quod credens prius videat res fidei ſub ratione communi credibilium, & eas eſſe credendas: Sed hoc fieri nequit, niſi per iudicium evidens, ſeù per evidentiam de credibilitate ipſarum rerum: Ergò Div. Thom. prærequirit ad credendum iudicium evidens, ſeù evidentiam de credibilitate: Sed hæc non ſalvatur in ſola apprehenſione ſuaſiva, quia, quę ſolum apprehendimus, non evidenter cognoſcimus: Ergò.

57. Verumtamen hæc Div. Thom. loca ab omnibus explicanda ſunt, nam ex ipſis probatur, eum non loqui de evidentia, aut iudicio ſignato credibilitatis, quod propriè ſit iudicium de credibilitate, prævium ad fidem, & regulans ipſam fidem. Etenim Div. Thom. loquitur de evidentia elicita ab ipſa fide, ſiquidem immediatè poſtquam dixerat *artic.* 4. *ad* 2. Quod credenda ſunt viſa ab eo, qui credit, ſub ratione communi credibilis, & quod non crederet, niſi videret ea eſſe credenda, *ad* 3. explicans iſtam evidentiam, inquit: *Dicendum; quod lumen fidei facit videre ea, quę creduntur, ſicut enim, &c.* Et *artic.* 5. *ad* 1. inquit: *Quod Fideles habent eorum notitiam, non quaſi demonſtrativè, ſed in quantum per lumen fidei*

dei vident ea eſſe credenda, ſicut ſupradictum eſt. Ergò manifeſtè loquitur de evidentia credibilitatis elicita per ipſam fidem: Tunc ſic, ſed iſta non eſt evidentia ſignata, ſed ad ſummum in actu exercito credibilitatis: Ergò Div. Thom. non requirit evidentiam ſignatam, aut ſpeculativam credibilitatis in his locis, ſed evidentiam exercitam tantum, & quaſi practicam.

58. Confirmo hoc ex Ioann. à S. Th. quem omnes, vt fidiſsimum Div. Thom. Expoſitorem ſuſpiciunt, & meritiſsimè. Hic enim *in præſent. diſput. 2. articul. 3. à num. 12.* ſic ait: *Notandum eſt, quod credibilitas rerum poteſt evidenter attingi dupliciter, vno modo, vt obiectum directè, & principaliter attactum, & ſic requirit procedere ab aliquo lumine evidenti, ſivè per diſcurſum, ſivè ſine illo. Alio modo poteſt attingi tamquam modus, ſivè conditio quædam in exercitio attacta in obiecto ipſo quod creditur, nec enim aliquis virtuosè, & prudenter credit, niſi rei credibiliter propoſitę, & cum conditionibus requiſitis ad credibilitatem, & tamen neque ipſas conditiones, neque credibilitatem credit, vel directè attingit, & hoc eſt attingere credibilitatem in exercitio*, quam explicationem vt exactiſsimam recipio. Poſt illam autem *num. 13.* duas ſtatuit concluſiones, primam ſic: *Evidentia credibilitatis cognitæ vt obiectum directum, non oritur ex fide, ſed procedit ex aliqua experientia, ſeù diſcurſu humano prudentiæ, vel ſcientiæ.* Et ſecundam ſic: *Evidentia credibilitatis attingitur ab habitu fidei in ipſo exercitio credendi, per modum conditionis ex parte obiecti requiſitæ*, quod probat, ex Div. Thom. verbis relatis: *Ex* quibus ſic arguo: D. Thom. ſolum loquitur de evidentia elicita per lumen fidei, vt conſtat ex eius verbis: Sed iuxta legitimum eius Expoſitorem, evidentia de credibilitate, tanquam de obiecto directo, & ſignato, non oritur ab ipſa fide, ſed ſolum evidentia exercitè attingens credibilitatem: Ergò ex Div. Thom. non poteſt probari primam eſſe requiſitam, ſed ſolum ſecundam.

59. Sed dices: Ipſe Ioan. à S. Thom. *diſp. 3. articul. 2. num 7.* probat requiri iudicium credibilitatis ex Div. Thom. *quæſt. 8, articul, 4. ad 2.* vbi ait: *Licèt non omnes habentes fidem, plenè intelligant ea, quæ proponuntur credenda, intelligunt tamen eſſe ea credenda, & ab eis nullo modo eſſe deviandum*: Sed non eſt aliud intelligere ea eſſe credenda, niſi intelligere ſignatè eorum credibilitatem, quia digna ſunt creditu: Ergò hic Div. Thom. loquitur de cognitione credibilitatis ſignatè ſumptę. Confirmat. Nam Div. Thom. *quæſt. 2. art. 1. ad 1.* inquit: *Quod fides non habet inquiſitionem rationis naturalis demonſtrantis id quod creditur, habet tamen inquiſitionem quandam eorum, per quæ inducitur homo ad credendum, puta quod ſunt dicta à Deo, & miraculis confirmata:* Sed hic ſumitur credibilitas ſignatè, vt obiectum directè attactum: Ergò Div. Thom. requirit iudicium de credibilitate directè attacta.

60. Reſpondeò, quod nec ex his Div. Thom. verbis vllo modo probatur iudicium de credibilitate directè, & ſignatè iudicata, vt requiſitum ad credendum. Nam in primo loco, inquirit Div. Thom. *An donum intellectus, ſit in omnibus habentibus gratiam*, & ſecundum arg. conatur oſtendere, quod non; quia ad habendam gratiam ſufficit fides, *& non omnes habentes fidem, habent donum intellectus*, circa ea, quę ſunt fidei. Et Reſpondet Div. Thom. quod *licèt non omnes habentes fidem, plenè intelligant, &c.* vbi evidenter conſtat, Div. Thom. loqui, non de cognitione prævia, aut prærequiſita ad fidem, ſed de cognitione conſequente fidem, per donum nempè intellectus, per quod Fideles intelligunt, ea, quę proponuntur in Articulis, eſſe credenda, & ab eis propter nihil deviandum: Huiuſmodi autem cognitio, nec eſt evidens, ſed obſcura, nec prærequiſita ad fidem, ſed neceſſario fidem ipſam ſupponens. Vndè in forma, conceſſa minori, diſtinguo conſequens: Ergò loquitur Div. Thom. de cognitione evidenti credibilitatis ſignatè ſumptę, vt prærequiſita ad fidem ſuſcipiendam, nego conſequentiam: De cognitione obſcura per donum intellectus conſequente fidem, ſeù in iam Fidelibus reperta, concedo conſequentiam. Sed indè nihil contra noſtram doctrinam. Ad confirmationem ſimiliter, dico, quod Div. Thom. ibi non inquit, quod fides habet iudicium evidens eorum, per quę inducitur homo ad credendum, &c. Sed ſolum quod habet inquiſitionem quandam. Ex quo ad ſummum probatur, quod iuxta Div. Thom. fides habet conſiderationem præviam motivorum credibilitatis, quę tamen minimè eſt iudicium perfectum, & ſignatè affirmativum, ſed cognitio inquiſitiva, cogitativa, & conſiderativa, quę ad perfectum iudicium non pertingit, & manet in ratione apprehenſionis ſuaſivę, iam explicatę.

61. Nec ipſe Ioan. à S. Thom. exigit re ipſa verum, & proprium iudicium prævium ad fidem, ſed ſolum improprium, imperfectum, & inchoatum, quod totum convenit apprehenſioni ſuaſivę explicatę. Nam ad probandum, quod requiritur cognitio ſupernaturalis præcedens fidem, adducit ex Div. Thom. *quæſt. 8. art. 8. ad 2. dicendum: Quod fides non*

po-

poteſt univerſaliter præcedere intellectum, non enim homo poſſet aſſentiri credendo aliquibus propoſitis, niſi ea aliquatenus intelligeret, & ſubiungit: Qualis autem ſit iſta intelligentia, D. Th. non explicat, certum tamen eſt, quod non eſt aſſenſus perfectus, & completus, quia iſte eſt præcipuus actus fidei, ſed eſt aliquid imperfectum diſponens ad actum credendi, & ideò reductivè pertinet ad fidem, ſicut imperfectum ad perfectum: Ergò cognitio, ſeu intelligentia ſupernaturalis præcedens fidem, & eam regulans ex parte actus primi non eſt iudicium perfectum, & proprium, ſed imperfectum, & improprium: Ergò apprehenſio ſuaſiva ex mente Div. Thom. & Ioann. à S. Thom.

62. Nec obſtat, quod talem cognitionem continuò appellat iudicium, quia ipſe ſe explicat, loco citato, *num.* 12. quod eſt iudicium imperfectum, dicens: *Quod illud iudicium cognoſcit aliquid ſupernaturale, ſcilicet, id quod propoſitum credendum*: Item, concedit, *quod cognoſcitur obſcurè*: Negat tamen, quod ad illud iudicium requiratur pia affectio. *Quia motio iſta*, inquit, *ſolum requiritur ad aſſenſum perfectum, & determinatum circa res obſcuras; quando autem aſſenſus non eſt perfectus, ſed deliberat aliquis, & cogitat, an debeat aliquis aſſentire, ad talia iudicia imperfecta non præcequiritur motio voluntatis, ſed ſufficit proponi aliquam cogitationem à Deo, quæ incipiat diſponere, & movere voluntatem; in rebus enim obſcuris, non ſtatim generatur aſſenſus perfectus, ſed paulatim diſponitur intellectus, & deliberat, ponderatque rationes, & tandem ad vnam partem inclinat, & aſſentitur motus à voluntate. Quando igitur iudicat, deliberando, & cogitando, nondum autem plenè aſſentiendo, obſcurè quidem tangit obiectum, de quo iudicat, ſed non credendo, nec ex motione voluntatis ſe determinando, quia nondum ſe determinat, & aſſentit, ſed diſponitur, & tendit ad aſſenſum; & ſic non eſt aſſenſus ultimus, vel evidens, neque de aſſenſu perfecto, ſed eſt cogitatio obſcura, diſponens, & proponens voluntati, vnde movens ad aſſenſum perfectum.* Hæc quidem prolixè retuli, vt conſtet, quod iam diù cogitavi, nempè inter Thomiſtas, quæſtionem iſtam potius eſſe de nomine, quam de re, quia ſi ſemel iudicium illud ſupernaturale regulans fidem, aut ad illam prævium, non eſt aſſenſus perfectus, nec abſoluta determinatio intellectus circa obiectum quod attingit ſignatè, ſed ſolum eſt inchoatio, & motus intellectus conſiderantis, cogitantis, inclinantis, diſponentis, & proponentis vt perveniat ad abſolutum, & perfectum aſſenſum; quod appelletur iudicium imperfectum, vel apprehenſio ſuaſiva ex conſideratione motivorum reſultans, quæſtio eſt purè vocalis, nam re ipſa apprehenſio ſuaſiva, quam explicatam relinquo, eſt iudicium imperfectum, vt illud explicat præfatus author, & iudicium imperfectum ſic explicatum, re vera eſt ſolum apprehenſio ſuaſiva, quia revera per illud intellectus nondum determinatè affirmat, nec negat obiectum illud, de quo imperfectè iudicat, ſed ſolum cogitat, conſiderat, proponit, & apprehendit aliquid modo quodam ſuadente, movente, & inclinante, vt determinatè affirmet, vel neget ipſum obiectum quod cogitat, & conſiderat. Aliorum Thomiſtarum mentem indagare prætermitto, quia moleſtiſſimus foret, & improbus labor. Tantum adverto, ipſos perſæpe loqui, non de cognitione immediatè regulativa intellectus ad credendum, quę nimirum proponat intellectui obiectum, & motivum credendi ſub ratione veri, ſed de cognitione immediatè regulativa voluntatis, vt imperet aſſenſum, quę proponat voluntati bonitatem, aut vtilitatem credendi ſub ratione boni; licèt autem admittatur, quod hæc cognitio regulativa voluntatis debet eſſe proprium, & perfectum iudicium, id non probatur de prima cognitione regulativa intellectus, quia eſt magna diſparitas infrà aſſignanda.

63. Ad argumentum autem ſuprà *num.* 55. ex Div. Thom. formatum, facilè in forma reſpondeo, diſtinguendo antecedens: Div. Thom. inquit, quod credentes vident res fidei ſecundum rationem communem credibilium, & eas eſſe credendas ſignatè, & reflexè per iudicium proprium, & perfectum de credibilitate, nego antecedens; Quod vident eas ſub ratione credibilium in actu exercito, & per iudicium improprium, & imperfectum, concedo antecedens, & conſequentiam in eodem ſenſu, & ſimiliter minorem ſubſumptam, & conſequentiam illatam, negoque minorem ſubſumptam, nempè, quod evidentia de credibilitate in actu exercito, & quę ſit iudicium imperfectum, non ſalvetur in ſola apprehenſione ſuaſiva; quia per illam in actu exercito, & quaſi experimentaliter fiunt res credendę credibiles proximè, & repræſentantur ſub modo credibilitatis, & intellectus in actu exercito allicitur, movetur, & inclinatur per ipſam apprehenſionem cogitativam, ſeu ſuaſivam, & ſic per ipſam videt imperfectè, & in actu exercito, & quaſi experimentaliter ipſas ſub ratione communi credibilium, & eas eſſe credendas, adeò, vt ſi intellectus reflectat ſuprà talem modum propoſitionis, & repræſen-

ta-

Digitized by Google

trationem internam præviam ad fidem proponeretur illa differentia in actu exercito, quatenus vnum proponeretur per talem illuſtrationem verè revelatum in re, cum quadam ſecuritate, & certitudine ſupernaturali, cum qua non proponeretur aliud. Patet autem quod illa illuſtratio, & propoſitio importat apprehenſionem ſupernaturalem ſuaſivam cum ſupernaturali certitudine revelationis in re reſpectu vnius Myſterij, & non alterius, & conſequenter diſcretivam in actu exercito Myſterij credendi à non credendo: Fides ergò prius apprehenſivè, ſeù iudicativè imperfectè diſcernit in actu exercito credenda à non credendis, quatenus prius ea apprehendit ſuaſivè, ea ſibi proponendo vt verè revelata cum certitudine ſuperna; & huiuſmodi diſcretio ſe tenet ex parte actus primi ad credendum: Deindè, ea etiam diſcernit in actu ſecundo exercitè, per iudicium, ſeù aſſenſum perfectum credendo hæc, & non illa, quia hæc, & non illa proponuntur cum prædicta certitudine ſuperna. Vndè, quod intellectus in actu ſecundo per ipſum actum credendi diſcernat exercitè credenda à non credendis, & videat exercitè ea vt credenda, & vt credibilia, non tollit; quod etiam in actu primo per iudicium imperfectum, ſeù apprehenſionem ſupernam ſuaſivam illa etiam diſcernat, & videat in actu exercito vt credibilia; & credenda ex modo, quo exercitè ea repræſentat.

67. Obijcies ſecundò: Maior eſt notitia iudicativa probabilis revelationis, quã apprehenſiva: Sed notitia purè probabilis revelationis non ſufficit ad aſſenſum fidei ſalutaris, vt conſtat ex damnatione propoſitionis oppoſitæ: Ergò nec notitia ſolum apprehenſiva. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: Maior eſt notitia iudicativa probabilis revelationis, quam apprehenſiva naturalis, concedo maiorem: Quam apprehenſiva ſupernaturalis, & modo ſuaſivo, ſub diſtinguo: Quantum ad munus determinãdi intellectũ omitto maiorẽ: Quãtũ ad munus regulãdi, & proponẽdi cũ maiori certitudine, nego maiorẽ, & cõceſſa minori, conſequentiam. Itaque, fateor, quod iudicium probabile revelationis eſt maior notitia, quam ſola apprehenſio humana, & naturalis talis revelationis, cæterum apprehenſio, quam ponimus eſſe regulam proximam actus fidei, non eſt apprehenſio purè naturalis, ſed ſupernaturalis, & ſuaſiva procedens ex illuſtratione ſupernaturali. Fateor etiam, quod notitia iudicativa probabilis eſt maior notitia revelationis, quam prædicta apprehenſio ſuaſiva ſupernaturalis, quoad munus determinandi intellectum ad aſſenſum, quia magis determinat intellectum notitia iudicativa, licèt probabilis, quam apprehenſiva, licèt ſupernaturalis, ſiquidem illa determinat intellectum in actu ſecundo circa obiectum, licèt fallibiliter, iſta autem ſe ſola non determinat intellectum in actu ſecundo circa obiectum, ſed ſolum illum movet, & inclinat ex parte actus primi, vt determinetur ad vnam partem contradictionis, ſi voluntas velit: Veruntamen cum hoc ſtat quædam excelentia in illa apprehenſione ſuaſiva, aut iudicio imperfecto, in qua multum ſuperat notitiam iudicativam probabilem, nempè quod illa eſt infallibilis in ſuadendo, & proponendo obiectum, iſta autem fallibilis in iudicando, & proponendo. Quod iſta ſit fallibilis nemo non fatetur; quod autem illa ſit infallibilis in ſuadendo, & proponendo, etiam eſt certiſsimum, quia cum ſit ſupernaturalis, & à Deo ſpecialiter illuſtrante immiſſa, aut cauſata, ita vt Deus ipſe ſit, qui per illam apprehenſionem ſpecialiter illuſtrat, ſuadet, & movet ad aſſenſum, proponitque intus in mente quid credendum ſit; implicat proponere, aut ſuadere falſum in re; quia aliàs Deus intus in mente doceret nos ſpecialiter falſa, & induceret, ac ſuaderet ad credendum vt verè revelatum, quod re ipſa revelatum non foret, quod quidem apertè repugnat: Cum ergò ad notitiam regulativam proximè fidei ſalutaris potiſsimè requiratur, quod ſit omninò infallibilis in proponendo, ſuadendo, & regulando, non verò quod ſit perfectum, & vltimo determinatum iudicium, indè eſt, quod ad munus regulandi actum fidei minimè ſufficit, immò nec conducit, ſed potius importuna eſt notitia iudicativa probabilis, ſufficit autem apprehenſio ſuaſiva ſupernaturalis, quia iſta eſt infallibilis in ſuadendo, & proponendo, illa verò eſt maximè fallibilis in iudicando.

68. Sed replicabis: Sola apprehenſio, ſeù cognitio tantum apprehenſiva nec eſt fallibilis, nec infallibilis: Ergò falſo attribuimus infallibilitatem apprehenſioni ſuaſivæ. Probatur antecedens, quia cognitio tantum apprehenſiva eſt incapax tam veritatis, quam falſitatis: Ergò propriè loquendo nec eſt fallibilis, nec infallibilis. Probatur antecedens, quia veritas, & falſitas ſolum inveniuntur in iudicio affirmante, vel negante, non verò in apprehenſione, quę nihil affirmat, aut negat: Ergò cognitio ſolum apprehenſiva eſt incapax veritatis, & falſitatis. Confirmabis, quia ſi propter infallibilitatem eſſet ſufficiens regula ſola apprehenſio ſupernaturalis,

infallibiliter iudicet de credendis, antequam ipſemet credat, ideò nequit ſibi proponere credenda per abſolutum, & infallibile iudicium, ſed ſolum per apprehenſionem ſuaſivam infallibiliter, aut per imperfectum iudicium, quod ſolum poteſt præcedere fidem in ipſo credente.

71. Obijcies quarto: Cognitio regulativa piæ affectionis, ſeù imperij voluntatis debet eſſe iudicium, & non ſufficit apprehenſio: Ergò pariter cognitio regulativa aſſenſus fidei. Probatur antecedens, quia cognitio regulativa actus liberi voluntatis, ſeù quæ proponit voluntati obiectum liberè amandum, debet eſſe iudicium, & non ſufficit ſola apprehenſio, vt tenet communior ſententia Theologorum, & præſertim Thomiſtarum: Sed pia affectio, ſeù imperium, quo voluntas movet intellectum ad aſſenſum fidei, eſt actus liber voluntatis: Ergò cognitio regulativa illius debet eſſe iudicium, & non ſufficit ſola apprehenſio. Hoc argumentum provocat ad deciſionem alterius partis quæſtionis, nempè, vt determinemus, qualis ſit cognitio regulativa piæ affectionis, ſeù actus, quo voluntas imperat aſſenſum fidei. Circa quam, ſi ſtyllum loquendi RR. attendamus, ferè omnes videntur ſentire talem cognitionem eſſe iudicium, & non meram apprehenſionem. Veruntamen, ſi ſenſus inſpeciatur, non pauci debent intelligi de iudicio imperfecto, & inchoativo, vt videre eſt in Ioan. à S. Thom. ſuprà experſo, qui non loquitur de cognitione tantum regulativa intellectus ad credendum, ſed potiſſimè de regulativa voluntatis ad imperandum aſſenſum; & tamen apertè docet, illam non eſſe iudicium perfectum, ſed imperfectum, & inchoatum; quod intelligi poſſe de apprehenſione ſuaſiva, & illi convenire, iam vidimus. Veruntamen, ne huic ſententiæ alligemur, antequam illam exponam.

72. Reſpondeò primo, omiſſo antecedenti, negando conſequentiam, nam eſt clara diſparitas. Etenim cognitio regulativa actus voluntatis non proponit obiectum voluntati ſub ratione boni, vt illud iudicet bonum, ſed vt illud velit, quia bonum; vndè poteſt talis cognitio proponere tale obiectum iudicando eſſe bonum, vt voluntas illud velit quia bonum; attamen cognitio regulativa intellectus proponit intellectui obiectum ſub ratione veri, movendo vt intellectus illud iudicet verum; implicat autem quod moveat intellectum vt illud iudicet verum, iudicando abſolutè, & perfectè illud eſſe verum, quia alias iudicium moveret intellectum ad idem iudicium, ſeù ad ſe ipſum; licèt ergò cognitio regulans actum voluntatis poſſit; & debeat eſſe iudicium de illius obiecto vt bonò, tamen cognitio regulans iudicium intellectus, ſeù actum eius iudicativum, qualis eſt aſſenſus fidei, nequit eſſe iudicium de eodem obiecto, ſed ſolum poteſt eſſe apprehenſio ſuaſiva.

73. Nec valet, ſi dicas, poſſe eſſe iudicium de obiecto motivo, licèt non determinativo aſſenſus, vel iudicij, ad quod movet. Contra enim eſt, quia ſi paritas cognitionis regulantis voluntatem aliquid probat, non ſolum probat circa obiectum motivum, ſed etiam circa terminativum, quia cognitio regulativa actus liberi voluntatis, non ſolum petit eſſe iudicium de obiecto motivo, ſed etiam iudicium de obiecto terminativo, ſeù de bonitate illius; inquiūt enim præfati Authores, quod non ſatis eſt, vt voluntas velit liberè aliquid, quod illud apprehendat vt bonum, ſed requiri quod illud iudicet eſſe bonū: Ergò ſi paritas ſervanda eſt, intellectus etiam, vt liberè iudicet aliquod obiectum, debebit etiam ipſummet ſibi proponere iudicando ipſum prius vt verum: Ergò ſi in hoc non ſervatur paritas, nec debet ſervari circa obiectum motivum, præſertim quando obiectum motivum eſt prima veritas vt revelans, de qua ante fidem, ſeù ante fidei iudicium, perfectum iudicium haberi nequit. Immò ſi paritas debitè facienda eſt; facienda eſt à modo, quo voluntas ſe movet ad amorem abſolutum primæ bonitatis, admodum, quo intellectus ſe debet movere ad aſſenſum primæ veritatis: Sed voluntas non ſe movet ad amorem abſolutum primæ bonitatis ex abſoluto amore ipſius, vel alterius motivi, ſed ſolum ex ſimplici complacentia in ipſa prima bonitate, quia videlicèt ante amorem vltimi finis, qui eſt primum principium in practicis, ſeù reſpectu voluntatis, ſupponi nequit amor abſolutus, nec ipſius, nec alterius obiecti, quod moveat ad amorem vltimi finis, quia iam hic non eſſet vltimus finis, nec primum principium; ſed ad ſummum poteſt ſupponi ſimplex complacentia primæ bonitatis, quæ eſt motivum illius amoris: Ergò pariter in intellectu, præſertim ſpeculativo, & in ordine ſupernaturali, in quo prima veritas vt revelans, ſeù aſſenſus illi præſtitus eſt primum principium, ante aſſenſum illi præſtitum nequit ſupponi iudicium abſolutum, nec de obiecto terminativo, nec de alio obiecto, quod ſit motivum talis aſſenſus, ſed ad ſummum ſimplex apprehenſio ipſius primæ veritatis vt revelantis.

74. Sunt etiam aliæ diſparitates,

nem, maximè de bono repromiſſo in Evangelio, ſiquidem hoc eſt obiectum motivum piç affectionis, vt vidimus ſuprà: Sed ante fidem non datur iudicium perfectum de bono repromiſſo in Evangelio, ſiquidem hoc eſt vita çterna, de qua non poſſumus habere perfectum aſſenſum, nec iudicium, niſi per fidem: Ergò.

77. Sequitur ergò manifeſtè, quod regula proxima ex parte actus primi regulans piam affectionem, ſeù cognitio conſtituens proximam libertatem volendi credere ſolum eſt iudicium inchoatum, & imperfectum, ſeù apprehenſio ſuaſiva boni repromiſſi, & vtilitatis ad illud obtinendum in ipſo credere, quç quidem apprehenſio ſuaſiva movet voluntatem ex parte actus primi, vt velit credere, & relinquit libertatem vt nolit. Ex quo ad vltimam obiectionem ſuprà factam facilè ſecundo reſpondeo, negando antecedens de iuditio perfecto. Ad cuius probationem, nego maiorem vniverſaliter intellectam, quia vt voluntas poſſit proximè velle libere aliquod bonum, ſatis eſt, quod illud intellectus practicè apprehendat, & vt bonum voluntati repræſentet, licèt enim aliquando præcedat iudicium, hoc de neceſſitate non requiritur ex conceptu libertatis. Fateor quidem contrariam ſententiam eſſe communem inter RR. ſed vel litigium eſt purè de nomine, vel illa nullo firmo fundamento nititur, nec à ratione, nec ab authoritate, vt iam breviter conſtabit, expendendo fundamenta, quibus eam noviſſimè firmare conatur Doctor Complutenſis Euſebius de los Rios *in ſuo Tractatu de iudicio indifferenti, diſput.* 1. *dib.* 3. vbi.

OCCASIONE PRÆCEDENTIS argumenti explicatur cognitio regulativa actus liberi ex parte actus primi, ſeù conſtitutiva libertatis in genere.

78. ARGUIT primò ab authoritate Philoſ. *lib.* 3. *de Anima, cap.* 7. *Textu* 30. vbi docens, qualiter homo cognitione inſtructus, fugit, aut proſequitur obiectum propoſitum, ſic ait: *Cum autem bonum, aut malum affirmat, aut negat, & fugit, aut proſequitur.* Quç verba ſic ordinat Argyropolus: *Atque cum bonum, aut malum eſſe dicit, affirmando, aut negando, tùm fugit, aut proſequitur.* Vbi etiam Div. Thom. id ipſum teſtatur. Et confirmari poteſt ex eodem Div. Thom. 1. 2. *quæſt.* 17. *artic.* 2. *ad* 1. vbi inquit: *Quod ratio eſt cauſa libertatis, ex hoc enim voluntas libère poteſt ad diverſa ferri, quia ratio poteſt habere diverſas conceptiones, & ideò Philoſophi definiunt liberum arbitrium, quod eſt liberum de ratione iudicium, quaſi ratio ſit cauſa libertatis.* Et 1. *part. quæſt.* 83. *artic.* 1. in corp. ait: *Quia iudicium rationis ad diverſa ſe habet, & non eſt determinatum ad vnum, pro tanto neceſſe eſt, quod homo ſit liberi arbitrij, ex hoc ipſo quod rationalis eſt*: Ergò ſentit Div. Thom. quod cognitio regulans actum liberum, quç nimirum ſit cauſa libertatis, debet eſſe iudicium rationis.

79. Reſpondeo tamen, nec Philoſophum, nec Div. Thom. in his locis dixiſſe, quod ad omnem actum liberum requiritur ex parte actus primi iudicium perfectum, & indifferens, quod proponat obiectum liberè appetendum. Vtque Div. Thom. mentem calere poſſis, valdè notandum eſt, quod in eius ſententia, alia eſt libertas voluntatis, vt voluntas eſt, & alia libertas illius vt arbitrium eſt, nam ſicut in intellectu diſtinguimus ipſum vt intellectus eſt, & vt ratio eſt; quia vt intellectus ſolum ſe exercet circa ſimplices quiditates, & prima principia ſine diſcurſu; vt autem ratio eſt, ſe exercet circa alia per diſcurſum; ita in voluntate debet diſtingui, & conceptua voluntatis, quem exercet circa finem, & bonum abſolutè ſumptum, & conceptus electivç, quem exercet circa ea, quç ſunt ad finem, per practicum diſcurſum, ſeù rationem practicam, & ſecundum vtrumque conceptum eſt libera voluntas, licèt non ſecundum vtrumque ſit liberum arbitrium; quia circa finem, & bonum abſolutè ſumptum eſt libera voluntas, circa ea verò, quç ſunt ad finem, eſt liberum arbitrium. Hanc diſtinctionem libertatis voluntatis à libertate arbitrij ex mente Div. Thom. eſſe, eruditè demonſtrat D. Caſtel *in ſuo opere, de libero arbitr. diſput.* 1. *quæſt.* 2. *ſect.* 11.

80. Notandum eſt ſecundo, quod licèt ad propriam electionem, quç eſt de his, quç ſunt in ordine ad finem, requiratur iudicium liberum, tamen ad volitionem ipſius finis vltimi, ſeù quç verſatur immediatè circa finem vltimum, non poteſt præſupponi iudicium liberum; quia iudicium liberum non poteſt eſſe, niſi ex præcedenti voluntate libera, cum autem volitio finis ſit prima volitio in ordine voluntatis, implicat, quod procedat ex iudicio libero, aliàs ſupponeret aliam volitionem liberam. Vndè, ſicut ad liberam volitionem eorum, quç ſunt ad finem, debet præcedere inquiſitio conſultatio, & ſententia, quç eſt verum iudicium practicum, ad voli-

tio-

tionem tamen finis non debet præcedero, nec conſultatio, nec inquiſitio, ita nec ſententia, nec verum, & perfectum iudicium practicum, ſed ſatis eſt apprehenſio ſuaſiva, ſeù iudicium imperfectum, quod eſt per modum inſtinctus, vel inſtinctus naturalis, ſi ſit volitio beatitudinis naturalis, vel inſtinctus ſupernaturalis, ſi ſit voluntas libera circa finem ſupernaturalem.

81. Ex his prænotatis, iam intelliges Philoſophos, & Div. Thom. quia nimirum, quando dicunt, quod liberum arbitrium eſt liberum de ratione iudicium, optimè dicunt, quia cum liberum arbitrium ſit circa ea, quę ſunt ad finem, eſt neceſſario facultas liberè iudicandi practicè de his, iudicio quidem practico, & efficaci, vt alibi exponam, ex quo tamen minimè probatur, quod libertas actus primi, præſertim, quę eſt circa finem, conſtituatur per iudicium, quia cum iudicium, de quo loquuntur, ſit liberum, & non poſsit eſſe liberum, niſi ex præſuppoſita voluntate finis, implicat apertè, quod tale iudicium conſtituat libertatem volendi finem, quę longè ante iam præſupponitur. Et ſimiliter, cum Philoſophus ait, quod cum homo ratione inſtructus affirmat, vel negat bonum, aut malum, tunc illud proſequitur, aut fugit, loquitur de iudicio libero, præſupponente voluntatem finis; quod iudicium non eſt indifferens, ſed determinatum, & determinans voluntatem, ſiquidem dicit, quod cum affirmat bonum, tunc illud ſequitur, & cum affirmat malum, tunc illud fugit, quod non poteſt competere iudicio indifferenti à contrarijs aſſerto vt conſtitutivo libertatis in actu primo, vt per ſe patet, quia iudicio illo ſæpè aliquid iudicamus bonum, & tamen illud non proſequimur, & malum, & non fugimus, aliàs non eſſet iudicium indifferens. Et ad confirmationem ex D. Thom. conſtat iam aperta intelligentia, nempè, quod, quando dicit, quod ratio poteſt habere *diverſas conceptiones*, caſu quo per has *diverſas conceptiones*, intelligat diverſa iudicia perfecta (quod non eſt ita manifeſtum, nam potius *diverſę conceptiones* ſignificant ex terminis diverſas apprehenſiones) tamen illa diverſa iudicia, quę poteſt habere, ſunt diverſa iudicia libera, & determinata de his, quę ſunt ad finem, quę non conſtituunt libertatem actus primi, ſed illam ſupponunt. Cum autem inquit, *in loco citat. ex 1. part. Quod iudicium rationis ad diverſa ſe habet, & non eſt determinatum ad vnum*, non eſt ſenſus, quod aliquod iudicium rationis ſingulare ad diverſa ſe habeat, hoc enim eſt impoſsibile, quia ſi eſt iudicium, eſt determinatum, & vnum tantum iudicat, non diverſa, & oppoſita; ſed ſenſus eſt, quod facultas rationis iudicativa practicè non eſt determinata ad vnum, ſed ad diverſa ſe habet, quatenus poteſt diverſimodè, & diverſa iudicare in ordine ad finem. Vndè valdè cavendum eſt, ne vſus ille nominandi *iudicium indifferens*, per ęquivocationem applicatus ſit cognitioni conſtitutivę libertatis in actu primo, cum tamen in Div. Thom. tale iudicium minimè reperiatur, immò ſit inintelligibile, quia vnicum iudicium non poteſt indifferenter ad diverſa, & oppoſita ſe habere indicativè. Invenio quidem in Div. Thom. *iudicium de ratione liberum*, ſed valdè notandum eſt, quod non eſt idem iudicium liberum, ac iudicium indifferens, quia iudicium liberum eſt determinatum de determinato medio eligendo, ſicut non eſt idem volitio libera, ac volitio indifferens, vndè ſi nomen iudicij indifferentis deſumptum eſt ex eo quod in Div. Thom. & Philoſophis legimus iudicium liberum, ęquivocatio fuit.

82. Arguit ſecundo à ratione, quę eſt potiſsimum, & vnicum aſylum ſententię contrarię: Nam cognitio conſtituens libertatem in actu primo debet ita proponere obiectum liberè volendum, quod ex modo cognitionis, & propoſitionis diſtinguat hominem à brutis, ſivè modum operãdi propriè humanum à modo operandi non propriè humano: Sed niſi ſit iudicium perfectum, hoc non diſtinguit: Ergò debet eſſe iudicium perfectum. Probat minorem, primò, quia ſi non ſit iudicium, ſed ſolum apprehenſio, conſtituit poteſtatem operandi ſubito, & repentinè: Sed modus operandi ſubito, & repentinè, non eſt modus propriè humanus: Ergò niſi ſit iudicium perfectum, non diſtinguit poſſe operari, ſeù modum operandi humanum à modo operandi non propriè humano. Secundo, quia bruta etiam operantur ex ſola apprehenſione, aut ex iudicio imperfecto: Ergò niſi cognitio regulans ſit iudicium perfectum, non diſtinguit modum operandi humanum à modo non propriè humano.

83. Confirmat primò, quia apprehenſio practica boni ex ſe ſolum movet ad indeliberatam, & neceſſariam, aut ſubitam volitionem ipſius, vndè omnes actus, quos elicimus ex prima apprehenſione obiecti, vocamus motus ſubitos, & indeliberatos: Ergò apprehenſio ſolum poteſt conſtituere poſſe ad hos actus, non verò ad actus perfectè libertis. Secundo: Quia repugnat ſimplex appre-

hen-

henſio, quę proponat practicè obiectum cum indifferentia: Sed hoc requiritur vt conſtituat poſſe operari liberè: Ergò repugnat ſimplex apprehenſio, quę conſtituat poſſe operari liberè. Probat maiorem, quia vt proponat obiectum cum indifferentia, requiritur, quod illud proponat vt proſequibile, & non proſequibile: Sed repugnat quod ſimplex apprehenſio ita illud proponat: Ergò. Probat minorem, quia vt proponat obiectum vt proſequibile, & non proſequibile, debet affirmare de obiecto indifferentiam ipſius: Sed hoc repugnat, ſi eſt ſimplex apprehenſio, quia hæc nihil affirmat, aut negat: Ergò. Probat maiorem, quia nequit proponere obiectum vt proſequibile, & non proſequibile hic, & nunc, niſi affirmando ipſum eſſe proſequibile, & non proſequibile hic, & nunc: Sed hoc eſt affirmare eius indifferentiam: Ergò. Confirmat tertio, quia cognitio purè apprehenſiva eſt cognitio dubitativa: Sed cognitio dubitativa non poteſt conſtituere poteſtatem liberam erga obiectum ſic cognitum: Ergò nec purè apprehenſiva. Minor patet, quia cognitio dubitativa de bonitate, aut convenientia obiecti minimè movet ad illud volendum. Maiorem verò probat, quia cognitio obiecti indifferens ad affirmationem, & negationem illius eſt cognitio purè dubitativa: Sed cognitio purè apprehenſiva obiecti eſt cognitio indifferens ad affirmationem, & negationem illius, vt videre eſt in hac cognitione purè apprehenſiva: *Aſtra paria*, quę non magis movet ad affirmationem, quam ad negationem: Ergò.

84. Nec admittit diſtinctionem apprehenſionis in ſuaſivam, & non ſuaſivam, qua vtimur *ſuprà*. Sed contra illam replicat, primo, quia apprehenſio, quam dicimus ſuaſivam, ideò eſt talis, quia repræſentat motivum aſſentiendi obiecto: Sed ſi eſt purè apprehenſiva, illud motivum etiam repræſentat dubitativè, hoc eſt, cum indifferentia ad affirmationem, vel negationem: Ergò adhùc manet in ratione cognitionis purè dubitativę: Ergò movere nequit, nec intellectum ad aſſenſum, nec voluntatem ad liberam volitionem illius. Secundo, quia per nos apprehenſio non ſuaſiva movere nequit ad affectum liberum, non alia ratione, niſi quia eſt indifferens ad affirmationem, & negationem obiecti: Sed etiam apprehenſio ſuaſiva eſt indifferens ad affirmationem, & negationem obiecti, id eſt, coniungibilis cum vtralibet: Ergò nec ſuaſiva poteſt movere ad affectum liberum. Tertio quia audiens obiectum eſſe conveniens, aut nocivum, & non exiſtimans ita eſſe, nec fugit, nec proſequitur tale obiectum: Et tamen illud apprehendit ſuaſivè: Ergò apprehenſio ſuaſiva non ſufficit movere voluntatem ad affectum liberum. Quarto; quia ex eo quod apprehenſio ſit ſuaſiva, ſolum ſequitur, quod poſsit movere intellectum ad aſſenſum, & iudicium perfectum de obiecto apprehenſo, ſiquidem, quod habet ſpeciale hæc apprehenſio ſuaſiva, prę non ſuaſiva, vnicè eſt, quod eſt ſuaſiva identitatis terminorum, & aſſenſus erga talem identitatem: Sed hoc ad ſummum deſervire poteſt vt moveat intellectum ad aſſenſum, non verò vt moveat voluntatem ad affectum liberum, vt per ſe patet: Ergò ex eo quod ſit ſuaſiva, non ſequitur, quod poſsit movere ad affectum liberum voluntatis. Vltimo confirmat ſuam ſententiam; quia nullum eſt argumentum ab authoritate pro apprehenſione regulante ex parte actus primi actum liberum voluntatis: Cum tamen pro contraria ſtet Div. Thom. & Philoſophus, *vbi ſuprà*.

85. Veruntamen incipiendo ab hoc vltimo, non poſſunt non mirari, quod tam alienum ad Div. Thom. exiſtimet hic Author cum alijs, quod apprehenſio poſsit ex parte actus primi conſtituere poſſe ad velle liberum, & regulare actum liberum voluntatis. Cuius admirationis cauſam vt exponam, referam aliqua Div. Thom. loca, quę lucem afferunt maximè neceſſariam ad hanc, & alias difficultates de cognitione regulativa libertatis.

86. In primis enim obvia ſunt ea loca, in quibus ait, quod ſicut ad formam naturalem ſequitur appetitus naturalis, ſic ad formam intellectualiter apprehenſam ſequitur appetitus elicitus intellectualis. Vndè 1. *part. quæſt.* 19. *art.* 1. *in corp.* ſic ait: *Natura intellectualis ad bonum apprehenſum per formam intelligibilem ſimilem habitudinem habet, vt ſcilicet, cum habet ipſum; quieſcat in ipſo, & cum non habet, quærat ipſum.* Et *quæſt.* 80. *articul.* 2. *in corpor.* inquit: *Neceſſe eſt dicere, appetitum intellectivum eſſe aliam potentiam à ſenſitivo.* Et reddit rationem; *quia potentia appetitiva eſt potentia paſſiva, quę nata eſt moveri ab apprehenſo, vndè appetibile apprehenſum eſt movens non motum, vt dicitur 3. de Anim. & 11. metaph. Paſſiva autem, & mobilia diſtinguntur ſecundum diſtinctionem activorum, & motivorum*: Et concludit: *Quia igitur eſt alterius generis apprehenſum per intellectum, & apprehenſum per ſenſum, conſequens eſt, quod appetitus intellectivus ſit alia potentia à ſenſitivo.* Et ad primum inquit; *Quod appetibili non accidit eſſe apprehenſum per ſenſum, vel*

vel intellectum, nam appetibile non movet appetitum, niſi in quantum eſt apprehenſum, vndè differentię apprehenſi ſunt per ſe differentię appetibilis; vndè potentię appetitivę diſtinguntur ſecundum differentiam apprehenſorum.

87. Confirmatur autem hæc Div. Thom. doctrina *ex* 2. *contrag. cap.* 47. vbi probat: *Quod ſubſtantię intellectuales ſunt volentes*, Rat. 4. ſic: *Activum oportet eſſe proportionatum paſſivo, & motivum mobili: Sed in habentibus cognitionem vis apprehenſiva ſe habet ad appetivam ſicut paſſivum ad mobile:: Apprehenſio autem intellectiva non determinatur ad quædam, ſed eſt omnium::: Appetitus igitur ſubſtantię intellectualis ad omnia ſe habet: Hoc autem eſt proprium voluntatis, vt ad omnia ſe habeat.* Et *cap.* 48. probat liberum arbitrium in ſubſtantijs intellectualibus, Rat. 3. ſic: *Forma apprehenſe eſt principium movens, ſecundum quod apprehenditur ſub ratione boni, vel convenientis; actio enim exterior in moventibus ſe ipſa procedit ex iudicio, quo iudicatur aliquid eſſe bonum, vel conveniens per formam prædictam: Si igitur iudicans ad iudicandum ſe ipſum moveat, oportet, quod per aliquam formam altiorem apprehenſam ſe moveat ad iudicandum; quę quidem eſſe non poteſt, niſi ipſa ratio boni, vel convenientis, per quam de quolibèt bono, vel convenienti iudicatur: Illa igitur ſola ſe ad iudicandum movent, quæ communem boni, vel convenientis rationem apprehendunt: Hæc autem ſunt ſola intellectualia: Sola igitur intellectualia ſe, non ſolum ad agendum, ſed etiam ad iudicandum movent: Sola igitur ipſa ſunt libera in iudicando; quod eſt liberum arbitrium habere.* Et ſimiliter idem probat Rat. 4. ſic: *À conceptione vniverſali non ſequitur motus, & actio, niſi mediante particulari apprehenſione, eo quod motus, & actio erga particularia eſt: Intellectus autem naturaliter eſt vniverſalium apprehenſivus: Ad hoc igitur, quod ex apprehenſione (ſcilicèt vniverſali) intellectus ſequatur motus, aut quæcumque actio, oportet, quod vniverſalis intellectus conceptio applicetur ad particularia* (mediante nempè particulari apprehenſione:) *Sed vniverſale continet in potentia multa particularia; poteſt igitur applicatio conceptionis vniverſalis fieri ad plura, & diverſa: Iudicium igitur intellectus de agibilibus non eſt determinatum ad vnum tantum: Habent igitur intellectualia liberum arbitrium.* Et Rat. 5. idem probat ſic: *Intellectus enim apprehendit, non ſolum hoc, vel illud bonum, ſed ipſum bonum commune: Vndè cum intellectus per formam apprehenſam movet voluntatem, voluntas ſubſtantiæ intellectualis non erit determinata à natura, niſi ad bonum commune. Quidquid igitur offertur ſibi ſub ratione boni, poterit voluntas inclinari in illud:: Omnia igitur intellectualia liberā volūtatem habent ex iudicio intellectus venientem.*

88. Hæc quidem ſatis diffuſę retuli, quia delectat legere, & eruere ex Div. Thom. originem, & rationem à prior noſtrę libertatis. Ex illis autem infertur primò, quod non ſolum iudicium de bono, ſed apprehenſio boni eſt potens movere voluntatem, ſiquidem ſæpiſſimè aſſerit Div. Thom. quod bonum apprehenſum per intellectum movet voluntatem, ſicut bonum apprehenſum per ſenſum movet appetitum ſenſitivum, nempè vt ſi habeat ipſum, quieſcat in ipſo, ſi non habeat, quærat ipſum. Infertur ſecundò, differentiam appetitus intellectualis, ſeù voluntatis ab appetitu ſenſitivo, non provenire vnicè, & primario, ex eo quod iſte reguletur per apprehenſionem, ille per iudicium; ſed primario provenire ex eo, quod licèt vterque appetitus moveatur ab obiecto apprehenſo, eſt alterius generis apprehenſum per intellectum, & apprehenſum per ſenſum, & ex hac differentia apprehenſorum petenda eſt primo, & radicaliter differentia vtriuſque appetitus. Infertur tertiò, differentiam iſtam apprehenſorum in eo conſiſtere, quod apprehenſum per ſenſum ſemper eſt aliquod ſingulare, apprehenſum verò per intellectum eſt aliquid communiſſimum, & vniverſale ad omnia ſe habens cum quadam amplitudine, & indifferentia; quia ſenſus, vtpotè materialis, ſolum apprehendit ſingularia, immateria exiſtentia; intellectus verò, vtpotè immaterialis, apprehendit vniverſalia, & immaterialia, & ideò ſenſus ſolum poteſt apprehendere bonum ſingulare ſine amplitudine, & indifferentia, intellectus autem apprehendit bonum vniverſale, ſeù in communi, cum amplitudine, & indifferentia ad omnia particularia bona. Infertur quartò, primam radicem, & rationem à priori, quarè voluntas ſit libera, & non appetitus ſenſitivus brutorum, eſſe iſtam differentiam, quia videlicèt intellectus conſtitutus in actu quaſi primò per apprehenſionem vniverſalem boni poteſt cum indifferentia, & amplitudine deſcendere applicando per apprehenſiones particulares rationem boni ad hoc, vel illud bonum in particulari, & ſic liberè, & cum indifferentia iudicare de bonis particularibus, vt convenientibus, vel diſconvenientibus, vt magis, vel minus bonis, & convenientibus, conferendo bona cum bonis, per comparacionem ad bonum vniverſale apprehenſum, quod eſt tanquam prima regula conferendi, & iudicandi bona particularia apprehenſa; ex quo

qui-

Digitized by Google

ſequitur, quod voluntas, quę ſequitur in appetendo modum apprehendendi, & iudicandi, primo movetur ab vniverſali bono apprehenſo;(ad cuius volitionem eſt determinata à natura quoad ſpecificationem, libera tamen quoad exercitium, vt expouit Angel: Præcept. 1. 2. *quæſt.* 10. *artic.* 2. *in corp. & quæſt.* 13. *artic.* 6. *in corp.* & alibi ſæpè) & ex illa volitione vniverſali movetur, & movet intellectum, vt deſcendat circa bona particularia per particulares apprehenſiones, vtque illa conferat, conſilietur, & iudicet liberè de eis, ſuppoſito autem iudicio libero de aliquò eligibili, ex illo iam determinatur liberè, & liberè eligit illud. E contra autem eſt in appetitu ſenſitivo, quia cum ſenſus ſolum apprehendat bonum ſingulare, ex illo nequit deſcendere cum indifferentia ad diverſa bona, nec apprehendendo, nec iudicando, ſed immediatè iudicat illud per ęſtimativam vt conveniens, vel diſconveniens, iudicio non libero, ſed ex naturę inſtictu determinato, & ideò ſicut non apprehendit cum indifferentia; nec iudicat cum libertate, etiam cum libertate, aut indifferentia non appetit, ſed ex inſtinctu naturę.

89. Infertur quintò, in hoc ordine deliberationis; qui planè eſt genuinus ad mentem Div. Thom. non habere locum iudicium illud indifferens, quod ponunt RR. vt cauſam, & radicem libertatis, ſed ſolum apprehenſionem boni vniverſalis, apprehenſiones particulares bonorum particularium, collationem ipſorum inter ſe, & cum bono vniverſali, & iudicium determinatum, & liberum ex tali collatione formatum de bono particulari eligendo. Colligitur ſextò, ad hoc iudicium particulare, & liberum formandum determinari intellectum ex aliquo affectu, vel appetitu prævio voluntatis libero, quia alias illud iudicium non eſſet liberum; affectum tamen illum non poſſe moveri ex bono præconſiliato, & iudicato, ſed ſolum ex bono antecedenter apprehenſo, quia antecedenter ſolum præcedit bonum apprehenſum, non dum tamen iudicatum, ſed ad ſummum præconſultatum per collationem cum alio, quę conſultatio, ſeù collatio non eſt perfectum iudicium practicum, vt per ſe patet. Denique infertur, hominem verè conſtitui potentem velle liberè, & modo propriè humano, & libero, primò, & principaliter per apprehenſionem vniverſalem boni vniverſalis, quę eſt apprehenſio vltimi finis. Secundò, & minus primordialiter, per appreſiones particulares bonorum particularium. Per iudicium verò practicum de bono eligendo, non tam conſtitui potentem liberè operari, quam liberè iam operantem, ſeù iudicantem. Hæc quidem per via ſunt in Div. Thom. ex locíſque expreſsis ipſius deſumpta, quibus innumera alia poſſemus adiungere. Vndè, non immerito miror, quod ſententia ponens apprehenſionem vt conſtituentem poſſe vellè, ſeù agere liberè, & modo propriè humano, dicatur nullum habere fundamentum in Div. Thom. & illa quę adſtruit iudicium indifferens vt omninò requiſitum ad tale poſſe, dicatur vnicè fundata in Div. Thom. Iam ad obiecta.

90. Ad primum ab authoritate ex *num.* 78. patet, quam conformis ad mentem Div. Thom. ſit ſolutio ibi data. Ad ſecundum à ratione ex *num.* 82. in forma reſpõdeo, conceſſa maiori, negando minorem. Ad primam probationem, nego maiorem, quia apprehenſio finis, ſeù boni vniverſalis conſtituit poſſe proximum ad volitionẽ liberam quoad exercitium boni vniverſalis, & ad deliberandum circa bona particularia, & apprehenſio bonorum particularium conſtituit poſſe ad liberè iudicandum de ipſis, & eligendum liberè, & deliberatè vnum: Poteſtas autem ad volitionem boni vniverſalis, ex qua omnis deliberatio incipit, & ad deliberandum circa particularia, & ad liberè iudicandum, & eligẽdum vnum, non eſt poteſtas vnicè ad ſubito, & indeliberatè operandũ, ſed omninò ad contrarium; ſubita enim, & indeliberata operatio dicitur, quę ex viua apprehenſione ſenſus, aut intellectus, vt à ſenſu moti circa aliquod bonum particulare, abſque deliberatione rationis oritur, quia videlicet talem motum ratio non prævenit; non quę recto ordine deliberationis, iam explicato, ex apprehenſione boni vniverſalis, medianè apprehenſione particulari, & libero iudicio, provenit. Ad ſecundam probationem, diſtinguò antecedens: Bruta etiam operantur ex ſola apprehenſione, aut ex iudicio imperfecto boni ſenſibilis, & ſingularis, concedo: Ex apprehenſione boni vniverſalis; nego antecedens, & conſequentiam, quia vt ex dictis conſtat, ex differentia apprehenſionis, qua movetur appetitus hominis, & appetitus bruti, colligitur primordialiter modus operandi proprius hominis, & diverſus à modo operandi bruti, & non eſt neceſſe recurrere ad iudicium, ſed ante illud iam homo apprehẽdit, appetit, & deliberat modo propriè humano, & propriè diverſo à bruto.

91. Ad primam confirmationem iam patet ex ſolutione data ad primum, & diſtinctione explicata inter modum operandi ſubitò, & indè liberatè, & modũ operandi deli-

beratè, inchoando, vel proſequendo deliberationem; nam dum homo ex apprehenſione boni vniverſalis appetit ipſum, in illo appetitu incipit deliberatio; cum vero deſcendit per apprehenſiones particulares particularium bonorum, conferendo, & conſiliando, tunc proſequitur deliberatio; cum autem iudicat perfectè practicè bonum eligendum, tunc conſummatur deliberatio, & iam deliberatè eligit: In quo ordine, nec appetitus boni vniverſalis eſt ſubitus, & indeliberatus, alias delibetatio inciperet ex motu ſubito, & indelibatato, quod quis dicat? Sed eſt appetitus deliberatus initiativè, & inchoativè, prout eſſe poteſt, quia cum ille appetitus ſit primus motus voluntatis, repugnat eſſe deliberatum terminativè, aut eſſe præventum à ratione, cum motus rationis practicę eſſentialiter ex illo deſcendat: Nec etiam deſcenſus per particulares apprehenſiones practicas, & per collationẽ, aut conſultationem bonorum particularium, eſt indeliberatus aut ſubitus, ſed eſt ipſa deliberatio in fieri: Nec demum iudicium liberum de bono eligendo, in quo terminatur deliberatio: Motus igitur indeliberatus dicitur, qui nec eſt initium deliberationis, nempè appetitus boni vniverſalis, aut finis; nec ex illo, ordine prædicto, deſcendit, ſed potius à parte inferiori ſenſitiva inſurgit, vel adverſus rationem, vel non præventus à ratione deliberativa.

92. Ad ſecundam confirmationem, nego maiorem. Ad probationem, diſtinguo maiorem: Vt proponat obiectum cum indifferentia debet proponere illud vt proſequibile, & non proſequibile, in actu exercito, & ex modo illud repræſentandi, concedo: Signatè affirmando, aut repræſentando illius proſequibilitatem, nego maiorem. Ad cuius probationem eadem diſtintione reſpondeo, quod cognitio proponens obiectum indifferenter, ſeù cum indifferentia, non requiritur, quod ſignatè repræſentet, & multo minus, quod affirmet talem indifferentiam, ſeù proſequibilitatem, & non proſequibilitatem, tum quia hæc proſequibilitas, & non proſequibilitas ſolum poteſt ſignatè cognoſci per cognitionem reflexam, & ſpeculativam, quę minimè requiritur ad propoſitionem practicam: Tum, quia ſolum debet proponi voluntati ſignatè, quod voluntas ſignatè appetat; voluntas vero in obiecto ſignatè non appetit indifferentiam, nec proſequibilitatem, & non proſequibilitatem: Solum ergò requiritur quod in actu exercito, & ex modo repræſentandi, repræſentet bonum cum indifferentia vt proſequibile, & non proſequibile, ſi indifferentia ſit contradictionis, & quoad exercitium; hoc autem modo quam optimè poteſt repræſentari, & proponi per apprehenſionem, ſi apprehendatur vt bonum particulare, & finitum, quia hoc pacto propoſitum, fit in actu exercito proſequibile, & non proſequibile, ſeù ita proſequibile, quod non neceſſitat ad ſui proſequutionem.

93. Ad tertiam, nego maiorem. Ad eius probationem, diſtinguo maiorem: Cognitio indifferens ad affirmationem, & negationem indifferentia poſitiva, ſeù motiva ad vtramque, concedo maiorem: Ita vt ſit ſolum motiva ad affirmationem, & permiſſiva negationis, nego maiorem; & diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam; quia cognitio dubitativa ſolum dupliciter poteſt intelligi, nempè, vel quę ſit poſitivè dubitativa, vel quę ſit negativè dubitativa. Negativè dubitativa erit, quę nec ſuadet aſſenſum, nec diſſenſum, nec affirmationem, nec negationem, & huiuſmodi eſt illa apprehenſio *aſtra paria*, quę nullam repræſentat rationem moventem ad aſſenſum, nec ad diſſenſum: Poſitivè dubitativa eſſet, quę ex vna parte repræſentaret rationem moventem ad aſſenſum, & ex alia rationem moventem ad diſſenſum, quę partim moveret ad affirmationem, partim ad negationem; & dato, quod hoc ſit poſsibile in vnica cognitione, aut apprehenſione, fatemur, quod nec illa, nec quę eſſet negativè dubitativa, poſſet movere voluntatem, nec conſtitnere poſſe ad velle, nec liberum, nec neceſſarium. Cæterum apprehenſio ſuaſiva, quam ponimus poſſe movere voluntatem, & conſtitnere poſſe ad liberè volendum, non eſt dubitativa, nec poſitivè, nec negativè, ſed ſolum ſuaſiva aſſenſus, vel affectus voluntatis, non verò diſſenſus, aut negationis, & ideò poteſt movere, tum rationem practicè indicativam, tum etiam voluntatem, & conſtituit poſſe ad liberè approbandum, & volendum illud bonum.

94. Ad ea autem, quę replicat contra huiuſmodi apprehenſionem ſuaſivam, ad primum, conceſſa maiori, nego minorem, quia illud motivum repræſentat vt motivum in actu exercito, & conſequenter ſuaſivè, non autem cum indifferentia poſitiva ad affirmationem, & negationem, ſed ad ſummum cum inclinatione ad affirmationem, & permiſsione negationis, quod non ſufficit vt ipſa ſit intrinſecè dubitativa, & non ſuaſiva. Ad ſecundam, diſtinguo cauſalem: Quia eſt indifferens purè negativè, tam ad affirmationem, quam ad negationem, concedo: Quia eſt in-

indifferens purè permiſsivè ad negationem,& poſitivè movens ad affirmationem, nego cauſalem: Et diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam: Quia apprehenſio ſuaſiva aliter eſt indifferens, & coniungibilis cum affirmatione; & negatione; ac apprehenſio non ſuaſiva; nam apprehenſio non ſuaſiva merè negativè ſe habet, tam ad affirmationem, quam ad negationem, & ideò ſine vlla contradictione, aut repugnantia eſt coniungibile cum vtralibèt: Attamen apprehenſio ſuaſiva ſuadet, & movet ratione obiecti propoſiti ad affirmationem præcisè, & ſuaſivè repugnat, ſeù diſſuadet negationem; vndè licèt ſit permiſsivè indifferens, & coniungibile cum negatione, quia efficaciter, aut neceſſario non movet ad affirmationem, eſt tamen coniungibilis cum illa cum repugnantia, & contradictione ſuaſiva; hoc autem non tollit, immò probat, ipſam movere ex parte actus primi ad affirmationem, & conſtituere poſſe ad illam. Sicut dicimus de gratia moraliter excitante, & movente ad conſenſum liberum, quę licèt ſit coniungibilis permiſsivè cum diſſenſu, hoc non tollit, quod moveat ſuaſivè ad aſſenſum,& conſtituat poſſe liberũ ad ipſum. Ad tertiam, diſtinguo maiorem: Et non exiſtimans, nec apprehendens ita eſſe, concedo: Si apprehendat ita eſſe apprehenſione ſuaſiva, aut iudicio imperfecto, nego maiorem, & omiſſa minori, conſequentiam; quia,ſi audiens obiectum eſſe nocivum, vt poteſt, non apprehendat ſuaſivè obiectum ita eſſe, ſed apprehenſione purè negativè ſe habente à ita eſſe, vel non, fateor, quod non movebitur ex illa ad fugam; attamen, ſi apprehendat ſuaſivè illud ita eſſe, moveri poteſt ex ipſa ad fugam liberam illius obiecti.

95. Ad quartum, reſpondeo, quod duplex debet diſtingui apprehenſio ſuaſiva, vna ſuaſiva ſpeculativè, & ſub ratione veri ad iudicium ſpeculativum; alia ſuaſiva practicè ſub ratione boni. Ratio huius diſtinctionis eſt, quia intellectus per ſuam vim apprehenſivam eſt repræſentativus obiecti, & ſibi, & voluntati; eſt quidem repræſentativus obiecti ſibi ſub ratione veri, movendo ſe ipſum ſub ratione veri ad aſſenſum ipſius obiecti, & hanc apprehenſionem voco ſpeculativè ſuaſivam, tum quia ſuadet vnicè ſub ratione veri, tum quia non ſe extendit ad repræſentandum obiectum alteri potentię, ſed ſolum ipſi intellectui, & dum intellectus non ſe extendit ad aliam potentiam, ſed intra ſuam ſphæram movet, aut ſuadet, aut dirigit, ſpeculativè procedit, & non practicè, licèt poſſit ſecundum quid appellari practicus, in quantum per vnam cognitionem movet ad aliam, vt ſupra dicebamus, *nu.* 51. Eſt etiam intellectus per apprehenſionem repræſentativus obiecti ſub ratione boni, non ſibi, ſed voluntati, & hoc pacto eſt talis apprehenſio ſuaſiva, non tam intellectus, vt affirmet, vel neget, quam voluntatis, vt appetat, & proſequatur tale obiectum; & hanc apprehenſionem voco, ſimpliciter loquendo, practicè ſuaſivam, quia per illam intellectus ſe extendit repræſentando, & ſuadendo alteri potentię à ſe diſtinctę; nempè voluntati. Hac igitur diſtinctione ſuppoſita, in forma diſtinguo maiorem: Ex eo quod ſit ſuaſiva ſpeculativè, & ſub ratione veri, ſolũ ſequitur quod poſſit movere intellectum ad aſſenſum perfectum de obiecto apprehēſo, concedo maiorem: Ex eo quod ſit ſuaſiva practicè, & ſub ratione boni, nego maiorem, & minorem de apprehenſione ſuaſiva practicè, & ſub ratione boni, quia hoc pacto non movet intellectum, ſed affectum, ſeù voluntatem, vt liberè afficiatur erga illud obiectum. Vel ſi movet intellectum ad iudicium perfectum, movet intellectum, non vt ſpeculativum, ſed vt practicum ad iudicium liberum practicum; implicat autem movere intellectum practicum ad iudicium liberum practicum, niſi movendo etiam voluntatem, nam intellectus practicus non iudicat liberè, niſi movente voluntate, & ex præſuppoſito actu voluntatis. Ad vltimam iam conſtat, quam ſundata ſit hæc noſtra doctrina in Div. Thom.

96. Mitto, quod ſi fundamenta prædicta aliquid probant, probāt apprehenſionē boni non poſſe movere voluntatem, nec ad ſubitam, aut neceſſariam volitionem, cuius contrarium ipſe ſupponit. Ratio eſt, quia indè probat non poſſe movere ad amorem liberum, quia eo ipſo, quod eſt ſimplex apprehenſio, eſt dubitativa, quia nihil affirmat, aut negat, & eſt coniungibilis cum affirmatione, & negatione, & quia ad ſummum poteſt ſuadere intellectui; & ipſum movere ad perfectum iudicium: Sed totum hoc probat, nec poſſe movere voluntatem ad affectum ſubitum, aut neceſſarium, quia apprehenſio purè dubitativa, & ad ſummum ſuaſiva intellectus vt iudicet, non movet ex hoc voluntatem vllo modo: Ergò.

97. Mitto ſecundò, quod D. Th. ſæpiſsimè definit appetitum intellectualem, *qui ſequitur ad formam apprehenſam*, vix tamen vnquam invenitur, vbi illum definiat, *qui ſequitur ad formam iudicatam*, quod ſatis indicat formam apprehenſam eſſe motivum

vt apprehenſam appetitus intellectualis vt talis, & conſequenter vt liberi, & non præciſè formam, ſeu bonum iudicatum. Mitto tertiò, quod communiſſimum eſt inter Thomiſtas cum Div. Thom. inquirere vtrum ratio formalis finalizandi, ſeu movendi in fine, ſit apprehenſio, an bonitas apprehenſa: Vbi manifeſtè ſupponunt bonitatem finis vt apprehenſam movere voluntatem, & non ſolum vt iudicatam.

98. Mitto quartò, quod difficillimè explicabitur à contrarijs, quid ſit iudicium indifferens conſtitutivum libertatis in actu primo, præſertim libertatis quoad ſpecificationem ad plura bona ſe habentis. Nam in primis dici non poteſt, quod ſit iudicium ſimùl indicans de pluribus ea eſſe bona, & appetibilia, nam vel hoc affirmat de pluribus vt pluribus, & hoc repugnat, quia intellectus, præſertim per vnicum iudicium, non poteſt intelligere, nec iudicare plura vt plura, vt communiter docent Thomiſtę. Vel de pluribus collectivè, & per modum vnius, & tunc ſenſus illius iudicij erit, quod illa plura obiecta collectivè, & per modum vnius ſunt bona, & appetibilia, quo pacto libertas quoad ſpecificationem per illud conſtitui nequit, quia hæc non eſt reſpectu plurium vt collectivè appetibilium per modum vnius, ſed reſpectu plurium vt diviſim appetibilium, hoc eſt, cuiuslibet, cum excluſione aliorum, vel alijs relictis. Nec dici poteſt, eſſe plura iudicia, quorum quodlibet proponat ſuum obiectum vt appetibile, & non appetibile; tum quia iam non dareiur iudicium indifferens ad plura ſpecie diverſa, ſeu indifferens quoad ſpecificationem, ſed ſolùm plura iudicia determinata ſingula quoad ſpecificationem, cum indifferentia cuiuslibet quoad exercicium, quod ſanè eſt dicere, quod nullum datur iudicium indifferens quoad ſpecificationem. Et item non levis repugnantia eſt in eo, quod ſimùl concurrant ex parte actus primi ad conſtituendam libertatem quoad ſpecificationem plura iudicia circa bona diverſa, & oppoſita, quorum quodlibet iudicet ſuum obiectum eſſe hic, & nunc eligibile præoppoſito, nam ſe ipſa contradicerent iudicativè, quod manifeſtè repugnat in intellectu eodem. Nec demum dici poteſt, iudicium indifferens tantum poni ad conſtituendum poſſe liberum libertate contradictionis, ſeu quoad exercitiū, & ſic ſolum intelligi per iudicium indifferens illud, quod proponit vnicum obiectum vt proſequibile, & non proſequibile, cum indifferentia, ſcilicet, ad illud non proſequi. Non inquam, quia ad conſtituendam libertatem purè quoad exercitium, vt eſt libertas circa finem, iam vidimus ex Div. Thom. ſatis eſſe apprehenſionem. Tum etiam, quia iudiciū, quod vocant determinatum contra diſtinctè ab indifferenti, etiam eſt indifferens quoad exercicium, ſiquidem poteſt à voluntate acceptari, vel non acceptari, vt inquiunt. Et rurſus, quia reſtat explicare per quam cognitionem conſtituatur libertas quoad ſpecificationem. Hæc enim ſunt difficultates, quę non facilè expediri poſſunt, vt ſi quis ex profeſſo eas diſſolvere velit, experietur. Non ergò libertas exigit conſtitui per iudiciū indifferens.

99. Conſtituitur ergò primordialiter in actu primo per apprehenſionem boni vniverſalis, ſeu in communi, quę eſt obiectivè indifferens ad plura bona ſpecie diverſa, quia licèt ſit vnica apprehenſio practica, eſt apprehenſio boni vt indifferenter contrahibilis, & applicabilis per plures apprehenſiones particulares ad plura bona particularia. Deindè conſtituitur proximè libertas quoad ſpecificationem ad plura bona ſpecie diverſa, per apprehenſiones particulares ſuaſivas, vnaquaque ſuadēte ad amorē, & approbationē ſui obiecti, ſeu per plures cogitationes alicientes ad diverſa obiecta, ſeu allicientes, & retrahentes obiectivè ad approbationem, & amorem, vel ab approbatione, & amore eiuſdem obiecti, quę apprehenſiones, & cogitationes, licèt ſuaſivè, & alicitivè ſint inter ſe contrarię, benè poſſunt ſimùl concurrere in eodem intellectu practico; & reſpectu eiuſdem voluntatis, quia benè poteſt idem intellectus, & voluntas ſimùl quati, & ſolicitari diverſis apprehenſionibus ſuaſivis, & cogitationibus in contraria trahentibus in actu primò; quod de iudicijs dici nequit, quia idem intellectus nequit ſimùl iudicare, aut approbare iudicativè cōtraria. Libertas autem contradictionis, ſeu vnicè quoad exercitium, quę ſemper eſt reſpectu vnius boni tantum, vel finiti, vel infiniti obſcurè propoſiti, ſufficienter conſtituitur per apprehenſionem ſuaſivam illius.

100. Et hæc quidem de cognitione conſtitutiva libertatis in actu primo obiter dixerim, occaſione præcedentis argumenti. Quę tamen nolim haberi tanquam mea vltima reſolutio de hoc aſſumptò, quia forſan de illo alibi ex profeſſo tractabo. Rogo tamen, vt ſi quis ſingularitatis, & novitatis me accuſare tentaverit, & Anti-Thomiſtam, vt aliqui improperant, eſſe vulgare voluerit, conſideret, quod verus Thomiſta, non à Sequela Thomiſtarum, in eo in-

quo

Digitized by Google

quo Div. Thom. ſequi ſe non probaverint, ſed à ſequela Div. Thom. dicitur; ac proindè illius erit probare prius, me negaſſe Doctrinam ipſius Div. Thom. aut ab illa diſceſſiſſe; alioquin improperium quidem erit mihi haud parum ſenſibile, quia Thomiſtę non ſolum realitatem, ſed, & nomen glorioſum magni ęſtimo; ſed immerito, & prolibito illatum: Mirum quippè eſt, vt ſiquis à RR. Thomiſtarum cætu, qui ab initio, vel medio labentis ſæculi ſcripſerunt, vel in ſententia, vel in methodo dicendi diſceſſerit propter genuinam ipſius Div. Thom. ſequelam, ſtatim è Choro Thomiſtarúm, velut ſpurius reijciendus ſit, & ſingularitatis, ac novitatis inter ipſos notandus. Fateor quidem, communes, quę habentur ſententias plerumque, & in pleriſque veras eſſe, nego tamen quod ſemper, & in omnibus indefectibiliter verę ſint, & ideò plerumque, & in pleriſque ſequendas; ſed non ſemper, & in omnibus; fateor etiam cætum communem Thomiſtarum plerumque, & in pleriſque Div. Thom. mentem aſſequutos, ſed non ſemper, & in omnibus indefectibiliter, & ideò à vero Thomiſta vt in plurimum imitandos, ſed non ſine raris, & aliquibus exceptionibus; propter quas, non ſingularitatis, aut novitatis accuſandus eſt, ſed ingenuitati, & veritatis amori imputari poterit; non enim eſt ſingularitatis, aut novitatis reus, qui ſententias communes ſequitur ea vniverſalitate, qua verę habentur, & ſequendę, nempè, vt in plurimum, & in pleriſque, non tamen ſemper, & in omnibus ſine exceptione, ſed cum aliquibus exceptionibus, in quibus ratio ipſa communem ſententiam à vero deviaſſe ſuaſſerit.

DOCTRINA PRÆCEDENS præſenti inſtituto applicatur, & aliqua dubia deciduntur.

101. EX prædicta doctrina iam conſtat, qualiter pia affectio ſupernaturalis non debet regulari ex cognitione iudicativa perfectè, ſed ſufficit ad illam regulandam apprehenſio ſuaſiva, ſeù iudicium imperfectum. Quia ſicut in ordine naturali incipit deliberatio ab apprehenſione boni vniverſalis, & appetitu illius, ita in ordine ſupernaturali incipit ab apprehenſione, & appetitu boni repromiſſi, ex quo, iuxta Div. Thom. movetur homo ad credendum liberè: Sicut ergò ad primum appetitum boni vniverſalis non præcedit, nec præcedere debet iudicium, ſed ſatis eſt apprehenſio ſuaſiva ex inſtinctu naturę, ſic ad appetitum illum ſupernaturalem boni repromiſſi, non requiritur iudicium perfectum de illo, ſed ſatis eſt apprehenſio ſuaſiva ex inſtinctu gratię. Eſt tamen hæc differentia, quod appetitus boni vniverſalis intra ordinem naturę eſt neceſſarius, & naturalis quoad ſpecificationem, & ſolum liber quoad exercitium, quia ad illum quoad ſpecificationem eſt voluntas naturaliter determinata, & quia nihil poteſt velle contrarium illi bono vniverſali, quia quę quamque voluerit, vult ſub ratione boni vniverſalis. Attamen appetitus ſupernaturalis boni repromiſſi, non ſolum eſt liber quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpecificationem, tum quia voluntas non eſt naturaliter determinata ad ipſum quoad ſpeciem, ſed ſolum ex inſtinctu gratię, cui per naturam poteſt præſtare impedimentum: Tum quia per naturales vires poteſt velle bonum contrarium illi bono repromiſſo, nempè, ponendo vltimum finem, vel beatitudinem in bonis purè naturalibus, aut temporalibus. Quod explicari poteſt in Angelo, de quo eſt ſententia Div. Thom. quod non poteſt peccare directè contra finem, & legem naturalem, nec aliquid contra illam appetere, & ideò circa illam non habet libertatem contrarietatis, attamen poteſt peccare directè contra legem, & finem ſupernaturalem, & ideò circa illam habet libertatem contrarietatis, ſic ſimiliter in noſtro caſu.

102. Sed, vt magis hæc doctrina explicetur, inquires primo, quo pacto ex appetitu illo boni repromiſſi deſcendit voluntas ad imperandum aſſenſum fidei? Reſpondeo, quod vel credituro proponitur tantum Catholica Fides, vel occurrunt etiam illi Sectę diverſę, & contrarię? Si tantum proponitur Fides, vel Doctrina Catholica, ex appetitu illo boni repromiſſi, aut, quod idem eſt, fœlicitatis, & beatitudinis ſupernaturalis, movet voluntas intellectum, vt attendat motivis, quibus ſuadetur, & ea conſideret; in quorum conſideratione, ſi fiat ſuperno lumine, vt fit, quando fit ex appetitu ſupernaturali prædicto, repræſentatur ei, & apprehendit ſuaſivè Doctrinam Catholicam, vt divinitus revelatam, & veram; ſed quia hæc apprehenſio eſt obſcura, licèt ſuaſiva, non determinat intellectum ad aſſenſum, & propterea ſubſequitur alia etiam obſcura, ſed ſuaſiva, quę repræſentat Doctrinā Catholicā vt bonam propter fœlicitatē ęternā quam promittit, & tunc ex ipſo appetitu ſupernaturalis beatitudinis afficitur voluntas

cer-

circa illam doctrinam vt bonam, & hoc affectu movet intellectum vt illi præſtet aſſenſum perfectum, & ſic illum captivat in obſequium fidei, & hoc eſt, primum iudicium perfectum, & liberum ordinis ſupernaturalis, in quo, tanquam in primo fundamento, firmantur, & fundantur cæteræ virtutes, tam Theologicæ, quam morales; ante illud tamen, id eſt, ante fidei iudicium, nullus eſt actus ſupernaturalis perfectè deliberatus, nam deliberatio prima ordinem ſupernaturalem, ſeù gratiæ, initians, incipit in apprehenſione boni ſeù beatitudinis ſupernaturalis, & appetitu ipſius; proſequitur in apprehenſione Doctrinæ Catholicæ, conſideratione, & collatione motivorum, ſub quibus proponitur, & apprehenſione eiuſdem doctrinæ, tùm vt veræ, tùm vt bonæ; conſumatur autem dum voluntas piè afficitur erga ipſam, & ex hoc pio affectu motus intellectus liberè iudicat illam eſſe vnicè veram propter authoritatem Dei revelantis. Antecedenter enim ad hoc iudicium liberum, & deliberatum, homo quidem apprehendendo, cõferendo, cõſiderando, & imperfectè iudicando deliberat, ſed non conſumat, nec perficit deliberationem, niſi in tali iudicio perfecto, & abſoluto aſſenſu fidei. Si autem credituro occurrant, aut proponantur aliæ Sectæ, ita vt credere non poſsit, niſi præferendo vnam alteri, idem ſervatur ordo, cum hac ſola diſtinctione, quod ſuppoſita apprehenſione, & appetito beatitudinis ſupernaturalis, eſt neceſſaria maior, & magis exacta collatio Religionis, & Doctrinæ, & motivorum vtriuſque Religionis occurrentis, niſi huiuſmodi collationem, & conſiderationem ſupplicat cœleſtis illuſtratio, vt ſuprà dicebamus, *quæſt. præced.*

103. Sed obijcies: Ante perfectum aſſenſum, & iudicium fidei præcedit, vel ſaltèm præcedere poteſt iudicium evidens de credibilitate doctrinæ: Ergò falſum eſt, quod in illa deliberatione nullum præcedit iudiciũ. Reſpondeo, diſtinguendo antecedens, præcedit, vel præcedere poteſt iudicium evidens naturale de credibilitate doctrinæ vt naturaliter cognoſcibili, concedo antecedens: iudicium evidens ſupernaturale, de credibilitate doctrinæ, vt ſupernaturaliter cognoſcibili, nego antecedens, & conſequentiam in eodem ſenſu, quia nos non negamus, quod in illa deliberatione neceſſaria ad credendum poſsit intercedere iudicium perfectum de aliquo, vel aliquibus obiectis naturalibus, ſeù naturaliter cognoſcibilibus; poteſt enim, & debet præcedere evidens iudicium de propoſitione doctrinæ facta à Miniſtris immediatis, à quibus evidenter auditur: Poteſt etiam, & debet præcedere iudicium fidei humanæ moraliter certum de eo, quod ſic proponitur, & tenetur ab vniverſali Eccleſia Catholica viſibiliter, ſicut à Miniſtris immediatis, & de authoritate, quam Eccleſia ipſa viſibiliter præſefert, prout cognoſci poteſt lumine naturali, aut fide humana: Ex quibus ſic cognitis, poteſt etiam intercedere, ſeù præcedere iudicium evidens de eo quod doctrina ſic propoſita eſt prudenter credibilis credibilitate negativè ſe habente, ſeù præcindente à fide ſupernaturali, & conſiſtente in motivis propoſitis prout lumine naturali præiudicatis, aut creditis fide humana, vel humano diſcurſu: Solùm ergò dicimus, quod ante fidei iudicium nullum regulariter, & iuxta providentiam ordinariam præcedit iudicium abſolutum, & perfectum de rebus ſupernaturalibus, vt talibus; vndè audiens prædicationem Evangelij, iudicat quidem evidenter. Illã ſibi viſibiliter proponi vt à Deo verè revelatam, & conteſtatam ſignis, & portentis quia, quod ita proponatur eſt quid naturale, & naturaliter evidens; ſed an re ipſa ita ſit, ſicut proponitur, antecedenter ad fidem apprehendit ſuaſivè, ſed non perfectè iudicat, antequam fide divina credat: Et etiam iudicat iudicio fidei humanæ, quod tota Eccleſia Catholica ſic illam viſibiliter tenet, & proponit cunctis, authoritate magna, quam habet in terris, quia hoc etiam eſt quid evidenter cognoſcibile ab hominibus, & de quo homines teſtificari poſſunt, & illis adhiberi certa fides, ſed quod Eccleſia ſit organum Spiritus Sancti, quod eius authoritas ſit divina participativè, ſeù applicativè, quod ſit infallibilis omninò in proponendo res fidei, id quidem apprehendere poterit ante iudicium fidei, apprehenſione ſuaſiva, ſed no nperfectè iudicare, nec iudicio evidenti, nec iudicio fidei humanæ, quia non poſſunt teſtificari homines, vt homines, nec illis vt purè hominibus fides firma adhiberi poteſt, de his, vtpotè ſupernaturalibus, de quibus nullam habent evidentem experientiam, aut ſcientiam. Poteſt etiam audiens prædicationem Evangelicam iudicare ante fidem, iudicio certo fidei humanæ, Evangelium fuiſſe confirmatum miraculis, & portentis, ſecundum viſibilem apparientiam, de qua homines potuerunt habere evidentiam, & experientiam, & de qua teſtificari poſſunt, & illis firma fides adhiberi, ſed quod ea miracula fuerint re ipſa vera, verè à Deo patrata, & in inconfirmationem talis doctrinæ, ſolum apprehendi poteſt, apprehenſione ſuaſiva, antecedenter

denter ad fidem, non verò evidenter indicari, adhùc ab ipſis, qui miracula viderunt, nec à poſteris certo per fidem humanam cognoſci, qùia de his non poſſunt homines, vt homines, teſtificari, cum ſint ſuprà humanam experientiam, & evidentiam; & conſequenter, nec cadunt ſub fide humana firma, & prudenti. Poteſt etiam præcedere iudicium evidens de credibilitate doctrinę, ſecundum quod reſultat ex prædictis motivis cognitis, aut creditis ſecundum viſibilem, & experimentalem apparientiam, aut naturalem evidentiam, quo pacto poteſt appellari credibilitas naturalis, quę negativè tantum diſponit ad fidem divinam vt talem, ſed nequit præcedere iudicium evidens de credibilitate poſitiva determinatè per fidem infuſam, quę poſitivè moveat, aut diſponat ad illam vt talem; quia hæc vnicè fundatur in motivis credibilitatis ſecundum internam, & ſupernaturalem veritatem eorum, & in authoritate divina per Eccleſiam verè manifeſtata, de quibus in hac conſideratione evidentia non habetur, ſed ſolum fides, & ideò ante fidem præcedit ſolum horum apprehenſio ſupernaturalis ſuaſiva, vi cuius doctrina fidei in actu exercito repræſentatur, vt proximè credibilis poſitivè per fidem divinam modo ſatis explicato.

104. Rogabis ſecundo, quo pacto requiratur, aut conducat iudicium evidens naturale de credibilitate naturali iam explicata? Reſpondeo, tale iudicium requiri tanquam diſpoſitio negativa, & vt pura conditio, non eamquam diſpoſitio poſitiva, aut poſitivè movens ad fidem infuſam. Ratio huius ſcundi eſt, quia cum ſit evidentia naturalis, aut naturale iudicium, non poteſt eſſe poſitiva diſpoſitio ad ordinem gratię, qui per fidem infuſam inchoatur. Ratio primi eſt, *quia fides ex auditu, auditus autem per Verbum Chriſti; quo modo autem audient ſine prædicante. Sed dico, nunquid non audierunt, & quidem in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines Orbis terrę verba eorum*: Requiritur ergò ad credendum, quod qui crediturus eſt evidenter iudicet ſibi propòni, & prædicari doctrinam cum ea credibilitate, quam evidenter audit, & ſub eis motivis, quę quantum ad externam apparientiam reddant doctrinam prudenter credibilem credibilitate negativa iam explicata, hoc eſt purè negativè diſponente ad fidem infuſam, modo latè explicato *ſuprà diſput. 4. quæſt. 4.* Noto tamen, non requiri, quod hoc iudicium talis credibilitatis ſit ſemper reflexum, aut ſignatum de credibilitate ipſa, ſed quod audiens prædicationem evidenter cognoſcat illam ſibi ſic prædicari, quod in actu exercito cognoſcat illam vt credibilem, præſcendendo negativè ex vi talis evidentię naturalis à modo credibilitatis, aut fidei naturalis, & ſupernaturalis; quo modo tam ſimplices, quam ruſtici, evidenter cognoſcunt doctrinam ſibi proponi, abſque vlla reflexione, aut diſcurſu motivorum; & concurrente divina illuſtratione altius illam doctrinam apprehendunt vt in actu exercito credibilem fide divina modo ſuprà explicato, *quæſt. præced. num. 10.*

105. Rogabis tertio, an prę requiratur fides humana ante fidem divinam? Reſpondeo, requiri, non de eodem omnino obiecto, de quo per ſe eſt fides divina, ſed de obiecto naturali prævio. Explicatur: Quando proponitur, aut prædicatur alicui fides Catholica, prædicatur vt conteſtata miraculis, & ſignis, & vt promulgata per Apoſtolos, & per Eccleſiam: in hoc autem duo includuntur; primum viſibile, & evidenter cognoſcibile ab hominibus, de quo homines vt homines teſtificari poſſunt, & facere fidem firmam, & authenticam, nempè, patratio miraculorum, & ſignorum, ſecundum quod ſenſibus apparuerunt, & evidentię naturali fuerunt manifeſta, & teſtimonium viſibile Eccleſię, eiuſque authoritas viſibilis, & de toto hoc præcedere debet fides humana ex humana traditione. Secundum eſt; de quo non puſſunt homines, vt tales, teſtificari, nempè, veritas interna miraculorum, intentio divina confirmandi per ea doctrinam prædicatam, authoritas divina Eccleſię, & quod Deus per illam loquatur, quia homines, vt homines, hæc non vident, nec evidenter cognoſcunt; ſed ſolum Deus de his teſtificari, & fidem firmam facere poteſt, tanquam de rebus ſupernaturalibus, & ideò iſta per ſe pertinent ad fidem divinam, & non ad fidem humanam. Vndè fides humana, quę prærequiritur ad fidem infuſam, non eſt de eodem omnino obiecto, de quo per ſe eſt fides divina, ſed de diverſo. Fateor, quod ante fidem divinam poterit in aliquibus præcedere fides humana de eo quod Deus revelavit, quod Deus ipſe fuit, qui miracula patrabit, & de alijs obiectis ſupernaturalibus, de quibus eſt fides divina; ſed hæc præcedentia erit tempore anteriori, ſicut forma embrionis imperfecta præcedit formam perfectam viuentis, non tamen prioritate naturę in eodem inſtanti, tum quia fides humana, vtpotè ex ſe aliqualiter formidoloſa, non poteſt ſimùl compati in eodem ſubiecto circa idem obiectum cum fide divina. Tum, quia fides humana de aliquo obiecto nullam habet cau-

cauſalitatem, aut conducentiam ad credendum fide divina idemmet obiectum.

106. Rogabis quartò, an fides humana motivorum, aut iudicium evidens naturale credibilitatis prætequiſitum, & explicatum ſit regula fidei divinę? Reſpondeo negativè: Tùm, quia, vt explicatum manet, ſolum requiritur tanquam conditio pura, & vt negativa diſpoſitio ad illam. Tum quia non proponit per ſe nec obiectum formale motivum fidei, nempè divinam authoritatem vt revelantem, nec obiectum terminativum illius, nempè, res ſupernaturales, aut ſupernaturaliter cognoſcibiles, ſed ſunt de his, quę cadunt ſub experientia, aut evidentia humana, de quibus homines poſſunt teſtificari, & fidem facere. Vndè tandem concluditur, regulam propriam, & proximam proponentem intellectui motivum credendi fide divina, & res credendas ſub ratione veri, & proponentem voluntati eaſdem, & motivum volendi credere ſub ratione boni, eſſe apprehenſiones ſupernaturales ſuaſivas iam explicatas.

107. Rogabis quintò, quodnam ſit obiectum proprium pię affectionis ſupernaturalis? Reſpondet P. Sendin, eſſe honeſtatem moralem relucentem in actu credendi fide humana exiſtentiam motivorum credibilitatis. Sed hæc ſententia, paucis, credo, Theologis arridebit, nam omnes tenent piam affectionem eſſe ſupernaturalem; ad credendam autem exiſtentiam motivorum fide humana, ſuperfluit pia affectio ſupernaturalis. Et item quia honeſtas illa moralis in actu fidei humanę reſplendens eſt honeſtas purè naturalis, ac proindè illa ſolum motivare poterit, aut terminare affectum naturalem. Inquit, quod ad idem obiectum, & motivum poteſt dari actus naturalis, & ſupernaturalis, & ſic nihil obſtat quod ille actus fidei humanę, & eius honeſtas ſit purè naturalis, vt poſsit etiam motivare, & terminare actum ſupernaturalem pię affectionis. Sed prætermiſsis, quę ſuprà diximus contra ſententiam adſtruentem actus ſupernaturales ex motivo naturali; certum eſt, Deum in præſenti providentia non concurrere ſupernaturaliter ad actus, ad quos ſufficit per ſe natura ipſa, & ad quos homo gratia non eget; vndè ſolum ponimus concurſum gratię propter inſufficientiam, & indigentiam naturę: Sed ad actum credendi fide humana exiſtentiam motivorum vt cadit ſub fide humana, ſufficit per ſe natura, nam eſt actus purè naturalis: Ergò Deus de facto non concurrit ad ipſum ſupernaturaliter: Ergò nec datur ad ipſum pia affectio ſupernaturalis, aliàs Deus per illam concurreret ſupernaturaliter.

108. Reſpondent alij, obiectum pię affectionis eſſe honeſtatem ſupernaturalem in actu credendi fide divina repertam. Sed nec huic ſententię acquieſco, quia affectio movens aliquem ad credendum regulariter non terminatur ad actum credendi, nec illum reſpicit vt obiectum, ſed illum cui credit, vel rē credendam, vndè dum credimus ex affectu, non credimus ex affectu ad ipſum credere, ſed ex affectu ad eum, cui credimus, quia affectio erga ipſum movet nos ad illi credendum, vel ex affectu ad res creditas, quia nobis placet, quod alius narrat, quia nempè narrat aliquid vel nobis vtile, vel aliomodo bonum, circa quod afficitur voluntas, & ex hac affectione credit illud. Dicere autem quod credit ex affectu ad ipſum credere, eſt quid prorſus inauditum, & aliàs petit reflexionem quandam ſuprà ipſum actum credendi inutilem, aut ſaltèm minimè neceſſariam, quia credens, aut crediturus vnicè intendit ad dicentem, & ad rem dictam directè, tam intellectu, quam voluntate.

109. Vndè conſequenter dico, quod pia affectio movens ad credendum fide divina non reſpicit pro obiecto, nec motivo, nec terminativo, actum ipſum credendi, nec honeſtatem formalem illius, ſed bonitatem obiectivam fœlicitatis ſupernaturalis nunciatę per Doctrinam Evangelicam. Tum, quia iuxta Div. Thom. pia affectio eſt appetitus quidam boni repromiſsi, quod eſt præmium vitę ęternę, vt ipſemet inquit. Tum, quia debet eſſe affectio erga loquentem, vel erga res dictas, vt explicatum manet: Si eſt affectus ſupernaturalis erga Deum, vel eſt benevolentię, vel concupiſcentię; benevolentię ante fidem dari nequit, quia eſt affectus proprius charitatis: Debet ergò eſſe concupiſcentię; hæc autem coincidit cum affectu, ſeu appetitu boni repromiſsi, quia eſt affectus erga Deum vt bonum mihi. Si autem ſit affectus erga res dictas, & prædicatas in Evangelio, quod magis in his movet affectum eſt vita ęterna in Evangelio repromiſſa: Sed hoc eſt bonum repromiſſum; ergò tandem obiectum proprium ſivè terminativum, ſivè motivum pij affectus, vel affectionis eſt, vt inquit Div. Th. bonum repromiſſum.

110. Sed dices: Vt homo credat, neceſſe eſt, quod velit credere, quia credere nequit niſi volens; ſed vult credere per piam affectionem: Ergò pia affectio eſt voli-

litio credendi? Sed volitio credendi habet pro obiecto actum credendi: Ergò. Secundò: Quia pia affectio movet ad actum credendi: Sed non poteſt movere niſi ad actum, quem vult: Ergò vult actum credendi: Ergò hic eſt eius obiectum. Tertio, quia debet eſſe imperium actus credendi: Sed imperium habet pro obiecto actum imperatum: Ergò. Reſpondeo ad primum, diſtinguendo maiorem: Neceſſe eſt, quòd velit credere ſignatè, & directè volendo ipſum credere, nego maiorem: Exercitè, & indirectè, concedo maiorem, & diſtincta minori eodem modo, pariter diſtinguo conſequens, & minorem ſubſumptam; quia ſicut nemo amat, niſi velit amare, quin tamen probetur indè, eſſe neceſſariam ad amandum volitionem, qua quis velit ſignatè, & reflexè amare, ſed ſatis eſt, quod voluntariè amet, quia per hoc in actu exercito vult amare; ita nemo credit niſi volens credere, ſed ad hoc opus non eſt, quod ſignatè velit credere, ſed ſatis eſt, quod voluntariè credat, & ad hoc ſatis eſt, quod credat motus ex voluntate circa obiectum credendum. Ad ſecundam, concedo maiorem; & nego minorem, quia cum voluntas, & intellectus ſint duę potentię coniunctiſsimę, & invicem ſubordinatę, dum vna reſpicit obiectum alterius, alteram ſecum fert, & trahit vt in tale obiectum intendat, & feratur, & ſic dum voluntas ſuo affectu fertur in aliquod obiectum intellectus, ipſo affectu ſecum fert intellectum in ipſum, & ipſum movet vt aſſentiat. Vndè ſicut intellectus non dirigit voluntatem ad amorem, vel volitionem obiecti proponendo voluntati ſignatè ipſum amorē, vel volitionem, ſed ſolum proponendo illi obiectum amandum, vel volendum, ita voluntas non movet intellectum ad actum credendi volendo ipſum actum credendi ſignatè, ſed volendo obiectum ipſum credendum, & per piam affectionem ad ipſum: Et ſicut voluntas non movet ſe ipſam ad eligendum per actum, quo vult ſignatè eligere, ſed per ipſam intentionem finis vt efficacem vrget ſe ipſam, vt quærat, & eligat media in ordine ad ipſum finem, ſic etiam movet intellectum ad credendum per appetitum boni repromiſsi, quatenus per illum vrget intellectum vt aſſentiatur doctrinę, in qua tale bonum repromittitur. Ad tertium, diſtinguo maiorem: Debet eſſe imperium actus credendi, vel formale, vel virtuale, concedo: Formale de neceſſitate, nego maiorem, & diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam, quia dato quod imperium formale debeat reſpicere pro obiecto actum imperatum, hoc imperium non requiritur ad actum credendi, ſed ſatis eſt imperium virtuale, qualis eſt affectus efficax erga doctrinam fidei propoſitam, propter felicitatem, quam promittit, quia hic affectus indirectè, & virtualiter habet vim imperij, quatenus in actu exercito inclinat, & vrget intellectum, vt illi doctrinę aſſentiat. Vndè valdè advertendum eſt, quod licèt, quando hoc explicamus, loquamur per terminos reflexos, dicendo, quod voluntas vult credere, quod movet ad actum credendi, quod imperat actum credendi, & alia huiuſmodi, in quibus actus credendi ſignificatur vt obiectum ſignatè, & quaſi reflexè volitum à voluntate, hoc ideò evenit, quia modum, quo voluntas vult exercitè ſuoſmet actus, & actus intellectus, explicare nequimus niſi modo ſignato, vt cum dicimus, quod voluntas amat volens amare in actu exercito, vbi ipſum amare ponimus, & ſignificamus tanquam obiectum volitum, quio tamen ita ſit in re, quia in re eſt exercitium volendi, & non obiectum, ſed aliter loqui non poſſumus, quando explicamus voluntarietatem exercitam ipſius amoris. Sic igitur in noſtro caſu explicari nequit voluntarietas exercita actus credendi, niſi ſignificando vt obiectum volitum ipſum credere, ſed tamen in re hoc non requiritur, ſed ſatis eſt, quod in actu exercito ipſe affectus voluntatis ferat ſecum intellectum, & ipſum determinet, vt aſſentiatur obiecto propoſito, & volito.

110. Notandum tamen eſt, quod pia affectio poteſt conſiderari cum maiori, vel minori indifferentia, aut determinatione, quia cum in omni Religione, ſivè vera, ſivè affectata promittatur vita beata, & felicitas ęterna, poteſt incipere motus hominis ad credendum, ex apprehenſione vniverſali, & indifferenti felicitatis ęternę, aut boni repromiſsi, & ex appetitu vniverſali ipſius, non determinando pro illo ſigno, ſeu præſcindendo à Religione determinata, in qua verè, & realiter inveniatur illa felicitas, & tunc ex illo appetitu vniverſali incipit homo moveri ad quærendam veram Religionem, in qua non falſo, ſed cum veritate promittatur illa felicitas, & illud bonum; & tunc ſine dubio, ſi debitè inquirat, ei proponetur Religio Catholica, & in ea cum determinatione apprehendet intellectus, & appetet voluntas veram, & ęternam felicitatem, & tunc pia affectio iam non eſt vniverſalis, & indifferens, ſed determinata, & efficaciter movens ad aſſenſum huius determinatę Religionis. In primo quidem ſigno non ha-

 bet

bet vim imperij, quia non ſupponit conſultationem, aut collationem Religionis, & Religionis, nec motivorum, nec determinatè adhùc movet ad aſſenſum; at ſuppoſita iam debita collatione, & conſideratione, & apparenter ſuaſivè per apprehenſionem ſupernaturalem ſola Religione Catholica vt vera, tunc iam pia affectio habet determinatam efficaciam, & vim imperij, vt intellectus illi credat.

QUÆSTIO XI.

À QVO PRINCIPIO ELICIATVR pia affectio, & cognitio illius regulativa? Et qua ſerie ordinentur actus intellectus, & voluntatis in generatione fidei?

1. CIRCA primam partē quæſtionis plures referuntur ſententię, nam alij affirmant actum pię affectionis elici medio auxilio tranſeunte, & non requiri ad ipſum habitum ſpecialem. Alij quod elicitur vnicè ab habitu charitatis. Alij ab habitu fidei. Alij à virtute obedientię. Alij à virtute Religionis.

2. Sed omnes iſtę ſententię facilè convelluntur. Prima enim deficit, ſi vniverſaliter intelligatur, quia licèt in prima fidei generatione, quando aliquis adultus, anteà infidelis, convertitur ad fidem, ad primum actum pię affectionis non ſupponatur habitus, ſed ſolum auxilium tranſiens, quia per illum primum actum diſponitur ad ſuſcipiendum habitum, tamen ſuppoſito iam habitu fidei, ad eliciendum actum pię affectionis connaturaliter requiritur habitus in voluntate: Ergò tunc non ſufficit auxilium tranſiens. Probatur antecedens, quia ad eliciendum actum fidei connaturaliter poſt fidei generationem in ſubiecto requiritur, & ponitur habitus fidei; & non ſufficit auxilium tranſiens: Ergò pariter requiritur, & debet poni in voluntate habitus ad eliciendum actum pię affectionis. Probatur conſequentia, quia propterea requiritur, & ponitur ad actum fidei regulariter, & connaturaliter eliciendum habitus, quia eſt actus virtuoſus, & ſupernaturalis per ſe neceſſarius ad rectè exercendam vitam ſupernaturalem, nam hoc titulo ponuntur habitus ad actum charitatis, ſpei, & reliquarum virtutum ſupernaturalium, quia nimirum opus eſt quod homo, vt viuat ſupernaturaliter, habeat facultatem permanentem, & principium permanens illorum actuum, quibus regulariter exercetur vita ſupernaturalis: Sed non minus ſupernaturalis, & regularis eſt actus pię affectionis, nec minus neceſſarius ad vitam ſupernaturalem, quam actus fidei, ſiquidem non poteſt elici actus fidei ſine illo, vt oſtenſum manet: Ergò ad illum requiritur habitus, ſicut ad actum fidei.

3. Secunda ſententia, nempè, quod ſemper, & vnicè elicitur ab habitu charitatis, tribuitur Bayo, & eſt erronea, quia ſentit non dari actum verę fidei ſine charitate, ſiquidem non datur actus fidei ſine pia affectione: Ergò ſi pia affectio ſemper eſt ex charitate, non dabitur actus fidei ſine charitate, & conſequenter in peccatoribus non perſeberavit verè fides, amiſſa charitate; hoc autem eſt hæreticum. An autem in eo, qui habet charitatem, pia affectio ſit ab habitu charitatis, dubitari poteſt? Reſpondeo tamen primò, certum eſſe, quod non ſemper eſt ab habitu charitatis, quia habens charitatem non ſemper credit ex imperio charitatis, ſed credere poteſt ex motivo boni repromiſsi, & ex ſolo affectu erga res credendas iam explicato. Dico ſecundò, quod adhùc, quando credit quis ex imperio charitatis, verò ſimilius eſt, quod etiam intercedit actus proprius pię affectionis licèt à charitate imperatus; & ratio eſt, quia actus fidei, & pię affectionis ſunt per modum vnius virtutis ſpectantis ad intellectum, & voluntatem modo infrà explicando, & ſic quando ex motivo charitatis quis credit, etiam ex motivo charitatis piè afficitur erga res credendas, quia integrum exercitium fidei in his duobus actibus conſiſtit, & integrum exercicium fidei exercetur ex motivo charitatis, vndè imperium charitatis non imperat immediatè aſſenſum fidei, excludendo motum pię affectionis medium, ſed medio illo, & imperando otiā ipſum: Veruntamen, ſi quis velit aſſerere, in prædicto caſu, imperium charitatis ſupplere pro actu pię affectionis, & actum pię affectionis non habere locum, quando quis credit ex motivo extrinſeco, & imperio charitatis, non facilè convinci poterit de falſitate. Vndè has duas ſententias probabilitati relinquo.

4. Tertia, quatenus aſſerit actum pię affectionis elici ab habitu fidei propriè, & formaliter ſumpto, quatenus eſt habitus intellectualis, falſa eſt, quia principium elicitivum cuiuſvis actus debet eſſe in ea potentia

cuius eſt talis actus : Sed actus pię affectionis eſt actus voluntatis : Ergò eius principium elicitivum debet eſſe in ipſa voluntate: Non ergò eſſe poteſt habitus fidei propriè, & formaliter acceptus, quatenus eſt habitus intellectualis. Si autem nomines habitum fidei habitum inchoativum, applicativū, & affectivum ad credendum, in hoc ſenſu benè poteſt habitus elicitivus pię affectionis dici habitus fidei, ſed impropriè, & hoc pacto non eſt in intellectu, ſed in voluntate.

5. Quarta, quatenus vult elici piam affectionem ab habitu obedientię; etiam falſa eſt, quia motivum formale obedientię eſt præceptum, & iuſsio Superioris : At motivum formale pię affectionis non eſt tale, vt oſtenſum manet, ſed bonum repromiſſum. Ergò. Nec in contra eſt, quòd actus fidei, cadit ſub obedientia, & ex obedientia elicitur; quia, hoc admiſſo, ſolum ſequitur, quod extrinſecè, & mediatè moveatur ex motivo obedientię, & imperetur ab obedientia, non verò quod ſit actus elicitus ab habitu obedientię, aliàs actus ſpei, charitatis, & reliquarum virtutum eſſent eliciti ab habitu obedientię, quia cadunt ſub obedientia, & ex obedientia eliciuntur.

6. Quinta ſententia etiam falſà eſt, quia obiectum proprium habitus religionis eſt honeſtas cultus, quo proteſtamur divinam excellentiam reſpectu noſtri in ratione primi principij, & vltimi finis noſtri : At motivum pię affectionis non eſt, nec per cogitationem, talis cultus, aut eius honeſtas, ſed bonum repromiſſum, aut doctrina credenda propoſita vt bona, vt explicatum manet : Ergò nequit eſſe actus religionis. Dices forſan : Obiectum pię affectionis eſt actus fidei, & eius honeſtas : Sed hæc conſiſtit in cultu, & reverentia exhibita Deo vt ſummę authoritatis in dicendo : Ergò obiectum pię affectionis eſt cultus Dei : Ergò pia affectio eſt elicita ab habitu religionis. Reſpondeo primò, obiectum pię affectionis non eſſe ipſum actum credendi, nec eius honeſtatem, vt iam explicatum relinquimus, ſed bonum repromiſſum. Secundò, hoc admiſſo, nego quod actus fidei ſit verè cultus Dei provt ſpecialiter cultus eſt actus, vel obiectum religionis, quia hæc ex ſuo inſtituto ſpecifico ſolum reſpicit cultum Deo exhibitum ſub ratione ſupremę excellentię in ratione primi principij, & vltimi finis, cui omnia noſtra referri debent : Actus autem fidei non reſpicit excellentiam divinam ſub hac ratione, ſed ſub peculiari ratione veritatis in dicendo. Nec obſtat, quod actus fidei ſit, & dicatur cultus, quo proteſtamur divinam veracitatem; quia etiam charitas poteſt dici cultus, quo proteſtamur divinam bonitatem, & ſpes ſimiliter dici poteſt cultus, quo proteſtamur divinam potentiam, & miſericordiam; nec tamen poſſunt dici, quod ſint virtus religionis : Ergò.

7. Dicendum eſt ergò, cum communiori ſententia, principium elicitivum pię affectionis eſſe habitum peculiarem ad illam determinatū. Ratio eſt, quia ille actus pię affectionis eſt actus virtuoſus, ſupernaturalis, & nō minus regulariter exercitus in vita ſpirituali, quam actus fidei : Rùrſus eſt actus peculiaris cum peculiari obiecto, & motivo : Ergò exigit habitum peculiarem, ſeù principium peculiare permanens elicitivum illius.

8. Dices, eſſe quidem actum virtuoſum, vt deſcriptum manet; ſed eſſe imperfectum, & inchoativum in linea virtutis, non propter ſe intentum, ſed propter virtutem fidei : Et ideò ad illum connaturaliter eliciendum non requiri habitum, ſed ſatis eſſe auxilium. Sed contra eſt, quia etiam actus benè conſiliandi, & iudicandi de agibilibus, ſunt quid imperfectum in ratione virtutis, ſiquidem ordinantur ad actum perfectum prudentię, qui eſt imperium : Et tamen ad illos ponit Div. Thom. in intellectu practico habitus, ſeù virtutes Eubulię, & Syneſis : Ergò licèt pia affectio ſit ſimiliter quid imperfectum in ratione virtutis, debet poni ad illam habitus in voluntate. Secundò : Quia non poteſt dari in intellectu facultas, & principium permanens ad actum fidei, niſi detur etiam in voluntate facultas, & principium permanens ad piam affectionem : Sed hoc debet eſſe habitus, nec poteſt eſſe auxilium, quia hoc non eſt permanens : Ergò, quamvis pia affectio ſit quid imperfectum in ratione virtutis, debet dari ad illam in voluntate habitus. Probò maiorem, non enim datur facultas ad actum fidei eliciendum ſine facultate ad piam affectionem, quia non datur facultas ad actum fidei, niſi vt eliciendum ex pia affectione, cum aliter elici non poſsit : Ergò non datur facultas permanens ad actum fidei ſine facultate permanenti ad piam affectionem. Tertiò, quia ex eo quod pia affectio ſit quid imperfectum in ratione virtutis, ad ſummum ſequitur, quod habitus ad illam requiſitus ſit quid imperfectum in ratione habitus virtuoſi, & per ſe reductum ad virtutem perfectam, non verò, quod ad illam nullus requiratur habitus : Ergò.

9. Sed objicies primò : Talis ha-

Digitized by Google

habitus piç affectionis nec eſt virtus theologica, nec moralis : Ergò nullus, quia non datur medium. Probatur antecedens, quoad primam partem, quia ſi eſſet virtus theologica, darentur quatuor virtutes theologicç, nempè fides, ſpes, charitas, & vltra has, habitus piç affectionis : Sed virtutes theologicç ſolum ſunt tres, vt conſtat ex illo Apoſt : *Tria hæc: Fides, ſpes, & charitas, &c.* Ergò habitus piç affectionis non eſt virtus theologica. Secundò, quia non habet pro obiecto, nec motivo, nec terminativo, Deum, ſed ſolam honeſtatem actus credendi : Ergò non eſt virtus theologica, de cuius ratione eſt reſpicere Deum pro obiecto motivo, & terminativo primario. Deindè, nec poteſt eſſe virtus moralis, tú quia inter virtutes morales minimè numeratur habitus piç affectionis. Tùm, quia virtutes morales infunduntur conſequenter ad virtutes theologicas, & ad gratiam : Habitus verò piç affectionis, ſi datur, debet eſſe anterior ad fidem infuſam, & conſequenter ad cæteras virtutes theologicas, & ad infuſionem gratię : Ergò nequit eſſe virtus moralis.

10. Reſpondet Ferreras, habitum piç affectionis eſſe moralem, & reduci ad ſpeciem temperantię, quia moderatur voluntatem credendi inter levitatem, & duritiam in credendo, quç moderatio, quædam ſpecies temperantię eſt. Et ad ſecundam probationem in contra, inquit, ex illa ſolum probari, quod ad primum actum fidei non præſupponatur habitus piç affectionis; non tamen obſtat, quod poſtquam quis accipit gratiam, & fidem, accipiat habitum piç affectionis ad connaturaliter eliciendum illius actum. Sed contrà primum militat, quod temperantia ſolum eſt moderativa paſsionum Animç, vel partis ſenſitivç : Sed voluntas credendi Deo, non poteſt eſſe paſsio Animç : Ergò non indiget moderari per temperantiam. Item, in voluntate credendi Deo dicenti non poteſt eſſe exceſſus, nec nimietas, ſicuti nec in actu credendi ipſi, hoc enim habent actus theologici, quod nempè per exceſſum peccare non poſſunt, quia videlicet excedere numquam poſſunt, immò nec çquare, merita obiecti, nempè Dei : Ergò ſicut hac de cauſa nequit dari exceſſus in amando Deum, nec in voluntate ipſum amandi, qui temperantia indigeat, ita nec in credendo Deo, nec in voluntate credendi ipſi. Nec obſtat, ſi dicas, quod aliqui dicuntur citò credentes, & leves corde; alij, vt Apoſtoli, increpantur propter duritiam cordis, & tarditatem in credendo his, quç loquuti ſunt Prophetç : Ergò ad moderanda hæc extrema, & conſtituendum medium requiritur virtus temperantię. Contra enim eſt, quia omnis virtus habet moderari aliquam facultatem Animç inter extrema, & conſtituere medium virtutis : Et tamen non proptereà omnis virtus temperantia eſt : Ergò ex eo quod pia affectio moderaretur voluntatem inter illa extrema, non benè infertur eſſe temperantiam, aut ad illam reduci. Secundò, quia extrema illa vitioſa, nempè levitas in credendo, & tarditas, ſeu duritia, non ſunt exceſſus, aut defectus penes nimiam intenſionem, aut remiſsionem in ipſa voluntate credendi, quia voluntas credendi, ſi ex debita conſideratione procedat, & cum ſufficienti credibilitate proponatur doctrina, quantumvis intenſiſsima ſit, tanto magis virtuoſa erit: Vnde ſolum poteſt eſſe peccatum, eo quod ſine debita conſideratione quis credat: Defectum autem conſiderationis vitare minimè pertinet ad temperantiam, vt per ſe patet : Ergò nec vitare in voluntate credendi levitatem. Deindè etiam eſt inauditum, quod duritia cordis emoliatur per temperantiam : Ergò.

11. Secundo militat, quod ſi piç affectionis habitus eſſet virtus moralis infuſa, nempè temperantię, ſolum daretur in iuſtis habentibus gratiam habitualem, quia virtutes morales infuſç comittuntur gratiam cum ingreditur, & cum ab Anima egreditur : Sed hoc eſt falſum, quia habitus piç affectionis comittatur inſeperabiliter habitum fidei, qui permanet in peccatore, amiſſa gratia : Ergò non eſt virtus moralis. Secundò, quia ſicut ordo naturalis cauſalitatis exigit, quod ſemper actus piç affectionis præcedat actum fidei, ita petit, quod habitus præcedat habitum : Ergò licèt ad primum actum fidei, non præcedat habitus piç affectionis, ſed ſolum auxilium, quia nec præcedit habitus fidei, ſed ſolum auxilium, tamen, cum conſequenter ad illum primum actum, quo diſponitur credens, infunditur habitus fidei in intellectu, per prius debet etiam infundi habitus piç affectionis in voluntate per prius etiam diſpoſita per primum actum piç affectionis. Sed nequit dici, quod virtus moralis ordine debito infundatur prius, quam virtus fidei theologica: Ergò nec quod habitus piç affectionis ſit virtus moralis. Ac demum, quia quid alienum eſt à veritate, ponere quod ordine regulari, & debito, fides quç eſt prima virtus theologica, imperetur à virtute morali omnium poſtrema, qualis eſt temperantia : Ergò.

12. Ali.

11. Aliter ergò reſpondeo, habitum piç affectionis eſſe quid inchoativum, & imperfectum in ratione virtutis, & ſic per ſe non conſtituere ſpecialem virtutem, nec moralem, nec theologicam, ſed reductivè pertinere ad virtutem theologicam, quam inchoat, nempè ad fidem. Ratio eſt, quia actus fidei theologicę, cum eſſentialiter ſit aſſenſus voluntarius, eſſentialiter eſt actus intellectus, in quantum *aſſenſus*, & voluntatis, in quantum *voluntarius*: Eſt quidem voluntatis inchoativè, & applicativè, ſed intellectus formaliter, & perfectivè: Ergò virtus theologica fidei integrè, vt ſic dicam, accepta, reſidet inchoativè in voluntate, ſed formaliter in intellectu: Ergò habitus piç affectionis, quamvis reſidens in voluntate, eſt inchoativè virtus theologica fidei, & ad illam reducitur. Ex quo.

13. Ad obiecta in contra, ex *num.* 9. nego, quod indè ſequatur dari quatuor virtutes theologicas, quia virtus piç affectionis non ponit in numeró cum virtute theologica fidei, ſed ad illam reducitur, vt inchoatio eius. Ad ſecundam, nego, quod obiectum motivum piç affectionis ſit honeſtas actus credendi, & multò minus honeſtas actus imperandi aſſenſum, vt loquitur Ferreras. Non quidem iſta, quia obiectum motivum alicuius virtutis non poteſt eſſe honeſtas formalis actus talis virtutis, quia illa non eſt obiectum nec motivũ, nec terminativum, ſed potius regulatur ex obiecto motivo talis virtutis: Vndè eſt inepta reflexio, & vitioſum circulum dicere, quod honeſtas formalis ipſius actus piç affectionis, quo imperat aſſenſum fidei, eſt obiectum motivum ipſius. Nec item honeſtas formalis aſſenſus fidei, ſeù actus credendi poteſt eſſe obiectum motivum piç affectionis, ſed ſolum bonum repromiſſum, vt propoſitum per doctrinam fidei, ſivè Deus vt bonum quodam nobis credibile per fidem. Vndè Divus Thom. *quæſt.* 14. *de veritate, artic.* 2. *ad* 10. inquit, quod voluntas illa, quç determinat intellectum ad aſſentiendum his, quç ſunt fidei, neque eſt actus charitatis, neque ſpei, ſed appetitus quidam boni repromiſſi: Hic autem terminatur, & movetur ex Deo ſub ratione boni; vndè benè poteſt eſſe inchoativè virtus theologica, nequit autem eſſe virtus moralis. Vide *quæſt. præced. num.* 107.

14. Obijcies ſecundò: Quia actus piç affectionis poteſt imperari à voluntate per alium actum, & ille per alium, & ſic reflectendo: Et tamen ad hæc imperia reflexa non dantur habitus, qui deberent eſſe infiniti: Ergò nec ad primum imperium actus fidei, requiritur habitus. Reſpondeo, quod caſu quo actus ille imperetur, imperabitur ex alio motivo, & fine, v. g. ex fine charitatis; & tunc ad illud imperium ex motivo charitatis, vel ſi ſit ex motivo alterius virtutis, ſufficit habitus, & actus alterius virtutis, & ideò non eſt neceſſe ponere habitum ſpecialem reflexum ad imperandum actum ipſius piç affectionis, Tùm, quia ad credendum per ſe non requiritur, nec regulariter intervenit tale imperium reflexum, immò iterare, magis, & magis reflectendo, imperia reflexa, eſſet quod impertinens, otioſum, & vitioſum, eſſet enim terere tempus fruſtra, dicendo, volo, velle, velle, velle, &c. & ad hoc nequit poni habitus infuſus, vt per ſe patet.

15. Obijcies tertiò: Ad cognitionem regulativam piç affectionis non ponitur habitus in intellectu: Ergò nec requiritur habitus in voluntate ad ipſam piam affectionem. Conſequentia patet, quia non minus requiritur ad piam affectionem cognitio regulativa illius, quam ad actum fidei pia affectio, nec minus eſt ſupernaturalis iſta, quam illa: Ergò, vel ad vtramque requiritur habitus, vel ad neutram. Hoc argumentum exigit deciſionem ſecundę partus quæſiti.

SECUNDA PARS quæſtionis.

16. CIRCA eam, alij exiſtimant cognitionem, ſeù iudicium regulativum piç affectionis eſſe à prudentia infuſa. Alij à dono intellectus. Alij ex ſolo lumine naturali. Alij ab habitu ipſo fidei. Alij ab auxilio gratię excitantis: Verumtamen; in memoriam revocanda eſt illa diſtinctio duplicis cognitionis requiſitę ad aſſenſum fidei, ita vt vna proponat intellectui rem credendam, & motivum, vel motiva credendi ſub ratione veri; alia proponat voluntati ipſas res credendas, & motivum imperandi aſſenſum ſub ratione boni. De vtraque eſt dubium, à quo principio procedat.

17. Dico igitur primò: *Neutra ex his cognitionibus procedit à prudentia infuſa, nec à dono intellectus propriè ſumpto.* Probatur, quia tam prudentia infuſa, quam dona Spiritus Sancti, vt inquit in præſenti Ioann. à S. Thom. regulantur à fide, & in illa fundantur: Ergò nequit prudentia infuſa, nec donum intellectus dirigere, aut regulare fidem, nec voluntatem ad fidem prærequiſitam, aliàs eſſent mutuo priores, & poſteriores in

eodem genere, nempè in genere cognitionis regulativę. Probatur antecedens, quia de ratione prudentię eſt dirigere virtutes morales circa media, ſeù circa agibilia, vndè ſupponit ex natura ſua voluntatem, & intellectum rectè iam ſe habentem circà finem, per intentionem, & cognitionem debitam ipſius finis: Sed intellectus, & voluntas rectificantur circà finem ſupernaturalem per fidem, ſpem, & charitatem: Ergò prudentia infuſa ſupponit ex natura ſua in intellectu, & voluntate virtutes theologicas infuſas fidei, ſpei, & charitatis, & in his fundatur, ex hiſque regulatur. Confirmatur: Regula prudentię, per quam iudicat de medijs eligendis, & exequendis; eſt finis cognitus, & intentus: Ergò regula prudentię ſupernaturalis eſt finis ſupernaturalis cognitus, & intentus: Sed cognoſcitur per fidem, & intenditur per ſpem, & charitatem: Ergò prudentia infuſa regulatur, & fundatur in his virtutibus theologicis, & illas minimè dirigit. Primum antecedens probatur, quia prudentia, eſt virtus, ſeù ratio rectè iudicativa, & imperativa de medijs, ſeù de agibilibus: Sed rectitudo rationis in iudicando de medijs ſumitur per conformitatem ad appetitum rectum finis, ſeù ad finem debitè appetitum, & cognitum; vt ait Div. Thom. 1. 2. *quæſt.* 19. *artic.* 3. *ad* 2. his verbis: *Philoſophus loquitur de intellectu practico ſecundum quod eſt ratiocinativus, & conſiliativus eorum, quæ ſunt ad finem; ſic enim perficitur per prudentiam: In his autem, quę ſunt ad finem, rectitudo rationis conſiſtit in conformitate ad appetitum finis debiti; ſed tamen ipſe appetitus finis debiti præſupponit rectam apprehenſionem de fine, quę eſt per rationem*: Ergò prudentia regulatur per conformitatem ad appetitum finis debiti, & rectitudo huius appetitus per apprehenſionem rectam finis: Ergò prudentię regula eſt finis cognitus, & intentus.

18. Nec prætermittendam cenſeo in prædictis verbis Div. Thom. ſed potius valdè notandam genuinam eius mentem, circa cognitionem regulativam actuum voluntatis, dum enim loquitur de intellectu practico ſecundum quod eſt conſiliativus, & ratiocinativus de medijs, dicit perfici per prudentiam; & rectitudinem rationis ſic conſiliantis, iudicantis, & ratiocinantis ſumi per conformitatem ad appetitum finis debiti ſecundum Philoſophum; cum autem quærit regulam ipſius appetitus finis debiti, inquit, quod præſupponit rectam apprehenſionem finis, nempè tanquam ſui regulam: Vbi valdè notandum eſt, quod non dixit, ſupponere rectum iudicium, aut conſilium de fine, *ſed rectam apprehenſionem*, vt intelligas, iuxta Div. Th. voluntatem, dum verſatur electivè, aut executivè circa media; regulari quidem per conſilium, & iudicium intellectus, ſeù rationis practicę, quod pertinet ad prudentiam: Intellectum autem practicū circa media, vt rectè iudicet, regulari per conformitatem ad rectum appetitum finis, qui ſemper præſupponitur ad prudentię, & rationis practicę iudicium; rectum autem appetitum finis regulari, vt rectus ſit, per rectam apprehenſionem finis: Ergò iuxta Div. Thom. apprehenſio, vt contra diſtincta à iudicio intellectus practici, eſt ſufficiens regulare rectum appetitum, & bonam volontatem circa finem debitum. Hæc notaverim in maiorem confirmationem doctrinę quæſtionis præcedentis, *à num.* 88. & etiam vt indè inferam, piam affectionem, quę eſt appetitus quidam boni repromiſsi, vt inquit Div. Thom. non regulari, nec per iudicium intellectus practici, nec per prudentiam, quę iuxta Div. Thom. ſolum perficit intellectum practicum vt conſiliativum, & ratiocinativum de his, quę ſunt ad finem, ſed regulari per apprehenſionem rectam finis, ſeù ipſius boni repromiſsi, quod finis eſt primo appetitus in ſerie deliberationis ſupernaturalis ad credendum.

19. Ex his etiam infero, non rectè pleroſque RR. nimis inſiſtere, in regulanda fide Theologica, & pia affectione ſupernaturali per iudicium prudentis credibilitatis, inculcando ſæpijſsimè terminos iſtos, *prudens credibilitas, iudicium prudens, aut prudentiale credibilitatis*, quo ſtylo videntur fidem theologicam regulare per prudentiam, aut per iudicium prudentię, quaſi ſit quædam virtus prudentię ſubiecta, illivè inferior: In quo ſanè non parum fidei theologicę deteritur excellentię, ſicut detereretur excellētię charitatis, ſi illam quis diceret regulari per iudicium prudentię, aut per iudicium prudentis amabilitatis: Et ratio eſt, quia virtutes theologicę ex propria ratione ſunt circa vltimum finem ſupernaturalem hominis, & ipſum perficiētes, vt rectè ſe habeat, cognoſcendo, appetendo, & amando circa ipſum vltimum finem; huiuſmodi autem habitudo circa finem in ordine practico eſt prima regula, fundamentum, & cauſa habitudinis practicę circa alia, quę ad finem ordinantur, circa quę eſt prudentia, quę quidem prudentia in homine non eſt regula prima, ſeù non regulata, ſed ſolum eſt regula circa media, regulata tamen per conformitatem ad rectam cognitionem, & appetitum finis

nis

Digitized by Google

nis, quę rectitudo ſpectat in ſerie ſupernaturali ad virtutes theologicas omninò ſuperiores prudentię, & cæteris virtutibus moralibus, ſicut ſuperat in Sphæra Cœleſti primum mobile Cœlos inferiores. Poteſt quidem dici fides Theologica, ſicut ſpes, & charitas, prudens, eiuſque obiectum prudenter credibile, ſi loquatur de prudentialitate eminenti, ſuperante prudentiam formalem, quia videlicèt virtutes theologicę in ſemetipſis, & per ſemetipſas, abſque omni regula extrinſeca, attingunt immediatè ipſam ſupremam regulam omnis verę prudentię, quę eſt regula prima non regulata, nec regulabilis, aut menſurabilis, incapaxque exceſſus, vel defectus, nempè Deum ſub ratione ſummi veri, vel ſub ratione ſummi boni, vt eſt vltimus finis creaturę rationalis; verumtamen dici nequit; quod virtutes iſtę regulantur formaliter per prudentiam, quia hoc eſt penitus impoſsibile.

20. Sed dices: Actus credendi poteſt eſſe imprudens, vt ſi quis citò credat, aut ſine ſufficienti motivo: Ergò actus credendi non eſt ita per ſe regula, quod non egeat regulari per prudentiam, ne imprudenter fiat. Diſtinguo antecedens: Actus credendi Deo immediatè propter ipſius authoritatem in dicendo poteſt eſſe imprudens, negò antecedens: Actus credendi hominibus, aut alio motivo innitendo, concedo antecedens, & diſtinguo conſequens eodem modo; quia de fide humana, vel acquiſita, qua credimus hominibus, vel aſſentimur alijs motivis innixi; non nego, quod egeat regulari per prudentiam, quia hominis authoritas habet ſuam menſuram; & fides illi præſtita debet menſurari iuxta illius condignitatem, & ideò eget prudentia regulante, quia poteſt plus, minuſvè homini credere, quam ille mereatur, & ſimiliter de alijs motivis humanis credendi, vel aſſentiendi; attamen fides Theologica, de qua loquimur, eſt illa qua immediatè credimus Deo dicenti propter ſummam illius veritatem in dicendo; in hoc autem nullam menſuram poteſt apponere prudentia, nec hanc fidem poteſt regulare formaliter, & immediatè. Sed hoc ipſo, quod ſupernaturaliter proponatur intellectui per apprehenſionem ſuaſivam theologicam, ſeù ſupernaturalem Deus vt aliquid revelans cum ſumma veritate; nulla poteſt eſſe imprudentia in credendo, nec eſt neceſſaria regula vlla diſtincta ab obiecto ſic propoſito; quia illud eſt prima regula omninò incapax regulatione aliena, & intellectus illi adhærens, adhæret immediatè primę regulę.

21. Ex quo ſequitur, quod quando quis imprudenter credit; non credit re ipſa fide verè theologica, aut divina, ſed re ipſa humana, vel per opinionem, hoc eſt, credendo vel ſibi, vel alteri pluſquam mereatur, vt poſteà explicabo de hæretico, & ideò in tali fide poteſt dici citò credens, aut pertinax in credẽdo, & imprudens. Sequitur ſecũdò, quod ſi prudentia requiritur nõ requiritur vt regulãs poſitivè, aut immediatè ipſam fidẽ, nec piam affectionem, quę etiam eſt theologica, & circa finem, ſed ſolum vt regulet fidem humanam præviam motivorum, negativè ſolum conducentem, & per modum purę conditionis requiſitam ad fidem verè divinam, vt ſuprà explicavi; *quæſt. præcedent. num.* 105.

22. Sed dices: Donum intellectus non eſt circa media, ſed circa vltimum finem, conſiſtens in recta ęſtimatione finis vltimi: Ergò cum pia affectio ſit appetitus finis vltimi repromiſsi, poteſt regulari per donum intellectus. Reſpondeo, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, quia pia affectio non ſupponit rectam ęſtimationem de fine vltimo, in qua donum intellectus conſiſtit, quia hæc conſequitur ad fidem de fine vltimo, immò ad infuſionem gratię, quia eſt donum Spiritus Sancti, & dona Spiritus Sancti, non præcedunt fidem, nec infuſionem gratię, ſed cum gratia infunduntur. Solum ergò præcedit ad fidem aliqualis intelligentia de fine vltimo, ſeù de bono repromiſſo, quod eſt ęterna beatitudo, quę quidem aliqualis intelligentia antecedenter ad fidem eſt per illuſtrationem Spiritus Sancti, quę pertinet ad gratiam excitantem, non autem per donum intellectus. Hæc doctrina colligitur ex Div. Thom. nam hac 2. 2 *quæſt.* 8. *artic.* 5. *in corp.* ſic ait: *Niſi vſque ad hoc moveatur à Spiritu Sancto, vt habeat rectam ęſtimationem de fine vltimo, nondum conſequutus eſt donum intellectus; quantumcumque illuſtratione Spiritus Sancti alia quædam præambula cognoſcat.* Et ad primum, in quo ſibi obiecerat illud Auguſtini: *Prævolat intellectus, & tardè ſequitur humanus, àcque infirmus affectus.* Reſpondet: *Quod Auguſtinus nominat intellectum quancumque illuſtrationem intellectualem, quę tamen non pertingit ad perfectam doni rationem; niſi ad hoc mens hominis deducatur, quod habeat rectam æſtimationem de fine vltimo.* Et *artic.* 8. *ad* 2. ſic ait: *Fides non poteſt vniverſaliter præcedere intellectum, non enim homo poſſet aſſentire his, quæ ſunt fidei, niſi ea aliqualiter intelligeret.* Ex quibus colligitur, iuxta

Div. Thom. ante fidem præcedere aliqualem intellectum rerum fidei, qui non pertingat ad perfectam rationem doni, ſed ſit ex illuſtratione Spiritu Sancti. Hæc igitur eſt cognitio proximè regulativa fidei, quę præcedit ad fidem. Ex quo.

23. Dico ſecundò: *Principium cognitionis, ſeù iudicij imperfecti regulativi fidei ante primum aſſenſum fidei eſt auxilium actuale per modum actualis illuſtrationis Spiritus Sancti, pertinens ad gratiam excitantem, & ideò non eget principio habituali: In habentibus autem fidem poteſt probabiliter dici, quod principium elicitivum illius cognitionis eſt ipſe habitus fidei.* Prima pars conſtat ex immediatè ſuprà dictis. Secunda poteſt etiam ſuaderi ex Div. Thom. *in præſent. quæſt. 1. artic. 4. ad 3.* vbi inquit: *Quod lumen fidei facit videre ea, quæ creduntur: Sicut enim per alios habitus virtutum homo videt illud, quod eſt ſibi conveniens ſecundum habitum illum, ita etiam per habitum fidei.* Et *quæſt. 2. artic. 3. ad 2.* id ipſum explicat: *Quia, ſicut homo per naturale lumen intellectus aſſentit principijs, ita homo virtuoſus per habitum fidei habet rectum iudicium de his, quæ conveniunt illi virtuti*: Ex quibus videtur colligi, quod habitus fidei, ſemèl quod exiſtat in ſubiecto, quodammodo diſcernit credenda à non credendis, & videt ea, quę ſibi conveniunt, quadam evidentia exercita, & quaſi practica, ſuprà explicata, *quæſt. 10. num. 63.* ſed hæc non poteſt eſſe ante ipſum aſſenſum fidei, niſi per cognitionem aliquam credendorum vt elicitam ab ipſa fide, & regulantem ipſam, vt credat his, & non alijs: Ergò probabile eſt cognitionem regulativam aſſenſus fidei in habente habitum elici ab ipſa fide.

24. Confirmatur, nam habitus per ſe judicativus perfectè de aliquo obiecto debet etiam eſſe per prius apprehenſivus obiecti ſibi convenientis cum quadam diſcretione ab obiecto ſibi non convenienti, vt patet in lumine principiorum, quod ſanè eſt apprehenſivus principiorum ad iudicandum de ipſis, ita vt ex ipſa apprehenſione terminorum à ſe elicita reguletur ad evidentem aſſenſum illorum, nec enim eſt veroſimile, quod per diſtinctum lumen apprehendantur ſimplices quidditates, vt poſteà per lumen principiorum intellectus iudicet, ſed eodem lumine apprehendit ſuaſivè, & diſcretivè, & conſequenter iudicat: Sed Div. Thom. parificat fidem lumini principiorum in modo, quo iudicat de ſuo obiecto: Ergò probabile eſt ipſum lumen, & habitum fidei per prius cognoſcere apprehenſivè, ſuaſivè, aut iudicativè imperfectè obiectum fidei, quam illi præſtet perfectum aſſenſum: Sed illa prior cognitio eſt regula fidei in credendo: Ergò probabile eſt, quod talis cognitio in habente fidem ſit ab ipſo habitu fidei elicitivè. Explicatur, quia ad eandem facultatem intellectivam pertinet prius cognoſcere obiectum vt iudicabile, & affirmabile, ad quam pertinet iudicare, & affirmare ipſum: Sed credere obiectum eſt iudicare, & affirmare ipſum: Ergò ad eandem fidei facultatem, ad quam pertinet credere, pertinet per prius cognoſcere obiectum in actu exercito vt credibile: Sed iſta cognitio eſt, quę regulat immediatè fidem, & piam affectionem: Ergò.

25. Ex quo patet ad obiectionem factam, *num. 19.* diſtinguendo antecedens: Ad cognitionem regulativam pię affectionis non ponitur habitus in intellectu, quando illa cognitio præcedit habitum, & primum actum fidei, concedo: Quando ſupponit habitum fidei in ſubiecto, nego antecedens, & conſequentiam, quia admiſſo, quod debeat ſervari paritas, ſicut ad piam affectionem, quę præcedit primum actum, & habitum fidei, non aſsignatur habitus, ſed auxilium tranſiens, & tamen ad piam affectionem ſupponentem habitum fidei aſsignatur habitus, ſic ſimiliter ad cognitionem regulativam pię affectionis; cum hac differentia, quod habitus aſsignatus ad piam affectionem debet eſſe diſtinctus ab habitu fidei, quia debet eſſe habitus affectivus; & voluntatis, habitus tamen ad cognitionem regulativam debet eſſe ipſemet habitus fidei, quia debet eſſe habitus intellectualis præcognoſcitivus obiecti credendi vt proximè credibilis, qui ſpectat ad ipſum habitum credendi, ſeù fidei, vt explicatum manet, & eſt indiſtinctus ab ipſo.

25. Verumtamen, ſi quis non acquieſcat huic ſententię, habet manifeſtam diſparitatem, quia cognitio regulativa pię affectionis per ſe ſpectat ad gratiam excitantem, non eſtque per ſe libera illa cogitatio, ſed regulariter à Deo nobis, ſine nobis, immiſſa; ad huiuſmodi autem cogitationes non datur regulariter habitus, ſed pendent ex gratia Dei, licèt poſsit homo illas præpedire contrarijs cogitationibus; attamen actus pię affectionis eſt nobis liber, & actus virtuoſus, & hoc titulo exigit habitum; vndè exigentia habitus non fundatur ſolum in eo, quod ſit actus ſupernaturalis, ſed in eo quod ſit actus liber ſupernaturalis virtuoſus, & liber, ad quem debet in nobis dari permanens facultas; hoc autem

tem

Google

tam non competit cogitationi regulativę pię affectionis, nec actus fidei; quia talis cogitatio non eſt actus virtutis, nec nobis per ſe liber, nec debet dari in nobis permanens facultas ad illam, ſed ſitum eſt tantum poſitivè, & per ſe in libera Dei voluntate immittere illas cogitationes.

TERTIA PARS quæſtionis.

27. EX dictis iam licet exponere ordinem, & ſeriem actuum illorum, qui interveniunt in generatione fidei vſque ad aſſenſum perfectum illius. Ad quem aſsignandum, ſupponamus hominem adultum antequam audiat determinatè Religionem vllã, aut doctrinam ducentem ad ęternam felicitatem, & videamus, quomodo regulariter pervenit, aut pervenire poteſt ad veram fidem amplectendam. Igitur

28. Primò, vt opinor, excitat Deus mentem illius, proponendo illi per illuſtrationem ſupernaturalem vniverſaliter, & ſub quadam confuſa ratione felicitatem, ſeù beatitudinem ſupernaturalem, per apprehenſionem nempè ſuaſivam, & excitativam ad illam inquirendam. Cui ſi correſpondeat, ſequitur in eius voluntate appetitus etiam vniverſalis, & in confuſo circa illam, movens ad illam inquirendam: Et de hac prima illuſtratione vniverſali, & ſub quadam ratione confuſa intelligo illud Ioann. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum*, illaque, ni fallor, eſt influxus, quē Chriſtus, qui pro omnibus mortuus eſt, nulli homini denegat pervenienti ad vſum rationis; per eàque explicatur vniverſaliter, etiam quoad omnia individua, qualiter Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionē veritatis venire; eſtque invitatio, qua omnes homines vocat ad Cœleſtes nuptias, à quibus plerique ſe excuſant, prætextu, vel appetitu bonorum temporalium prævalente. Et hæc illuſtratio, cum appetitu correſpondente, in ſerie, & ordine ſupernaturali habet primum gradum, ſicut lux naturalis circa beatitudinem naturalem, ſeù circa bonum vniverſale, cum appetitu naturali correſpondente, habet primum gradum in ordine deliberationis naturalis.

29. Secundò, excitatus, & motus ex illa illuſtratione, & appetitu ſupernaturali vniverſali, & confuſo, inquirit, qua via, quo pacto illa felicitas inveniri poſsit, aut quid illa ſit; quod eſt inquirere veram Religionem, & Doctrinam ducentem verè ad ipſam aſſequendam; quam ſi ex toto corde inquirat, providebit abſdubio Deus de Miniſtro, vel de medio aliquo, quo ad eius aures perveniat vera doctrina fidei, & vera religio, vel ſæpè nondum inquirenti occurret; quia non ſemèl invenitur à non quærentibus, & palam apparet his, qui non interrogant, oſtenditque ſe illis illariter, vndè tandem pervenitur vt ad eius aures perveniat vera doctrina fidei, quę verè ducit ſuos Sectatores ad ęternam felicitatem. Solet autem pervenire ad aures, non illa ſola, ſed plures alię Sectę, ex his, quę in Mundo homines decipiunt, & quibus homines decipiuntur. Quid ergò faciet homo, vt veram diſcernat à falſis? Poterit ſanè viribus naturę motiva illarum conferre, diſcurrere, diſputare, & alia huiuſmodi; ſed ſi deſit illuminatio Cœleſtis, & gratię motio, veritatem certè in hac magna, & omnium controverſiarum, & quæſtionum maxima, non inveniet: Si tamen adiutus prima illa illuſtratione, & appetitu vniverſali iam expoſito, quærat, & inquirat veritatem, ſicut inquirebat Auguſtinus, & alij antequam ad fidem converterentur, non deerit ſanè magis particularis, & diſcretiva illoſtratio; quę quomodo contingat, iam explico.

30. Tertiò: Audita prædicatione verę fidei, licèt audiantur etiam alię oppoſitę Sectę, vel licèt illis iam irretitus fuerit, illuſtrat Deus ſpecies acceptas ex prædicatione, vel lectione Evangelica, ſeù verę fidei, aperitque cor vt intendat in his, quę dicuntur à Prædicatore Evangelico, ſeù quę leguntur in Evangelico libro, & ea conſideret, & apprehendat vt quid ſupernaturale, & vt à Deo procedentia; quod facit Deus illuſtrando obiectivè mentem, in quo intelligo illuſtrationem ſpecierum, ſuprà explicatam, *quæſt.* 7. & illuſtrando ſubiectivè intellectum vt ſupernaturaliter apprehendat motiva, quę audit, vel legit, ad credendum, apprehenſione, quę ſupernaturalis debet eſſe, vt conſtat *ex quæſ.* 8. & ſuaſiva, vt explicatum manet *quæſt.* 10. *num.* 38. non ſolum proponendo res credendas, & motivum credendi ſub ratione veri, ſed etiam ſub ratione boni; non ſolum movendo excitativè, & ex parte actus primi intellectum vt credat, ſed etiam voluntatem, vt velit credere.

30. Quartò: Voluntas piè afficitur erga doctrinam prædicatam affecto efficaciter movente intellectum, vt doctrinę iam propoſitę aſſentiatur, & intellectus illi aſſentitur, & ſic captivat homo proprium intellectum

tum in obſequium fidei, & conſumat deliberationem requiſitam ad credendum.

32. Circa hos quatuor gradus notandum eſt, quod in primo incipit deliberatio per cognitionem, & appetitum vniverſalem finis ſupernaturalis. In ſecundo progreditur homo in tali deliberatione, inquirendo, conferendo, legendo, audiendo, &c. In tertio illuminatur magis particulariter, & magis claré, ſeu minus confuſè, intellectus circa veram doctrinam; & cum hac maiori, & expreſsiori illuſtratione eam conſiderat, eiuſque motiva attendit; non iam ſecundum ſolam externam, & viſibilem apparentiam, ſecundum quod cadunt ſub fide humana, aut humana evidentia, ſed quantum ad veritatem occultam ſupernam, quo pacto ſolum inſpici, attendi, & conſiderari poſſunt luce ſupernaturali: In quo gradu etiam apprehendit ſuaſivè, ſeu iudicat imperfectè magis particulariter, & expreſsè beatitudinem ſupernaturalem promiſſam in Evangelio, & illam apprehendit in hac Doctrina Evangelica determinatè potius, quam in vlla alia, vt veram, & conſequibilem, & voluntas à Deo magis etiam particulariter mota illam appetit, appetitu quodam boni repromiſsi, qui eſt ſupernaturalis, ſed nondum conſumatè deliberatus, ſed deliberans. In quarto denique voluntas ex prædicto appetitu boni repromiſsi efficaciter afficitur erga doctrinam, & intellectum captivat in obſequium fidei, & conſumatur deliberatio in iudicio abſoluto, firmo, & perfecto fidei diviñę.

33. Rurſus: In primo gradu operatur Deus in nobis, ſine nobis liberè concurrentibus, primam illuſtrationem illam vniverſalem; ſed appetitus ſequutus in voluntate, ſimiliter vniverſalis, eſt liber, licèt non deliberatus, nec deliberans, ſed per modum inchoantis deliberationem: Eſt quidem liber elicitivè, ſed non applicativè: Eſt liber ab intrinſeco libertate contradictionis, & quoad exercitium, eo quod movetur à bono, licèt vniverſali ſupernaturali, obſcurè tamen propoſito; ſed eſt etiam ab extrinſeco liber libertate contrarietatis, quia poteſt voluntas viribus naturę contrarium appetere, & illi obicem ponere: In ſecundo, & tertio gradu operatur Deus nobiſcum, & actus illi conſiderandi, conferendi, apprehendendi, ſeu iudicandi ſunt liberi, non per modum actus conſumatè deliberati, ſed per modum deliberantis. Vbi valdè notandum eſt, quod in illis duobus gradibus ſolet plurimum temporis, & laboris intervenire, quærendo, pulſando, legendo, audiendo, conferendo, & ideò in his magnam partem habet humana applicatio, diligentia, & diſcurſus, intervenitque hic fides humana, & hiſtorialis de motivis credibilitatis, ſecundum quod ſub illa cadunt; qui quidem liber conatus, & humana diligentia plurimum ſolet iuvare, non poſitivè, & proximè diſponendo, aut movendo ad fidem ſupernaturalem, ſed removendo obices difficultatũ, quas ſolet opponere humanus diſcurſus, & inordinatus affectus; ſeu remotè, & negativè diſponendo ſubiectum, hoc eſt, ſine conexione vlla, aut exigentia poſitiva cum motione, & illuſtratione gratię neceſſaria ad verè credendum fide divina; quia tota induſtria, & conatus naturalis non ſufficit extorquere illam motionem, & illuſtrationem, quã Deus purè gratuito confert quibus vult, & quando vult; vndè videmus, quod ex converſis ad fidem veram, aliqui diù laboraverunt, quærentes, conferentes, diſputantes, & deliberantes; alij minus; alij ferè nihil; cuius occulta, & ſuperna cauſa eſt, quod Deus pro ſuo libito aliquibus in prima, & ſimplici prædicationis Evangelicę auditione, & attentione, impertit ſuam illuſtrationem, & motionem, talem, ac tantam, quod ſupplet defectum diuturnioris conſiderationis, & collationis, & ſic immediatè ſe determinant, & deliberatè amplectuntur fidem Catholicam. Alios autem non ita confeſtim illuminat, & movet, ſed relinquit eos conatu ſuo laborare, diſputare, inquirere, deliberantes, & non conſumantes deliberationem, vt contigit Auguſtino, & alijs; quo labore diſponuntur negativè, & licèt poſitivè non ędificant, fodiunt tamen magis, & magis profundè fundamenta, vt ad veniente poſteà cœleſti illuſtratione, & motione, ſolidius fundetur fides, & in altius extruatur faſtigium.

34. Demùm intelligitur, quo pacto, qui non credunt Evangelio, ſed deliberatè ab illius vera fide deviant, iam iudicati ſunt, quia non credunt in Nomine Vnigeniti Filij Dei; hoc eſt, nullam habebunt excuſationem: Quatenus nẽpe omnes adulti, pervenientea ad vſum rationis, habent ſufficientẽ libertatem, vt poſsint ad veram fidem amplectendam devenire. Siquidem in primo gradu ex prædictis omnes illuminantur illuminatione illa ſuperna confuſa, & modo vniverſali de beatitudine ſuperna, illuminatione ſuaſiva, excitativa, & obligativa ad illam ſuper omnia, quærendam, per quam conſtituuntur in actu primo radicali liberi, & potentes, immò, & obligati ad illam quærendam. Cui tamen aliqui

qui correſpondent, illam prout proponitur appetendo, & inquirendo; alij ſecùs, felicitatem purè naturalem in rebus naturalibus, & temporalibus quærentes, illuſtrationem illam contemnunt. Qui hoc ſecundo modo procedunt, forſan non pervenient ad maiorem illuſtrationem, nec notitiam veræ beatitudinis ſupernæ, nec Doctrinæ Evangelicæ ducentis ad ipſam, ſed ſanè ſufficienti culpa propria. Qui verò primo modo procedunt, in ipſa inquiſitione veræ, & ſupernæ beatitudinis in confuſo præcognitæ, & appetitæ, appetitu, & cognitione imperfectis, vel putè illam inquirunt propter illam, vel intermiſcendo humanos, & pravos affectus ad temporalia? Si hoc ſecundo modo, ſolent his affectibus inordinatis impedire illuſtrationem, & motionem magis expreſſam, & particularem circa veram doctrinam, & incidere in pravas apprehenſiones, & ſuaſiones, & ſic non invenire veram fidem, ſed incidere in contrarios errores, ſed ſanè non ſine ſua culpa. Si verò primo modo procedant, & perſeverent, quærentes, petentes, pulſantes ex puro illo præ concepto appetitu vniverſali, abſdubio, ſivè confeſtim, ſivè mora interveniente, nunc minori, nunc maiori, elarius, & expreſsius in dies illuminabuntur; Deo providente de medijs, & Miniſtris neceſſarijs. Hi autem, qui plenè, & expreſsè exterius à Miniſtris, vel Libris Evangelicis, & interius iam illuminantur de vera doctrina ducente ad veram beatitudinem, ita vt iam poſſint proximè illam credere, adhuc tamen ſolent ex affectu ad res temporales, nolle credere, & reluctare, ac reſiſtere, & alio intellectum, & mentem vertere, & ſic à ſe repellunt ſufficientem, externam, & internam propoſitionem, & illuminationem, & ſic paulatim incidunt, vel recidunt in Sectas, & errores; ſed etiam non ſine ſua culpa: Omnes ergò, qui à vera fide deliberatè deviarũt, inexcuſabiles erũt, quia nõ ſine ſufficiẽte libertate deviarũt.

35. Ex quibus infertur, neminem deliberate adhærere Sectæ ſuæ falſæ, abſque libertate ſufficienti, ſaltèm in radicè, ad illam deſerendam, & amplectendam fidem veram; quia licèt ſæpè non habeat libertatem proximam, eo quod actualiter nihil in contra illi occurrit, nec proponitur, vt poteſt contingere pluribus Mahometanis, & non paucis hæreticis, ad quorum notitiam non perveniunt motiva fidei Catholicæ, tamen illa illuſtratio vniverſalis, qua interius Deus illuminat mentem, & illam excitat circa veram beatitudinem, & veram Religionem in communi, nemini denegat, & ex vi illius ſemper habet ſufficiens principium, & eſt ſufficienter conſtitutus in actu primo radicali, vt ſi velit illi correſpondere, & ex vi illius debitè inquirere, petere, & pulſare, occurrat ei aliquo medio, vel modo vera Religio, qua veram beatitudinem quærere, & invenire poſſit; vndè ſi de facto non occurrit, ideò eſt, quia iodebitè quærit, ſeù quia debitè non correſpondet illi primæ illuſtrationi vniverſali. Quod autem illa prima illuſtratio vniverſalis circa veram beatitudinem, & Religionem quærendam nemini deficiat, ſi impedimentum voluntariũ non præſtet, per voluntariam averſionẽ ab æterna, & vera beatitudine, & per declinationem ad bona inferiora, illa poſt habita, multis capitibus probari poteſt, tùm ex Sacro Textu; tùm ex ſuppoſitione, quod Deus elevavit naturam humanam ad ordinem ſupernaturalem. Nam ſicut natura rationalis conſtituta in ordine naturali, licèt poſſit in ſe corrumpere ordinem rationis circa principia practica particularia, nunquam tamen extinguit lumen intellectus circa principia vniverſaliſsima ſinderefis, ſed iſta ſemper remanent, tanquam primum principium, rectitudinis naturalis, vt quandocumque velit homo, poſſit retrocedendo, incipere deliberationem ex illis primis principijs, & ſe reſtituere in rectitudinem culpabiliter amiſſam, & emendare errores practicos, in quibus malè deliberando incidit, ita ſimiliter, ſuppoſito quod natura humana eſt elevata ad ordinem ſupernaturalem, veriſimile eſt, nunquam illi deficere, ſi impedimentum non præſtet, lumen ſupernaturale, vniverſale circa beatitudinem ſupernaturalem, & veram Religionem in communi, tanquam initium quodam, & primum principium rectitudinis ſupernaturalis, vt ſi velit, poſſit retrocedendo, illi debitè correſpondere, & ex illa deſcendere per debitam deliberationem rectè inquirendo, & conſiderando, & ſic invenire veram Religionem in particulari, & veram notitiam beatitudinis ſupernaturalis, non iam in confuſo, ſed determinatè, & in particulari. Hoc etiam confirmari poteſt, quia vt docet ſana fides, liberum arbitrium per peccatum n amittitur totaliter, ſed ſolum attenuatur, & offuſcatur; quod debet intelligi, non ſolum in ordine ad quærendam veram felicitatem naturalem, ſed etiam in ordine ad quærendam veram felicitatem ſupernaturalem, quæ niſi per veram Religionem in particulari inveniri nequit: Sed ſi per peccatum ita penitus extingueretur lux ſupernaturalis in homine, quod in illo non remaneret lux illa ſuperna-

turalis, ſaltèm vniverſalis, excitans vniverſaliter ad quærendam veram Religionem, liberum arbitrium extinctum penitus eſſet, ſaltèm in ordine ad finem ſupernaturalem: Ergò illa lux vniverſalis ſupernaturalis nemini deficit, ſi voluntariè non ſe impediat, vi cuius habeat principium ſufficiens, vt ſi vellit, poſſit debitè inquirere, & invenire veram Religionem, & fidem.

36. Ex quo infertur ſecundo, non eſſe neceſſarium, vt hæreſis, vel infidelitas poſſitivè imputetur ad culpam, quod infidelis, vel hæreticus actu cognoſcat ſe errare, quia hoc eſt impoſſibile in ſenſu compoſito erroris. Item, nec quod habeat actualem ſcrupulum de ſuo errore, tum, quia ſæpè hæretici, & infideles pertinatiores, ex ſumma adhæſione ad ſuos errores, carent omni ſcrupulo in contra, & actuali formidine, & putant ſe ſecuriſsimos in ſua Secta, nec propterea dicendum eſt eos non eſſe formaliter hæreticos, & Infideles, aut non eſſe culpabiles.

37. Dicunt aliqui: Quomodo ſunt culpabiles in errore, quem minimè advertunt? Nam ſanè error, quem quis non poteſt emendare, in eo culpabilis non eſt: Sed nemo poteſt emendare in ſe errorem, quem non advertit: Ergò non poſſunt eſſe culpabiles, niſi cognoſcant, & advertant ſe errare. Sed contra eſt; quia ſi advertunt, & cognoſcunt ſe errare, iam non errant: Ergò ſi hoc argumentum teneret, probaret neminem, dum errat, errare culpabiliter, quod quis dicet?

38. Dicunt, ſufficere ſcrupulum erroris, qui rectè compatitur cum errore ipſo, ſicut ſcrupulus contra fidem compatitur cum fide. Sed contra, nam rogo: Scrupulus contra veram fidem obligat ne ad deſerendam fidem, ſeù ad novam deliberationem circa illam? Nemo erit, qui affirmet, ſed omnes negant: Ergò ſcrupulus contra Sectam, quam Sectarius exiſtimat veram fidem, nõ obligabit illum, ex ſola ratione ſcrupuli, ad illam deſerendam, nec ad deliberandum de novo. Redde ergò diſparitatem, & rationem diſcriminis. Sanè alia non eſt, niſi quia verus fidelis, debitè quæſivit, debitè deliberavit, & firmiter tenet ex motivis debitis ſuam fidem, & ideò non debet moveri ſcrupulis ad illam deſerendam, aut de novo circa illam deliberandum; at hæreticus, & infidelis indebitè, quæſivit, indebitè deliberavit, & quamvis firmiter teneat, non eſt firmitas intrinſeca, ex motivis debitis, ſed affectata ex pertinaci voluntate, & motivis extraneis: Ergò obligatio radicalis deſerendi Sectam, aut de novo deliberandi circa Religionem, non ſtat in ſcrupulo illo, ſed in eo quòd ex prima, & vniverſali illuſtratione circa veram beatitudinem, & Religionem in communi indebitè quæſivit, indebitè deliberavit, ſeù quia prima illa, & vniverſalis illuſtratio obligat ad aliter deliberandum, quam deliberavit: Ergò, quamvis non oriatur ſcrupulus ille reflexus, dummodo tamen perſeveret, vel in prompto ſit illa illuſtratio prima, & vniverſalis, ſemper obligavit, & dabit poſſe ad aliter deliberandum, quia ſemper movet, & excitat ad quærendam veram beatitudinem, & Religionem pluſquam omnia alia, & citrà affectum, & reſpectum ad temporalia, & qui non deſcendit in particulari ſic quærendo, indebitè deliberat, & ſi erret, culpabiliter errat, quamvis id reflexè non agnoſcat, nec de hoc habeat ſcrupulum reflexum; licèt difficilè ad modum erit, quod talis ſcrupulus non oriatur, non quia ſcrupulus ſit cauſa, vel radix culpę in errando, ſed quia eſt effectus ex illa regulariter pullulans, quamvis poſſit perverſitas mentis, & voluntatis tanta eſſe, vt nec ſcrupulis in contra locum relinquat.

39. Vndè ad obiectionem in contra, dico, quod ſunt culpabiles in errore, quem non advertunt, nec cognoſcunt, quia poſſunt, & obligantur in radice illum cognoſcere, & advertere, & conſequenter deſerere. Et ad ſyllogiſmum in contra, conceſſa maiori, nego minorem, quia ſtat optimè, quod errorem non advertat, & quod poſsit, & teneatur illum advertere; quo caſu, quamvis illum non advertat actu, poteſt tamen illum emendare. Sed dices, quomodo poteſt advertere illum, ſi nullam illius cognitionem habet? Reſpondeo, quod poteſt, quia habet cognitionem alterius principij vniverſalis; ex quo poteſt, & tenetur rectè deſcendere ad particularia deliberando, & ſic advertere errorem illum, nam ſi debitè deſcendat, profectò illum advertet: Vndè libertas, & obligatio ad advertendum, & cognoſcendum errorem particularem, non conſtituitur per cognitionem, aut advertentiam ipſius, nec poteſt ita conſtitui, vt per ſe patet, ſed per cognionem vniverſaliorem excitantem, & obligantem ad ita deliberandum, & deſcendum ad particularia, quod advertat, & cognoſcat, quę doctrina ſit vera, & quę erronea; & quia lux, vel cognitio illa vniverſalis nemini negatur, aut deficit, ideò nemo malè, & indebitè deliberans circa Religionem excuſatur.

40. Nec prædicta doctrina, & ſeries

ries obſervata generatione fidei aliena eſt, ſed potius valdè conformis verę Philoſophię, nam regulariter, dum agens reducere conatur ſubiectum aliquod de pura potentia ad actum perfectum, prius reducit illum ad actum imperfectum, & quaſi potentialem; & poſteà ad magis perfectum, & ad magis perfectum; & ſic vſque ad actũ plenè perfectũ; vndè in ordine naturali, prius intellectus reducitur ad actũ vniverſalem circa prima principia vniverſalia, qui eſt actus quaſi imperfectus, & potentialis, & informis, formabiliſque, & perfectibilis per deſcenſum ad particularia, & ſic deſcendendo reducitur magis, ac magis ad actum per actus circa particularia, qui ſunt magis determinati, formati, & perfecti; ſic etiam voluntas prius reducitur ad actum per appetitum vniverſalem boni vniverſalis, qui eſt appetitus indifferens, & quaſi in potentia ad bona particularia; & deindè deſcendit formando, actuando, & determinando magis ac magis appetitum vſque ad bonum determinatum, & ſingulare: Ergò cum Deus in communicatione gratię, & in elevatione naturę ad ordinem ſupernaturalem regulariter ſervet modum, & ſeriem ordinis naturalis, veriſimile eſt, & valdè probabile; quod adhùc in ordine ſupernaturali prius illuminat mantem, & movet affectum illuminatione, & affectu vniverſali, quam illuminatione, & affectu particulari, ita vt homo conſtitutus in actu primo, ſeù primordiali per cognitionem, & affectum quaſi vniverſalem circa beatitudinem ſupernaturalem in communi, & in cõfuſo, excitetur, obligetur, & poſſit deſcendere per inquiſitionem, conſiderationem, & alios actus particulares ad illam quærendam in particulari. Videantur à nobis dicta, *Tractat. de Provident. quæſt.* 10. *à num.* 78. *& Tractat. de de Conſc. quæſt.* 9. *per totam.*

41. Ex dictis etiam facilè conciliatur, qualiter erret, & peccet, qui ex prava deliberatione ignorat, & errat, quamvis non cognoſcat in particolari, nec advertat malitiam vel errorem ſui actus, & quod ad peccandum non ſufficiat libertas à coactione, ſed requiratur libertas à neceſsitate, ſeù libertas indifferentię. Exiſtimant enim aliqui RR. quod qui dicunt, poſſe homines peccare, & errare culpabiliter ſine actuali advertentia, vel cognitione malitię, computandi ſunt cum Janſenio in ea propoſitione, qua aſſerit: *Quod ad merendum, & demerendum in ſtatu naturę lapſę ſufficit libertas à coactione.* Verumtamen RR. iſti, ideò ſic criminantur, cenſuriſque conantur in vetere ſentẽtiam veriſsimam de peccatis erroris, & ignorãtię actuali ſine advertentia malitię, quia nõ advertunt libertatẽ ad vitanda talia peccata non eſſe vnicè deſumendam, ex cognitione, & advertentia malitię in particulari actu, ſed potiſsimè ex primis, & vniverſalibus principijs ſindereſis circa bonum, & malum, circa verum, & falſum in communi, quę nulli deficiunt, & per quę conſtituitur homo potens, & liber, libertate antecedenti, quę eſt planè libertas à neceſsitate, & libertas indifferentię ad rectè, vel erroneè iudicandum de particularibus, ad benè, vel malè deliberandum, ad advertendum vel non advertendum, ad ignorandum, vel cognoſcendum bonum, & malum in particulari; & hæc libertas indifferentię nulli deficit, circa ea, quę vincibiliter ignorat, vel errat; quia nulli deficiunt principia illa vniverſalia, quibus conſtituitur in actu primo, vt ſi debitè velit ex illis deliberare, & deſcendere ad particularia, provt ex vi illorum excitatur, & obligatur, poſsit detegere errorem, & advertere malitiam in particulari, vndè ſi non cognoſcit, nec advertit, non ideò excuſatur à culpa, ſed peccat, & culpabiliter peccat, & errat, non cum ſola libertate à coactione, hoc enim nec ſomniamos, ſed cum vera libertate antecedenti ad non peccandum, & non errandum, quę eſt verè libertas indifferentię, & à neceſsitate. Sed de hoc alibi agam, provt neceſsitas exigit detegendi ęquivocationes in hoc puncto ſatis in praxi pernitioſas.

QUÆSTIO XII.

AN ACTUS FIDEI THEOLOGICÆ poſsit eſſe pravus ex fine, aut imperari ex pravo motivo.

1. SUPPONENDUM eſt, actum fidei theologicę ex ſe bonum, & honeſtum ex obiecto, & ſimpliciter virtuoſum eſſe, cum ſit actus virtutis theologicę. Verumtamen licèt hoc certum apud omnes ſit, nihilominus eſt gravis controverſia, an poſsit vitiari ex fine, aut motivo pravo, ſicut ſolent actus ex ſua ſpecie, & obiecto honeſti, vitiari ex fine pravo operantis. Pro affirmativa, & negativa ſententia plures allegantur Authores, vt videre licèt apud PP. Salmant. *diſput.* 5. *dub.* 2.

Ip-

Ipſi tamen negativę ſubſcribunt, & merito. Vndè.

NOSTRA SENTENTIA.

2. DICO: *Aſſenſus fidei theologicę non poteſt imperari ex motivo, aut fine pravo, & conſequenter nec vitiari, aut eſſe pravus ex fine.* Probatur primo *ex Concil. Arauſ. 2. Can. 5.* vbi defininitur: *Ipſum credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui iuſtificat impium*, eſſe donum gratię, & non poſſe ineſſe nobis per naturę vigorem, & qui contrarium aſſerit, inquit: *Apoſtolicis Dogmatibus adverſatur.* Vndè iam eſt communis Theologorum ſententia, quod affectus credibilitatis movens ad fidem debet eſſe ſupernaturalis, vt ſuprà oſtendimus, *quæſt. 9. à num. 42.* Sed affectus ſupernaturalis non poteſt aſſe pravus ex fine pravo, aliàs affectus pravus, ſeù ex fine pravo eſſet donum gratię, & effectus ſpecialis Dei vt Authoris ſupernaturalis, quod quis dicat? Ergò repugnat, quod affectus imperans actum fidei ſit pravus, aut ex fine pravo. Confirmatur: Si ſufficeret affectus pravus, aut ex pravo fine ad imperandum aſſenſum fidei, multò magis ſufficeret affectus purè naturalis, & ex ſolis viribus naturę: Sed hic non ſufficit: Ergò nec ille. Probo minorem, quia ſi ſufficeret affectus purè naturalis, non indigeret homo ad credendum, quod Deus moveret motione gratię cor eius, aut eius voluntatem, ſed ſatis eſſet concurſus generalis, & conatus naturę, vt quis crederet fide theologica, & eſſet verus Fidelis, & Chriſtianus: Sed hoc ſanę Thaologię prorſus contrarium eſt, immò, & contra Doctrinam PP. & CC. Ergò ad credendum non ſufficit affectus purè naturalis, ex ſolis viribus naturę.

3. Viderunt contrarij difficultatem iſtam, & propterea reſpondent, certiſſimum eſſe, non ſufficere ad credendum affectum voluntatis purè naturalem, & multò minus affectum pravum, ſed exigi affectum ſupernaturalem, & ex ſupernaturali motivo; verumtamen cum hoc componunt, quod ſimùl etiam imperari poſsit ex affectu pravo, aut purè naturali. Quod duobus modis explicant. Primò ita vt affectus pravus ex pravo motivo imperet aſſenſum fidei, non immediatè, ſed mediante pia affectioue voluntatis, quatenus ipſa pia affectio voluntatis, ſeù voluntas immediata credendi imperetur ex alio affectu, & ex alia voluntate prava, aut purè naturali, & ſic ex illa imperabitur mediatè actus fidei. Secundò, ita quod ex affectu pravo, aut purè naturali imperetur immediatè; non tamen vnicè ex illo, ſed ex illo, & ex affectu ſupernaturali ſimùl imperantibus. Sed hanc ſolutionem his duobus modis explicatam, duobus etiam Aſſertis impugno.

4. Dico igitur ſecundò: *Actus fidei theologicę non poteſt imperari, adhùc mediatè, ex pravo affectu, aut fine, ex quo imperetur immediatè pia affectio ſupernaturalis.* Probatur, quia propterea iuxta primam explicationem actus fidai non imperatur immediatè ex affectu pravo, quia eſt actus ſupernaturalis: Sed etiã pia affectio eſt actus ſupernaturalis: Ergò eadẽ ratione imperari nõ poteſt immediatè ex affectu pravo. Explicatur: Vel affectus pravus, aut purè naturalis eſt ſufficiens ad immediatè imperandum actum ſupernaturalem, vel non: Si ſufficit: Ergò, quamvis actus fidei ſit ſupernaturalis, poterit in ſenſu compoſito ſuę ſupernaturalitatis imperari immediatè ab affectu pravo, aut purè naturali, & non erit opus pia affectione ſupernaturali, quod nemo audebit aſſerere. Si non ſufficit: Ergò cum pia motio immediatè movens intellectum ad fidem ſit ęquè ſupernaturalis, non ſufficiet ad eam imperandam immediatè affectus pravus, aut purè naturalis.

5. Reſpondet Lugo, *diſput. 10. ſect. 5. num. 91.* Quod eſt differentia inter piã affectionẽ, & aſſenſum fidei, quod illa poteſt imperari immediatè à ſola mala volũtate præcedente, & ita nullum imperium bonum præſupponere; at aſſenſus fidei debet ſemper imperari à voluntate bona, licèt mediatè poſſit procedere, & imperari à voluntate mala. Sed cur rogo, ſi vterque actus eſt ſupernaturalis? Reſpondet: Ratio diſcriminis eſt, primò, quia ſi aſſenſus fidei non imperetur à voluntate bona, non erit bonus, cum de ſe nullã habeat bonitatem, aut libertatem, vndè vt ſit cultus Dei indiget bonitate proveniente ab actu imperante. At verò pia affectio, licèt imperetur extrinſecè ab actu malo, in ſe tamen retinet propriam libertatem, & honeſtatem, ratione cuius placeat Deo, & ipſum colat. Secundò, quia pia affectio requiritur ad aſſenſum fidei tanquam diſpoſitio congrua, vt Deus concurrat ad illum, & hæc debet eſſe ſupernaturalis; ad ipſam verò piam affectionem non requiritur alia diſpoſitio prævia congrua, & ideò poteſt poni abſque alio imperio bono, ex ſolo imperio pravo.

6. Sed neutra ratio diſcriminis placet. Non prima, quia ſi actus fidei de ſe

nu.

nullam propriam bonitatem habet, aut libertatem, ſed totam ſuam bonitatem, & libertatem nanciſcitur ex affectu imperante voluntatis, ſequitur, quod multò minus repugnat ipſum imperari immediatè ab affectu pravo, quam piam affectionem : Sed per te pia affectio poteſt imperari immediatè ex illo : Ergò etiam actus fidei, vel ſi iſte nequir, nec illa: Probatur ſequela, quia multò minus repugnat actum ſupernaturalem de ſe non bonum imperari ex affectu pravo, quam actum ſupernaturalem de ſe intrinſecè bonum; quia actus ſupernaturalis de ſe intrinſecè bonus habet duplex caput repugnantię vt imperetur ex affectu pravo, nempè, quia ſupernaturalis, & quia bonus; at actus ſupernaturalis de ſe intrinſecè nullam habens bonitatem, nec libertatem, ſolum habet vnicum caput, nempè, quia ſupernaturalis : Ergò ab intrinſeco ſui minus repugnat actum fidei imperari ex affectu pravo, quam piam affectionem, ſiquidem iuxta ſolutionem pia affectio ex ſe non ſolum eſt intrinſecè ſupernaturalis, ſed intrinſecè bona, at actus fidei ſolum eſt intrinſecè ſupernaturalis, ſed non intrinſecè bonus. Confirmatur : Quia per te actus fidei ab intrinſeco; & ex ſe ſolum habet ſupernaturalitatem, & non bonitatem, aut libertatem : Ergò ſi illi repugnat intrinſecè imperari immediatè ex imperio pravo, illi repugnat ex capite ſupernaturalis, quia non habet alium titulum intrinſecum, ex quo illi proveniat repugnantia. Sed pia affectio etiam eſt intrinſecè ſupernaturalis : Ergò repugnat ei intrinſecè imperari immediatè ex imperio pravo.

7. Nec valet, ſi dicas, actum fidei non poſſe exiſtere, niſi bonus moraliter, & cum hanc bonitatē ex ſe non habeat, propterea exigit eſſentialitèr imperiū bonum, ex quo illam ſortiatur : At piam affectionem ex ſe eſſe bonam moraliter, & ideò non agere imperio bono. Contra enim eſt, quia pia affectio, quantumvis ex ſe intrinſecè ſupernaturalis, & bona, poteſt exiſtere mala moraliter ex imperio pravo : Ergò multò melius actus fidei ex ſe ſolum ſupernaturalis poterit exiſtere malus moraliter ex imperio. Patet conſequentia, quia magis conciliabilis eſt actus ſolum intrinſecè ſupernaturalis, ſed non intrinſecè bonus, cum malitia ex imperio, quam actus intrinſecè ſupernaturalis, & intrinſecè bonus; ſiquidem ex terminis magis repugnat malitię ſupernaturalitas, & bonitas, quam ſupernaturalitas ſola ſine bonitate. Vndè contrarius ſupponit probandum, & petit principium, dum dicit, actum fidei non poſſe exiſtere niſi bonum ; & honeſtum. Nam ſanè non loquitur de bonitate, & honeſtate intrinſeca, ſiquidem inquit nullam habere bonitatem intrinſecam : Ergò ſenſus eſt, quod non poteſt exiſtere niſi bonus moraliter ex imperio : Sed hoc ipſum eſt, quòd ad hominē impugnamus, eo quod iuxta ipſum pia affectio, quę eſt ęquè ſupernaturalis, & aliàs intrinſecè bona, ponitur ab ipſo potens exiſtere mala moraliter ex imperio: Ergò ſupponit id ipſum, cuius contrarium infertur ex eius ſolutione, & quod deberet probare. Vrgetur : Maiorem repugnantiam involbit hoc complexum : *Actus intrinſecè ſupernaturalis, & intrinſecè bonus, extrinſecè malus ex imperio* ; quam hoc : *Actus intrinſecè ſolum ſupernaturalis, extrinſecè malus ex imperio* : Sed primum iuxta ſolutionem non repugnat, quia pia affectio eſt actus intrinſecè bonus, & intrinſecè ſupernaturalis, & ponitur mala ex imperio : Ergò multò minus repugnabit ſecundum, vel ſi ſecundum repugnat, potiori iure repugnabit primū ; & ſolutio. Vndè ſolutio, ſi quit probat, probat quod actus fidei ab intrinſeco eſt actus ſupernaturalis indifferens ab bonitatem, & malitiam: Si quidem ſupponit nullam habere bonitatem, ex ſuo obiecto, & ſpecie intrinſeca ; rurſus ex illa ſequitur poſſe eſſe malum extrinſecè ex imperio pravo, & bonum extrinſecè ex imperio bono : Ergò ex illa probatur eſſe actum intrinſecè indifferentem : Hoc autem de actu fidei nullus dixit, nec dici poteſt : Ergò.

8. Nec ſecunda ratio diſcriminis tenet; fateor enim, hanc eſſe differentiam inter actum fidei, & piam affectionem, quod actus fidei requirit eſſentialiter actum imperantem, qui ſit diſpoſitio congrua ad ipſum, ſed pia affectio alium actum imperantem prævię non requirit. Cæterum, nego quod ſi ſemèl actus pię affectionis imperetur alio actu ; ille actus imperans piam affectionem non ſit etiam diſpoſitio congrua, licèt non exacta, ad ipſam piam affectionem. Nam cuè rogo, affectio imperans actum fidei eſt diſpoſitio congrua ad ipſum? Sanè, quia illa poſita exigit concurſum Dei ad actum fidei imperatum : Sed etiam ſemèl poſitus actus imperans ipſam piam affectionem, etiam exigit concurſum Dei ad illam, quia hoc eſt de ratione omnis actus imperantis, exigere concurſum Dei ad actum imperatum : Ergò talis actus imperans piam affectionem erit diſpoſitio congrua ad ipſam, licèt non exacta. Tùm ſic : Sed implicat diſpoſitio congrua purè naturalis, & multò magis, quę ſit peccaminoſa, ad actum

pię

quia virtus ſupernaturalis non poteſt imperari ex virtute, nec ex actu merè naturali : Ergò multò minus ex actu pravo: Probo antecedens, quia imperans, vt imperans, dicit ſuperioritatem ad imperatum , vt ex imperio agens, & ipſi obediens : Sed implicat, quod virtus, vel actus purè naturalis comparetur ad virtutem ſupernaturalem vt ſuperior ad ipſam, cum omnis actus, & virtus ſupernaturalis eſſentialiter ſit ſuperioris ordinis ad omnem virtutem, & actum purè naturalem : Ergò implicat, quod actus, aut virtus ſupernaturalia imperetur, aut operetur ex imperio virtutis , vel actus purè naturalis.

13. Reſpondet Lugo , quod iſtę ſunt metaphorę ſine fundamēto ſolido; nam re ipſa, nec actus imperans imperat, nec imperatus obedit, ſed anima eſt, quę imperat, vel quaſi imperat ſibi ipſi vnum actum per alium anteriorem, ſicut Dominus per voces externas imperat ſervo. Vndè ſicut voces externę non debent eſſe ſuperioris, ſed poſſunt eſſe inferioris qualitatis ad opus ſervo imperatum, ita actus, per quem imperat anima ſibi alium actum, poteſt eſſe inferioris entitatis, & ordinis. Sed contra eſt, quia licèt anima ſit, quę per vnum actum imperat ſibi alium ; tamen virtus, ſeù vis, qua imperat, debet eſſe, & comparari vt ſuperior ad vim, cui imperat, vndè videmus, quod anima vt ſenſitiva non poteſt ſibi imperare vt rationali, attamen vt rationalis poteſt imperare ſibi vt ſenſitivę, cuius alia ratio aſsignari nequit, niſi illa , quę in prōptu eſt, nempè, quod anima vt rationalis eſt ſuperior ad ſe ipſam vt ſenſitivam, & non ècontra, ſeù quia vis intellectiva , & rationalis animę eſt ſuperioris ordinis ad vim ſenſitivam, & nō èconţra : Sed anima, vt operans virtute gratię, ſeù vt elevata ad ordinem gratię, eſt ordinis ſuperioris ad ſe ipſam vt operantem vi ſolius naturę, & non èconţra, ſicut vt rationalis eſt ſuperior ad ſe ipſam vt ſenſitivam : Ergò poterit, vt conſors gratię, ſivè vt elevata, & vt operans virtute gratię, imperare ſibi vt operāti virtute ſolius naturę, non tamen èconţra.

14. Reſpondet Lugo , quod ſi vis ſenſitiva non poteſt imperare actus rationalis, non ideò eſt , quia ſit inferioris ordinis, ſed quia vis ſenſitiva non poteſt habere pro obiecto actus animę vt rationalis , quia ſunt ſpirituales, & extra ſpheram partis ſenſitivę. Sed contra eſt , quia ideò nequit illos habere pro obiecto, quia ſunt ſuperioris ordinis : Ergò ratio primaria, cur nequit illos imperare , eſt quia ſunt ſuperioris ordinis. Secundò , quia vt imperet anima aliquem actum, non requiritur , quod illum reſpiciat directè pro obiecto , ſed ſatis eſt, quod reſpiciat pro obiecto aliquid , ad quod ordinetur obiectum actus imperati, nam eo ipſo movet vim inferiorem ad actum circa tale obiectum , vt cum volitio finis imperat , ſeù movet ad electionem , non requiritur , quod directè attingat vt obiectum ipſam electionem , ſed ſatis eſt, quod reſpiciat directè finem , ad quem ordinatur electio mediorum : Ergò ratio cur appetitus ſenſitivus nequit imperare actus rationalis, non eſt quia illos non poſsit reſpicere vt obiectum, ſed quia nequit reſpicere aliquid ad quod ordinentur per ſe actus rationalis, hoc eſt, quia nequit reſpicere aliquid ſuperius vt ſuperius ad actus partis rationalis, ex cuius appetitu moveat, ſeù imperet ipſos : Ex quo.

15. Confirmatur prædicta ratio: Quia actus imperans debet reſpicere pro obiecto aliquid ſuperius, ad quod ordinetur obiectum actus imperati, tanquam ad finem. Sed implicat, quod actus purè naturalis, aut pravus reſpiciat pro obiecto aliquid ſuperius, ad quod ordinetur obiectum actus ſupernaturalis, quia debet reſpicere pro obiecto aliquid purè naturale, vt naturale, & implicat, quod obiectum actus ſupernaturalis , quod debet eſſe aliquid ſupernaturale, ordinetur ad obiectum naturale , tanquam ad ſuperius : Ergò implicat, quod actus ſupernaturalis imperetur ex actu purè naturali. Maior patet , quia inter actum imperantem, & imperatum debet eſſe talis ordo, quod actus imperans reſpiciat finem , vel motivum , propter quem moveat ad actum imperatum, vt per ipſum aſſequatur talem finem, vt patet in omni actu imperante, & imperato; v. g. dùm charitas ex Gloria Dei prę intenta imperat actum prædicationis Evangelicę, vel converſionis animarum, vel cum ex bonitate proximi prævolita imperat actum miſericordię , vel cum avaritia ex fine habendi divitias imperat actum contrahendi , aut furandi ; vndè cum in aliquo dominatur aliqua virtus , vel aliquod vitium, ideò eſt , quia operans, ex fine , & motivo talis vitij imperat omnia alia, quę vult, ſeù quia omnia, quę vult, vult in ordine ad finem talis vitij, tanquam ad quid in ſua ęſtimatione ſuperius : Ergò de ratione actus imperantis, & imperanti eſt, quod actus imperans reſpiciat aliquem finem vel motivum, tanquam aliquid ſuperius, in ordine ad quod moveat ad actum imperatum, & quod actus imperatus velit aliquid inferius per ordinem ad obiectum , ſeù motivum imperantis.

16. Dices forſan, hoc verum eſſe, quando ſervatur ordo debitus rationis, & actus imperans rectè, & iuxta debitum rationis imperat, quo ſervato non poteſt obiectum ſupernaturale ordinari ad aliquid naturale tanquam ad finem, & motivum; attamen, quãdo actus imperans eſt pravus, & contra rectum ordinem rationis, benè poſſe ordinare aliquid ſuperius ad aliud inferius, tanquam ad finem, vt quando ex fine avaritię quis adminiſtraret Sacramenta, & ſic ex imperio, & finè pravo poſſe aliquem imperare actum ſupernaturalem in ordine ad talem finem. Sed contra eſt, quia licèt poſsit aliquis ex fine pravo, & contra ordinem rationis velle aliquid ſupernaturale in ordine ad finem purè naturalem, & inferiorem, tamen implicat, quod dum operatur ex tali fine, & ex pravo imperio operetur per virtutem, & actum ſupernaturalem: Ergò implicat quod ex pravo imperio eliciat actum verę fidei ſupernaturalis, qui verè ſit actus ſupernaturalis, & virtutis ſupernaturalis. Probo antecedens, primò, quia in eo caſu, licèt vellet aliquid ſupernaturale materialiter, & entitativè tale, non tamen vellet illud formaliter vt ſupernaturale, id eſt, ęſtimando illud vt ſupernaturale, quia potius ęſtimaret illud, & illud vellet, vt quid inferius fine naturali avaritię, ſiquidem quod quis vult propter aliquem finem, vult, & ęſtimat illud vt minus, & inferius illo fine: Sed dum quis vult aliquid, licèt in ſe entitativè, & materialiter ſupernaturale, formaliter tamen illud ęſtimando vt purè naturale, immò vt minus; & inferius finè naturali, implicat quod illud velit actu ſupernaturali, de cuius eſſentia eſt reſpicere obiectum ſupernaturale formaliter vt ſupernaturale: Ergò implicat, quod in eo caſu operetur actu ſupernaturali. Secundò, quia licèt poſsit quis pravè, & contra ordinem rationis imperare per vitium, & actum vitioſum, implicat tamen, quod poſsit tali imperio obedire per virtutem, & actum bonum, & ſupernaturalem, ſiquidem repugnat virtuti ſupernaturali obedire imperio pravo, & inordinato: Ergò, dùm obedit tali imperio, id eſt, dùm operatur ex fine, & motivo actus imperantis, implicat, quod operetur per actum, aut per virtutem ſupernaturalem. Explicatur: Æquè pravum, & inordinatum eſt obedire inordinatè, ac imperare inordinatè: Sed repugnat virtuti, & actui ſupernaturali imperare inordinatè, ordinando id quod eſt ſuperioris ordinis ad id quod eſt ordinis inferioris: Ergò pariter repugnat virtuti ſupernaturali, qualis eſt fides, obedire inordinatè, hoc eſt, reſpiciendo id, quod eſt ſuperioris ordinis, in ordine ad id quod eſt ordinis inferioris: Sed hoc ſequeretur, ſi poſſet quis credere per fidem ſupernaturalem ex imperio pravo imperante actum fidei in ordine ad finem naturalem: Ergò repugnat credere per fidem ſupernaturalem ex tali imperio.

17. Vndè, adhùc admiſſo, quod poſſet quis inordinatè velle credere fidè ſupernaturali propter finem naturalem, talis volitio eſſet inefficax, & non haberet vim imperij in ordine ad actum ſupernaturalem fidei, quia non poſſet per fidem ſupernaturalem obediri tali volitioni in ordine ad finem purè naturalem: Sicut ſi in moralibus, & politicis ſervus pravus imperarat Domino probo, & iuſto aliquid contra ordinem rationis, non poſſet Dominus, retinendo ſuam ſuperioritatem, & probitatem, obedire, ac ſic illud imperium prorſus eſſet inefficax, & non haberet vim imperij reſpectu ſuperioris, vt ſuperioris probi, & ſancti. Cum ergò anima vt elevata ad ordinem ſupernaturalem per habitum fidei ſit eſſentialiter ſuperior ad ſe ipſam ſecundum vires naturales; implicat, quod ratione habitus fidei poſsit obedire ſibi vt imperanti ſecundùm vires naturales, & propter finem intentum per ipſas vires naturales. Vndè, ſi quando aliquis imperar ſibi fidem ex fine purè naturali, & per actum purè naturalem, non eſt credendum, quod tunc, ſi ex illo fine credat, credit fide vera ſupernaturali, ſed fide affectata, ſeù ficta, ſeù purè naturali, vt infrà explicabitur.

TERTIUM ASSERTUM, ET maior confirmatio principalis Concluſionis.

18. DICO tertio: *Repugnat etiam quod actus fidei immediatè imperetur per actum purè naturalem; in conſortio pię motionis imperantis.* Hic eſt alius modus explicandi ſententiam contrariam, qui non minus facilè impugnatur: Quia vel actus naturalis ponitur vt imperium totale; & ex fine totali naturali imperans in conſortio pię affectionis etiam totaliter imperantis, ita vt actus fidei fiat ex duplici imperio totali, & ex duplici fine, & motivo totali: Vel ita, vt parcialiter vtrumque imperium concurrat, & ex duplici fine parcialiter tantùm movente: Neutrum dici poteſt: Ergò. Non primum, in primis ex generali ratione, quia non poteſt idem

idem effectus procedere ex duplici cauſa totali in eodem genere, vt docet melior, & communior Philoſophia ; illud autem duplex imperium totale eſſet duplex cauſa totalis, à qua ſimùl procederet actus fidei. Deindè quia repugnat voluntatem ſimùl habere duos fines totales ; haberet autem, ſi ſimùl imperaret eundem aſſenſum fidei ex duplici fine, & motivo totali : Ergò. Secundò ſpecialiter, quia repugnat actum purè naturalem eſſe imperium totale reſpectu actus fidei, imperium enim totale eſt, quod ſe ſolo, independenter ab alio ſimul imperante, ſufficit ad actum imperatum, ita vt, quàvis deficeret alius actus ſimùl imperãs, ſequeretur ex vi ſui ſolius actus imperatus : Sed hoc dicere de actu purè naturali in ordine ad actũ fidei vel eſt, vel videtur error Semi-Pelagianorũ, & contra PP. & CC. ſi quidẽ eſt dicere quod ſufficit ad credẽdum fide ſalutari affectus purè naturalis ex ſolis viribus naturę elicitus : Ergò dici nequit, quod actus fidei procedat ex illo duplici imperio, ita vt verque concurrat per modum imperij totalis. Explicatur : Si vterque affectos, tam pius ſupernaturalis, quam pravus naturalis, concurreret vt imperium totale, ſicut ſufficeret affectus pius ſupernaturalis ſine conſortio alterius ad credendum fide ſalutari, ita ſufficeret affectus pravus naturalis ſine conſortio pię affectionis : Ergò ſufficeret affectus purè naturalis, ex ſolis viribus naturę elicitus, ſine conſortio pię motionis ſupernaturalis, ad credendum fide ſalutari : Ergò ad credendum fide ſalutari non eſſet neceſſarius pius affectus credulitatis ex dono Spiritus Sancti; cuius contrarium definit Concil. Arauſicanum, & PP.

19. Nec poteſt dici ſecundum, tum quia ſi vterque affectus naturalis, & ſupernaturalis partialiter concurrerent, affectus pius ſupernaturalis ſe ſolo non imperaret ſufficienter actum fidei, ſed cum dependentia ab affectu pravo naturali : Sed hoc eſt prorſus falſum, quia affectus pius ſupernaturalis ſe ſolo, & independenter ab alio affectu pravo movet ad aſſenſum fidei, imò repugnat, quod moveat dependenter ab affectu pravo, quia alias per pium affectum non moveret voluntas abſolutè ad credendum, ſed ſub conditione affectus pravi, nempè, quaſi diceret, volo quidem credere, ſed ſi ad ſit affectus pravus; quod quidem repugnat omnino affectui pio, ſupernaturali, cui prorſus exoſus debèt eſſe omnis affectus pravus, & conſequenter implicat, quod illum ponat pro conditione ad ſuum obiectum volitum, aut quod illum deſideret tanquam conditionem ; ad id quod imperat: Ergò repugnat, quod pius affectus ſupernaturalis imperet parcialiter cum affectu pravo, actum fidei ſalutaris. Tum, & principaliter, quia affectus pravus purè naturalis non poteſt, adhùc partialiter, movere intellectum ad actum fidei ſalutaris : Ergò nec poteſt illum imperare, adhùc parcialiter, ita vt ex illius imperio procedat. Probatur antecedens; quia imperium, adhùc parcialiter movens ad actum fidei ſalutaris, exigit connaturaliter concurſum Dei ad talem actum : Sed implicat, quod actus purè naturalis exigat connaturaliter concurſum Dei ad actum fidei ſalutaris, quia concurſus Dei ad ipſum, vtpotè ſupernaturalis, excedit exigentiam totius naturę, & conſequenter eſt ſuprà exigentiam cuiuſvis actus eliciti ex ſolis viribus naturę, qualis eſſet actus purè naturalis: Ergò actus purè naturalis nõ poteſt, adhùc parcialiter, movere Intellectũ ad actum fidei ſalutaris. Maior patet, quia, ſemèl poſito actu movente poſitivè intellectum ad talem actum, eſſet contra exigentiam talis motionis, quod Deus non concurreret ad actum imperatum, ſi quidem fruſtraretur eius conatus, & efficacia, & quotieſcumque fruſtratur conatus, & efficacia moventis, eſt contra exigentiam ipſius moventis : Ergò actus imperans, & movens, adhùc parcialiter, ad actum fidei ſalutaris, exigeret concurſum Dei ad illum.

20. Confirmatur, quia de ratione actus imperantis, vt imperantis, eſt movere ad actum imperatum, non purè ſufficienter, & cum indifferentia, ſed efficaciter, & cum determinatione ex parte actus ſecundi, nam imperium importat efficaciam, & determinationem in actu ſecundo erga actum imperatum, vndè actus intellectus movens voluntatem cum indifferentia, & ſine efficacia, à nullo dicitur actus imperans : Sed implicat actum purè naturalem movere, adhùc parcialiter, ad actum ſupernaturalem cum efficacia, & determinatione: Ergò, & quod ipſum imperet re ipſa, adhùc parcialiter. Probo minorem, quia, adhùc libenter admiſſo, quod poſsit potentia ratione ſui parcialiter concurrere ad actum ſupernaturalem, ideò hoc à ſuis Authoribus defenditur, quia dicunt, quod concurreret per potentiam obedientialem, non per potentiam naturalem : Sed hoc dici nequit de actu efficaciter movente voluntatem ad actum ſupernaturalem, quia implicat in terminis efficaciter, & determinatè movere ad actum ſupernaturalem, & movere ratione potentię obedientialis, quia potentia obedientialis ex

terminis non dicit efficaciam, ſed indifferentiam, & non repugnantiam ad effectum: Ergò adhùc admiſſo gratis, quod potentia naturalis poſſit ratione ſui concurrere parcialiter ad actum ſupernaturalem, dici nequit, quod poſſit actus purè naturalis movere parcialiter ad actum ſupernaturalem cum efficacia, & determinatione, prout exigitur ad rationem actus verè imperantis.

21. Confirmatur ſecundò, quia actus imperans vt verè imperans non movet purè obiectivè, & moraliter aliciendo potentiam, ſed ſubiectivè, & phyſicè ipſam applicando, & movendo cum efficacia, vt cuilibèt conſideranti patebit, quia cum quis imperat ſibi motum progreſſivum, aut actum miſericordię, aut alium actum, non facit hoc proponendo ſibi obiectum aliciens ad talem actum, nam hoc facit intellectus dum proponit voluntati obiectum aliciens, ſed applicando ſe ipſum per efficaciam voluntatis ad tales motus, vel actus: Sed implicat, quod quis per actum merè naturalem moveat ſe ipſum ſubiectivè, phyſicè, & cum efficacia, adhùc parcialiter, ad actum ſupernaturalem: Ergò & quod propriè imperet ſibi actum ſupernaturalem per actum merè naturalem, adhùc parcialiter. Probo minorem primò, quia aliàs per actum merè naturalem exigeret poſitivè, & inferret actum ſupernaturalem; hoc autem eſt contra eſſentiam actus ſupernaturalis, qui eſſentialiter petit eſſe ſuprà omnem exigentiam naturę. Secundò, quia movens phyſicè, & motum comparantur vt ſubijciens, & ſubiectum, ſubordinans, & ſubordinatum, vndè quotieſcumque vna facultas movet phyſicè, & cum efficacia aliam, facultas movens ſubijcit, & ſubordinat ſibi facultatem motam, & facultas mota phyſicè ſubijcitur, & ſubordinatur facultati moventi: Sed implicat, quod facultas elicitiva actus ſupernaturalis vt talis, quę neceſſario eſt facultas ſupernaturalis, & gratię, ſubordinetur, & ſubijciatur phyſicè facultati elicitivę actus purè naturalis, quę neceſſario eſt facultas ſolius naturę: Ergò implicat quod quis per actum purè naturalem moveat ſe ipſum phyſicè, & cum efficacia ad actum ſupernaturalem, adhùc parcialiter. Minor patet, quia vis, & facultas gratię poteſt quidem ſibi ſubijcere, & ſubordinare phyſicè vires, & facultatem naturę, attamen, quod facultas ſolius naturę poſſit, adhùc parcialiter, ſibi ſubijcere, & ſubordinare phyſicè vires ſupernaturales gratię, hucuſque inauditum eſt, & omninò prœpoſterum. Ex quo.

22. Confirmatur tertiò, quia, quamvis poſſet quis per actum merè naturalem, & pravum vellè toto ſuo conatu elicere actum fidei, talis actus nullam ex ſe haberet efficaciam ad extorquendum actum fidei, nec puſſet ſic volens moveri ex tali actu, vel conatu ad talem actum fidei eliciendum: Ergò nec actus ille purè naturalis haberet vim actus imperantis, nec actus fidei poſſet elici ex vi talis actus, aut ex motivo ipſius. Probatur antecedens, quia ille actus, vtpotè elicitus per vires ſolius naturę, nullam ex ſe haberet efficaciam ad movendum intellectum reduplicativè vt elevatum per habitum fidei, vt prodiret in actum fidei; nec intellectus vt ſic elevatus poſſet moveri ex illo actu: Sed non aliter poſſet extorquere actum fidei: Ergò, quamvis vellet toto ſuo conatu per talem actum naturalem, elicere actum fidei, talis actus, aut conatus caſſus erit, & nullam ex ſe habebit efficaciam. Probo maiorem, quia actus, vel conatus voluntatis non poteſt habere efficaciam ad movendam facultatem non ſibi ſubiectam, nec ſubordinatam in agendo, vndè quia facultas nutritiva, & vegetativa hominis non ſubordinatur, nec ſubijcitur eius voluntati, quantumvis aliquis velit toto ſuo conatu creſcere, aut nutriri, nullam ad hoc efficaciam habebit ille conatus, & ſimiliter de alijs facultatibus non ſubiectis voluntati: Sed intellectus reduplicativè vt elevatus per lumen fidei non eſt facultas ſubiecta, nec ſubordinata voluntati ſecundum ſuas vires naturales volenti, & conanti, cum ſit ordinis ſuperioris ad illam ſic volentem: Ergò quantumvis illa ſecundum ſuas vires naturales velit, & conetur, nullam habebit efficaciam ad movendum intellectum reduplicativè vt elevatum per lumen fidei, & conſequenter nec poterit movere cum efficacia, adhùc parcialiter, ad actum fidei.

23. Dices forſan, facultatem elicitivam actus fidei non eſſe ſolum habitum, aut lumen ſupernaturale fidei, ſed etiam parcialiter concurrere intellectum ſecundum ſuam propriam virtutem; ad hoc autem vt voluntas viribus naturę poſſit movere cum efficacia parcialiter intellectum ad actum fidei, non requiritur, quod habeat efficaciam, nec ſuperioritatem erga habitum ſupernaturalem fidei, nec erga intellectum vt per illum elevatum reduplicativè, ſed ſatis eſſe quod habeat efficaciam, & ſuperioritatem erga intellectum ſecundum ſe, quatenus parcialiter ratione ſui elicitivum actus fidei, quia ad imperandum parcialiter actum fidei ſufficit habere efficaciam erga principium parcialiter elicitivum, ac-

actus fidei. Sed contra eſt, quia ſententia, quę aſſerit intellectum ratione proprię virtutis eſſe parcialiter elicitivum actus fidei, falſa eſt, & contra communem Thomiſtarum : Ergò prædicta ſolutio falſo nititur fundamento. Secundò, quia illa ſententia ſolum aſſerit, quod intellectus ratione ſui, in quantum eſt potentia obedientialis reſpectu Dei authoris ſupernaturalis, habet parcialem virtutem : Sed vt eſt potentia obedientialis non poteſt moveri, cum efficacia ex actu imperante naturali, quia moveri ex affectu naturali eſt proprium potentię naturalis, vt naturalis : Ergò. Tertiò, quia licèt ſatis probabile ſit, quod intellectus ratione ſui habeat immediatam activitatem in actum fidei ſecundum rationem genericam actus intellectus communem illi cum alijs actibus naturalibus, vt aſſerui *in Phyſic. lib. 2. quæſt.* 22. tamen talis activitas propria intellectus non eſt per ſe elicitiva actus fidei, ſed ſolum eſt per ſe intellectiva in genere, vndè caſu quo intellectus poſſet moveri per conatum naturalem voluntatis, ſecundam illam propriam activitatem, non moveretur per ſe ad actum fidei, ſed ſolum ad rationem communem intellectionis, ita vt reſpectu illius conatus, ſeù actus voluntatis purè naturalis per accidens omnino eſſet, quod actus intellectus evaderet fidei ſupernaturalis : Sed de ratione actus imperantis eſt, quod per ſe moveat, & non per accidens ad actum imperatum : Ergò adhùc in ea ſententia dici nequit, quod voluntas per actum, aut conatum merè naturalem poſsit imperare actum fidei ſupernaturalem, adhùc parcialiter.

24. Explicatur : Nam vel actus imperans naturalis eſt conatus voluntatis ſolum volẽtis, & conantis intelligere, aut credere in genere, præſcindendo ab intelligere, & credere naturali, & ſupernaturali, humanę, vel divinę fidei, apparentis, vel fictę, vel eſſet conatus per ſe ad cre lendum determinatè vera fide divina, & theologica? Si primum, tranſeat, quod poſsit dari ille conatus per actum merè naturalem, & ex ſolis viribus naturę, ſed ille per ſe non habebit efficaciam, nec vim imperij ad actum ſupernaturalem fidei theologicę, ſed ſolum ad actum purè naturalem fidei, vel fictę, vel ad ſummum purè humanę, vel acquiſitę, & ſic dato, quod ille actus, ſeù conatus ſit ex motivo pravo, ſolum poterit vitiare extrinſecè actum fidei acquiſitę, aut fictę, quod libenter fatebimur. Si verò dicatur ſecundũ, talis conatus apertè foret inefficax, & nullis efficacię, & conſequenter non haberet vim imperij, quia eſſet conatus purè naturalis ad aliquid quod per ſe eſſet ſuprà vires totius naturę : Sed conatus purè naturalis ad aliquid ſuprà vires totius naturę per ſe eſt conatus inefficax, & caſus : Ergò.

25. Dices, quod licèt per ſe eſſet conatus inefficax, quatenus ſe ſolo non poſſet extorquere actum fidei ſupernaturalis, tamen in conſortio alterius effectus, ſeù conatus ſupernaturalis haberet efficaciam portialem : Sed contra, quia adhùc in conſortio alterius conatus ſupernaturalis per ſe non haberet efficaciam, adhùc parcialem, ad actum verę fidei, & theologicę vt talem, ſiquidem hoc pacto eſt ſuprà efficaciam, & vires naturę : Aliundè nec haberet efficaciam erga illum ſub ratione communi actus intellectus, quia non conaretur ad hanc rationem communem, ſed ad talem actum verè fidei theologicę, vt ſupponimus : Ergò adhùc parcialiter nullam haberet efficaciam. Item, quia conatus alter ſupernaturalis habens efficaciam ad actum verę fidei theologicę vt ſupernaturalem, etiam per ſe haberet efficaciam ad ipſum ſecundum rationem communem, tùm, quia ille conatus ſupernaturalis voluntatis, nempè per piam affectionem, procederet à voluntate conante, non ſolum ſecundum rationem ſpecificam ſupernaturalitatis, ſed ſecundum rationem genericam ſuę activitatis; tùm, quia conatus ille non eſſet ſolum ad prædicata differentialia actus fidei, ſed integrè, & adæquatè ad actum fidei, haberet ergò efficaciam ad actum fidei adæquatè, & ſecundum rationem ſpecialem actus ſupernaturalis, & ſecundum rationem communem : Ergò alter conatus naturalis omninò ſuperflueret, & nullam haberet efficaciam, ſed fruſtra conaretur ad id quod ſuprà ſuas vires eſſet.

26. Denique probatur aſſumptum, quia ſi poſſet actus fidei impecari ex motivo pravo, maximè ex motivo temporali vanę glorię, vel alicuius honoris, aut dignitatis aſſequendę, vel alicuius mali temporalis vitandi, v. g. cum aliquis invitatur ad Regnum temporale ſub conditione, quod fiat Catholicus, abiurata hæreſi, vt nuper contigit Duci Saxonię, antequàm eligeretur in Polonię Regem; ſed ex his motivis nequit voluntas imperare verum actum fidei Theologicę, & ſupernaturalis : Ergò. Probo minorem ex Div. Auguſt. *lib. de Catechizandis rudibus cap.* 5. vbi ſic ait : *Rariſsimè quippè accidit, immò nunquam, vt quiſquam veniat volens fieri Chriſtia-*

tianus, qui non ſit aliquo Dei timore perculſus. Si enim aliquod commodum expectando ab hominibus, quibus ſe aliter placiturum non ſpectat, aut aliquod ab hominibus incommodum de vitando, quorum offenſionem, aut inimicitias reformidat, vult fieri Chriſtianus, non fieri vult potius quam fingere; fides enim non res eſt ſalvandi corporis, ſed credentis animi: Ergò qui ex motivo temporali honoris, vel alterius emolumenti vult fieri Chriſtianus, aut credere, ex vi huius motivi non movetur potius ad credendum verè, quam fictè: Ergò ex illo motivo nemo poteſt imperare ſibi fidem veram, & ſupernaturalem, præficta. Explicatur hæc Div. Auguſt. ratio: Etenim ex fine vanę glorię, aut alterios emolumenti captandi ab hominibus ſolum poteſt homo imperare ſibi actum per ſe conducentem, vel neceſſarium ad talem finē, quidquid enim fecerit, ſed non vt neceſſarium, nec vt vtile ad illum finem, non faciet, nec imperabit propter talem finem, nec ex motivo illius, vt per ſe patet: Sed fides vera Dei provt diſtincta à fide ficta, nec eſt neceſſaria, nec per ſe vtilis ad captandam ab hominibus vanam gloriam, nec aliud emolumentum temporale: Ergò ex tali fine nequit homo imperare ſibi actum verę fidei provt diſtinctę à fide ficta, & ſimulata. Probo minorem, primò ex verbis Auguſtini: *Quia fides non eſt res ſalvandi corporis, ſed credentis animi.* Id eſt, non eſt per ſe vtilis ad bona externa, ſed ſolum eſt bonum internum ſolius animi. Secundò, quia homines, à quibus captare cupimus gloriam, aut alia temporalia, non vident actum verę fidei provt diſtinctę à ficta, & ſimulata, ſed ſolum vident confeſſionem, & profeſſionem externam fidei: Sed ſolum per ſe conducit, & eſt vtilè ad gloriam captandam ab hominibus, aut alia emolumenta, quod videtur ab hominibus: Ergò ſolum confeſſio, & profeſſio externa fidei, non autem vera fides interna, eſt per ſe vtilis, aut neceſſaria ad prædictum finem. Tertiò, quia Div. Auguſt. *Ibidem* planè ſupponit eos, qui accedunt ad Eccleſiam propter temporalem vtilitatem, ex vi huius motivi non eſſe veros Chriſtianos, vndè poſt verba relata, ſubdit: *Sed planè adeſt miſericordia Dei per Miniſterium Catechizantis, vt ſermone commotus, eam fieri velit, quam decreverat fingere.* Et rùrſus: *Sunt enim, qui propterea volunt eſſe Chriſtiani, vt aut promereantur homines, à quibus temporalia commoda expectant, aut qui offendere nolunt, quos timent. Sed iſti reprobi ſunt, & ſi ad tempus eos portat Eccleſia :::: Si non ſe correxerint, & propter futuram ſempiternam requiem, Chriſtiani eſſe cæperint, in fine ſeparabuntur.* Sentit ergò Div. Auguſtinus, quod qui vult fieri Chriſtianus, aut credere propter motivum temporale, ex vi huius voluntatis ſolum vult fingere fidem, non verè credere, & quod ad hoc vt incipiat eſſe verè Chriſtianus, opus eſt, quod corrigat illam priorem voluntatem, & prius motivum, & incipiant habere aliud, nempè futuram ſempiternam requiem. Vndè inquit: *Si non ſe correxerint, & propter futuram ſempiternam requiem Chriſtiani eſſe cæperint.* Et item, inquit, quod ex vi prioris voluntatis, & motivi temporalis, *decreverat fingere fidem*, quam poſtmodum ſermone Catechizantis motus, ex motivo nempè ſupernaturali, iam vult fieri. Et notandum eſt, quod Div. Auguſtinus non admittit, quod affectus ex motivo temporali ſimùl cum affectu ſupernaturali, poſsit movere ad fidem, quia ſi hoc ſentiret, non diceret: *Si non ſe correxerint.* Non enim eſſet opus corrigere priorem voluntatem, ſed ſatis eſſet illi accumulare alium affectum ex motivo parciali ſupernaturali: Ergò iuxta Div. Auguſtinum affectus naturalis ex motivo naturali per ſe, adhùc parcialiter, non infert veram fidem, ſed ſolum fidei ſimulationem, vndè ſubdit: *Sunt alij meliori quidem ſpe, ſed tamen non minorè periculo, qui iam Deum timent, & non irrident Chriſtum, nec ſimulato corde intrant Eccleſiam Dei.* Vbi clarè ſupponit, priores intrantes Eccleſiam Dei ex motivo temporali, ſimulato corde intrare, fingentes fidem, ſed ex corde non credentes: Et horum ratio à priori eſt, quia non volumus medium propter finem, niſi quatenus neceſſarium, aut conducens per ſe ad finem, nec voluntas finis habet vim movendi ad ponendum medium, niſi ſecundum quod medium conducit, vel requiritur ad finem: Sed ad vanam gloriam captandam ab hominibus, aut alia emolumenta temporalia obtinenda, vel mala vitanda, fides vera, & interna non requiritur, nec per ſe conducit, ſed ſolum ratione externę confeſſionis, & profeſſionis, quę dari poteſt ſine vera fide interna: Ergò ex vi motivi temporalis non poteſt voluntas imperare veram fidem internam, ſed ad ſummum externam, & ſimulatam fidei profeſſionem.

27. Sed dices, demus, quod ille, qui movetur ex motivo temporali, nolit fingere Religionem, nec eam ſimulare: Ergò tunc motivum temporale obligabit, & movebit ipſum ad verè credendum. Reſpondeo negando conſequentiam, quia quo motivo, in quiro, dùm vult externè profiteri Religionem

Chriſ-

Chriſtianam, non vult eam fingere, nec ſimulare, ſanè hoc eſt quid internum, & ſpirituale, & non niſi ex motivo interno, & ſpirituali ſic affici poterit contra ſimulationem Religionis: Ergò ex illo motivo, & non ex motivo temporali, & externo credet per fidem veram, & ex corde talem.

28. Et ex hac ratione infertur, nullum actum verę virtutis internę, vt talem, elici poſſe per ſe ex motivo vanę glorię aut alterius emolumenti ab hominibus capeſſendi, ac proindè omnem, qui operatur ex tali motivo, in quantum ex tali motivo operatur præcisè, minimè elicere actum verę virtutis, ſed ſolum virtutis apparentis, & ſimulatę, quia ſolum virtus vt apparens, & ſecundum appatientiam externam per ſe conducit ad prædictum finem; actus verò verę virtutis internę vt talis nec per ſe conducit, quià per ſe non eſt cognoſcibilis, nec ſenſibilis ab hominibus, nec eſt neceſſarius ad prædictum finem; Ergò per ſe imperari nequit, aut fieri ex prædicto fine. Infertur etiam pari ratione, nullum actum verę virtutis ſupernaturalis imperari poſſe ex motivis prædictis naturalibus. Tùm, quia omnes rationes prædictę probant de omni actu virtutis ſupernaturalis. Tùm, quia actus verę virtutis ſupernaturalis ſemper eſt provt talis internus, ſpiritualis, & inviſibilis ab hominibus, ac per conſequens per ſe non conducens, nec vtilis ad movendos, aut alliciendos homines ad vanam glotiam, aut alia emolumenta impendenda.

SOLVUNTUR OBIECTA.

29. OBIJCIUNT primò contrarij fundamento communi, quia poteſt actio ſupernaturalis elici ex pravo imperio, & motivo, & ſic viriari ex illo: Ergò, quamvis actus fidei ſit ſupernaturalis, poterit elici ex imperio pravo, & ſic vitiari, & fieri moraliter malus. Antecedens facilè probatur, in adminiſtratione Sacramentorum, quia abſolutio Sacramentalis, & conſecratio Corporis Chriſti ſunt actiones ſupernaturales, ſiquidem cauſant effectus ſupernaturales: Sed iſtę actiones ſæpè eliciuntur ex motivo, & imperio pravo, vt quando eliciuntur ex motivo vanę glorię, aut cupiditatis, vel amicitię temporalis captandę: Ergò poteſt actio ſupernaturalis elici ex motivo, & imperio pravo, & purè naturali. Confirmatur, quia ſi pœnitens confitearur, & alios actus eliciat ex fine veniali, ter malo, v. g. ex vana gloria captanda à confeſſario, ex hoc peccato veniali non impeditur ad ſuſceptionem gratię, nimis enim durum eſt, quod propter ſolum veniale, faciat pœnitens Sacramentum invalidum, vel informe, aliàs veniale eſſet mortale, ſiquidem peccatum, quo quis in ſuſceptione Sacramenti privat ſe totaliter fructu Sacramenti, mortale eſt: Ne igitur ita durè diſcurramus, & rigidè, dicendum eſt, quod actus pœnitentis, etſi eliciti ex vana gloria, non deſinunt eſſe diſpoſitiones ad gratiam: Sed non poſſunt eſſe diſpoſitiones ad gratiam, niſi ſint ſupernaturales: Ergò ſtat actus ſupernaturales elici ex fine, & motivo pravo vanę glorię. Hoc argumentum minis exagerant aliqui ex Authoribus adverſis, eum tamen multis capitibus debiliſſimum ſit, & pluribus nitatur ęquivocationibus, quę forſan poſſunt eſſe in praxi periculoſę. Vndè

30. Pro illius ſolutione, noto primò, quod dupliciter poſſet quis ex motivo vanę glorię adminiſtrare Sacramenta, abſolvendo, conſecrando, baptizando, &c. Primò, ita vt, nec prævię, nec concomitanter, hec conſequenter, alium finem intenderet, nec aliud motivum, niſi vanam gloriam. Secundò, ita quod licèt actiones externas abſolvendi, conſecrandi, &c. cum tota illa exterioritate exerceret ex vana gloria, nihilominus, non ex vana gloria, ſed ex motivo conficiendi verum Sacramentum, ne graviter offenderetur Deus, vel ne fruſtraretur proximus effectu Sacramentali, vel ne ipſe incurreret Sacrilegium, intenderet per eas actiones externas verum conficere Sacramentum. Si primò modo procederet, attentè, & cautè advertendum eſt, quod re ipſa non conficeret verum Sacramentum, nec eius actio externa tunc foret ſupernaturalis, nec elevata inſtrumentaliter à Deo, quia non haberet ſic adminiſtrans veram intentionem requiſitam conficiendi Sacramentum, ſiquidem ex ſola intentione vanę glorię, abſque alio fine, ſolum intenderet actionem externam provt conducentem ad vanam gloriam; cum autem quod ſit verum potius quam fictum Sacramentum, ad vanam gloriam ab hominibus captandam non conducat, cum ſit quid ſpirituale, occultum, & inviſibile; indè eſt, quod ex vi ſolius motivi, & finis vanę glorię, ſi aliud non haberet, non haberet intentionem conficiendi verum Sacramentum prę ficto, & conſequenter nec intentionem requiſitam ad valorem Sacramenti. Et ideò minimè eſt credendum, quod quiſque accedat ad Sacramenta adminiſtranda prædicto modo, ſed ſolum ſecundò modo explicato, in

in quo caſu, licèt actiones externas ſecundum talem ſuam externam apparientiam eliciat ex motivo vanę glorię, intentio tamē conficiendi verum Sacramentum præficto, & actiones provt ex tali intentione verè procedentes, hoc eſt, vt ſunt verum Sacramentum præficto, minimè procedunt ex motivo vanę glorię, nec ex alio motivo temporali, ſed ex motivo ſpirituali, vel verè, & non fictè adimplendi Miniſterium à Deo ſibi traditum, vel non incurrendi ſacrilegium, vel non fruſtrandi Sacramentum, & proximum effectu gratię, vel alio motivo, aut fine, ad quem vera intentio, & verum Sacramentum, vt diſtinctum à ficto, per ſe conducat, hoc enim per ſe non conducit, niſi ad aliquod bonum ſpirituale.

31. Noto ſecundo, actionem aliquam poſſe eſſe ſupernaturalem dupliciter, nempè, vel vitaliter, voluntariè, aut liberè, hoc eſt, ab intrinſeco operantis, qui per ſe vitaliter, & liberè eliciat talem actionem vt ſupernaturalem; vel non vitaliter, nec voluntariè, nec liberè, ſed purè phyſicè ab extrinſeco movente, & elevante talem actionem per vim ſupernaturalem ipſi impreſſam. Primo modo ſunt ſupernaturales actiones internę, per quas ſupernaturaliter vivimus, volumus, aut meremur in ordine ſupernaturali, nam ſupernaturalitas earum eſt a nobis vitaliter, aut liberè, aut voluntariè. Secundo modo ſunt ſupernaturales, actiones, quę licèt prout ſunt ab agente principaliter per illas operante, & ab intrinſeco ſui, ſint naturales, Deus tamen elevat eas per vim impreſſam eis ad effectum aliquem ſupernaturalem cauſandum; ſicut actio aquę abluentis corpus baptizati eſt ſupernaturalis, non ſecundum quod principaliter eſt ab ipſa aqua, ſed ſecundum quod eam Deus elevat inſtrumentaliter per vim ſupernaturalem ad effectum ſupernaturalem cauſandum in anima, & ſic ſimiliter actio conſecrativa Corporis Chriſti, ſecundum quod principaliter eſt ab ipſo proferente verba, ſolum eſt prolatio naturalis illorum verborum, ſed eſt ſupernaturalis, quatenus Deus ea vtitur, elevando talem prolationem verborum ad cauſandum effectum ſupernaturalem converſionis Panis in Corpus Chriſti. Hæc autem eſt differentia inter actionem ſupernaturalem primo, & ſecundo modo talem, quod ſupernaturalitas primo modo eſt eſſentialis actui ſupernaturali ex ſua ſpecie, ſeù differentia ſpecifica; attamen ſupernaturalitas ſecundo modo ſupponit actionem ex ſua ſpecie, & differentia ſpecifica purè naturalem, & illi advenit ex motione ſuperioris agentis accidentaliter, vndè tales actiones ſolum accidentaliter ſunt ſupernaturales.

32. His præmiſsis, ad obiectionem faciliè reſpondeo, diſtinguendo antecedens: Poteſt actio ſupernaturalis, quę ſit ſupernaturalis eſſentialiter, & ex ſua ſpecie, & ab intrinſeco operantis, imperari ex motivo, & imperio pravo, nego anteeedens: Actio ſupernaturalis, quę ſolum accidentaliter, & ab extrinſeco ſit ſupernaturalis, ſub diſtinguo: Poteſt imperari ex motivo, & imperio pravo movente ſolum ad ipſam ſecundum quod in ſua ſpecie, & ab intrinſeco operantis eſt purè naturalis, concedo antecedens: Movente ad ipſam ſecundum quod ſupernaturalis eſt, nego antecedens. Ad cuius probationem, diſtinguo maiorem: Abſolutio Sacramentalis, & conſecratio ſunt actiones ſupernaturales accidentaliter, & ab extrinſeco Dei moventis, concedo maiorem: Vitaliter, eſſentialiter, ab intrinſeco operantis, nego maiorem; & diſtinguo minorem: Iſtę actiones ſæpè eliciuntur ex motivo, & imperio pravo, ſecundum quod in ſua ſpecie ſunt vitaliter elicitę ab operante, & purè ab intrinſeco naturales, concedo minorem: Secundum quod ab extrinſeco movente ſunt elevatę, & ſupernaturalizatę accidentaliter, nego minorem, & conſequentiam ſub diſtinctione data. Quia quando quis ex motivo vanę glorię exercet actiones Sacramentales, in primis dici poteſt, quod intentio, aut imperium ex vana gloria non movet per ſe ad ipſas actiones ſecundum quod verè Sacramentales ſunt, potius quam fictè, & apparenter, vndè ſi Miniſter concomittanter non haberet aliam intentionem, niſi captandi vanam gloriam, non eſſent illę actiones verè confectivę Sacramentorum, quia non haberet intentionem conficiendi Sacramentum verum præficto, quia hoc intendi nequit, niſi ex alio motivo, & alia intentione, quam vanę glorię. Deindè, admiſſo quod illa actio verè eſſet confectiva Sacramenti, tota motio motivi, & imperij ex vana gloria terminaretur ad illam actionem ſecundum quod vitaliter, & voluntariè procedit ab ipſo Miniſtro, & ſecundum quod eſt ſub ſua poteſtate, & activitate principali, non verò ad ipſam ſecundum quod eſt inſtrumentaliter à Deo movente, & elevante ipſam ad effectum ſupernaturalem; ratio eſt manifeſta, quia dùm Miniſter imperat illam actionem, imperat ſibi, non Deo; & imperat ſibi vt cauſę principali, quo ſolum pacto ſubditur, & ſubordinatur ſibi, non verò imperat ſibi, nec ſuę actioni vt inſtrumento phyſico divinitatis, quia vt ſic non ſubditur,

tur, nec ſubordinatur ſibi, ſed ſolum divinitati, cuius eſt inſtrumentum : Cum antem illa actio ſolum ſit ſupernaturalis in quantum eſt à Deo principaliter ea vtente vt inſtrumento, vel in quantum eſt à Miniſtro vt purè inſtrumentaliter agente; vt tamen eſt ab ipſo, & ipſi ſubordinatur vt principaliter agenti, & imperanti ipſam, ſit purè naturalis; ſequitur manifeſtè, quod ſolum vt purè nattralis imperatur ex motivo vanitatis, attamen vt ſupernaturalis non imperatur, nec procedit ex imperio naturali, aut pravo ipſius Miniſtri, ſed vnicè à Deo movente ipſum Miniſtrum, & eius actionem de ſe purè naturalem, & elevando ipſam ad effectum ſupernaturalem.

33. Ad confirmationem, in primis, videtur, quod ſi pœnitens omnes actus eliceret ex vana gloria, non haberet contritionem, nec attritionem veram, internam, & ſupernaturalem, quia hæc nequit eſſe ex intentione vanę glorię, cum per ſe ad illam ſit inutilis; ſi autem accederet, & ſuſciperet formam Sacramenti ſine his actibus, quid mirum, quod fruſtraretur fructu Sacramenti, non vnicè propter peccatum veniale vanę glo.ſię, ſed quia accederet purè fictè, hoc eſt, cum apparientia externa pœnitentis, ſed ſine vera penitentia interna? Vndè cum verus pœnitens accedit cum motivo vanę glorię, illud ſolum habet pariè in actionibus externis, quas tùm caſus e licit vt cōfeſſario, vel alijs vidētibus appareat devotus, contritus, humilis, &c. non tamen in vera interna contritione, & dolore; impoſsibile enim videtur, quod quis velit habere veram internam contritionem præficta propter vanam gloriam: Sequitur ergò, quod pœnitens, vt ſuſciperet fructum Sacramenti, deberet cum illo motivo vanę glorię imperante actiones externas, de ſe purè naturales, habere ſimul dolorem, & contritionem internam, & veram, & intentionem conficiendi verum Sacramentum præficto, & hoc non ex vana gloria, quę talem dolorem verum, aut veram intentionem minimè per ſe extorquere ſufficit, ſed ex alio motivo honeſto ſuperiori, ſeu ſupernaturali, vndè nunquam ſequitur, quod actiones, vel actus ſupernaturales imperentur ex imperio pravo vanę glorię, aut alio ſimili.

34. Sed replicabis primo: Per nos actiones ſacramentales, licèt non poſsint imperari ex ſolo motivo pravo, v. g. vanę glorię quia hoc pacto non eſſent verè ſacramentales; poſſunt tamen imperari ex vana gloria, ſi ſimul concurrat ex alio motivo honeſto intentio conficiendi verum Sacramentum: Ergò pariter, licèt actus fidei ſupernaturalis non poſsit elici vnicè ex motivo vanę glorię, aut alio pravo, poterit tamen, ſi ſimul concurrat voluntas verè credendi ex alio motivo honeſto, & ſupernaturali. Secundo: Licèt actiones Sacramentales, reduplicativè vt ſupernaturales, non procedant ex imperio pravo, procedere tamen poſſunt ex illo ſecundum aliam conſiderationem, nempè ſecundum quod procedunt principaliter à Miniſtro: Ergò pariter, licèt actus fidei non poſsit procedere ex imperio pravo, quatenus ſupernaturalis eſt, & ex gratia, tamen procedere poterit ex illo ſecundum quod procedit ab intellectu vt ex propria virtute operante. Confirmatur: Ideò actio Sacramentalis admittit illam duplicem conſiderationem, quia in quantum vitalis eſt, & ab intrinſeco agentis, ſubditur ipſi; in quantum verò ſupernaturalis, non eſt vitalis, nec ab intrinſeco, ſed purè à Deo extrinſecè movente: Sed hoc idem dici poteſt de actu fidei, nempè, quod in quantum vitalis eſt, eſt ab intrinſeco credentis, in quantum verò eſt ſupernaturalis, non eſt vitalis, nec ab intrinſeco agentis, ſed ſolum à Deo extrinſecè aſsiſtente, aut movente, potiſsimè ſi admittatur ſententia probabilis, quę propugnat, poſſe actum ſupernaturelem elici abſque auxilio intrinſeco, per ſolam aſsiſtentiam extrinſecam Dei: Ergò.

35. Reſpondeo, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, quia eſt manifeſta diſparitas, primò, quia actio Sacramentalis, vtporè externa, & viſibilis, poteſt imperari propter vanam gloriam: At actus fidei eſt actus de ſe purè internus. Secundò, quia actio Sacramentalis intrinſecè ſumpta, & ſecundum quod eſt principaliter ab intrinſeco operantis, eſt purè naturalis, & ſic procedere poteſt ex imperio naturali: At actus fidei intrinſecè ſumptus, & ſecundum quod eſt principaliter, & vitaliter à credente, eſt eſſentialiter, & in ſua ſpecie ſupernaturalis, & ideò nequit procedere ex imperio naturali. Ex quoad ſecundam, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam, quia ideò primum tenet in actionibus Miniſtri, quia in illis verè diſtinguitur actio intrinſecè, & ſecundū ſuam ſpeciē, immò, & individualiter naturalis, à ſupernaturalitate ipſius, quę ei accidit ex vi ſupernaturali ab extrinſeco motore illi impreſſa, & ideò imperium purè naturale, & pravum poteſt imperare actionem vt intrinſecè, & ex ſua ſpecie, & individuatione naturalem, quia vt ſic procedit illa actio à potentia naturali ſecundum quod ſubiecta imperio naturali voluntatis: At verò in actu interno fidei hoc omninò indiſtin-

medium ad illam : Sed huiuſmodi ratio non poteſt eſſe ratio communis vitalitatis, aut actus intellectus, nec alia præſcindens à ſupernaturalitate, ſed neceſſario debent eſſe actus fidei ſecundum rationem ſpecificam eſſentialiter ſupernaturalem : Ergò. Probatur minor primò, quia ſolum ſecundum hanc rationem, & non ſecundum illam communem conduceret ad captandam vanam gloriam. Secundò, quia homo non quæreret vanam gloriam per rationes communes vitalitatis, aut intellectionis in genere, quia hę rationes communes, nec in hominis apprehenſione, conducerent ad illam, nemo enim laudatur de illis, nec de illis gloriatur, cum ſint rationes communes alijs actibus vituperabilibus, & infamia dignis; ſed quæreret vanam gloriam per medium particulare, quod in eius apprehenſione conduceret ad illam, hoc autem medium non eſſet aliud, niſi actus fidei ſecundum ſuam excellentiam, & ſupernaturalitatem ſpecificam, ſecundum quam eſt laudabilis, ſeù laude, & ęſtimatione dignus, licèt indignus appeti propter ipſam, & ordinari ad ipſam : Ergò ſi actus fidei imperaretur ex motivo vanę glorię, non imperaretur vnicè ſecundum rationem genericam, ſed potiſsimè ſecundum excellentiam ſpecificam.

39. Ex quo etiam infertur diſparitas ad aliud importunum argumentum, quo in ſimilibus caſibus vtuntur plures, ex eo nempè, quod Deus movendo voluntatem ad actum peccati, movet ad rationem entis, & non ad rationem ſpecialem malitię, quia ſub eius cauſalitate continetur entitas, ſed non malitia : Ergò poſſet affectus naturalis pravus movere ad actum fidei ſecundum rationem genericam actus intellectus, aut vitalitatis, & non ſecundum rationem ſupernaturalis, quia nempè ſub eius activitate, & efficacia continetur illa, ſed non iſta. Reſpondeo enim, quod ideò ſub activitate divinę voluntatis moventis noſtram non continetur malitia, & continetur entitas, quia divina voluntas movet ſub ratione vniverſali boni, & ex motivo ſuę bonitatis participandę, ad quod conducit actus peccati ſecundum ſuam entitatem, actualitatem, & bonitatem phyſicam, ſed non ſecundum rationem malitię, vt per ſe patet, quia ratio malitię potius contraria eſt divinę bonitati, vt participabili à creaturis, cum impediat eius participationem. Attamen, ſi affectus vanę glorię moveret ad fidem, moveret ad illam ſub ratione laudabilis, & glorificabilis ab hominibus, & ex motivo adipiſcendi eam laudem, & gloriam, & ęſtimationem, vel alia commoda temporalia, quę ad illam ſequuntur ęſtimationem : Patet autem quod ad hoc non conducit actus fidei ſecundum rationem genericam vitalitatis, aut intellectionis, ſiquidem hoc pacto non participat rationem laudabilis, aut ęſtimabilis, ſed ſolum ſecundum rationem, & excellentiam ſpecificam : Ergò ſi efficacia illius affectus vanę glorię ſe extenderet ad actum fidei, maximè ſe extenderet ad illum ſub tali ratione ſpecifica, illeque ſecundum rationem ſpecificam contineretur ſub efficacia illius : Si verò hoc eſt impoſsibile, quia ſecundum excellentiam ſpecificam eſt ſupernaturalis, & ille affectus vanę glorię eſt purè naturalis, indè infertur, non poſſe vllo modo habere efficaciam in aſſenſum fidei.

40. Denique replicabis, ex D. Thom. 3. *part. quæſt.* 63. *artic.* 2. *in Argum. Sed contra*, vbi ſic ait : *Nullus habitus eſt, qui ſe poſſit ad benè, vel malè habere : Character autem ad vtrumque ſe habet, vtuntur enim eo quidam benè, & alij malè; quod in habitibus non contingit, nam habitu virtutis nullus vtitur malè, & habitu malitię nullus vtitur benè*, ex quo concludit, characterem eſſe potentiam, & non habitum. Tunc ſic : Character eſt qualitas ſupernaturalis, qua aliqui benè vtuntur, alij malè : Ergò poteſt aliquis malè vti, & conſequenter ex motivo naturali pravo, qualitate ſupernaturali : Sed vti aliquo eſt illud applicare ad actionem : Ergò poteſt quis ex pravo motivo, & purè naturali applicare principium ſupernaturale ad actionem pravam: Ergò & poterit ex pravo motivo applicare habitum fidei, licèt ſit ſupernaturalis, ad actum fidei, ſeù illum imperare, ita quod actus fidei vitietur ex motivo pravo. Reſpondeo, quod in primis verba Div. Thom. oppoſitum probant, probant enim directè, quod nemo poteſt malè vti fide divina, & theologica, ſiquidem illa eſt habitus virtuoſus, & iuxta D. Tho. habitu virtuoſo nullus poteſt vti malè. Si autem nemo malè vti poteſt fide theologica: Ergò nemo poteſt imperare actum fidei ex pravo motivo. Sed dices, ſaltèm probatur actionem ſupernaturalem, titulo ſupernaturalitatis, non repugnare malo vſui, & quod exerceatur ex pravo motivo, quia actio characteris debet eſſe actio ſupernaturalis, & tamen poteſt quis ea malè vti iuxta Div. Thom. Proptereà reſpondeo ſecundò, explicando Div. Thom. & concedendo, quod aliqui malè vtuntur charactere vſu materiali, & præſuppoſitivè ſe habente ad actionem propriam characteris, non autem vſu formali, & appli-

cativo ad actionem propriam characteris. Ratio diſtinctionis eſt, quia actio propria, & formalis characteris eſt ſupernaturalis actio confectiva Sacramenti, ad quam Miniſter ſolum inſtrumentaliter concurrit, & in qua ſolum habet vſum paſivum, non activum, quia inſtrumentum, vt inſtrumentum, non vtitur actione cauſę principalis, ſed potius cauſa principalis eſt, quę vtitur actione inſtrumenti: Non ergò intelligi debet, quod aliqui benè, alij malè vtantur charactere, quaſi Miniſtri propriè vtantur actione ſupernaturali characteris applicando, & movendo ad ipſam, ſeù ipſam imperando, quia aliàs non inſtrumentaliter, ſed principaliter agerent per illam actionem. Solum ergò intelligi poteſt præſuppoſitivè, & materialiter, quia cum actio propria, & ſupernaturalis characteris prærequirat ex parte Miniſtri actionem ipſius propriam, ab eo principaliter elicitam, nempè prolationem verborum cum intentione ea ſubijciendi Deo vt eis vtatur ſupernaturaliter ad effectum Sacramenti, dùm Miniſter ea verba ſic profert dicitur vti charactere, non propriè, & activè applicando ad eius ſupernaturalem actionem, ſed præſuppoſitivè, & materialiter, ſubijciendo nempè intentionem, & verba ex vi characteris deſtinata vt eis Deus vtatur ſupernaturaliter: Cum autem hæc actio propria, & principalis Miniſtri, qua Deus vtitur, poſsit eſſe purè naturalis, & ab eo elici benè, vel malè, hoc eſt, ex pravo, vel bono fine; in hoc ſenſu inquit Div. Thom. quod aliqui benè, aliqui malè vtuntur charactere, vndè nunquam ſequitur, quod principium aliquod ſupernaturale, aut ſupernaturalis actio ſit propriè ſubiecta actioni pravę, aut purè naturali applicanti, moventi, aut imperanti ipſam, aut quod voluntas ex viribus naturę poſsit vti activè principio aliquo, aut actione ſupernaturali, quia cum vtens vſu proprio, & activo, ſubijciat, & ſubordinet ſibi principium, & actionem, qua vtitur, debet eſſe ſuperius ad talem actionem, & principium; Voluntas autem ex viribus naturę nequit comparari vt ſuperior ad principium, vel actionem ſupernaturalem, vt per ſe patet. Ex quo rùrſus infertur, quod cum Miniſter profert verba cum intentione vt Deus eis vtatur, & conficiatur verum Sacramentum, dato quod hoc Miniſter ex pravo fine ſe exerceat, non ſequitur, quod actio propria characteris, quę ſupernaturalis eſt, vitietur, aut denominetur prava, quia hæc non ſubijcitur pravo imperio, aut motivo Miniſtri, ſed ſolum quod actio prævia, & principalis ipſius Miniſtri, quę præſuppoſitivè, ſeù paſivè dici poteſt vſus; quatenus ea Deus vtitur, ſit mala moraliter, & vitietur ex pravo fine; nec mirum, quia illa actio prævia, & principalis Miniſtri eſt purè naturalis, & ex viribus proprijs elicita.

41. Sed dices: Ergò actione naturali moraliter mala poteſt Deus vti ſupernaturaliter ad effectum Sacramenti; ſed dùm Deus ea vtitur ſupernaturaliter, illam elevat ad ordinem ſupernaturalem, & ſupernaturalem reddit: Ergò poteſt actio moraliter mala eſſe, vel reddi ſupernaturalis: Ergò poterit actio ſupernaturalis reddi, vel eſſe moraliter mala. Concedo primã conſequentiã, de actione moraliter mala, quantum ad entitatem phyſicam ipſius, quia Deus vt cauſa phyſica gratię benè poteſt vti, tanquam phyſico inſtrumento, actione, ſeù entitate phyſica actionis, licèt aliundè illa actio ſit moraliter mala, quia Deus non vtitur malitia illius, ſed ipſius entitate phyſica. Concedo etiam, quod Deus vtendo tali actione illam reddit ſupernaturalem accidentaliter, adiectivè, aut participativè, ſed non entitativè, hoc eſt, reddit illam ſupernaturalizatam, ſed non propriè ſupernaturalem: Ex quo ſolum ſequitur, quod actio moraliter mala poſsit eſſe prædicto modo ſupernaturalis, hoc eſt, ſupernaturalizata à Deo ad effectum Sacramenti cauſandi; nego tamen, quod poſsit actio propriè ſupernaturalis reddi, vel eſſe moraliter mala, quia hoc non ſequitur, ſiquidem, vt actio moraliter mala ſupernaturalizetur modo explicato, ſufficit, quod Deus ea vtatur quoad entitatem phyſicam, tanquam inſtrumento phyſico ad effectum ſupernaturalem; ad hoc autem vt actio entitativè ſupernaturalis vitietur, aut reddatur mala moraliter, opus eſt quod voluntas creata ea vtatur ad pravum finem, & ex motivo pravo; ex eo autem, quod Deus poſsit vti actione prava, entitativè ſumpta, ad effectum ſupernaturalem, minimè ſequitur, quod poſsit voluntas creata vti actione entitativè ſupernaturali ad finem pravum, ſiquidem quãvis poſsit Deus vt Author ſupernaturalis ſibi phyſicè ſubijcere, & ſubordinare actionem pravam phyſicè, & entitativè ſumptam, non tamen ſequitur, quod voluntas viribus naturę poſsit ſibi ſubijcere, ac ſubordinare actionem entitativè ſupernaturalem.

42. Sed dices rùrſus: Actio Sacramentalis reduplicativè vt elevata eſt entitativè ſupernaturalis, quia elevatur per vim entitativè ſupernaturalem: Sed vt elevata eſt mala moraliter, quando Miniſter adminiſtrat ex pravo fine: Ergò vt entitativè ſuperna-

naturalis eſt mala moraliter in eo caſu : Poteſt ergò actio entitatiuè ſupernaturalis eſſe moraliter mala. Probatur minor, quia vt eleuata non eſt bona moraliter, aliàs nec indifferens, quia non datur actio humana indifferens in indiuiduo : Ergò reduplicatiuè vt eleuata eſt mala moraliter. Reſpondeo, negando minorem in ſenſu reduplicatiuo. Ad probationem, concedo, quod non eſt bona moraliter, & nego quod ſit mala moraliter, nec propterea eſt actio humana indifferens, quia illa actio reduplicatiuè vt eleuata, & ſupernaturalizata, ſub illa reduplicatione non eſt humana, nec moralis, nec vitalis, nec libera, vt ſuprà dicebamus, ſed eſt actio participatiuè diuina phyſicè, ſeù in linea phyſica, quatenus eleuatur à Deo imprimente illi vim diuinam phyſicè, quę vis diuina non eſt ab intrinſeco voluntatis, nec alterius potentię vitalis Miniſtri, ſed purè ab extrinſeco, & ideò non eſt de linea moris, nec bona aut mala moraliter, ſed ſolum ſpectat ad lineam phyſicam, in qua bona eſt, & non mala phyſicè.

43. Obijcies ſecundò : Si nemo poſſet ex motiuo prauo vanę glorię, aut alio ſimili, imperare ſibi actus virtuoſos, & ſupernaturales, vanum, & fruſtra eſſet conſilium, aut præceptum, ne id faceret ; quia fruſtra eſt alteri præcipere, aut conſulere ne faciat, quod facere ipſe non poteſt : Sed prædictum conſilium, aut præceptum vanum, aut fruſtra non eſt : Ergò poteſt quiſque ex motiuo prauo ſibi imperare actum virtuoſum, & ſupernaturalem. Probatur minor, ex illo Matth. 6. *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* Et ibid. *Te faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua*, hoc eſt, ſiniſtra voluntas vanę glorię, *quid faciat dextera tua.* Et Apoſtol. *ad Galat.* 5. *Si Spiritu Dei viuimus, ſpiritu & ambulemus, non efficiamur in anis glorię cupidi.* Et huius generis præcepta, & conſilia plura inueniuntur in Sacr. Textu, & in SS.PP. ſed his monemur, & præcipimur non facere actus virtutis, ſiuè naturalis, ſiuè ſupernaturalis, propter vanam gloriam : Ergò tale præceptum aut conſilium non eſt vanum, nec fruſtra.

44. Reſpondeo, omiſſa maiori, negando minorem. Ad cuius probationem, dico, quod cum Chriſtus præcipit, *ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis*, non intelligit nomine iuſtitię actus verè virtuoſos, nec naturales, nec ſupernaturales, quia iſti ſunt ſemper actus ſpirituales, & interni, qui ab hominibus non videntur, nec coram illis fieri poſſunt viſibiliter, ſed intelligit nomine iuſtitię opera exteriora viſibilia, quę ſunt per ſe obiectum verę iuſtitię, & verę virtutis, & petunt ab ea effectiuè, & imperatiuè procedere, tanquam effectus illius, licèt poſſint ex malitia operantis procedere ex vitio eius, & non ex vera virtute. Vndè ſenſus eſt, ne faciatis coram hominibus opera, quę per ſe ſunt opera iuſtitię, & virtutis, vt videamini ab eis, quia hoc pacto non tam iuſtitia, & virtus vera erit, quam hypocriſis, aut ſimulatio virtutis, vel vana gloria. Similiter cum inquit : *Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua.* Senſus non eſt, quod non fiat ex ſiniſtra voluntate quod fit ex voluntate virtuoſa, aut ex vera virtute, ſed ne fiat ex ſiniſtra voluntate opus quod per ſe fieri debet ex recta, & virtuoſa. Vel ne, quod ſemèl fit ex dextera, & recta, ac virtuoſa voluntate, conſequenter ordinetur in prauum finem vanę glorię per ſiniſtram voluntatem.

45. Pro cuius intelligentia, & aliorum, quę hic ſolent obijci, valdè notandum eſt, quod dupliciter poteſt aliquis actus, vel aliquod opus ordinari in finem ; vel antecedenter, & effectiuè, vel conſequenter, & purè affectiuè per modum obiecti voliti : Ordinatur antecedenter, & effectiuè, quando ex voluntate finis antecedenter habita mouetur re ipſa, & effectiuè operans ad talem actum propter finem eliciendum, & hoc pacto bonitas, vel malitia finis redundat in actum ordinatum in finem, quia talis actus verè imperatur, & fit ex tali fine, ſeù ex voluntate finis vt effectiuè mouente ad ipſum. Ordinatur autem purè conſequenter, & affectiuè, quando actus elicitur independenter à voluntate circa talem finem, ex alio nempè motiuo, & alia voluntate, ſed voluntas illum, aliàs elicitum, amat, vel vult purè affectiuè, quia vtilis eſt ad talem finem, & propter ipſum, & hoc pacto actus ſic ordinatus ad finem, nec honeſtatur, nec vitiatur ex illo, quia vt actus ex fine contrahat malitiam, vel honeſtatem, opus eſt, quod ex fine prævolito verè procedat ; quod eſſe nequit, niſi media voluntate finis moueat effectiuè ad eliciendum talis actus. Et hæc doctrina eſt expreſſa Diu. Tho. 1. 2. *quæſt.* 19. *artic.* 7. *in corp.* & *ad* 2. Ea autem ſuppoſita, facilè explicantur monita, & conſilia, quę prohibent ordinari bona opera ad prauum finem vanę glorię v. g. quia ſi intelligantur de ordinatione antecedenti, & effectiua, ſolum prohibetur ea ordinatio reſpectu operum bonorum materialiter ea conſiderando, ſecundum quod ſunt materia capax fieri ex virtute, quia hoc pacto fieri poſſunt, & ordinari effecti-

Digitized by Google

tivè, vel ad pravum, vel ad honeſtum finem, & ideò opus finit, & non fruſtra, prohiberi ne ordinarentur, aut fierent propter finem pravum. Si verò contendas, quod alicubi præcipimur, ne ordinemus, nec velimus actus verè virtuoſos propter vanam gloriam, aut alium finem pravum, intelligendum eſt, de ordinatione conſequenti, & purè affectiva, qua quis poteſt affectivè ordinare actus verę virtutis, iam elicitos ex bono fine, ad inanem gloriam, vt ſi quis reflectens ad bona opera virtuosè à ſe facta, complaceat in eis, quia propter ea laudatur, vel laudari ſperat, vel velit ea propter laudem humanam, & non propter veram honeſtatem, aut propter Deum.

46. Igitur, cum inquit Chriſtus D. *Neſciat ſiniſtra tua, quid facit dextera tua*, ſi intellegatur, quod facit dextera, pro opere facto ex bona, & virtuoſa voluntate, ſolum prohibet quod ex voluntate ſiniſtra ordinetur conſequenter, & affectivè ad laudem humanam. Et ſimiliter debet intelligi Apoſtolus ad illa verba: *Non efficiamur inanis glorię cupidi.* Vndè Div. Anſelmus ad eum locum, ſic faiut: *Quia nonnulli poſtquam virtutibus excreverint, incipiunt vellè laudari, velut ſanctiores, aptè ſubiungitur*: Non efficiamur inanis glorię cupidi, *id eſt, ſi ſpiritualiter vivimus, & ſpiritualiter proficiendo ambulamus, non indè vanam gloriam tranſitorię laudis cupiamus.* Intelligitur ergò de affectu, & ordinatione cõſequenti, & affectiva, non verò de antecedenti, & effectiva, nam qui ex affectu antecedente vanę glorię movetur ad ambulandum, non viuit, nec ambulat in ſpiritu, vt per ſe patet. Et ſimiliter exponit Chriſoſtom. illud Chiſt. D. *Theſaurizate vobis theſauros in Cælo, &c.* Vndè ſubiungit: *Nihilominus inanis gloria eo pertingit, & ſæpè, quę quis in Cælo per bona opera theſaurizaverat, inanis glorię impetu perdit*, impetu nempè, & affectu conſequenti. Cum autem ordinatio conſequens non vitiet actum antecedentem, nec ſit imperium reſpectu illius, indè eſt, quod ex Sacro Textu, nec ex SS. PP. probari poteſt, actum fidei imperari poſſe, aut vitiari ex actu, aut motivo pravo.

47. Obijcies tertiò ex Div. Tho. *in præſent. quæſt. 4. artic. 5. in corp.* vbi ſic ait: *Fides autem informis non eſt virtus, quia etſi actus fidei informis habeat perfectionem debitam ex parte intellectus, non tamen habet perfectionem debitam ex parte voluntatis*: Tunc ſic, ſed actus, qui non eſt virtus, nec habet perfectionem debitam ex parte voluntatis, poteſt per voluntatem vitiari, & ordinari ad pravum finem: Ergò. Confirmatur ex eodem Angel. Præcept. *quæſt. 47. artic. 13. ad 2.* ſic aiente: *Fides in ſui ratione non importat aliquam conformitatem ad appetitum rectorum operum, ſed ratio fidei conſiſtit in ſola cognitione. Prudentia autem importat ordinem ad appetitum rectum.* Sed actus, qui non importat ordinem, nec conformitatem ad appetitum rectum, poteſt imperari ex appetitu, vel affectu pravo: Ergò.

48. Reſpondeo, quod appetitus rectus eſt duplex, alius vniverſalis, ſeù vniverſaliter rectificans voluntatem circa finem, & circa ea, quę ſunt ad finem, & hic eſt appetitus charitatis, vel amor ſummi boni ſuper omnia, per quem voluntas rectificatur prædicto modo. Alius eſt rectus, ſed non ita vniverſaliter rectificans voluntatem, nec efficaciter diligens ſummum bonum ſuper omnia, & talis eſt affectus, vel appetitus boni repromiſsi, ex quo imperatur fides, & actus ſpei, quando eſt ſine charitate, & alij actus ſupernaturales, aut boni voluntatis, qui manere poſſunt in peccatore ſine charitate, & ſine amore Dei ſuper omnia. Quo ſuppoſito, conceſſa Div. Thom. doctrina, diſtinguo minorem: Actus, qui non eſt virtus, quoad ſtatum virtutis, nec habet perfectionem debitam ex parte voluntatis ad ſtatum virtutis exactam, ſi ſit virtus quoad eſſentiam, & habeat perfectionem eſſentialiter exactàm ex parte voluntatis, poteſt vitiari, & ordinari ad pravum finem effectivè, nego minorem. Actus, qui nullo modo eſt virtus, nec habet vllam perfectionem ſibi eſſentialiter debitam ex parte voluntatis, concedo minorem, & nego conſequentiam; quia licèt actus fidei informis non ſit virtus quoad ſtatum virtutis, eſt tamen eſſentialiter virtus, & licèt non habeat perfectionem ex parte voluntatis exactam ad ſtatum virtutis, nempè ordinem charitatis in Deum, habet tamen perfectionem eſſentialiter exactam, nempè, procedere ex affectu aliquali boni, ſeù ex affectu bono, nam vt inquit ipſe Div. Thom. *ibidem, quæſt. 5. artic. 2. ad 2. Fides, quę eſt donum gratię, inclinat hominem ad credendum ſecundum aliqualem affectum boni, etiam ſi ſit informis.* Qui quidem aliqualis affectus boni, eſſentialiter rectus eſt, cum ſit ex dono gratię, & fides exigit eſſentialiter ex illo imperari, licèt non exigat eſſentialiter imperari ex affectu charitatis, ſine quo permanet in peccatore. Ex quo ad confirmationem, conceſſa ſimiliter doctrina Div. Thom. diſtinguo minorem: Actus, qui non importat conformitatem, nec ordinem ad appetitum rectum vniverſalem, qualis eſt actus charitatis, ſi eſſentialiter im-

por-

portet ordinem ad alium appetitum rectum, ex quo vnicè petat eſſentialiter imperari, nego minorem : Si ad nullum appetitum rectum importet ordinem, concedo minorem, & nego conſequentiam, quia licèt actus fidei non importet eſſentialiter, & in ſui ratione formali, ordinem ad appetitum rectum vniverſalem finis, & mediorum, ſicut prudentia, importat tamen eſſentialiter ordinem ad appetitum aliqualem, & aliqualiter rectum, & ſupernaturalem, ex quo vnicè poteſt imperari, & non ex affectu pravo. Nec enim negari poteſt, quod ſine charitate poteſt dari, & datur in peccatore affectus rectus, & ſupernaturalis boni ſupernaturalis, aliàs omnis affectus, & actus exiſtens in peccatore eſſet pravus, contra definitum in Trident. *Seſſ. 6. Can. 7.* Quid ergò mirum, quod dicamus, fidem adhùc informem, & provt eſt ſine charitate in peccatore, exigere eſſentialiter imperari ex affectu bono ſupernaturali, hoc enim non eſt contra Div. Thom. qui ſolum in locis citatis intendebat fidem non importare eſſentialiter ordinem ad appetitum rectum charitatis, qui eſt vniverſaliter rectum, vndè dixit, non importare ordinem ad *appetitum rectum bonorum operum*, non autem negavit importare ordinem ad appetitum rectum boni reptomiſſi.

49. Objicies quartò : Vt aliquis actus ſit verè actus fidei, ſatis eſt, quod attingat proprium obiectum fidei, quia actus ſpecificatur à ſuo obiecto : Sed poteſt attingere proprium obiectum, & illud attingere malè: Ergò poteſt actus fidei eſſe malus, ſeù vitiari ſaltèm ex pravo fine. Probatur minor, quia obiectum virtutis poteſt malè attingi : Ergò, & obiectum fidei, quantumvis fides ſit virtus. Probo antecedens, quia obiectum, ſeù materia virtutum moralium poteſt malè attingi, vt ſi quis ſolvat debitum ex vana gloria, aut alio pravo modo : Ergò, &c. Confirmatur : Eſſe malum moraliter non eſt contra eſſentiam ſpecificam actus fidei : Ergò non repugnat actum fidei eſſe malum moraliter. Probatur antecedens : Quia tota eſſentia ſpecifica actus fidei conſiſtit in eo quod attingat verum, quia divinus revelatum, ſeù ſub ratione veri revelati : Sed contra hoc non eſt, quod ſit malus moraliter : Ergò. Probo minorem, quia quod attingat verum ſub ratione revelati adæquatè ſpectat ad intellectum, quod autem ſit malus moraliter eſt de linea voluntatis : Sed quod eſt de linea voluntatis non eſt contra eſſentiam ſpecificam de linea intellectus, quia ſunt in diverſis ſubiectis : Ergò. Confirmatur ſecundò, quia non eſt minus contra eſſentiam virtutis influere, & movere ad actum pravum, quam moveri ex actu pravo : Sed poteſt actus fidei movere ad actum pravum : Ergò poteſt moveri ex actu pravo, & conſequenter vitiari. Probo minorem, quia ſi Deus revelaret alicui ſuam damnationem, & iſte illam crederet per fidem, poſſet ex hoc aſſenſu moveri ad deſperationem, & odium Dei : Ergò poteſt actus fidei movere ad actum pravum.

50. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem : Vt ſit actus fidei ſufficit quod attingat proprium obiectum motivum, & terminativum, concedò : Terminativum tantum, nego maiorem, & diſtinguo minorem eodem modo. Ad cuius probationem, eadem diſtinctione reſpondeo, quod materia virtutum moralium, ſeù obiectum purè materiale, & terminativum poteſt malè attingi, quia poteſt attingi ſub pravo ordine ad indebitum finem, vel ſub indebita menſura, quo caſu non attingitur ſub ratione formali, nec ſub motivo proprio virtutis, quia ratio formalis obiectiva, & motiva propria virtuti, eſt menſura debita regulata, & taxata per ordinem rationis ad debitum finem, & implicat quod attingatur ſub tali menſura, & ordine, & quod malè attingatur, vndè repugnat attingi ſub ratione formali motiva virtutis, & malè attingi: Quod ſtrictius tenet in obiecto virtutis theologicę, quia cum virtutes theologicę ſint immediatè circa vltimum finem vt talem, & ſub motivo proprio vltimi finis, implicat quod attingatur eius obiectum terminativum ſub proprio, & formali motivo, & quod malè attingatur, tùm quia non poteſt ſic attingi ſub indebita menſura, quia vltimis finis eſt prima regula, & menſura omnium actionum humanarum, & implicat attingi primam regulam, & primam menſuram ſub indebita menſura, aliàs enim iam non eſſet prima regula, & menſura; implicat etiam attingi ſub indebito ordine ad vltimum finem, quia iam non attingeretur vt vltimus finis. Vndè Div. Thom. *quæſt. 17. artic. 1. ad 1.* ſic ait : *Spè attingente Deum nullus poteſt malè vti, ſicut nec virtute morali attingente rationem, quia hoc ipſum, quod eſt attingere, eſt bonus vſus virtutis.*

51. Ad primam confirmationem, nego antecedens : Ad probationem, diſtinguo maiorem : Tota eſſentia ſpecifica actus fidei conſiſtit in eo quod attingat verum quia divinitus revelatum, attingentia ſupernaturaliter

ter libera, & obſequioſa Deo, concedo maiorem: Aliter nego maiorem, & minorem. Ad cuius probationem, diſtinguo maiorem: Quod attingat verum ſub ratione revelati vnicè ſpectat ad intellectum in recto, concedo maiorem: Vnicè tam pro recto, quam pro connotato, nego maiorem, & minorem, quia licèt actus fidei eſſentialiter pro recto tantum ſpectet ad ſphæram intellectus, tamen eſſentialiter connotat affectum ſupernaturalem voluntatis; tùm, quia eſt aſſenſus eſſentialiter obſequioſus divinę authoritati, & implicat obſequium non interveniente affectu voluntatis. Tùm, quia eſt attingentia ſub ratione veri revelati obſcurè, & cum indifferentia propoſiti, quę indifferentia implicat determinari, niſi per affectum voluntatis. Cum autem repugnet determinari per affectum purè naturalem, propter rationes noſtrę concluſionis, indè eſt, quod eſſentialiter connotat affectum ſupernaturalem, & ſic non ſalvatur eius eſſentia ſpecifica, ſi ex affectu pravo imperetur, non defectu recti, ſed defectu eſſentialis connotati. Vel dic, quod adhùc ex parte recti non ſalvatur eius eſſentia ſpecifica, quia attingentia veri ſub ratione revelati eſſentialiter eſt ſupernaturalis ex ſpecie ſua, & obiecto, & hoc non ſalvaretur, ſi imperaretur ex affectu pravo, aut purè naturali, quia quod ſubijcitur affectui voluntatis purè naturaliter, ſeù ex ſolis viribus naturę imperanti, implicat, quod ſit ſupernaturale. Nec obſtat, quod affectus pravus ſit in potentia diſtincta ac actus fidei, quia hoc ſolum probat, quod formaliter, & directè non opponatur actui fidei, opponitur autem illativè eſſentialiter cum eo, quod actus imperatus ſit ſupernaturalis, quamvis in diſtincta potentia, & conſequenter opponitur illativè eſſentialiter cum eſſentia actus fidei, quę eſt ſupernaturalis.

52. Ad ſecundam confirmationem, diſtinguo maiorem, influere in actum pravum, & movere ad ipſum per ſe, concedo maiorem: Influere, & movere ad illum per accidens, nego maiorem, & diſtinguo minorem eodem modo. Ad cuius probationem, dico, quod ſi Deus alicui revelaret ſuam damnationem, & iſte illam crederet, actus fidei non moveret per ſe ad odium, & deſperationem poſitivam, ſed ſolum per accidens ex mala diſpoſitione, & amore inordinato ſic credentis, per ſe autem ſolum moveret ad deſperationem negativam, quę tunc non eſſet mala moraliter, vndè nunquam dabitur actus ſupernaturalis, qui per ſe moveat ad actum pravum, & conſequenter nec dari poteſt actus pravus, qui per ſe moveat ad actum ſupernaturalem; daretur autem, ſi actus fidei imperaretur ex affectu vanę glorię, quia talis affectus per ſe imperaret actum fidei ſecundum ſuam ſupernaturalitatem, & excellentiam, quia ſolum ſecundum illam conduceret ad vanam gloriam, vt ſuprà arguebamus.

53. Obijcies quintò: Quia ſi actus ſupernaturalis non poſſet elici ex motivo, & affectu naturali, ſequeretur, illicitè, vel ſaltèm fruſtra facere, quicumque motivis naturalibus movere conantur proximos, vel ſubditos ad actus ſupernaturales, vel ad legis gratię impletionem, quę non fit niſi per actus ſupernaturales: Sed hoc eſt abſurdum: Ergò. Maior patet, quia ſi ex illis motivis non poſſunt elici actus ſupernaturales, qui ea motiva proponeret, potius impediret, quam moveret ad actus ſupernaturales, & conſequenter, vel illicitè, vel fruſtra laboraret. Minor etiam non minus patet, primò quia Principes ſæculares ſæpè obligant ſuos ſubditos infideles, vt fiant Chriſtiani, & credant, vel minis pœnarum temporalium, vel privatione honorum, dignitatum, & facultatum, vel exilio, vel honorando ſemèl converſos: Damnare autem huiuſmodi conatus, vt illicitos, vel fruſtraneos, planè eſt abſurdum. Secundò, quia Oratores Evangelici non ſemper ſuadent virtutem motivis ſupernaturalibus, ſed ſæpè vtuntur motivis temporalibus, vt quando ex honore virtutis, & infamia vitij, & damnis temporalibus, quę ſecum ſolet afferre peccatum, & ex temporali pacè, quiete; & valetudine; quas virtus ſæpè comites habet, ſuadere, & movere conantur audientes, vt à vitijs fugiant, & virtutes ſequantur: Sed abſurdum eſt conatum iſtum damnare vt fruſtraneum: Ergò.

54. Reſpondeo, negando maiorem. Ad eius probationem, dico, quod eſt duplex modus movendi ad fidem, vel aliàs virtutes, nempè, & indirectè per modum removentis contrarium prohibens; & directè per modum poſitivè moventis, & alicientis, mediatè, vel immediatè ad talem virtutem. Igitur, quicumque proponunt motiva temporalia conantes movere ad virtutem, vel ad fidem, non fruſtra laborant, quia licèt illis motivis movere nequeant directè, & poſitivè ad virtutem, vel ad fidem, movent tamen ad illam indirectè, & remotivè. Ratio eſt, quia movent ad deſerendum errorem, vel vitium oppoſitum, quo deſerto, mens facilè movebitur ab obiecto proprio virtutis, vel ab alio virtutis imperantis. Et ideò Principes ſæ-

ſa

cularesq; rectè faciunt, quando facta prius hæreticis, aut infidelibus ſubditis debita propoſitione noſtræ Religionis, & motivi formalis credendi, nempè quod eſt à Deo revelata, & quod ita proponitur per Eccleſiam Catholicam, terrent illos minis, exilijs, & alijs pœnis temporalibus, vt vel fiant Chriſtiani, vel eas patiantur, quia his motivis poſſunt movere eos, vt deſinant ſuam pertinatiam, & errorem, & hoc pacto diſponantur negativè ad fidem; ad removendos enim errores, & vitia, & ad auferendam diſpoſitionem contrariam fidei, & virtuti, quodcumque motivum etiam temporale, & naturale eſt vtile, & per hoc diſponuntur indirectè, & negativè ad fidem, vel ad virtutem. Et idem dicendum de Prædicatoribus, cum motivis temporalibus alliciunt ad virtutem, non enim eſt conatus ille, vt directè moveatur ad virtutes, præcipuè ſupernas, propter convenientias temporales aſſequendas, aut propter incommoda temporalia vitanda; procul enim ſunt hæc motiva, vt directè moveant ad veram virtutem ſupernaturalem. Et ſimiliter Principes Sæculares, dum præfatis motivis vtuntur, non volunt vt ex eis directè moveantur ad eſſe Catholicos, aliàs potius vellent illos facere Catholicos fictos, quam veros, ſiquidem ea motiva directè ſolum poſſunt movere ad externam fidei profeſsionem, & confeſsionem, ſed non ad internam, niſi tantum remotivè, & indirectè, modo explicato. Cum autem excitantur, vel ſuadentur homines ad virtutem, ex virtutis honore, vel poteſt ſumi honor, tanquam teſtimonium excellentiæ virtutis, & ſic mediatè poteſt movere ad virtutem, quatenus homines videntes virtutem ita honorari, ex hoc intelligunt magnam excellentiam virtutis, cui tantus honor debetur, & tunc moventur ad amandam virtutem propter excellentiam ipſius, non propter captandum honorem. Et ideò benè faciunt Principes, ſivè Sæculares, ſivè Eccleſiaſtici, dum honorant fideles, & inhonorant infideles, dum dignis afficiunt laudibus, & honoribus probos, & contemnunt improbos, quia hoc pacto, teſtimonium publicum exhibent cunctis de excellentia fidei, & virtutis, & de vilitate perfidiæ, & vitij, ac per hoc excitant ad fidem, & virtutem. Similiter dicendum eſt, dum proponitur hominibus, quies, pax, & ſalus, etiam temporales, quia non eſt intentum ita proponentis, quod ad virtutem ex his directè moveatur, ſed quod moveantur indirectè, nempè auferendo metum, & formidinem, quam virtus depicta aſpera, incómodis, & adverſitatibus commixta, vel ſic apprehenſa, ſolet cauſare.

53. Objicies ſexto: Poteſt Deus prohibere, ne aliquis eliciat actum fidei: Sed eo caſu ille poſſet illum actum elicere, & per illum peccare, quia poſſet violare præceptum: Ergò poſſet peccare per actum fidei. Ergò poteſt actus fidei eſſe peccaminoſus. Maior probatur, primò quia non eſt caput, vndè talis prohibitio repugnet. Secundò, quia poteſt contingere, quod elicere actum fidei hic, & nunc impediat alia bona opera, quæ ſint de præcepto, quo caſu præceptum aliorum bonorum operum eſſet prohibitio actus fidei. Tertiò, quia exercitium fidei poteſt interdum nocere ſaluti, & conſequenter meritò prudenter prohiberi. Quartò, quia poſſet Deus præcipere, ne homo eliceret actum fidei ſine ordine charitatis in Deum, demus ergò quod ille non haberet charitatem, nec vellet actum charitatis exercere, teneretur tunc ad non eliciendum actum fidei: Ergò actus fidei tunc illi eſſet prohibitus.

54. Reſpondeo, negando minorem. Ad primam probationem dico, eſſe maximum caput repugnantiæ, nempè quod actus fidei, ſpei, & charitatis important eſſentialiter, & per ſe vnionem, & ſubordinationem intellectus, & voluntatis ad Deum vt vltimum finem; Deus autem prohibere nequit creaturæ rationali ſub peccato, & culpa, ne ſubordinetur, & vniatur ſuo vltimo fini, ad quem eſt creata, vel elevata, & ſic nequit prohibere actus virtutum theologalium. Et item præceptum divinum eſſentialiter eſt directivum creaturæ rationalis ad vltimum finem, non enim Deus poteſt aliter creaturæ rationali præcipere, nec ei legem ponere, niſi eam dirigendo, & ordinando ad finem, ad quem eſt creata, vel elevata, aliàs poſſet Deus per legem, & præcepta eã avertere à tali vltimo fine, & conſequenter eam inclinare ad hoc vt averteretur ab vltimo fine, quod eſſet eam per præcepta movere, & inclinare ad peccandum: Ergò Deus nequit præcipere ne creatura rationalis credat ipſi, ſperet in ipſo, & amet ipſum ſuper omnia, quia hoc eſſet illam per præceptum avertere ab vltimo fine, & à prima regula, quod abſit à Deo. Ad ſecundam probationem reſpondeo, quod nunquam actus fidei poteſt per ſe impedire bona opera, ſicut nec actus charitatis, quia nullum eſt bonum opus, quod non poſſit elici ex fide, & amore Dei. Solum ergò poteſt per accidens, & ratione alterius impedire

Digitized by Google

bonum opus, v. g. ratione alicuius applicationis naturalis prærequiſitę per modum conditionis ad fidem exercendam, quę quidem applicatio naturalis poteſt aliquando eſſe incompatibilis cum aliquo bono opere; ſed ex hoc ſolum ſequitur, quod illa applicatio naturalis indirectè reddatur mala, & prohibita, non verò ipſe actus fidei per ſe. Ex quo ad tertiam ſimiliter reſpondeo, quod nimirum fidei exercitium poteſt interdum nocere ſaluti, & eſſe contra prudentiam, non ratione ſui, & per ſe, ſed ratione alicuius applicationis naturalis, & ſenſibilis imaginationis ad obiecta credenda, & ideò illa poteſt reddi imprudens, & prohibita, non verò actus fidei ſupernaturalis. Ad quartam, dico, quod caſu, quo Deus præciperet non elicere actum fidei ſine ordine charitatis in Deum, & quis nollet elicere actum charitatis, ſi tunc eliceret actum fidei ſine tali ordine, peccaret, non quidem in ipſo actu fidei eliciendo, ſed in omittendo actum charitatis pro caſu actus fidei, quia licèt non teneretur ad actum charitatis abſolutè, teneretur tamen conditionatè, ex ſuppoſitione actus fidei, & ſic in eo caſu, malitia eſſet in omiſsione ordinis charitatis, ſed non in elicientia actus fidei, hic enim adhùc in eo caſu non eſſet moraliter malus. Et quidem præcedens argumentum nimis probat, quia probat actum etiam charitatis, ſeù amorem Dei ſuper omnia poſſe reddi malum, & peccaminoſum, & quod poſſet prohiberi à Deo, rationes enim argumenti ęquo iure applicari poſſunt actui charitatis, ac actui fidei.

55. Aliter poteſt reſponderi argumento, omiſſa maiori, negando minorem; quia prohibitio actus fidei, non vt eumque redderet illum malum, ſed malum impoſsibile, ratio eſt, quia cum de eſſentia illius ſit imperari ex appetitu ſupernaturali, ſeù gratię, & reſpectu appetitus ſupernaturalis, & gratię ſit obiectum prorſus inappetibile, ſeù impoſsibile appeti, & imperari ab eo actus malus moraliter, idem eſſet reddere illum actum prohibitum, ſeù malum moraliter, ac reddere illum impoſsibilem obiectivè appetitui gratię, & conſequenter abſolutè impoſsibilem; quia non eſt aliter poſsibilis, niſi vt imperatus ex appetitu gratię. Sicut caſu, quo Chriſto D. prohiberetur aliquis actus externus à Patre, ille actus externus redderetur Chriſto obiectivè impoſsibilis, quia cum nullus actus externus ſit poſsibilis Chriſto, niſi propoſitus ſimpliciter vt honeſtus, & vt imperatus, vel imperabilis ex voluntate recta, & ſemel prohibitus, non poſſet proponi eius voluntati vt ſimpliciter honeſtus, nec eſſet obiectivè appetibilis voluntate recta, maneret eo facto Chriſto obiectivè impoſsibilis. Vndè non maneret in Chriſto libera poteſtas ad illum actum, nec mereretur in eius omiſsione, vt omiſsio eſſet, quia hæc maneret illi neceſſaria; licèt mereri poſſet in actu poſitivo confirmitatis cum divina voluntate prohibitiva illius actus externi, & cum impoſsibilitate illius, quia ad hunc actum poſitivum conformitatis neceſsitatus non maneret. Huius ſolutionis maius fundamentum alibi oſtendam, agens de libertate Chriſti cum præcepto.

56. Alij reſpondent, quod adhùc poſito præcepto prohibitivo actus fidei, poſſet voluntas illum imperare virtute gratię, & imperio ſupernaturali, non in ſenſu compoſito, ſed in ſenſu diviſo, & poteſtate antecedenti. Sed hanc ſolutionem non admitto, quia non invenio modum, quo, ſuppoſito illo præcepto, poſſet actus fidei proponi vt honeſtus hic & nunc, prout requiritur vt voluntas per vires gratię poſſet poteſtate proxima antecedenti illum imperare, aut velle, quia nō poſſet tūc intellectus in propoſitione practica præſcindere à præcepto. De quo *loc. cit.*

Septimo obijcies, quia in Dæmonibus datur fides ſupernaturalis: Sed in illis non imperatur ex affectu honeſto, & ſupernaturali, nec ex ſimili motivo: Ergò poteſt dari fides ſupernaturalis non imperata ex affectu, nec ex motivo honeſto, & ſupernaturali, ſed ex naturali, & pravo. Reſpondeo negando maiorem, quia licèt in Dæmonibus detur fides naturalis, vel aliqua notitia ſupernaturalis, quę poſsit dici latè fides, non tamen datur propria fides ſupernaturalis, vt ſtatim dicemus, *quæſt. ſequenti.*

57. Octavo obijcies, quia actus prophetię poteſt eſſe moraliter pravus: Ergò & actus fidei. Antecedens probatur ex *Ioann.* 11. vbi refertur, quod Caiphas: *Cum eſſet Pontifex anni illius prophetavit dicens: Oportet vt vnus moriatur, &c.* Vbi Caiphas graviſsimè peccavit eo quod loquutus eſt ex maligna intentione occidenti Chriſtum: Ergò actus prophetię poteſt eſſe peccaminoſus, & moraliter pravus. Confirmatur: Quia confeſsio exterior fidei poteſt eſſe moraliter prava, vt ſi quis exterius profiteatur fidem propter vanam gloriam: Sed fides interna concurrit, & dirigit ad confeſsionem externam: Ergò poteſt eſſe etiam moraliter prava. Patet conſequentia, quia actus exterior ma-

malus non dirigitur ex actu interiori, niſi actus interior ſit pravus, non enim datur malitia in actu externo, niſi per prius detur in actu interno.

58. Reſpondeo, diſtinguendo antecedens.: Actus interior prophetiç poteſt eſſe moraliter malus, nego: Actus exterior, ſubdiſtinguo: Præſuppoſitivè, & materialiter reſpectu prophetiç, concedo: Formaliter, nego antecedens. Ad cuius probationem, dico, quod Caiphas, non habuit actum internum prophetiç, ſiquidem eius mens interius illuminata non fuit, vt cognoſceret quod dicebat, ſed ſolum habuit actum externum prophetiç, nempè prædictionem occulti Myſterij, non ex propria intentione, & ſcientia, ſed vnicè ex intentione Dei moventis, qui vſus eſt lingua ipſius, vti inſtrumento phyſico, ad prædictionem propheticam, ſicuti vtitur verbis mali Sacerdotis ad conſecrationem, vel abſolutionem; ex quo ad ſummum ſequitur, quod ſicut ſuprà diximus, quod in caſu Sacerdotis, actio illa, ſeù prolatio verborum eſt mala præſuppoſitivè quatenus procedit ex intentione mala Sacerdotis, quo ſenſu minimè eſt ſupernaturalis, non tamen formaliter vt conſecratio, ſeù vt elevata à Deo inſtrumentaliter ad effectum ſupernum, quia prout ſic non eſt ex voluntate Sacerdotis, ſed ſolum ex Deo movente; ſic dicimus nunc, quod in caſu externç prædictionis propheticç ſine actu interno prophetiç, vt in Caipha, & in Balaam ſimiliter prophetante *Numer.* 23. & 24. loquutio illa prout voluntariè procedit ab homine ex mala intentione ſecundum ſuam ſcientiam, & voluntatem, eſt mala, ſed hoc pacto minimè eſt prophetiç, nec habet aliquid ſupernaturalitatis; prout tamen procedit à Deo phyſicè movente Prophetam illum vt ex intentione Dei per modum inſtrumenti phyſici prædicat Myſterium, hoc pacto eſt prophetia externa, & poteſt dici ſupernaturalis participativè ex aliqua vi ſuperna illi impreſſa à Deo tranſeunter, per modum quo colores ſunt in aere, aut virtus artis in inſtrumento Artificis; ſed in hoc ſenſu loquutio illa non eſt moraliter mala, nec actio humana, aut de linea moris, ſed purè actio inſtrumentalis phyſica. Tota hæc doctrina eſt expreſſa D. Tho. *in Ioann.* explicantis prædictum Evangelij Textum, vbi inquit: *Caiphç autem nec mentem illuminavit, nec imaginationem, & ideò eius mens, & imaginatio ad malum intenta manſit; movit tamen linguam eius, vt proferret modum, quo ſalus populi impleretur. Vndè non dicitur Propheta, niſi in quantum habuit Prophetiç actum denunciativè, imaginatione, & ratione eius in contrariũ exiſtente. Ex quo patet quod non magis dici poteſt Propheta, quã Aſina Balaam.*

Dices forſan, hoc eſſe contra doctrinam à nobis traditam *Tractat. de Provid. quæſt.* 19. *à num.* 120. vbi diximus, Deum non moviſſe ad actiones externas Iudæorum, niſi movendo phyſicè ad internas: Ergò falſum eſt, quod Deus ſulum movit linguam Caiphç. Reſpondeo, negando antecedens, quia Div. Thom. non dicit, quod ſolum movit linguam Caiphç, negando moviſſe eius mentem, & voluntatem, ſed ſolum negat eam illuminaſſe, quod ſpectat ad prophetiam internam, vndè ſemper manet vera doctrina noſtra, quod ordine naturali, & ſine miraculo non poteſt Deus movere ad actiones externas, niſi per prius movendo ad internas. Nec iſta doctrina nova eſt, aut ſingularis, ſed expreſſa Div. Thom. *in præſenti, quæſt.* 173. *artic.* 4. *in corp.* vbi expreſsè fatetur, non ſolam linguam, ſed mentem Caiphç motam fuiſſe à Deo, vt illud prædiceret, licèt non illuminatam, vt intelligeret, quod dicebat. Sicut milites dividentes veſtimenta, ſupponit eorum mentem motam fuiſſe ad id faciendum, ſed non illuminatam, vt hoc, quod faciebant, intelligerent. Ex quo patet quam efficax ſit illud argumentum, quo *loco cit.* probabam, Deum movere phyſicè ad actum peccati, non ſolum movendo phyſicè potentias externas, ſed movendo phyſicè etiam internas.

59. Ad confirmationẽ, PP. Salm. videntur negare maiorem, inquiunt enim, quod quando confeſsio exterior imperatur ex pravo fine, ſolum materialiter eſt fidei confeſsio, ſicut in hæretico confitente aliqua fidei Myſteria. Sed hoc minimè admitto, quia hæreticus non poteſt confiteri exterius veram fidem, quam non habet, adhùc reſpectu eorum Articulorum, quos credit, attamen Catholicus, etiam dum ex fine vanç gloriç, aut aliò ſimili, confitetur exterius fidem, non aliam fidem confitetur, niſi quam habet; habet autem fidem veram, & Catholicam, & non aliam: Ergò hanc confitetur, non quidem purè materialiter, ſed formaliter, quia confitetur ſciens, & volens confiteri veram fidem, licèt ex motivo vanç gloriç, non autem ignorans eam eſſe veram fidem, quo ſolum modo poſſet confeſsio eſſe materialis; ſicut qui dicit verum, tunc materialiter dicit verum, quando ignorat eſſe verum, quod dicit, licèt re ipſa ſit verum, cum autem ſcit eſſe

illo affectu, aut motivo imperari actum fidei ſupernaturalem. Veruntamen, diſtinguere oportet inter illam complacentiam, & gloriam interiorem, quia illa poteſt eſſe bona, vel mala; bona quidem quando eſt ſine proprietate, & arrogantia, complacendo ſe in actibus internis prout ſunt dona Dei, & ex Dei gratia à nobis eliciti, ita, vt *qui gloriatur, in Domino glorietur.* Mala, ſi glorietur in actibus bonis internis, eos ſibi arrogando, ſeù cum proprietate, & arrogantia, contra illud Apoſt. *Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis.* Fateor quidem, quod aſſumere pro motivo ad actus internos iſtam ſecundam complacentiam, & gloriam, malum eſt, & quod eſt pravum motivum, & erit pravus affectus, ſed nunquam continget, quod qui ex hoc affectu pravo movetur ad operandum, operetur ſupernaturaliter, aut ex viribus gratię, quia operabitur cum præſumptione, & arrogantia, quo pacto ſolum poteſt operari ex viribus naturę, & ſic implicat, quod ex tali affectu, & motivo eliciat actum fidei ſupernaturalis. Loquendo autem de prima gloria, & complacencia, de qua etiam videtur loqui Apoſtol. dum dicit: *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientię noſtrę.* Illa poteſt quidem aſſumi pro fine effectus, & vtilitatis, quia revera, bonum eſt operari internè cauſa illius glorię, illaquè gloria interior de teſtimonio benę conſcientię bona eſt, & appetibilis, & propter illam, vt propter finem effectum, licet elicere actus internos, etiam ſupernaturales, quia ex affectu ad illam gloriam internam non vitiantur, dummodo illa non ſit, nec appetatur vt gloria cum arrogantia, & proprietate, ſed cum humilitate, & ſubordinatione ad Deum. Quin imò, non videtur illicitum moveri ex illa vt ex fine cuius gratia, dummodo non reſpiciamus illam vt finem vltimum, ſed vt intermedium, quia finis vltimus ſolum eſt Deus, aut gloria ętetna in ipſo, & ex ipſo viſo habenda.

QUÆSTIO XIII.

AN IN HÆRETICIS DETUR vera fides infuſa reſpectu Articulorum, quos credunt?

1\. SEQUITUR, vt promiſſis ſtemus, agere de ſubiecto fidei, in quibus nempè ſubiectis detur fides, explicando. Et in primis, quod in veris Catholicis, & Fidelibus detur, potiùs ſupponendum, quam diſputandum eſt, quia à nullo huculque dubitatum, ob hoc enim veri Fideles dicuntur, quia veram Dei fidem habent, ſeù, quia veram Chriſti fidem & profitentur, & tenent. Hoc autem ſuppoſito, occurrit dubitare primo de hæreticis, ſecundo de Animabus Purgatorij. Tertio de Angelis in ſtatu vię, & primò homine in ſtatu innocentię. Quartò de Dæmonibus. In præſenti, ergò quæſt. de hæreticis inquirimus, an reſpectu illorum Articulorum, quos credunt, habeant fidem verè divinam, & infuſam. Circa quod communis ſententia eſt negativa, quam tenet Divus Thom. & cum eo omnes Thomiſtę, & plures ex extraneis, adeò vt aliqui oppoſitam ſententiam notent cenſuris temerarię, vel erroris proximę; licèt diſſideant in modo oppoſitionis hæreſis cum fide. Igitur.

2\. Dicendum eſt: *Hæreticum diſcredentem vni, vel alteri Articulo fidei, non habere fidem veram, ſeù ſupernaturalem de alijs Articulis, quos credit.* Probatur primò ex SS. Patribus. Nam Div. Auguſt. *lib.* 17. *contra Fauſt. cap.* 3. ſic ait: *Qui in Evangelio, quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis potius, quam Evangelio creditis.* Et *lib.* 32. *cap.* 19. inquit: *Videtis vos id agere, vt omnis de medio auferatur Scripturarum Authoritas, & ſuus cuique animus Author ſit, quod in quacumque Scriptura probet, aut improbet, vt non ſe Authoritati Scripturarum ad fidem, ſed ſibi Scripturas ipſe ſubijciat.* Id ipſum repetit pluribus alijs in locis. Item Div. Chriſoſt. *in* 1. *Timoth.* 1. inquit: Sicut ille, qui naufragium facit, amiſſis omnibus, nudus evadit: *Ita is, qui ex fide excidit, nihil ſibi ex Dei donis, ac virtutibus amplius retinet.* D. Cyprianus *lib.* 1. *Epiſt.* 3. ait: *Nulla ſocietas fidei cum perfidia eſſe poteſt.* Patet autem, quod hæreſis eſt perfidia: Ergò cum

rum hæreſi, quę vnum vel alium Articulorum pertinaciter negat, nullam Societatem habere poteſt fides vera, adhùc circa alios Articulos.

3. Et denique ex Div. Thom. *in præſent.* qui rationem Div. Auguſt. ſic format: *Species cuiuſlibet habitus depēdet ex ratione formali obiecti, qua ſublata, ſpecies habitus remanere non poteſt : Formale autem obiectum fidei eſt veritas prima ſecundum quod manifeſtatur in Scripturis Sacris, & Doctrina Eccleſię, quę procedit ex veritate prima : Vndè quicumque non inhæret Doctrinę Eccleſię, quę procedit ex veritate prima in ſcripturis manifeſtata, ille non habet habitum fidei, ſed ea, quę ſunt fidei, alio modo tenet, quam per fidem : Manifeſtum eſt autem, quod ille, qui inhæret Doctrinę Eccleſię tanquam infallibili regulæ, omnibus aſſentit, quæ Eccleſia docet; alioquin ſi de his, quę Eccleſia docet, quæ vult, tenet, & quæ nō vult, nō tenet, nō iā inhæret Eccleſiæ doctrinæ tāquā infallibili regulæ, ſed propriæ voluntati; & ſic manifeſtum eſt, quod hæreticus, qui pertinaciter diſcredit vnum Articulum, fidei, non eſt paratus ſequi in omnibus Doctrinam Eccleſiæ. Si enim non pertinaciter, iam non eſt hæreticus, ſed errans. Vndè manifeſtum eſt, quod talis hæreticus circa vnum Articulum fidem non habet de alijs Articulis, ſed opinionem quandam ſecundum propriam voluntatem.* Et hæc eſt potiſsima, & radicalis ratio noſtrę concluſionis, quam forſan, quia non penetrarunt RR. aliqui, diſſentiunt à Thomiſtis.

4. Formatur autem ſic: Deſtructo obiecto formali fidei, implicat remanere fidem : Sed hæreticus diſcredens vni Articulo, deſtruit obiectum formale fidei reſpectu ſui : Ergò implicat in eo remanere fidem. RR. aliqui hanc rationem reijciunt, in primis, quia videtur per ſe falſum, quod hæreticus diſcredens deſtruat obiectum formale fidei, quod eſt divina veritas; deindè, quia hoc admiſſo, ad ſummum illam deſtruit quantum ad illum Articulum, quem diſcredit. Veruntamen, licèt illa vox *deſtruendi*, qua plerique Thomiſtarum vtuntur, impropria ſit, quia reverà hæreticus diſcredens nihil deſtruit de divina veritate, vndè D. Tho. non vtitur ea vocè; quæſtio iſta, ſivè difficultas de puro nomine eſt, quę facilè corrigitur, mutando vocem, & formando prædictam rationem ſic : Implicat hæreticum credere vllum articulum fide divina, ſi in credendo non habeat rationem formalem motivam fidei divinę: Sed hæreticus diſcredendo vni Articulo ſufficiēter propoſito per Eccleſiam, ita à ſe auffert rationem formalem motivam fidei, quod illam habere nequit adhùc in credendis alijs Articulis : Ergò illos non credit fide divina : Ergò non habet fidem divinam reſpectu illius Articuli. Maior patet, quia vt inquit Div. Thom. ſpecies cuiuſlibet habitus, vel etiam actus, remanere nequit, ſublata ratione formali obiecti, ſiquidem ab illa eſſentialiter dependet. Minor verò probatur, quia ratio formalis motiva fidei eſt divina veritas prout revelata in Sacris Scripturis, & propoſita per Eccleſiam habentem authoritatem infallibilem ex eadem divina veritate : Sed hanc rationem formalē procul à ſe aufert hæreticus diſcredens vni Articulo, ita vt illam habere non poſsit in credendis alijs : Ergò. Probo minorem, quia nollè ſubijcere intellectum illi rationi formali tanquam vniverſali regulę infallibili in credendo, ſed aſſumere aliam ſuo arbitrio, eſt formaliſsimè illam procul à ſe abijcere, ſeù auffetre, ita vt in alijs credendis ex illa non reguletur, nec moveatur : Sed hæreticus diſcredendo vni Articulo, & credendo alijs, non vult ſubijcere ſuum intellectum illi rationi formali, nempè divinę veritati vt revelanti per Scripturas Sacras, & vt propoſitę per Eccleſiam habentem authoritatem infallibilem ex ipſa divina veritate; ſed aliam regulam aut rationem formalem motivam aſſumit ſuo arbitrio : Ergò. Probo minorem, quia ille, qui ex duobus vel pluribus Articulis revelatis in Scriptura, & vt talibus propoſitis per Eccleſiam, vnum credit, alium non credit, minimè aſſumit pro regula credendi, aut pro ratione formali motiva divinam veritatem vt revelatam in Scripturis, & vt propoſitā per Eccleſiam, quo pacto ęqualiter complectitur omnes Articulos, ſed potius illam contemnit, & aliam aſſumit pro ſuo arbitrio, quę illos Articulos, quos credit, amplectatur, & non illum, quem diſcredit : Ergò procul à ſe rejcit illam rationem formalem motivam, ſeù regulam credendi, quę omnes fidei Articulos comprehendit, & aliam eligit ſuo arbitrio. Vndè rectè ait Div. Thom. *Manifeſtum eſt autem, quod ille, qui ex his, quę Eccleſia docet, quæ vult tenet, & quæ non vult, non tenet, non iam inhæret Eccleſiæ Doctrinæ, ſicut infallibili regulæ, ſed ſuæ voluntati.* Et Auguſt. *Qui in Evangelio, quod vultis creditis, quod non vultis, non creditis; vobis potius, quam Evangelio creditis.*

5. Confirmatur, quia Hæreticus, adhùc reſpectu articulorum, quos credit, in-

terrogatus, cur credis, non poteſt reddere rationem formalem obiectivam fidei divinę: Ergò non credit eos fide divina. Probatur antecedens, quia non poteſt reſpondere:Credo propter authoritatem Dei revelantis: Sed authoritas Dei revelantis eſt ratio formalis obiectiva fidei.: Ergò nequit reddere rationem formalem obiectivam fidei. Probo maiorem, quia nequit reſpondere credo propter authoritatem Dei revelantis, intelligendo hoc ipſum de revelatione ſibi privativè facta, quia hanc non habet, vt ſupponimus: Deindè nec intelligendo de revelatione facta in S. Scripturis Eccleſię: Ergò nullo modo reſpondere poteſt credo propter authoritatem Dei revelantis. Probo minorem: Quia Eccleſię Deus ęquè revelavit articulum illum, quem diſcredit, ac illum, quem credit: Ergò reſpondere nequit: Credo propter authoritatem Dei revelantis, intelligendo de revelatione vniverſali facta Eccleſię per Scripturas, ſiquidem ſi crederet propter illam, crederet quidquid per illam revelatum eſt, nulli articulo diſcredendo.

6. Dices: Hæreticum exiſtimare Articulos, quos credit, verè revelatos Eccleſię, illum autem, quem diſcredit, non eſſe Eccleſię verè revelatum à Deo, & ſic illos credere propter Authoritatem Dei revelantis Eccleſię, licèt iſtum non credat.

7. Sed contra, nam vndè rogo, hæreticus diſcernit interArticulos revelatos,& non revelatos? Vel enim hoc diſcernit ex ipſa authoritate Dei revelantis Eccleſię, & per Eccleſiam, tanquam per ſuum organum, vel ex proprio iudicio, & diſcurſu. Si primum, non poterit diſcredere vlli Articulo ex his, quę tenet S. M. E. vt à Deo revelatos, quia ex authoritate Dei revelantis Eccleſię,& per Eccleſiam, non poteſt diſcredere his, quę Deus per ipſam Eccleſiam omnibus revelat, vt per ſe patet. Si ſecundum, ergò facit ſuum diſcurſum, & iudicium regulam diſcretivam inter Articulos revelatos, & non revelatos à Deo per Eccleſiam: Ergò authoritatem Dei revelantis Eccleſię, & per Eccleſiam, non recipit vt primam, & ſupremam regulam credendorum, nec vt rationem vnicam, & formalem credendi, ſed eam ſubordinat proprio iudicio, & diſcurſu tanquam priori regulę, & rationi formali credendi: Ergò adhùc reſpectu illorum Articulorum, quos credit, non revelaretur divinam authoritatem Dei revelãtis per Eccleſiam vt regulam ſupremam credendorum, nec vt rationem formalem, ſed potius illi anteponit proprium iudicium, & diſcurſum, ſeu alias rationes, quas excogitat ad diſcernendum inter Articulos,& Articulos. Vnde rectè dixit Auguſtin. *Omnis de medio auferetur Scripturarum Authoritas, & ſuus cuique animus Author ſit, vt non ſeſe authoritati Scripturarum ad fidem, ſed ſibi Scripturas ipſe ſubijciat.*

8. Dices: Hæreticum habere proprium iudicium de revelatis, vel non revelatis, attamen motivum formale credendi ea, quę iudicat revelata, non eſſe hoc iudicium, nec motivum prævium, quo ducitur ad hoc iudicandum, ſed ſolam divinam authoritatem revelantem, iudicium autem proprium de revelatis eſſe in illo puram conditionem per modum propoſitionis obiecti formalis. Item, quamvis non credat vniverſaliter propoſitioni Eccleſię, hoc non tollere, quod inhæreat divinę authoritati vt revelanti in S. Scripturis, tanquam ſupremę regulę, & rationi formali credendi, quia Eccleſię propoſitio non eſt ſuprema regula, nec ratio formalis motiva fidei, ſed ſolum conditio.

9. Hæc ſolutio non facilè impugnabitur ab his, qui cenſent divinam revelationem ſufficienter applicari ad movendam fidem per iudicium proprium moraliter certum, licèt metaphyſicè fallibilè, quia hoc iudicium, cum non ſit fides, nec moveatur ex divina authoritate, ſed ex alijs motivis, & rationibus, non facilè negabitur in hæretico reſpectu illorum Articulorum, quos credit. Veruntamen in noſtris principijs, facilè impugnatur, quia divina authoritas vt revelans non eſt motivum fidei,niſi vt infallibiliter applicata vi alicuius propoſitionis omninò infallibilis in proponendo, quia alitèr fides divina in nobis non poteſt eſſe omninò infallibilis, vt ſatis ſuprà oſtenſum eſt: Sed hæreticus,adhùc reſpectu illorum Articulorum, quos credit, non poteſt moveri ex divina authoritate applicata media propoſitione omninò infallibili: Ergò adhùc reſpectu illorum Articulorum non habet veram fidem divinam. Probo minorem, quia duplex eſt propoſitio infallibilis divinę authoritatis vt revelantis, vi cuius applicatur vt moveat ad fidem divinam, vna externa, & viſibilis per Eccleſiam; alia interna,& inviſibilis per inſpirationem, & illuminationem internam: Sed hæreticus, adhùc reſpectu illorum Articulorum, quos credit, non poteſt moveri ex divina authoritate vt applicata infallibiliter, nec per propoſitionem externam,& viſibilem Eccleſię, nec per internam ex illuminatione Spiritus Sancti: Ergò nequit mo-

veri ex divina authoritate applicata media propoſitione infallibili. Minor probatur, quia in primis non poteſt moveri ex divina authoritate, ſeu revelatione vt applicata infallibiliter per Eccleſię propoſitionem, ſiquidem ſi ex iſta moveretur, non negaret Articulum, quem Eccleſia proponit vt revelatum. Deindè nec ex illa vt applicata internè per illuminationem Spiritus Sancti, quia Spiritus Sanctus per prius eſt Doctor vniverſalis Eccleſię, quam cuiuslibet credentis, & non proponit interius doctrinam fidei vt credendam, niſi cum ſubordinatione ad propoſitionem factam per Eccleſiam, tanquam per Organum viſibile ipſius Spiritus Sancti; ſed hæreticus non movetur ex divina authoritate vt interius propoſita cum ſubordinatione ad propoſitionem viſibilem factam per Eccleſiam tanquam per Organum Spiritus Sancti: Ergò non movetur ex divina authoritate vt interius propoſita ex vi illuſtrationis Spiritus Sancti.

10. Contra ſecundò, quia eo ipſo, quod hæreticus non diſcernit inter revelata, vel non revelata, ex divina authoritate vt revelante per Eccleſiam, ſed aliundè diſcurrendo proprio iudicio, non movetur in his, quę credit ex divina authoritate revelante prout in re, ſed ex illa prout iudicio ſuo fallibili exiſtimata: Sed eo ipſo non habet in credendo rationem formalem motivam fidei divinę, quia hæc non eſt revelatio prout exiſtimata proprio iudicio, ſed vt revelans in re, vt conſtat ex dictis *diſp. 2. quæſt. 9. per totam*: Ergò. Tertiò & principaliter, quia ſi aliundè diiudicat, quænam ſint revelata, quænam ſecùs, illud motivum vndè id diiudicat, erit apud ipſum certius, quam divina authoritas vt revelans hunc vel illum Articulum, quia propter quod vnum quodque tale, & illud magis: Sed eo ipſo motivum primarium, & principale credendi hunc Articulum prę illo non erit ipſa divina authoritas ratione ſui, ſed vt ſubordinata priori, certiori, & principaliori motivo, quod apertè militat contra eſſentiam fidei divinę, cuius eſt reſpicere divinam authoritatem vt motivum principaliſſimum, immò vt vnicum motivum, abſque ſubordinatione ad aliud certius: Ergò hæreticus, qui aliundè, quam ex ipſa divina authoritate, diiudicat, quænam ſint revelata, quænam ſecus, non habet in credendo motivum eſſentiale, & formale fidei divinę. Minor probatur, quia propterea movetur ex divina authoritate ad credendum vnum Articulum, & non alium, quia ex alio priori motivo iudicat, ſeu ſibi proponit vnum Articulum vt revelatum, & non alium: Ergò non movetur ex divina authoritate ratione ſui, & primario movente, ſed ex illa vt ſubordinata alteri motivo diſtincto, quod ſit primarium, & principale, quia per ipſum primario, & principaliter diſcernit credenda à non credendis, & in illud vltimo reſolvit fidem. Cùm autem motivum illud à divina authoritate diſtinctum apud hæreticum ſolum ſit motivum opinativi diſcurſus, aut humanę fidei, indè eſt, quod tota fides hæretici, vel etiam ex primario motivo opinio propria, & pertinax, vel fides humana purè, non autem fides verè divina.

11. Vndè falſum eſt, quod motivum proprij diſcurſus diſcernentis inter revelata, & non revelata, non ſit apud ipſum motivum formale, ſed pura conditio, ſiquidem motivum, in quod vltimo reſolvit ſuam fidem, & quod præſtat divinę authoritati vim motivam reſpectu ipſius ad credendum, non eſt pura conditio apud ipſum, ſed ratio motiva formaliſſima: Sed ita ſe habet illud motivum apud ipſum, ſi quidem, interrogatus, cur ex duobus Articulis ęquè propoſitis ab Eccleſia vt revelatis à Deo, credis hunc, & non illum vt à Deo revelatum, non habet vndè vltimo recurrat, niſi ad motivum illud proprium, vi cuius ex propria mente interpretatur divinam authoritatem vt revelantem vnum Articulum, & non aliud, contra iudicium Eccleſię: Et ratio formalis, quarè movetur ad credendum vnum Articulum vt revelatum prę alio, non eſt ſola divina authoritas propter ſe ipſam, ſed divina authoritas propter illud peculiare motivum vi cuius illam ſuo iudicio interpretatur: Ergò illud motivum non eſt ſola conditio, ſed ratio formaliſſimè motiva apud ipſum, ita vt divina authoritas revelans non moveat niſi vt formalizata per illud proprium motivum.

12. Dicere autem, quod inhæret authoritati divinę vt ſupremę regulę, & formali motivo, licèt non adhæreat propoſitioni Eccleſię, quia hæc non eſt ſuprema regula, nec ratio formalis motiva, eſt veluti ſi quis Regi loquenti per ſuum vnicum interpretem ab ipſo Rege authoritatum in ratione talis, crederet aliqua, & alia nollet credere, & diceret, ſe non diſſentire teſtimonio Regis, ſed illi ſummè reverenter credere, & ſolum diſſentiri interpreti, quia ſuo ſenſu malè interpretatur verba Regis, contra id

id quod Rex ipſe dicebat. Sic ſunt hæretici, qui cum ſint, ſicut nos, & cæteri homines, ex proprio naturali lumine ignari divini idiomatis, & Deus deſignaverit, & authorizaverit Eccleſiam vt ſuum vnicum, & fidiſsimum interpretem, tanquam columnam. & firmamentum veritatis, inquiunt ſe credere plura, quę interpretatur Eccleſia vt à Deo dicta, alia autem nolle credere, quia ea Eccleſia interpretatur contra mentem Dei loquentis per ſcripturas. O miſeri, authoritas interpretis non eſt alia ab authoritate Dei loquentis, eſt enim ab ipſo Deo authorizata Eccleſia in tali munere interpretandi, nec enim per alium interpretem voluit audiri in vniverſo mundo, niſi per Prophetas, & Apoſtolos, & per Eccleſiam legitima ſucceſsione indè deſcendentem, quomodo ergò dicitis vos ſummè re veri Verbum Dei, divino Verbo vnicè inhærere, quando interpretem vnicum ab ipſo Deo in tali numere mille ſignis authorizatum, & deſignatum contemnitis, & vnuſquiſque veſtrum, vel ſe ipſum divinum interpretem facit, vel ad arbitrium interpretes arbitrarios ſequitur; hoc planè, & re ipſa eſt irridere Verbum Dei, & ſub ſpecioſo titulo Verbi Dei, ſibi vel ſuis Divinam quandam authoritatem deferre interpretandi infallibiliter Verbum Dei, ſeù Sacras Scripturas, illaſque proprię interpretationi ſubordinare.

SOLVUNTUR OBIECTA.

13. OBIJCIES primo: Hæreticus credit Articulos fidei, & illos credit motus ex eodem motivo fidei divinę: Ergò in credendo illos Articulos habet obiectum terminativum, & motivum fidei divinę: Ergò illos credit fide divina. Patet conſequentia, quia fides ſpecificatur ab obiecto terminativo, & motivo. Solum antecedens indiget probatione: Probatur autem ſic: Motivum fidei divinę eſt divinum teſtimonium: Sed hæreticus credit illos Articulos propter teſtimonium Dei, ſiquidem interrogatus, cur hos Articulos credit? Reſpondet, quia ita Deus teſtatur in S. Scripturis: Ergò illos credit motus ex eodem motivo fidei divinę. Confirmatur primo, quia ſtat aliquem exercere obedientiam erga vnum legis præceptum, quamvis violet aliud: Ergò pariter ſtabit exercere fidem divinam circa vnum Articulum, quamvis alium diſcredat. Patet conſequentiam, quia ſicut eſt idem motivum fidei reſpectu omnium Articulorum, nempè authoritas Dei revelantis, ita eſt idem motivum obedientię reſpectu omnium præceptorum, nempè authoritas Dei præcipientis. Confirmatur ſecundo: Quia quamvis motivum virtutis moralis ſit idem in omnibus actibus, & reſpectu omnium obiectorum materialium, ſtat optimè aliquem exercere temperantiam in cibo, & non in potu, vel è contra: Ergò pariter licèt obiectum virtutis theologicę ſit idem reſpectu omnium Articulorum, ſtat optimè, aliquem credere fide divina, ſeù eſſe verè Fidelem reſpectu vnius Articuli, non vero reſpectu alterius. Confirmatur tertio, quia ſtat optimè aliquem habere ſcientiam vnius concluſionis, & errorem circa aliam concluſionem eiuſdem ſcientię: Sed ſcientia habet eandem rationem formalem *ſub qua* reſpectu omnium concluſionum, ſicut fides reſpectu omnium Articulorum: Ergò ſtabit etiam, quod aliquis habeat fidem reſpectu vnius Articuli, & hæreſim, ſeù errorem circa alium.

14. Reſpondeò, negando antecedens. Ad eius probationem, diſtinguo maiorem: Motivum fidei divinę eſt divinum teſtimonium vt ſibi ſubordinans, & ſubijciens omnem rationem naturalem, & noſtrum proprium diſcurſum, & iudicium, concedo maiorem: Vt ſubordinatum in movendo rationi naturali, & noſtro iudicio, nego maiorem, & diſtinguo minorem eodem modo. Nam quamvis hæreticus reſpondeat: Credo propter teſtimonium Dei, ſeù quia Deus revelavit in S. Scripturis, tamen non accipit teſtimonium Dei cum authoritate illi competenti, nempè cum authoritate ſubordinante, & ſubijciente, & captivante omnem intellectum in obſequium ſui, imò ſubordinat ſibi in movendo ipſum Dei teſtimonium; cuius ſignum eſt, quod in S. Scripturis, quę ſunt Verbum, & teſtimonium Dei ſcriptum, diſcernit ex propio iudicio, & opinione, ſeù ratione naturali, quid Deus revelat, quid non revelat, & proprium iudicium, aut diſcurſum facit regulam ſuperiorem ad Verbum Dei ſcriptum, regulando, quid Deus dicat, quid non dicat, ex proprio iudicio, non verò quid ipſe debeat iudicare, quid non iudicare, ex divino teſtimonio, vt divina authoritate interpretata ab Eccleſia, ſicut facimus Catholici, vndè non credit propter divinum teſtimonium re ipſa, & primario, ſicut requiritur ad fidem, ſed primario propter proprium, & arbitrarium iudicium. Ex quo.

15. Ad primam confirmationem, reſpondeo cum Div. Thom. *in præſent. articul. 3. ad 3. quod diverſa præcepta legis poſſunt referri, vel ad diverſa motiva proxima, & ſic vnum ſine alio ſervari poteſt; vel ad vnum motivum primum, quod eſt perfectè obidere Deo, à quo deficit, quicumque vnum præceptum tranſgreditur, ſecundum illud Iacob. 2. Qui offendit in vno factus eſt om-*

Digitized by Google

nium reus. Ex qua Doctrina, diſtinguo antecedens: Stat exercere obedientiam erga vnum præceptum, quamvis violet aliud, exercendo ipſam ex motivo proximo ſubijciente voluntatem precisè in aliquo, & non in alio, concedo antecedens: Ex motivo primo, & vniverſali ſubijcente voluntatem in omnibus, nego antecedens, & conſequentiam, quia motivum formale fidei non eſt divina authoritas, ſeù revelatio, vt ſubijciens præcisè intellectum circa húc, vel illam Articulum, ſed eſt divina authoritas, vt primario, & ſuper omnia credibilis, & conſequenter vt ſubijciens intellectum vniverſaliter, & primario circa revelata, vel non revelata, & ideò nemo illam poteſt aſſumere pro motivo fidei divinę, ſi alicui Articulo diſcredit, quia iam non illam reveretur ſuper omnia, & ſuper ſuum iudicium, ſed potius ſuum iudicium diſcretivum anteponit divinę revelationi. Obedientia autem, ſi poteſt exerceri circa vnum præceptum, & non circa alium, ideò eſt, quia vnum præceptum eſt diſtinctum motivum proximum obediendi ab alio, & vnum præceptum præcisè ſubijcit voluntatem in eo quod præcipit, non in alijs. Vel dic, quod poteſt quis exercere obedientiam materialiter circa vnum præceptum violando aliud, non tamen obedientiam formalem, hoc eſt, ex formali motivo obediendi Deo, quia ſi quis ex duobus præceptis ſibi ęquè propoſitis, vnum implet, & aliud violat, convincitur illud non implere ex motivo formali obediendi Deo ſuper omnia, nam ſi in impletione vnius intenderet obedire Deo ſuper omnia, nihil anteponeret divinis præceptis; anteponit autem, quando quidem aliud ipſius præceptum tranſgreditur, anteponendo illi aliquid, quod plùs amat, quam obedire Deo: Sic ergò ſimiliter, qui ex duobus Articulis ęquè propoſitis ab Eccleſia vt à Deo revelatis, vnum credit, alium diſcredit, convincitur, illum non credere ex motivo formali credendi divinę authoritati ſuper omnia, quia aliàs alium minimè diſcrederet.

16. Ad ſecundum pariter, reſpondeo, diſtinguendo antecedens: Stat optimè aliquem eſſe temperatum, aut exercere virtutem moralem obedientię circa vnum obiectum, & non circa aliud formaliter in eſſe virtutis, nego antecedens. Materialiter ex motivo alio diſtincto à motivo virtutis proprio, concedo antecedens, & nego conſequentiam; quia vt inquit Div. Thom. 1. 2. *quæſt.* 66. *artic.* 1. *in corp. Quicumque habet aliquam virtutem, vtputa temperantiam, habet illam ſecundum omnia ad quę ſe extendit, & ſecundum hoc benè dixerunt Stoici, quod virtus non recipit magis, nec minus.* Et ratio eſt, quia virtus; v. g. temperantię, conſiſtit in eo, quod quis benè affectus ſit erga rectitudinem, & medietatem in omnibus, quę temperantię ſubijciuntur, ſi enim erga cibum temperatum benè affectus ſit, ſed non erga potum temperatum, convincitur id non agere ex motivo formali talis virtutis, ſed ex alio non concurrente in potu: Sic ergò, qui credit vnum Articulum, & negat alium.

17. Sed dices: Habitus temperantię acquiſitę non amittitur per vnum ſolum actum contrarium: Ergò pariter nec habitus fidei per vnum ſolum actum contra fidem. Reſpondeo, diſtinguendo antecedens: Non amittitur in eſſe virtutis formaliter, nego: In eſſe qualitatis, & materialiter conſideratos, concedo, & nego conſequentiam. Sed inſtant PP. Salmant. quibus iſta ſolutio non placet; quia per nos habitus temperantię non amittitur in eſſe qualitatis per vnum actum contrarium: Ergò nec habitus fidei amittitur in eſſe qualitatis per vnum actum fidei contrarium, licèt amittatur in eſſe virtutis: Ergò permanere poterit habitus fidei infuſę in eſſe qualitatis in hæretico negãte vnum Articulum. Reſpondeo, negando conſequentiam, quia omnes debent in hoc reddere diſparitatem; quę quidem eſſe nequit, quam prędicti PP. aſsignant, nempè, quod virtus temperantię importat latitudinem, & extenſionem diviſibilem reſpectu materię ſaltèm quoad applicationem, ſecùs autem in fide, cuius ratio formalis eſt indiviſibilis, non ſolum quoad rationem formalem, ſed etiam ex parte applicationis. Non, inquam, poteſt admitti hæc diſparitas, quia etiam fides eſt diviſibilis ex parte applicationis, quia licèt hæc fiat per Eccleſiam proponentem, quę ęquè proponit, & indiviſibiliter omnes Articulos, & res fidei, non tamen omnibus hæc propoſitio ęquè intimatur, ſed poteſt, defectu applicationis, aliquis diſcredere vni, vel alteri Articulo materialiter ex ignorantia propoſitionis Eccleſię, quin propterea virtutem fidei amittat erga alios, quos ſcit ab Eccleſia proponi, & in hoc convenit fides cum ſcientia, & cum virtutibus moralibus in eſſe virtutis, quia ſicut intellectus ex defectu applicationis debitę poteſt diſſentire ex ignorantia vni, vel alteri concluſioni, non amiſſa ſcientia erga alias, & ſicut virtus moralis poteſt deficere defectu applicationis, aut propoſitionis ex ignorantia invincibili circa hoc, vel illud obiectum materiale in particulari, non amiſſa virtute adhùc in eſſe virtutis erga alia obiecta, ita ſimiliter Fidelis poteſt diſſentire huic, vel illi Articulo fidei defectu applicationis, & propoſitionis ex ignorantia, quin propterea amittat fidem erga alios

adhùc

adhuc in eſſe virtutis. Difficultas ergò eſt, quando ſuppoſita applicatione, & propoſitione obiecti, vt obiectum eſt virtutis moralis, nihilominus voluntas deficit contra talem virtutem per actum vitioſum, v. g. quando quis cognoſcens talem potum in tali quantitate eſſe contra medium, & regulas temperantię, nihilominus illum amplectitur, & ſumit, licèt in omnibus alijs temperatè procedat, ſicut in hæretico, ſuppoſita propoſitione Eccleſię ęquali, & indiviſibili reſpectu omnium Articulorum, nihilominus hæreticè diſcredit vni Articulo ex illis, licèt alios omnes credat: In hoc igitur caſu non poteſt eſſe diſparitas ex parte applicationis, aut propoſitionis, quia ſupponimus vtrobique proponi obiectum motivum reſpectu omnium obiectorum materialum, & non peccari defectu propoſitionis, vel applicationis motivi, ſed cum advertentia ad illam.

18. Alia igitur debet eſſe diſparitas, nempè, quod habitus virtutum theologalium, & infuſarum, non habent illam duplicem conſiderationem, in eſſe qualitatis, & in eſſe virtutis, quia cum ſint habitus ſupernaturales, eſſentialiter ſunt virtutes rectificantes potentiam, in qua inveniuntur, reſpectu ſui obiecti ſpecificativi vniverſaliter, vndè implicat quod permaneant in eſſe qualitatis, & non in eſſe virtutis; cum autem non poſsint permanere in eſſe virtutis cum actu vitij oppoſiti ergà vnum obiectum particulare, quia iam non rectificarent vniverſaliter potentiam, nec redderent illam bonè ſe habentem reſpectu ſui obiecti ſpecificativi; indè eſt, quod nec permanere poſſunt in eſſe qualitatis. Attamen virtutes naturales acquiſitę admittunt illam duplicem conſiderationem, quia cum ex actibus particularibus generetur phyſicè quædam facilitas, aſſuefactio, & inclinatio ad ſimiles actus, & hæc ſit qualitas phyſica, quę tota, & totaliter non poteſt amitti in momento per vnum actum vitij oppoſiti, abſdubio poteſt remanere cum tali actu, & poſt talem actum, non in eſſe virtutis rectificantis potentiam vniverſaliter reſpectu ſui obiecti ſpecificativi, ſed ſolum in eſſe aſſuefactionis, & facilitatis phyſicę ad actus phyſicè ſimiles; quia de ratione huius aſſuefactionis, & inclinationis phyſicę non eſt eſſentialiter quod ſit virtus moralis, ſed poteſt carere ratione virtutis, ſi nimirum voluntas non ſit rectificata, nec benè affecta erga obiectum ſpecificativum virtutis ex motivo ipſius, & propter ipſius rectitudinem obiectivā; quę quidem bona affectio, & rectitudo amittitur per vnum actum vitij oppoſiti advertenter commiſſum, licèt maneat illa aſſuefactio materialis, & phyſica in eſſe qualitatis, quę eſſentialiter non eſt virtus.

19. Ad tertiam confirmationem, diſtinguo maiorem: Stat optimè aliquem habere ſcientiam vnius concluſionis, & errorem circa aliam, ex ignorantia rationis formalis motivę, concedo maiorem: Si vtraque ęquè proponatur ſub eadem ratione formali motiva, nego maiorem, & conceſſa minori, cōſequentiam, itaque fatemur, quod ſi quis ignoret Articulum aliquem proponi ab Eccleſia vt revelatum, poterit quidem illi diſcredere, retenta fide circa alios Articulos, quia per illum diſſenſum non diſcredit rationi formali motivę fidei, nec illi contrariatur, aut illam abijcit, & contemnit, & ideò ex illa poteſt credere alios Articulos ſibi ſufficienter propoſitos; cæterum nec iſte eſt hæreticus, quia non eſt pertinax contra fidem, ſiquidem ad pertinatiam requiritur, negare Articulum, quem cognoſcit, & advertit ab Eccleſia proponi vt revelatum: Nec iſte eſt caſus præſentis quæſtionis, quę ſolum procedit, dum quis hæretico negat vnum Articulum, hoc eſt, cognoſcendo illum ab Eccleſia proponi vt revelatum. Paritas autem ſcientię, ſolum probat, quod defectu propoſitionis, vel ex ignorantia propoſitionis Eccleſię, & revelationis poſſit quis diſcredere vni Articulo, retenta fide circa alios, non verò hæreticè, & cum pertinacia, ſeù cum advertentia propoſitionis Eccleſię, & revelationis: Nam quomodo poteſt quis diſſentire per errorem vni concluſioni, aſſentiendo alijs eiuſdem ſcientię, & contentis ſub eadem ratione formali? Sanè, non aliter, quam ignorando illam concluſionem contineri ſub illa ratione formali, aut ſub illo eodem motivo, v. g. cognoſcit Philoſophus demonſtrativè de aliquibus mixtis ea eſſe alterabilia, quia omne mixtum eſt alterabile, nihilominus ſi per errorem iudicaret corpus adamantis eſſe Cœli particulam, aut non eſſe mixtum, poſſet ſimiliter per errorem diſſentire, & negare illud eſſe alterabile, quia videlicèt, ignoraſſet illud contineri ſub ratione mixti; ſi tamen ſciret illud eſſe mixtum, & nihilominus negaret illud eſſe alterabile, minimè poſſet retinere ſcientiam de alterabilitate aliorum mixtorum propter rationem formalem mixti, ſed ad ſummum ex alio principio: Sic ergò, qui ignoraret aliquem Articulum ab Eccleſia proponi vt à Deo revelatum, poſſet illi diſſentire retenta fide circa alios; ſi tamen ſciret illum ab Eccleſia proponi vt revelatum, & nihilominus illi diſſentiret, non poſſet ſimul fidem retinere circa alios Articulos ſub ratione formali revelationis vt propoſitę per Eccleſiam; ſed ad ſumum ex alio motivo. Vndè

paritas facta ex ſcientia potius confirmat noſtram ſententiam.

20. Obijcies ſecundò : Hæreticus re ipſa credit eos Articulos, quos credit : Sed nequit illos credere, niſi fide infuſa : Ergò illos credit fide infuſa. Probo minorem, quia nemo poteſt credere Myſterium Incarnationis, niſi fide infuſa : Ergò idem de alijs Articulis, & conſequenter nequit illos credere hæreticus niſi fide infuſa. Probo antecedens : *Quia nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu Sancto*, vt inquit Apoſtol. 1. *ad Corinth.* 12. Ergò multò minus credere Myſterium Incarnationis, quod eſt credere Dominum Ieſvm-Chriſtum. Confirmatur : *Quia non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis*, vt inquit idem Apoſtol. 2. *ad Corinth.* 3. Ergò multò minus credere : Ergò nemo poteſt ex ſe, & à ſe credere Articulos fidei, & conſequenter, niſi per fidem infuſam. Vrgetur : Quia in hæreticis non extinguitur totaliter lumen fidei : Ergò permanet in illis fides aliquorum Articulorum ſaltèm.

21. Reſpondeo, omiſſa maiori, negando minorem. Ad probationem, nego antecedens. Ad probationem, explico mentem Apoſtoli, nempè, quod nemo poſsit dicere, Dominus Ieſvs ex corde puro, & fide non ficta, prout oportet ad ſalutem, niſi in Spiritu Sancto, quia ipſi, qui negant Chriſtum, poſſunt dicere Dominus Ieſvs, & non in Spiritu Sancto, & ſimiliter hæretici credunt ſæpè fide acquiſita, & humana, quę in ipſis magis eſt opinio, quam fides, Dominum Ieſvm-Chriſtum, ſed non id credunt in Spiritu Sancto, quia non credūt prout oportet ad ſalutem, nempè captivando intellectum in obſequium Chriſti. Sed anteponendo proprium iudicium, & propriam voluntatem Authoritati Chriſti vt loquentis in Eccleſia, & per Eccleſiam, & ideò illorum fides non eſt infuſa, nec re ipſa divina, nec in Spiritu Sancto, ſed ex ſpiritu proprio concepta. Ex qua ad primam cōfirmationem explico ſimiliter Apoſtol. Nam ſenſus nō eſt, quod abſolutè, nec vllo pacto poſsimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſolum de rebus, & cogitationibus conducentibus ad ſalutem, nempè, quod nullam cogitationem ſalutarem poſsimus habere ex nobis, quę poſitivè ad ſalutem conducat, qualiter conducit fides verè divina, & infuſa; & ideò ſolum ſequitur, quod non poſsimus credere fide Divina, & infuſa à nobis, quaſi ex nobis, non autem quod non poſsimus credere fide acquiſita, & re ipſa humana, ſeù opinativa, quę ad ſalutem poſitivè non conducat, à nobis, quaſi ex nobis, ineſt, ſine auxilio gratię, nam ſta credunt ſine auxilio gratię, quotquot moventur magis ex proprio iudicio, vel ex humanis teſtimonijs, quam ex Divina authoritate vt manifeſtata per Eccleſiam. Ad ſecundam confirmationem, dico, quod lumen fidei dupliciter poteſt accipi, nempè, pro habitu fidei, vel pro qualibet illuminatione cœleſti illuſtrante, & movente ad fidem ; igitur in hæreticis lumen fidei primò modo totaliter extinguitur, quia deficit illis ratio obiectiva, & ſpecificativa habitus fidei; non tamen in illis totaliter extinguitur ſecundò modo, quia ſæpè illis Deus immittit inſpirationes, & illuſtrationes circa fidem, vt authoritati Divinę per Eccleſiam manifeſtę ſe ſummittant.

22. Obijcies tertiò : Hæreticus circa Articulos, quos credit, retinet eandem facilitatem, & promptitudinem, quam ante hæreſim habebat : Sed promptitudo, & facilitas credendi, vel eſt habitus fidei, vel effectus, ex ipſo habitu vnicè reſultans : Ergò adhùc poſt hæreſim retinet eundem habitum fidei, ac antea. Reſpondeo, negando minorem; nam qui ſemèl in hæreſim labitur, ex ſuppoſitione illius non poteſt credere cæteros Articulos, quos ante credebat, ex eodem motivo, nempè, purè propter Authoritatem Dei loquentis per Eccleſiam. Vndè ad credendum hoc modo, nullam facilitatem, aut promptitudinem retinet, ſed potius reſiſtentiam : Habitus autem fidei non eſt quælibet facilitas, aut promptitudo credendi, ſed ſolum facilitas, aut promptitudo credendi, propter Divinam authoritatem, vt manifeſtatam per Eccleſiam in Sacris Scripturis; vndè in illo minimè remanet habitus fidei theologicę, ſed ad ſummum alia facilitas, aut promptitudo acquiſita, aut naturalis ex diſcurſu, & affectu naturali, vi cuius pro ſuo arbitrio eligit credere ex revelatis à Deo per Eccleſiam, hæc potius quam illa, non ſubijciendo ſe totaliter Divinę authoritati, ſed ſubordinando potius Divinam authoritatem revelantem proprio diſcurſui, & affectui.

23. Sed replicabis primò : Quia in hæretico perſeverat eadem certitudo circa Articulos, quos credit : Sed non poteſt ſtare eadem certitudo, niſi ex eodem motivo : Ergò perſeverat fides ex eodem motivo. Secundò : Quia ad rationem formalem motivam fidei theologicę non requiritur eſſentialiter credere propter authoritatem Divinam, vt manifeſtatam per Eccleſiam, ſed ſatis eſt credere propter authoritem Divinam, vt privativè ſibi manifeſtam, & intimatam : Ergò licèt hæreticus non credat veros Articulos propter authoritatem Divinam, vt manifeſtatam per Eccleſiam, poterit

tur illos credere fide theologica. Probo antecedens : Nam ille, cui ſit revelatio privata, poteſt illam credere fide theologica, vt dicebabus *tract.* 1. *quæſt.* 4. Et tamen illi non proponitur, nec manifeſtatur authoritas Divina per Eccleſiam, ſed immediatè, & independenter ab illa : Ergò ad rationem formalem motivam fidei non requiritur, &c. Tertiò : Quia hæreticus conſervat habitum Theologię, ſaltim circa concluſiones illatas ex veris Articulis, quos credit : Sed habitus Theologię ſubordinatur fidei theologicę : Ergò conſervat etiam habitum fidei theologicę circà illos. Probo maiorem : Nam habitus Theologię eſt habitus acquiſitus : Sed habitus acquiſitus non amittitur per errorem particularem circa vnam, vel alteram concluſionem tantum : Ergò nec per hæreſim : Ergò remanet in hæretico. Quartò: Propterea amitteret habitum fidei hæreticus, quia in credendo prætermittit debitam regulam, nempè propoſitionem Eccleſię : Sed hoc nihil probat; quia licèt artiſex prætermittat regulas certas in conſtructione alicuius operis, non propterea amittit artem : Ergò. Quintò : Nam ſi quis ignoraret, ſivè culpabiliter, ſivè inculpabiliter, Eccleſiam eſſe fidei regulam, quamvis diſcrederet propoſitioni Eccleſię, paratus corrigi ab habente infallibiliter poteſtatem, non amitteret habitum fidei : Et tamen non crederet propter authoritatem Divinam vt propoſitam per Eccleſiam : Ergò.

24. Reſpondeo ad primam, negando maiorem, quia cum hæreticus re vera in illis Articulis credendis non inhæreat authoritati Divinę propter ſe ipſam, ſed propter aliud motivum proprij iudicij, cui ſubordinat authoritatem Divinã; nequit in illo manere eadem certitudo infallibilis, quę erat anteà, dùm ſe ſummittebat authoritati Divinę propter ſe ipſam, vndè ſolum manet in illo certitudo opinionis, vel fidei humanę iuxta qualitatem motivi, vi cuius credit hos potius Articulos, quam illos, vt revelatos à Deo. Ad ſecundam, diſtinguo maiorem, non requiritur eſſentialiter credere propter authoritatem Divinam vt propoſitam per Eccleſiam, ſed ſatis eſt credere propter authoritatem Divinam vt privativè ſibi manifeſtam per lumen, aut propoſitionem internam eſſentialiter infallibilem, & conformem propoſitioni Eccleſię, concedo maiorem : Vt privativè ſibi manifeſtam per lumen fallibile, aut per propoſitionem non conformem eſſentialiter definitioni Eccleſię, nego maiorem, & diſtinguo minorem eodem modo. Itaque fateor, quod propoſitio authoritatis Divinę vt revelantis ſolum eſt conditio, & non motivum formale fidei, & ideò, quod talis propoſitio ſit per Eccleſiam omnibus in communi proponentem, aut per lumen interius infallibile, & ſupernaturale non variat eſſentiam, & ſpeciem fidei, ideòque loco citato, propugnavi revelationes privatas ſupernaturaliter, & lumine infallibili propoſitas ei, cui fiunt, poſſe ab illo credi fide verè theologica; verumtamem eſt conditio eſſentialis, quod authoritas Divina proponatur infallibiliter, & eſſentialiter vt verè revelans in re, & ſine contingentia falſitatis, aut repugnantię cum propoſitione infallibili Eccleſię; quia fides privata, ſi ſit Divina, & theologica, debet inniti authoritati Divinę vt infallibiliter applicatę, ſeù propoſitę eſſentialiter vt in re revelanti, & nõ cum contingentia aliter ſe habendi in re; hæreticus autem in hoc differt à Catholico, qui credit revelationi privatę, quod hæreticus accipit revelationem, non vt ſibi propoſitam interius per Spiritum Sanctum, cum ſubordinatione ad Eccleſię propoſitionem, & definitionem, quo ſolum pacto proponitur eſſentialiter, vt vera in re, ſed illam accipit, vt ſibi à ſe ipſo propoſitam ex proprio iudicio, & electione, credendo, quę vult, & non credendo, quę non vult, abſque ſubiectione ad Eccleſię propoſitionem, & diffinitionem, vndè re ipſa non innititur Divinę authoritati, vt revelanti, nec credit Deo propter ipſum, ſed potiùs credit ſibi, vndè non habet pro motivo Divinam veritatem, ſicut Catholicus, qui credit revelationi privatę : Nam iſte, accipit revelationem privatam, vt ſibi propoſitam interius per Spiritum Sanctum cum ſubordinatione, & ſubiectione ad Doctrinam Eccleſię, quo pacto ſibi proponitur eſſentialiter, & infallibiliter vt vera in re : Vndè credit Deo vnicè propter ipſius authoritatem, & revelationem.

23. Ad tertiam, nego maiorem, quia habitus Theologię, licèt ſit acquiſitus quantum ad diſcurſum, & aſſenſum concluſionum, pendet eſſentialiter à lumine fidei, tamquam à lumine principiorum ſupernaturalium, vndè ſicut deſtructo lumine principiorum naturalium deſtruerentur omnes ſcientię naturales acquiſitę, quę in illo fundantur, ita deſtructo per hæreſim lumine fidei, deſtruitur ſcientia circa concluſiones ſupernaturales, quę in illo fundatur, nempè Theologia, & ad ſummum remanere poteſt actus opinativus circa tales concluſiones, vtporè procedens ex aſſenſu ſolum opinativo, & fallibili circa principia. Ad quartam, diſtinguo maiorem, quia prætermittit purè negativè regulam infallibilem fidei, nego cauſalem, quia illam prætermittit contrariè, & per poſitivum contemptum, concedo cauſalem, &

ad paritatem de Artifice reſpondeo, quod ars non conſiſtit in exteriori vſu, aut opere illius, ſed in interna ſcientia regularum artis, vndè, quamvis in opere externo non applicentur regulę, aut regulę prætermittantur, poteſt permanere ars, dummodo intellectus in iudicando ſe conformet regulis artis, ſeù iudicet conformitèr ad ipſas; attamen fides conſiſtit in aſſenſu interno elicito iuxta regulam fidei, vndè ſi in tali aſſenſu interno prætermittatur regula fidei contrariè, & per poſitivum contemptum ipſius, vt facit hæreticus, amittitur fides. Vndè argumentum, ſi quid probat, ad ſummum probat, quod poſsit aliquis in confeſsione externa fidei prætermittere regulam fidei, quin propterea ammittat fidem internam; quod libenter fatemur. Ad quintam, conceſſa maiori, & minori, nego conſequentiam; quia ille, qui cum tali ignorantia non acceptaret Eccleſiam, vt regulam fidei, ſolum contemneret regulam fidei negativè, non verò poſitivè, & contrariè, vndè non eſſet hæreticus, neque ex hoc preciſè amitteret fidem actualem, quamvis aliundè fidem habere non poſſet ex defectu negativo regulę proponentis, quia ignorata regula credendi fide theologica, implicat habere fidem theologicam, non ex defectu motivi formalis, nempè authoritatis Divinę, ſed ex defectu debitę applicationis, & ita ſe haberet parvulus baptizatus, qui perveniens ad vſum rationis, ignoraret regulam infallibilem credendi, retineret enim fidem habitualem, quam in Baptiſmo ſuſceperat, ſed actualem exercere non poſſet.

CONSECTARIVM PRÆCEDENTIS doctrinę.

24. EX dictis infertur contra Suarez, Lugo, & alios RR. Ieſuitas, repugnantiam habitus fidei cum hæreſi non eſſe ſolum moralem, aut demeritoriam, ſed phyſicam, & ex natura rei: Ratio eſt, quia propterea per hæreſim amittitur habitus fidei, quia deficit hæretico ratio formalis motiva fidei, hæc enim eſt ratio, qua vtitur Div. Thom. & qua id ſuprà oſtenſum relinquimus: Sed ex defectu rationis formalis motivę fidei, non ſolum moraliter, ſed phyſicè, & ex natura rei ſequitur defectus ipſius habitus fidei: Ergò per hæreſim amittitur fides habitualis, ſeù habitus fidei, non ſolum moraliter, aut demeritoriè, ſed phyſicè, & ex natura rei: Ergò datur repugnantia nedùm moralis, ſed phyſica, & ex natura Dei.

25. Reſpondet Lugo, rationem Div. Thom. ſolum procedere directè ad probandam repugnãtiam immediatam inter actum fidei, & actum infidelitatis, eo quod ablato motivo formali fidei per vnum actum, non poteſt alius tendere ſub illo motivo, & per conſequens non poteſt manere ſpecies fidei, non tamen probare repugnantiam immediatam hæreſis cum habitu fidei: Sed contra eſt, quia Div. Thom. ibi in eo Articulo probat, non manere fidem in hæretico, quod intelligi nequit ſolum de actuali, ſed debet intelligi etiam de habituali, nam aliàs ſatis diminutè proceſſiſſet: Sed id non aliundè probat, niſi quia aufertur per hæreſim in hæretico motivum formale fidei: Ergò ſentit, hæreſim non ſolum auferre obiectum formale fidei actualis, ſed etiam habitualis, ac proindè repugnare ex natura rei, etiam cum fide habituali. Inquit, Div. Thom. obiter infert, non manere habitum fidei in hæretico, quia aliundè ſupponebat eum habitum non manere niſi ad operandum. Sed contra, quia Div. Thom. huius rationis non meminit, ſed ſolum inſiſtit defectui rationis formalis obiectivę fidei in hæretico, & ex hoc defectu infert defectum fidei, tam actualis, quam habitualis, nam de vtraque loquitur Ang. Præcep. Ergò non aliundè, ſed vnicè ex hoc capite probat repugnantiam hæreſis cum fide tam actuali, quam habituali. Deindè, quia vel phyſicè repugnat exiſtere habitum fidei cum hæreſi, licèt cum hæreſi non poſſit operari; vel id phyſicè, & ex natura rei non repugnat? Si id phyſicè non repugnat, vndè potuit ſupponere Div. Thom. eum habitum non manere, niſi ad operandum, id eſt, niſi in ſubiecto diſpoſito ad operandum? Cum phyſicè non repugnet exiſtere in hæretico per hæreſim indiſpoſitò ad operandum. Si autem id phyſicè repugnat: Ergò iam hæreſis repugnat phyſicè cum habitu fidei.

26. Secundo probatur aſſumptum, quia ſi non repugnaret phyſicè, & ex natura rei habitus fidei eum hæreſi, non eſſet cur in hæretico non maneret, nec id vlla firma ratione probari poſſet: Sed hoc dici nequit: Ergò. Probo maiorem, quia non poſſet probari ex vi demeritoria peccati hæreſis, ſiquidem magis demeretur, vtpotè gravius, peccatum odij Dei, & tamen cum illo poteſt compati habitus fidei: Ergò. Reſpondet Suarez, quod hæreſis habet ſpecialem oppoſitionem cum habitu fidei, quam non habet odium Dei. Sed contra, quia hæc ſpecialis oppoſitio non eſt in vi purè demeritoria, quia quantum ad vim demeritoriam, magis demeretur odium Dei exiſtentiam habitus infuſi fidei, quam peccatum hæreſis, ſeù diſſenſus hæreticalis: Ergò illa ſpecialis oppoſitio eſt ex natura rei, & phyſica, nempè quia hæreſis au-

auſert à ſubiecto rationem formalem ſpecificativam habitus fidei.

27. Propterea Lugo inquit, oppoſitionem hæreſis cum habitu fidei non eſſe immediatam, ſed mediatam, quatenus opponitur cum gratia, & illam excludit, qua ſublata, ex natura rei auſertur habitus infuſus fidei. Si verò illi opponas, quod hoc pacto, etiam quodlibet peccatum repugnaret ex natura rei cum habitu fidei, per oppoſitionem nempè mediatam, quia quodlibet repugnat cum gratia. Reſpondet, hanc repugnantiam mediatam cum habitu fidei eandem eſſe in cæteris peccatis; cæterum licèt cætera peccata excludant gratiam, qua excluſa, ex natura rei ſequitur excluſio habitus infuſi fidei, Deus tamen ſpeciali providentia conſervat in peccatore habitum fidei, quem tamen non vult conſervare in hæretico. Sed contra, quia cur, licèt in cæteris peccantibus mortaliter conſervet habitum fidei, illum non conſervat in hæretico? Sanè ſi hæreſis non haberet ſpecialem oppoſitionem immediatam cum habitu fidei, nulla eſſet ratio cur conſervaret habitum fidei cum cæteris peccatis, & non cum peccato hæreſis: Ergò præter illam oppoſitionem mediatam, caſu, quo illa admittatur, debet dari alia oppoſitio ſpecialis immediata, vi cuius Deus cum hæreſi non conſervet habitum fidei, licèt illum conſervet cum alijs peccatis excludentibus gratiam.

28. Inquit, illam oppoſitionem ſpecialem immediatam dari, non quę ſit phyſica, & ex natura rei, ſed præcisè, quia per hæreſim hæreticus ſe determinat ad non credendum fide Divina, id eſt, propter Authoritatem Dei vt propoſitam per Eccleſiam, quo ſuppoſito, inutilis, & fruſtra eſſet in ipſo habitus fidei, & ne ſit fruſtra, ideò Deus illum non conſervat, attamen per cætera peccata non impeditur peccans ad eliciendum actum fidei infuſę. Sed contra, quia vel habitus fidei ex natura rei repugnat exiſtere fruſtra, id eſt, in ſubiecto determinato ad illum non exercendum; vel ita exiſtere non repugnat ex natura rei? Si primum, ergò habitus fidei dicit repugnantiam ex natura rei cum hæreſi. Si ſecundum, ergò nulla firma ratione probari poteſt, quod non exiſtit in hæretico, quamvis determinato ad non operandum ex motivo proprio fidei, ſiquidem non repugnat in illo exiſtere. Ex quo.

29. Tertiò probatur aſſumptum: Quia hæreticus per hæreſim non retractatam conſtituitur habitualiter hæreticus, ſeù infidelis, & habitus fidei ex intrinſeca ratione haber conſtituere ſubiectum habitualiter fidelem: Sed phyſicè, & ex natura rei opponuntur eſſe habitualiter fidelem, & habitualiter infidelem: Ergò phyſicè, & ex natura rei opponitur habitus fidei cum hæreſi, eo videlicèt, quia induunt effectus formales ex natura rei oppoſitos. Confirmatur: Quia hæreticus per hæreſim inhabilitatur ad credendum fide verè Divina, ſiquidem ex ſuppoſitione hæreſis non retractatę, quantumvis velit credere, aut credat, nequit credere fide Divina, vt oſtenſum manet; item habitus fidei ex propria ratione formali conſtituit formaliter ſubiectum habilem ad credendum fide Divina: Sed habilitas ad credendum fide Divina opponitur phyſicè, & ex natura rei cum inhabilitate ad credendum fide Divina: Ergò habitus fidei opponitur ex natura rei cum hæreſi non retractata.

30. Reſpondet Lugo, quod poſſet hæreticus retinere habitum fidei, quin propterea ex illo diceretur, aut conſtitueretur Fidelis. Et id probat, quia hæreticus, qui acquiſivit habitum infidelitatis, ſi convertatur ad fidem, non ſtatim ammittit habitum illum acquiſitum, quia non poteſt ſolo vno actu deſtrui habitus, qui pluribus actibus acquiſitus eſt: Et tamen per habitum illum infidelitatis remanentem non conſtituitur infidelis ſimpliciter: Ergò quamvis in hæretico remaneat habitus fidei, non propterea conſtituetur tali habitu Fidelis ſimpliciter. Sed contra eſt, quia quamvis in converſo ad fidem maneret habitus acquiſitus infidelitatis in eſſe qualitatis, non tamen in eſſe vitij infidelitatis, quia de ratione vitij vt talis eſt quod ſit voluntarium, non autem maneret in eſſe voluntarij, quia per converſionem redderetur involuntarius habitus ille acquiſitus, & ſic amitteret rationem vitij, & ideò nihil mirum, quod non conſtitueret habentem ſimpliciter infidelem, quia infidelis vt talis ſolum conſtituitur per habitum infidelitatis vt vitioſum, & vt voluntarium, ſeù per voluntariam averſionem à fide: Sed hæc ratio non teneret in habitu fidei, ſi remaneret in hæretico, quia remanere nequit in illo niſi in ratione virtutis, & in ratione virtutis habet conſtituere ſubiectum Fidelem: Ergò.

31. Sed dices, cur habitus acquiſitus manere poteſt in ratione qualitatis, quin maneat in ratione vitij, aut virtutis; & non poterit ſimiliter habitus infuſus fidei manere in eſſe qualitatis, quin maneat in ratione virtutis? Reſpondeo, eſſe claram diſparitatem, quia habitus infuſus fidei ex propria, & eſſentiali ratione eſt donum gratuitum, & ſupernaturale Dei per ſe primò collatum ad habilitandum intellectum, & illum rectificandum in ordine ad credendum primę veritati; vndè de illius ratio-

men inter hæreſim, & habitum fidei. Tertiò, quia diſſenſus hæreticalis phyſicè conſideratus in nullo differt ab errore contra fidem inadvertenter, aut ex ignorantia propoſitionis Eccleſię contracto: Sed hic error non dicit repugnantiam cum habitu fidei: Ergò nec diſſenſus hæreticalis phyſicè conſideratus.

35. Reſpondeo enim facilè, ad primum, eſſe multiplex caput repugnantię, nempè, quia in hæretico deficit ratio formalis, à qua ſpecificetur habitus fidei, qua deficiente, repugnat phyſicè habitus fidei. Secundò, quia habitus fidei ex natura ſua habet conſtituere ſubiectum habitualiter fidelem; & repugnat phyſicè hæreticum habitualiter eſſe fidelem. Tertiò, quia habitus fidei, cum ſit donum gratuitum datum ad conſtituendum hominem rectè ſe habentem circa primam veritatem, ſeù quod idem eſt, habitualiter fidelem, repugnat, ſaltèm phyſicè, exiſtere in ſubiecto contra voluntatem ſubiecti, quia repugnat aliquem eſſe fidelem, & rectè, ac virtuosè diſpoſitum erga primam veritatem, contra ſuam poſitivam voluntatem: Sed hæreticus per hæreſim repugnat voluntariè fidei: Ergò repugnat phyſicè ipſum retinere ſimùl habitum fidei. Demum, quia habitus fidei eſſentialiter eſt virtus theologica fidei; repugnat autem ex natura rei hæreticum retinere virtutem theologicam fidei, nam illam voluntariè reſpuit, & virtus in eſſe virtutis non poteſt eſſe poſitivè involuntaria. Eſt ergò multiplex caput repugnantię.

36. Ad ſecundam, nego maiorem, quia habitus fidei ex ſua ratione formali plùs habet, quam ſolum auxilium ſufficiens ad credendum; hoc autem aliud non eſt, quam rectificare intellectum habitualiter cum voluntarietate habituali in ordine ad primam veritatem, ſeù conſtituere hominem habitualiter voluntariè fidelem, proptereà enim habitum fidei ſemper comitatur habitus pię affectionis in voluntate, vt exactus ex natura rei ab ipſo: Licèt autem benè cohæreat aliquem eſſe hæreticum, & ſimùl eſſe potentem proximè credere per auxilium ſufficiens, non tamen per habitum fidei, quia alias non ſolum eſſet ſimùl potens credere, ſed habitualiter fidelis, & rectè ſe habens habitualiter voluntariè circa primam veritatem, quod apertè repugnat ſimùl cum hæreſi. Ad tertiam, nego maiorem, quia error contra fidem materialis, ſeù involuntarius, ſeù qui ex ignorantia procedit, non aufert, quod intellectus maneat ſubiectus rationi formali fidei, & captivus in obſequium fidei, quia ſimul cum illo comparitur promptitudo Animi ad credendum illud ipſum, quod per talem errorem diſcredit, dummodo conſtet illud proponi ab Eccleſia, vt revelatum; attamen per diſſenſum hæreticalem tollitur hæc promptitudo Animi, quia talis diſſenſus importat voluntariam averſionem ab Eccleſia vt regula fidei, & hoc non ſolum moraliter, ſed phyſicè, & eſſentialiter, ſi conſideratur in eſſe diſſenſus hæreticalis. Etquidem hoc argumentum probat, nec fidem actualem repugnare cum diſſenſu hæreticali, quia nõ repugnat cum errore materiali circa alium Articulum.

37. Quartò argues: Poſſet Deus, ſaltèm divinitus, hæretico infundere habitum fidei, quis enim hoc neget Omnipotentię Dei? Sed tunc caſus illum non conſtitueret Fidelem: Ergò non eſt de eſſentia habitus fidei conſtituere Fidelem: Ergò ex natura rei compati poteſt in non fideli, ſeù in hæretico. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem: Poteſt Deus divinitus infundere hæretico actualiter pertinaci habitum fidei, nego maiorem: Actualiter non pertinaci, nec contranitenti, ſub diſtingno, relinquendo illum hæreticum habitualiter, nego; Transferendo ipſum de ſtatu habitualis hæreſis ad ſtatum fidelis, tranſeat maior, & nego minorem, quia ſicut Deus poteſt infundere gratiam habitualem, non quidem homini actualiter peccanti mortaliter, nec habitualiter exiſtenti in ſtatu peccati, relinquendo ipſum in ſtatu peccati, ſed ſolum ipſi non reſiſtenti, transferendo ipſum de ſtatu averſionis habitualis à Deo ad ſtatum habitualiter converſi, ita ſimiliter poteſt infundere hæretico habitum fidei, & non aliter. Et hoc patet in parvulis baptizatis, quibus infundit Deus, tùm habitum gratię, & charitatis, quo transfert illos de ſtatu averſionis ad ſtatum converſionis habitualis ad Deum, tùm habitum fidei, quo illos reddit verè fideles, & caſu quo Peccatum Originale eſſet peccatum in fidelitatis, ſeù hæreſis, transferret illos de ſtatu infidelitatis ad ſtatum fidelitatis. In adultis autem, ſi admittatur, quod Deus poſsit peccatorem iuſtificare ſine motu actuali liberi arbitrij, dùmmodo actualiter non reſiſtat per actuale peccatum, v. g. homini dormienti infundendo gratiam, eadem probabilitate admitti poterit, quod poſſit hæreticum non renitentem actualiter, v. g. dormientem, reddere habitualiter fidelem infundendo illi habitum fidei.

38. Quintò argues: Quia non repugnat virtus infuſa veracitatis cum vitio mendacij, ſtat enim hominem eſſe mendacem, & eſſe in gratia, quia mendacium nec actuale, nec habituale eſt peccatum mortale, & ſic compati poteſt cum gratia, cum ergò gratiam comitentur omnes virtutes infuſę, in illo erit virtus

 in-

infuſa veracitatis cum mendacio : Ergò pariter poterit compati virtus infuſa fidei cum hæreſi, ſaltèm loquendo ex natura rei. Reſpondeo, negando maiorem, quia licèt verum ſit, quod gratiam comitentur omnes virtutes infuſę, quibus homo non reſiſtit, non tamen illę, quibus homo reſiſtit, vndè in eo, qui laborat vitio mendacij non retractato, minimè infunditur, nec datur virtus infuſa veracitatis, licèt ille ſit in gratia, quia illi obicem ponit. Vndè ſi quis, dùm retractat per pœnitẽtiam peccata mortalia, non retractaret animum, ſeù animi promptitudinem ad mentiendum, licèt illi infunderetur gratia, non tamen virtus oppoſita illi vitio, quia virtutes infuſę repugnant contra voluntatem habentis infundi.

39. Ex quo denique infero, ſatis probabiliter defendi poſſe, repugnare etiam divinitus habitum fidei ſimùl cohærere cum hæreſi tam actuali, quam habituali, & conſequenter in hæretico permanente hæretico. Quod eiſdem rationibus probari poteſt, ac talis repugnantia probatur inter peccatum mortale, & habitum gratię, & charitatis.

QUÆSTIO XV.

VTRUM IN DOEMONIBUS, & damnatis reperiatur fides?

1. SENSERUNT aliqui, Dœmones, & damnatos retinere eamdem fidem infuſam, quam habuerunt in via, licèt informem ex defectu charitatis. Quam ſententiam probant primò ex illo Iacob. *cap. 2. Dæmones credunt, & contremiſcunt.* Vbi Div. Auguſt. comparat fidem Chriſtianorũ malè viventium fidei Dœmonũ: Sed fides Chriſtianorũ malè viuẽtiũ eſt fides infuſa, licèt informis: Ergò pariter fides Dœmonum. Vndè illam ſic appellat Div. Auguſt. ſæpiſſimè. Confirmant ex Div. Thom. qui in *Epiſtol. 1. ad Corinth. cap. 3. Lect.* 3. ad illa verba: *Spiritus Dei habitat in vobis*; ait: *Non habitat Chriſtus in nobis per fidem informem, alioquin habitaret etiam in Dæmonibus.* Sed hæc conſequentia nulla eſſet, ſi in Dœmonibus non daretur fides informis: Ergò. Confirmant ſecundò ex eodem *in præſenti, quæſt. 18. artic. 3. ad 2.* Vbi admittit in Dœmonibus fidem informem, & negat ſpem; quia fides eſt rerum malarum, & bonarum, præteritarum, præſentium, & futurarum: Spes verò non niſi bonarum futurarum ad ſe pertinentium: Ergò admittit fidem informem in Dœmonibus.

2. Confirmant tertiò: Quia fides theologica non corrumpitur, niſi per infidelitatem ipſi contrariam; ſed peccatum Dœmonum, aut damnatorum non fuit in omnibus peccatum infidelitatis: Ergò ſaltèm in illis, qui ita non peccaverunt, dabitur fides infuſa, licèt informis. Quartò: Quia fides theologia, maximè conducit ad tormentum Dœmonum, vt per illam cognoſcant beatitudinem, quam amiſſerunt: Ergò debet in illis admitti. Quintò: Quia fideles damnati debent habere aliquod ſignum, quo diſtinguantur ab infidelibus damnatis: Sed hoc nequit eſſe in omnibus character Baptiſmi, quia aliqui habuerunt fidem, & non fuerunt baptizati: Ergò. Veruntamen hæc ſententia communiter diſplicet. Vndè.

3. Dico primò. *In Dæmonibus, nec in damnatis, non datur fides theologica, nec actualis, nec habitualis.* Probatur: Quia actus fidei theologicę dependet eſſentialiter à pia voluntaris affectione ſupernaturali, ita vt non poſſit imperari ex affectu purè naturali, vt ſuprà oſtendimus, *quæſt.* 11. Sed in damnatis nequit dari pia affectio ſupernaturalis, ſiquidem ſunt obſtinati in malo, & omninò averſi à Deo: Ergò in ipſis non poteſt dari actus fidei theologicę. Tunc ſic, ſed vbi repugnat actus, non datur habitus: Ergò in damnatis non datur habitus. Confirmatur: Actus fidei theologicę, ex eſſentia ſua, eſt laudabilis, quia ex eſſentia ſua habet captivare intellectum in obſequium divinę authoritatis: Sed in Dœmonibus non poteſt eſſe actus laudabilis; quia vt inquit Div. Thom. *1. part. quæſt. 64. artic. 2. ad 5. Actus Dæmonis ex voluntate deliberata procedens, ſemper eſt malus, quia etſi aliquod bonum faciat, non tamen benè facit, ſicut dùm veritatem dicit, vt decipiat, & dùm voluntariè credit, & confitetur, ſed rerum evidentia coactus*: Ergò repugnat in Dœmonibus actus fidei theologicę.

4. Confirmatur ſecundò: Quia fides theologica exigit, ex natura rei ſaltèm, diſpoſitionem contrariam ſtatui damnatorum: Ergò repugnat, ſaltèm ex natura rei, in damnatis, & conſequenter in illis non datur. Probatur antecedens: Quia fides theologica ex natura rei exigit ex parte ſubiecti, quod ſit in via, ſeù in aptitudine ad videndas res, quas credit, ſeù ad poſſeſſionem beatitudinis: Sed hæc diſpoſitio repugnat cum ſtatu damnatorum: Ergò. Probo maiorem ex illo Apoſto. ad Hebræos 11. *Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum.* Et ex illo Petri 1. cap. 1. *Reportantes finem fidei*

dei veſtræ ſalutem animarum veſtrarum. Et ex illo Apoſt. 1 *ad Carinth.* 5. illis verbis : *Per fidem ambulamus.* Ex quibus apertè conſtat fidem eſſe quaſi fundamentum, initium, & viam ad ſalutem ſperandam, & aſſequendam : Sed eo ipſo exigit ex parte ſubiecti diſpoſitionem viatoris : Ergò.

5. Ad obiecta autem in contra, facilè reſpondetur. Ad primum quidem, quod illud Iacobi : *Dæmones credunt, & contremiſcunt*, non poteſt intelligi de fide verè theologica, & infuſa, cuius tantum eſt credere ex pio affectu voluntatis, ſed ſolum de fide coacta ex evidentia ſignorum infrà explicanda, quę minimè eſt fides theologica eiuſdem rationis cum fide informi Chriſtianorum malè viventium. Nec obſtat, quod Auguſt. vnam alteri comparet, quia ſolum illam comparat in eo, quod vtraque eſt ſine operibus, & ſine charitate, inſufficienſque ad ſalutem; non autem in eo, quod vtraque ſit fides theologica, & infuſa, virtuoſa, & laudabilis.

6. Ad primam confirmationem, dico, conſequentiam illam Div. Thom. fieri vnicè ex titulo fidei informis, & ſic rectè inferre, quod ſi quælibet fides informis ſufficeret vt Chriſtus habitaret in nobis, etiam habitaret in Dæmonibus, cum quo componitur, quod fides informis Dæmonum ſit alterius rationis, & longè diverſa à noſtra. Ad ſecundam eodem modo reſpondeo, Div. Thom. admittere ibi fidem informem in Dæmonibus, ſed non verè theologicam, & eiuſdem rationis cum noſtra; in quo ſenſu meritò negat ſpèm in ipſis; quia nulla ſpès poteſt admitti, vbi bonum ſperandum iam eſt impoſsibile, aut etiò non futurum, licèt admittatur aliqua fides, quę poteſt eſſe de re minimè futura.

7. Ad tertiam, nego minorem; quia cum fides theologica, vel eſſentialiter, vel ex natura rei importet bonam diſpoſitionem voluntatis, vi cuius ſit piè affectu erga bona ſupernaturalia, ſatis eſt ad deſtruendam fidem diſpoſitio contraria, vi cuius voluntas ſit impiè averſa à bonis ſupernaturalibus, & à rebus credendis, itaque diſpoſita, vt ea non crederet, niſi ex evidentia ſignorum cogeretur; hanc autem diſpoſitionem contrariam habent Dæmones, & damnati, vndè per illam poſitivè excluditur in illis fides verè theologica, & infuſa, quę eſſentialiter importat voluntariam ſubiectionem, & captivitatem intellectus in obſequium Chriſti. Ad quartam dico, quod ſine fide theologica Dæmones poſſunt habere cognitionem beatitudinis amiſſę ſufficientem ad eorum torturam, nempè, quę ſit fides coacta ex evidentia ſignorum, vi cuius convincantur ad cognoſcendum ſe culpabiliter amiſiſſe beatitudinem ſupernaturalem, indeque torqueantur quam maximè, & hic ſit vermis conſcientię in illis.

8. Ad quintam dico, quod ſignum diſtinctivum Chriſtianorum ab infidelibus in inferno per ſe primo eſt character Baptiſmi; in illis verò, qui non fuerunt baptizati, ſufficiens diſtinctio datur per privationem fidei amiſſę, & per peccatum habituale commiſſum contra dictamen fidei, quod connotat fidem in via habitam; aut ſaltèm per memoriam fidei antecedenter habitę.

9. Nihilominus non levis reſtat difficultas in explicando, qualis ſit fides illa Dæmonum, qua credunt, & contremiſcunt, nam licèt communiter AA. cenſeant, illam non eſſe veram virtutem theologicam, diſsident tamen; nam P. Vicent. Ferre. *in præſenti*, *quæſt.* 8. §. 3. inquit, illam eſſe fidem infuſam ſupernaturalem purè inclinantem in verum, & nullatenus in bonum, hoc eſt, ad res credendas ſub ratione veri, non autem ad illas credendas ſub ratione boni. Quam ſententiam probat primò ex Div. Thom. 1. *part. quæſt.* 64. *artic.* 1. vbi ſic ait : *Dicendum, quod duplex eſt cognitio veritatis, vna, quę habetur per gratiam, & alia, quę habetur per naturam; & iſta, quę habetur per gratiam eſt duplex; vna, quę eſt ſpeculativa tantum, ſicut cum alicui aliqua ſecreta divinorum revelantur. Alia verò, quę eſt affectiva producens amorem Dei, & hæc propriè pertinet ad donum ſapientię. Harum autem trium cognitionem, prima in Dæmonibus non eſt ablata, nec diminuta : : : Secunda autem, quę eſt per gratiam in ſpeculatione conſiſtens, non eſt eis totaliter ablata, ſed diminuta, quia de huiuſmodi ſecretis divinis tantum revelatur eis, quantum oportet, vel mediantibus Angelis, vel per aliqua temporalia divinę virtutis effecta, vt dicit Auguſt.* 9. *de Civit. Dei* : *Non autem ſicut ipſis Sanctis Angelis, quibus plura, & clarius revelantur in ipſo verba. A tertia verò cognitione ſunt taliter privati, ſicut, & à charitate.* Tunc ſic, ſed cognitio, quę eſt per gratiam in ſpeculatione conſiſtens de ſecretis divinis, quę ipſi Dæmoni revelantur, neceſſario eſt fides ſupernaturalis, & infuſa, licèt non affectiva, nec inclinans in bonum, ſpeculativa tamen, & inclinans in verum : Ergò. Confirmatur, quia idem Div. Thom. 1. *part. quæſt.* 109. *artic.* 4. *ad* 1. inquit : Sanctos Angelos plura de divinis Myſterijs Dæmonibus revelare vt aliqua exequantur, vel ad punitionem malorum, vel ad exercitium bonorum : Sed his revelationibus credere non poſſunt, niſi per fidem infuſam, & ſupernaturalem, quia qua parte aſſentiuntur rebus

bus non viſis, aſſentiuntur per fidem, & qua parte aſſentiuntur propter teſtimonium Dei intimati per Angelos, non poteſt eſſe niſi fides divina, & ſupernaturalis: Ergò.

10. Sed hanc ſententiam impugnant, & merito SS. PP. Salmant. Primò ex SS. PP. qui nullum lumen ſupernaturale gratię admittunt in Dœmonibus, & damnatis. Nam Div. Ignatius *Epiſtol. 8. ad Philip.* inquit: *Quod Dæmon ignorantia oppletus eſt, propter voluntariam dementiam.* Anaſtaſius Synaita *lib. 4. Examer.* ait: *Dæmones in Abyſum miſſos expertes eſſe Cœleſtis luminis, & illuminationis.* Div. Bernard. *Epiſtol. 77. circa finem*, ait: *Reprobos deſtitutos eſſe participatione gratię ſpiritualis, non tamen vivacitate induſtrię naturalis.* Div. Damaſcenus *lib. 2. de fide cap. 4.* ſic ait: *Dæmon lux à Creatore Conditus, bonuſque pro creatus, libera voluntate caligo factus eſt.* Dœmumque Div. Thom. *in præſent. artic. 2. ad 2.* ait: *Fides, quæ eſt in Dæmonibus, non eſt donum gratiæ, ſed magis coguntur ad credendum ex perſpicacitate naturalis intellectus*: Ex quibus conſtat, quod PP. nullum aliud lumen recognoſcunt in Dœmonibus, & damnatis, niſi lumen naturalis Intellectus: Ergò negant omnem fidem ſupernaturalem, & infuſam, quę quocumque modo explicetur, eſt ſuprà lumen naturale intellectus.

11. Secundò impugnant, quia fides illa ſupernaturalis, ſi daretur, eſſet fides verè theologica, ſiquidem per illam crederent Deum vt Authorem ſupernaturalem, & in eo credendo niterentur divino teſtimonio; & nihil amplius requiritur ad rationem fidei theologicę: Sed nec ipſe M. Ferre admittit in Dœmonibus fidem verè theologicam: Ergò in conſequenter admittit fidem ſupernaturalem, & infuſam.

12. Nec ſufficit reſpondere cum præcitato M. fidem Dœmonum non eſſe fidem verè theologicam, quia non eſt affectiva inclinans in actum verè laudabilem, ſed ſolum ſpeculativa ex voluntate coacta aſſentiens propter multitudinem ſignorum, & non ex pio affectu voluntatis. Contra enim eſt, quia fides non dicitur theologica ex pia affectione voluntatis, ſed ſolum ex eo quod habeat pro obiecto terminativo Deum, & pro motivo ipſius teſtimonium; ſed quantumvis ſit ſolum ſpeculativa, & non affectiva, non vitatur, quod habeat pro obiecto terminativo Deum, & pro motivo ipſius teſtimonium: Ergò nec quod ſit fides theologica. Si autem dicas, hoc ſufficere quidem vt ſit fides theologica, ſed non vt ſit virtus theologica, quia de ratione fidei in eſſe virtutis, eſt quod moveatur ex pio affectu voluntatis, & quod tendat, non ſolum in verum, ſed etiam in bonum. Contra eſt, quia eo ipſo, quod ſit fides ſupernaturalis non poteſt credere niſi ex pio affectu voluntatis: Ergò non ſolum erit fides theologica, ſed theologica virtus. Probo antecedens, nam ſi eſt fides, credere nequit niſi ex affectu, & imperio voluntatis; aliundè ſi eſt ſupernaturalis, credere nequit ex affectu, & imperio pravo, aut purè naturali, vt ſupra oſtenſum manet, *quæſt.* 11. ſed vnicè ex affectu ſupernaturali, & bono: Ergò. Ex quo ſequitur, fidem Dœmonum, ſi eſt propriè fides, ſolum poſſe eſſe naturalem, quia ſolum poteſt credere ex affectu purè naturali, aut pravo voluntatis eorum, ſiquidem eorum voluntas, vtpotè confirmata in malo, nequit habere affectum ſupernaturalem pium, & bonum, ſed ſolum affectum pravum, & purè naturalem, quo velit credere, vnicè ne patiatur tormentum, aut violentiam in ſuſpenſione iudicij, paratus non credere, ſi poſſet abſque ſui moleſtia: Sed fides credens ex affectu pravo ſolum eſt fides acquiſita, & naturalis, vt ſupra oſtenſum manet: Non ergò fides Dœmonum poteſt eſſe ſupernaturalis, & infuſa.

13. Nec fundamentum M. Ferre ſufficit ad oppoſitum ſuadendum, N. Div. Thom. explicari debet, non de cognitione ſupernaturali ſubiectivè, & formaliter tali, ſed ſolum de cognitione ſupernaturali obiectivè, & materialiter tali, hoc eſt, de cognitione rerum ſupernaturalium, quę in ſe non ſit ſupernaturalis. Nec obſtat, quod illam appellat, cognitio per gratiam, dicens: *Cognitio, quæ eſt per gratiam, non eſt in illis totaliter ablata, ſed imminuta*, quia ſenſus debet eſſe, quod cognitio illorum, quę in via per gratiam fidei cognoſcebant, non eſt totaliter ablata, quantum ad obiecta cognita, ſeù terminativè ſumpta, quia eorum ſecretorum, quę anteà per gratiam cognoſcebant, aliqua etiam poſt damnationem cognoſcunt, & aliqua eis per Sanctos Angelos revelantur, non tamen ita quod cognitio illorum ſecretorum poſteà ſit per gratiam eis factam, quia hoc apertè negat ipſe Div. Thom. dicens: *Fides, quæ eſt in Dæmonibus, non eſt donum gratiæ, ſed magis coguntur ad credendum ex perſpicacitate naturalis intellectus.* Ex quo ad confirmationem concedo, quod per Sanctos Angelos aliqua ſecreta ſupernaturalia revelantur Dœmonibus, vel ad punitionem malorum, vel ad exercitium bonorum, nego tantum, quod ea ſecreta Dœmones cognoſcant fide ſupernaturali ſubiectivè, & formaliter tali, quia ad hoc non ſufficit, quod obiectum cognitum ſit ſupernaturale, ſed

requiritur, quod credant ex affectu, & motivo ſupernaturali.

14. Sed contra hanc ſolutionem eſt non levis difficultas: Quia vt fides ſit ſupernaturalis, ſatis eſt, quod credat quid ſupernaturale, & ex motivo ſupernaturali: Sed Dæmones credentes illa ſecreta credunt ex motivo ſupernaturali, nempè propter teſtimonium infallibile Dei, & credunt aliquid ſupernaturale: Ergò credunt fide ſubiectivè, & formaliter ſupernaturali. Vrgetur: Quia ſecreta ſupernaturalia cognoſci nequeunt cum certitudine, & infallibilitate ex motivo formali purè naturali, quia nihil naturale, vt naturale, poteſt inferre certò, & infallibiliter aliquid ſupernaturale: Sed Dæmones cognoſcunt illa ſecreta ſupernaturalia, quę ipſis revelantur, certò, & infallibiliter, quia in ipſis non eſt opinio: Ergò ea cognoſcunt ex motivo ſupernaturali vt tali, nempè ex divino teſtimonio.

15. Inquiunt PP. Salmant. *num.* 25. *Nō repugnare fidem entitativè naturalem, quæ innitatur divino teſtimonio, & indè reddatur infallibilis*, ac proindè ex eo quod Dæmones credant propter divinum teſtimonium tanquam proprer motivum formale, non ſequi, quod eorum fides ſit ſupernaturalis. Sed hæc ſolutio ſubſiſtere nequit, tùm quia eſt contra ipſos, qui immediatè anteà, dixerant: *Nec lumen debet eſſe ſupernaturale ex eo tantum, quod obiectum ſupernaturale attingat; ſed tunc, & vbi exercitè innititur ſupernaturali motivo*: Sed caſu quo fides Dæmonum innitatur divino teſtimonio, & indè reddatur infallibilis, exercitè innititur ſupernaturali motivo: Ergò erit fides ſupernaturalis, ſeù lumen ſupernaturale. Probo minorem, quia teſtimonium divinum eſt motivum ſupernaturale, & non infallibilizat cognitionem, niſi cognitio exercitè eo innitatur, nam ſolum ſignatè cognitum poteſt cognoſci fallibiliter, & opinativè, vt cognoſcitur ab hæretico, qui minimè cognoſcit Myſteria ſupernaturalia, aut revelationem illorum cum certitudine infallibili, ſed ſolum opinativè, aut fide intrinſecè fallibili, quia exercitè non nititur divino teſtimonio, ſed ſolum ſignatè iudicat de illo, exercitè motus ex privatis motivis: Ergò caſu, quo fides Dæmonum innitatur divino teſtimonio, & ex illo reddatur infallibilis, exercitè innititur ſupernaturali motivo, & erit ſupernaturalis entitativè. Tùm, quia falſum eſt, quod detur, aut non repugnet fides naturalis infallibilis, quę innitatur divino teſtimonio, quia aliàs, poſſet dari fides naturalis, ſeù acquiſita infallibilis innixa eodem motivo fidei infuſę, nempè, divino teſtimonio; cuius oppoſitum ſatis efficaciter moſtratum manet, *quæſt.* 5. per totam: Ergò. Tùm denique, quia vt cognitio ſecretorum ſupernaturalium ſit infallibilis ex divino teſtimonio, debet inniti divino teſtimonio vt exercitè connexo infallibiliter cum ſecretis ſupernaturalibus: Sed teſtimonium divinum vt exercitè infallibiliter connexum cum ſecretis ſupernaturalibus non eſt motivum exercitè naturale, quia motivum exercitè naturale non poteſt exercitè importare poſitivam, & infallibilem connexionem cum re ſupernaturali; ſed eſt motivum exercitè ſupernaturale: Ergò nequit cognitio Dæmonis de ſecretis ſupernaturalibus inniti re ipſa divino teſtimonio cum infallibilitate, quin ſit ſupernaturalis.

16. Aliter ergò reſpondeò, conceſſa maiori, negando minorem, ſiquidem Dæmones re ipſa non moventur ad credendum ex divino teſtimonio in ſe ipſo, ſed ex multitudine, & evidentia ſignorum, ex qua coguntur credere Deum eſſe Authorem talium ſignorum, & ipſum ea ſecreta, ſeù Myſteria teſtificari, quę quidem cognitio ex vi ſui motivi non eſt poſitivè infallibilis, ſed ad ſummum negativè certa, certitudine morali tantum, ea nempè certitudine, qua ſuprà oſtendimus poſſe cognoſci Myſteria fidei per lumen naturale ex motivis credibilitatis evidenter cognitis lumine naturali.

17. Dicendum igitur eſt: *Quod fides Dæmonum, ſeù damnatorum eſt naturalis, & acquiſita, non ſpontanea ex pio affectu erga Deum, aut erga res credendas, ſed coacta, quatenus ſuppoſita evidentia ſignorum, eligunt magis credere, quam ſuſpendere iudicium, ne patiantur ingentem violentiam in ſuſpenſione iudicij.* Colligitur ex Div. Thom. *quæſt.* 14. *de veritate artic.* 9. *ad* 4. vbi ſic ait: *Credere dicitur æquivocè de Dæmonibus, & Fidelibus, quia credere Dæmonum eſt fidei acquiſitæ, ad quam ſufficit voluntas electiva actus credendi, quia non vult manere ſuſpenſus, ſed non dilectiva obiecti propoſiti.* Vndè 1. *part. quæſt.* 64. *artic.* 2. *ad* 3. *&* 3. *part. quæſt.* 76. *artic.* 3. *& in præſent. quæſt.* 5. *artic.* 2. excludit à fide Dæmonum voluntarium ſimpliciter, non tamen voluntarium ex metu, ſeù quaſi coactum: Ergò ex mente Div. Thom. fides Dæmonum eſt acquiſita, non ſpontanea ex pio affectu, ſed coacta, & ex metu.

18. Si autem inquiras, quid ſit iſte metus, qui ita cogit Dæmones ad credendum? Reſpondet Ioann. à S. Thom. cuius eſt interrogatio, *in præſent. diſput.* 3. *artic.* 1. *in ſol. arg.* Quod Dæmones ex vna parte vident tantam vehementiam ſignorum, quibus comprobatur noſtra fides, præſertim, quia clarè experiuntur

tur multos damnari in inferno ob negatam fidem, & multos ſalvari ob confeſsionem illius, ipſi autem nolunt fidem ita confirmari, ſed potius illam abominantur. Ex alia verò parte non poſſunt illi diſſentire propter tantam comprobationem ſignorum, quarè coguntur, vel ſuſpendere actum omninò, vel fidem confiteri: Suſpendere autem omnem actum eſt maximè violentum naturę, vndè ne incurrant ſuſpenſionem, & ob metum huius violentię, eligunt magis credere. Ita, & rectè, præfatus Author explicat fidem Dœmonum, cui proindè libentur ſubſcribo.

19. Veruntamen adhùc reſtat difficultas, in aſsignando motivo talis fidei coactę ex parte intellectus, & ao talis fides ſit ex ſuo motivo intrinſecè infallibilis, nam licèt ex parte voluntatis moveatur ex metu talis violentię, ſeù ex propria convenientia in vitanda illa moleſtia, & violentia, nihilominus ex parte intellectus non videtur facilè explicabile, quo motivo innitatur talis fides, quia in primis non poteſt inniti motivo ſupernaturali, cum ſit fides acquiſita, & naturalis; deindè nec motivo naturali, quia motivum naturale nullam connexionem poteſt habere cum obiecto ſupernaturali credito. Item, nec poteſt inniti immediatè divino teſtimonio vt in ſe ipſo, tunc quia hoc pacto eſt motivum ſupernaturale, tùm quia alias eſſet fides vnivocè cum noſtra, & non tantum ęquivocè, vt ait Div. Thom. ſiquidem inniteretur eodem formali motivo. Deindè nec poteſt inniti, aut moveri ex evidentia ſignorum, quia vel movetur ex evidentia ſignorum ſecundum quod ea ſigna important exterius, & viſibiliter, ſeù ſecundum quod evidenter videntur lumine naturali, & hoc pacto ſunt quid cognoſcibiliter naturala, & non poſſunt dicere connexionem cum obiectis ſupernaturalibus, nec movere ad fidem illorum; vel movetur ex illis ſignis ſecundum quod ſunt effectus intrinſecè, & re ipſa ſupernaturales, & nec hoc poteſt dici, quia hoc pacto talia ſigna non ſunt evidentia Dœmonibus vi ſolius luminis naturalis, quia vi ſolius luminis naturalis nequit Angelus evidenter cognoſcere aliquid ſupernaturale vt tale: Ex quo igitur motivo moventur Dœmones ad credenda ſecreta ſupernaturalia?

20. Reſpondeo ex doctrina ſuprà ſæpè repetita, quod moventur ex illis ſignis ſecundum externam, & viſibilem immutationem quam evidenter vident per lumen naturale, non viſa cauſa occulta illius, nam ex hoc precisè ſigna illa reſpectu ipſorum ſunt maximè mirabilia, ſiquidem cauſant in ipſis ingentem admirationem, nam cum ex perſpicatia intellectus eorum penetrent omnes cauſas effectuum naturalium, in hiſque cauſis penetrandis ſint perſpicaciſsimi, & aliàs videant evidenter illas immutationes ſignorum, nec prævißis, nec viſis illorum cauſis, ex hoc ipſo patiuntur magnam admirationem, & cum eorum intellectus ex vi ſuę perſpicatię ſit maximè propenſus ad philoſophandum, vt ita dicam, hoc eſt, ad dignoſcendas cauſas effectum viſorum, & non poſsint atribuere illos mirabiles effectus cauſis vllis naturalibus, nec velint ſuſpendere iudicium ob metum violentię, credunt Angelis, vel hominibus dicentibus Deum eſſe, qui talia ſigna ſupernaturaliter operatur in confirmationem illius doctrinę, non ex aliquo motivo poſitivè infallibiliter inferente, aut movente, ſed ex evidentia naturali ſignorum, non quidem poſitivè inferente Deū vt Authorē ſupernaturalem eſſe, qui talia ſigna patratùr, ſed ſolum negativè, quatenus non apparet alia cauſa, cui attribuantur, ſeù quia removetur recurſus ad alias cauſas, quo remoto, vel debent credere ea ſigna eſſe à Deo ſupernaturaliter per ea iuſtificante doctrinam, vel loquutionem hominis, vel Angeli, & illi aſſentire, vel pati violentiam in ſuſpenſione iudicij.

21. Ex quo ad difficultatem obiectam, dico, quod fides Dœmonum innititur motivo, quod in eſſe motivi reſpectu ipſorum, nec eſt poſitivè purè naturale, nec poſitivè ſupernaturale, ſed negativè ſupernaturale, quia ſigna illa mirabilia ſecundum quod ab illis cognoſcuntur, non viſa, nec penetrata cauſa, ſunt quid negativè ſupernaturale, hoc eſt, ex parte cauſę ſubterfugiens perſpicatiam ſui luminis naturalis, vtpotè cuius naturā, & originē non penetrant: Ex hoc autem motivo benè poſſunt credere fide acquiſita, & purè naturali, quia ita moveri, & credere non ſuperat vires ſolius luminis naturalis. Nec obeſt, quod prædictum motivum purè negativè ſupernaturale nullam poſitivam connexionem habeat cum obiecto credito ſupernaturali, quia ſatis eſt, quod habeat connexionem negativam, quę conſiſtit, in eo, quod ex illo non poſsit fieri recurſus ad aliam cauſam naturalem, nam hoc ſuppoſito, intellectus Angeli, ne ſit ſuſpenſus, recurrit ad cauſam ſupernaturalem, & credit.

22. Item fateor, quod illa fides nequit inniti divino teſtimonio immediatè in ſe ipſo, quia Dœmon non habet lumen vi, cuius videre poſsit, nec ſuaſivè apprehendere divinum teſtimonium vt verum immediatè in ſe ipſo, vt ex illo ſic moveatur; movetur tamen ex di-

divino teſtimonio vt negativè à ſe illato ex evidentia ſignorum; & cum illa illatio ſit naturalis, & acquiſita, ſub hac conſideratione divinum teſtimonium non eſt motivum poſitivè ſupernaturale, ſed naturale, vel ad ſummum negativè tantum ſupernaturale, ſicut ſigna ipſa prout ab ipſo cognita. Ex quo patet ad reliquum difficultatis, quia iam explicavimus, quomodo movetur Dæmon ex evidentia ſignorum, nempè ex evidentia illorum ſecundum externam, & viſibilem apparientiam ignorata cauſa, quo pacto ſigna illa ſunt negativè ſupernaturalia, & negativè movent vt recurrat ad cauſam ſupernaturalem, & credat, non autem movetur ex evidentia ſignorum quoad ſupernaturalitatē poſitivam ipſorum, quia hæc illis evidens eſſe nequit ſecundum lumen naturalis intellectus. Circa certitudinem verò talis cognitionis, dicendum cenſeo illam non eſſe intrinſecè, & poſitivè certam, & infallibilem omninò, quia ad ſummum poteſt fundari illa certitudo in eo, quod quando Angelo non apparet, nec manifeſtatur cauſa naturalis alicuis effectus ab ipſo viſi, cauſa illius effectus neceſſario eſt ſupernaturalis: Hoc autem principium non eſt omninò infallibile reſpectu Angeli, quia poteſt forſan divinitus occultari Angelo cauſa effectus, quamvis naturalis, & an occultetur, vel non, non poteſt evidenter ſciri ab Angelo, nec cum omnimoda infallibilitate, ſed ad ſummum cum certitudine morali admittente aliqualem formidinem ſalſitatis; poteſt autem dici illa Dæmonis cognitio extrinſecè infallibilis, ex eo, quod ſigna illa, vel effectus mirabiles, licèt ipſo non evidenter cognoſcente, ſunt re ipſa ſigna ſupernaturalia quibus re ipſa Deus teſtificatur Doctrinam, vel locutionem, cui credit, & infallibiliter omninò inferunt veritatem rei teſtificatę. Vidè ſuprà *diſput. 4. quæſt. 3. per tot. quæſt. 4. num. 16. & quæſt. 5. à num. 87.*

(∴)

QUÆSTIO XVI.

QUID DICENDUM SIT DE Angelis viatoribus, de Primo homine in ſtatu Innocentię, & de Animabus Purgatorij.

1. SUPPONENDUM eſt, vt detur locus quæſtioni, nec Angelos, nec primum hominē fuiſſe creatos in ſtatu Glorię, ſeù in beatitudine ſupernaturali viſionis clarę Dei, vt oſtendit Divus Thom. 1. *part. quæſt.* 62. *artic.* 1. & eſt communis PP. & Theologorum ſententia, nam ſi fuiſſent creati in beatitudine ſupernaturali viſionis clarę Dei, abſdubio non fuiſſet in illis fides, quia fides, vtpotè obſcura, incompatibilis eſt cum viſione clara ſui obiecti.

2. Hoc autem ſuppoſito, dico primò: *Angeli in via habuerunt fidem infuſam divinorum Myſteriorum*, ita Div. Thom. *in præſenti*, & communiter Theologi, & probatur, quia Angeli non fuerunt creati in Gloria, ſed in ſtatu illam promerendi, vel demerendi: Sed ad hunc ſtatum exigitur fides: Ergò habuerunt fidem. Probatur minor, quia iuxta Apoſt. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt*: Sed ſtatus promerendi Gloriam eſt ſtatus accedendi ad Deum: Ergò in illo exigitur fides, qua credatur quod eſt, & quod remunerator eſt. Secundò, quia ad promerendam Gloriam, & ęternam ſalutem requiritur invocare Deum: Sed Deus in ſtatu vię invocari nequit, niſi media fide, iuxta illud Apoſt. ad Rom. 10. *Omnis, qui invocaverit nomen Domini ſalvus erit, ſed quomodo invocabunt, in quam non crediderunt?* Ergò. Tertiò, quia Angeli fuerunt verè viatores ad beatitudinem ſupernaturalem: Sed ſtatus viatoris per fidem conſtituitur, iuxta illud Apoſt. 2. ad Corinth. 5. *Per fidem ambulamus*: Ergò habuerunt fidem.

3. Nec ſatisfacit Durandus, dicens, hæc & alia teſtimonia S. Script. ſolum intelligi debere de hominibus adultis in ſtatu naturę lapſę, ſiquidem ſolum ad illorum Doctrinam ſcripta ſunt. Contra enim eſt, quia licèt ex intentione Apoſtol. ſolum ad homines adultos in hoc ſtatu dirigantur ea teſtimonia, ex conſequenti tamen comprehendunt omnem Creaturam intellectualem creatam in ſtatu vię ad bea-

ti

ritudinem ſupernaturalem, nam proptereà edocent neceſſariam eſſe fidem hominibus adultis, quia ſine illa in ſtatu viæ non poſſunt placere Deo, nec accedere ad Deum, nec invocare Deum, nec ambulare ad Patriam: Sed hoc pari ratione probat in qualibet Creatura intellectuali creata in ſtatu viæ: Ergò.

4. Nec item ſatisfacies, dicendo, Angelos habuiſſe alterius generis cognitionem ſupernaturalem de Deo, & eius Myſterijs, ſufficientem vt per illam dirigerentur ad promerendum Deum, illum invocandum, & illi placendum. Sed contra eſt, quia talis cognitio purè voluntariè adſtruitur diſtincta à fide, & cum non ſui repugnantia. Nam vel ponitur cognitio intuitiva Dei, & Myſteriorum ſupernaturalium, vel abſtractiva? Intuitiva nequit eſſe, quia ad hanc ſupponuntur in ſtatu viæ. Abſtractiva, vel eſſet clara, vel obſcura. Si clara excogitari nequit, niſi per ſcientiam infuſam, hæc autem regulariter, & ſine ſpeciali Privilegio non convenit ſtatui viæ, quia eſt proprietas conſequens ſcientiam beatam. Si fuit obſcura, alia eſſe nequit niſi fides: Ergò purè voluntariè, & cum non levi repugnantia ponitur in Angelis pro ſtatu viæ notitia diſtincta à fide.

5. Dices forſan, cognitionem competentem Angelis in ſtatu viæ fuiſſe claram, ſed non per ſcientiam infuſam, ſed per evidentiam in atteſtante, quia cognoverunt evidenter Deum ſibi loqui, & ex hoc etiam evidenter cognoverunt ipſum Deum vt Authorem ſupernaturalem, & Myſteria ſibi revelata. Sed contra primò, quia hæc evidentia Myſteriorum ex vi divinæ atteſtationis evidentis, caſu quo daretur in Angelis, ad minus eſſet fides latè dicta, quia eſſet aſſenſus, quo aſſentirent, licèt neceſſario, & evidenter, Myſterijs revelatis propter infallibile Dei teſtimonium, & propter Dei infallibilem authoritatem in revelando: Ergò ſaltèm hoc pacto admittitur in Angelis viatoribus fides hoc pacto ſumpta, licèt non ſtricta, obſcura, libera, & meritoria, ſicut in hominibus viatoribus. Contra ſecundò: Quia illa evidentia in atteſtante purè voluntariè ponitur in Angelis, nam in primis illam habere non potuit vi luminis naturalis, alias vi luminis naturalis cognoviſſet evidenter Myſteria ſupernaturalia, quod nemo concedit: Ergò ſi illam habuiſſent, neceſſario fuiſſet per lumen gratuitum, v. g. per lumen propheticum: Sed hoc lumen purè voluntariè ponitur, & abſque vllo prorſus fundamento in omnibus Angelis, quia non eſt lumen naturaliter conſequutum ad gratiam ſanctificantem, alias daretur in omnibus iuſtis, nec alio titulo probari poteſt, quod omnibus Angelis competat: Ergò.

6. Ex quo patet ad fundamentum Durandi, ex eo quod fides eſt incompatibilis cum evidentia in atteſtante: Sed Angeli non potuerunt non habere evidentiam in atteſtante: Ergò caruerunt fide. Huic enim fundamento diverſimodè reſpondetur à Thomiſtis. PP. Salmant. negant maiorem, & inquiunt, Durandum egregiè exercere Thomiſtas illam concedentes, & propugnantes. Veruntamen, de hoc gloriari non poſſunt, quia æquè egregiè exercet, vel exercere poteſt ipſos, qui minorem negant, conceſſa maiori, vt videre eſt ſuprà *diſput. 4. quæſt. 5.* per totam. Vndè in primis reſponderi poteſt Durando, diſtinguendo maiorem: Fides ſtricta, nempè obſcura, libera, & meritoria, incompatibilis eſt cum evidentia in atteſtante, concedo: Fides latè dicta, evidenter, & neceſſario aſſentiens Myſterijs propter Dei teſtimonium evidenter cognitum, nego maiorem, & omiſſa minori, diſtinguatur conſequens, quia dato quod in Angelis fuiſſet evidentia adæquata in atteſtante, illa ſolùm excluderet fidem obſcuram, liberam, & meritoriam in ipſis, non verò fidem neceſſario, & evidenter extortam ex evidentia Dei loquentis, cui Angelus aſſentiret, licèt neceſſario, & evidenter, propter infallibilitatem evidentem divini teſtimonij evidenter cogniti; qui quidem aſſenſus poſſet dici non levi cum proprietate fides, & de hac poſſent intelligi in Angelo teſtimonia S. Script. Quod ſi dicas, hanc fidem potius pertinere ad lumen Propheticum, quem eſſe conſequutam ad gratiam. Reſpondeo, quod qui probant Angelum neceſſario habuiſſe evidentiam in atteſtante, hoc argumento vti non poſſunt, quia etiam evidentia in atteſtante magis pertinet ad lumen Propheticum, quam conſequatur ad iuſtificationem, & tamen in omnibus Angelis probant fuiſſe talem evidentiam: Ergò debent fateri fuiſſe etiam talem fidem, licèt pertinentem ad lumen Propheticum.

7. Deindè reſpondeo, & melius, Angelos in via non habuiſſe evidentiam in atteſtante adæquatã, & cõpletam, ac proindè, ex hoc capite illis non eſſe auferendam fidem ſtrictè talem, nempè obſcuram, liberam, & meritoriam. De quo latè egi, *diſput.* 4. *quæſt.* 5. *à num.* 87. Et ideò in hoc explicando non immoror.

8. Secundò obijci poteſt, ex PP. qui ſæpè homini, & Angelo in prima ipſorum conditione attribuunt cognitionem non enigmaticam, ſicut in nobis, ſed contemplativam, & claram: Sed hæc eſſe nequit fides, quæ eſ-

ſen-

ſentialiter eſt obſcura: Ergò. Reſpondetur ex D. Thom. *in præſent. ad* 1. Quod cognitio Angelorum in via dicitur à SS. PP. contemplatio clara, non ſimpliciter, ſicut eſt contemplatio in Patria, ſed per comparationem ad noſtram, eo quod Angeli in via per donum ſapientiæ magis clarè contemplabantur Divina, quam nos, tanquam magis de propinquo accedentes ad Deú; hæc tamen claritas non erat tanta, quod auferret ab ipſis obſcuritatem luminis naturalis, ſeù privationem claræ viſionis, & evidentiæ de rebus Divinis, quæ ſufficit ad fidem.

9. Solet in præſenti inquiri, quænam Myſteria cognoverint Angeli in via per fidē, ſeù de quibus fidem habuerint? Sed de hoc agitur 1. *part. tract.* de Angelis, propterea id in præſenti decidere prætermittimus.

10. Dico ſecundò: *Primus Homo in ſtatu innocentiæ habuit fidem.* Ita communiter Theologi, & patet ex eiſdem rationibus, quibus id de Angelis probatum manet. Nam primus Homo in ſtatu innocentiæ fuit elevatus ad ordinem gratiæ, vt Deum, & beatitudinem poſſet promereri, & ipſi placere: Patet autem quod ad hoc requiritur cognitio Dei, & Divinorum Myſteriorum, quæ in primo Homine alia eſſe non potuit, niſi fidei: Ergo.

11. Dico quartò: *Etiam in Animabus Purgatorij datur fides.* Ita etiam communiter Theologi. Et patet, primò, quia Animæ Purgatorij, licèt non ſint in ſtatu merendi, ſunt tamen in ſtatu viæ, & placendi Deo, accedendiquè ad ipſum: Sed ſine fide (inquit Apoſtol.) impoſſibile eſt placere Deo, & accedentem ad Deum oportet credere quia eſt: Ergò habent fidem. Secundò, quia Animæ Purgatorij habent ſpem, vt conſtabit ex *tract. ſequent.* Sed ſpes innititur fidei tanquam fundamento, quia fides, vt inquit Apoſt. eſt ſubſtantia ſperandarum rerum: Ergò in Animabus Purgatorij datur fides. Tertiò, & principaliter, quia Animæ Purgatorij nullam habent diſpoſitionem fidei contrariam, vi cuius amittant fidem, quam habuerunt in via: Sed fides viæ amitti nequit, niſi per diſpoſitionem contrariam: Ergò retinent, & non amittunt fidem viæ. Probatur maior, quia in primis obiectum fidei reſpectu illarum eſt obſcurum, ſeù non viſum, deindè adhùc ſunt in via ad Patriam, & viſionem claram Dei, ac demum ex parte voluntatis retinent piam affectionem ad bonum repromiſſum, ſeù ad res credendas: Ergò nullam habent diſpoſitionem contrariam, ſed potius valdè proportionatam diſpoſitioni viæ.

(∴)

QUÆSTIO XVI.

AN FIDES SIT NECESSARIA *ad ſalutem, & qualiter?*

1. IN præcedentibus actum manet quinque diſputationibus de omnibus, quæ tractāda promiſeram initio huius Tractatus. Sequentia alias diſputationes exigebant, non minus diffuſas. Cæterum, quia concernunt potius materiam moralem, quam Scholaſticam, & Tractatu mixtum ad ſcholaſticam methodum adſtringere decrevi, de reliquis brevi ſtylo quæſtiones paucas hic ſubnectendas curabo. Et quantum ad præſentem.

2. Supponenda eſt diſtinctio illa neceſſitatis in neceſſitatem medij, & neceſſitatem præcepti. Illud dicitur neceſſarium ad finem neceſſitate medij, quod abſolutè, & ſimpliciter requiritur ad finem, attenta ſolum natura finis, & ſubiecti, quod ad talem finem tendit. Illud verò dicitur neceſſarium neceſſitate præcepti, quod licèt nō requiratur modo explicato ex natura finis, & ſubiecti, requiritur tamen ex ſuppoſitione præcepti, vi cuius alligatur conſequutio finis tali medio, ita vt ſine illo obtineri non queat. Qua diſtinctione ſuppoſita.

PRIMA CONCLUSIO.

3. DICO primò: *Fides propriè talis eſt neceſſaria ad ſalutem, non ſolum neceſſitate præcepti, ſed neceſſitate medij.* Ita communiter Theologi, tam Thomiſtæ, quàm extranei, contra paucos, qui tenuerunt ſufficere ad ſalutem fidem latè dictam, ſumptam pro notitia Dei ex creaturis habita. Quæ quidem ſententia impugnabatur validè ab Authoribus, ſed iam ab hoc labore nos exoneravit Innocent. XI. qui inter alias, hanc, ordine 23. propoſitionem proſcripſit: *Fides latè ſumpta ex teſtimonio creaturarum, aliovè ſimili motivo ſufficit ad iuſtificationem.* Fundamentum autē noſtræ ſententiæ idem eſt, quod movit Santiſſimum ad prædictam propoſitionem damnandam, nempè ex teſtimonijs S. Script. CC. & PP. Nam Abacuch. 2. dicitur: *Iuſtus*

ex fide viuit. Marc. vltim. *Qui non crediderit, condemnabitur.* Ioann. 1. *Dedit eis poteſtatem Filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius.* Et Paulus ad Hebræos 11. *Sine fide, impoſſibile eſt placere Deo*, & ibidem: *Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt.*

4. Item ex CC. nam Concilium Trident. *Seſſ. 6. cap. 7* inquit, quod Sacramentum Baptiſmi eſt Sacramentum fidei, *ſine qua nulli vnquam contigit iuſtificatio.* Et *cap.* 8. explicat illa verba Apoſt. *Ratis iuſtiſacati per fidem*, dicens ea intelligenda eſſe in eo ſenſu, *quem perpetuus Eccleſiæ Catholicę ſenſus tenuit, & expreſſit, vt ſcilicèt per fidem ideò iuſtificari dicamur; quia fides eſt humanę ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis iuſtificationis; ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ad Filiorum eius conſortium pervenire.* Et Arauſic. 2. *cap. vltim.* inquit: *Hoc ſalubriter confitemur, quod in omni opere bono nos non incipimus, ſed ipſ, nullis noſtris præcedentibus meritis, fidem inſpirat.*

5. Demum ex PP. Nam Athanaſ. in ſuo Symbolo, ſic ait: *Hæc eſt fides Catholica, quam niſi quis fideliter, firmiterque crediderit, ſaluus eſſe non poterit.* Auguſt. *Serm.* 38. *de Temp.* de fide, quę eſt humanę ſalutis initium, inquit: *Sine ipſa, nec in hoc ſæculo quiſquam iuſtificationis conſequitur gratiam, neque in futuro vitam poſſidebit æternam.* Similiter loquuntur alij PP. quorum loca longum eſſet referre. Videri poſſunt apud Lugo, *in præſent.*

6. Reſpondebat ad hæc P. Ripalda, poſſe intelligi huiuſmodi teſtimonia, de aſſenſu naturali, aut ſupernaturali non moto ex Divino teſtimonio, ſed ex vniverſali teſtimonio creaturarum, iuxta illud Pſalm. *Cœli enarrant Gloriam Dei.* Sed hæc interpretatio iam proſcripta eſt in prædicta propoſitione damnata. Et merito, quia prædicta teſtimonia ſimpliciter exigunt fidem ad ſalutem, & planè loquuntur de fide, quę eſt donum Dei, fundamentum, initium, & radix iuſtificationis, & quę eſt nobis libera, & qua credimus Deum, & eius Myſteria vt ab ipſo revelata, hanc enim cognitionem nomine fidei ad ſalutem conducentis intelligunt communiter CC. & PP. de quo videri poteſt præfatus Lugo: Sed hoc competere nequit cognitioni, quam habere poſſumus ex teſtimonio creaturarum, tùm quia hæc propriè appellatur ſcientia à poſteriori, & per effectus, non autem fides. Tùm, quia hæc, cum poſſit haberi lumine naturę, non poteſt eſſe initium, & radix iuſtificationis, nec poſitivè ad ſalutem conducere. Tùm, quia non eſt formaliter libera, quia intellectus ex evidentia effectuum neceſſitatur ad cognitionē Creatoris. Tùm denique, quia licèt Deus efficienter dicatur teſtificare per creaturas de ſui exiſtentia, aut ſapientia, hoc non eſt propriè revelare, nec teſtificare, teſtimonio movente ad fidem: Ergò ineptè explicātur prædicta Scrip. CC. & PP. teſtimonia de tali cognitione ex teſtimonio creaturarum. Præterea, quia communis Eccleſię, & Theologorum traditio ea teſtimonia intellexit de fide theologica, quę inter tres Theologicas virtutes numeratur: Sed hæc eſt fides ſtrictè talis, & minimè competit cognitioni habitę per ſcientiam à poſteriori ex teſtimonio creaturarum: Ergò.

7. Reſpondebat etiam Vega, *lib. 6. in Trident. cap.* 17. & 20. & aliqui ex antiquatis, quod ex prædictis teſtimonijs ſolum probatur fidem eſſe neceſſariam, vel exercitam, & in re, vel ſolum in voto, ſicut de Sacramento Baptiſmi dicitur. Sed nec iſta ſolutio ſubſtineri valet; eſt enim magna differentia inter Baptiſmum, & fidem, quia de Baptiſmo ante ipſum poteſt haberi verum votum, quod ſufficiat ad iuſtificationem, ſi nempè quis ante ipſum, credat firmiter ipſum, & illud ex amore Dei ſuper omnia deſideret; cum enim ſit actus externus pendens ab externo alterius miniſterio, poteſt ſuppleri eius neceſſitas per verum illius deſiderium ex fide, & charitate conceptum: Attamen ante fidem non poteſt haberi verum votum, & deſiderium credendi. Tùm, quia cum fides ſit actus internus, in libera hominis poteſtate cōſtitutus per gratiam, ſi quis verè deſiderat credere, ſtatim credit, ſi autem non credit, convincitur non habere verum votum credendi. Tùm, quia non eſt aſſignabile in quo illud votum fidei ante fidem conſiſtat. Inquiunt enim fidem in voto appellari notitiam Dei ex creaturis, quę poteſt excitare amorem fidei verę, & exercitę. Sed contra eſt, quia cognitio, quę poteſt excitare votum, ſe ſola votum non eſt, aliàs omnis Fidelis haberet Sacramentum ordinis in voto, & cætera Sacramenta, & nullus damnaretur propter non ſuſcepta Sacramenta, quia omnes habent cognitionem, quę poteſt excitare amorem illorum Sacramentorum; requiritur ergò vlterius ad Sacramentum in voto, quod quis ex parte ſua efficaciter velit ſuſcipere Sacramentum, ita vt ſolum ex defectu externi miniſterij, illud non ſuſcipiat: Sed ante fidem nemo habet verum deſiderium credendi fide Divina, ita quod illa ſolum careat ſine propria culpa, ex defectu externi miniſterij; quia ſemèl quod quis deſideret, & velit credere Deo revelanti, ad actum internum fidei nullum requiritur externum miniſterium: Ergò. Ac demum, quia ſi ad fidem poſſet præcedere votum fidei ſufficiens ad iuſtificationem, falſo diceretur fides initium, fundamentum, &

la-

Digitized by Google

radix omnis iuſtificationis: Sed ita appellatur à PP. & CC. vt ſuprà vidimus: Ergò. Sequela patet, quia votum illud independentèr à fide ipſa eſſet ſufficiens principium alicuius iuſtificationis: Ergò iam fides non eſſet omnis iuſtificationis initium, & radix. Et confirmatur; nam vel cognitio illa Dei, quæ præcedit fidem potens ad illam excitare, eſt naturalis, & ex lumine naturæ acquiſita; vel infuſa, & ſupernaturalis. Si naturalis: Ergò iam ponitur initium fidei, & iuſtificationis in aliqua cognitione naturali ex viribus naturæ elicita, quod ſanè ſapit hæreſim ſemipelagianam. Si ſupernaturalis, & infuſa, non poteſt eſſe niſi ex lumine fidei, quia iuxta Dei providentiam ordinariam, nemo illuminátur ſupernaturalitèr à Deo ante lumen fidei alio lumine diverſo ſcientiæ infuſę, aut evidentis de rebus ſupernis: Ergò.

8. Nec denique reſponderi poteſt, requiri ad Iuſtificationem fidem infuſam habitualem, quæ infunditur in ipſa iuſtificatione; non autem actualem, vndè qui ſemel parvulus in Baptiſmo ſuſcepit fidem habitualem, poterit, cum pervenerit ad vſum rationis, ſalvari ſine fide actuali, per notitiam Dei ex creaturis. Contra enim eſt, quia teſtimonia allegata magis intelliguntur de fide actuali, quàm de habituali, vndè in Evangelio dicitur: *Qui non crediderit, condemnabitur.* Et in ſymbolo: *Hæc eſt fides Catholica, quàm niſi quiſque fideliter, firmitèrque crediderit, ſalvus eſſe non poterit,* quod quidem de habitu fidei explicari nequit, ſed ſolùm de aſſenſu, & actu fidei: Ergò hic eſt omnino neceſſarius ad ſalutem.

9. Sed dices: Demus, quod infans baptizatus, dùm perveniat ad vſum rationis, à nullo audiat doctrinam fidei: Sanè iſte non poterit habere fidem actualem, quia *fides ex auditu, & quomodò credent ſine prædicante*, vt inquit Apoſt: Et tamen poterit ſalvari, ſi nullum lethale committat, quia ſupponitur in gratia: Ergò poterit ſalvari ſine fide actuali, licèt non ſine habituali, quam in Baptiſmo ſuſcepit. Reſpondeo primò, diſtinguendo conſequens: Ergò poterit ſalvari ſine fide actuali, ſalute parvulorum per modum hæreditatis, tranſeat conſequens: Salute propria adulti conſequuta proprijs operibus, nego conſequentiam: Quia admiſſo caſu argumenti, & quod ille baptizatus perveniens ad vſum rationis nullum peccatum lethale committeret, & ita decederet, ſalvaretur tantum more parvulorum per modum hæreditatis, ſed non morè adultorum impetrando ſalutem bonis operibus, quia ſine fide actuali nullum opus poſſet patrare dignum vita ętetna, nec ad illam poſitivè diſponens. Reſpondeo ſecundò, nullum eſſe, qui perveniendo ad vſum rationis, poſsit perſiſtere, niſi ſe convertendo ad Deum ſuper omnia diligendum, vel peccando lethalitèr, ſi ita non ſe convertat, quia ex ſententia D. Tho. tenetur homo in primò inſtanti vſus rationis ita ad Deum ſe convertere. Igitur, ſi ita ſe convertat, hoc facere nequit, niſi cœleſti illuſtratus lumine de doctrina fidei, ſaltem quantum ad credendũ Deum, vt Authorem ſupernaturalem, quę quidem illuſtratio nulli pervenienti ad vſum rationis deficit, niſi ſua culpa opponat obicem iuxta illud, *illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum.* Qualiter autem hoc evenire poſsit illi, cui per exterius hominis miniſterium doctrina fidei non intimatur, ad Dei providentiam ſpectat. Nam primò, & ſine exteriori prædicante, illuminari poteſt à Deo circa Religionem in communi, & in confuſo, ſeù circa beatitudinem ſupernaturalem in vniverſali; cui illuminationi, ſi perfectè reſpondeat, quærendo Religionem ex toto corde, & ſuper omnia temporalia, non deërit Deus, vel mittendo Miniſtrum Evangelicum, vel per Angelum, vel per ſe ipſum ipſe intimandò revelationem ſui ipſiùs, vt credere poſsit fide ſuperna ipſum, & ad ipſum ſe convertere ex toto corde, vt Authorem ſupernaturalem; licèt enim regularitèr doctrina fidei intimetur hominibus per homines, tamen Deus per ſe ipſum, vel per Angelum benè poteſt ſupplere hominum myniſterium, ſicut de facto ſuppleret, caſu quo homo ex toto corde quæreret veram Religionem, & beatitudinem, & deëſſet homo, à quo inſtrueretur. Quod ſi videmus penè omnes inter Barbaros educatos hac inſtructione carere, ſemper cenſendum eſt ea carere, quia ſua culpa obicem poſſuerunt cœleſti illuminationi, quærentes bona temporalia pluſquam Deum, & Religionem, & in hoc peccantes mortalitèr; ne cogamur ponere aliquos ex illis, è vita migrantes, nec pertinere ad infernum damnatorum, quia deceſerunt ſine culpa mortali perſonali, neque ad Limbum puerorum, quia deceſerunt adulti, neque ad Purgatorium, quia non decedunt in gratia. Sed de hoc alibi.

10. Contra prædictam concluſionem plura obijciebat P. Ripalda ex S. Textu, & SS. Patribus. Ad quę vnico verbo reſponderi iam poteſt, ea omnia interpretanda non eſſe, nec poſſe, in eo ſenſu, quod ſufficiat notitia Dei ex teſtimonio creaturarum, aut

alio ſimilr, ad ſalutem, quia teſtimonia Sacr. Scripturę interpretari non licèt contra eum ſenſum, quam tenet S. M. E. Patet autem quod S. M. E. iam prohibuit, & damnavit talem ſenſum, & quod ex communi PP. & Concil. traditione intelligit Sacram Scripturam in eo ſenſu, quod ad ſalutem ſit neceſſaria fides ſtricta, prout diſtincta à fide latè ſumpta pro cognitione Dei ex teſtimonio Creaturam: Non ergò iam licet interpretari teſtimonia S. Scripturę in ſenſu à Ripalda intento.

SECUNDA CONCLUSIO.

11. DICO ſecundò: *Neceſſaria eſt neceſsitate medij ad ſalutem fides, qua credamus Deum eſſe, & remuneratorem eſſe.* Ita ſumitur ex illo ad Hebræos 11. *Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator eſt.* Et ita tenet Div. Thom. *in præſent. artic.* 8. *ad* 1. vbi inquit: *Quod illa duo explicitè credere de Deo omni tēpore, & quoad omnes neceſſarium fuit.* Quod probat idem Div. Thom. in Epiſtol. *ad Hebræos* 11. *Lect.* 2. his verbis: *Sicut enim videmus in quolibet motu naturali, oportet quod mobile ex motu naturali duo intendat, ne motus ſit fruſtra, ſcilicèt, aliquem certum terminum, & certam cauſam, quarè moveatur. Sic etiam in motu, quo aliquis accedit ad Deum, terminus motus eſt ipſe Deus. Vndè dicit: Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, quod dicit propter eius ęternitatem.* Exod. 3. *Qui eſt miſsit me ad vos. Secundò, quod ſciat quod Deus habet providentiam de rebus: Aliter enim nullus iret ad ipſum, ſi non ſperaret aliquam remunerationem ab ipſo, vndè dicit, & inquirentibus ſe remunerator ſit.*

12. Quę ratio ſic poteſt ad formam reduci: Etenim nullus poteſt conſequi ſalutem, niſi accedendo ad Deum, in quo noſtra ſalus ſpiritualis ſita eſt: Sed nullus poteſt accedere ad Deum, niſi credendo ipſum Deum eſſe, & remuneratorem eſſe: Ergò eſt neceſſarium neceſsitate medij hæc duo credere. Probo minorem, quia nullus poteſt accedere ad Deum niſi per motum ſpiritualem, cuius terminus ſit ipſe Deus, & cuius cauſa, vel motivum, ſit eius providentia, vi cuius remunerator eſt: Sed non poſſumus motu ſpirituali tendere in aliquid, niſi cognoſcendo terminum, & motivum, vel cauſam talis motus: Ergò nullus poteſt accedere ad Deum, niſi cognoſcendo ipſum eſſe, quod ſpectat ad terminum talis motus, & cognoſcendo, ipſum remuneratorē eſſe, quod ſpectat ad motivum, vel cauſam talis motus. Maior patet, quia in primis per ſe notum eſt, quod terminus illius motus ſpiritualis, quo accedimus ad Deum, eſt Deus ipſe. Deindè cauſa motus debet eſſe, *quia remunerator eſt*, quia vt inquit Div. Tho. *Nullus iret ad ipſum, ſi non ſperaret aliquam remunerationem ab ipſo*: Ergò.

13. Sed dices primò, neceſſum quidem eſſe, vt quis accedat ad Deum, cognoſcere ipſum eſſe, & remuneratorem eſſe, ſed id poſſe cognoſci ſine fide, nempè per naturalem notitiam ex creaturis. Sed contra, quia ad ſalutem non ſufficit vtcumque accedere ad Deum, nec Apoſt. loquitur de accedere ad ipſum vtcumque, id eſt, ſivè vt Author naturalis, ſivè vt ex affectibus naturalibus cognoſcibilis eſt; ſed requiritur accedere ad ipſum vt Author ſupernaturalis eſt, & gratię, & de hoc accedere loquitur Apoſt. terminus autem motus, vel acceſſus huius non eſt niſi Deus vt Author ſupernaturalis: Sed nequit cognoſci Deus vt Author ſupernaturalis, niſi per fidem, quia per notitiam naturalem ex creaturis ſolum cognoſcitur, ipſum eſſe vt Authorem naturalem: Ergò ad cognoſcendum terminum illius acceſſus, qui requiritur ad ſalutem, & de quo loquitur Apoſt. requiritur fides, & non ſufficit notitia naturalis.

14. Ex quo inferes, falli plures Ieſuitas, dùm nobis obijciunt, quod Apoſt. exigit ad ſalutem credere de Deo, *quia eſt*, intelligendo hoc ipſum de Deo vt Authore naturali, & vt demonſtrabili ex creaturis; falluntur inquam, quia Apoſt. dùm inquit: *Oportet credere quia eſt*; ly, *quia eſt* intelligit de Deo vt eſt terminus ad quem accedimus pro ſalute comparanda, iuxta illud: *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* Et illud: *Accedite ad eum, & illuminamini*, inquit enim: *Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt*, nempè *quia eſt* ipſemet, & in eodem ſenſu, quo accedimus ad eum pro ſalute adipiſcenda, ſivè in quantum eſt terminus talis acceſſus: Sed non eſt terminus talis acceſſus vt Author purè naturalis, ſed vt Author ſupernaturalis: Ergò non eſt ſenſus Apoſt. quod *oportet credere, quia eſt*, vt Author tantum naturalis, ſed etiam vt author ſupernaturalis, quo pacto ſolum per fidem cognoſci poteſt.

15. Dices ſecundò: Satis eſſe vt quis accedat ad Deum, etiam vt Authorem ſupernaturalem, quod credat, ipſum eſſe, & non requiri quod credat ipſum remuneratorem eſſe; quia poteſt quis accedere ad Deum per charitatem, ſeù per charitatis amorem, quo Deum diligimus propter ſe ipſum, & purè propter ſuam bonitatem; qui quidem acceſſus

abſ-

abſdubio ſufficeret ad ſalutem, & ad iuſtificationem: Sed ad accedendum hoc pacto non requiritur neceſsitate medij cognoſcere, quod remunerator eſt: Ergò nec ad ſalutem. Confirmatur, quia propterea iuxta D. Tho. requiritur credere, quod remunerator eſt, quia nullus iret ad ipſum, ſi non ſperaret aliquem remunerationem ab ipſo: Sed hoc eſt falſum, nam qui accedit ad Deum actu charitatis, & propter ſuam ſolam bonitatem, iret ad ipſum, quamvis nihil ſperaret ab ipſo: Ergò.

16. Confirmarique poteſt, quia poteſt quis iuſtificari per Sacramentum Pœnitentię, ſi doleat de peccatis propter ipſorum turpitudinem, & inhoneſtatem, quin reſpiciat ad remunerationem, nam ſi ex prædicto motivo doleat de peccatis, & ſic recipiat Sacramentum, recipiet gratiam, quamvis non aſpiciat ad Deum remuneratorem: Ergò non requiritur de neceſsitate medij fides Dei vt remuneratoris. Hoc fundamento moti tenuerunt Ripalda, Lugo, & alij opinionem noſtrę concluſioni contrariam.

17. Veruntamen talis ſententia iam ſubſtineri nequit, vt potè, cum ſit Propoſitio 22. damnata ab Innocent. XI. quę huius tenoris erat: *Non niſi fides vnius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medij, non autem explicita remuneratoris.* Ad obiectionem autem reſpondent PP. Salm. *in præſent. dub.* 1. *num.* 90. Nihil eam probare contra noſtram ſententiam, per quam ſolum ſignificari, inquiunt, quod ad minus requiritur fides Dei vt remuneratoris, non autem excluditur quod ſufficiat alius actus fidei perfectior, & eminentior, nempè Dei vt ſummi boni, & vt diligibilis ſuper omnia per charitatem, vndè concedunt talem fidem ſufficere, quamvis expreſſa notitia Dei remuneratoris non occurrat. Veruntamen huic ſententię, nec ſolutioni non acquieſco, quia tandem, concedit non requiri fidem explicitam Dei vt remuneratoris, & cōcedit ſufficere implicitam, quatenus ratio remuneratoris continetur eminenter in Deo vt ſummo bono. Tùm etiam, quia concedit ex conſequenti ſpem theologicam non eſſe neceſſariam neceſsitate medij ad ſalutem, cuius oppoſitum videtur aſſerere Div. Thom. illis verbis: *Nullus iret ad ipſum, niſi ſperaret aliquam remunerationem ab ipſo*: Et forſan id ipſum oſtendemus Tract. ſequent. nempè, nullum adultum poſſe conſequi ſalutem ęternam ſine ſpe præcedente illius, quia aliàs illam obtineret præter ſpem, & intentionem, quod ſanè repugnat cum modo proprio adultorum in conſequenda ſalute.

18. Reſpondeo ergò, negando aſſumptum, & ad eius probationem, diſtinguo maiorem: Poteſt quis accedere ad Deum per charitatis amorem, acceſſu propriè tali, provt ſignificat motum proprium Animę tendentis, & quaſi progredientis ad Deum, nego maiorem: Acceſſu impropriè tali, provt ſignificat ipſam vnionem affectivam cum Deo, & inhærere, ſeù adhære Deo, concedo maiorem, & nego, quod hic ſolus acceſſus ſine ſpe, ſufficiat ad ſalutem, ſeù vitam ęternam aſſequendam. Ratio diſtinctiones eſt, quia per ſolum amorem charitatis Anima non tàm tendit, accedit, aut movetur ad Deum, quam inhæret, & adhæret ipſi, & eſt vnus Spiritus cum ipſo, nam de amore charitatis dictum eſt, *qui adhæret Deo vnus Spiritus eſt.* Fateor autem, quod per hanc adhærentiam, & amorem charitatis, ſemèl quod daretur, iuſtificaretur homo, nego tamen quod dari poſsit, & per illum obtineri ſalus, ſeù vita ęterna, ſine actu, & motu ſpei, per quem propriè movetur Anima in Deum, & accedit ad ipſum motu aggreſsivo, vt *Tractatu ſequenti* explicabimus. Tùm, quia nemo repente fit ſummus, & cum actus charitatis ſit affectus voluntatis erga Deum ſummus, quia non eſt alius ſpecificè perfectior, non ſtatim voluntas poteſt illum obtinere, ſed per prius debet incipere ab affectu minus perfecto ſpei, diſcedendo à peccatis, & accedendo ad Deum cum ſpe venię, & poſtquam acceſſerit, & ei adhæreat per charitatem: Nego etiam quod poſsit ſine ſpe beatitudinis illam conſequi, quia ipſe amor charitatis ex ſe movere debet ad quærendum bonum dilectum, & ad illud credendum; non poteſt autem ad id movere, niſi per conſortem ſuam virtutem, nempè ſpei; vndè ſemper verum tenet, quod ſpes ſit per ſe neceſſaria neceſsitate medij ad ſalutem, & conſequenter fides Dei remuneratoris, ſine qua ſpes haberi nequit. Ex quo patet ad primam confirmationem, conceſſa maiori, negando minorem, quia quamvis actus charitatis ex ſe non moveatur ex bono ſperato, tamen non tollit, quod homo ad ſalutem indigeat ſperare aliquid à Deo remuneratore. Ad ſecundam confirmationem, nego quod ſatis ſit ſolus dolor de peccatis propter eorum turpitudinem ſine ſpe venię obtinendę, ad iuſtificationem; ſpes autem venię impoſsibilis eſt ſine fide Dei remunatoris. Quin etiam, quamvis dolor de peccatis propter ſolam turpitudinem ſufficiat, impoſsibile eſt, quod quis accedat ad Sacramentum debitè, niſi ex fine præintento beatitudinis ſupernaturalis aſſequendę, ſiquidem iſte eſt finis vltimus, ad quem per ſe ordinatur ſuſceptio Sacramenti. Nequit autem illam inten-

tendere, niſi vt impetrandam à Deo, quod eſſe nequit, niſi præcedat fides Dei remunereratoris. Mittò, quod Innocent. XII. damnavit plures propoſitiones in Libr. Archiepiſcopi Camereeenſis contentas, eo, niſallor, quod Animam ponebant in tali Charitatis puræ ſtatu, quod iam non indigeret aſpicere ad remunerationem. Mittò etiam, quod Charitas, quantumcumque defæcata, & pura ſit propter ſolam Dei bonitatem, non poteſt non excitare deſiderium videndi amatum, & ſimiliter ſpem, quod eſſe nequit, niſi præcedente fide Dei vt remuneratoris, quia viſio Dei non obtinetur ab adultis, niſi vt remuneratio bonorum operum.

TERTIA CONCLUSIO.

19. DICO tertiò : *In ſtatu Veteris Legis, ante Evangelij promulgationem, non erat neceſſaria neceſsitate medij fides explicita Chriſti; nec Trinitatis, benè verò implicita.* Probatur, quia non erat neceſſaria neceſsitate medij in ſtatu Veteris Legis ad ſalutem, illa fides, ſine qua plures in illo ſtatu poterant ſalvari : Sed ſine fide explicita Chriſti vt Redemptoris plures poterant ſalvari in ſtatu Veteris Legis : Ergò illa non fuit neceſſaria neceſsitate medij ad ſalutem. Probatur minor, quia quamvis in ſtatu Veteris Legis, (& idem dic de ſtatu Legis Naturę) principaliores, & ſapientiores haberent fidem explicitam Chriſti vt Mediatoris, & Redemptoris, minores tamen talem fidem explicitam non habebant : Et tamen poterant ſalvari : Ergò. Probo maiorem ex Div. Thom. *in præſenti artic. 7. ad 3.* vbi ſic ait de Gentilibus pertinentibus ad Legem Naturę: *Si qui ſalvati fuerunt, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt ſalvati abſque fide Mediatoris, quia etſi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in Divina Providentia, credentes Deum eſſe liberatorem hominum ſecundum modos ſibi placitos.* Et Div. Antonin. 4. *Theolog. titul.* 8. *cap.* 3. §. 9. ſic ait : *In Veteri Teſtamento apud omnes Nationes ſufficiebat credere illa duo, quę poſuit Apoſt. ad Hebræos* 11. *oportet credere quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator eſt. Minores ergò & credentes illa duo expreſſè, credebant implicitè omnes Articulos fidei, & hoc ſufficiebat eis* : Ergò minores credentes in Lege Naturę, & Scripta poterant ſalvari abſque fide explicita Chriſti Redemptoris. Confirmatur, quia tam in Lege Naturę, quam in Lege Scripta paucißimi fuerunt, qui habuerunt fidem explicitam Chriſti, vt Redemptoris; nam ad hanc opus erat credere explicitè ipſum forè verum Deum, & hominem, itemque eſſe ſecundam Trinitatis Perſonam, & Deum eſſe Trinum in Perſonis, itemquè naturam humanam eſſe viciatam Peccato Originali; hoc autem explicitè non cognoverunt, niſi paucißimi, quibus revelatum eſt ſpecialiter à Deo : Sed dicere, quod ex cæteris omnibus nullus ſalvari poterat, ſeù quod carebant medio neceſſario ad ſalutem, abſurdum videtur : Ergò tunc temporis fides explicita Chriſti vt Redẽptoris non fuit medium neceſſarium ad ſalutem.

20. Benè verò fides implicita Chriſti, quia opus erat credere explicitè Deum vt remuneratorem, & conſequenter habere providentiam ſupernam de hominibus, & eſſe liberatorem illorum ſecundum modos ſibi placitos; in hac autem fide explicita implicatur fides Chriſti vt Redẽptoris : Ergò opus erat habere fidem implicitam Chriſti vt Redemptoris.

21. Sed obijcitur primò ex illo Apoſtol. 1. ad Corinth. 15. *Sicut in Adàm omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes vivificabuntur.* Et 2. ad Timoth. 1. *Gratia data eſt nobis in Chriſto ante tempora ſecularia.* Actor. 4. *Non eſt in alio aliquo ſalus, nec enim aliud nomen ſub Cælo datum eſt hominibus, in quo oporteat vos ſalvos fieri* : Ergò nullus vivificatur, niſi in Chriſto, nec vllus accipit gratiam, niſi per Chriſtum, nec obtinet ſalutem, niſi in Nomine Chriſti: Ergò neceſſariè eſt fides Chriſti omnibus ad ſalutem in omni ſtatu. Reſpondeo, conceſſa prima conſequentia, negando ſecundam, quę minimè infertur; nam ad hoc vt nullus ſalvetur, aut vivificetur, niſi per Chriſtum, ſatis eſt, quod omnis gratia, & gloria collata hominibus ſit, & fuerit ſemper ex meritis Chriſti, & intuitu ipſius collata, non autem quod illam accipiens explicitè credat Chriſtum, nam benè poteſt Deus intuitu Chriſti alicui conferre gratiam, & vitam ſupernaturalem, quamvis ipſe non habeat notitiam explicitam Chriſti.

22. Obijcies ſecundò ex Div. Auguſt. *Epiſt.* 10. *& lib.* 18. *de Civitat. Dei, cap.* 47. vbi ait : *Nemini ante adventum Chriſti conceſſum fuiſſe, quod eſſet Iuſtus, niſi cui Dominus revelatus eſt vnus Mediator Dei, & hominum Homo Chriſtus.* Item *lib.* 2. contra Pelagium, & Cœleſtium, de Peccat. Origin. *cap.* 24. ait : *Sine fide Incarnationis, & Mortis, & Reſurrectionis Chriſti, neque antiquos Iuſtos, vt iuſti eſſent, à peccatis potuiſſe mundari, veritas Chriſtiana non dubitat.* Similia habent alij PP. Ergò. Reſpondeò, ex his non inferri determinatè fuiſſe neceſſariam in omni ſtatu fidem explicitam Chriſ-

Chriſti Redemptoris, aliàs probaretur etiam fuiſſe neceſſariam fidem explicitam Mortis, & Reſurrectionis eius, nam de hac etiam loquitur Auguſtinus; cum autem circa Reſurrectionem, & Mortem Chriſti non poſsit intelligi Auguſtinus de fide explicita, ſed de fide vel implicita, vel explicita, pariter explicandus eſt, cum exigit fidem Chriſti Mediatoris, id eſt, fidem vel explicitam, vel implicitam.

QUARTA CONCLUSIO.

23. DICO quartò : *In ſtatu Legis Gratię, & poſt promulgationem Evangelij eſt neceſſaria neceſsitate medij ad ſalutem, & iuſtificationem fides explicita Chriſti Redemptoris, & ſimiliter Myſterij SS. Trinitatis.* Probatur primò ex S. Textu, nam *Marc. vlt.* dicitur ; *Prædicate Evangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit ; qui verò non crediderit, condemnabitur.* Quę verba D. Bernard. ſic exponit Epiſt. 77. *Cautè igitur, & vigilanter non repetibit : Qui verò bautizatus non fuerit, ſed tantum, qui verò non crediderit, condemnabitur, innuens ſolam interdum ſufficere fidem ad ſalutem, & ſine ipſa ſufficere nihil* : Ergò credere Incarnationem, & Trinitatem explicitè, de quibus credendis ib erat ſermo, eſt magìs neceſſarium, quam Baptiſmum, & nullo alio ſupplebile : Ergò eſt neceſſarium neceſsitate medij, & quidem non ſolum implicitè, & in voto, nam ſi hoc ſenſu loqueretur Chriſtus, pariter repetiviſſet, *qui verò non baptizatus fuerit, condemnabitur*, nam qui non baptizatur adhùc in voto, condemnatur; cum ergò ſolum dixerit : *Qui verò non crediderit*, colligitur ibi loquutum fuiſſe de fide formali, & explicita. Item, ex *Ioann.* 3. vbi ſic ait : *Qui non credit in eum iam iudicatus eſt, quia non credit in Nomine Vnigeniti Filij Dei* : Ergò omninò neceſſarium eſt credere explicitè Chriſtum, vt Vnigenitum Filium Dei; & conſequenter Myſterium SS. Trinitatis.

24. Confirmatur ex PP. Nam Auguſt. lib. de Correp. & Grat. *cap.* 7. ait : *A damnatione ſe non liberabunt, qui dicere poterunt, ſe non audiviſſe Evangelium.* Et infrà : *Quicumque ab illa generali damnatione iſta Divinę gratię largitate diſcreti ſunt, non eſt dubium, quod, & procuratur Evangelium audiendum, & cum audiunt, credunt* : Cenſet ergò Auguſtinus, quod poſt promulgationem Evangelij, nemo poteſt ſalutem aſſequi, niſi credendo Evangelio, ſeù niſi per fidem Evangelicam : Sed fides Evangelica eſt fides explicita Trinitatis, & Incarnationis, nam implicita ante Evangelium habebatur : Ergò. Item Div. Hieronymus *in cap.* 1. *ad Epheſ.* inquit : *Non ante Filij eſſe poſſumus, quam Filij eius Ieſv-Chriſti fidem, & intelligentiam recipiamus* : Ergò. Ac denique Div. Thom. *in* 3. *diſt.* 25. *quæſt.* 2. *artic.* 2. *quæſt.* 2. ſic ait : *Poſt adventum Chriſti, quia iam Myſtorium Redemptionis impletum eſt, tenentur omnes ad credendum explicitè, & ſi aliquis inſtructionem non haberet, Deus ei revelaret, niſi ex culpa ſua remaneret.* Et ideò ait ſuprà Auguſtinus, quod nemo excuſabitur, nec liberabitur à damnatione, dicens, quod non audivit Evangelium, quia ſi ſua culpa non obſtaſſet, Deus ei revelaſſet. Vndè ipſe Auguſt. de Prædeſt. SS. *cap.* 7. ſic ait : *Si poſſet* (Cornelius) *ſine fide Chriſti ſalvus eſſe, non ad eũ ædificandum mitteretur Petrus Architectus* : Ergò fides explicita Chriſti Redemptoris, & Trinitatis eſt omninò neceſſaria neceſsitate medij poſt Evangelij promulgationem.

25. Deindè probatur ratione, quia maior fides requiritur in ſtatu Legis Evangelicę, quam in ſtatu Legis Naturę, & Scriptę ; nã cum præſens ſtatus ſit perfectior, abſdubio requirit maiorem fidei notitiam : Sed in ſtatu Legis Naturę, & Scriptę requirebatur fides implicita Chriſti Mediatoris : Ergò in hoc ſtatu maior requiritur, & perfectior notitia, nempè, explicita, nam ſi ſufficeret implicita, non requireretur perfectior, & maior fidei cognitio de his Myſterijs. Et quidem hoc ſignificat velamen illud, quod Moyſes deſcendens de Monte habebat in facie, & quod, inquit Apoſtolus, poſitum eſſe ſuper cor Iudæorum, eo quod tunc fides Chriſti erat velata, & implicita, & talis ſufficiebat, ſed in Morte Chriſti verũ Templi ſciſſum eſt, quia iam oportebat credere fide revelata, & explicitè Chriſtum Redemptorem. Vndè ad *Galat.* 3. inquit Apoſt. *Antequam veniret Chriſtus ſub Lege cuſtodiebamur concluſi in eam fidem, quæ revelanda erat.* Et ad Epheſ. 3. *In alijs generationibus non eſt agnitum Myſterium Chriſti ſicut nunc revelatum eſt.* Ergò in ſtatu Legis Evãgelicę requiritur fides explicita Chriſti vt Redemptoris tanquam medium neceſſarium.

26. Dixi in concluſione, conſequenter eſſe neceſſariam fidem explicitam de Myſterio Trinitatis, quia conſequens eſt iſta fides ad fidem explicitam Incarnationis, & Chriſti. Vndè Div. Thom. *in præſent. artic.* 8. ſic ait: *Myſterium Incarnationis Chriſti explicitè credi non poteſt, ſine fide Trinitatis, quia in Myſterio Incarnationis Chriſti hoc continetur ; quod Filius*

lius Dei carnem aſſumpſerit, quod per gratiam Spiritus Sancti Mundum renovaverit, & iterum, quod de Spiritu Sancto conceptus fuerit, & ideò eodem modo, quo Myſterium Incarnationis Chriſti, Ante-Chriſtum fuit explicitè creditum à Maioribus, implicitè autem, & quaſi adumbratè à Minoribus, ita etiam, & Myſterium Trinitatis; & ideò etiam poſt tempus Gratiæ divulgatæ tenentur omnes ad explicitè credendum Myſterium Trinitatis, & omnes, qui renaſcuntur in Chriſto hoc adipiſcuntur per invocationem Trinitatis, ſecundum illud Matth. vlt. *Euntes docete omnes Gentes baptizantes eas in Nomine Patris, & Filij, & Spiritu Sancti.* Advertit autem Div. Thom. *artic.* 7. *Quod ſubtiles alias conſiderationes circa Incarnationis Articulos,* (& idem intellige de Trinitate) *tenentur aliqui magis, vel minus explicitè credere ſecundum quod ſtatui, & officio vniuſcuiuſque convenit*; vndè magis explicita horum fides eſt neceſſaria Doctoribus, & Ecclesię Principabus, quam Ruſticis, & alijs inferioris ordinis.

27. Sed obijcies: Poteſt Homo iuſtificari ſine fide explicita Chriſti, & Trinitatis in nova Lege Gratię: Ergò illa non eſt medium neceſſarium ſaltèm ad primam ſalutem, nempè ad iuſtificationem. Probatur antecedens, primò ex Div. Thom. *in præſent. quæſt.* 10. *artic.* 4. vbi de Cornelio, ſic ait: *Ille enim habebat fidem implicitam Chriſti, & cum ea iuſtificatus fuit ante manifeſtatam veritatem Evangelij, & vt explicitè inſtrueretur de fide Chriſti miſſus eſt ad eum Petrus.* Secundò. Nam ſi puer aliquis educaretur in ſylvis, aut inter Barbaros, vbi à nullo poſſet audire prædicationem Evangelij, ille poſſet ſalvari, ſiquidem poſſet ſequi in omnibus ductum rationis, & nullum gratię obicem ponere: Ergò poſſet ſalvari ſine fide explicita Incarnationis, nec Trinitatis. Tertiò, quia quamvis puer ſit educatus inter Catholicos, poteſt in primò inſtanti vſus rationis, antequam inſtruatur explicitè de Myſterijs Incarnationis, & Trinitatis, inſtrui ſufficienter de Deo vt Authore ſupernaturali, & vt remuneratore, & ſe convertere ad Deum ſuper omnia, & ſic iuſtificari, & ſi moriatur immediatè, ſalvabitur: Ergò. Quartò, quia inter Catholicos ſunt aliqui ita hebetis ingenij, & rudes, alij ſurdi à nativitate, alij aliter impediti, quibus vix poſſibile eſt, quod inſtruantur explicitè de talibus Myſterijs: Et tamen illi ſalvari poſſunt, quia Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & nullum à ſuo Regno excludit: Ergò.

28. Reſpondeo, negando antecedens. Ad primam probationem, reſpondeo; Cornelium iuſtificatũ quidẽ fuiſſe ſine fide explicita Chriſti, & Trinitatis, ſed ante Evangelij promulgationem, tamquam Iuſtus Legis Naturę, vel Scriptę, non tanquam Iuſtus Legis Gratię, & proptereà miſſus fuit ad illum Petrus, vt ipſum inſtrueret de dictis Myſterijs, & fieret Iuſtus Legis Gratię, ad illius ſtatum pertinens, non enim ſtatus Legis Gratię menſuratur aliquo puncto Mathematico temporis reſpectu omnium, ſed menſuratur per Evangelij ſufficientem promulgationem, quę poteſt eſſe ſufficienter promulgata in vna Regione, & non dùm in alia, item reſpectu vnius, & non reſpectu alterius, ad cuius aures, citrà ipſius culpam non pervenit. Ex quo ad ſecundam, dico quod puer nutritus in ſylvis aut inter Barbaros, dato quod in omnibus ſequeretur ductũ rationis, & ſe converteret ad Deum ex vi illuminationis ſupernaturalis de Deo vt Authore, & remuneratore ſupernaturali, quę quidem illuminatio nulli, citra culpam, negatur, poſſet quidem iuſtificari vt Iuſtus Legis Naturę, ſed non vt Iuſtus Legis Gratię, vſque dùm illi prædicaretur per miniſterium Angelorum, vel alio modo Myſterium Incarnationis, & Trinitatis, vt eſſet iam Iuſtus Legis Gratię, quia vt dixi ſtatus Legis Naturę, aut Gratię non menſuratur mathematicè per tẽpus, ſed per Legis promulgationem, & ideò non erit impoſſibile, quod etiam iſto tempore aliqui ſint Iuſti pertinentes ad Legem Naturę, qui iuſtificentur ex ſola fide Dei vt Authoris ſupernaturalis, & remuneratoris, quomodo ante Legem Scriptam, Evangelicam iuſtificabantur, eo quod reſpectu illorum omninò per accidens ſit, quod promulgatum, vel non promulgatum ſit Evangelium, & eodem modo ſe habeat, ac ſe habebant, qui iuſtificabantur tempore Legis Naturę. Licèt piè credi debeat, Deum talem puerum ſic ſequentem ductum rationis, & ſic ad eum converſum, illuminaturum forè, vel mittendo ei aliquem Prædicatorẽ, vt miſsit Philippum ad Eunchum Candacis Reginę Ethyopum, vt illum inſtrueret de Evangelio, vel per miniſterium Angelorum, quo pacto inquit Div. Dioniſius *cap.* 5. *Cœleſtis Hierarch.* plures Gentilium illuminatos fuiſſe, & ſalutem aſſequutos. In cuius confirmationem adducit Div. Thom. hic *artic.* 7. quod tempore Conſtantini, & Elenę, in quodam Sepulchro inventus eſt homo auream laminam habens in pectore, & in ea ſic ſcriptum: *Chriſtus naſcetur ex Virgine, & ego credo in eum, ò Sol, ſub Elenę, & Conſtantini temporibus me videbis!* Si ergò ante Chriſtum, ſic Gentilis illuminatus fuit à Deo, quantò magis poſt Chriſtum credi debet

illum

illuminandum fore, eique Chriſtum revelandum, qui ductum rationis in omnibus ſequeretur, & lumini, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, debitè correſponderet.

29. Ad tertiam, dico, quod primum inſtans vſus rationis non eſt mathematicum, ſed morale, & importat totum illud tempus, in quo homo abſolutè, & perfectè deliberat de ſe ipſo ad finem vltimum ſe deſtinando; in quo quidē temporis intervallo, ſi per ipſum non ſtet, abſdubio non deërit inter Catholicos, à quo ſufficientèr inſtruatur de illis Myſterijs quoad ſubſtantiam: nec ſatis eſſet, vt conſumaret deliberationem, quod inſtrurretur de Deo ſolùm, vt remuneratore, & Authore ſupernaturali, quia in Lege Gratiæ plus requiritur ad converſionem, & iuſtificationem propriam talis ſtatus. Vel ſi cōtendas, quod aliquis defectu educationis, & iuſtificationis prius ſe convertat ad Deum, vt Authorem ſupernaturalem, & rémuneratorem, perfecta converſione, ante quàm de alijs inſtruatur, dicam quod ille in vi ſolius huius converſionis non iuſtificabitur iuſtitia propria Legis Gratię, nec erit iuſtus ad illius ſtatum pertinens, vſque dùm de alijs inſtruatur.

30. Ad quartam, dico, quod inter Catholicos nullus eſt, qui perfectè pervenerit ad vſum rationis, qui non poterit, præſertim medio auxilio gratiæ, quo nullus citrà culpam caret, percipere explicitè Myſterium Incarnationis, & Trinitatis quoad ſubſtantiam: ſi autem id non poſsit percipere, dicam, quod vſum rationis verè non habet, ſed erit veluti amens, aut quaſi ad vſum rationis non pervenerit: & idem dico de ſurdo, ſi rationis compos ſit, quia per ſigna adorationis, & alia, quibus videt adorari Chriſtum vt Deum, & tres Divinas Perſonas, vt vnum obiectum adorationis, ſatis quoad ſubſtantiam poteſt intelligere hæc Myſteria, licèt non quoad alias ſubtiles conſiderationes, quod non requiritur, vt iam vidimus ex D. Thom.

31. Denique obicies: Neceſsitas medij, vt medij, eſt neceſsitas ex natura finis, & rei, & non ex impoſitione extrinſeca, vt ſupra explicavimus num. 2. Ergò non variatis naturis rerum, per ſolam novitatem Legis Gratiæ, non poteſt eſſe neceſſarium ad ſalutem neceſsitate medij, quod anteà non erat neceſſarium per modum medij: Sed hoc pacto non erat ante Evangelium neceſſaria fides explicita Chriſti: Ergò nec poſteà, ſed ad ſummum erit neceſſaria neceſsitate Legis, vel præcepti.

32. Reſpondeo, quod iuxta varios ſtatus Eccleſiæ, vel Congregationis Fidelium poteſt variari neceſsitas mediorum, quia hæc non conſideratur tantum ex natura ſpecifica finis, & ſubiecti, ſed ex illa ſecundum ſtatum magis, vel minus perfectum, ſicut homo in ſtatu virili eget aliquibus neceſsitate medij, quibus non eget in ſtatu pueritiæ, vel infantiæ, & ſic Fideles ad ſalutem poſſunt in ſtatu Legis Gratiæ, quia eſt perfectior, indigere neceſsitate medij aliquo, quo non egebant ad ſalutem in ſtatu Veteris Legis, qui erat imperfectior.

QVINTA CONCLVSIO.

33. DICO Quintò: *Datur præceptum credendi, tùm Divinum, tùm Eccleſiaſticum, atquè adeò actus fidei eſt etiam neceſſarius ad ſalutem neceſsitate præcepti.* Ita communitèr Theologi, & patet ſufficientèr, quoad primam partem ex Ioan, Epiſtol. 1. cap. 3. ſic aiente: *Hoc eſt mandatum eius, vt credamus in nomine Filij eius.* Et etiam ratione, quia nemo condemnatur, niſi ob tranſgreſsionem alicuius præcepti: Sed aliqui condemnantur, quia non credunt, iuxta illud: *Qui autem non credit, iam iudicatus eſt*: Ergò datur præceptum Divinum credendi; Divinum eſt enim omne præceptum quod à Deo in Sacris Scripturis nobis imponitur independentèr ab arbitrio Eccleſiæ; & hoc pacto ſe habet prædictum præceptum. Et item nam D. Ioann. ait: *Hoc eſt mandatum eius*, nempè Dei: Ergò eſt mandatum Divinum.

34. Deindè datur etiam præceptum Eccleſiæ, quia Eccleſia præcepit plures actus, qui important in ſui conſtitutione actum fidei, vel ſaltèm illum præ requirunt omnino neceſſario: Ergò præcipit actum fidei. Probatur antecedens, quia Eccleſia præcepit omnibus in articulo mortis ſuſcipere Sacramenta, & quod in illorum ſuſceptione profiteantur fidem, dicentes ad omnes articulos: *Credo, credo*: Sed hoc importat formalitèr, prout præcipitur ab Ecleſia, actum credendi, quia Eccleſia non præcipit puram prolationem externam ſine actu interno, ſed ipſum actum internum, vt explicatum verbis: Ergò.

35. Nec obſtat commune argumentum, nempè, quod Eccleſia non habet iuriſdictionem præcipiendi actus purè internos: Sed actus fidei eſt actus purè internus: Ergò non habet iuriſdictionem præcipiendi actum fidei: Ergò de illo non datur præcep-

tum Eccleſiæ. Reſpondetur enim, quod Eccleſia non habet iuriſdictionem præcipiendi actus purè internos, vt purè internos, benè verò actus internos, vt exterius explicitos, vel vt ſunt forma, aut diſpoſitio neceſſaria ad rectè, & debitè exercēdos actus externos, quos præcipit. Vndè actus fidei alitèr cadit ſub præcepto Divino, alitèr ſub pręcepto Eccleſiæ. Sub Divino cadit per ſe, & ratione ſui, vt eſt actus purè internus: Sub Eccleſiaſtico non ita, ſed in quantum explicatus per externam profeſsionem fidei, vel vt eſt forma, aut conditio actuum externorum, quos Eccleſia præcipit.

36. Sed dices: Eccleſia nequit præcipere id, de quo iudicare nequit; nàm poteſtas præceptiva eſt fruſtra, quando de re præcepta non poteſt iudicare, quia nec poterit compellere ad pręceptum implendum: Sed de actu interno iudicare nequit, adhuc vt requiſito ad externum debitè eliciendum, quia nequit Eccleſia iudicare, an quis in elicientia actus externi elicuerit actum internum requiſitum, v. g. an, dùm exterius profitetur fidem, interius credat: Ergò, adhuc in hoc ſenſu actus fidei nequit cadere ſub præcepto Eccleſiæ. Reſpondeo, hoc argumentum nimis probare, quia probat Eccleſiam non poſſe præcipere, quod debitè recitemus Officium, & faciamus Sacrum, quia id debitè fieri, importat attentionem, & devotionem, qui ſunt actus interni, & Eccleſia iudicare nequit, an quis debitè recitet; vel indebitè, quia hoc eſt quid interius: Vndè rurius ſequitur, recitantem Divinum Officium abſque omni attentione interna verè implere præceptum Eccleſiaſticum, & ſimilitèr aſsiſtentem Miſſæ abſque omni devotione: Quin, communicantem ſacrilegè ſatisfacere præcepto Eccleſiæ de Communione annuali, quia iuxta hoc argumentum, Eccleſia ſolùm præcipere poteſt actionem externam communicandi, quod autem fiat ſanctè, vel ſacrilegè, ad Eccleſiam non pertinebit, quia id Eccleſia iudicare nequit, cum ſit ſæpiſsimè quid internum: Imò ſequetur etiam actus externos nullo teſte elicitos, ab Eccleſia præcipi non poſſe, nec prohiberi, quia de his iudicare nequit: Hæc autem prorſus ſunt abſurda, & aliqua ab Eccleſia ipſa damnata.

37. Deindè reſpondeo, quod duplicitèr Eccleſia iudicat de aliquo, nempè, vel probando factum, vel puniendo delictum: Igitur, vt Eccleſia poſsit aliquid præcipere, minimè eſt neceſſarium, quod poſsit per ſe iudicare de illo, probando factum, alias nihil poſſet præcipere, aut prohibere præter actus publicos, & coram teſtibus elicitos, ſed ſatis eſt, quod poſsit per ſe iudicare præmiando factum honeſtum, vel puniendo inhoneſtum, caſu quo innoteſcat, aut probetur modo poſsibili, & hoc pacto iuriſdictionem habet in actus internos, vt requiſitos ad externos; vndè, ſi Eccleſiæ innoteſceret, aliquem quotanis communicare ſacrilegè, & id probaſſet humano modo, vel ex dictis, vel ex factis ipſius, ſanè poſſet illum punire, non quidem, quia non impleſſet actionem externam communicandi, ſed quia omiſsit diſpoſitionem internam. Item, ſi Eccleſiæ innoteſceret, aliquem tantum fictè profiteri fidem, & non alitèr, poſſet illum punire, non propter omiſſam actionem externam, ſecundum quod externa eſt, ſed propter internam fictionem, & omiſsionem fidei, quando ab Eccleſia præcipitur: Ergò ab Eccleſia non ſolùm præcipitur actio externa, vt externa purè, ſed etiam fides interna. Sed de hoc alibi.

38. Sed inquires primò: *An præceptum Divinum de actu fidei ſit naturale, vel ſupernaturale.* Reſpondeo, eſſe ſupernaturale, & quidem quoad ſubſtantiam. Ratio eſt clara, quia eſt à Deo ſupernaturali Authore, & obligat ad actum quoad ſubſtantiam ſupernaturalem. Inquiunt tamen PP. Salmantic. non immerito poſſe appellari naturale. Primò radicalitèr ob capacitatem naturæ ad credendum, iuxta illud Auguſt. *de Prædeſt. SS. cap. 7.* dicentis: *Poſſe habere fidem naturæ eſt hominum, habere autem gratiæ Fidelium.* Sed non acquieſco, nàm eſſe naturale *radicalitèr*, dicit non ſolùm eſſe in natura capacitatem ad illud, ſed eſſe in natura radicem illius; nàm ſi capacitas ſufficeret, nihil ſupernaturale, imò nec miraculoſum eſſet, quod non poſſet dici radicalitèr naturale; quod immerito ſanè diceretur: Sed præceptum fidei theologicæ, licèt ſupponat capacitatem, non tamen ſupponit radicem in natura: Ergò.

39. Secundò id probant, quia ſuppoſita revelatione Divina, ipſa ratio naturalis dictat, vt obediamus applicando intellectum, & Dei teſtimonio non repugnemus. Sed nec etiam huic probationi acquieſco, quia licèt in natura humana ſit non repugnare Dei teſtimonio, aut fidei prædicationi, non tamen poſitivè movere ad fidem, nec quoad ſpecificationem, nec quoad exercitium, nec vllo modo influere poſitivè, aut imperativè in illam: Si autem ratio naturalis dictaret, ſuppoſita Divina revelatione, vt obediamus captivando intellectum, talè dictamen rationis naturalis abſdubio poſitivè moveret ad captivandum in-

intellectum, & imperaret aſſenſum fidei; hoc autem planè repugnat, cum aſſenſus fidei ſit eſſentialitèr ſupernaturalis, & imperari non poſsit actu merè naturali, vt ipſimet PP. Salmant. probatum ſupponunt. Rurſus, quia dictamen rationis naturalis dictare nequit ex motivo, & fine ſupernaturali, ſed tantum ex motivo, & fine naturali: Sed ex motivo, & fine naturali non poteſt dictare aſſenſum ſupernaturalem; aliàs ordinaret aſſenſum ſupernaturalem ad finem inferioris ordinis: Ergò nec dictare poteſt eſſe obediendum Divino Teſtimonio, & captivandum intellectum, nam in hoc formaliſsimè conſiſtit aſſenſus ſupernaturalis fidei. Demum, quia dictare eſt proprium rationis, & luminis ſuperioris reſpectu luminis, aut facultatis inferioris: Sed ratio naturalis non eſt ſuperior, ſed potius inferior lumine, ſeù facultate, cui attinet obedire Divino Teſtimonio, & captivare intellectum, cum hæc facultas ſit ſupernaturalis, & ipſum lumen fidei: Ergò ratio naturalis ei dictare non poteſt, quod obediat Divino Teſtimonio, & captivet intellectum in obſequium illius. Nec Div. Thom. *in præſent. quæſt.* 10. *artic.* 1. *ad* 3. oppoſitum docet, dùm dicit: *Habere fidem non eſt in natura humana, ſed in natura humana eſt, vt mens hominis non repugnet interiori inſtinctui, & exteriori veritatis prædicationi, vndè infidelitas ſecundum hoc eſt contrà naturam*; ſolum enim contendit, quod repugnare, vel non repugnare fidei eſt in natura; ex hoc autem non probatur eſſe in facultate naturę, aut in vi rationis naturalis dictare eſſe credendum, ſeù eſſe captivandum intellectum, quia primum ſolum importat influxum negativum naturę in actum fidei, non ponendo obicem, nec poſitivè repugnando; ſecundum autem importat influxum poſitivum per dictamen poſitivè obligans, & movens; & ex eo quod naturę concedatur primus influxus negativus, non infertur ſecundus. Vndè cenſeo, quod in vi ſolius luminis, & rationis naturalis non poteſt obligari homo poſitivè ad credendum fide determinatè Divina, & ſupernaturali, ſed ad ſummum poteſt obligari ad non repugnandum poſitivè fidei; vndè ſi poſitivè repugnet, aget contra dictamen rationis naturalis, & in hoc ſenſu dixit Div. Thom. *Quod infidelitas eſt peccatum contra naturam*, quod debet intelligi de infidelitate poſitiva, non de negativa.

40. Tertiò, & benè, probant PP. Salmant. præceptum fidei poſſe dici naturale, hoc eſt, quaſi connaturale gratię, quę eſt natura in ordine ſupernaturali; nam ita ſe habet cognitio ſupernaturalis reſpectu hominis elevati per gratiam, & participantis Divinam naturam, ſicut cognitiò hominis naturalis reſpectu hominis conſiderati ex propria natura: Sed reſpectu hominis in propria natura cognitio ſui finis, naturalis eſt, & ipſi connaturaliter debita: Ergò reſpectu hominis vt participis Divinę naturę, & elevati ad naturam altioris ordinis ſupernaturalis, erit etiam naturalis, & connaturaliter debita cognitio finis ſupernaturalis, ad quem per gratiam ordinatur: Sed hæc pro præſenti ſtatu eſt fides, ſeù actus illius: Ergò actus fidei, & conſequenter præceptum credendi in hoc ſenſu poteſt dici naturale, ſeù connaturaliter conſequens ad naturam ordinis ſupernaturalis, quę eſt Gratia.

41. Inquires ſecundò: *Quando obliget præceptum fidei?* Reſpondeò primò, præceptum fidei eſſe duplex; aliud negativum prohibens diſcredere, aut repugnare Myſteriis à Deo revelatis; aliud poſitivum, de actu poſitivo credendi. Igitur præceptum negativum obligat ſemper, & pro ſemper. Ratio eſt, quia repugnare, aut poſitivè diſcredere Myſterijs à Deo revelatis, ſemper eſt intrinſecè malum, cum ſit contemnere Divinam revelationem vt propoſitam per Eccleſiam: Sed ſemper obligamur, & pro ſemper ad nihil faciendum intrinſecè malum: Ergò ſemper, & pro ſemper obligamur ad non diſcredendum poſitivè rebus fidei. Notandum verò eſt, quod hoc præceptum, vt negativum, non imponitur homini ſecundum vires gratię, ſed illi ſecundum vires naturę, quia ſolum ſecundum vires naturę poteſt repugnare fidei, & contemnere Divinum Teſtimonium, & ipſi prohibetur ſic repugnare.

42. Sed dices: Rudes, & ruſtici ſæpè negant plura revelata in Sacris Scripturis, quin contraveniant præcepto negativo fidei: Ergò tale præceptum non obligat ſemper, & pro ſemper omnes. Diſtinguo antecedens: Negant per ignorantiam, concedo; Cum ſufficienti notitia, quod revelata ſint à Deo, & propoſita per Eccleſiam, nego antecedens, & conſequentiam, quia cum ex pura ignorantia negàtur aliquid revelatum, non repugnatur poſitivè Divino Teſtimonio, nec illud contemnitur, & ideò hoc non tollit, quod ſemper, & pro ſemper prohibitum ſit repugnare Divino Teſtimonio, aut rebus fidei, vt talibus.

43. Reſpondeo ſecundò, quod præceptum poſitivum dupliciter obligat, vel directè, vel indirectè. Obligat indirectè, quando obligat, non propter ipſum actum fidei, ſed propter alium actum, ad quem requiritur ac-

tus fidei, & ſic obligat, quotieſcumque datur obligatio ad aliquem actum non potentem debitè exerceri ſine actu fidei, v. g. quando datur obligatio eliciendi actum charitatis, aut ſpei, aut conficiendi, vel recipiendi aliquod Sacramentum, tunc enim indirectè obligat præceptum fidei, quia illa debitè exerceri non poſſunt ſine illo.

44. Reſpondeo tertiò, quod præceptum poſitivum fidei obligat directè, & per ſe omnes, quando primò illis pervenientibus ad vſum rationis proponitur ſufficienter fides. Probatur, primò, quia omnes, quam primum perveniunt ad vſum rationis, tenentur procurare ſuper omnia ſuam ſalutem, & adhibere omnia media neceſſaria ſimpliciter ad illam, ſi poſſint: Sed actus fidei eſt medium ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, & poteſt elici, dùm fides ſufficienter proponitur: Ergò omnes in eo principio vſus rationis tenentur ad actum fidei, ſi res fidei illis ſufficienter proponantur. Secundò: Quia pro tunc tenetur quiſque determinare viam procurandi ſuam ſalutem, & beatitudinem, ad quam eſt natus, & creatus: Non determinatur autem, niſi per fidem determinatę Religionis: Ergò pro tunc tenetur quiſque credere determinatam Religionem, propoſitam vt ſufficienter credibilem. Alioquin hæreret dubius poſitivè, & claudicans in duas partes, ſine motivo prudenti dubitandi, quia ſemèl ſuppoſita ſufficienti propoſitione fidei, non poteſt eſſe ratio prudens dubitandi: Hoc autem modo hærere dubium, & claudicans in duas partes, quando tenetur determinatè procurare ſuam ſalutem, & tendere ad beatitudinem, abſdubio eſſet peccare, & contemnere ſuam ſalutem: Ergò.

45. Reſpondeo quartò, obligare etiam per ſe in articulo mortis. Patet, quia ſi obligat, dùm homo incipit viuere rationalitèr hanc vitam mortalem, multò magis obligare videtur, dùm homo eſt in tranſitu ad vitā ęternaliter duraturam, ad quem tranſitum debet ſe diſponere cum magno timore, & tremore; vndè praxis Eccleſię obtinuit, omnes fideles in illo Articulo obligare ad fidei Profeſſionem, ſicut obligat ad ſuſceptionem Sacramentorum.

46. Reſpondeo quintò, obligare etiam durante hac vita mortali interdum, & non magno temporis intervalo prætermiſſo. Vndè propoſitio illa, quę aiebat: *Sufficit ſemèl in vita actum charitatis elicere*, iam fuit proſcripta ab Innocent. XI. idem autem videtur dicendum de actu fidei, qui non minus eſt neceſſarius ad ſalutem. Veruntamen, meritò hìc notant plures, ſufficienter ſatisfieri huic præcepto à Fidelibus, dùm debitè audiunt ſacrum, ſuſcipiunt Sacramenta, & alia opera Religionis exercent, quia hæc exerceri vix poſſunt, niſi præmittendo exercitium fidei, licèt reflexè non advertatur.

47. Reſpondeo denique, obligare etiam præceptum fidei, quando homo tentatur graviter contra fidem. Patet, quia virtus fidei per ſe ordinatur ad reſiſtendum talibus tentationibus; vndè ſi tunc fidem non exerceret, conſentiret virtualiter tentationi, & ſineret ſe vinci ab illa: Ergò tenetur tunc reſiſtere exercendo fidem. Et hæc quidem doctrina in his reſponſionibus contenta, communis eſt inter Theologos, quos opus non eſt referre ſigillatim.

48. Inquires tertiò: *Ad quos Articulos ſe extendat obligatio fidei?* Reſpondeo primò, non ſufficere credere in genere quidquid tenet S. M. E. nihil in particulari credendo, nec eſſe obligationem credendi in particulari, & ſigillatim exprimendo omnia, quę ſunt à Deo revelata in S. Scriptura. Primum patet, quia credere aliquos Articulos determinatè, & explicitè eſt neceſſarium ad ſalutem, neceſsitate medij, vt oſtenſum manet: Ergò obligatio fidei ad illos determinatè, & explicitè credendos extenditur, & non ſufficit illa fides implicita, & confuſa omnium. Vndè ſententia oppoſita, quę tribuebatur aliquibus Canoniſtis, fuit proſcripta à Gregorio XI. vt referunt DD. Secundum etiam patet, quia nemo obligatur ad impoſsibile: Impoſsibile autem eſt pleriſque Fidelibus, vel ferè omnibus, exceptis his, qui Sacrę Scripturę intelligendę, & exponendę ſe dicarunt, omnia, quę in illa continentur determinatè, & expreſsè credere: Ergò ad id non obligat poſitivè præceptum fidei; licèt detur præceptum negativum de nulli illorum diſcredendo, aut repugnando poſitivè.

49. Reſpondeo ſecundò, quod præceptum poſitivum fidei obligat omnes Chriſti Fideles ad credendum explicitè quatuordecim Articulos in Symbolo contentos; idque ſatis eſt, per ſe loquendo, ad præceptum fidei implendum. Primum patet, ex communi Eccleſię praxi, quę nullum admittit ad Baptiſmum, imò nec ad Sacramētū Pœnitentię, & Matrimonij, niſi prius ſit inſtructus de Myſterijs in Symbolo cōtētis, ſeù in Articulis: Eccleſia autē ad id non obligaret, ſi præceptum fidei ad ea explicitè credenda non ſe extenderet: Ergò. Secundum etiam patet. Nam Eccleſia ad plus non

non obligat Fideles in genere. Imò Apoſtoli, qui compoſuerunt Symbolum, ſanè illud compoſuerunt, vt intimaretur Fidelibus quidquid explicitè debebant credere: Ergò nihil amplius præcipitur per ſe loquendo.

50. Sed dices: Præceptum fidei obligat etiam ad credendum explicitè Myſterium Euchariſtię: Sed hoc explicitè non continetur in Symbolo: Ergò obligat ad plùs credendum explicitè, quam quod continetur in Symbolo. Reſpondetur, quod præceptum fidei, in quantũ eſt ſolum de credendis, per ſe non obligat ad fidem explicitam huius Sacramenti, ſed ſolum ex conſequenti, ſicut obligat ad fidem cæterorum Sacramentorum, nempè Baptiſmi, Pœnitentię, & aliorum; & ad decem Præcepta Decalogi credenda, Orationem Dominicam, & alia huiuſmodi, quę magis per ſe pertinent ad agendum, recipiendum, & orandum, quam ad credendum; cæterum quia debitè recipi, aut exerceri non poſſunt, nec debitè colli Sacramentum Euchariſtię, niſi credendo, propterea ex conſequenti præceptum fidei obligat ad fidem explicitam illorum. Loquendo autem per ſe primò ſolum obligat ad fidem implicitam, prout ſunt media noſtrę ſalutis implicitè credita in Articulo Salvatoris, aut Redemptoris. Et hæc quidem curſim, & obiter dixerim, quę communia ſunt inter Authores; quorum tamen exacta diſcuſio ad Theologos Morales ſpectat, in quibus videri poſſunt.

QUÆSTIO XII.

AN FIDEI CONFESIO SIT neceſſaria ad ſalutem, & qualiter?

1 SUPPOSITIS, quę dicta remanent præcedenti quæſtione, facilius ennodatur iſta. Vndè.

2. Dico primò: *Confeſſio exterior fidei eſt neceſſaria ad ſalutem, non quidem ſemper, ſed quando per eius omiſſionem ſubtraheretur honor Deo debitus; & vtilitas proximis impendenda.* Ita expreſsè Div. Thom. *in præſenti.* Et probatur primò ex illo Apoſt. ad Rom. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*: Id eſt, corde creditur ad iuſtitiam acquirendam; ſed ad ſalutem ęternam conſequendam neceſſaria etiam eſt oris confeſſio, hoc eſt, externa fidei confeſſio. Item, ex illo Matth. 10. *Omnis ergò, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cælis eſt; qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & eum coram Patre meo, qui in Cælis eſt.* Et ex illo Luc. 9. *Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet, cum venerit in Maieſtate ſua*: Ergò eſt neceſſarium ad ſalutem non erubeſcere fidem Chriſti, ſed illam confiteri coram hominibus.

3. Et ratio à priori eſt, quia neceſſarium eſt, neceſſitate ſalutis, quód homo ſe vniat, & incorporetur Corpori Chriſti Myſtico viſibili, quod eſt Eccleſia, & quòd fiat membrum eius: Sed non ſic vnitur, niſi per externam fidei Profeſſionem, & confeſſionem: Ergò hæc eſt neceſſaria neceſſitate ſalutis. Dices, ſatis hominem vniri Eccleſię viſibili per ſuſceptionem Baptiſmi. Sed contra eſt, quia ideò per ſuſceptionem Baptiſmi homo vnitur Eccleſię viſibili, quia ipſa ſuſceptio Baptiſmi eſt externa fidei confeſſio, qui enim adultus baptizatur, ipſa voluntaria ſuſceptione publicum facit ſe credere Chriſtum, & eſſe Chriſtianum, non enim confeſſio fidei ſita eſt præciſè in eo, quod ore pronunciet, ſed ſatis eſt, quod ſigno aliquo externo, per ſe ad hoc inſtituto, publicum faciat, & ſignificet exterius ſe eſſe Chriſtianum, ſeù credere in Chriſtum, hæc enim eſt externa confeſſio, & profeſſio fidei: Ergò ſemper verum tenet, quod requiritur de neceſſitate ſalutis externa fidei confeſſio. Contra ſecundò, quia fidelis tenetur de neceſſitate ſalutis, eſſe fidelis, non ſolum interius, & inviſibiliter, ſed exterius, & viſibiliter, hoc enim provenit ex ipſa hominis conditione, quia cum non ſit ſolum Anima inviſibilis, ſed coaleſcens ex Spiritu inviſibili, & corpore viſibili, propterеà inſtituit Deus vt ſalutem ſuam operaretur per media ſpiritualia, & corporalia, viſibiliter, & inviſibiliter, & ideò inſtituit Sacramenta, quę ſunt ſigna viſibilia, inviſibilem gratiam communicantia, aiente Div. Chriſoſtomo: *Si nudus, & incorporeus eſſes, nuda, & incorporea tibi dediſſet ipſe dona, ſed quoniam Anima corpori conſerta eſt, propterea in ſenſibilibus, inſenſibilia tibi præſtat*: Neceſſum ergò eſt neceſſitate ſalutis, quod homo ſit Fidelis, non ſolum interius, & inviſibiliter, ſed exterius, & viſibiliter: Sed hoc eſſe nequit ſine profeſſione, & confeſſione externa fidei: Ergò hæc eſt de neceſſitate ſalutis.

4. Dico ſecundò: *Datur præceptum Divinum, non ſolum negativum de Confeſſione fidei, hoc eſt, prohibens illam negare; ſed etiam affirmativum obligans ad illam confitendam.* Primum patet, ex illo Matth. ſuprà: *Qui autem*

me-

negaverit me coram hominibus, negabo eum coram Patre meo, quę comminatio abſdubio habet vim præcepti Divini de non neganda fide. Secundum etiam patet ex illo Luc. 9. *Qui me erubuerit, & meos ſermones, erubeſcam & ego eum coram Patre meo*, nam ille dicitur erubeſcere, qui non audet confiteri exterius Chriſtum, & non ſolum, qui negat: Ergò Chriſtus non ſolum prohibet ſuis negare ipſum, ſed etiam præcipit vt ipſum exterius confiteantur. Confirmatur, quia datur præceptum non prodendi fidem, & veritatem Chriſtianam, cum hoc ſit maximum peccatum contra fidem: Sed, vt loquitur Chriſoſt. Homil. 25. imperfecti: *Non ſolum ille proditor eſt veritatis, qui tranſgrediens veritatem palam mendacium loquitur; ſed etiam, qui non liberè veritatem pronuntiat, quando oportet*: Ergò tenemur liberè pronuntiare veritatem Chriſtianam, quando oportet, ne ſimus illius proditores: Ergò de hoc datur præceptum.

5. Deindè probatur ratione D. Tho. in præſenti, nam ea, quę ſunt neceſſaria ad ſalutem cadunt ſub præceptis Divinę Legis: Sed aliquando eſt de neceſsitate ſalutis confiteri externè fidem, quando nempè ſubtraheretur honor Deo debitus ex confeſsione omiſſa, aut vtilitas proximis impendenda: Ergò datur præceptum affirmativum confeſsionis fidei, quod nempè non obligat ſemper, & pro ſemper, ſed ſolum in aliquibus caſibus, & circunſtantijs, ſicut alia præcepta affirmativa, nam de ratione præcepti affirmativi ſolum eſt obligare ſemper, ſed non pro ſemper.

6. Dices, in prædictis caſibus dari quidem præceptum confitendi fidem, ſed hoc non eſſe præceptum proprium fidei, ſed Religionis, quando nimirum ſubtraheretur honor Deo debitus; vel charitatis, quandò ſubtraheretur vtilitas proximo impendenda: Nam in primo caſu, ex Religionis motivo obligamur ad honorem Deo reddendum, in ſecundò ex motivo charitatis ad vtilitatem proximi. Sed contra, nam licèt in prædictis caſibus concurrant præcepta, & motiva Religionis, & charitatis obligantia, hoc non tollit, quod concurrat etiam præceptum proprium fidei obligans; nam illę circunſtantię honoris Dei, & vtilitatis proximi, dupliciter conſiderari poſſunt, nempè, vel motivè, vel per modum circunſtantię determinantis materiam præcepti fidei: ſi ſumantur motivè, fateor, quod obligatio indè reſultans eſt Religionis, vel charitatis; ſed ſi ſumantur per modum circunſtantiæ, tunc locum habet præceptum fidei per ſe obligans in illis circunſtantijs. Nec enim eſt inconveniens, quod reſpectu eiuſdem materię concurrant plures obligationes, & præcepta, ita vt quod eſt motivum vnius, ſit circunſtantia reſpectu alterius: Ergò.

7. Sed inquires primò: *Quando obliget præceptum affirmativum confeſsionis fidei*. Reſpondeo, obligare quotieſcumque ex illius omiſsione ſubtraheretur honor Deo debitus, vel vtilitas proximis impendenda. Ita D. Tho. in præſenti, & cenſetur iſta regula optima ad cognoſcendum quando tale præceptum obliget.

8. Reſpondeo ſecundò, obligare quemlibet, quàm primum Chriſtianus, & Fidelis efficitur. Ratio eſt, quia vi talis præcepti obligamur, vt non ſimus tantum Fideles interius, ſed etiam exterius, & quod vniamur viſibiliter Eccleſię viſibili, & illi incorporemur: Sed hoc pacto vniri non poſſumus, niſi per externam fidei confeſsionem: Ergò, quàm primum aliquis Fidelis efficitur, tenetur fidem exterius confiteri, & Eccleſię viſibiliter vniri. Vndè quicumque Infidelis, qui ad fidem convertitur, tenetur quàm primum Eccleſię ſuam fidem oſtendere, ei ſe viſibiliter incorporando, vel ſi hæreticus, aut apoſtata fuit, ei ſe viſibiliter reconciliando, quod ſi potens, non faciat, non cenſetur impleſſe præceptum fidei integrè, provt debet: Et ratio etiam eſt, quia ex regula poſita, tenetur fidem confiteri, quoties ſubtraheretur ex omiſsione honor Deo debitus, & vtilitas proximis impendenda: Sed ex ſuppoſitione quod quis ſit Fidelis, & credat Chriſtum, tenetur Chriſtum honorare, qui honor ſubtraheretur, ſi fidem internè conceptam occultaſſet, & etiam tenetur ad vtilitatem, & communicationem ſuę fidei cum Fidelibus, nam ex cujuſcumque Infidelis converſione, cæteri Fideles ędificantur, & corpus Eccleſię augetur, quę vtilitas deficeret, ſi fidem externè non profiteretur: Ergò quàm primum poſsit poſt ſui converſionem, tenetur fidem externè Eccleſię confiteri.

9. Confirmatur, quia ille, qui ſemel exterius fidem negavit, & hæreticus, vel Infidelis exterius habitus eſt, quandiù externè fidem non confitetur, cenſetur perſeverare moraliter in fidei externa negatione, & in infidelitate: Sed quilibèt converſus ad fidem tenetur non perſeverare moraliter in fidei externa negatione, quia hæc prohibetur ſemper, & pro ſemper: Ergò tenetur, quàm primum fidem externè confiteri, quia aliter non cenſetur externam infidelitatem retractaſſe, ſiquidem hæc non retractatur ſufficienter per fidem purè internam.

10. Not

10. Notandum tamen eſt, quod ſemèl, quod Eccleſię manifeſtaverit ſuam fidem, non tenetur amplius illam externè confiteri, quia ſemèl externè confeſſa, perſeveret moraliter in externa fidei profeſsione &, confeſsione, quandiù illam vlterius non negaverit. Hoc intellige, niſi de fide interrogetur; nam vt inquit D. Tho. *in præſent. Si aliquis interrogatus de fide, taceret, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non eſſet vera, vel alij per eius taciturnitatem averterentur à fide, in huiuſmodi caſibus confeſsio fidei eſt de neceſsitate ſalutis.* Sed ex his D. Tho. verbis plura reſultant dubia, vndè.

11. Inquires ſecundò: *De qua interrogatione debeat intelligi D. Tho. vt interrogatus teneatur ad fidei confeſsionem, an de interrogatione facta à perſona publica habente authoritatem, an ſolum de interrogatione facta à perſona particulari.* Reſpondeo primò, intelligi debere de interrogatione facta à perſona publicam habente authoritatem, ita vt ſic interrogatus, teneatur confiteri. Ita communiter DD. & patet, quia ſic interrogatus, interrogatur legitimè, & vt teſtis, ita, quod ſi interrogatus taceret, ſubtraheret honorem Deo debitum: Ergò tenetur tunc fidem propalare.

12. Dico ſecundò: *Communiter, & per ſe loquendo, quando Fidelis interrogatur à perſona particulari, & privata, non tenetur confiteri ſuam fidem.* Ita etiam communiter AA. & ratio eſt, quia tunc non interrogatur vt teſtis, ſola enim perſona habens publicam authoritatem poteſt interrogare teſtes, vt teſtes; ſed interrogatur pro libito, & ſine authoritate: Sed Fidelis non tenetur omnibus ſic interrogantibus ſuam fidem manifeſtare, hoc enim nimis oneroſum eſſet, & in pluribus caſibus imprudentia: Ergò. Confirmatur. Nam Chriſtus D. exigens à ſuis Diſcipulis confeſſionem fidei, peculiariter ait Matth. 10. *Ad Præſides, & ad Reges ducemini propter me in teſtimonium illis, & Gentibus*, non ait, ad quoſlibet homines, ſed ad Præſides, & Reges: Ergò ſolum inducit obligationem confitendi fidem, dum interrogamur ab habentibus publicam authoritatem. Dixi in aſſerto, *per ſe, & communiter loquendo*, quia ſi interrogante perſona particulari, ex taciturnitate, aut occultatione fidei, ſubtraheretur honor Deo debitus, aut periclitaretur fides in ſe, vel in proximis, etiam tunc teneretur fidem confiteri, quia huiuſmodi circumſtantię inducunt per ſe obligationem, vt ſupra oſtenſum manet. Cæterum, quia communiter, & per ſe loquendo, ex occultatione fidei reſpectu particularis interrogantis, nihil horum ſequitur, ideò per ſe loquendo, non obligat pro tunc præceptum confeſsionis fidei.

13. Verumtamen valdè notandum eſt, quod adhuc interrogante perſona particulari, non licèt expreſsè negare fidem, quia præceptum poſitivum prohibens negare fidem obligat ſemper, & pro ſemper, & ſic forſan magis peccaret, negando fidem coram perſona particulari interrogante, quàm coram Principe, ſi nimirum hic comminaretur Fidelibus crudelia tormenta, & incuteret magnum terrorem, nam licèt metus, in hoc caſu non excuſet à culpa gravi negationem fidei, tamen in ea linea minuit culpam, ſicut minuit libertatem. Perſona verò particularis non habet vim, nec juriſdictionem comminandi pœnas, nec tormenta, & ſic interrogatus haberet maiorem libertatem ad fidem non negandam, & recuſandam directam reſponſionem; vndè ſi negaret, magis ſpontaneè, & liberè negaret, quod ſanè auget peccatum negationis fidei.

14. Sed dices, quid faciet, qui interrogatus à particulari, ſe non vult manifeſtare Chriſtianum, aut Catholicum, quia non tenetur? Reſpondeo, quod poterit tergiverſare reſponſionem, vel liberè illi dicendo: *Qua authoritate id interrogas? Quis te conſtituit Iudicem Religionis?* Et ſic retundere interrogationem interrogationibus. Vel aliò divertendo converſationem, vel dicendo: *Non teneor meam Religionem tibi manifeſtare*, vel aliquo prætextu præſentiam interrogantis declinando, vel aliter, provt ingenium dictaverit, & occaſio tulerit. Non tamen approbo, quod poſsit abſolutè reſpondere: *Non ſum Chriſtianus*, intelligendo ſic: *Ego legitimè interrogatus non ſum Chriſtianus*, eo quod hæc propoſitio, cum in eo caſu ſit negativa de ſub recto non ſupponente, vera eſt. Non inquam id approbo, quia hoc apertè eſſet negare exterius fidem, & non ſolum illam zelare, vel occultare: Sed quamvis liceat coram perſona particulari occultare, aut zelare fidem, nunquam tamen licèt eam negare: Ergò.

15. Nec dicas, hoc non eſſe negare fidem, ſed illam per amphibologiam occultare. Contra enim eſt, quia ſi hoc non eſſet negare fidem, nec Petrus interrogatus ab Ancilla, illam negaſſet, quamvis dixerit abſolutè: *Non ſum*, quia hoc dixit, non legitimè interrogatus. Secundò, quia nullus eſſet caſus negandi fidem coram perſonas particulares, quia ſemper ſubintelligi poſſet: *Non ſum vt legitimè interrogatus*: Et ſic præceptum ne-

negativum non negandi fidem, nunquam vrgeret, niſi coram Iudices, & Perſonas Publicas, ſicut affirmativum illam confitendi; quia aliter non eſſet caſus negandi fidem, quia ſemper ſub intelligeretur illa particula *vt legitimè interrogatus*: Hoc autem planè eſt abſurdum, quia aliàs non amplius extenderetur obligatio præcepti negativi, quam poſitivi, quod omnes negant. Tertiò, quia licèt huiuſmodi amphibologiæ, aut reſtrictiones aliàs eſſent licitæ, tamen in materia fidei, in qua eſt ſtricta obligatio nunquam negandi illam, minimè permitti poſſunt, quia per illas penitus hæc obligatio extingueretur; nam ſi liceret cuilibet, interroganti reſpondere abſolutè: *Non ſum Chriſtianus*, ſub intelligendo quidquid voles, quid ergò prohiberet præceptum non negandi fidem? Sanè nihil: Ergò non licèt ita reſpondere.

16. Niſi forſan ſenſus interrogantis alius eſſet, quam interrogare de fide, vt poſſet contingere in bello, in quo omnes Militantes pro parte Catholicorum, ex parte principali Exercitus, appellarentur Catholici, ſicut omnes Militantes pro Hiſpania in Exercitu ſolent appellari *Hiſpani*, hoc eſt, factionis Hiſpaniæ, tunc enim ſi aliquis Miles contrarij Exercitus inveniret aliquem, & illi interrogaret, eſt ne Catholicus, aut Chriſtianus? Senſus illius interrogationis non eſſet formaliter, nec directè de fide ipſius, ſed de illius Militia, in quo nempè Exercitu Militaret; vndè ſi bellum non eſſet directè pro Religione, ſed pro temporali ditione, poſſet reſpondere Miles interrogatus *Non ſum Chriſtianus*, quia ad ſenſum interrogantis non negabat per hoc fidem, ſed tantum Militiam temporalem; ſecùs eſſet, ſi bellum eſſet directè pro Religione, quia tunc idem eſſet interrogare de Militia, ac de fide. Et ſimiliter, poſſet eſſe ſenſus interrogantis, de Regione, ſeu Patria, & non de fide, v.g. Si aliquis volens ſcire Patriam peregrini, interrogaret ipſum, eſt ne Chriſtianus, Turca, aut Maurus? Quamvis Chriſtianus eſſet, ſi ex circunſtantijs interrogationis intelligeret prædictum ſenſum, poſſet reſpondere, Maurus, aut Turca, quia propterea cenſeretur negare fidem, ſed ſolum incurreret ſimplex mendacium, imò ſine mendacio id poſſet dicere, ſi oriundus eſſet ex illis Regionibus: Secùs tamen eſt, quotieſcumque ſenſus interrogantis ſit interrogare de fide, & Religione.

17. Inquires tertiò: *An liceat declinare confeſſionem fidei fugiendo perſecutorem, vel poteſtatem publicam inquirentem de fide, & Religione?* Negativa ſententia fuit Tertuliani, qui ſua eloquentia malè vſus in hac parte, ea deturpare conatus eſt fugas Chriſtianorũ in perſecutionibus, appellãs eos, *in pace Leones, in bello Cervos*. Verùmtamẽ eius ſentẽtia communiter reijcitur vt hæretica, & communiter impugnatur à SS. Patribus, quorum Cathelogum invenies apud Suarez *in præſent. diſput. 14. ſect. 3.* Vndè contraria ſententia eſt tenenda.

18. Reſpondeo ergò primò, quod fuga, declinandæ perſecutionis cauſa, non eſt intrinſecè mala, ſed plerumquè honeſta. Probatur primò ex illo Matth. 10. *Cum autem perſequentur vos in Civitate iſta, fugite in aliam.* Et *cap. 24. Qui in Iudæa ſunt, fugiant ad Montes.* In cuius conſilij impletionem, refertur *Actor. cap. 8.* quod, occiſo Stephano, Diſcipuli fugerunt. Imò & *Paulus 2. ad Corinth. 11.* refert de ſe ipſo: *Damaſci Præpoſitus Gentis Aretæ Regis cuſtodiebat Civitatem Damaſcenorum, vt me comprehenderet, & per feneſtram in ſporta dimiſſus ſum per Murum, & ſic effugi manus eius.* Ergò fuga perſecutionis non eſt intrinſecè mala, ſed aliquando licita, & honeſta.

19. Deindè probatur ratione, quia non alia de cauſa eſſet intrinſecè illicita, niſi quia eſſet fidei virtualis negatio, aut contra fidem: Sed potius eſt fidei virtualis confeſsio, ſiquidem propter illam ſubſtinendam, & non negandam, eligitur exilium è Patria, Charorum, & Parentum, nec non temporalium bonorum amiſſio, ita, vt dùm graſſatur perſecutio in Chriſtianos, omnes, qui fugiunt, eo ipſo oſtendant manifeſtè ſe Chriſtianos eſſe, nam ſi Chriſtiani non forent, cur fugerent non haberent; & quidem non vt cumque demonſtrantur Chriſtiani, ſed fortes in fidei confeſsione, quando quidem tot pœnalia mala eligunt, ne fidem negare poſsint, adeò vt dixerit Atanaſius in *Apolog. de fuga ſua*, eos, qui in fuga moriuntur, Martyrij Lauream promereri: Ergò non eſt illicita intrinſecè talis fuga. Reſtat ergò, quando poſſit eſſe licita, quando obligatoria, & quando prohibita, & illicita?

20. Reſpondeo ergò ſecundò, fugam eſſe licitam, & interdum obligatoriam, primò, quando ex præſentia, & confeſsione fidei nulla ſperatur vtilitas fidei, nec proximorum, & imminet ſcandalum, & turbatio infidelium, & quod illi plùs offendant Deum. Ratio huius eſt, quia conſonum eſt charitati, vitare in aliis turbationem, ſcandalum, & occaſionem peccandi; atque adeò licitum, & honeſtum: Sed in prædicto caſu fuga conducit, & eſt medium vnicum ad id vitandum: Ergò eſt licita, & honeſta. Idque confirmat Origenes, *lib. contra Celſum* Exemplo Apoſt. qui

videns Socratem Athenis occiſum propter Dei veritatem conteſtatam, diſceſsit ab Athenis, & ait: *Ex Athenis receſsimus, ne causā domus Athenienſibus idem ſcelus committendi, quale in Socrate commiſerunt, ne vè contra Philoſophiam iterum impietatis coarguantur.* Et Nazianzenus *Orat. in laudem Cæſarij,* ſic ait : *Lex Chriſtiana hoc ſancit, vt vrgente tempore, pro veritate periculum non adeamus, nec pietatem per ignaviam prodamus : Quandiù autem licèt, periculo ipſa non provocamus, ſivè animorum noſtrorum metu, ſivè vt his conſulamus, qui periculum nobis inferunt.* Et *Orat. 1. in Iulian.* ſic ait : *Decet Chriſtianos, non ſolum res conſiderare proprias, etiam ſi magno ſint animo, & fortitudine prædici, ſed etiam perſequentibus parcere, ne fortè ipſis acceptum feratur, quod hoſtium periculo non ſubvenerint.* Imò & Div. Thom. *in præſent. artic. 2. ad 3.* id ipſum confirmat his verbis : *Si turbatio Infidelium oriatur de confeſsione fidei manifeſta, abſque aliqua vtilitate fidei, vel Fidelium, non eſt laudabile in tali caſu fidem publicè confiteri* : Ergò laudabile tunc erit fugere occaſionem.

21. Secundò laudabilis, & honeſta eſt fuga, quando quis eſt Perſona maximè vtilis ad confirmandos Fideles, & poteſt per fugam reſervari ad eorum ędificationem, & confirmationē pro meliori tēpore. Vndè Athanaſ. in Apollogia refert ſe ipſum fugiſſe hoc motivo, & inquit : *Sic Sancti fugiebant, vt tanquam Medici in vſus indigentium reſervarentur.* Et Div. Auguſt. id confirmat, *tract. 46. in Ioann.* exemplo Pauli, qui fugit ex Civitate Damaſcenorum, vt communi Fidelium vtilitati ſervaretur.

22. Tertiò erit laudabilis fuga, quando quis conſiderans ſuam infirmitatem, vehementer timet, ſe non forè conſtantem in tortura. Et Ratio eſt, quia tunc potius erit vituperabile non fugere periculum imminens, ſiquidem quiſque tenetur fugere periculum imminens negandi fidem, ſicut & peccandi. Vndè Div. Cyprianus *lib. de Lapſis*, vehementer objurgat plures Chriſtianos, qui in perſecutione fidem negarunt, nec admittit excuſationem illorum, quod metu mortis in eam negationem lapſi fuerint; inquitquè, ipſos non metu mortis, ſed metu ſolius amiſsionis bonorum temporalium in id crimen incurriſſe, quia ſi bona caduca non plùs ęſtimaſſent, quam fidem, potuiſſent, vt debebant, conſiderando ſuam fragilitatem, evadere perſecutionem fugiendo, & omnia relinquendo, ne fidem proderent.

23. Reſpondeo ſecundò, fugam interdum etiam poſſe eſſe illicitam, & peccaminoſam. Primò caſu, quo aliquis vt Paſtor habeat curam Animarum, & non poſsit fugere niſi deſerendo ſuas oves in manifeſto periculo, tunc enim tenetur oves non deſerere, nedum ex charitate, ſed etiam ex officio, & ex iuſtitia, iuxta illud Ioann. 10. *Bonus Paſtor Animam ſuam dat pro ovibus ſuis; mercenarius autem videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit.* Et illud Zacharię 11. *O Paſtor, & Idolum, derelinquens gregem.* Vndè in hoc caſu fuga eſt turpis, & illicita. Secundò, quamvis quis non ſit Paſtor, nec teneatur ex Officio Fideles confirmare, ſi ratione authoritatis, & doctrinę poſſit Fideles periclitantes confirmare, vel fidem defendere, obligabitur id facere cum periculo ſuę vitę, tunc enim tenet Chriſti præceprum: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, Animam autem non poſſunt occidere.* Et ratio eſt, quia charitas vrget nos, vt anteponamus vitam ſpiritualem proximorum, & honorem Dei, vitę noſtrę temporali; Sed in prædicto caſu imminet Fidelibus proximis periculum amittendi vitam ſpiritualem per fidei negationem, & ſubtrahendi Deo honorem debitum in fidei confeſsione, negando ipſam : Ergò tenebitur ex charitate vir Chriſtianus, qui poteſt ſua præſentia cęteros roborare, & vacillantes confirmare, non fugere, ſed exponere ſuam vitam temporalem.

24. Inquires quartò; *an liceat occultare fidem veram, ſimulando falſam Sectam, ſeù exercendo actiones indicativas, aut proteſtativas illius.* Ante quam reſpondeam noto, de tribus poſſe militare difficultatem iſtam, nempè, primò de actionibus proteſtativis falſę Religionis, quę poſſunt eſſe in duplici differentia; alię, quę ex natura ſua ordinantur ad Religionem proteſtandam, & exercendam, vt adorare, genuflectere ante Idolum, pectus tundere; alię quę ex libero inſtituto hominum ad hoc ordinantur, vt ſi in aliqua Natione ad dignoſcendos Sectatores illius Religionis, ab alia, inſtituatur aliqua actio, vel ſignum aliquod, vt portare Idolum ante pectus, vel aliquid huiuſmodi. Secundò poteſt eſſe de veſtibus, quę etiam poſſunt eſſe in triplici differentia, alię, quę licèt ſint communes omnium Sectatiorum illius Religionis, non ſunt tamen per ſe inſtitutę, nec primario, nec ſecundario ad Religionis cultum, vel proteſtationem; alię, quę ſunt inſtitutę per ſe primò ad Religionis proteſtationem; alię, quę non per ſe primò, ſed ſecundario deſignant Sectatores illius Religionis. Quo ſuppoſito.

25. Dico primò : Non licèt occul-

tare noſtram Religionem, nec ſimulare falſam, per actiones de ſe proteſtativas falſę Religionis. Ita communiter PP. & DD. quorũ calculum referunt PP. Salmant. in præſenti. Probaturque primò ex antiquiſsima Eccleſię traditione, nam ſemper Eccleſia illicitum iudicavit, turificare, ſacrificare, & celebrare dies Idolis dicatos, & Idolotytis veſci; & quicumque hoc feciſſent, tanquam fidei proditores ab Eccleſia habiti ſunt: Ergò. Secundò ratione à priori, quia ille, qui verbis ſignificaret ſe profiteri Sectam aliquam, abſdubio proderet fidem Catholicam, & eam externè negaret: Sed non minus loquimur, aut ſignificamus factis, quam verbis: Ergò qui factis ſignificaret ſe profiteri Sectam diverſam à Religione Catholica, ille proderet fidem Catholicam, & eam negaret factis non minus quam verbis: Ergò id non licet. Tunc ſic, ſed qui elicit actiones proteſtativas falſę Religionis, ſeù Sectę, illis factis expreſsè ſignificaret ſe profiteri illam Sectam, ęquè vel magis, quam ſi verbis id ipſam diceret: Ergò. Explicatur: Qui ante Idolum diceret, illud reſpiciens: *Adoro te*, abſdubio profiteretur externè Idolatriam, & negaret fidem Chriſtianam: Et hoc non alia ratione, niſi quia illis verbis ſignificaret ſe interius adorare, & credere Idolum vt Deum: Sed qui exterius actionibus adoraret, genuflectendo, humiliando caput, & tundendo pectus, aut turificando, id ipſum illis actionibus ſignificaret: Ergò externè profiteretur Idolatriam, & negaret fidem Chriſtianam.

26. Dico ſecundò: Adhùc loquendo de actionibus, quę ex inſtituto hominum ſunt proteſtativè falſę Religionis, non eſt licitum eas exercere ad occultandam fidem. Probatur, quia etiam verba ſolum ſunt ſignificativa ex inſtituto hominum; & tamen minimè licèt in terra Sectariorum ad occultãdam fidem Chriſtianam, proferre verba, quę ex inſtituto illius gentis habent ſignificare proteſtationem ſuę Sectę, aut illius profeſsionem, quia hoc eſſet formaliſsimè illam Sectam externè profiteri, & negare fidem Catholicam: Ergò pariter exercere actiones, quę ex inſtituto illius gentis ſignificarent profeſsionem, & proteſtationem ſuę Sectę, eſſet illam externè profiteri, & Religionem Chriſtianam negare. Vndè ſi in ea Regione inſtitutum ſit, vt omnes Idolatrę, vel Sectarij certis diebus anni eliciant aliquas ceremonias, aut ieiunia, vel celebrent illos vt feſtivos, vel quod afferant Idolum, aut aliud ſignum proteſtativum illius Sectę, vt dignoſcantur tales Sectatores, dico, quod non licebit concurrere ad illas ceremonias, aut obſervare dies illos, ad occultandam fidem veram ſimulando falſam.

27. Dico tertiò: Chriſtianus ingrediens terram Sectariorum poteſt occultare propriam Religionem induendo veſtes illorum communes, quę per ſe nec primario, nec ſecundario ſunt proteſtativę illius ſectę. Patet, quia licèt ex hoc poſsint decipi ipſi, putando ipſum eſſe ſuę Sectę, veruntamen ipſe per ſe in hoc non decipit eos, quia non exercet actionem per ſe ſignificativam Religionis, ſed per ſe indifferentem, & inconnexam, qualis eſt ille veſtiũ ornatus, ſicut qui ingrediens terram Turcarum, loqueretur eorum Idiomatè, & in vſibus ſæcularibus, & temporalibus illorum illis ſe conformaret, totum hoc facere poſſet ſine Religionis præiudicio: Ergò totum hoc licet, & ſic in bello ſæpè Chriſtiani ludificarunt Turcas, abſque vllo peccato contra Religionem.

28. Dico quartò: Licet etiam vti veſtibus, quę ex primaria intentione habent alios vſus diſtinctos à Religione, licèt ſecundario diſcernant Sectarios à non Sectarijs falſę Religionis. Probatur, quia, cum voces aliquę ex primaria inſtitutione ſignificant aliquid, quod eſt verum, licèt ex vſu ſecundario ſignificent id quod eſt falſum, poteſt quis eas proferre ſine mendacio, quia loquens non tenetur attendere ad omnes ſignificationes, etiam ſecundarias, ſed ſolum ad præcipuam, & primariam, imò, ſi ex ęquo habeat duas ſignificationes, vnam veram, & aliam falſam, poteſt ſine mendacio vti illa ęquivocatione, licèt indè audiens fallendus ſit, vt communiter tenent DD. Sed nemo tenetur magis obſervare veram ſignificationem in veſtibus, quam in vocibus: Ergò ſi veſtes ex primario inſtituto habeant ſuos vſus independenter à profeſsione Sectę, poterit Chriſtianus eis vti ſecundum illos vſus, quidquid ſit de ſecundario inſtituto ad ſignificandam profeſsionem Sectę.

29. Dico quintò: Non tamen licet vti veſtibus vnicè, & primario inſtitutis ad ſignificationem, & proteſtationem Sectę, vel falſę Religionis, v.g. vbi præcipiatur, vt omnes, & ſoli Idolatrę afferant in veſtibus Imaginem Idoli, aut Idolum in pectore in ſignum ſuę Religionis, tunc enim indui talis imaginibus, aut afferre Idolum, non habet alium vſum, niſi ſolius proteſtationis talis Religionis, & ſic illud afferre ſicut cæteri formaliſsimè eſt illam Religionem externè profiteri. Idem de veſtibus Sacerdotalibus inſtitutis ad cultum illius; idem de veſtibus, ſi quę ſint, deputatis per ſe primò ad aliquos Sacerdotes, vel

num. 104. Admiſſa evidentia illius principij non probat in Angelo evidentiam in atteſtante, ſed evidentiam ſcientię. num. 106. Illud principium verum eſſet, quamvis in primo inſtanti (vt poſsibile fuit) fuiſſet Angelus illuminatus, vel alloquutus ab aliqua creatura. *Ibid.* Evidentia deſumpta ex eo, quod aſſenſus Angeli in primo inſtanti eſſet de neceſsitate verus, non probat evidentiam in atteſtante conciliari cum fide. num. 108. Illud principium ſolum adducitur à Div. Thom. vt probet operationem incipientem cum eſſe Angeli non poſſe eſſe malam ex libero arbitrio. num. 109. Vndè ſolum probat Angelum non potuiſſe errare culpabiliter in primo inſtanti, non verò quod falli non potuerit inculpabiliter ab alia creatura. *Ibid.* & num. 110. Explicatur duplex vniverſalitas prædicti principij. num. 111. Dato quod cognoverit evidenter Deum ſibi loqui, non cognovit evidenter ſenſum, in quo ſibi loqueretur. num. 114. Talis ſenſus non fuit determinatus vnicè per inſtinctum, num. 116. Sed ex ſignis, vel ſigno aliquo reddente illum ſenſum evidenter credibilem, num. 117. Facilius fuit Angelum ignoraſſe ſenſum loquutionis, quam Authorem illius. num. 118. Licèt aſſenſus Angeli in primo inſtanti fuerit ſupernaturalis, id tamen evidenter reflexè non cognoſcebat. num. 119. Licèt aſſenſus eſſet Angelo evidens, non indè probatur evidentia in atteſtante de ſenſu loquutionis, num. 120. Deus propoſuit Angelo Myſteria in ſenſu determinato, ſed non evidenter determinando talem ſenſum. num. 122. Angelus in primo inſtanti potuit negativè dubitare de ſenſu determinato, ſed non poſitivè, num. 124. attenta nempè propoſitione obiectiva revelationis, & ſenſus illius intra ſphæram intellectus. num. 125. Voluntas Angeli non potuit in primo inſtanti nolle poſitivè credere, potuit tamen non vellè, ſeù negativè ſe habere, *Ibid.* & num. 126. Licèt Angelus fuerit impeccabilis pro primo inſtanti, non tamen omninò infallibilis. num. 127. Credidit in illo cum libertate partę cõtradictionis, in ſecũdo vero cũ libertate cõtrarietatis. num. 129. Revelavit ei Deus Myſteria, ſine evidentia adæquata in atteſtante. *Ibid.* Non eſt inconveniens, quod aliquibus hominibus Deus tranſeunter revelaverit Myſteria clariùs, quam Angelo in primo inſtanti. num. 130. Ex eo quod Angelus non vidit Deum in illo probatur habuiſſe fidem, attenta lege ordinaria, non verò attenta potentia Dei abſoluta. num. 132. Angelus non credit alijs ſibi loquentibus, fide obſcura, & ſtrictè tali, ſed latè dicta. num. 143.

Anti-Chriſtus non faciet vera miracula, & cur? Diſputat. 2. quæſt. 2. numer. 12.

Appetitus elicitus ſequitur ad formam apprehenſam, ſicut naturalis ad formam naturalem. Diſputat. 5. quæſt. 10. num. 89. & 97. Appetitus intellectualis differt à ſenſitivo, non ex eo, quod iſte reguletur apprehenſione, ille iudicio, ſed quia apprehenſum movens eſt diverſi generis, nempè bonum vniverſale, vel bonum ſingulare, num. 88.

Apprehenſio obiecti motivi fidei ſolum eſt conditio, non ratio formalis motiva fidei. Diſputat. 1. quæſt. 1. à num. 17. & 29. Apprehenſio obiecti motivi non variat ſpeciem actus; ſed ſolum variatur penes obiectum apprehenſum. num. 31. Apprehenſiones Myſterij credendi, & motivi debent præcedere actum fidei. Diſputat. 5. quæſt. 6. num. 1. Ad actum fidei prærequiritur aliqua ſaltèm apprehenſio ſupernaturalis. num. 2. non ſolum, quę proponat intellectui Myſterium vt revelatum ſub ratione boni, vt alliciat voluntatem, ſed quę proponat illud ſub ratione veri vt moveat intellectum. num. 12. Probabilius exiſtimo non requiri apprehenſionem ſupernaturalem myſterij ſecundum ſe, & ſatis eſſe naturalem. num. 13. Nemo poteſt viribus ſolius naturę apprehendere myſterium, vt revelatum, apprehenſione ſuaſiva in exercitio ad illud credendum fide ſuperna. num. 14. benè verò apprehenſione non ſuaſiva. num. 15. Melius apprehendit ruſticus Catholicus motivum formale fidei, quam Hæreticus litteratus. E contra autem eſt de obiecto materiali. quæſt. 7. à num. 11. Apprehanſio ſuaſiva revelationis eſt quę proximè regulat fidem. quæſt. 10. à num. 38. Talis apprehenſio ſuo modo eſt infallibilis. num. 68. Vidè. *Illuſtratio Regula, & Fides.*

Argumenta credibilitatis, ad quid proſint. Diſputat. 4. quæſt. 4. à num. 16. Ea, quibus vtuntur PP. ex mente Div. Thom. non ſunt demonſtrationes, ſed perſuaſiones ad oſtendendum non eſſe impoſsibile, quod fides docet, vel procedunt ex ſuppoſitione fidei. Diſputat. 5. quæſt. 10. num. 50. & Diſputat. 4. quæſt. 3. num. 43.

Articuli fidei convenienter quatuordecim enumerantur, & per illos tota materia fidei traditur. Diſputat. 1. quæſt. 12. à num. 21. Creverunt temporum ſucceſsione, quoad explicationem, non quoad ſubſtantiam. num. 29.

Aſſenſus fidei eſt reverentia, non ſtrictà, ſed latè dicta, reſpectu divini teſtimonij. Diſput. 1. quæſt. 1. num. 11. Eſt intrinſicè certus certitudine adhæſiva. Diſputat. 2. quæſt. 5. num. 10. Vidè *Certitudo.* Repugnat aſſenſus fidei, qui non attingat intrinſecè, & per ſe re-

velationem, aut motivum. Diſputat. 1. quæſt. 6. à num. 5. aliàs non erit intrinſecè infallibilis. n. 7. Licèt in illo Fideles nō exprimāt diſtinctè revelationē, illam tamen attingunt in communi, & exercitè per modum rationis formalis *ſub qua*, licèt non ſemper ſignate, & cum reflexione, à num. 16. Aſſenſus fidei de Chriſto venturo, quomodo continuatus fuerit poſt Chriſti Nativitatem. Diſputat. 2. quæſt. 4. à num. 28. Idem aſſenſus fidei non poteſt tranſire de verò in falſum, adhùc per accidens. num. 29.

Authoritas Dei triplex, ſeù tripliciter conſiderata. Diſputat. 1. quæſt. 2. num. 72. Auxilium divinum eſt motivum ſpei theologicę. Diſputat. 1. quæſt 2. à num. 57.

B.

Bruta non habent libertatem in appetendo, cuius ratio non eſt, quia regulantur per apprehenſionem, & non per iudicium perfectum, ſed quia non apprehendunt bonum vniverſale, ſed ſolum ſingulare. Diſputat. 5. quæſt. 10. num. 90.

Bonum repromiſſum eſt primum movens ad credendum. *Ibid.* à num. 101. Eſt obiectum proprium pię affectionis. num. 107.

C.

Canonizatio. Pię credi debet Spiritum Sanctum aſſiſtere Eccleſię, & Papę in Canonizatione cuiuſvis Sancti, ac proindè ipſum in eo canonizando errare non poſſe. Diſputat. 3. quæſt. 15. à num. 28. Qui oppoſitum diceret eſſet impius, temerarius, ſcandaloſus, erroni proximus, & ſapiens hæreſim. num. 29. Dùm Summus Pontifex aliquem canonizat non facit immediatè de fide, directè, & abſolutè illum eſſe in Gloria, ſed ſolum id certificat certitudine proximè accedente ad fidem, & ſapiente fidem. num. 30. Per Canonizationem manet de fide intrinſecè, & implicitè conditionata, ſed extrinſecè abſoluta, Sanctum eſſe verè Sanctum, & in Gloria. num. 34. Modus propugnandi eſſe de fide intrinſecè abſoluta proponitur, ſed non deciditur. num. 41.

Certitudo fidei malè dividitur in ſubiectivam, & obiectivam, non enim poteſt eſſe infallibilis ſubiectivè, ſi eſt fallibilis obiectivè. Diſputat. 1. quæſt. 9. à num. 46. Certitudo cognitionis non eſt idem, ac veritas eius. Diſputat. 2. quæſt. 5. num. 2. Alia eſt obiectiva, alia formalis; obiectiva, alia in eſſe rei, alia in eſſe obiecti, ſivè formaliter obiectiva. num. 3. Certitudo formalis explicatur. num. 4. Non exigit ex proprio genere, quod obiectum ſit re ipſa verum. num. 5. Nec quod excludat omnem actualem formidinem. num. 6. Nec rectè explicatur per intrinſecam connexionem actus cum obiecto. num. 7. Non conſiſtit in firmitate extrinſeca actus, ſed in intrinſeca ex meritis obiecti. num. 8. Malè diſtinguitur certitudo formalis ab adhæſiva. num. 9. Aſſenſus fidei eſt intrinſecè certus certitudine adhæſiva. num. 10. Repugnat formidini deliberatę, non indeliberatę. num. 12. Certitudo fidei eſt maior, quam cuiuslibet ſcientię, & evidentię naturalis. num. 13. Hoc intelligitur ſimpliciter, & ex parte obiecti; nam ſecundum quid, & ex parte ſubiecti certior eſt ſcientia, & evidentia naturalis. à num. 23. & 27. Certius eſt Deum eſſe Trinum, quam eſſe, vel non eſſe Trinum, explicatur. num. 32. Licèt vna propoſitio non poſſit eſſe verior alia, benè verò certior alia. num. 36. Viſio beata certior eſt fide. num. 37. Fides tamen eſt certior ſcientia infuſa. *Ibid.* Lumen propheticum certius eſt fide. num. 38. Sed fides certior eſt donis ſapientię, & ſcientię. num. 48.

Charitas non præcipit vt benè ſentiamus ſemper de proximo, ſed ſolum, quando non probatur malus, vel quod ſuſpendamus iudicium. Diſputat. 2. quæſt. 3. num. 123. Ex charitate poteſt quis elicere per accidens actum materialiter peccaminoſum, & erroneum. num. 126.

Chriſtus vt homo mentiri non potuit, ſicut nec peccare. Diſputat. 2. quæſt. 1. à num. 77. Imò nec ex ignorantia proferre, aut iudicare falſum. num. 79.

Cognitio ſeù cogitatio proponens obiectum fidei, provt oportet, non poteſt eſſe, niſi ſupernaturalis. Diſputat. 5. quæſt. 10. num. 18. Non ſolum cogitatio practica movens voluntatem, ſed ſpeculativa immediatè ſuaſiva intellectus. num. 20. Aliter requiritur cognitio revelationis ad fidem infuſam, ac cognitio miſerię ad miſericordiam infuſam. num. 21. Cognitio immediatè regulativa fidei, nequit eſſe iudicium de credibilitate Doctrinę ſignatè cognita. num. 25. Quia debet proponere ſignatè veritatem, & non credibilitatem. num. 29. Et quia iudicium de credibilitate ſignata ſupponit, & non facit obiectum credibile. num. 30. Et quia importat reflexionem minimè exactam ad credendum. n. 32. Non ergò eſt iudicium ſpeculativum, ſed ſola apprehenſio ſuaſiva revelationis, & myſterij, quę aliquo ſen-

ſenſu eſt iudicium imperfectum,& practicè tale, à num. 38. Hoc pacto rectè explicatur libertas fidei,haud facilè tamen,ſi regületur iudicio ſpeculativo, & perfecto. à numer. 45. Per hanc apprehenſionem ſuaſivam completur credibilitas myſteriorum per fidem infuſam. num. 52. Et facilè explicatur, quomodo ruſtici,& pueri habeant ſufficientem cognitionem credibilitatis. numer. 53. Cognitio regulativa actus,voluntatis, ſeù pię affectionis, dato quod debeat eſſe iudicium, non ſequitur idem de cognitione regulativa actus fidei, ſeù intellectus. num. 71. Sed nec cognitio regulativa pię affectionis debet eſſe iudicium perfectum, ſed ſatis eſt imperfectum, ſeù apprehenſio ſuaſiva. à num. 75. Quia debet eſſe cognitio conſtituens proximam libertatem volendi credere. num. 77. Opinio contraria, quę exigit ad libertatem proximam in genere iudicium perfectum, exponitur; & impugnatur à num. 78. Cognitio regulativa voluntatis erga finem ex mente Div. Thom. non eſt iudicium, ſed recta apprehenſio. quæſt. 10. à num. 88. & quæſt. 11. num. 18. Cognitio regulativa pię affectionis, ſeù actus credendi non procedit à prudentia infuſa,nec à dono intellectus propriè ſumpto. quæſt. 11. à num. 17. & 22. Sed ab habitu fidei in habentibus illum, vel ab auxilio tranſeunti per modum illuſtrationis in ſe convertentibus ad fidem. à num. 23. Talis cognitio, ſeù cogitatio non eſt per ſe libera, ſicut pia affectio. num. 25.

Concilium, quando incipiat eſſe de fide,quod ſit legitimum. Diſput. 3. quæſt. 4. num. 20. Concilia ſunt in triplici differentia. quæſt. 14. num. 1. Concilium non legitimum non habet Authoritatem in Eccleſia. num. 2. Si in illo non præſideat Papa per ſe, vel per Legatos,aut ſi non ſit ab eo congregatum, non eſt legitimum. num. 4. Generale legitimum eſt regula infallibilis fidei pro Eccleſia Catholica. num. 5.

Conſcientia erronea, directa, re ipſa obligat independenter à reflexa, non dependet ab ea, nec iſta ex illa neceſſario reſultat, nec datur lex reflexa ſequendi conſcientiam erroneam. Diſputat. 2. quæſt. 3. à num. 105. & 108. Conſcientia erronea, vt talis, non poteſt per ſe cauſari à Deo. à num. 106. benè verò ſecundum quod participat rectitudinis ex Syndereſi. *Ibid.*

Concluſio erronea ex maiori vera,& minori falſa, habet aliquid veritatis ex maiori, licèt falſificatum ex minori, explicatur à num. 113. Maior vera non eſt pura conditio,ſed influit verè in concluſionem. *Ibid. vſque ad* 121.

Conſideratio motivorum credibilitatis exacta in ſimplicibus ad credendum, explicatur. Diſputat. 5. quæſt. 9. à num. 5. In ea deficiunt ruſtici, & pueri degentes inter hæreticos. num. 6. Quia non dirigunt intentionem ad id, quod tenet S. M. Eccleſia. num. 8. In illis non ſupplet defectum conſiderationis Eccleſia, ſicut in ruſticis, & pueris Catholicis. num. 9. In his ſupplet defectum conſiderationis illuſtratio interior,ſecùs in illis. num. 11. Hæc Doctrina fundatur in Sacro Textu. num. 12. Fiducia hæreticorum, qua ſe illuminatos dicunt, falſiſſima, Catholicorum verà. num. 14. Catholici exercitè cognoſcunt ſe illuminari, licèt non ſignatè, hæretici è contra. num. 15. Simplices Catholici, abſque magna inquiſitione credentes, excuſantur à nota levitatis, & imprudentię, propter internam illuminationem, ſecùs hæretici. num. 16. Interna illuſtratio magis ſupplet in ſimplicibus, quàm in eruditis, & litteratis. num. 17. Adhùc in his non ſatis eſt conſideratio, quamtumvis magna, ſi fiat ſolo lumine naturę. num. 18. Diſcrimen quarè ex audientibus Evangelium alij credunt, alij non eſt ex diverſo affectu,& conſideratione ergà Doctrinam, quam audiunt. num. 19. Conſideratio debita motivorum nequit eſſe, niſi ex auxilio gratię, & conſequenter ſupernaturalis. num. 43. Conſiderans ex pura curioſitate, non conſiderat, provt oportet. num. 49.

Confeſſio externa fidei eſt verè, & formaliter talis, adhùc quando imperatur ex motivo vanęglorię. Diſputat. 5. quæſt. 12. num. 59. Ad illam fidei actus interior ſolum concurrit directivè, non imperativè. *Ibid.* Quando vitiatur ex motivo, non eſt actus imperatus à fide, ſed ſolum directus. num. 60. Eſt neceſſaria ad ſalutem, quando, & quomodo? quæſt. 17. num. 1. Datur præceptum de illa,non ſolum affirmativum,ſed negativum. num. 4. quando obliget affirmativum. num. 7. non quando Fidelis interrogatur à Perſona privata. num. 12. qualiter Fidelis debeat reſpondere Perſonę privatę interroganti. num. 14. Licèt declinare confeſſionem fidei fugiendo perſecutionem à num. 17. Non tamen licèt occultare fidem per actiones poteſtativas falſę Religionis. num. 25. Adhùc per actiones, quę ex inſtituto hominum tales ſunt. num. 26. Benè

Google

verò induendo veſtes communes Infidelium, num. 27. Si semper nō ſint vnicè inſtitutę ad proteſtationē Religionis, num. 28. Secùs tamen, ſi alium vſum non habeant, num. 29. Confeſsio externa fidei eſt actus proprius fidei, ſed non propriè ab ea elicitus, quæſt. vltim. *per tot.*

Credere fide divina non cadit ſub experientia. Diſput. 1. quæſt. 9. à num. 49.

Credibilitas falſę Doctrinę non poteſt eſſe per ſe, & poſitivè à Deo, nec re ipſa virtuoſa, & prudens. Diſputat. 2. quæſt. 2. à num. 34. Noſtra fides, & ſecta illi contraria non poſſunt eidem intellectui eſſe ſimùl proximè credibiles. Diſput. 5. quæſt. 8. à num. 21. *latè.* Credibilitas myſteriorum, quę eſt naturaliter evidens, non eſt credibilitas poſitivè, & determinatè per fidem divinam, ſed ſolum per fidem, negativè abſtrahendo à qualitate talis fidei. Diſputat. 4. quæſt. 4. *per totam.* Et Diſputat. 5. quæſt. 9. à 36.

D.

Deum eſſe, & eſſe veracem, quomodo credi poſsit, quia revelatum. Diſputat. 1. quæſt. 2. à num. 124. Deum titulo gubernatoris totius vniverſi non poſſe permittere, quod ex malitia hominum proponatur doctrina falſa ſub obligatione illam credendi, non eſt ęquè infallibile, ac revelatio propoſita per Eccleſiam, nec omninò evidens, quæſt. 3. à num. 31. Vt Proviſor vniverſalis nequit eſſe motivum fidei, à num. 41. & 45. In fundatione Eccleſię revelavit ei omnem veritatem ad ſalutem neceſſariam, quæſt. 4. à n. 7. Loquitur ſæpè animabus per loquutiones formales, & non ſemper per propheticas, num. 27. Qualiter, revelando cauſam, revelet effectum, explicatur, quæſt. 7. num. 38. Deum poſſe loqui creaturis eſt certum. Diſputat. 2. quæſt. 1. num. 2. Non tamen vt Author naturę, à num. 3. nec veritates naturales, nec ſupernaturales, num. 4. nec per modum docentis, nec per modum præcipientis, num. 11. Numquam de facto loquutus eſt falſum, nec poteſt iuxta regularem providentiam, num. 35. Quod adeò certum eſt, vt oppoſitum nulla docuerit hæreſis. *Ibid.* Aliter periret tota firmitas luminis naturalis, & primorum principiorum, num. 36. Nec de potentia abſoluta poteſt Deus mentiri, à num. 38. Si mentiretur degeneraret à divinitate. *Ibid.* Si poſſet, nulla firmitas eſſet in Sacra Scriptura, & periret eius Authoritas, num. 40. Imò Authoritas, & firmitas Dei, num. 58. Repugnat Deum loqui falſum, non ſolum per ſe, ſed etiam per ſuos Miniſtros, num. 62. Et hoc, ſivè loquatur per alium moraliter, ſivè phyſicè, num. 63. Identidem repugnat Deum falsò promittere, n. 64. & 76. Adhùc admiſſo Deum poſſe infundere errorem, non poſſet mentiri, num. 65. Poteſt loqui amphibologicè, numer. 81. Et aliquando ita loquutus eſt in Sacris Scripturis, numer. 85. Cur, explicatur num. 86. Per talem loquutionem, non fallit homines, ſed ſolum permittit, quod ipſi fallantur ex propria ignorantia, malitia, vel paſsione, num. 88. Per eam ſolum intendit veritatem zelare, non verò decipere, num. 89. Nequit patrare miracula in confirmationem falſę Doctrinę, quæſt. 2. *per tot.* Vidè *miraculum.* Nec infundere errorem, aut illum per ſe cauſare, quæſt. 3. *per totam.* Vidè *error.* Quo ſenſu Deus ſit Author ſpeciales, vel generalis, cauſa per ſe, vel per accidens, num. 2. Quid Deus per ſe cauſare poſsit, quid non, explicatur ſpecialiter à num. 12. Nequit per ſe cauſare ignorantiam, à num. 70. Imò nec neſcientiam, 71. Vidè *malum.* Prohibere nequit actum ſupernaturalem, quæſt. 3. à num. 125. Vt Author naturę permittere nequit, quod Doctrina, contra veritatem naturalem proponatur cum tanta apparientia veritatis, ſicut Doctrina vera, attamen non eſt evidens, quod id permittere nequeat contra Doctrinam ſuperantem vires naturę, Diſput. 4. quæſt. 3. à num. 35. Nec quod habet in Mundo veram Religionem ſupernaturalem, quę ducat ad fœlicitatem ſupernaturalem, num. 37. Nequit movere homines ad actiones externas, niſi per prius movendo voluntatem internam. Diſput. 5. quæſt. 12. à num. 58.

Decretum nihil vnquam revelandi, vel non eſt poſsibile, vel eſt revelabile. Diſputat. 1. quæſt. 5. à num. 6. Si decernat de ſe ipſo, non eſt poſsibile, ſi ſolum de alijs manet revelabile, à num. 17. Nullum decretum poteſt reddi irrevelabile, niſi per aliud diſtinctum, vel per omiſsionum liberam, quamvis ex hoc ſequatur in Deo proceſſus infinitus decretorum, vel omiſsionum, à num. 30. Decretum nullam creaturam producendi, non eſt virtualiter vnicum, ſed multiplex, num. 44.

Damnati, qui fuerunt Fideles, differunt in Inferno ab Infidelibus per characterem Baptiſmi.

rigente, & movente ad redditionem illam externam, & ſic eſt actus proprius illius virtutis, non ab ea elicitus, ſed ab ea directus, & motus. Et ſic ſimiliter actus exterior temperantię, ſeù temperatę comeſtionis, non eſt virtuoſus ab aliqua virtute temperantię reſidente in potentia externa mãducativa, à qua elicitivè procedat, ſed à virtute temperantię reſidente in parte cognoſcitiva, & à prudẽtia, dirigente, & movente ad temperatam comeſtionem, & ideò eſt actus virtuoſus proprius illius virtutis, à qua immediatè dirigitur, & movetur, non tamen ab ea propriè elicitus. Et ſimiliter oratio vocalis, ſeù externa, non eſt actus virtuoſus ab aliqua virtute elicitiva illius, quę deberet reſidere formaliter in potentia prolativa verborum, ſeù loquutiva, ſed eſt actus virtuoſus à virtute interna latrię, ſeù Religionis dirigente, & movente potentiam externam ad obiectum, & finem proprium ipſius; vndè non eſt actus virtutis diſtinctę, ſed actus proprius virtutis latrię, ſeù internę orationis, non ab ea elicitus, ſed directus, & motus. Ex quo patet ad ſequentem obiectionem.

14. Dices quartò: Si confeſsio externa non eſſet elicitivè à fide, quia eſt actus alterius potentię ab ea, in qua reſidet virtus fidei, iuxta illud: *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem.* Sed hoc non obſtat: Ergò. Minor probatur primò, quia confeſsio peccatorum, quamvis ore facta, pertinet elicitivè ad pœnitentiam, quę eſt in voluntate; & ſimiliter confeſsio beneficiorum Dei, quamvis ore facta, pertinet ad latriam elicitivè, cum tamen latria ſit in alia potentia: Similiter oratio vocalis eſt elicitivè à Religione, quamvis Religio ſit in alia potentia, totumque hoc colligitur ex Div. Thom. varijs in locis: Ergò. Secundò, quia vt actus externę confeſsionis ſit elicitivè à fide, ſufficit, quod ab habitu fidei diffundatur in potentiam externam aliquis modus, ſivè aliqua ſui participatio, vi cuius potentia externa talem actum producat; quia hoc ſuppoſito virtus fidei elicit actum confeſsionis, non immediatè, ſed mediante ſua virtute impreſſa potentię externę: Ergò. Confirmatur, quia motus Maris, fluxus nempè, & refluxus, eſt elicitivè à Cœlo: Sed non alia ratione, niſi quia Cœlum imprimit ſuam virtutem Mari: Ergò pariter confeſsio fidei eadem ratione erit à fide.

15. Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem. Ad cuius primam probationem, reſpondeo, quod confeſsio externa peccatorum non eſt actus propriè elicitus à virtute pœnitentię, nec oratio vocalis à virtute latrię, ſed ſunt actus proprij illarum virtutum directi, & imperati ab ipſis, & eliciti à potentia externa abſque virtute elicitiva talium actuum, quę non requiritur, vt illi actus externi ſint virtuoſi, vt oſtenſum manet. Quod ſi Div. Thom. in aliquo loco dicat, actum aliquem externum eſſe elicitivè à virtute interna, intelligendus eſt de actu externo, non phyſicè ſumpto, & quoad entitatem, aut ſubſtantiam; ſed quoad moralitatem, & laudabilitatem formalem, quę interna eſt, & conſiſtit in actibus internis moventibus, & dirigentibus ad externos, à quibus externi dicuntur formaliter virtuoſi, & laudabiles. Ad ſecundam probationem, nego antecedens, quia eius falſitatem iam oſtendimus ſuprà *num.* 7. Ad confirmationem nego maiorem, quia motus, vel actus alicuis ſemper tribuit propriam denominationem principio elicienti, tanquam ipſius exercitium, cum autem Cœlum minimè fluat, aut refluat, ſed ſolum Mare, indè eſt, quod fluxus, & refluxus ſolum eſt elicitivè à Mare, non verò, niſi tantum cauſaliter à Cœlo, quia ſolum eſt exercitium Maris, ſed Cœli ſolum effectus.

16. Sed inſtat M. Ferre: Confeſsio fidei non eſt ab ore media virtute diſtincta à fide, ſed ex virtute fidei: Sed quando aliquid operatur, non ex virtute ſibi intrinſeca, ſed tantum media virtute moventis, tunc elicitur eius operatio à virtute movente, non ſolum moraliter ſumpta, ſed phyſicè ſumpta: Ergò confeſsio fidei etiam phyſicè ſumpta elicitur à virtute fidei. Confirmat, quando actus elicitur ab alia potentia tantum media virtute reſidente in alia, tantum habet ſpeciem illius virtutis, media qua elicitur: Sed omnis actus eſſentialiter participans ſpeciem alicuius virtutis, elicitur ab illa: Ergò omnis actus elicitus à potentia externa tantum mediante virtute interna elicitur à virtute interna: Sed iuxta Div. Thom. confeſsio exterior fidei non elicitur, niſi media virtute fidei: Ergò elicitur ab illa. Et fundat hanc obiectionem in Doctrina Div. Thom. 3. *part. quæſt.* 19 *artic.* 1. *in corpore*, vbi ſic ait: *Actio eius, quod movetur ab altero, eſt duplex; vna quidem, quam habet ſecundum propriam formam; alia autem, quam habet ſecundum quod movetur ab alio. Operatio, quę eſt alicuius rei ſecundum propriam formam, eſt propria eius, nec pertinet ad moventem, niſi quatenus vtitur huiuſmodi re ad ſuam operationem; ſed illa operatio, quæ eſt rei ſolum ſecundum quod movetur ab alio, non eſt alia præter operationem moventis ipſum, & ideò vbicumque movens, & motum habent diverſas formas, & virtutes operativas, ibi oportet, quod ſit alia operatio moven-*

tis

tis, & alia operatio propria moti, licèt motum participet operationem moventis, & movens vtatur operatione propria moti.

17. Sed incipiendo ab hac doctrina, interrogo, quænam eſt actio propria potentię loquutivę motę ex affectu, & virtute fidei ad fidei confeſsionem? Nam iuxta Div. Thom. debet potentia, quę movetur, habere propriam actionem diſtinctam ab operatione moventis. Sanè non eſt alia, niſi loquutio exterior, qua confitetur fidem: Tunc ſic, ſed iuxta Div. Thom. operatio propria moti non pertinet ad moventem elicitivè, ſed ſolum quatenus ea vtitur, hoc eſt, applicativè, quia vti formaliter eſt applicatio principij ad opus: Ergò iuxta Div. Thom. confeſsio exterior non eſt actio elicita à virtute fidei movente potentiam loquutivam, ſed ſolum ab ea procedit applicativè, & motivè.

18. Dices hoc eſſe verum, quando movens, & motum habent diverſas virtutes operativas, vt inquit Div. Thom. tunc ſanè oportet diſtinguere actiones prædicto modo; cæterum Div. Thom. ad confeſsionem fidei non admittit duas virtutes, ſed vnam tantum, inquit enim, *quod fides producit confeſsionem, non mediantè alia virtute*, vt ſuprà vidimus: Ergò actio confeſsionis erit elicitivè à virtute fidei, ſiquidem non eſt alia, à qua ſit elicitivè.

19. Sed contra; quia hic intervenit ęquivocatio inter *virtutem*, & *virtutem*, nempè inter virtutem operativam phyſicam, & virtutem moralem rectificativam in genere moris. Igitur Div. Thom. non loquitur in eo Textu de virtutibus ſumptis moraliter, aut theologicè, vt evidenter patet, ſed de virtutibus operativis phyſicè: Tunc ſic, ſed quando ait, quod virtus fidei producit confeſsionem abſque media virtute diſtincta non eſt ſenſus, *abſque media virtute phyſicè operativa diſtincta*, quia abſdubio mediat virtus phyſicè operativa potentię loquutivę prolativè verborum, & verè operativa: Ergò ęquivocationem patitur prædictus Author.

20. Iam ergò ad replicam, diſtinguo maiorem: Confeſsio fidei non eſt ab ore media virtute phyſica operativa diſtincta à fide, nego maiorem: Media virtute morali, aut Theologica diſtincta à fide, concedo maiorem, & diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam, quia in confeſsione fidei intervenit duplex virtus operativa, licèt non interveniat duplex virtus moralis, aut theologica, intervenit quidem duplex virtus operativa vna movens potentiam loquutivam, quę eſt virtus fidei, alia phyſica, etiam operativa, quę eſt potentia loquutiva mota, & mediante hac, vel ab hac immediatè elicitur confeſsio fidei phyſicè ſumpta, ab alia verò non elicitur, ſed procedit motivè, applicativè, & ordinativè.

21. Ad confirmationem, nego ſuppoſitum maioris, nempè quod detur actus elicitus ab aliqua potentia tantum mediante virtute reſidente in alia, omnis enim potentia, quę elicit aliquem actum, debet illum elicere virtute aliqua ſibi intrinſeca, & in ſe reſidente, non ſemper virtute morali, aut theologica, verumtamen ſemper virtute intrinſeca operativa, ſivè phyſicè, ſi operatio ſit phyſica, ſivè moraliter, ſi operatio ſit moralis. Cum autem confeſsio externa, in quantum elicitur à potentia loquutiva, ſolum ſit actio phyſica, ſolum elicitur à tali potentia loquutiva proferente verba, virtute ſua phyſica.

22. Sed dices: Etiam talis confeſsio eſt moralis, quia eſt laudabilis, & ordinata ad finem, & obiectum fidei: Sed in quantum moralis non elicitur à potentia loquutiva: Ergò in quantum moralis eſt elicitivè à virtute, fidei. Reſpondeo, quod ſi illius moralitas non ſit ipſi intrinſeca, ſed ſolum extrinſeca ab actu interno imperante, vt tenent aliqui, verum tenet conſequentia, & ab omnibus conceditur, quia actus interni, à quibus habet moralitatem formalem extrinſecam, elicitivè ſunt à virtute fidei. Si autem dicatur, eſſe moralem intrinſecè per ordinationem intrinſecam ad finem fidei participatam ex actu interno dirigente, & imperante, vt tenent Thomiſtę, dico, quod adhùc vt moralis hoc modo, non eſt propriè elicitivè à fide, vndè conceſſa maiori, & minori, nego conſequentiam; quia eſt medium, nempè eſſe participativè ex actione elicita fidei, ſed non elicitivè ab ipſa fide; quia illa moralitas intrinſeca non eſt propriè actio, ſed participatio quædam actionis internę moventis, & imperantis, & ſic nec eſt propriè elicita, ſed participata ex actione elicita, eſt enim modus quædam ordinationis, & elevationis ad finem fidei, qui modus derivatur ab actu interno fidei, ſed non eſt propriè elicitus à fide, ſed quaſi impreſſio quædam ab actu elicito virtutis fidei.

23. Sequitur ergò, quod confeſsio exterior, vt eſt actio phyſica loquutivę, ſit ſolum elicita, & propria potentię loquutivę, vt autem moralis, & laudabilis, ſit participativè à ſola virtute fidei, quatenus potentia loquutiva mota à virtute fidei participat operationem fidei moventis. Et ſic tandem eſt actus proprius fidei, non excludendo quod ſit ab alia virtute operativa phyſica elicitivè, & actus pro-

Digitized by Google

proprius eius, ſed excludendo quod ſit ab alia virtute, ſumpta virtute theologicè, aut moraliter, quia hoc pacto ſolum eſt actus virtutis fidei non elicitivè, ſed participativè, ordinativè, & directivè ab ea procedens, & quod hic ſit ſenſus Div. Thom. patet ex eis, quę ſibi obijcit.

24. Obijcit enim primò: Idem actus non pertinet ad diverſas virtutes: Sed confeſsio pertinet ad pœnitentiam, cuius ponitur pars: Ergò non eſt actus proprius fidei. Reſpondet, quod confeſsio peccatorum, eſt quę pertinet ad pœnitentiam, & eſt pars eius, non confeſsio fidei.

25. Obijcit ſecundò: A confitenda fide retrahitur homo interdum ex timore, vel confuſione: Sed non recedere à bono ex confuſcere aut timore eſt actus fortitudinis: Ergò & confuſione fidei. Reſpondet, quod fortitudo non eſt cauſa per ſe, ſed per accidens confeſsionis fidei, in quantum removet prohibens, nempè timorem, & confuſionem, quę impediunt fidei confeſsionem.

26. Obijcit quartò: Sicut per fidem inducitur homo ad confeſsionem fidei, ſic inducitur ad alia opera virtutum: Sed hæc non ſunt actus proprij fidei.: Ergò nec confeſsio. Reſpondet, vt ſuprà vidimus, quod ad alia opera virtutum inducit medijs alijs virtutibus, ad confeſsionem verò per ſe, ſine media alia virtute, intellige, de virtute theologicè, aut moraliter ſumpta. Ergò intentum Div. Tho. ſolum eſt, quod confeſsio ſit actus propriùs fidei, proprietate excludente, quod ſit actus ab illa procedens media alia virtute in ſenſu dicto, non verò exigente, quod ſit actus propriè elicitus à virtute fidei, niſi ſecundum moralitatem extrinſecam, & formalem deſumptam ab actibus internis, vel propriùs participativa ipſius fidei, quia propriam, & intrinſecam moralitatem per ſe participat ex actu elicito fidei.

27. Denique obijcies contra primum Aſſertum: Negatio fidei non eſt actus proprius infidelitatis: Ergò nec confeſsio fidei eſt actus proprius fidei. Reſpondebis, quod negatio fidei, dùm oritur ex infidelitate interna, eſt actus proprius infidelitatis, non verò dùm oritur ex timore, aut alio affectu cum fide interna compatibili, & ſic ſimiliter confeſsio fidei eſt actus proprius fidei, dùm oritur ex affectu fidei, ſecùs vero, quando ex alio affectu oritur, vel ſine fide, vt quando eſt ficta, vel independenter à fide, vt in fideli ex vanagloria. Sed contra, quia actus proprius alicuius virtutis nequit eſſe indifferens vt procedat ab illa, vel ab alio principio: Sed iuxta hanc ſolutionem confeſsio ponitur indifferens: Ergò non erit actus proprius fidei.

28. Aliter ergò reſpondeò, quod confeſsio, & negatio fidei poſſunt ſumi, vel phyſicè, vel moraliter propria moralitate. phyſicè ſumptę poſſunt procedere confeſsio à mendacitate, vel ab affectu vanęglorię, ſed contra exigentiam talis confeſsionis, quia per ſe exigit procedere à virtute ſibi propria, nempè à fide, & ſimiliter negatio fidei per ſe exigit procedere ab infidelitate, & ideò exactivè non ſunt indifferentes, ſed prima determinata exactivè ad virtutem fidei, ſecunda, ad vitium infidelitatis. Si verò ſumantur ſecundum propriam moralitatem, iam conſtat, quod confeſsio fidei ſecundum propriam laudabilitatem eſt actus proprius fidei, & negatio fidei, ſecundum propriam vituperabilitatem eſt actus proprius infidelitatis? Si autem iſti actus habeant alias moralitates, fateor, quod poterunt eſſe ab alijs virtutibus, & vitijs, ſed iſtę moralitates non erunt proprię, ſed adventitię.

29. Sequebatur iam diſſerere de Infidelitate, & Apoſtaſia, tanquam de vitijs fidei contrarijs; ſed malo nihil, quam pauca dicere, quia ita graves continet difficultates, vt tractatum alium ex poſcerent.

(∴)

SISTIT IGITVR HIC PRÆSENS tractatus. Cedat, &c.

OMNIA SVBIJCIO CORRECTIONIS.

S. M. E.

tum Eccleſiæ. Reſpondetur enim, quod Eccleſia non habet iuriſdictionem præcipiendi actus purè internos, vt purè internos, benè verò actus internos, vt exterius explicitos, vel vt ſunt forma, aut diſpoſitio neceſſaria ad rectè, & debitè exercẽdos actus externos, quos præcipit. Vndè actus fidei alitèr cadit ſub præcepto Divino, alitèr ſub pręcepto Eccleſiæ. Sub Divino cadit per ſe, & ratione ſui, vt eſt actus purè internus: Sub Eccleſiaſtico non ita, ſed in quantum explicatus per externam profeſsionem fidei, vel vt eſt forma, aut conditio actuum externorum, quos Eccleſia præcipit.

36. Sed dices: Eccleſia nequit præcipere id, de quo iudicare nequit; nàm poteſtas præceptiva eſt fruſtra, quando de re præcepta non poteſt iudicare, quia nec poterit compellere ad pręceptum implendum: Sed de actu interno iudicare nequit, adhuc vt requiſito ad externum debitè eliciendum, quia nequit Eccleſia iudicare, an quis in elicientia actus externi elicuerit actum internum requiſitum, v. g. an, dùm exterius profitetur fidem, interius credat: Ergò, adhuc in hoc ſenſu actus fidei nequit cadere ſub præcepto Eccleſiæ. Reſpondeo, hoc argumentum nimis probare, quia probat Eccleſiam non poſſe præcipere, quod debitè recitemus Officium, & faciamus Sacrum, quia id debitè fieri, importat attentionem, & devotionem, qui ſunt actus interni, & Eccleſia iudicare nequit, an quis debitè recitet; vel indebitè, quia hoc eſt quid interius: Vndè rurſus ſequitur, recitantem Divinum Officium abſque omni attentione internа verè implere præceptum Eccleſiaſticum, & ſimilitèr aſsiſtentem Miſſæ abſque omni devotione: Quin, communicantem ſacrilegè ſatisfacere præcepto Eccleſiæ de Communione annuali, quia iuxta hoc argumentum, Eccleſia ſolùm præcipere poteſt actionem externam communicandi, quod autem fiat ſanctè, vel ſacrilegè, ad Eccleſiam non pertinebit, quia id Eccleſia iudicare nequit, cum ſit ſæpiſsimè quid internum: Imò ſequetur etiam actus externos nullo teſte elicitos, ab Eccleſia præcipi non poſſe, nec prohiberi, quia de his iudicare nequit: Hæc autem prorſus ſunt abſurda, & aliqua ab Eccleſia ipſa damnata.

37. Deindè reſpondeo, quod duplicitèr Eccleſia iudicat de aliquo, nempè, vel probando factum, vel puniendo delictum: Igitur, vt Eccleſia poſsit aliquid præcipere, minimè eſt neceſſarium, quod poſsit per ſe iudicare de illo, probando factum, alias nihil poſſet præcipere, aut prohibere præter actus publicos, & coram teſtibus elicitos, ſed ſatis eſt, quod poſsit per ſe iudicare præmiando factum honeſtum, vel puniendo inhoneſtum, caſu quo innoteſcat, aut probetur modo poſsibili, & hoc pacto iuriſdictionem habet in actus internos, vt requiſitos ad externos; vndè, ſi Eccleſiæ innoteſceret, aliquem quotanis communicare ſacrilegè, & id probaſſet humano modo, vel ex dictis, vel ex factis ipſius, ſanè poſſet illum punire, non quidem, quia non impleſſet actionem externam communicandi, ſed quia omiſsit diſpoſitionem internam. Item, ſi Eccleſiæ innoteſceret, aliquem tantum fictè profiteri fidem, & non alitèr, poſſet illum punire, non propter omiſſam actionem externam, ſecundum quod externa eſt, ſed propter internam fictionem, & omiſsionem fidei, quando ab Eccleſia præcipitur: Ergò ab Eccleſia non ſolùm præcipitur actio externa, vt externa purè, ſed etiam fides interna. Sed de hoc alibi.

38. Sed inquires primò: *An præceptum Divinum de actu fidei ſit naturale, vel ſupernaturale.* Reſpondeo, eſſe ſupernaturale, & quidem quoad ſubſtantiam. Ratio eſt clara, quia eſt à Deo ſupernaturali Authore, & obligat ad actum quoad ſubſtantiam ſupernaturalem. Inquiunt tamen PP. Salmantic. non immerito poſſe appellari naturale. Primò radicalitèr ob capacitatem naturæ ad credendum, iuxta illud Auguſt. *de Prædeſt. SS. cap.7.* dicentis: *Poſſe habere fidem naturæ eſt hominum, habere autem gratiæ Fidelium.* Sed non acquieſco, nàm eſſe naturale *radicalitèr*, dicit non ſolùm eſſe in natura capacitatem ad illud, ſed eſſe in natura radicem illius; nàm ſi capacitas ſufficeret, nihil ſupernaturale, imò nec miraculoſum eſſet, quod non poſſet dici radicalitèr naturale; quod immerito ſanè diceretur: Sed præceptum fidei theologicæ, licèt ſupponat capacitatem, non tamen ſupponit radicem in natura: Ergò.

39. Secundò id probant, quia ſuppoſita revelatione Divina, ipſa ratio naturalis dictat, vt obediamus applicando intellectum, & Dei teſtimonio non repugnemus. Sed nec etiam huic probationi acquieſco, quia licèt in natura humana ſit non repugnare Dei teſtimonio, aut fidei prædicationi, non tamen poſitivè movere ad fidem, nec quoad ſpecificationem, nec quoad exercitium, nec vllo modo influere poſitivè, aut imperativè in illam: Si autem ratio naturalis dictaret, ſuppoſita Divina revelatione, vt obediamus captivando intellectum, talè dictamen rationis naturalis abſdubio poſitivè moveret ad captivandum in-

intellectum, & imperaret aſſenſum fidei; hoc autem planè repugnat, cum aſſenſus fidei ſit eſſentialitèr ſupernaturalis, & imperari non poſſit actu merè naturali, vt ipſimet PP. Salmant. probatum ſupponunt. Rurſus, quia dictamen rationis naturalis dictare nequit ex motivo, & fine ſupernaturali, ſed tantum ex motivo, & fine naturali: Sed ex motivo, & fine naturali non poteſt dictare aſſenſum ſupernaturalem; aliàs ordinaret aſſenſum ſupernaturalem ad finem inferioris ordinis: Ergò nec dictare poteſt eſſe obediendum Divino Teſtimonio, & captivandum intellectum, nam in hoc formaliſsimè conſiſtit aſſenſus ſupernaturalis fidei. Demum, quia dictare eſt proprium rationis, & luminis ſuperioris reſpectu luminis, aut facultatis inferioris: Sed ratio naturalis non eſt ſuperior, ſed potius inferior lumine, ſeù facultate, cui attinet obedire Divino Teſtimonio, & captivare intellectum, cum hæc facultas ſit ſupernaturalis, & ipſum lumen fidei: Ergò ratio naturalis ei dictare non poteſt, quod obediat Divino Teſtimonio, & captivet intellectum in obſequium illius. Nec Div. Thom. *in præſent. quæſt.* 10. *artic.* 1. *ad* 1. oppoſitum docet, dùm dicit: *Habere fidem non eſt in natura humana, ſed in natura humana eſt, vt mens hominis non repugnet interiori inſtinctui, & exteriori veritatis prædicationi, vndè infidelitas ſecundum hoc eſt contra naturam*; ſolum enim contendit, quod repugnare, vel non repugnare fidei eſt in natura; ex hoc autem non probatur eſſe in facultate naturę, aut in vi rationis naturalis dictare eſſe credendum, ſeù eſſe captivandum intellectum, quia primum ſolum importat influxum negativum naturę in actum fidei, non ponendo obicem, nec poſitivè repugnando; ſecundum autem importat influxum poſitivum per dictamen poſitivè obligans, & movens; & ex eo quod naturę concedatur primus influxus negativus, non infertur ſecundus. Vndè cenſeo, quod in vi ſolius luminis, & rationis naturalis non poteſt obligari homo poſitivè ad credendum fide determinatè Divina, & ſupernaturali, ſed ad ſummum poteſt obligari ad non repugnandum poſitivè fidei; vndè ſi poſitivè repugnet, aget contra dictamen rationis naturalis, & in hoc ſenſu dixit Div. Thom. *Quod infidelitas eſt peccatum contra naturam*, quod debet intelligi de infidelitate poſitiva, non de negativa.

40. Tertiò, & benè, probant PP. Salmant. præceptum fidei poſſe dici naturale, hoc eſt, quaſi connaturale gratię, quę eſt natura in ordine ſupernaturali; nam ita ſe habet cognitio ſupernaturalis reſpectu hominis elevati per gratiam, & participantis Divinam naturam, ſicut cognitiò hominis naturalis reſpectu hominis conſiderati ex propria natura: Sed reſpectu hominis in propria natura cognitio ſui finis, naturalis eſt, & ipſi connaturaliter debita: Ergò reſpectu hominis vt participis Divinę naturę, & elevati ad naturam altioris ordinis ſupernaturalis, erit etiam naturalis, & connaturaliter debita cognitio finis ſupernaturalis, ad quem per gratiam ordinatur: Sed hæc pro præſenti ſtatu eſt fides, ſeù actus illius: Ergò actus fidei, & conſequenter præceptum credendi in hoc ſenſu poteſt dici naturale, ſeù connaturaliter conſequens ad naturam ordinis ſupernaturalis, quę eſt Gratia.

41. Inquires ſecundò: *Quando obliget præceptum fidei?* Reſpondeò primò, præceptum fidei eſſe duplex; aliud negativum prohibens diſcredere, aut repugnare Myſterijs à Deo revelatis; aliud poſitivum, de actu poſitivo credendi. Igitur præceptum negativum obligat ſemper, & pro ſemper. Ratio eſt, quia repugnare, aut poſitivè diſcredere Myſterijs à Deo revelatis, ſemper eſt intrinſecè malum, cum ſit contemnere Divinam revelationem vt propoſitam per Eccleſiam: Sed ſemper obligamur, & pro ſemper ad nihil faciendum intrinſecè malum: Ergò ſemper, & pro ſemper obligamur ad non diſcredendum poſitivè rebus fidei. Notandum verò eſt, quod hoc præceptum, vt negativum, non imponitur homini ſecundum vires gratię, ſed illi ſecundum vires naturę, quia ſolum ſecundum vires naturę poteſt repugnare fidei, & contemnere Divinum Teſtimonium, & ipſi prohibetur ſic repugnare.

42. Sed dices: Rudes, & ruſtici ſæpè negant plura revelata in Sacris Scripturis, quin contraveniant præcepto negativo fidei: Ergò tale præceptum non obligat ſemper, & pro ſemper omnes. Diſtinguo antecedens: Negant per ignorantiam, concedo; Cum ſufficienti notitia, quod revelata ſint à Deo, & propoſita per Eccleſiam, nego antecedens, & conſequentiam, quia cum ex pura ignorantia negatur aliquid revelatum, non repugnatur poſitivè Divino Teſtimonio, nec illud contemnitur, & ideò hoc non tollit, quod ſemper, & pro ſemper prohibitum ſit repugnare Divino Teſtimonio, aut rebus fidei, vt ratus.

43. Reſpondeo ſecundò, quod præceptum poſitivum dupliciter obligat, vel directè, vel indirectè. Obligat indirectè, quando obligat, non propter ipſum actum fidei, ſed propter alium actum, ad quem requiritur ac-

tus fidei, & ſic obligat, quotieſcumque datur obligatio ad aliquem actum non potentem debitè exerceri ſine actu fidei, v. g. quando datur obligatio eliciendi actum charitatis, aut ſpei, aut conficiendi, vel recipiendi aliquod Sacramentum, tunc enim indirectè obligat præceptum fidei, quia illa debitè exerceri non poſſunt ſine illo.

44. Reſpondeo tertiò, quod præceptum poſitivum fidei obligat directè, & per ſe omnes, quando primò illis pervenientibus ad vſum rationis proponitur ſufficienter fides. Probatur, primò, quia omnes, quam primum perveniunt ad vſum rationis, tenentur procurare ſuper omnia ſuam ſalutem, & adhibere omnia media neceſſaria ſimpliciter ad illam, ſi poſſint: Sed actus fidei eſt medium ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, & poteſt elici, dùm fides ſufficienter proponitur: Ergò omnes in eo principio vſus rationis tenentur ad actum fidei, ſi res fidei illis ſufficienter proponantur. Secundò: Quia pro tunc tenetur quiſque determinare viam procurandi ſuam ſalutem, & beatitudinem, ad quam eſt natus, & creatus: Non determinatur autem, niſi per fidem determinatę Religionis: Ergò pro tunc tenetur quiſque credere determinatam Religionem, propoſitam vt ſufficienter credibilem. Alioquin hæreret dubius poſitivè, & claudicans in duas partes, ſine motivo prudenti dubitandi, quia ſemèl ſuppoſita ſufficienti propoſitione fidei, non poteſt eſſe ratio prudens dubitandi: Hoc autem modo hærere dubium, & claudicans in duas partes, quandò tenetur determinatè procurare ſuam ſalutem, & tendere ad beatitudinem, abſdubio eſſet peccare, & contemnere ſuam ſalutem: Ergò.

45. Reſpondeo quartò, obligare etiam per ſe in articulo mortis. Patet, quia ſi obligat, dùm homo incipit viuere rationalitèr hanc vitam mortalem, multò magis obligare videtur, dùm homo eſt in tranſitu ad vitã ęternaliter duraturam, ad quem tranſitum debet ſe diſponere cum magno timore, & tremore; vndè praxis Eccleſię obtinuit, omnes fideles in illo Articulo obligare ad fidei Profeſsionem, ſicut obligat ad ſuſceptionem Sacramentorum.

46. Reſpondeo quintò, obligare etiam durante hac vita mortali interdum, & non magno temporis intervalo prætermiſſo. Vndè propoſitio illa, quę aiebat: *Sufficit ſemèl in vita actum charitatis elicere*, iam fuit proſcripta ab Innocent. XI. idem autem videtur dicendum de actu fidei, qui non minus eſt neceſſarius ad ſalutem. Veruntamen, meritò hic notant plures, ſufficienter ſatisfieri huic præcepto à Fidelibus, dùm debitè audiunt ſacrum, ſuſcipiunt Sacramenta, & alia opera Religionis exercent, quia hæc exerceri vix poſſunt, niſi præmittendo exercitium fidei, licèt reflexè non advertatur.

47. Reſpondeo denique, obligare etiam præceptum fidei, quando homo tentatur graviter contra fidem. Patet, quia virtus fidei per ſe ordinatur ad reſiſtendum talibus tentationibus; vndè ſi tunc fidem non exerceret, conſentiret virtualiter tentationi, & finiret ſe vinci ab illa: Ergò tenetur tunc reſiſtere exercendo fidem. Et hæc quidem doctrina in his reſponſionibus contenta, communis eſt inter Theologos, quos opus non eſt referre ſigillatim.

48. Inquires tertiò: *Ad quos Articulos ſe extendat obligatio fidei?* Reſpondeo primò, non ſufficere credere in genere quidquid tenet S. M. E. nihil in particulari credendo, nec eſſe obligationem credendi in particulari, & ſigillatim exprimendo omnia, quę ſunt à Deo revelata in S. Scriptura. Primum patet, quia credere aliquos Articulos determinatè, & explicitè eſt neceſſarium ad ſalutem, neceſsitate medij, vt oſtenſum manet: Ergò obligatio fidei ad illos determinatè, & explicitè credendos extenditur, & non ſufficit illa fides implicita, & confuſa omnium. Vndè ſententia oppoſita, quę tribuebatur aliquibus Canoniſtis, fuit proſcripta à Gregorio XI. vt referunt DD. Secundum etiam patet, quia nemo obligatur ad impoſsibile: Impoſsibile autem eſt pleriſque Fidelibus, vel ferè omnibus, exceptis his, qui Sacrę Scripturę intelligendę, & exponendę ſe dicarunt, omnia, quę in illa continentur determinatè, & expreſsè credere: Ergò ad id non obligat poſitivè præceptum fidei; licèt detur præceptum negativum de nulli illorum diſcredendo, aut repugnando poſitivè.

49. Reſpondeo ſecundò, quod præceptum poſitivum fidei obligat omnes Chriſti Fideles ad credendum explicitè quatuordecim Articulos in Symbolo contentos; idque ſatis eſt, per ſe loquendo, ad præceptum fidei implendum. Primum patet, ex communi Eccleſię praxi, quę nullum admittit ad Baptiſmum, imò nec ad Sacramẽtũ Pœnitentię, & Matrimonij, niſi prius ſit inſtructus de Myſterijs in Symbolo cõtẽtis, ſeù in Articulis: Eccleſia autẽ ad id non obligaret, ſi præceptum fidei ad ea explicitè credenda non ſe extenderet: Ergò. Secundum etiam patet: Nam Eccleſia ad plus

non

non obligat Fideles in genere. Imò Apoſtoli, qui compoſuerunt Symbolum, ſanè illud compoſuerunt, vt intimaretur Fidelibus quidquid explicitè debebant credere: Ergò nihil amplius præcipitur per ſe loquendo.

50. Sed dices: Præceptum fidei obligat etiam ad credendum explicitè Myſterium Euchariſtię: Sed hoc explicitè non continetur in Symbolo: Ergò obligat ad plùs credendum explicitè, quam quod continetur in Symbolo. Reſpondetur, quod præceptum fidei, in quantũ eſt ſolum de credendis, per ſe non obligat ad fidem explicitam huius Sacramenti, ſed ſolum ex conſequenti, ſicut obligat ad fidem cæterorum Sacramentorum, nempè Baptiſmi, Pœnitentię, & aliorum; & ad decem Præcepta Decalogi credenda, Orationem Dominicam, & alia huiuſmodi, quę magis per ſe pertinent ad agendum, recipiendum, & orandum, quam ad credendum; cæterum quia debitè recipi, aut exerceri non poſſunt, nec debitè colli Sacramentum Euchariſtię, niſi credendo, propretreà ex conſequenti præceptum fidei obligat ad fidem explicitam illorum. Loquendo autem per ſe primò ſolum obligat ad fidem implicitam, provt ſunt media noſtrę ſalutis implicitè credita in Articulo Salvatoris, aut Redemptoris. Et hæc quidem curſim, & obiter dixerim, quę communia ſunt inter Authores; quorum tamen exacta diſcuſio ad Theologos Morales ſpectat, in quibus videri poſſunt.

QUÆSTIO XII.

AN FIDEI CONFESIO SIT neceſſaria ad ſalutem, & qualiter?

1 SUPPOSITIS, quę dicta remanent præcedenti quæſtione, facilius enuodatur iſta. Vndè.

2. Dico primò: *Confeſsio exterior fidei eſt neceſſaria ad ſalutem, non quidem ſemper, ſed quando per eius omiſsionem ſubtraheretur honor Deo debitus; & vtilitas proximis impendenda.* Ita expreſsè Div. Thom. *in præſenti.* Et probatur primò ex illo Apoſt. ad Rom. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem*: Id eſt, corde creditur ad iuſtitiam acquirendam; ſed ad ſalutem ęternam conſequendam neceſſaria etiam eſt oris confeſsio, hoc eſt, externa fidei confeſsio. Item, ex illo Matth. 10. *Omnis ergò, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cælis eſt; qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & eum coram Patre meo, qui in Cælis eſt.* Et ex illo Luc. 9. *Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet, cum venerit in Maieſtate ſua*: Ergò eſt neceſſarium ad ſalutem non erubeſcere fidem Chriſti, ſed illam confiteri coram hominibus.

3. Et ratio à priori eſt, quia neceſſarium eſt, neceſsitate ſalutis, quód homo ſe vniat, & incorporetur Corpori Chriſti Myſtico viſibili, quod eſt Eccleſia, & quód fiat membrum eius: Sed non ſic vnitur, niſi per externam fidei Profeſsionem, & confeſsionem: Ergò hæc eſt neceſſaria neceſsitate ſalutis. Dices, ſatis hominem vniri Eccleſię viſibili per ſuſceptionem Baptiſmi. Sed contra eſt, quia ideò per ſuſceptionem Baptiſmi homo vnitur Eccleſię viſibili, quia ipſa ſuſceptio Baptiſmi eſt externa fidei confeſsio, qui enim adultus baptizatur, ipſa voluntaria ſuſceptione publicum facit ſe credere Chriſtum, & eſſe Chriſtianum, non enim confeſsio fidei ſita eſt præcisè in eo, quod ore pronunciet, ſed ſatis eſt, quod ſigno aliquo externo, per ſe ad hoc inſtituto, publicum faciat, & ſignificet exterius ſe eſſe Chriſtianum, ſeù credere in Chriſtum, hæc enim eſt externa confeſsio, & profeſsio fidei: Ergò ſemper verum tenet, quod requiritur de neceſsitate ſalutis externa fidei confeſsio. Contra ſecundò, quia fidelis tenetur de neceſsitate ſalutis, eſſe fidelis, non ſolum interius, & inviſibiliter, ſed exterius, & viſibiliter, hoc enim provenit ex ipſa hominis corditione, quia cum non ſit ſolum Anima inviſibilis, ſed coaleſcens ex Spiritu inviſibili, & corpore viſibili, proptereà inſtituit Deus vt ſalutem ſuam operaretur per media ſpiritualia, & corporalia, viſibiliter, & inviſibiliter, & ideò inſtituit Sacramenta, quę ſunt ſigna viſibilia, inviſibilem gratiam communicantia, aiente Div. Chriſoſtomo: *Si medus, & incorporeus eſſes, nuda, & incorporea tibi dediſſet ipſe dona, ſed quoniam Anima corpori conſerta eſt, propterea in ſenſibilibus, inſenſibilia tibi præſtat*: Neceſſum ergò eſt neceſſitate ſalutis, quod homo ſit Fidelis, non ſolum interius, & inviſibiliter, ſed exterius, & viſibiliter: Sed hoc eſſe nequit ſine profeſsione, & confeſsione externa fidei: Ergò hæc eſt de neceſsitare ſalutis.

4. Dico ſecundò: *Datur præceptum Divinum, non ſolum negativum de Confeſsione fidei, hoc eſt, prohibens illam negare; ſed etiam affirmativum obligans ad illam confitendam.* Primum patet, ex illo Matth. ſuprà: *Qui autem*

me-

Digitized by Google

negaverit me coram hominibus, negabo eum coram Patre meo, quę comminatio abſdubio habet vim præcepii Divini de non neganda fide. Secundum etiam patet ex illo Luc. 9. *Qui me erubuerit, & meos ſermones, erubeſcam & ego eum coram Patre meo*, nam ille dicitur erubeſcere, qui non audet confiteri exterius Chriſtum, & non ſolum, qui negat: Ergò Chriſtus non ſolum prohibet ſuis negare ipſum, ſed etiam præcipit vt ipſum exterius confiteantur. Confirmatur, quia datur præceptum non prodendi fidem, & veritatem Chriſtianam, cum hoc ſit maximum peccatum contra fidem: Sed, vt loquitur Chriſoſt. Homil. 25. imperfecti: *Non ſolum ille proditor eſt veritatis, qui tranſgrediens veritatem palam mendacium loquitur; ſed etiam, qui non liberè veritatem pronuntiat, quando oportet*: Ergò tenemur liberè pronuntiare veritatem Chriſtianam, quando oportet, ne ſimus illius proditores: Ergò de hoc datur præceptum.

5. Deindè probatur ratione D. Tho. in præſenti, nam ea, quę ſunt neceſſaria ad ſalutem cadunt ſub præceptis Divinę Legis: Sed aliquando eſt de neceſsitate ſalutis confiteri externè fidem, quando nempè ſubtraheretur honor Deo debitus ex confeſsione omiſſa, aut vtilitas proximis impendenda: Ergò datur præceptum affirmativum confeſsionis fidei, quod nempè non obligat ſemper, & pro ſemper, ſed ſolum in aliquibus caſibus, & circunſtantijs, ſicut alia præcepta affirmativa, nam de ratione præcepti affirmativi ſolum eſt obligare ſemper, ſed non pro ſemper.

6. Dices, in prædictis caſibus dari quidem præceptum confitendi fidem, ſed hoc non eſſe præceptum proprium fidei, ſed Religionis, quando nimirum ſubtraheretur honor Deo debitus; vel charitatis, quandò ſubtraheretur vtilitas proximo impendenda: Nam in primo caſu, ex Religionis motivo obligamur ad honorem Deo reddendum, in ſecundò ex motivo charitatis ad vtilitatem proximi. Sed contra, nam licèt in prædictis caſibus concurrant præcepta, & motiva Religionis, & charitatis obligantia, hoc non tollit, quod concurrat etiam præceptum proprium fidei obligans; nam illę circunſtantię honoris Dei, & vtilitatis proximi, dupliciter conſiderari poſſunt, nempè, vel motivè, vel per modum circunſtantię determinantis materiam præcepti fidei: ſi ſumantur motivè, fateor, quod obligatio indè reſultans eſt Religionis, vel charitatis; ſed ſi ſumantur per modum circunſtantiæ, tunc locum habet præceptum fidei per ſe obligans in illis circunſtantijs. Nec enim eſt inconveniens, quod reſpectu eiuſdem materię concurrant plures obligationes, & præcepta, ita vt quod eſt motivum vnius, ſit circunſtantia reſpectu alterius: Ergò.

7. Sed inquires primò: *Quando obliget præceptum affirmativum confeſsionis fidei.* Reſpondeo, obligare quotieſcumque ex illius omiſsione ſubtraheretur honor Deo debitus, vel vtilitas proximis impendenda. Ita D. Tho. in præſenti, & cenſetur iſta regula optima ad cognoſcendum quando tale præceptum obliget.

8. Reſpondeo ſecundò, obligare quemlibet, quàm primum Chriſtianus, & Fidelis efficitur. Ratio eſt, quia vi talis præcepti obligamur, vt non ſimus tantum Fideles interius, ſed etiam exterius, & quod vniamur viſibiliter Eccleſię viſibili, & illi incorporemur: Sed hoc pacto vniri non poſſumus, niſi per externam fidei confeſsionem: Ergò, quàm primum aliquis Fidelis efficitur, tenetur fidem exterius confiteri, & Eccleſię viſibiliter vniri. Vndè quicumque Infidelis, qui ad fidem convertitur, tenetur quàm primum Eccleſię ſuam fidem oſtendere, ei ſe viſibiliter incorporando, vel ſi hæreticus, aut apoſtata fuit, ei ſe viſibiliter reconciliando, quod ſi potens, non faciat, non cenſetur impleſſe præceptum fidei integrè, prout debet: Et ratio etiam eſt, quia ex regula poſita, tenetur fidem confiteri, quoties ſubtraheretur ex omiſsione honor Deo debitus, & vtilitas proximis impendenda: Sed ex ſuppoſitione quod quis ſit Fidelis, & credat Chriſtum, tenetur Chriſtum honorare, qui honor ſubtraheretur, ſi fidem internè conceptam occultaſſet, & etiam tenetur ad vtilitatem, & communicationem ſuę fidei cum Fidelibus, nam ex cujuſcumque Infidelis converſione, cæteri Fideles ędificantur, & corpus Eccleſię augetur, quę vtilitas deficeret, ſi fidem externè non profiteretur: Ergò quàm primum poſsit poſt ſui converſionem, tenetur fidem externè Eccleſię confiteri.

9. Confirmatur, quia ille, qui ſemèl exterius fidem negavit, & hæreticus, vel Infidelis exterius habitus eſt, quandiù externè fidem non confitetur, cenſetur perſeverare moraliter in fidei externa negatione, & in infidelitate: Sed quilibèt converſus ad fidem tenetur non perſeverare moraliter in fidei externa negatione, quia hæc prohibetur ſemper, & pro ſemper: Ergò tenetur, quàm primum fidem externè confiteri, quia aliter non cenſetur externam infidelitatem retractaſſe, ſiquidem hæc non retractatur ſufficienter per fidem purè internam.

10. Non

10. Notandum tamen eſt, quod ſemèl, quod Eccleſię manifeſtaverit ſuam fidem, non tenetur amplius illam externè confiteri, quia ſemèl externè confeſſa, perſeveret moraliter in externa fidei profeſsione &, confeſsione, quandiù illam vlterius non negaverit. Hoc intellige, niſi de fide interrogetur; nam vt inquit D. Tho. *in præſent. Si aliquis interrogatus de fide, taceret, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non eſſet vera, vel alij per eius taciturnitatem averterentur à fide, in huiuſmodi caſibus confeſsio fidei eſt de neceſsitate ſalutis.* Sed ex his D. Tho. verbis plura reſultant dubia, vndè.

11. Inquires ſecundò: *De qua interrogatione debeat intelligi D. Tho. vt interrogatus teneatur ad fidei confeſsionem, an de interrogatione facta à perſona publica habente authoritatem, an ſolum de interrogatione facta à perſona particulari.* Reſpondeo primò, intelligi debere de interrogatione facta à perſona publicam habente authoritatem, ita vt ſic interrogatus, teneatur confiteri. Ita communiter DD. & patet, quia ſic interrogatus, interrogatur legitimè, & vt teſtis, ita, quod ſi interrogatus taceret, ſubtraheret honorem Deo debitum: Ergò tenetur tunc fidem propalare.

12. Dico ſecundò: *Communiter, & per ſe loquendo, quando Fidelis interrogatur à perſona particulari, & privata, non tenetur confiteri ſuam fidem.* Ita etiam communiter AA. & ratio eſt, quia tunc non interrogatur vt teſtis, ſola enim perſona habens publicam authoritatem poteſt interrogare teſtes, vt teſtes; ſed interrogatur pro libito, & ſine authoritate: Sed Fidelis non tenetur omnibus ſic interrogantibus ſuam fidem manifeſtare, hoc enim nimis oneroſum eſſet, & in pluribus caſibus imprudentia: Ergò. Confirmatur. Nam Chriſtus D. exigens à ſuis Diſcipulis confeſsionem fidei, peculiariter ait Matth. 10. *Ad Præſides, & ad Reges ducemini propter me in teſtimonium illis, & Gentibus,* non ait, ad quoslibet homines, ſed ad Præſides, & Reges: Ergò ſolum inducit obligationem confitendi fidem, dum interrogantur ab habentibus publicam authoritatem. Dixi in aſſerto, *per ſe, & communiter loquendo*, quia ſi interrogante perſona particulari, ex taciturnitate, aut occultatione fidei, ſubtraheretur honor Deo debitus, aut periclitaretur fides in ſe, vel in proximis, etiam tunc teneretur fidem confiteri, quia huiuſmodi circunſtantię inducunt per ſe obligationem, vt ſupra oſtenſum manet. Cæterum, quia communiter, & per ſe loquendo, ex occultatione fidei reſpectu particularis interrogantis, nihil horum ſequitur; ideò per ſe loquendo, non obligat pro tunc præceptum confeſsionis fidei.

13. Verumtamen valdè notandum eſt, quod adhuc interrogante perſona particulari, non licèt expreſsè negare fidem, quia præceptum poſitivum prohibens negare fidem obligat ſemper, & pro ſemper, & ſic forſan magis peccaret, negando fidem coram perſona particulari interrogante, quàm coram Principe, ſi nimirum hic comminaretur Fidelibus crudelia tormenta, & incuteret magnum terrorem, nam licèt metus, in hoc caſu non excuſet à culpa gravi negationem fidei, tamen in ea linea minuit culpam, ſicut minuit libertatem. Perſona verò particularis non habet vim, nec iuriſdictionem comminandi pœnas, nec tormenta, & ſic interrogatus haberet maiorem libertatem ad fidem non negandam, & recuſandam directam reſponſionem; vndè ſi negaret, magis ſpontaneè, & liberè negaret, quod ſanè auget peccatum negationis fidei.

14. Sed dices, quid faciet, qui interrogatus à particulari, ſe non vult manifeſtare Chriſtianum, aut Catholicum, quia non tenetur? Reſpondeo, quod poterit tergiverſare reſponſionem, vel liberè illi dicendo: *Qua authoritate id interrogas? Quis te conſtituit Iudicem Religionis?* Et ſic retundere interrogationem interrogationibus. Vel alio divertendo converſationem, vel dicendo: *Non teneor meam Religionem tibi manifeſtare*, vel aliquo prætextu præſentiam interrogantis declinando, vel aliter, prout ingenium dictaverit, & occaſio tulerit. Non tamen approbo, quod poſsit abſolutè reſpondere: *Non ſum Chriſtianus*, intelligendo ſic: *Ego legitimè interrogatus non ſum Chriſtianus*, eo quod hæc propoſitio, cum in eo caſu ſit negativa de ſub recto non ſupponente, vera eſt. Non inquam id approbo, quia hoc apertè eſſet negare exterius fidem, & non ſolum illam zelare, vel occultare: Sed quamvis liceat coram perſona particulari occultare, aut zelare fidem, nunquam tamen licèt eam negare: Ergò.

15. Nec dicas, hoc non eſſe negare fidem, ſed illam per amphibologiam occultare. Contra enim eſt, quia ſi hoc non eſſet negare fidem, nec Petrus interrogatus ab Ancilla, illam negaſſet, quamvis dixerit abſolutè: *Non ſum*, quia hoc dixit, non legitimè interrogatus. Secundò, quia nullus eſſet caſus negandi fidem coram perſonas particulares, quia ſemper ſubintelligi poſſet: *Non ſum vt legitimè interrogatus*; Et ſic præceptum ne-

negativum non negandi fidem, nunquam vrgeret, niſi coram Iudices, & Perſonas Publicas, ſicut affirmativum illam confitendi; quia aliter non eſſet caſus negandi fidem, quia ſemper ſub intelligeretur illa particula *vt legitimè interrogatus*: Hoc autem planè eſt abſurdum, quia aliàs non amplius extenderetur obligatio præcepti negativi, quam poſitivi, quod omnes negant. Tertiò, quia licèt huiuſmodi amphibologię, aut reſtrictiones aliàs eſſent licitę, tamen in materia fidei, in qua eſt ſtricta obligatio nunquam negandi illam, minimè permitti poſſunt, quia per illas penitus hæc obligatio extingueretur; nam ſi liceret cuilibet, interroganti reſpondere abſolutè: *Non ſum Chriſtianus*, ſub intelligendo quidquid voles, quid rogò prohiberet præceptum non negandi fidem? Sanè nihil: Ergò non licèt ita reſpondere.

16. Niſi forſan ſenſus interrogantis alius eſſet, quam interrogare de fide, vt poſſet contingere in bello, in quo omnes Militantes pro parte Catholicorum, ex parte principali Exercitus, appellarentur Catholici, ſicut omnes Militantes pro Hiſpania in Exercitu ſolent appellari *Hiſpani*, hoc eſt, factionis Hiſpanię, tunc enim ſi aliquis Miles contrarij Exercitus inveniret aliquem, & illi interrogaret, eſt ne Catholicus, aut Chriſtianus? Senſus illius interrogationis non eſſet formaliter, nec directè de fide ipſius, ſed de illius Militia, in quo nempè Exercitu Militaret; vndè ſi bellum non eſſet directè pro Religione, ſed pro temporali ditione, poſſet reſpondere Miles interrogatus: *Non ſum Chriſtianus*, quia ad ſenſum interrogantis non negabat per hoc fidem, ſed tantum Militiam temporalem; ſecùs eſſet, ſi bellum eſſet directè pro Religione, quia tunc idem eſſet interrogare de Militia, ac de fide. Et ſimiliter, poſſet eſſe ſenſus interrogantis, de Regione, ſeù Patria, & non de fide, v.g. Si aliquis volens ſcire Patriam peregrini, interrogaret ipſum, eſt ne Chriſtianus, Turca, aut Maurus? Quamvis Chriſtianus eſſet, ſi ex circunſtantijs interrogationis intelligeret prædictum ſenſum, poſſet reſpondere, Maurus, aut Turca, quin propterea cenſeretur negare fidem, ſed ſolum incurreret ſimplex mendacium, imò ſine mendacio id poſſet dicere, ſi oriundus eſſet ex illis Regionibus: Secùs tamen eſt, quotieſcumque ſenſus interrogantis ſit interrogare de fide, & Religione.

17. Inquires tertiò: *An liceat declinare confeſsionem fidei fugiendo perſecutorem, vel poteſtatem publicam inquirentem de fide, & Religione?* Negativa ſententia fuit Tertuliani, qui ſua eloquẽtia malè vſus in hac partẽ, ea deturpare conatus eſt fugas Chriſtianorũ in perſecutionibus, appellãs eos, *in pace Leones, in bello Cerbos.* Verùtamẽ eius ſentẽtia communiter reijcitur vt hæretica, & communiter impugnatur à SS. Patribus, quorum Cathelogum invenies apud Suarez *in præſent. diſput.* 14. *ſect.* 3. Vndè contraria ſententia eſt tenenda.

18. Reſpondeo ergò primò, quod fuga, declinandę perſecutionis cauſa, non eſt intrinſecè mala, ſed plerumquè honeſta. Probatur primò ex illo Matth. 10. *Cum autem perſequentur vos in Civitate iſta, fugite in aliam.* Et *cap.* 24. *Qui in Iudæa ſunt, fugiant ad Montes.* In cuius conſilij impletionem, refertur *Actor. cap.* 8. quod, occiſo Stephano, Diſcipuli fugerunt. Imò & *Paulus* 2. *ad Corinth.* 11. refert de ſe ipſo: *Damaſci Præpoſitus Gentis Aretę Regis cuſtodiebat Civitatem Damaſcenorum, vt me comprehenderet, & per feneſtram in ſporta dimiſſus ſum per Murum, & ſic effugi manus eius.* Ergò fuga perſecutionis non eſt intrinſecè mala, ſed aliquando licita, & honeſta.

19. Deindè probatur ratione, quia non alia de cauſa eſſet intrinſecè illicita, niſi quia eſſet fidei virtualis negatio, aut contra fidem: Sed potius eſt fidei virtualis confeſsio, ſiquidem propter illam ſubſtinendam, & non negandam, eligitur exilium è Patria, Charorum, & Parentum, nec non temporalium bonorum amiſsio, ita, vt dùm graſſatur perſecutio in Chriſtianos, omnes, qui fugiunt, eo ipſo oſtendant manifeſtè ſe Chriſtianos eſſe, nam ſi Chriſtiani non forent, cur fugerent non haberent; & quidem non vt cumque demonſtrantur Chriſtiani, ſed fortes in fidei confeſsione, quando quidem tot pœnalia mala eligunt, ne fidem negare poſsint, adeò vt dixerit Atanaſius *in Apolog. de fuga ſua*, eos, qui in fuga moriuntur, Martyrij Lauream promereri: Ergò non eſt illicita intrinſecè talis fuga. Reſtat ergò, quando poſsit eſſe licita, quando obligatoria, & quando prohibita, & illicita?

20. Reſpondeo ergò ſecundò, fugam eſſe licitam, & interdum obligatoriam, primò, quando ex præſentia, & confeſsione fidei nulla ſperatur vtilitas fidei, nec proximorum, & imminet ſcandalum, & turbatio infidelium, & quod illi plùs offendant Deum. Ratio huius eſt, quia conſonum eſt charitati, vitare in alijs turbationem, ſcandalum, & occaſionem peccandi; atque adeò licitum, & honeſtum: Sed in prædicto caſu fuga conducit, & eſt medium vnicum ad id vitandum: Ergò eſt licita, & honeſta. Idque confirmat Origenes, *lib. contra Celſum* Exemplo Areſt. qui

videns Socratem Athenis occiſum propter Dei veritatem conteſtatam, diſceſsit ab Athenis, & ait: *Ex Athenis receſſimus, ne cauſa domus Athenienſibus idem ſcelus committendi, quale in Socrate commiſerunt, ne vè contra Philoſophiam iterum impietatis coarguantur.* Et Nazianzenus *Orat. in laudem Cæſarij*, ſic ait: *Lex Christiana hoc ſancit, vt vrgente tempore, pro veritate periculum non adeamus, nec pietatem per ignaviam prodamus: Quandiù autem licèt, pericula ipſa non provocamus, ſivè animorum noſtrorum metu, ſivè vt his conſulamus, qui periculum nobis inferunt.* Et *Orat. 1. in Iulian.* ſic ait: *Decet Chriſtianos, non ſolum res conſiderare proprias, etiam ſi magno ſint animo, & fortitudine prædici, ſed etiam perſequentibus parcere, ne fortè ipſis acceptum feratur, quod hoſtium periculo non ſubvenerint.* Imò & Div. Thom. *in præſent. artic. 2. ad 3.* id ipſum confirmat his verbis: *Si turbatio Infidelium oriatur de confeſſione fidei manifeſta, abſque aliqua vtilitate fidei, vel Fidelium, non eſt laudabile in tali caſu fidem publicè confiteri*: Ergò laudabile tunc erit fugere occaſionem.

21. Secundò laudabilis, & honeſta eſt fuga, quando quis eſt Perſona maximè vtilis ad confirmandos Fideles, & poteſt per fugam reſervari ad eorum ędificationem, & confirmationē pro meliori tēpore. Vndè Athanaſ. In Apollogia refert ſe ipſum fugiſſe hoc motivo, & inquit: *Sic Sancti fugiebant, vt tanquam Medici in vſus indigentium reſervarentur.* Et Div. Auguſt. id confirmat, *tract. 46. in Ioann.* exemplo Pauli, qui fugit ex Civitate Damaſcenorum, vt communi Fidelium vtilitati ſervaretur.

22. Tertiò erit laudabilis fuga, quando quis conſiderans ſuam infirmitatem, vehementer timet, ſe non forè conſtantem in tortura. Et Ratio eſt, quia tunc potius erit vituperabile non fugere periculum imminens, ſiquidem quiſque tenetur fugere periculum imminens negandi fidem, ſicut & peccandi. Vndè Div. Cyprianus *lib. de Lapſis*, vehementer objurgat plures Chriſtianos, qui in perſecutione fidem negarunt, nec admittit excuſationem illorum, quod metu mortis in eam negationem lapſi fuerint; inquitquè, ipſos non metu mortis, ſed metu ſolius amiſsionis bonorum temporalium in id crimen incurriſſe, quia ſi bona caduca non plùs ęſtimaſſent, quam fidem, potuiſſent, vt debebant, conſiderando ſuam fragilitatem, evadere perſecutionem fugiendo, & omnia relinquendo, ne fidem proderent.

23. Reſpondeo ſecundò, fugam interdum etiam poſſe eſſe illicitam, & peccaminoſam. Primò caſu, quo aliquis vt Paſtor habeat curam Animarum, & non poſsit fugere niſi deſerendo ſuas oves in manifeſto periculo, tunc enim tenetur oves non deſerere, nedum ex charitate, ſed etiam ex officio, & ex iuſtitia, iuxta illud Ioann. 10. *Bonus Paſtor Animam ſuam dat pro ovibus ſuis; mercenarius autem videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit.* Et illud Zacharię 11. *O Paſtor, & Idolum, derelinquens gregem.* Vndè in hoc caſu fuga eſt turpis, & illicita. Secundò, quamvis quis non ſit Paſtor, nec teneatur ex Officio Fideles confirmare, ſi ratione authoritatis, & doctrinę poſſit Fideles periclitantes confirmare, vel fidem defendere, obligabitur id facere cum periculo ſuę vitę, tunc enim tenet Chriſti præceptum: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, Animam autem non poſſunt occidere.* Et ratio eſt, quia charitas vrget nos, vt anteponamus vitam ſpiritualem proximorum, & honorem Dei, vitę noſtrę temporali; Sed in prædicto caſu imminet Fidelibus proximis periculum amittendi vitam ſpiritualem per fidei negationem, & ſubtrahendi Deo honorem debitum in fidei confeſſione, negando ipſam: Ergò tenebitur ex charitate vir Chriſtianus, qui poteſt ſua præſentia cęteros roborare, & vacillantes confirmare, non fugere, ſed exponere ſuam vitam temporalem.

24. Inquires quartò; *an liceat occultare fidem veram, ſimulando falſam Sectam, ſeù exercendo actiones indicativas, aut proteſtativas illius.* Antequam reſpondeam noto, de tribus poſſe militare difficultatem iſtam, nempè, primò de actionibus proteſtativis falſę Religionis, quę poſſunt eſſe in duplici differentia; alię, quę ex natura ſua ordinantur ad Religionem proteſtandam, & exercendam, vt adorare, genuflectere ante Idolum, pectus tundere; alię quę ex libero inſtituto hominum ad hoc ordinantur, vt ſi in aliqua Natione ad dignoſcendos Sectatores illius Religionis, ab alia, inſtituatur aliqua actio, vel ſignum aliquod, vt portare Idolum ante pectus, vel aliquid huiuſmodi. Secundò poteſt eſſe de veſtibus, quę etiam poſſunt eſſe in triplici differentia, alię, quę licèt ſint communes omnium Sectariorum illius Religionis, non ſunt tamen per ſe inſtitutę, nec primario, nec ſecundario ad Religionis cultum, vel proteſtationem; alię, quę ſunt inſtitutę per ſe primò ad Religionis proteſtationem; alię, quę non per ſe primò, ſed ſecundario deſignant Sectatores illius Religionis. Quo ſuppoſito.

25. Dico primò: Non licèt occul-

num. 104. Admiſſa evidentia illius principij non probat in Angelo evidentiam in atteſtante, ſed evidentiam ſcientię. num. 106. Illud principium verum eſſet, quamvis in primo inſtanti (vt poſsibile fuit) fuiſſet Angelus illuminatus, vel alloquutus ab aliqua creatura. *Ibid.* Evidentia deſumpta ex eo, quod aſſenſus Angeli in primo inſtanti eſſet de neceſsitate verus, non probat evidentiam in atteſtante conciliati cum fide. num. 108. Illud principium ſolum adducitur à Div. Thom. vt probet operationem incipientem cum eſſe Angeli non poſſe eſſe malam ex libero arbitrio. num. 109. Vndè ſolum probat Angelum non potuiſſe errare culpabiliter in primo inſtanti, non verò quod falli non potuerit inculpabiliter ab alia creatura. *Ibid.* & num. 110. Explicatur duplex vniverſalitas prædicti principij. num. 111. Dato quod cognoverit evidenter Deum ſibi loqui, non cognovit evidenter ſenſum, in quo ſibi loqueretur. num. 114. Talis ſenſus non fuit determinatus vnicè per inſtinctum, num. 116. Sed ex ſignis, vel ſigno aliquo reddente illum ſenſum evidenter credibilem, num. 117. Facilius fuit Angelum ignoraſſe ſenſum loquutionis, quam Authorem illius. num. 118. Licèt aſſenſus Angeli in primo inſtanti fuerit ſupernaturalis, id tamen evidenter reflexè non cognoſcebat. num. 119. Licèt aſſenſus eſſet Angelo evidens, non indè probatur evidentia in atteſtante de ſenſu loquutionis, num. 120. Deus propoſuit Angelo Myſteria in ſenſu determinato, ſed non evidenter determinando talem ſenſum. num. 122. Angelus in primo inſtanti potuit negativè dubitare de ſenſu determinato, ſed non poſitivè, num. 124. attenta nempè propoſitione obiectiva revelationis, & ſenſus illius intra ſphæram intellectus. num. 125. Voluntas Angeli non potuit in primo inſtanti nolle poſitivè credere, potuit tamen non vellè, ſeù negativè ſe habere, *Ibid.* & num. 126. Licèt Angelus fuerit impeccabilis pro primo inſtanti, non tamen omninò infallibilis. num. 127. Credidit in illo cum libertate purę cõtradictionis, in ſecũdo vero cũ libertate cõtrarietatis. num. 129. Revelavit ei Deus Myſteria, ſine evidentia adæquata in atteſtante. *Ibid.* Non eſt inconveniens, quod aliquibus hominibus Deus tranſeunter revelaverit Myſteria clariùs, quam Angelo in primo inſtanti. num. 130. Ex eo quod Angelus non vidit Deum in illo probatur habuiſſe fidem, attenta lege ordinaria, non verò attenta potentia Dei abſoluta. num. 132. Angelus non credit alijs ſibi loquentibus, fide obſcura, & ſtrictè tali, ſed latè dicta. num. 143.

Anti-Chriſtus non faciet vera miracula, & cur? Diſputat. 2. quæſt. 2. numer. 12.

Appetitus elicitus ſequitur ad formam apprehenſam, ſicut naturalis ad formam naturalem. Diſputat. 5. quæſt. 10. num. 89. & 97. Appetitus intellectualis differt à ſenſitivo, non ex eo, quod iſte reguletur apprehenſione, ille iudicio, ſed quia apprehenſum movens eſt diverſi generis, nempè bonum vniverſale, vel bonum ſingulare, num. 88.

Apprehenſio obiecti motivi fidei ſolum eſt conditio, non ratio formalis motiva fidei. Diſputat. 1. quæſt. 1. à num. 17. & 29. Apprehenſio obiecti motivi non variat ſpeciem actus, ſed ſolum variatur penes obiectum apprehenſum. num. 31. Apprehenſiones Myſterij credendi, & motivi debent præcedere actum fidei. Diſputat. 5. quæſt. 6. num. 1. Ad actum fidei prærequiritur aliqua ſaltèm apprehenſio ſupernaturalis. num. 2. non ſolum, quę proponat intellectui Myſterium vt revelatum ſub ratione boni, vt alliciat voluntatem, ſed quę proponat illud ſub ratione veri vt moveat intellectum. num. 12. Probabilius exiſtimo non requiri apprehenſionem ſupernaturalem myſterij ſecundum ſe, & ſatis eſſe naturalem. num. 13. Nemo poteſt viribus ſolius naturę apprehendere myſterium, vt revelatum, apprehenſione ſuaſiva in exercitio ad illud credendum fide ſuperna. num. 14. benè verò apprehenſione non ſuaſiva. num. 15. Melius apprehendit ruſticus Catholicus motivum formale fidei, quam Hæreticus litteratus. E contra autem eſt de obiecto materiali. quæſt. 7. à num. 11. Apprehenſio ſuaſiva revelationis eſt quę proximè regulat fidem. quæſt. 10. à num. 38. Talis apprehenſio ſuo modo eſt infallibilis. num. 68. Vidè, *Illuſtratio Regula, & Fides.*

Argumenta credibilitatis, ad quid proſint. Diſputat. 4. quæſt. 4. à num. 16. Ea, quibus vtuntur PP. ex mente Div. Thom. non ſunt demonſtrationes, ſed perſuaſiones ad oſtendendum non eſſe impoſsibile, quod fides docet, vel procedunt ex ſuppoſitione fidei. Diſputat. 5. quæſt. 10. num. 50. & Diſputat. 4. quæſt. 3. num. 43.

Articuli fidei convenienter quatuordecim enumerantur, & per illos tota materia fidei traditur. Diſputat. 1. quæſt. 12. à num. 21. Creverunt temporum ſucceſsione, quoad explicationem, non quoad ſubſtantiam. num. 29.

Aſſenſus fidei eſt reverentia, non ſtrictè, ſed latè dicta, reſpectu divini teſtimonij. Diſput. 1. quæſt. 1. num. 11. Eſt intrinſicè certus certitudine adhæſiva. Diſputat. 2. quæſt. 5. num. 10. Vidè *Certitudo.* Repugnat aſſenſus fidei, qui non attingat intrinſecè, & per ſe re-

velationem, aut motivum. Diſputat. 1. quæſt. 6. à num. 5. aliàs non erit intrinſecè infallibilis. n. 7. Licèt in illo Fideles nõ exprimãt diſtinctè revelationẽ, illam tamen attingunt in communi, & exercitè per modum rationis formalis *ſub qua*, licèt non ſemper ſignatè, & cum reflexione, à num. 16. Aſſenſus fidei de Chriſto venturo, quomodo continuatus fuerit poſt Chriſti Nativitatem. Diſputat. 2. quæſt. 4. à num. 28. Idem aſſenſus fidei non poteſt tranſire de verò in falſum, adhùc per accidens. num. 29.

Authoritas Dei triplex, ſeù tripliciter conſiderata. Diſputat. 1. quæſt. 2. num. 72. Auxilium divinum eſt motivum ſpei theologicę. Diſputat. 1. quæſt. 2. à num. 57.

B.

Bruta non habent libertatem in appetendo, cuius ratio non eſt, quia regulantur per apprehenſionem, & non per iudicium perfectum, ſed quia non apprehendunt bonum vniverſale, ſed ſolum ſingulare. Diſputat. 5. quæſt. 50. num. 90.

Bonum repromiſſum eſt primum movens ad credendum. *Ibid.* à num. 101. Eſt obiectum proprium pię affectionis. num. 107.

C.

Canonizatio. Pie credi debet Spiritum Sanctum aſſiſtere Eccleſię, & Papę in Canonizatione cuiuſvis Sancti, ac proindè ipſum in eo canonizando errare non poſſe. Diſputat. 3. quæſt. 15. à num. 28. Qui oppoſitum diceret eſſet impius, temerarius, ſcandaloſus, errori proximus, & ſapiens hæreſim. num. 29. Dùm Summus Pontifex aliquem canonizat non facit immediatè de fide, directè, & abſolutè illum eſſe in Gloria, ſed ſolum id certificat certitudine proximè accedente ad fidem, & ſapiente fidem. num. 30. Per Canonizationem manet de fide intrinſecè, & implicitè conditionata, ſed extrinſecè abſoluta, Sanctum eſſe verè Sanctum, & in Gloria. num. 34. Modus propugnandi eſſe de fide intrinſecè abſoluta proponitur, ſed non deciditur. num. 41.

Certitudo fidei malè dividitur in ſubiectivam, & obiectivam, non enim poteſt eſſe infallibilis ſubiectivè, ſi eſt fallibilis obiectivè. Diſputat. 1. quæſt. 9. à num. 46. Certitudo cognitionis non eſt idem, ac veritas eius. Diſputat. 2. quæſt. 5. num. 2. Alia eſt obiectiva, alia formalis; obiectiva, alia in eſſe rei, alia in eſſe obiecti, ſivè formaliter obiectiva. num. 3. Certitudo formalis explicatur. num. 4. Non exigit ex proprio genere, quod obiectum ſit re ipſa verum. num. 5. Nec quod excludat omnem actualem formidinem. num. 6. Nec rectè explicatur per intrinſecam connexionem actus cum obiecto. num. 7. Non conſiſtit in firmitate extrinſeca actus, ſed in intrinſeca ex meritis obiecti. num. 8. Malè diſtinguitur certitudo formalis ab adhæſiva. num. 9. Aſſenſus fidei eſt intrinſecè certus certitudine adhæſiva. num. 10. Repugnat formidini deliberatę, non indeliberatę. num. 12. Certitudo fidei eſt maior, quam cuiuslibet ſcientię, & evidentię naturalis. num. 13. Hoc intelligitur ſimpliciter, & ex parte obiecti; nam ſecundum quid, & ex parte ſubiecti certior eſt ſcientia, & evidentia naturalis. à num. 23. & 27. Certius eſt Deum eſſe Trinum, quam eſſe, vel non eſſe Trinum, explicatur. num. 32. Licèt vna propoſitio non poſſit eſſe verior alia, benè verò certior alia. num. 36. Viſio beata certior eſt fide. num. 37. Fides tamen eſt certior ſcientia infuſa. *Ibid.* Lumen propheticum certius eſt fide. num. 38. Sed fides certior eſt donis ſapientię, & ſcientię. num. 48.

Charitas non præcipit vt benè ſentiamus ſemper de proximo, ſed ſolum, quando non probatur malus, vel quod ſuſpendamus iudicium. Diſputat. 2. quæſt. 3. num. 123. Ex charitate poteſt quis elicere per accidens actum materialiter peccaminoſum, & erroneum. num. 126.

Chriſtus vt homo mentiri non potuit, ſicut nec peccare. Diſputat. 2. quæſt. 1. à num. 77. Imò nec ex ignorantia proferre, aut iudicare falſum. num. 79.

Cognitio ſeù cogitatio proponens obiectum fidei, prout oportet, non poteſt eſſe, niſi ſupernaturalis. Diſputat. 5. quæſt. 10. num. 18. Non ſolum cogitatio practica movens voluntatem; ſed ſpeculativa immediatè ſuaſiva intellectus. num. 20. Aliter requiritur cognitio revelationis ad fidem infuſam, ac cognitio miſerię ad miſericordiam infuſam. num. 21. Cognitio immediatè regulativa fidei, nequit eſſe iudicium de credibilitate Doctrinę ſignatè cognita. num. 25. Quia debet proponere ſignatè veritatem, & non credibilitatem. num. 29. Et quia iudicium de credibilitate ſignata ſupponit, & non facit obiectum credibile. num. 30. Et quia importat reflexionem minimè exactam ad credendum. n. 32. Non ergò eſt iudicium ſpeculativum, ſed ſola apprehenſio ſuaſiva revelationis, & myſterij, quę aliquo ſen-

Digitized by Google

ſenſu eſt iudicium imperfectum,& practicè tale, à num. 38. Hoc pacto rectè explicatur libertas fidei,haud facilè tamen,ſi regu-letur iudicio ſpeculativo, & perfecto. à numer. 45. Per hanc apprehenſionem ſuaſivam completur credibilitas myſteriorum per fidem infuſam. num. 52. Et facilè explicatur, quomodo ruſtici,& pueri habeant ſufficientem cognitionem credibilitatis. numer. 53. Cognitio regulativa actus,voluntatis, ſeù piç affectionis, dato quod debeat eſſe iudicium, non ſequitur idem de cognitione regulativa actus fidei, ſeù intellectus. num. 71. Sed nec cognitio regulativa piç affectionis debet eſſe iudicium perfectum, ſed ſatis eſt imperfectum, ſeù apprehenſio ſuaſiva. à num. 75. Quia debet eſſe cognitio conſtituens proximam libertatem volendi credere. num. 77. Opinio contraria, quç exigit ad libertatem proximam in genere iudicium perfectum, exponitur; & impugnatur à num. 78. Cognitio regulativa voluntatis erga finem ex mente Div. Thom. non eſt iudicium, ſed recta apprehenſio. quæſt. 10. à num. 88. & quæſt. 11. num. 18. Cognitio regulativa piç affectionis, ſeù actus credendi non procedit à prudentia infuſa,nec à dono intellectus propriè ſumpto. quæſt. 11. à num. 17. & 22. Sed ab habitu fidei in habentibus illum, vel ab auxilio tranſeunti per modum illuſtrationis in ſe convertentibus ad fidem. à num. 23. Talis cognitio, ſeù cogitatio non eſt per ſe libera, ſicut pia affectio. num. 25.

Concilium, quando incipiat eſſe de fide,quod ſit legitimum. Diſput. 3. quæſt. 4. num. 20. Concilia ſunt in triplici differentia. quæſt. 14. num. 1. Concilium non legitimum non habet Authoritatem in Eccleſia. num. 2. Si in illo non præſideat Papa per ſe, vel per Legatos,aut ſi non ſit ab eo congregatum, non eſt legitimum. num. 4. Generale legitimum eſt regula infallibilis fidei pro Eccleſia Catholica. num. 5.

Conſcientia erronea, directa, re ipſa obligat independenter à reflexa, non dependet ab ea, nec iſta ex illa neceſſario reſultat, nec datur lex reflexa ſequendi conſcientiam erroneam. Diſputat. 2. quæſt. 3. à num. 105. & 108. Conſcientia erronea, vt talis, non poteſt per ſe cauſari à Deo. à num. 106. benè verò ſecundum quod participat rectitudinis ex Syndereſi. *Ibid.*

Concluſio erronea ex maiori vera,& minori falſa, habet aliquid veritatis ex maiori, licèt falſificatum ex minori, explicatur à num. 113. Maior vera non eſt pura conditio,ſed influit verè in concluſionem. *Ibid. vſque ad* 121.

Conſideratio motivorum credibilitatis exacta in ſimplicibus ad credendum, explicatur. Diſputat. 5. quæſt. 9. à num. 5. In ea deficiunt ruſtici, & pueri degentes inter hæreticos. num. 6. Quia non dirigunt intentionem ad id, quod tenet S. M. Eccleſia. num. 8. In illis non ſupplet defectum conſiderationis Eccleſia, ſicut in ruſticis, & pueris Catholicis. num. 9. In his ſupplet defectum conſiderationis illuſtratio interior, ſecùs in illis. num. 11. Hæc Doctrina fundatur in Sacro Textu. num. 12. Fiducia hæreticorum, qua ſe illuminatos dicunt, falſiſſima, Catholicorum verà. num. 14. Catholici exercitè cognoſcunt ſe illuminari, licèt non ſignatè, hæretici è contra. num. 15. Simplices Catholici, abſque magna inquiſitione credentes, excuſantur à nota levitatis, & imprudentiç, propter internam illuminationem, ſecùs hæretici. num. 16. Interna illuſtratio magis ſupplet in ſimplicibus, quàm in eruditis,& litteratis. num. 17. Adhùc in his non ſatis eſt conſideratio, quamtumvis magna, ſi fiat ſolo lumine naturç. num. 18. Diſcrimen quarè ex audientibus Evangelium alij credunt, alij non eſt ex diverſo affectu,& conſideratione ergà Doctrinam, quam audiunt. num. 19. Conſideratio debita motivorum nequit eſſe, niſi ex auxilio gratiç, & conſequenter ſupernaturalis. num. 43. Conſiderans ex pura curioſitate, non conſiderat, provt oportet. num. 49.

Confeſſio externa fidei eſt verè, & formaliter talis, adhùc quando imperatur ex motivo vançgloriç. Diſputat. 5. quæſt. 12. num. 59. Ad illam fidei actus interior ſolum concurrit directivè, non imperativè. *Ibid.* Quando vitiatur ex motivo, non eſt actus imperatus à fide, ſed ſolum directus. num. 60. Eſt neceſſaria ad ſalutem, quando, & quomodo? quæſt. 17. num. 1. Datur præceptum de illa,non ſolum affirmativum,ſed negativum. num. 4. quando obliget affirmativum. num. 7. non quando Fidelis interrogatur à Perſona privata. num. 12. qualiter Fidelis debeat reſpondere Perſonç privatç interroganti. num. 14. Licèt declinare confeſſionem fidei fugiendo perſecutionem à num. 17. Non tamen licèt occultare fidem per actiones poteſtativas falſç Religionis, num. 25. Adhùc per actiones, quç ex inſtituto hominum tales ſunt. num. 26. Benè ve-

verò induendo veſtes communes Infidelium, num. 27. Si sempè nõ ſint vnicè inſtitutæ ad proteſtationẽ Religionis, num. 28. Secùs tamen, ſi alium vſum non habeant, num. 29. Confeſsio externa fidei eſt actus proprius fidei, ſed non propriè ab ea elicitus, quæſt. vltim. *per tot.*

Credere fide divina non cadit ſub experientia. Diſput. 1. quæſt. 9. à num. 49.

Credibilitas falſę Doctrinę non poteſt eſſe per ſe, & poſitivè à Deo, nec te ipſa virtuoſa, & prudens. Diſputat. 2. quæſt. 2. à num. 34. Noſtra fides, & ſecta illi contraria non poſſunt eidem intellectui eſſe ſimùl proximè credibiles. Diſput. 5. quæſt. 8. à num. 21. *Latè.* Credibilitas myſteriorum, quę eſt naturaliter evidens, non eſt credibilitas poſitivè, & determinatè per fidem divinam, ſed ſolum per fidem, negativè abſtrahendo à qualitate talis fidei. Diſputat. 4. quæſt. 4. *per totam.* Et Diſputat. 5. quæſt. 9. à 36.

D.

Deum eſſe, & eſſe veracem, quomodo credi poſsit, quia revelatum. Diſputat. 1. quæſt. 2. à num. 124. Deum titulo gubernatoris totius vniverſi non poſſe permittere, quod ex malitia hominum proponatur doctrina falſa ſub obligatione illam credendi, non eſt æquè infallibile, ac revelatio propoſita per Eccleſiam, nec omninò evidens, quæſt. 3. à num. 31. Vt Proviſor vniverſalis nequit eſſe motivum fidei, à num. 41. & 45. In fundatione Eccleſię revelavit ei omnem veritatem ad ſalutem neceſſariam, quæſt. 4. à n. 7. Loquitur ſæpè animabus per loquutiones formales, & non ſemper per prophetieas, num. 27. Qualiter, revelando cauſam, revelet effectum, explicatur, quæſt. 7. num. 38. Deum poſſe loqui creaturis eſt certum. Diſputat. 2. quæſt. 1. oum. 2. Non tamen vt Author naturę, à num. 3. nec veritates naturales, nec ſupernaturales, num. 4. nec per modum docentis, nec per modum præcipientis, num. 11. Numquam de facto loquutus eſt falſum, nec poteſt iuxta regulasem providentiam, num. 35. Quod adeò certum eſt, vt oppoſitum nulla docuerit hæreſis. *Ibid.* Aliter periret tota firmitas luminis naturalis, & primorum principiorum, num. 36. Nec de potentia abſoluta poteſt Deus mentiri, à num. 38. Si mentiretur degeneraret à divinitate. *Ibid.* Si poſſet, nulla firmitas eſſet in Sacra Scriptura, & periret eius Authoritas, num. 40. Imò Authoritas, & firmitas Dei, num. 58. Repugnat Deum loqui falſum, non ſolum per ſe, ſed etiam per ſuos Miniſtros, num. 62. Et hoc, ſivè loquatur per alium moraliter, ſivè phyſicè, num. 63. Identidem repugnat Deum falsò promittere, n. 64. & 76. Adhùc admiſſo Deum poſſe infundere errorem, non poſſet mentiri, num. 65. Poteſt loqui amphibologicè, numer. 81. Et aliquando ita loquutus eſt in Sacris Scripturis, numer. 85. Cur, explicatur num. 86. Per talem loquutionem, non fallit homines, ſed ſolum permittit, quod ipſi fallantur ex propria ignorantia, malitia, vel paſsione, num. 88. Per eam ſolum intendit veritatem zelare, non verò decipere, num. 89. Nequit patrare miracula in confirmationem falſę Doctrine, quæſt. 2. *per tot.* Vidè *miraculum.* Nec infudere errorem, aut illum per ſe cauſare, quæſt. 3. *per totam.* Vidè *error.* Quo ſenſu Deus ſit Author ſpeciales, vel generalis, cauſa per ſe, vel per accidens, num. 2. Quid Deus per ſe cauſare poſsit, quid non, explicatur ſpecialiter à num. 12. Nequit per ſe cauſare ignorantiam, à num. 70. Imò nec neſcientiam, 71. Vidè *malum.* Prohibere nequit actum ſupernaturalem, quæſt. 3. à num. 125. Vt Author naturę permittere nequit, quod Doctrina, contra veritatem naturalem proponatur cum tanta apparentia veritatis, ſicut Doctrina vera, attamen non eſt evidens, quod id permittere nequeat contra Doctrinam ſuperantem vires naturę, Diſput. 4. quæſt. 3. à num. 35. Nec quod habet in Mundo veram Religionem ſupernaturalem, quę ducat ad fœlicitatem ſupernaturalem, num. 37. Nequit movere homines ad actiones externas, niſi per prius movendo voluntatem internam. Diſput. 5. quæſt. 12. à num. 58.

Decretum nihil vnquam revelandi, vel non eſt poſsibile, vel eſt revelabile. Diſputat. 1. quæſt. 5. à num. 6. Si decernat de ſe ipſo, non eſt poſsibile, ſi ſolum de alijs manet revelabile, à num. 17. Nullum decretum poteſt reddi irrevelabile, niſi per aliud diſtinctum, vel per omiſsionum liberam, quamvis ex hoc ſequatur in Deo proceſſus infinitus decretorum, vel omiſsionum, à num. 30. Decretum nullam creaturam producendi, non eſt virtualiter vnicum, ſed multiplex, num. 44.

Damnati, qui fuerunt Fideles, differunt in Inferno ab Infidelibus per characterem Baptiſmi,

rigente, & movente ad redditionem illam externam, & ſic eſt actus proprius illius virtutis, non ab ea elicitus, ſed ab ea directus, & motus. Et ſic ſimiliter actus exterior temperantię, ſeù temperatę comeſtionis, non eſt virtuoſus ab aliqua virtute temperantię reſidente in potentia externa māducativa, à qua elicitivè procedat, ſed à virtute temperantię reſidente in parte cognoſcitiva, & à prudētia, dirigente, & movente ad temperatam comeſtionem, & ideò eſt actus virtuoſus proprius illius virtutis, à qua immediatè dirigitur, & movetur, non tamen ab ea propriè elicitus. Et ſimiliter oratio vocalis, ſeù externa, non eſt actus virtuoſus ab aliqua virtute elicitiva illius, quę deberet reſidere formaliter in potentia prolātiva verborum, ſeù loquutiva, ſed eſt actus virtuoſus à virtute interna latrię, ſeù Religionis dirigente, & movente potentiam externam ad obiectum, & finem proprium ipſius; vndè non eſt actus virtutis diſtinctę, ſed actus proprius virtutis latrię, ſeù internę orationis, non ab ea elicitus, ſed directus, & motus. Ex quo patet ad ſequentem obiectionem.

14. Dices quartò: Si confeſsio externa non eſſet elicitivè à fide, quia eſt actus alterius potentię ab ea, in qua reſidet virtus fidei, iuxta illud: *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem.* Sed hoc non obſtat: Ergò. Minor probatur primò, quia confeſsio peccatorum, quamvis ore facta, pertinet elicitivè ad pœnitentiam, quę eſt in voluntate; & ſimiliter confeſsio beneficiorum Dei, quamvis ore facta, pertinet ad latriam elicitivè, cum tamen latria ſit in alia potentia: Similiter oratio vocalis eſt elicitivè à Religione, quamvis Religio ſit in alia potentia, totumque hoc colligitur ex Div. Thom. varijs in locis: Ergò. Secundò, quia vt actus externę confeſsionis ſit elicitivè à fide, ſufficit, quod ab habitu fidei diffundatur in potentiam externam aliquis modus, ſivè aliqua ſui participatio, vi cuius potentia externa talem actum producat; quia hoc ſuppoſito virtus fidei elicit actum confeſsionis, non immediatè, ſed mediante ſua virtute impreſſa potentię externę: Ergò. Confirmatur, quia motus Maris, fluxus nempè, & refluxus, eſt elicitivè à Cœlo: Sed non alia ratione, niſi quia Cœlum imprimit ſuam virtutem Mari: Ergò pariter confeſsio fidei eadem ratione erit à fide.

15. Reſpondeo, conceſſa maiori, negando minorem. Ad cuius primam probationem, reſpondeo, quod confeſsio externa peccatorum non eſt actus propriè elicitus à virtute pœnitentię, nec oratio vocalis à virtute latrię, ſed ſunt actus proprij illarum virtutum directi, & imperati ab ipſis, & eliciti à potentia externa abſque virtute elicitiva talium actuum, quę non requiritur, vt illi actus externi ſint virtuoſi, vt oſtenſum manet. Quod ſi Div. Thom. in aliquo loco dicat, actum aliquem externum eſſe elicitivè à virtute interna, intelligendus eſt de actu externo, non phyſicè ſumpto, & quoad entitatem, aut ſubſtantiam, ſed quoad moralitatem, & laudabilitatem formalem, quę interna eſt, & conſiſtit in actibus internis moventibus, & dirigentibus ad externos, à quibus externi dicuntur formaliter virtuoſi, & laudabiles. Ad ſecundam probationem, nego antecedens, quia eius falſitatem iam oſtendimus ſuprà *num.* 7. Ad confirmationem nego maiorem, quia motus, vel actus alicuis ſemper tribuit propriam denominationem principio elicienti, tanquam ipſius exercitium, cum autem Cœlum minimè fluat, aut refluat, ſed ſolum Mare, indè eſt, quod fluxus, & refluxus ſolum eſt elicitivè à Mare, non verò, niſi tantum cauſaliter à Cœlo, quia ſolum eſt exercitium Maris, ſed Cœli ſolum effectus.

16. Sed inſtat M. Ferre: Confeſsio fidei non eſt ab ore media virtute diſtincta à fide, ſed ex virtute fidei: Sed quando aliquid operatur, non ex virtute ſibi intrinſeca, ſed tantum media virtute moventis, tunc elicitur eius operatio à virtute movente, non ſolum moraliter ſumpta, ſed phyſicè ſumpta: Ergò confeſsio fidei etiam phyſicè ſumpta elicitur à virtute fidei. Confirmat, quando actus elicitur ab alia potentia tantum media virtute reſidente in alia, tantum habet ſpeciem illius virtutis, media qua elicitur: Sed omnis actus eſſentialiter participans ſpeciem alicuius virtutis, elicitur ab illa: Ergò omnis actus elicitus à potentia externa tantùm mediante virtute interna elicitur à virtute interna: Sed iuxta Div. Thom. confeſsio exterior fidei non elicitur, niſi media virtute fidei: Ergò elicitur ab illa. Et fundat hanc obiectionem in Doctrina Div. Thom. 3. *part. quaeſt.* 19 *artic.* 1. *in corpore*, vbi ſic ait: *Actio eius, quod movetur ab altero, eſt duplex; vna quidem, quam habet ſecundum propriam formam; alia autem, quam habet ſecundum quod movetur ab alio. Operatio, quę eſt alicuius rei ſecundum propriam formam, eſt propria eius, nec pertinet ad moventem, niſi quatenus vtitur huiuſmodi re ad ſuam operationem; ſed illa operatio, quae eſt rei ſolum ſecundum quod movetur ab alio, non eſt alia praeter operationem moventis ipſum, & ideò vbicumque movens, & motum habent diverſas formas, & virtutes operativas, ibi oportet, quod ſit alia operatio moven-*

tis

tis, & alia operatio propria moti, licèt motum participet operationem moventis, & movens vtatur operatione propria moti.

17. Sed incipiendo ab hac doctrina, interrogo, quænam eſt actio propria potentię loquutivę motę ex affectu, & virtute fidei ad fidei confeſſionem? Nam iuxta Div. Thom. debet potentia, quę movetur, habere propriam actionem diſtinctam ab operatione moventis. Sanè non eſt alia, niſi loquutio exterior, qua confitetur fidem: Tunc ſic, ſed iuxta Div. Thom. operatio propria moti non pertinet ad moventem elicitivè, ſed ſolum quatenus ea vtitur, hoc eſt, applicativè, quia vti formaliter eſt applicatio principij ad opus: Ergò iuxta Div. Thom. confeſſio exterior non eſt actio elicita à virtute fidei movente potentiam loquutivam, ſed ſolum ab ea procedit applicativè, & motivè.

18. Dices hoc eſſe verum, quando movens, & motum habent diverſas virtutes operativas, vt inquit Div. Thom. tunc ſanè oportet diſtinguere actiones prædicto modo; cæterum Div. Thom. ad confeſſionem fidei non admittit duas virtutes, ſed vnam tantum, inquit enim, *quod fides producit confeſſionem, non mediantè alia virtute*, vt ſuprà vidimus: Ergò actio confeſſionis erit elicitivè à virtute fidei, ſiquidem non eſt alia, à qua ſit elicitivè.

19. Sed contra; quia hic intervenit ęquivocatio inter *virtutem*, & *virtutem*, nempè inter virtutem operativam phyſicam, & virtutem moralem rectificativam in genere moris. Igitur Div. Thom. non loquitur in eo Textu de virtutibus ſumptis moraliter, aut theologicè, vt evidenter patet, ſed de virtutibus operativis phyſicè: Tunc ſic, ſed quando ait, quod virtus fidei producit confeſſionem abſque media virtute diſtincta non eſt ſenſus, *abſque media virtute phyſicè operativa diſtincta*, quia abſdubio mediat virtus phyſicè operativa potentię loquutivę prolativè verborum, & verè operativa: Ergò ęquivocationem patitur prædictus Author.

20. Iam ergò ad replicam, diſtinguo maiorem: Confeſſio fidei non eſt ab ore media virtute phyſica operativa diſtincta à fide, nego maiorem: Media virtute morali, aut Theologica diſtincta à fide, concedo maiorem, & diſtincta minori eodem modo, nego conſequentiam, quia in confeſſione fidei intervenit duplex virtus operativa, licèt non interveniat duplex virtus moralis, aut theologica, intervenit quidem duplex virtus operativa vna movens potentiam loquutivam, quę eſt virtus fidei, alia phyſica, etiam operativa, quę eſt potentia loquutiva mota, & mediante hac, vel ab hac immediatè elicitur confeſſio fidei phyſicè ſumpta, ab alia verò non elicitur, ſed procedit motivè, applicativè, & ordinativè.

21. Ad confirmationem, nego ſuppoſitum maioris, nempè quod detur actus elicitus ab aliqua potentia tantum mediante virtute reſidente in alia, omnis enim potentia, quę elicit aliquem actum, debet illum elicere virtute aliqua ſibi intrinſeca, & in ſe reſidente, non ſemper virtute morali, aut theologica, verumtamen ſemper virtute intrinſeca operativa, ſivè phyſicè, ſi operatio ſit phyſica, ſivè moraliter, ſi operatio ſit moralis. Cum autem confeſſio externa, in quantum elicitur à potentia loquutiva, ſolum ſit actio phyſica, ſolum elicitur à tali potentia loquutiva proferente verba, virtute ſua phyſica.

22. Sed dices: Etiam talis confeſſio eſt moralis, quia eſt laudabilis, & ordinata ad finem, & obiectum fidei: Sed in quantum moralis non elicitur à potentia loquutiva: Ergò in quantum moralis eſt elicitivè à virtute, fidei. Reſpondeo, quod ſi illius moralitas non ſit ipſi intrinſeca, ſed ſolum extrinſeca ab actu interno imperante, vt tenent aliqui, verum tenet conſequentia, & ab omnibus conceditur, quia actus interni, à quibus habet moralitatem formalem extrinſecam, elicitivè ſunt à virtute fidei. Si autem dicatur, eſſe moralem intrinſecè per ordinationem intrinſecam ad finem fidei participatam ex actu interno dirigente, & imperante, vt tenent Thomiſtę, dico, quod adhùc vt moralis hoc modo, non eſt propriè elicitivè à fide, vndè conceſſa maiori, & minori, nego conſequentiam; quia eſt medium, nempè eſſe participativè ex actione elicita fidei, ſed non elicitivè ab ipſa fide; quia illa moralitas intrinſeca non eſt propriè actio, ſed participatio quædam actionis internę moventis, & imperantis, & ſic nec eſt propriè elicita, ſed participata ex actione elicita, eſt enim modus quædam ordinationis, & elevationis ad finem fidei, qui modus derivatur ab actu interno fidei, ſed non eſt propriè elicitus à fide, ſed quaſi impreſſio quædam ab actu elicito virtutis fidei.

23. Sequitur ergò, quod confeſſio exterior, vt eſt actio phyſica loquutivę, ſit ſolum elicita, & propria potentię loquutivę, vt autem moralis, & laudabilis, ſit participativè à ſola virtute fidei, quatenus potentia loquutiva mota à virtute fidei participat operationem fidei moventis. Et ſic tandem eſt actus proprius fidei, non excludendo quod ſit ab alia virtute operativa phyſica elicitivè, & actus

pro-

proprius eius, ſed excludendo quod ſit ab alia virtute, ſumpta virtute theologicè, aut moraliter, quia hoc pacto ſolum eſt actus virtutis fidei non elicitivè, ſed participativè, ordinativè, & directivè ab ea procedens, & quod hic ſit ſenſus Div. Thom. patet ex eis, quę ſibi objicit.

24. Objicit enim primò: Idem actus non pertinet ad diverſas virtutes: Sed confeſsio pertinet ad pœnitentiam, cuius ponitur pars: Ergò non eſt actus proprius fidei. Reſpondet, quod confeſsio peccatorum, eſt quę pertinet ad pœnitentiam, & eſt pars eius, non confeſsio fidei.

25. Objicit ſecundò: A confitenda fide retrahitur homo interdum ex timore, vel confuſione: Sed non recedere à bono ex confuſcere aut timore eſt actus fortitudinis: Ergò & confuſione fidei. Reſpondet, quod fortitudo non eſt cauſa per ſe, ſed per accidens confeſsionis fidei, in quantum removet prohibens, nempè timorem, & confuſionem, quę impediunt fidei confeſsionem.

26. Objicit quartò: Sicut per fidem inducitur homo ad confeſsionem fidei, ſic inducitur ad alia opera virtutum: Sed hæc non ſunt actus proprij fidei.: Ergò nec confeſsio. Reſpondet, vt ſuprà vidimus, quod ad alia opera virtutum inducit medijs alijs virtutibus, ad confeſsionem verò per ſe, ſine media alia virtute, intellige, de virtute theologicè, aut moraliter ſumpta. Ergò intentum Div. Tho. ſolum eſt, quod confeſsio ſit actus propriùs fidei, proprietate excludente, quod ſit actus ab illa procedens media alia virtute in ſenſu dicto, non verò exigente, quod ſit actus propriè elicitus à virtute fidei, niſi ſecundum moralitatem extrinſecam, & formalem deſumptam ab actibus internis, vel propriùs participativa ipſius fidei, quia propriam, & intrinſecam moralitatem per ſe participat ex actu elicito fidei.

27. Denique objicies contra primum Aſſertum: Negatio fidei non eſt actus proprius infidelitatis: Ergò nec confeſsio fidei eſt actus proprius fidei. Reſpondebis, quod negatio fidei, dùm oritur ex infidelitate interna, eſt actus proprius infidelitatis, non verò dùm oritur ex timore, aut alio affectu cum fide interna compatibili, & ſic ſimiliter confeſsio fidei eſt actus proprius fidei, dùm oritur ex affectu fidei, ſecùs vero, quando ex alio affectu oritur, vel ſine fide, vt quando eſt ficta, vel independenter à fide, vt in fideli ex vanaglotia. Sed contra, quia actus proprius alicuius virtutis nequit eſſe indifferens vt procedat ab illa, vel ab alio principio: Sed iuxta hanc ſolutionem confeſsio ponitur indifferens: Ergò non erit actus proprius fidei.

28. Aliter ergò reſpondeò, quod confeſsio, & negatio fidei poſſunt ſumi, vel phyſicè, vel moraliter propria moralitate. phyſicè ſumptę poſſunt procedere confeſsio à mendacitate, vel ab affectu vanęglorię, ſed contra exigen iam talis confeſsionis, quia per ſe exigit procedere à virtute ſibi propria, nempè à fide, & ſimiliter negatio fidei per ſe exigit procedere ab infidelitate, & ideò exactivè non ſunt indifferentes, ſed prima determinata exactivè ad virtutem fidei, ſecunda, ad vitium infidelitatis. Si verò ſumuntur ſecundum propriam moralitatem, iam conſtat, quod confeſſio fidei ſecundum propriam laudabilitatem eſt actus proprius fidei, & negatio fidei, ſecundum propriam vituperabilitatem eſt actus proprius infidelitatis? Si autem iſti actus habeant alias moralitates, fateor, quod poterunt eſſe ab alijs virtutibus, & vitijs, ſed iſtę moralitates non erunt proprię, ſed adventitię.

29. Sequebatur iam diſſerere de Infidelitate, & Apoſtaſia, tanquam de vitijs fidei contrarijs; ſed malo nihil, quam pauca dicere, quia ita graves continet difficultates, vt tractatum alium ex poſcerent.

(.·.)

SISTIT IGITVR HIC PRÆSENS tractatus. Cedat, &c.

OMNIA SVBIJCIO CORRECTIONIS.

S. M. E.

INDEX RERVM NOTABILIUM.

A.

ACTUS ſupernaturalis non poteſt eſſe pravus ex fine. Diſp. 2. q. 3. à n. 125. & Diſp. 5. q. 12. à n. 1. *per tot.* Actus imperans, debet eſſe ſuperioris virtutis ad imperatum, n. 12. De ratione illius eſt movere efficienter, & cum efficacia ad iſtum, n. 20. & 21. Actus merè naturalis nullam poteſt habere efficaciam ad ſupernaturalem imperandum, n. 22. Poteſt nihilominus volitio vniverſalis naturalis circa bonum vniverſale movere ad actum ſupernaturalem, conſideratum ſub ratione communi, licèt non vt ſupernaturalem, n. 38. Sed adhùc ſub ratione communi nequit actus fidei, vel alterius virtutis infuſę imperari ex motivo vanęglorię. *Ibid.* & n. 39. Ad actum fidei movet Deus ſpecialiter, non ſolum ſubiectivè, ſed etiam obiectivè, media illuſtratione ſuperna. Diſp. 2. q. 4. à n. 26. Actus idem bonus ex obiecto, non poteſt tranſire in malum ex obiecto, quamvis fiat malus ex fine, num. 29. Dato, quod idem actus virtutis acquiſitę tranſeat de bono in malum, non tamen idem actus virtutis infuſę, num. 30. Actus fidei, adhùc per accidens, nequit eſſe falſus, nec metaphyſicè loquendo. Diſp. 2. quæſt. 4. à num. 2. Idque repugnat ex cauſa efficienti, num. 3. & etiam ex obiecto, num. 5. Actus, quo credimus Chriſtum in Sacramento ſingulari, eſt tacitè conditionatus, à num. 31. Actus ſpecificantur ex obiecto motivo, & ex illo habent eſſe naturales, vel ſupernaturales. Diſputat. 5. quæſt. 4. à num. 21. & quæſt. 5. à num. 3. & 50.

Actiones Sacramentales dupliciter poſſunt conſiderari, nempè vt naturales, & vt elevatę; vt naturales poſſunt vitiari, & imperari ex motivo vanęglorię, non tamen vt elęvatę. Diſputat. 5. quæſt. 12. à num. 29. *vſque* 36. & num. 40. & 42. Actione moraliter mala poteſt Deus benè vti, num. 41.

Amphibologia, ſi ſit mendacium, repugnat Deo, ſi non repugnat Deo, in eo ſenſu non eſt mendacium. Diſputat. 2. quæſt. 1. num. 81. Quadtupliciter contingere poteſt, num. 82. non eſt idem, ac reſtrictio purè mentalis, num. 83. Hæc enim prohibita eſt, num. 84. Non tamen amphibologia externa, & ſenſibilis num. 85. Vt licitè exerceatur debet proferri ſine intentione alium fallendi, ſolum ex animo zelandi veritatem, num. 90. oppoſitum impugnatur à num. 91.

Amor liber Chriſti non terminatur ad bonitatem divinam, vt liber, ſed ſolum ex illa movetur. Diſputat. 2. quæſt. 3. num. 33.

Angeli, non fuerunt creati in Gloria, ſed ſolum in gratia. Diſputat. 5. quæſt. 15. num. 1. Habuerunt in via fidem infuſam, num. 2. quia habuerunt notitiam ſupernaturalem myſteriorum fidei, quę purè voluntariè ponitur diſtincta à fide, num. 4. Angelus non habuet evidentiam in atteſtante de Myſterijs fidei, nec naturalem, nec ſupernaturalem. Diſputat. 4. quæſt. 5. à num. 89. Si aliquam evidentiam probat ſententia contraria, probat naturalium, numer. 89. Poteſt permitti, quòd Angelus non habuerit fidem ſtrictè talem, ſed ſolum latè dictam, vt probabile num. 90. Angelus ſupremus ſolum cognovit evidenter ſe eſſe ſupremum ex Angelis à ſe cognitis, non abſolutè num. 9. Angelus huius vniverſi non poſſet illuminari ab Angelo alterius vniverſi, niſi ille pertineret aliquomodo ad hunc vniverſum, vt pars eius, num. 92. Supremus non cognovit evidenter ſibi non negari miraculosè cognitionem alterius ſuperioris, num. 93. Adhùc evidentia phyſica, aut naturali, num. 95. Cognoſcebat tamen evidenter, licèt in confuſo, & indeterminatè ibi intervenire aliquid ſuprà exigentiam ſuę naturę, & hoc lumine naturali, num. 96. Non cognovit evidenter aliquem ſibi loqui, & illum non eſſe creaturam, nam aliàs cognoviſſet evidenter fuiſſe Deum, num. 98. Nec evidenter cognovit lumine naturali humanitatem Chriſti ſubſiſtere, & non ſubſiſtentia creata; aliàs cognoviſſet evidenter ſubſiſtentiam divinam lumine naturali, num. 99. Non habuit opinionem de hoc aſſerto; *omnis operatio incipiens cum eſſe rei tribuitur Authori ipſius rei*, num. 101. Sed habuit evidentiam de illo, vt præcisè ſpectat ad ordinem naturę, num. 103. Principium illud Div. Thom. ſolum eſt de prima operatione Angeli, non de prima illuminatione paſsiva, num.

Digitized by Google

vel cultores ſpeciales in illa Religione, admodum quo in noſtra veſtes Religioſorum, quia is indui eſſet per ſe primò externè profiteri illam Religionem, & noſtram externè negare.

30. Hæc dixerim breviter, vt aliquas regulas oſtenderem de modis, quibus liceat, vel non liceat Fidelibus occultare fidem: Quę tamē ad hāc vnicā reduci poſſunt: *Vt liceat quidem occultare fidem, quando non obligat ipſius poſitiva confeſsio, verbis, factis, & veſtibus, quæ in concurrentibus circunſtantijs per ſe primo non habeant ſignificare profeſsionem falſæ Religionis, non tamen liceat verbis, factis, aut veſtibus, aut alijs indicijs, quæ in concurrentibus circunſtantijs vnicè, vel per ſe primo habeant ſignificare cultum, aut profeſsionem falſæ Religionis.* Et per hanc regulam debent examinari in numeri penè caſus, de quibus Theologi Morales agunt in præſenti. Vbi valdè notandum eſt, debere attendi in his actionibus, verbis, vel factis ad ſignificationem per ſe manifeſtam, & publicam, non verò cum reſtrictione mentali, aut occulta, vndè extat Decretum Congregationis de Propaganda Fide, in quo prohibetur, exercere in Templis infidelium actiones proteſtativas Religionis, quamvis illę actiones mentaliter referantur ad verum Deum, & Chriſtum, & quamvis abſconditè feratur Crux, aut Chriſti imago, ad quam tales actiones occultè dirigantur, quia hæc reſtrictio occulta, non tollit, quod actiones illę in illis publicis circunſtantijs, ſint externè, & publicè ſignificativę profeſsionis, & proteſtationis falſę Religionis.

QUÆSTIO XVIII.

AN CONFESSIO EXTERNA FIDEI ſit actus proprius fidei?

1 ALIJ aliter interrogant: *An nempè confeſsio externa fidei ſit actus elicitus ipſius fidei?* Ex quo diſſenſio proceſsit inter Authores, confundentes actum proprium fidei, cum actu elicito ab ipſa fide.

2 Dico igitur: *Quod confeſsio fidei externa eſt actus proprius virtutis fidei, licèt non propriè elicitus ab habitu fidei.* Quoad primam partem ex expreſſa D. Thom. *in præſent. quæſt. 3. artic. 1. in Corpor.* vbi ait: *Sicut conceptus eorum, quæ ſunt fidei, eſt propriè fidei actus, ita etiam exterior confeſsio.* Et *ad 3.* ſic ait: *Dicendum, quod fides interior mediante dilectione cauſat omnes exteriores actus virtutum mediantibus alijs virtutibus imperando, non eliciendo; ſed confeſsionem producit tanquam actum, nullo alia virtute mediante.* Et probatur ab eodem D. Tho. *in Corpor. artic.* ſic: *Actus exteriores illius virtutis proprie ſunt actus, ad cuius finem ſecundum ſuas ſpecies referuntur; ſicut ieiunare ſecundum ſuam ſpeciem eſt finis abſtinentię, quę eſt compeſcere carnem, & ideò eſt actus abſtinentię: Sed confeſſio eorum, quę ſunt fidei, ſecundum ſuam ſpeciem ordinatur, ſicut ad finem, ad id quod eſt fidei ſecundum illud.* 2. ad Corinth. 4. *Habentes eundem ſpiritum fidei, propter quod & loquimur:* Ergò.

3. Confirmatiquè poteſt, nam vt inquit Caietanus *in præſent. quæſt. 81. artic. 4.* virtuti attribuuntur vt proprij actus, non ſolum ſi eiuſdem ſunt potentię, in qua eſt habitus, ſed etiam aliarum potentiarum, dummodò non per aliam virtutem eos eliciant, vt patet in actibus iuſtitię, temperantię, & oppoſitorum vitiorum; iuſtitię ſiquidem proprius actus eſt, non ſolum velle reddere cuique ſuum, ſed exteriori actu reddere quod ſuum eſt, & ſimiliter iniuſtitię actus eſt auferre alienum. Temperantię quoque actus eſt, non ſolum concupiſcere moderatè cibum, ſed etiam exterior ſumptio moderata. Hactenus Caietanus: Sed confeſsio exterior fidei, licèt ſit in alia potentia ab ea, in qua eſt fides, non eſt tamen à fide media alia virtute, ratione cuius potentia exterior illam eliciat: Ergò eſt actus proprius fidei, ſicut in exemplis relatis.

4. Secunda verò pars concluſionis etiam probatur primò, ex D. Tho. qui *loco* citat. ad 3. quamvis ex præmiſsis videretur concluſum, quod fides producit confeſsionem *eliciendo, non imperando*, id tamen non concludit, ſed ſolum quod illam producit, *tanquam proprium actum, nulla alia virtute mediante*: Ergò ſenſus D. Tho. non fuit, quod confeſsio eſſet actus propriè elicitus ab habitu, ſeù virtute fidei, ſed ſolum quod eſt actus proprius virtutis fidei ab ea productus nulla alia virtute mediante; ſiquidem in hoc ſolum aſsignat diſparitatem inter actus exteriores aliarum virtutum, & confeſsionem fidei, quod illi, licèt procedant à fide per dilectionem operante, procedunt medijs alijs peculiaribus virtutibus, confeſsio verò fidei procedit ab ea ſine alia virtute mediante. Et quod hoc ſit intentum D. Tho. patet ex argumentis ſibi

obiectis, nam ea ſolum conantur probare, quod confeſsio fidei ſit actus alterius virtutis proprius, & non fidei, non verò quod non ſit elicitus à fide ipſa; ſi autem D.Th.intenderet, quod confeſsio fidei eſſet actus elicitus propriè à virtute fidei, aliquod argumentum ſibi oppoſuiſſet directè ad probandū oppoſitū, quod nō fecit: Conatus ergò D.Tho. ſolū erat, quod confeſsio fidei, non eſt actus proprius, nec pœnitentię, nec fortitudinis, nec alterius peculiaris virtutis, ſed ſolum eſt proprius fidei; hoc autem cohærere poteſt, cum eo quod non ſit propriè elicitus ab habitu fidei, vt iam explico: Ergò.

5. Deindè ratione probatur: Quia actum aliquem eſſe propriè elicitum ab aliquo habitu, formaliſsimè eſt eſſe actionem immediatè exercitam, & elicitam ab ipſo habitu: Sed confeſsio fidei externa non eſt actio immediatè exercita, & elicita ab habitu fidei: Ergò non eſt propriè actus elicitus ab ipſo. Minor patet, quia, vt ipſimet contrarij aiunt, confeſſio externa non procedit immediatè, tanquam actio immediata, ab habitu fidei, ſed mediante virtute derivata ad potentiam loquutivam externam, quę eſt, quaſi quodam participium, ſeu quædam participatio virtutis fidei: Non ergò talis confeſsio procedit ab habitu fidei immediatè, tanquam actio immediata ipſius. Item, quia cum habitus fidei ſit habitus intellectualis in intellectu reſidens, omnis actio immediata ipſius immediatè ab ipſo exercita, debet eſſe intellectio, & actio formaliter immanens, & conſequenter formaliter manens in ipſo intellectu: Sed confeſsio externa talis eſſe nequit, cum ſit actio externa, quę formaliter non eſt in intellectu, ſed ad ſummum eſt in illo cauſaliter, & originativè: Ergò nequit eſſe actio immediatè elicita, aut exercita ab ipſo habitu fidei. Deindè probo maiorem, quia vt aliqua actio ſit propriè elicita ab aliqua facultate, non ſatis eſt, quod ſit efficienter cauſata in alia facultate media actione immediatè à ſe elicita, aliàs omnis actio facultatis, & potentię inferioris, cauſata, & imperata medio actu potentię ſuperioris, eſſet actus propriè elicitus potentię ſuperioris, quod quis dicat? Ergò actum aliquem eſſe propriè elicitum ab aliquo habitu, vel facultate formaliſsimè eſt eſſe actionem immediatè exercitam ab illa.

6. Confirmatur primò: Implicat actum propriè elicitum ab vna facultate eſſe propriè elicitum ab alia, aliàs eadem met actio poſſet elici, & exerceri propriè à duabus facultatibus diverſis, ſeù diverſis potentijs, quod quidem manifeſtè repugnat, quia actiones ſpecificantur à ſuis principijs elicitivis, & penes ea diverſificantur: Sed confeſsio externa eſt actio propriè elicita à potentia externa loquutiva: Ergò nequit eſſe actio elicita propriè à facultate interna fidei, quę eſt valdè diverſa. Confirmatur ſecundò: Si talis confeſsio eſſet actio propriè elicita habitus fidei, eſſet elicita ab ipſo tantum *vt quo*, *vt quod* verò ab intellectu, ſiquidem habitus ſupernaturales ita, & non aliter ſuos actus eliciunt: Sed nequit eſſe actio elicita ab intellectu *vt quod*, aliàs enim intellectus eſſet verè, & propriè potentia, quę loqueretur externa, ſeù loquutiva ad extra, quod licèt verum ſit in Angelis, ſecùs tamen in nobis: Ergò. Tertiò, quia implicat in terminis, vel ſaltèm eſt abuſio terminorum, dicere quod vna facultas mediante actu à ſe elicito elicit alium in alia facultate, & potentia diverſa, hoc enim propriè non eſt elicere illum actum, ſed illum efficere cauſaliter, vel imperando, vel movendo, vel dirigendo; & item, quia ſi eliceret vnum actum mediante alio à ſe immediatè elicito, actus medius eſſet actus immediatè eliciens alium actum, & actus alter eſſet immediatè elicitus ab actu; hoc autem prorſus eſt abuti terminis, quia licèt vnus actus poſsit eſſe imperans, aut dirigens, vel cauſans alium actum, non tamen propriè eliciens actum, quia contra rationem actus, vel actionis eſt eſſe principium elicitivum alterius actus, nam principium elicitivum actus exercetur, & actuatur per actum immediatè elicitum, & exercitum, vnus autem actus non exercetur, nec actuatur per alium à ſe elicitum: Tunc ſic, ſed non aliter confeſsio fidei poſſet eſſe actus elicitivè procedens ab habitu fidei, niſi tanquam actus elicitus ab ipſo mediante actu fidei immediatè elicito à tali habitu: Ergò non poteſt dici, nec eſſe, propriè loquendo, actus elicitus ab habitu fidei.

7. Quartò, quia propterea habitus fidei eſſet principium elicitivum mediatè confeſsionis externę, quia per ſuum actum derivat ad potentiam externam ſui participium, vel vim tranſeuntem communicatam, ad eam confeſsionem eliciendam: Sed hoc non ſufficit, vt propriè loquendo ſit principium elicitivum talis confeſsionis: Ergò. Maior eſt contrariorum. Minor verò probatur, primò, quia virtus illa derivata, vt inquiunt Authores, qui illam propugnant, non eſt virtus per modum principij elicitivi, aut per modum virtutis, ſed per modum motionis, & applicationis, ſicut virtus artis in inſtrumento artificis: Ergò ratione talis virtutis derivatę habitus fidei ad ſummum poteſt concurrere motivè, & applicativè ad ſi-

fidei confeſsionem, non vero elicitivè. Secundò, quia omnis facultas imperans alteri facultati imprimit illi virtutem ad hoc vt proprium actum eliciat: Et tamen non concurrit elicitivè ad actum facultatis imperatę, vt patet in charitate imperante alijs virtutibus: Ergò non ſufficit derivare talem virtutem, ſeù ſui participationem, vt concurrat elicitivè.

8. Reſpondet M. Gonet, charitatem non concurrere elicitivè ad actus aliarum virtutum, quia licèt derivet, & imprimat eis motionem ordinantem eas ad finem ipſius charitatis, tamen non ordinat eas ad finem charitatis, tanquam ad obiectum proprium, & intrinſecum illarum, ſed tanquam ad obiectum ipſis accidentale; at verò fides imprimit potentię externę motionem, qua ordinat eam, vt confiteatur res fidei, & attingat tanquam obiectum fidei. Sed contra, quia licèt hæc diſparitas ſit ſufficiens, vt confeſsio fidei dicatur, & ſit actus proprius, eo quod terminatur per ſe ad obiectum proprium fidei, ad diſtinctionem actum aliarum virtutum, quę moventur à charitate, qui non habent per ſe obiectum proprium charitatis, ſed aliud diverſum, licèt ordinatum tanquam ad finem ad obiectum charitatis, & ideò illarum actus non ſit proprius charitatis, ſed extraneus, vt potè habens obiectum diverſum; tamen non eſt ſufficiens vt confeſsio fidei ſit actus propriè elicitus à fide, potius quam directus, & imperatus, nam modus concurrendi per motionem, & impreſsionem virtutis potentię inferiori, non eſt modus concurrendi elicitivè, ſed applicativè, motivè, aut directivè, licèt ſit ad attingendum proprium obiectum alio modo, nempè loquutivè externè: Ergò licèt prædicta diſparitas probet confeſſionem eſſe actum proprium fidei, non tamen eſſe actum elicitum ab habitu fidei. Explicatur: Licèt executio exterior operis artificialis, ſit actus proprius artis, quia dirigitur, & movetur ab arte ad attingendum executivè, & externè ipſum obiectum proprium artis, nempè formam artificialem, ſeù artefactum ipſum, tamen dici non poteſt, quod executio exterior eſt actus, vel actio elicita ab arte, ſed ſolum directa; vndè eſt communis ſententia, quod ars erga opus artificiale conficiendum ab alia potentia, doctrinam tantum habet, & non vſum, immò, quamvis executio ſyllogiſmi in materia probabili, & in materia aliorum ſcientiarum ſit ab eadem potentia, in qua eſt logica, eſt communis ſententia, quod ars Logicalis non concurrit elicitivè ad tales ſyllogiſmos, ſed ſolum directivè, vt diximus in logic. *tractat.* 1. *quæſt.* 7 Ergò pariter, licèt confeſsio exterior fidei ordinetur ad obiectum proprium fidei, ex hoc probatur ſolum quod ſit actus proprius fidei, non tamen quod ſit elicitivè ab ipſa fide.

SOLVUNTUR OBIECTA.

9. EX quo iam patet ſolutio argumentorum. Nam argumentum deſumptum ex eo, quod ait Suarez, nempè, nullum dari actum virtutis ab ea elicitum extra ſubiectum, in quo eſt talis virtus, ad ſummum probat confeſsionem externam non eſſe actum propriè elicitum ab ipſo fidei habitu, non verò quod non ſit actus proprius ipſius virtutis fidei, à nulla alia procedens, ſed vnicè procedens à fide. Argumentum item deſumptum à RR. Thomiſtis ex authoritate Div. Thom. ſolum probat, confeſsionem eſſe actum proprium fidei, non verò propriè ab ea elicitum, vt vidimus. Vndè vtrique ſententię damus quod re ipſa probat, licèt neutri, totum quod intendit probare.

10. Sed dices: Div. Thom. inquit: *Quod ſicut conceptus eorum, quæ ſunt fidei eſt proprius actus fidei; ita etiam & exterior confeſsio*: Sed conceptus eſt actus elicitus fidei: Ergò & confeſsio. Secundò, nam aſsignans diſparitatem confeſsionis ab actibus aliarum virtutum, inquit: *Quod fides cauſat actus aliarum virtutum mediantibus alijs virtutibus imperando, non eliciendo, ſed confeſsionem producit tanquam proprium actum nulla alia virtute mediante*: Ergò eliciendo; nam aliter, vt quid ad aſsignãdam diſparitatem dixit, quod producit actus aliarum virtutem *non eliciendo, ſed imperando*, niſi vt concluderet, quod producit confeſsionem eliciendo, non imperando? Reſpondeo ad primum, Div. Thom. ſolum facere illis verbis paritatem, in eo, quod vterque actus ſit proprius fidei, ſed non in eo, quod vterque ſit formaliter elicitus à fide. Vndè conceſſa maiori, & minori, negatur conſequentia, quia arguitur ex eo, in quo eſt paritas, ad id in quo paritas non eſt. Ad ſecundum, nego conſequentiam, quia non debet intelligi diſparitas aſsignata à Div. Thom. niſi in eo, in quo ipſe Div. Thom. illam aſsignat, licèt autem, dùm explicat modum quo actus aliarum virtutem ſunt à fide, dicat duo, nempè, & quod fides illos producit mediantibus alijs virtutibus, & quod illos producit imperando, non eliciendo, tamen dùm loquitur de alio extremo diſparitatis, nempè de confeſsione, tantum dicit, & applicat diſparitatem, in eo,

quod

mì, licèt per accidens aliqui, nempè, qui tantum fuerunt chatecumeni differant ſolum ex fide præterita. Diſputat. 5. quæſt. 14. num. 8.

Deliberatio incipit ab apprehenſione, & appetitu boni vniverſalis. Diſput. 5. quæſt. 10. à num. 88. Modus operandi ſubitò, & deliberatè, in quo differant, vbi inchoëtur deliberatio, procedat, & conſumetur, explicatur num. 91. Deliberatio ad credendum incipit ex appetitu boni repromiſſi, & ex apprehenſione ſuaſiva ex inſtinctu gratię, num. 101. Quo pacto ex illo appetitu deſceudat voluntas, & intellectus deliberando, à num. 102. Ordo, & ſeries, deliberationis in credendo, ſeù generationis fidei explicatur quatuor gradibus, quæſt. 11. à num. 17. *vſque ad* 33.

Demonſtratio, quia, & propter quid, explicatur Diſput. 4. quæſt. 5. à num. 8. & 12.

Dæmones credunt ex affectu non pio, ſed inordinato erga ſe ipſos. Diſput. 5. quæſt. 9. à num. 51. Non habent fidem theologicam, nec actualem, nec habitualem, quæſt. 14. num. 3. Quod *credunt, & contremiſcunt* nequit intelligi de fide theologica, num. 5. Intelligitur de fide informi, non theologica, ſed acquiſita ex argumentis credibilitatis, num. 6. Dœmones habent diſpoſitionem contrariam fidei theologicę, num. 4. & 7. Illorum fides non eſt ſupernaturalis, num. 10. Aliàs eſſet verè theologica, num. 11. Imò, & virtus theologica, & ex pio affectu, num. 12. Ad ſummum poteſt dici ſupernaturalis obiectivè, ſed entitativè naturalis, num. 13. Dœmonibus aliqua ſecreta revelantur, ſed ea non credunt fide ſupernaturali. *Ibid.* Nec ex motivo ſupernaturali, ſed ex evidentia naturali ſignorum, num. 15. & 16. Vndè illorum fides ſolum eſt naturalis, & coacta ex evidentia ſignorum, & ex metu tormenta in ſuſpenſione iudicij tolerandi, num. 17. Metus iſte, explicatur num. 18. Item motivum talis fidei, à num. 19. Certitudo illius non eſt metaphyſicè intrinſicè infallibilis, num. 22.

E.

Eccleſię fundationi non opponitur, quod Deus aliqua revelet privativè animabus. Diſp. 1. quæſt. 4. num. 28. Nec eius paci, & fidei vnitati, num. 29. Eccleſia nequit facere immediatè de fide, quę non ſupponuntur immediatè revelata, nec implicitè, nec explicitè, quæſt. 7. num. 35. Numquam definit, vt immediatè de fide, quod ita revelatum non ſupponitur, num. 36. Quando definit Deus per eam, teſtificatur teſtimonio antiquo, quoad ſubſtantiam, & ſolum novo, quoad applicationem, vel explicationem, num. 37. Eccleſię Ethimologia ad diſtinctionem Synagogę. Diſput. 3. quæſt. 5. num. 2. Eccleſia alia militans, alia triumphans, num. 4. Eccleſia militans quid ſit, num. 5. Materia, & forma eius, num. 6. Forma eſt vera fides Chriſti. *Ibid.* Non verò prædeſtinatio, num. 7. Nec ſanctitas, ſeù gratia, num. 9. Eius membra ſunt eius Fideles, etiam ſchiſmatici, ſi ſolum negent obedientiam, & non fidem, num. 14. Et etiam excommunicati, num. 15. Chatecumeni autem, ſolum inchoativè, ſed non completè ſunt Eccleſię membra, num. 16. Pagani nullo modo, imò, nec hæretici, niſi nomine tenus, num. 19. Eccleſia incepit ex Adamo, & Eva, ſi verò accipiatur ſtrictè, prout diſtincta à Synagoga incepit à Chriſto, vt inſtitutore, num. 25. Ex quo incepit, non defecit, nec deficiet vſque in diem iudicij, à num. 26. Semper fuit vna numero, & ſpecie, à num. 30. Quo ſenſu dicatur Sancta, à num. 31. Cur dicatur Catholica, num. 33. Et regula infallibilis inveniendi veram fidem, & Religionem, à num. 34. Et vt talis, regula viſibilis; à num. 37. Ex hoc ipſo, quod Deus habitat in vera Eccleſia per fidem, & ſanctitatem internam, ſequitur veram Eccleſia debere ornari ſignis externis, & viſibilibus prę alijs Conventiculis, & Synagogis Satanę, num. 40. Si vera Chriſti Eccleſia non eſſet viſibilis, fruſtra eſſet in terris, num. 42. In ea debent eſſe vera Sacramenta ſenſibilia, num. 43. Debet eſſe Corpus Hierarchium, num. 44. Debet eſſe de fide Divina, non ſolum in genere, ſed etiam in individuo, quæſt. 6. num. 2. Vndè eſt de fide, hanc numero Congregationem, quę gubernatur ſub Innocentio Duodecimo eſſe veram Chriſti Eccleſiam, num. 5. Signa verę Eccleſię illi ſoli conveniunt, expeduntur, à num. 6. Eccleſię viſibilis vnitas, vnum in terris Caput viſibile requirit, quæſt. 7. à num. 2. Non ſatis eſt, quod Caput inviſibile in Cœlo ſit vnum, num. 3. Eccleſia debet gubernari regimine monarchico, non ariſtocratico, nec democratico, à num. 5. Suprema Poteſtas gubernativa totius Eccleſię fuit tradita à Chriſto Soli Petro, idquè eſt de fide, quæſt. 8. num. 2. Non ſolum pro ſe, ſed etiam pro ſuis Succeſſoribus, à num. 10. De fide eſt, Supremam Dignitatem Capi-

plris Eccleſię reſidere in Romano Pontifice pro tempore exiſtente, quæſt. 9. à num. 2. Poteſtas electiva Papę reſidet de iure in Corpore Eccleſię, licèt poteſtas regulativa, & directiva electionis inſit etiam ipſi Papę, quæſt. 10. à num. 3. Numquam Populus Sæcularis habuit hanc poteſtatem electivam, num. 9. Nec Imperatores, num. 10. Solum de iure pertinet ad Clerum Romanum, nempè ad Cardinales, num. 11. Quid in caſu, quo Concilium Generale deponeret Papam, num. 12. Eccleſia non habet poteſtatem collativam Pontificatus, ſed ſolum deſignativam Perſonę, cui Chriſtus confert Dignitatem, num. 13.

Electio non movetur intrinſecè à bonitate finis, ſed ab vtilitate medij ad finem. Diſputat. 1. quæſt. 6. num. 1.

Error alius peccaminoſus, & moraliter malus, alius ſolum phyſicus; alius practicus, alius ſpeculativus. Diſput. 2. quæſt. 3. num. 5. Deus nequit, adhùc de potentia abſoluta, eſſe Author ſpecialis erroris, à num. 7. Nec illum continere. *Ibid.* Adhùc virtualiter, à num. 9. Non habet Ideam illius, num. 17. quia importat contraditionem intentionalem Divino intellectui, ſicut peccatum Divinę voluntati, à num. 19. Nemo poteſt contradicere Divino iudicio ſcienter, ſed ſolum ex ignorantia, & adhùc hoc modo, non poteſt per ſe cauſari à Deo, à num. 25. Si Deus per ſe cauſaret in aliquo errorem, illum per ſe deciperet, à num. 29. Hoc repugnat Deo, adhùc efficienter, à num. 30. Alias poſſet Deus per creaturam deceptam alium per ſe fallere, num. 33. Error eſt malum naturę intellectualis, vt talis, atque à Deo incauſabilis per ſe à Deo, num. 34. Et malum eſſentialiter morale, à num. 37. Error, quando eſt involuntarius, retinet eamdem rationem mali moralis, & incauſabilis à Deo, num. 45. Si poſſet per ſe cauſari à Deo, poſſet ſimiliter quilibet error practicus, moralis, & pernicioſus, à num. 47. Qualiter poſsit eſſe proficuus, & materia gratitudinis erga Deum error in via pedum, ſeù rectum ab errore, non verò error propriè talis, nempè intellectus, à num. 56. Eſt à Deo incauſabilis per ſe, titulo mali phyſici, à num. 8. & 62. Titulo mali moralis, à num. 18. 40. & 66. Error cauſatur per ſe ex occurſu, vel concurſu cauſarum naturalium, vt deficientium, non vt efficientium, à num. 67. Differentia erroris ab ignorantia, num. 69. Nequit Deus per modum cauſę ſpecialis conſervare iudicium antea verum, variato obiecto in falſum, num. 90. Benè tamen exiſtente iudicio immutare obiectum, vt voluerit, num. 89. Deus eſt cauſa per ſe conformitatis iudicij cum rebus; ſed permiſsiva diſconformitatis, à num. 94. Error opponitur Divinę veritati in cognoſcendo, in eſſendo, & in dicendo, à num. 129. Si Deus poſſet per ſe cauſare errorem, pariter mendacium, num. 33. & 130. Deus nequit adiuvare auxilio, nec gratia ſpeciali, ad credendum errorem, quæſt. 4. à num. 41. Adhùc quando quis obligatus ex conſcientia erronea ad illum credendum, tentaretur graviter ad non credendum, num. 47.

Evidentia in atteſtante quid ſit, Diſput. 4. quæſt. 5. num. 1. Non eſt poſsibilis vi ſolius luminis naturalis, benè verò ex lumine infuſo, num. 2. & 3. A Ieſuitis facilius conciliatur ſcientia cum fide, quam evidentia in atteſtante; è contra à Thomiſtis, num. 5. Evidentia completa in atteſtante eſt incompatibilis cum fide theologica circa idem, num. 6 Quia facit evidens myſterium, à num. 7. Per ſyllogiſmum evidenter demonſtrativum, num. 9. Poteſt eſſe vera evidentia, quamvis ſit per medium extrinſecum, n. 13. Evidentia concluſionis ex præmiſsis non nititur in eo, quod præmiſſę ſint cauſę, vel effectus, ſed in eo, quod ſint evidentes, & evidenter connexę, num. 14. Evidentia in atteſtante, ſeù præmiſſę, in quibus conſiſtit, non ſolum inferunt evidenter myſterium ſub ratione communi, ſed ſub ratione ſingulari talis, à num. 16. & 79. quod non evacuatur per reduplicationes confuſas, à num. 22. Quia revelatio non eſt medium commune, ſed ſingulare ad probandum quodlibet Myſterium in ſingulari, à num. 26. & 80. Reduplicatio myſterij *vt revelati*, non iuvat, ſed potius deſtruit ſententiam contrariam, à num. 35. Magis opponuntur fides, & evidentia ex vi eiuſdem motivi, quam per diverſa motiva, à num. 44. Concluſio deducta ex evidentia in atteſtante non ſolum non eſt actus fidei, ſed eſt incompatibilis cum eo, à num. 46. Evidentia in atteſtante non movet cum indifferentia obiectiva, ſed neceſsitat ad aſſenſum myſterij, num. 47. Non poteſt aliter movere, quam per diſcurſum, num. 48. & 140. Cum ea non compatitur aſſenſus obſequioſus Divinę Authoritati, num. 51. Non poteſt movere intellectum inadæquatè, vt evidentia revelationis præciſivè ab evidentia de eius infallibilitate, quando hæc ſimùl concurrit in intellectu, à num. 52. Non poteſt evidenter cognoſci

revelatio, evidentia adæquata, vt non manifeſtans obiectum revelatum, à num. 77. Vt obiectum credatur fide theologica, *quoad an eſt*, debet eſſe obſcurum *quoad an eſt*, num. 83. Evidentia in atteſtante, non ſolum facit evidens myſterium evidentia conſequentię, ſed evidentia conſequentis, à num. 84. In caſu reſuſcitandi motiuum in confirmationem doctrinę non admittit D. Tho. veram evidentiam in atteſtante, num. 86. & quæſt. 3. num. 51. Angelus non habuit evidentiam in atteſtante, nec naturalem, nec ſupernaturalem, quæſt. 5. à num. 87. Vide *Angelus*. Caſu quo quis ſine diſcurſu moveretur ex evidentia in atteſtante ad aſſenſum myſterij, aſſenſus ille non eſſe, fidei obſequioſę, & ſtrictè talis, num. 139. Evidentia credibilitatis rectè cohæret cum fide. Diſput. 4. quæſt. 2. à num. 2. Non datur evidentia veritatis noſtrę fidei, adhùc in atteſtante, quæſt. 3. *per tot.* Evidentia credibilitatis, & veritatis diſtinguntur. *Ibid.* à num. 43. Evidentia credibilitatis explicatur, quæſt. 4. *per tot.* Non affert evidentiam de veritate myſterij, adhùc in atteſtante, num. 14. & 49. & q. 9. n. 27. Doctrina, quę proponitur evidenter vt credibilis, ratione miraculi, non eſt cunctis videntibus evidenter credibilis, quia veritas miraculi non eſt evidens, ſed obſcura. Diſput. 5. quæſt. 9. num. 33.

F.

Fidei nomen multipliciter accipitèr, fol. 1. Fides innitur ratione ſumpta pro obiecto motivo. Diſput. 1. quæſt. 1. num. 1. Licèt non nitatur ratione vlla ſumpta pro diſcurſu, aut ratiocinatione, num. 2.

Fidei obiectum motivum non eſt habitus infuſus fidei, num. 4. Quia hic purè efficienter; & non formaliter manifeſtat obiecta, num. 6. Eſtquè diſtinctus à revelatione, qua Deus revelat occulta, num. 9. & quia eſt lumen ex parte potentię, non ex parte obiecti, n. 7. & 9. Non diffudit lumen à ſe diſtinctú in obiecta, n. 11. & caſu, quo illud diffunderet, illud non eſſet ratio formalis motiva fidei, ſed ſolum conditio, num. 12. Fidei motivum formale non eſt Divina inſpiratio, à num. 13. Hæc enim eſt pura conditio, ſicut apprehenſio ſupernaturalis præcedens fidem, à num. 17. Fides non reſolvitur in propriam apprehenſionem, & illuſtrationem internam, tanquam in formale motivum, aliàs non eſſet Catholica, num. 21. Et oppoſitam ſententiam, ait Suarez, aperire viam Hæreticis, num. 22. Nec ſatisfacit Lugonis evaſio, à num. 23. Implicat fides naturalis, & acquiſita, quę re ipſa ſit propter Divinam Authoritatem, num. 28. & Diſput. 5. quæſt. 5. *per tot.* Fidei formale obiectum non eſt veritates intrinſeca myſteriorum. Diſput. 1. quæſt. 1. à num. 31. Nec vlla Authoritas humana, quantumvis totius Eccleſię, eſt motivum, adhùc partiale, à n. 38. Aliàs fides fallibilis eſſet, à num. 40. Nihil creatum eſt motivum formale fidei Divinę, à num. 54. Imò nec Deitas, ſub ratione Deitatis, quæſt. 2. à num. 2. Nec Teſtimonium Beatorum, quamvis ponantur impeccabiles, & infallibiles ab intrinſeco, num. 16. Nec Divina Sapientia, à num. 23. Nec ſola veracitas, à num. 26. Quamvis inclinet ad dicendum verum in te, à num. 35. Nec veracitas ſimùl cum Sapientia, à num. 46. Solum ergò eſt motivum formale fidei Divinę Divinum Teſtimonium, ſeù revelatio, veracitate, & Sapientia ſe habentibus præſuppoſitivè, à num. 53. Probatur ex Sacr. Textu, à num. 54. Ex Div. Thom. à num. 55. Parificatur obiectum motivum fidei, cum motivo ſpei, à num. 57. A ratione probatur, à num. 62. Obiectum motivum fidei, non debet eſſe infallibile reflexè, ſed ſolum directè, num. 129.

Fidei obiectum materiale multiplex. Diſput. 1. quæſt. 10. à num. 2. Primarium non eſt noſtra iuſtificatio, à num. 3. Nec actus meritorius, num. 4. Nec Chriſtus, vt homo, à num. 9. Sed ſolus Deus, à num. 15. Solumquè ſub ratione Deitatis, à num. 21. Vndè attributa, & relationes non ſunt obiectum primarium, adhùc complexè ſumptum, à num. 34. Nec Deus ſub ratione finis aſſequibilis, à num. 42. Eſt tamen aliquid complexum ex modo ſignificandi, licèt incomplexum, & ſimplex ex parte rei ſignificatę, quæſt. 11. à num. 2. Eſt vnum ſimpliciter, à num. 9. Continet tamen ſub ſe plures veritates complexas, num. 10. Quę tamen convenienter traduntur in Symbolo fidei, quæſt. 12. à num. 9. Et etiam per Articulos, num. 21. Inter veritates credendas datur aliquis ordo, quæſt. 13. num. 1. Etiam in eſſe credibilis habent ordinem ad vnum primum credibile, num. 2. Non requiritur prius credere, vt *quod*, nec exiſtentiam, nec infallibilitatem Divini Teſtimonij, à num. 11. Aliàs revelatio eſſet de neceſſitate primum creditum in executione,

num. 5. Et quia Divinum Teſtimonium non movet de neceſsitate, vt cognitum iudicativè tanquam obiectum *quod*, num. 17. Alias fides eſſet diſcurſiva, à num. 18. Et non obſequioſa Deo in credendo myſterium, à num. 13. Vt quis credat teſtimonio alterius, non requiritur, quod prius formet iudicium de eius Authoritate, & infallibilitate, à num. 24. Adhùc in fide humana, num. 26. Vndè Authoritas, & revelatio Divina, vt apprehenſa ſuaſivè, & ſupernaturaliter, ſatis eſt ad movendam fidem Divinam, à num. 27. Licèt debeat credi per ipſam in actu ſecundo exercitè, & vt *quo*, num. 29. Prius credi debet in executione obiectum primarium fidei, quam obiecta ſecundaria, à num. 34. Rationes in contra, num. 39. Non multum vrgent, num. 40. Obiectum extenſivum fidei, comprehendit omnia, quę Divinitus, ſunt revelata, quæſt. 14. num. 1. Solum actualiter, & non purè poſsibiliter revelata, ſunt actualiter obiectum fidei, num. 2. Poſsibiliter verò omne obſcurè revelabile eſt obiectum fidei, num. 21. Omne verum poſsibile eſt revelabile, quæſt. 15. *per tot.* Quamvis ſit decretum nihil revelandi, à num. 6. Vide *Decretum*.

Fidei reſolutio, qualiter fiat. Diſput. 1. quæſt. 2. num. 73. & quæſt. 3. *per tot.* Alia eſt intrinſeca, alia extrinſeca, quæſt. 3. num. 2. Non fit in habitum fidei, nec in veritatem intrinſecam myſterij, num. 3. Fit ergò reſolutio intrinſeca fidei in Divinum teſtimonium, vt in rationem formalem, & in Eccleſię propoſitionem, vt in conditionem, à num. 6. Quo pacto non committitur circulus, num. 8. Quomodo Angeli, & Prophetę reſolvere debuerunt ſuam fidem, num. 10. Fides privata, ſeù revelationis privatę, non debet reſolvi in propoſitionem Eccleſię, num. 11. Reſolutio extrinſeca fidei benè poteſt fieri in motiva credibilitatis, quantum ad exiſtentiam revelationis, num. 12. Et in Divinam Sapientiam, & veracitatem, imò & in Deitatem, quantum ad infallibilitatem Divinę revalationis, à num. 14. Reſolutio intrinſeca non fit per diſcurſum, adhùc virtualem, à num. 18. Debet fieri in revelationem, vt exterius propoſitam ab Eccleſia, & etiam, vt interius propoſitam per internam illuſtrationem, quæſt. 9. à num. 88. & Diſput. 5. quæſt. 5. num. 39. Quo pacto non fit ab Hæretico, quæſt. 9. num. 88. Non debet fieri in Authoritatem Dei, vt Gubernatoris vniverſi, quæſt. 3. à num. 28.

Fidei actus ex ſe eſt bonus, & honeſtus. Diſput. 5. quæſt. 12. à num. 1. Nequit imperari, nec vitiari ex motivo, & fine pravo, nec actu merè naturali, à num. 2. Adhùc mediatè, num. 4. Nec immediatè partialiter, à num. 18. Nec ex motivo temporali honoris, convenientię, aut vanæglorię, quia ad hæc per ſe non conducit, num. 26. & 44. Si imperaretur ex pravo fine, non ſalvaretur eius eſſentia, num. 51. Poteſt per accidens movere ad actum malum, num. 52. Nequit prohiberi à Deo, num. 54. Idem non poteſt eſſe ſimùl actus fidei Divinę, & humanę. Diſput. 1. quæſt. 8. num. 11. & 16.

Fidei aſſenſus eſſentialiter eſt obſcurus. Diſput. 4. quæſt. 6. num. 9. & 57. Eſſentialiter exigit elici cum indifferentia obiectiva, num. 18. Quę non ſalvatur cum ſcientia evidenti de obiecto, num. 20. Eſt eſſentialiter obſcurus, non ſolum ex parte medij, ſed etiam ex parte ſubiecti, non ſolum negativè, ſed etiam privativè, num. 11. Definitur ab Auguſt. *cum aſſenſione cogitare*, Diſput. 5. quæſt. 1. num. 1. & 20.

Fidei actus eſt eſſentialiter ſupernaturalis. Diſput. 5. quæſt. 4. à num. 8. Contrarium non eſt ſatis tutum, num. 12. Indiget auxilio gratię, non ſolum ad facilius, ſed ad ſimpliciter. *Ibid.* Non poteſt elici viribus ſolius naturę, à num. 16. Per illum immediatè à Deo diſcimus, tanquam diſcipuli ipſius, à num. 17. Credere eſt captivare totam rationem naturalem in obſequium Chriſti, n. 20. Eſt actus ſupernaturalis ex obiecto, nu. 21. Aliter non eſſet vndè probaretur ſupernaturalitas actus, num. 23. Repugnat actus naturalis fidei ex motivo ſupernaturali, quæſt. 5. à num. 3. Quia talis actus ex ſua eſſentia indiget auxilio gratię, à num. 9. Non poteſt eſſe formidoloſus ſi eſt ex eodem motivo fidei infuſę, à num. 10. Eſſentialiter eſt vtilis, & conducens ad ſalutem, num. 12. Dùm PP. exigunt auxiliũ gratię ad credere, loquuntur de credere abſtrahendo ab actu naturali, & ſupernaturali, num. 19. Nemo poteſt ex viribus ſolius liberi arbitrij conari ad credenda firmiter myſteria fidei, vt Divinitus revelata, num. 23. Si ſit poſsibilis actus fidei merè naturalis, purè divinatoriè negatur de facto Infidelibus, num. 24. Stante eodem motivo, & terminativo credentis, nulla poteſt excogitari differentia, cur vnus actus ſit naturalis, & alius ſupernaturalis, num. 25. Nec cur vnus conducat ad ſalutem, ſecùs alter, num. 26. Vterquè eſſet ęquè infallibilis, num. 28. Admiſſo poſ-

poſſibili actu naturali fidei ex eodem motivo fidei infuſę, idem ſequitur de actu ſpei, charitatis, contritionis, &c. Et hoc eſt abſurdum, num. 31. Tali actu admiſſo poſſibili, purè per accidens eſſet quod actus credendi eſſet ſupernaturalis pię naturali, à num. 33. Non poteſt dari actus fidei ſupernaturalis ex motivo naturali, à num. 42. Non poſſunt actus ſupernaturales, & naturales diſtingui ex parte principij, ſi non habent diverſum obiectum motivum, num. 50. Indigentia gratię ad credendum non probatur ex exigentia gratię habitualis, ſed ex indigentia naturę, num. 51.

Fidei habitus definitur à Paulo *ſperandarum ſubſtantia rerum*. Diſp. 5. q. 1. num. 1. & 27. Eſt vnus in ſpecie atoma, num. 2. Eſt ſimùl practicus, & ſpeculativus, quæſt. 2. num. 1. Non ęquè primò, ſed primario ſpeculativus, & ſecundario practicus, num. 3. Eſt per ſe, & eſſentialiter infuſus, & ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, idquè eſt de fide, num. 3. Nequit élicere actum, ſeù aſſenſum evidentem. Diſputat. 1. quæſt. 3. num. 24.

Fidei certitudo talis eſt, quod illi nequit ſubeſſe falſum. Diſput. 2. quæſt. 4. *per tot.* Idquè repugnat metaphyſicè, aliàs ſolum eſſet certa moraliter, à num. 12. Eſſet fallibilis, ſi Deus poſſet infundere errorem, num. 35. Ad eius infallibilitatem non ſatis eſt obiectum proponi cum contingentia aliter eſſendi in re, à num. 38. Ratio, quarè ei nequit ſubeſſe falſum, eſt vnicè qua id probat Div. Thom. num. 42. Nequit iuvari à Deo ad aſſenſum falſum, num. 41. Præſertim auxilio ſpeciali, num. 47. Certior eſt ſimpliciter omnibus alijs ſcientijs naturalibus, quæſt. 5. num. 13. Vide *Certitudo.*

Fidei obſcuritas talis eſt, quod non compatitur cum evidentia in atteſtante. Diſput. 4. quæſt. 5. *per tot.* Nec cum ſcientia evidenti, quæſt. 6. *per tot.* Adhùc per diverſa media, num. 5. 20. & 58. Benè verò cum ſcientia obſcura, num. 54. Eius motivum, vt moveat, importat eſſentialiter obſcuritatem, quæſt. 5. num. 65. Repugnat cum ſcientia in eodem inſtanti, non ſolum pro eodem ſigno, ſed pro diverſis, quæſt. 6. num. 60. Quid dicendum, ſi habenti ſcientiam Deus illi revelaret obiectum ſcitum, num. 64. Si homini viatori communicaret Deus ſcientiam infuſam omnium myſteriorum, deſtrueretur in eo fides actualis, ſed non habitualis, num. 68. Vide *Evidentia.*

Fides Divina eſt eſſentialiter virtus theologica, Diſput. 5. quæſt. 1. num. 5. Eſt virtus intellectus, ſed non propriè intellectualis, num. 6. Vt formata habet perfectam rationem virtutis, non verò vt informis, num. 13. Vt informis eſt virtus theologica, quoad eſſentiam, num. 17. & quæſt. 12. num. 48. Dicitur virtus intellectualis, hoc accipiendo pro virtute intellectus, quæſt. 1. num. 13. & diſput. 1. quæſt. 9. num. 6 Eſt primario ſpeculativa, & ſecundario practica, q. 2. *per tot.* Et diſput. 1. quæſt. 9. num. 9. Quomodo ſit circa indefectibilia, licèt de ſingularibus, num. 10. Quia nempè non nititur propoſitione huius, vel illius Miniſtri omninò abſolutè, ſed ſub tacita conditione, num. 12. Diſtinguitur à prudentia ex parte regulę, num. 14. & 94. Regula interna fidei eſt ominò infallibilis, num. 17. Sicut prima regula externa, & viſibilis, num. 15. Fides Divina acquiſita, & falſa repugnat, num. 34. Nam aliàs falleretur ex Divino Teſtimonio, num. 36. Non poſſunt fides Divina, & acquiſita falſa procedere ex eadem motione obiectiva, à num. 40. Aliàs vel ſub vtraquè, vel ſub nulla poſſet cadere falſum, num. 43. Fides, quę innititur Authoritate tantú exiſtimata Divina, potius eſt fides humana, quam Divina, num. 50. Fides humana, adhùc ex Auxilio Divino, non poteſt eſſe intrinſecè infallibilis, nec poteſt fides habere maiorem infallibilitatem ex principio activo, quam ex obiecto motivo. Diſput. 1. quæſt. 8. num. 9. Revelatio, vt credita fide humana, non poteſt movere ad fidem Divinam, num. 12. Exiſtentia revelationis, vt moveat ad fidem, credi poteſt fide Divina, num. 14. & 19. Fides Divina credit myſteria ſingulariter propoſita à Miniſtris particularibus ſub implicita conditione, quod ita proponat S. M. E. in vniverſali autem credit ea abſolutè, quæſ. 9. num. 6. Et etiam credit abſolutè in particulari, quando motio ſupernaturalis interna eſt ſpecialis reſpectu myſterij veri præ falſo, num. 64. & 79. Conditionalitas fidei in prædicto caſu non eſt in imperio voluntatis, ſed ex parte actus fidei, num. 71. Fides tamen illa eſt extrinſecè abſoluta, n. 76. Et vt ſic abſoluta fallibilis, num. 77. Ex fide humana, & Divina nequit reſultare vna fides, num. 78. Fides Divina naturalis repugnat, daretur autem, ſi Deus, vt Author naturę poſſet loqui Creaturę. Diſput. 2. quæſt. 1. num. 5. Fides non eſt dividenda penes diverſas partes Sacrę Script. nempè, hiſtorialem, ſapientialem, ceremonialem,

&c. Diſput. 1. quæſt. 1. num. 4. Nec eſt diſcurſiva, quæſt. 3. *per totam*. Nec virtualiter, num. 51. Aſſenſus præſtitus myſterio per diſcurſum propter revelationem, non eſt fidei, ſed Theologię, num. 15. Fides naturalis, & humana prærequiritur ante fidem Divinam, non de eodem, ſed de diverſo obiecto, quæſt. 10. à num. 105. Si autem ſit de eodem obiecto, præcedere poteſt tempore, tanquam forma embrionis, formam perfectam. *Ibid.* Non eſt regula fidei Divinę, quando præcedit, num. 106.

Fidei confeſsio poteſt imperari ex vanęgloria, quæſt. 12. num. 59. Vide *confeſsio*.

Fidei ſubiectum ſunt veri Fideles, quæſt. 13. num. 1. Vide *Hæreticus, Angelus, Animę Purgatorij*, *Dæmones*. Fides exigit diſpoſitionem vię ex natura rei, quæſt. 14. num. 4.

Fidelitas virtualiter diſtinguitur à veracitate in Deo. Diſp. 1. quæſt. 5. num. 24.

Fiducia eſt diſtincta à fide, & moveri poteſt ex Fidelitate, & Omnipotentia, num. 25.

G.

Gratia gratis data fidei, & prophetię non elicit aſſenſum revelationi privatę, quando talis aſſenſus eſt liber, ſeù deliberatus; quia vſus talis gratię non eſt liber, nec in manu recipientis. Diſput. 1. quæſt. 4. à num. 19. Gratię ſpeciales ſolum debentur Deo pro beneficio ſpeciali, cuius ſit ſpecialis Author. Diſput. 2. quæſt. 3. num. 55. Et generales ſolum debentur Deo pro eo, cuius Deus eſt cauſa per ſe ſaltim generalis, non verò pro eo, cuius ſolum eſt cauſa per accidens, & permiſivè. *Ibid.* Gratię vires non poſſunt imperari, nec moveri efficaciter ex conatu naturę. Diſput. 5. quæſt. 12. num. 21.

Gaudium, & triſticia in Chriſto non fuerunt circa idem omninò obiectum, adhùc terminativum, & ideò compatibilia fuerunt. Diſput. 2. quæſt. 6. num. 33.

H.

Habitus erroris non poteſt à Deo infundi. Diſp. 2. quæſt. 3. num. 133. Poteſt tamen Deus illum conſervare per modum cauſę vniverſalis, num. 135. Non tamen quoad erroneitatem. *Ibid.* Nam erroneitas non indiget cauſa poſitivè conſervante, vt permaneat in habitu, num. 136. Habitus erroris in hoc differt à potentia peccandi, numer. 141. Habitus fidei, & opinionis non cohærent in eodem intellectu circa idem obiectum. Diſput. 2. quæſt. 6. num. 36. Vide *Opinio*. Habitus fidei poteſt ſtare ſimùl cum actu ſcientię, imò cum viſione creata tranſeunter communicata, circa idem obiectum. Diſput. 4. quæſt. 6. num. 94. Remanente obiecto primario & inclinatione ad illud, remanet totus habitus, licèt deſtruatur, vel auferatur obiectum aliquod ſecundarium, num. 96. Habitus fidei poteſt compati ſimùl cum habitu cuiuslibet ſcientię naturalis; ſecùs cum habitu luminis glorię permanenter communicato, & cum habitu ſcientię infuſę circa omnia myſteria fidei, num. 101. Habitus vitioſus poteſt permanere in voluntariè, & conſequenter, non in eſſe vitij, à contra verò habitus infuſus fidei niſi voluntariè haberi à ſubiecto, & conſequenter niſi in eſſe virtutis, num. 31. Et hoc repugnat ex natura rei, & non ſolum moraliter, n. 32.

Hæreticus tantum exiſtimativè credit propter Authoritatem Divinam. Diſput. 5. quæſt. 5. num. 41. In ſenſu compoſito hæreſis non retinet obligationem formalem credendi Catholicam fidem, ſed ſolum radicalem, & fundamentalem, quæſt. 8. num. 49. Vt ſit pertinax contra fidem non requiritur, quod fides illi actu apareat credibilior prę ſua ſecta, nec ęquè credibilis, ſed ſatis eſt quod illi ſit ſufficienter intimata, num. 51. Hæreticus diſcredens vni Articulo, non habet veram fidem theologicam de alijs, quos credit, quæſt. 18. num. 2. Quia in credendo non habet motivum formale fidei theologicę, num. 4. Diſcernit inter Articulos revelatos, & non revelatos, ex proprio iudicio, & opinione, non ex Authoritate Divina, per Eccleſiam proponente, & loquente, num. 7. Subordinat Divinam Authoritatem, vt revelantem proprio iudicio, non è contra, num. 10. Motivum, quod habet ad diſcernendum inter revelata, & non revelata, eſt apud ipſum motivum formale fidei, non verò Authoritas Divina, num. 11. Implicat ipſum inhærere Divinę Authoritati, vt supremę regulę, reiecta, & contempta propoſitione Eccleſię, num. 12. Non accipit Divinum Teſtimonium, vt Supremę Authoritatis, nam illud ſubordinat motivo proprij iudicij de revelatis, & non revelatis, num. 14. Nequit hæreticus dicere *Dominus Ieſus* ex corde verò, & ex vera fide, num. 20. Lumen fidei extinguitur in hæretico, ſi ſumatur

tur

Digitized by Google

tur pro virtute theologia, nō verò ſi ſumatur pro illuſtratione de rebus fidei, quę pertinent ad gratiam excitantem, num. 21. Hæreticus non retinet eandem facilitatem, quam dum erat Fidelis, ad credendum ex eodem motivo, ac anteà, ſed potius repugnantiam, num. 22. Nec eandem certitudinem, adhùc circa Articulos, quos credit, ſed ſolum opinionem, num. 24. Nec habet fidem particularem, & privatam, quia hæc exigit propoſitionem revelationis per lumen ſupernaturale interius proponens infallibiliter, & cum ſubordinatione ad Eccleſiam. *Ibid.* Nec habet veram theologiam, num. 23. pro 25. Hæreticus non prætermittit purè negativè, ſed poſitivè, & contrariè regulam fidei. *Ibid.* Repugnantia fidei cum hæreſi, non eſt ſolum moralis, ſed ex natura rei, num. 24. pro 26. Quod intelligitur, non ſolum de fide actuali, ſed de habituali, num. 25. Repugnantia purè moralis, non eſt ſolum mediata, & communis alijs peccatis lethalibus per oppoſitionem cum gratia, ſed immediata, & ſpecialis, num. 27. & 28. Si hæreticus retineret habitum fidei, denominaretur Fidelis, & Infidelis ſimùl, quod metaphyſicè repugnat, num. 29. & 30. & 31. Hæreſis repugnat cum habitu fidei ex natura rei ex quadruplici capite, num. 35. Cohæret aliquem eſſe hæreticum, & potentem proximè credere, ſed non per habitum fidei, num. 36. Poſſet Deus hæretico infundere habitum fidei, ſed non relinquendo illum hæreticum, ſed faciendo illum Fidelem, num. 37. Probabile eſt repugnantiam fidei habitualis cum peccato hæreſis eſſe metaphyſicam, & Divinitus invincibilem, num. 39. Homo, licèt vt homo magis inclinetur ad cognoſcendum per diſcurſum, vt Fidelis, & Chriſtianus inclinatur magis ad cognoſcendum per fidem ſine diſcurſu. Diſput. 1. quæſt. 7. num. 19.

I.

Illuſtratio interior qualiter concurrat ad fidem, explicatur. Diſputat. 1. quæſt. 9. num. 38. & 80. Illuſtratio Spiritus Sancti requiritur ad fidem, non ſolum ex parte voluntatis, vt vellit credere, ſed etiam ex parte intellectus, vt moveatur ad credendum. Diſput. 5. quæſt. 6. num. 6. Talis illuſtratio neceſſario fit per apprehenſionem ſupernaturalem, num. 9. Admiſſo, quod fiat per iudicium, ad illud debet præcedere apprehenſio ſupernaturalis, num. 10. An illuſtratio illa incipiat à verbis prædicationis Evangelicę ſenſibilibus, ea elevando, an à ſpeciebus acceptis, vel ſenſibilibus, vel intelligibilibus explicatur, quæſt. 7. à num. 15. *vſque ad* 23. Illuſtratio vniverſalis circa veram Religionem in communi, nemini denegatur, quæſt. 11. à num. 35.

Ironia, quo pacto ſit, vel non ſit mendacium. Diſput. 2. quæſt. 1. num. 69.

Infideles, quomodo excitandi ad fidem. Diſput. 1. quæſt. 8. num. 60.

Inſpiratio interior Spiritus Sancti ſolum docet applicativè, non verò per modum loquentis, quæſt. 1. num. 26.

Iudicium certum de exiſtentia revelationis, an debeat præcedere, vel præcedat aſſenſum fidei, controvertitur, quæſt. 9. à num. 37. Rationes, quibus tale iudicium probatur, num. 38. Non placent, quia evertunt libertatem fidei proximam, num. 39. Tale iudicium non debet præcedere, nec poteſt ad primum actum fidei, num. 40. Adhùc præmiſſo iudicio ſolum certò moraliter, ex illo non convincitur, nec determinatur intellectus ad aſſenſum omninò infallibilem, qualis eſt aſſenſus fidei, num. 41. Iudicium de credibilitate non debet eſſe de credibilitate evidenti toti vniverſo, ſed de credibilitate ſibi evidenti, neutra tamen credibilitas eſt evidenter connexa cum veritate, num. 67. Suppoſito iudicio evidentis credibilitatis, intellectus non manet indifferens ad diſſenſum, ſed ſolum ad ſuſpenſionem aſſenſus, & hoc ſatis eſt ad indigentiam pię affectionis, num. 68. Non requiritur iudicium certum de exiſtentia revelationis, vt Doctrina fidei proponatur ſufficienter credibilis, nec ſatis eſt iudicium probabile, quæſt. 10. num. 4. Hoc præiudicaret libertati fidei, num. 5. Iudicium ſolum moraliter certum de exiſtentia revelationis, nequit proximè regulare actum fidei, num. 14. Defectu infallibilitatis. *Ibid.* Et quia nequit eſſe ſupernaturalis, num. 19. Nec requiritur iudicium de credibilitate ſignatè ſumpta, vt reguler fidem, num. 20. Adhùc ad credendum maturè, & prudenter, num. 33. Sæpè intervenit prædictum iudicium, ſed non regulat proximè fidem, nec exigitur ad illam, num. 35. Nec illam proximè regulat iudicium de exiſtentia motivorum credibilitatis, num. 86. Vide *cognitio regulans fidem.* Iudicium credibilitatis regulativum fidei, variè, & cum magna contradictio-

tione explicatur à ſuis AA. num. 55. Explicatur circa hoc mens D. Thom. num. 56. Tale iudicium non eſt ſignatum, & perfectum, ſed inchoatum, & imperfectum, coincidens cum apprehenſione, ſuaſiva, num. 58. Poteſt dici, quod hoc iudicium imperfectum ſit actus fidei, num. 61. Per quem fides diſcernit in actu primo credenda, à non credendis, ſicut in actu ſecundo diſcernit per iudicium perfectum, num. 62. Non ſufficit ad regulandam fidem iudicium probabile, & ſufficit apprehenſio ſuaſiva, ſeù iudicium imperfectum, num. 67. Etiam ad regulandam piam affectionem, num. 75. Nec Philoſoph. nec D. Thom. exigunt iudicium perfectum ad omnem actum liberum, num. 79. Licèt requiratur ad electionem, non tamen ad volitionem finis vltimi, num. 80. Non eſt idem iudicium liberum, & iudicium indifferens, num. 87. Iudicium liberum debet formari ex aliquo affectu prævio. *Ibid.* Iudicium indifferens eſt inexplicabile, num. 98. Quænam iudicia præcedant fidei aſſenſum. Explicatur num. 103. Iudicium evidens de credibilitate naturali Doctrinę, requiritur tamquam diſpoſitio negativa, 104. Non eſt regula fidei Divinę, 106.

L.

Libertas fidei explicatur. Diſp. 5. q. 8. *per tot.* Actus fidei theologicę non eſt neceſſarius, ſed liber, eſt quid certum inter omnes Catholicos, num. 2. Non ſolum quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpecificationem, num. 6. & num. 45. Gravis difficultas in contra proponitur, num. 8. Deciditur, num. 15. Libertas contrarietatis alia immediata, alia mediata, num. 16. Vt ſit vera libertas contrarietatis non exigitur, quod ſit immediata. *Ibid.* Satis eſt mediata per medium, quod ſit in propria poteſtate. *Ibid.* Extrema contrarietatis variè poſſunt excogitari. *Ibid.* Quilibet credens habet libertatem, licèt valdè remotam ad credendum oppoſitum errorem, num. 16. Minus remotam ad diſſentiendum fidei, num. 17. Minus remotam ad poſitivè dubitandum de ipſa, num. 18. Immediatam ad ſuſpendendum iudicium, num. 19. Et conſequenter veram libertatem ad quatuor extrema contrarietatis, num. 20. Non tamen habet credens libertatem immediatam ad credendum oppoſitum errorem, num. 21. Nec ad diſſentiendum poſitivè fidei, num. 28. Nec poſitivè dubitandi, num. 31. Benè tamen ſuſpendendi voluntariè iudicium, ſeù nollendi credere, num. 33. Libertas quoad vſum, ſivè ad aſſentiendum, vel non aſſentiendum eſt eſſentialis in fide, num. 37. Non verò libertas ad aſſenſus oppoſitos, nec ad aſſenſum, & poſitivum diſſenſum. *Ibid.* Si proximè coſtituatur per iudicium obiecti, & non ſolum per apprehenſionem, difficilè ſalvabitur libertas contrarietatis immediata ad amorem, & odium eiuſdem obiecti, num. 46. Nihilominus eſt diſparitas ex libertate ad amorem, & odium, ad libertatem ad aſſenſum, & diſſenſum, vt illa poſsit eſſe immediata, ſecùs iſta, à num. 47. Quo ſenſu, & de quo diſſenſu definierit Trident. liberum arbitrium poſſe diſſentire, num. 58. Libertas fidei proxima rectè explicatur, eam regulando per apprehenſionem ſuaſivam, ſecùs ſi reguletur iudicio propriè tali, q. 10. n. 45. Libertas alia eſt arbitrij, alia eſt voluntatis, vt talis, num. 79. Neutra conſtituitur in actu primo de neceſsitate per iudicium, num. 81. Quo ſenſu liberum arbitrium dicatur liberum de ratione iudicum. *Ibid.* Non eſt idem iudicium indifferens, ac iudicium liberum. *Ibid.* Rationes pro iudicio, de neceſsitate conſtitutivo libertatis expenduntur, num. 82. Liberum arbitrium, & libertas demonſtratur à Div. Thom. ex indifferentia iudicandi, & hæc ex apprehenſione boni vniverſalis, ſeù in communi, num. 87. Libertas hominis primordialiter conſtituitur per talem apprehenſionem, minus principaliter per apprehenſiones particulares boni, num. 89. & 99. Radix libertatis non eſt iudicium, ſed apprehenſio. *Ibid.* Hæc conſtituit libertatem, quoad exercitium circa finem, num. 90. Cognitio conſtitutiva libertatis non debet proponere ſignatè indifferentiam, nec proſequibilitatem, & non proſequibilitatem obiecti, ſed ſatis eſt, quod illam proponat ex parte modi, & in actu exercito, num. 82. Cognitio, ſeù apprehenſio indifferens, non eſt idem, ac dubitativa, num. 93. Omnes adulti pervenientes ad vſum rationis, habent ſufficientem libertatem, vt poſſint ad veram fidem pervenire. Explicatur, quæſt. 11. à num. 54. Omnis adhærens ſectę contra fidem deliberatè habet libertatem remotam, licèt non proximam illam deſerendi, & amplectendi fidem veram, num. 35. Vt infidelitas imputetur ad culpam, non eſt neceſſe, quod infidelis cognoſcat ſe errare, num. 36. Nec talis imputabilitas ſalvatur per ſcrupulum de errore, num. 38. Sed per cognitionem, vel illuſtrationem vniverſalem, de vera habitu-

di.

tione ſupernaturale quærenda, quę nullus, niſi ſua culpa defuit, ſaltèm in primo inſtanti vſus rationis, num. 39.

Loquutio Divina quid ſit. Diſput. 1. quæſt. 2. n. 51. Nō eſt duplex loquutio vna interna, alia externa, vna paſiva, alia activa, n. 52. Vide *fidei obiectum*. Locutio Divina eſt ſummè perfecta in ſua linea, & ideò intrinſecè infallibilis, num. 80. Locutio humana, in quo differat à locutione Divina, num. 89. Ratione ſui non eſt motivum fidei humanę, licèt Divina ſit ratione ſui motivum fidei Divinę, à num. 87. Quomodo locutio Divina importet, vel non importet aliquid creatum, num. 124.

Lumen principiorum, per illud ſolum cognoſcuntur veritates immediatę, illi in hoc aſſimilatur habitus fidei, q. 7. num. 25. Lumen glorię, vt lumen principiorum, cognoſcit veritates immediatas, & vt ſcientia, veritates illatas. Habitus verò fidei non poteſt habere vtramque iſtam formalitatem, quia magis limitatus, num. 27. Si vtramque haberet, cognoſceret quidem veritates illatas ex revelatis, ſed non formaliter, vt fides, nec credendo, ſed vt ſcientia, & diſcurrendo, num. 29. Lumen propheticum. Vide *Prophetę*.

M.

Mendacium non eſt idem ex terminis, ac falſum loqui, benè tamen in Deo. Diſput. 2. q. 1. num. 15. Qui dicit quod putat falſum, licèt inveniatur eſſe verum, non dicit verum, ſecùs qui dicit quod putat verum, ſi inveniatur eſſe falſum, hic enim dicit falſum, num. 16. Qui dicit quod putat falſum, ſi inveniatur eſſe verum, incurrit falſitatem formalem, & moralem, non tamen phyſicam, & materialem, num. 19. & 21. Mendacium eſt conſummatū per ſolam diſconformitatem cum mente, num. 21. Secùs verò periurium, num. 22. De ratione mendacij eſt quod proferatur cum animo fallendi ſpecificativè, ſed non reduplicativè, num. 25. Qui loquitur ſcienter falſum, nullo audiente, mentitur, num. 27. Deus mentiri nequit, num. 35. *per tot.* Mendacium purgari nequit à malitia morali, num. 46. & 55. Nec honeſtari ex fine, num. 56. Mendacium, quo pacto diſtinguatur ab ironia, num. 69. Quando Sancti loquebantur ex inſpiratione Spiritus Sancti, nō mentiebantur, poterant tamen mentiri ex ſpiritu proprio, num. 68. Quo pacto ſit mendacium, ſimulatio, num. 90. Vide *Amphibologia*. Non licèt velle deceptionem proximi, nec Deus potet illam per ſe velle, aut per ſe cauſare, num. 92.

Miniſtri, & Prædicatores fidei, quo pacto concurrant ad illam ſuadendam. Diſput. 5. q. 7. num. 12.

Miraculum quid ſit, q. 2. num. 1. Solus Deus poteſt ea patrare, vt principalis cauſa. *Ibid.* Non tamen in confirmationem Doctrinę falſę per ſe, adhùc de potentia abſoluta, num. 3. Imò etiam per accidens in circunſtantijs, in quibus Doctrina falſa re ipſa tali miraculo confirmaretur, num. 4. Vt patratio miraculi in dictis circunſtantijs non eſſet confirmatio doctrinę falſę, deberet Deus præmittere generale præconium, quo ſignificaret non eſſe ſuę intentionis eam confirmare, num. 10. & 19. Miracula Ante-Chriſti non erunt vera, & cur, num. 12. Non repugnat Deum patrare miracula in circunſtantijs, in quibus ex abuſu Miniſtri, & errore, & ignorantia videntium, falſa doctrina confirmaretur, num. 14. Miniſter, cui Deus conferat poteſtatem patrandi miracula, poteſt abuti tali poteſtate in ordine ad alios pravos fines, ſed non ad re ipſa confirmandam falſam doctrinam, numer. 26.

Malum phyſicum, quomodo cauſetur à Deo. Diſp. 2. q. 3. num. 14. & 61. Plura nominantur mala, quę re ipſa mala non ſunt, ſed bona, nempè, quę ſunt mala malis ſubiectis, num. 63. Et horum Deus poteſt eſſe cauſa per ſe. *Ibid.*

Miracula, quantum ad ſupernaturalitatem, & veritatem eorum non ſunt evidentia videntibus, ſed ſolum quantum ad apparientiam, & immutationem ſenſibilēm. Diſp. 4. q. 3. num. 30. Et Diſputat. 5, quæſt. 9. à num. 33. & 74.

Myſteria noſtrę fidei ſunt evidenter credibilia. Diſp. 4. q. 1. à num. 2. Primò ex Santictitate doctrinę, num. 5. Secundò ex antiquitate, num. 6. Tertiò ex modo promulgationis, num. 7. Quartò ex fidei conſtantia, num. 8. Quintò ex infœlici morte perſecutorum eius, num. 9. Sextò ex Martyrum, & aliorum SS. fœlici obitu, num. 10. Septimo ex vaticinijs, num. 11. Octavo ex miraculis, num. 16. Nono ex concordia Scripturę, & SS. PP. Decimo ex Eccleſię duratione, & Cathedrę Petri firmitate, n. 22. In his prævalet infinite noſtra fides cōtra omnes Sectas, num. 23. Myſteria fidei, non ſunt

evi-

Digitized by Google

evidenter vera evidentia in atteſtante ex motivis credibilitatis, q. 3. num. 1. *per tot.* Nec evidentia naturali, num. 12. Nec evidentia ſupernaturali, num. 44. Benè tamen evidentia morali, num. 54.

Monarchia eſt regimen magis durabile, & perfectius, quam Democratia, aut Ariſtocracia, Diſput. 3. quæſt. 3. num. 5.

Motio ſpecialis Dei obiectiva ad fidem explicatur. Diſput. 2. quæſt. 4. num. 25. Motio obiectiva ad eredendum debet eſſe duplex, vna qua moveatur voluntas, alia, qua moveatur intellectus. Diſput. 5. q. 6. num. 6. Et vtraque ſupernaturalis, num. 8. Quando motio phyſica ad actum exigitur ſupernaturalis, etiam motio obiectiva debet eſſe ſupernaturalis, num. 3. Quomodo fiat, vel vndè incipiat, q. 7. num. 15. *vſque* ad 23. Motio, quoad exercitium, & quoad ſpecificationem, qualiter ſpectent ad intellectum, & voluntatem, explicatur. Diſp. 5. q. 9. à num. 55. *vſque* 68.

N.

Neceſſitas alia eſt neceſsitas medij, alia præcepti, q. 16. num. 2. Vtraque neceſsitate eſt neceſſaria fides propriè talis ad ſalutem, à num. 3. Et quidem fides, qua credamus Deum eſſe, & remuneratorem eſſe, num. 11. In ſtatu veteris legis non fuit neceſſaria fides explicita Chriſti, nec Trinitatis, ſed ſolum implicita, num. 19. In ſtatu legis gratię eſt neceſſaria ad ſalutem fides explicita Chriſti, & Trinitatis, num. 23.

O.

Obedientia non reſpicit pro motivo præceptum, vt ſubijciens voluntatem in omni te præcepta, ideò poteſt compati obedientia circa vnum præceptum cum volitione alterius, vel verius dicitur, quod non ſtet obedientia formalis circa vnum præceptum cū violatione alterius formali, licèt ſtat cum volitione materiali. Diſp. 5. q. 13. num. 15. & 16.

Obligatio credendi alia formalis, alia fundamentalis, alia radicalis. Explicatur. Diſp. 5. quæſt. 8. num. 49. Qualiter obligatur hæreticus, num. 50.

Obedientia eadem debetur Regi præcipienti per ſuos Miniſtros, ac per ſe, & immediatè præcipienti, & ſimiliter Deo. Diſp. 1. q. 4. n. 26.

Obiectum fidei. Vide *fides*. Influit verè, & realiter in actum fidei, licèt non phyſicè. Diſp. 2. quæſt. 4. num. 23.

Oculus nec divinitus poteſt decipi deceptione ſenſibili ſibi propria. Diſput. 2. quæſt. 4. num. 45. & q. 3. num. 73. Occuli animalium nocte non illuminant formaliter obiecta, ſed efficienter, diffundendo lumen, quo redduntur viſibilia, diſtinctum ab ipſo lumine oculorum. Diſp. 1. q. 1. n. 10. Vide *Sacramentum Eucharistię*.

Opinio quid ſit. Diſp. 2. q. 6. num. 1. De eius eſſentia eſt formido aliqua. *Ibid.* Non quidem actualis, ſed ſola radicalis. *Ibid.* Datur aſſenſus immediatus, qui ſit opinativus, numer. 3. Formido moralis, & metaphyſica, non benè diſtinguitur, num. 4. Fides humana in ſummo gradu certa, non eſt opinio, num. 5. Aſſenſus opinativus importat eſſentialiter poſitivum, & negativum, num. 7. Repugnant in eodem intellectu ſimùl fides Divina, & opinio de eodem, num. 11. Et diſput. 4. quæſt. 6. num. 91. Multò magis repugnat eumdem aſſenſum eſſe fidei, & opinionis, num. 13. Incertitudo opinionis non eſt purè præciſiva, ſed contraria, num. 15. Non ſolum repugnans certitudini in eodem actu, & per idem medium, ſed adhùc per diverſum medium, & actum, num. 17 Intellectus nequit ſimùl moveri à motivo infallibili, & à motivo probabili ad eumdem aſſenſum, num. 21. Repugnat aſſenſus probabilis, qui non ſit opinativus, num. 24. Repugnat, quod idem aſſenſus ſit per medium probabile, & per medium demonſtrativum, num. 25. Nō tamen quod idem intellectus cognoſcat idem obiectum per medium demonſtrativum exercitè, & per medium probabile ſignatè, num. 28. Licèt tunc non ſit omninò idem obiectum terminativum, num. 32. & 33. Theologi dùm probant dogmata de fide motivis probabilibus, non moventur exercitè in his ad aſſenſum, ſed illa tractant ſignatè, vt poſſint movere Infideles diſpoſitivè ad fidem, num. 34. Habitus fidei, & opinionis circa idem, in eodem non cohærent, num. 36. Benè verò habitus fidei cum actus opinionis, quia actus opinionis poteſt non generare habitum, numer. 37.

Ordo ſupernaturalis ad fidem incipit de neceſſitate in ſpeciebus intelligibilibus, licèt poſſit antecedenter incipere, quæſt. 10. num. 37.

P.

P.

Papa, quando incipiat eſſe de fide, quod ſit verus Papa. Diſput. 3. q. 4. num. 20. Dignitas illius non pendet à probitate, vel improbitate Perſonę, ſed à recta electione, & capacitate quoad eſſentialia, q. 10. num. 15. Non conſiſtit eſſentialiter, ſeù formaliter in Ordine Epiſcopali, ſed in iuriſdictione ſpirituali ſuper omnes oves Chriſti, numero 17. Quid ſi eligeretur non ordinatus, numero 18. & quæſt. 12. num. 100. Electio Papę poteſt eſſe, vel nulla, vel dubia, q. 11. num. 2. Ex quo capite anulletur, num. 3. Eſt immediatè de fide hæc vniverſalis: Omnis ritè electus in Papam eſt verus Papa, num. 5. Quando electio eſt nulla, vel dubia, non eſt de fide electum illum eſſe verum Papam, num. 6. Abſdubio eſt de fide, ſaltèm ſub tacita conditione, *ſi eſt ritè electus*, quod Innocentius XII. eſt verus Papa, num. 12. Controverſia eſt an ſit de fide abſolutè, num. 12. De fide Divina eſt immediatè, & abſolutè, num. 13. Certitudo de recta electione Papę, vna antecedens, alia conſequēs ad fidem de vero Papa, num. 38. Non ſatis eſt certitudo conſequens, ſed requiritur certitudo antecens omninò, & metaphyſicè infallibilis, à num. 39. *vſque* 46. Eſt metaphyſicè infallibile Innocentium XII. fuiſſe ritè electum, num. 47. Non poteſt Papa facere immediatè, & abſolutè de fide Articulum ab eo definitum, niſi ſit immediatè, & abſolutè de fide ipſum eſſe verum Papam, num. 53. & 115. De fide eſt immediatè, & abſolutè perſeverare in Eccleſia Dignitatem Petri, vſque ad diem iudicij, & indè eſt abſolutè, & immediatè de fide Innocent. XII. eſſe verum Papam, num. 62. Requiſita ad electionem qualiter ſint certa, num 77. Electionem illam fuiſſe validam eſt mediatè de fide, & metaphyſicè infallibile, num. 78. Quando incipiat eſſe de fide quoad nos hunc eſſe verum Papam, explicatur, num. 90. Antequam pacificè eligatur non eſt de fide, num. 91. Nec dùm eſt ritè electus, ſed nondùm promulgatus. *Ibid.* Eſt tamen de fide antequam definiat. *Ibid.* Nempè ex quo electio pacificè promulgatur, num. 92. Eſt immediatè revelatum hunc eſſe verum Papam, num. 94. Qui hoc negaret, electione pacificè promulgata, eſſet formaliter hæreticus, num. 95. De Pontificibus, de quibus extat infallibilis traditio eſt de fide, quod fuerunt veri Papę, num. 96. In fide, qua credimus hunc eſſe verum Papam implicatur conditio, *ſi vivit*, num. 97. Aliter eſt de fide hunc eſſe verum Papam, & Sacramentum Euchariſtię in ſingulari, num. 98. Quid ſi ſola vna Hoſtia eſſet in Mundo conſecrata, 99. Quid ſi Papa inciderit in hæreſim, 102. Non eſt de fide eſſe de fide hunc eſſe verum Papam, num. 104. Poteſt eſſe de fide directa, quin ſit de fide reflexa, 107. Sententia negans eſſe de fide directam non eſt hæretica, nec temeraria, nec alia cenſura inuſta, 111. Qualiter omnes teneantur illam directam credere fide Divina, etiam illi, qui negant illam eſſe de fide, num. 113. De nullo Epiſcopo in ſingulari eſt de fide ipſum eſſe verum Epiſcopum, num. 116. Quid ſi ſolum duo, vel vnus Epiſcopus eſſet in Mundo, num. 117. Papa quando loquatur ex Cathedra, aut quid hoc ſit, quæſt. 12. à num. 1. Poteſt errare, vt Author particularis, num. 2. Sed non contra fidem, vt veriſimilius iudico, num. 3. Caſu tamen, quo eſſet hæreticus, non eſſet ipſo facto depoſitus, vſque dùm deponeretur authenticè ab Eccleſia, num. 6. Anteà autem eſſet verus Papa, quamvis non haberet fidem. *Ibid.* Verus Papa eſt omninò infallibilis in his, quę ex Cathedra definit, vt de fide tenenda, num. 9. Hæc impotentia fallendi non eſt antecedens, & abſoluta, ſed conſequens, & ex ſuppoſitione promiſsionis Chriſti, num. 11. Non eſt idem eſſentialiter, & ex terminis Papā loqui ex Cathedra, & loqui ex aſsiſtentia Spiritus Sancti, num. 14. Nihilominus datur abſoluta ſecuritas, & infallibilitas in Eccleſia, & in fide eius, num. 18. Impotentia errandi ex Cathedra non conſiſtit in aliquo dono intrinſeco habitualiter communicato Pontifici, ſed ſolum in aſsiſtentia Spiritus Sancti per auxilia actualia, & efficacia ad non errandum, num. 19. Papatus non imprimit characterem, ſed confertur per commiſsionem Chriſti facta m Petro, & eius Succeſſoribus legitimè electis, num. 24. Nec importat novam poteſtatem Ordinis, ſed ſolum iuriſdictionis, num. 25. Papa eſt infallibilis in definienda doctrina morum ex Cathedra, num. 27. Id intelligitur de doctrina morum, quoad ſubſtantiam, non quoad circunſtantias, num. 28. Papę Authoritas eſt ſuprà Concilium Vniverſale, q. 13. num. 3. Vide *Concilium*. Ex omni Eccleſia licèt appellare ad Papam, non tamen ex illo ad Concilium

generale, num. 5. Habet Authoritatem infallibilem in definiendis cõtroverſijs iuris, aut doctrinę, q. 15. num. 2. Et diſcernendi veram à falſa Scriptura, ſeù inter Libros Canonicos, & non Canonicos, num. 3. Et determinandi ſenſum Scripturę, ſeù traditionis Apoſtolicę, num. 4. Et definiendi controverſias facti ſpirituales, & Eccleſiaſticas, eaſque terminandi, num. 5. Sed in his determinandis non eſt omninò infallibilis, nec poteſt ea facta determinare, vt fide Divina credenda in Eccleſia, num. 8. Non eſt hæreticus, qui in quæſtione puri facti à Deciſione Apoſtolica, ſeù Concilij Generalis diſſentit, ſed ad ſummum ſchiſmaticus, num. 12. Deciſio Pontificis damnantis aliquem librum, vt continentem doctrinam contra fidem, non ſolum eſt abſoluta reſpectu doctrinę, ſed etiam reſpectu Authoris, vel Libri, num. 16. Fideles ex vi ſententię Papę ita latę tenentur illam abſolutè acceptare, ſine deſtinctione iuris, & facti, num. 19. Non tamen Papa definit, tàm factum, quàm doctrinam, vt vtrumque de fide tenendum, ſed doctrinam, vt de fide tenendam, factum, vt ex obedientia acceptandum, num. 23. Vide *Canonizatio*.

Paulus in raptu habuit fidem habitualem, ſed non actualem. Diſp. 4. q. 6. num. 80. Habuit habitum luminis glorię, ſed tranſeunter, & per modum actus, num. 82. Non reliquit in eo, nec habitum, nec ſpeciem obiecti viſi, num. 84. Nec evidentiam illius, num. 86. Niſi ad ſummum de illo ſub ratione confuſa viſi, num. 87. Remanſerunt in eo aliquę ſpecies myſteriorum, ſed non evidentia de illis, num. 89. D. Paulus in raptu vidit omnia myſteria fidei, ſed de illis non habuit ſimùl fidem actualem, numer. 137.

Peccatum erroris mentalis nunquam eſt directè voluntarium, ſed ſolum indirectè in cauſa voluntaria. Diſput. 5. quæſt. 8. numer. 14.

Periurium, non eſt conſummatum per diſconformitatem teſtificationis cum mente, ſed requirit diſconformitatem cum re teſtificata. Diſp. 1. q. 9. num. 22. Iurans, quod putat falſum, ſi inveniatur eſſe verum, peccat peccato periurij, ſed non incurrit cenſuras contra periurium impoſitas, numero 23.

Pœnitentia, qualiter contineatur eminenter in Deo. Diſp. 2. quæſt. 3. num. 10.

Pœna peccati alia per ſe inflicta, alia permiſſa. *Ibid.* num. 72.

Philoſophus Chriſtianus, non credit *Deum eſſe*, vt Authorem naturę, ſed ſolum, vt Authorem gratię per fidem. Diſp. 4. q. 6. num. 27. Nec propterea eſt deterioris conditionis, quam ruſticus, qui de vtroque habet fidem, num. 29. Nec amittit meritum fidei, num. 30. Probabiliter admitti poteſt, quod Philoſophus excederetur à ruſtico in certitudine illius veritatis *Deus eſt*, vt Authot naturę, num. 34. Sed probabilius tenemus oppoſitum, quia Philoſophus in ſua ſcientia, & demonſtratione certificaretur, & firmareſur, certitudine ſupernaturali per fidem, de illa veritate, num. 35. Non quia idem actus ſcientię ſit etiam fidei, num. 38. Id enim repugnat, num. 39. Sed quia actus ſcientificus quoad ſubſtantiam eſſet fidei, quoad modum certitudinis ſupernaturalis ex fide participatę, numer. 41. Talis modus certitudinis ineptè ponitur purè naturalis, num. 42. Explicatur, quo pacto talis modus participetur ex habitu fidei, à num. 43. *vſque* 48. & 51. Talis certitudo participata pertinet reductivè ad ſpeciem fidei, 50. Nec eſt poſitivè clara, nec obſcura, ſed præſcindit ex ſe, probabilius poteſt dici intrinſeca adiectivè, quam extrinſeca, num. 51. Poteſt Philoſophus habere fidem de veritate ſuperiori continenti veritatem inferiorem à ſe ſcitam, num. 52.

Pius affectio, & imperium ad credendum differunt. Diſp. 5. q. 9. num. 1. Ad debitam conſiderationem motivorum credibilitatis requiritur pius affectus, num. 2. Non ſolum in infidelibus quærentibus veram Religionem, ſed etiam in Fidelibus, quamvis diverſimodè, num. 3. Adhùc ſuppoſita debita conſideratione motivorum, requiritur ad actu credendum pius affectus, ſeù imperium voluntatis, num. 20. Quia actus fidei eſt proximè liber contrapoſitivè ad aſſenſum ſcientificum, num. 21. Et quia adhùc ſuppoſita debita conſideratione, motivum fidei proponitur obſcurè, num. 22. Non ſatis eſt quod voluntas non contramoveat, num. 23. Quia actus fidei eſt liber poſitivè, non purè permiſſivè. *Ibid.* Et quia intellectus indifferens indiget poſitiva determinatione. *Ibid.* Nequit poſitivè determinari ex ſolo habitu fidei, num. 24. Nec ex evidentia credibilitatis, num. 26. Quia evidens credibilitas non importat evidentem connexionem cum veritate credenda. *Ibid.* & num. 27. In conſequenter ponitur pius affectus neceſſarius ad iudicium de credibilitate, quę proponitur evidenter, & non ad aſſenſum

ſum veritatis, quę proponitur obſcurè, num. 31. Pia motio, tam ad debitam conſiderationem motivorum, quam ad credendum debet eſſe ſupernaturalis ex Concil. Arauſic. num. 44. Quia tam conſideratio, quam actus credendi ſunt ſupernaturales, num. 43. Et quia pius ille affectus eſt initium fidei, 44. Pius ille affectus eſt amor boni repromiſsi in Evangelio, & erga veram Religionem in communi, num. 45. Poſt fidem ſuſceptam ad exercitium illius poteſt movere affectus charitatis, num. 47. Quo ſenſu talis pia affectio ſit, vel non imperium, num. 48. Dœmones non credunt ex pio affectu, licèt ex affectu aliquo, num. 50. Si credimus Romam exiſtere, credimus ex aliquo affectu, num. 52. Pia motio ſupplet defectum obiecti quoad munus ſpecificandi actum fidei, non formaliter, ſed cauſaliter, num. 53. Quoad munus verò determinandi quoad exercitium, formaliter, 54. & 55. Contraria doctrina impugnatur, num. 56. Quia pia affectio, adhùc ex participatione intellectus, non poteſt determinare quoad ſpecificationem, cum intellectus ante illam non habeat talem determinationem, n. 57. Vel ſi illam præ habet: Ergò non indiget determinari hoc modo à voluntate, num. 58. Vide *voluntas*, Satis eſt indifferentia intellectus, quoad exercitium, vt egeat pia affectione, num. 68. Non determinatur ſufficienter per nolitionem efficacem diſſenſus, num. 69. In conſequenter exigitur non ctõra motio, reiecta pia affectione, num. 70. Ineptè etiam ponitur pius affectus ſupernus ad credendam exiſtentiam motivorum fide humana, & non ad credenda myſteria fidei, num. 72. Exiſtentia motivorum, quoad ſupernaturalitatem eorum, non creditur firmiter, niſi per fidem Divinam, num. 74. Quoad apparentiam autem ſenſibilem terminant fidem humanam. *Ibid.* Voluntas per piam motionem poteſt præſtare aſſenſui fidei formaliter maiorem certitudinem extrinſecam, ſed cauſaliter etiam intrinſecam maiorem, quam mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium, non tamen maiorem, quam mereatur pondus motivi formalis fidei, n. 81. Et hoc pacto explicantur propoſitiones damnatę circa hoc ab Inn. XI. *Ibid.* Pię affectionis obiectũ proprium nõ eſt honeſtas moralis actus credẽdi fide humana exiſtentiam motivorũ credibilitatis, q. 10. num. 107. Nec honeſtas credendi fide Divina, num. 108. Nec actus ipſe credendi, n. 109. & q. 11. num. 13. Sed eſt bonitas obiectiva fœlicitatis ſupernaturalis promiſſę in doctrina Evangelica. *Ibid.* Vt quis credat neceſſe eſt quod velit credere exercitè, non quod velit credere ſignatè, num. 10. Pia affectio debet eſſe imperium, non ſemper formale, ſed formale, vel virtuale. *Ibid.* Pia affectio poteſt conſiderari in vniverſali, ſeù erga Religionem veram in communi, & ſic non habet vim imperij; & erga Religionem in particolari determinatam, & ſic habet vim imperij, num. 112. Pia affectio non regulatur per donum intellectus, q. 11. num. 22. imperari nequit pia affectio ex actu pravo, aut purè naturali, q. 12. num. 4. Et hoc magis repugnat, quam in actu fidei, num. 6. & 7. Actus imperans piam affectionem eſſet diſpoſitio congrua ad ipſam exigens concurſum Dei ad ipſam, & ideo nequit eſſe naturalis, à num. 8. Et quia eſſet initium fidei, num. 11. Et quia virtus ſupernaturalis nequit imperari à virtute inferiori, qualis eſt naturalis, num. 12. Caſo, quo quis actu naturali, ſeù pravo velet credere, iſta volitio non eſſet efficax, & conſequenter, nec imperium ad credendum fide ſupernaturali, num. 17. Pia motivo ad credendum, quando propoſitio externa eſt fallibilis, non eſt conditionata, ſed abſoluta, ad credendum conditionatè. Diſput. 1, q. 9. num. 71. Pia affectio in ruſtico, cui proponitur falſum myſterium, ſolum inclinat in aſſenſum tacitè conditionatum, & verum, non in abſolutum, & falſum, niſi tantum per accidens. Diſput. 2. q. 3. num. 124.

Prædicatio exterior fidei, quo pacto concurrat in mente, explicatur Diſput. 5. q. 7. n. 14. Prædicatores benè poſſunt exortare ad virtutem, proponendo bona temporalia virtuoſis competentia, & mala, quę vitia ſequuntur, quin velint virtutem exerceri ex motivo temporali. Diſput. 5. q. 12. num. 53.

Præmium ex conceptu pręmij non eſt incompatibile cum merito, poteſt tamen ex conceptu talis. Diſput. 4. q. 6. num. 62.

Practicum, & ſpeculativum, quando poſſunt convenire in eodem habitu, quomodo non. Explicatur Diſput. 5. q. 2. n. 7.

Principes Sæculares licitè poſſunt comminari ſubditis exilia, & alias pœnas, niſi convertantur ad fidem, & illis promittere honores, ſi convertantur, quin propterea intentio ſit quod credant ex illis motivis temporalibus. Diſp. 5. q. 12. n. 53.

Principium elicitivum pię affectionis in habente fidem debet eſſe habitus, licèt in prima fidei genaratione poſſit eſſe auxilium. *Ibid.* q. 11. num. 2. & 8. Tale principium non eſt habitus cha-

charitatis, num. 3. Nec habitus fidei propriè talis, num. 4. Nec habitus obedientię, num. 5. Nec habitus Religionis, num. 6. Eſt ergò habitus peculiaris, num. 7. Non moralis, nec reductus ad virtutem temperantię, num. 10. Sed eſt habitus theologicus fidei inchoativus ad virtutem theologicam fidei reductus, num. 12. Non ponit in numero cum virtute theologica fidei, num. 13.

Prophetæ non habuerunt evidentiam in atteſtante, vel ſaltem id non probatur à PP. Salm. Diſput. 3. q. 15. num. 135. Illa admiſſa non habuerunt ſimul fidem de eodem, num. 136. Lumen propheticum non facit videre res in atteſtante, ſed in ſe ipſis, vel in figuris ęnigmaticis. *Ibid.*

Prohibitio actus fidei, ſpei, aut charitatis redderet illum actum impoſsibilem ſubiecto. Diſp. 5. q. 12. num. 55. Non maneret in ſubiecto poteſtas, adhùc antecedens ad tales actus in-ſenſu diviſo, num. 56.

Prophetiæ actus nequit eſſe moraliter malus, nec prædictio Caiphę, aut loquutio Balaàm, fuerút actus Prophetię propriè loquendo, nec ipſi Prophetę fuerunt magis, quam huius aſina, num. 58. Non potuit illos Deus movere ad loquutionem externam, niſi movendo interius voluntatem, vt ſe vellent loqui, licèt non illuminando intellectum, vt intelligerent, quę dicebant. *Ibid.*

Promiſsio ſine animo implendi eſſet mendax. Diſput. 1. q. 5. n. 7. Promittens per verba promiſſoria non explicat animum ſe obligandi, ſed ſututitionem practicam rei promiſſę, num. 11. Si quis verè permittat, quamvis non intendat ſe obligare, ſe obligat, & e contra, ſi iocosè, aut fallaciter promittat, quamvis habeat animum ſe obligandi, non ſe obligat ex vi promiſsionis, num. 28. Non aptè diſtinguitur promiſsio interna, & externa, num. 31.

Propoſitio ſingularis contenta formaliter in vniverſali revelata eſt immediatè de fide. *Ibid.* q. 7. n. 4. Licèt eius continentia conſtet ex maiori naturaliter nota, num. 13. Non tamen cognoſcitur per fidem, quando cognoſcitur per diſcurſum, adhùc explicativum, num. 14. Secùs, quando diſcurſus ſolum intervenit ad oſtendendam continentiam ſingularis in vniverſali, num. 17. Eadem propoſitio ſub diverſis conſiderationibus, poteſt eſſe concluſio theologica, & immediatè de fide, num. 18. Qui dicit propoſitionem, ex qua alia infertur, ſolum illativè dicit aliam, num. 31. Propoſitio illata ex vtraquè præmiſſa de fide, ſi conſideretur vt illata, non eſt immdiatè de fide, ſecundum ſe verò eſt immediatè de fide, num. 39. Quamvis illatio ſit revelata, dùm exercetur, non exercetur per fidem, ſed ſolum quando ſignatè creditur, num. 40. Propoſitio ſingularis contenta ſub vniverſali de fide, non ideò eſt de fide abſolutè, niſi conſtet infallibiliter eius continentia ſub vniverſali. Diſput. 3. q. 11. n. 18. Quænam certitudo continentię requiratur, num. 21. Vt ſit de fide ſub expreſſa conditione continentię, nulla certitudo continentię requiritur, num. 22. Vt ſit de fide extrinſecè abſoluta ſua tacita conditione, ſatis eſt certitudo humana de continentia, num. 23. Vt tamen ſit de fide intrinſecè abſoluta, ſine tacita conditione, non ſatis eſt certitudo ſolum moralis, quantumvis maxima, num. 24. & 69. Propoſitio myſteriorum fidei debet fieri viſibiliter, & inviſibiliter. Explicatur. Diſput. 2. quæſt. 9. num. 58.

Prudentia ſupernaturalis non poteſt elicere, adhùc per accidens, aſſenſum, vel iudicium falſum, benè verò illud imperàre per accidens. Diſput. 2. q. 3. num. 122. Quo pacto reſpicit verum in re. Diſput. 1. q. 9. num. 14. & 92. & 94. Prudentia infuſa eſſentialiter reſpicit verum in re, num. 96. Supponit in anima virtutes theologicas. Diſput. 5. q. 11. num. 17. Non regulat voluntatem circa finem vltimum, num. 18. Ineptè dicitur piam affectionem, aut fidem regulari per iudicium prudentis credibilitatis; aut per iudicium prudens, aut prudentiale, num. 19. Niſi hoc intelligatur de prudentialitate eminenter tali. *Ibid.* & num. 20. Quando quis imprudenter credit, non credit re ipſa ſide theologica, num. 21.

Q.

Quæſtio de incompatibilitate fidei cum evidentia in atteſtante ęquè exercet affirmantes, & negantes. Diſputat. 5. quæſt. 11. numer. 6.

R.

Regula viſibilis fidei, quid pro ea intelligamus. Diſput. 3. q. 1. num. 1. Non eſt neceſſum, quod proxima regula viſibilis fidei reſpectu cuiuſque ſit infallibilis in proponendo, num. 2. Eſt neceſſaria regula viſibilis vniverſalis fidei omninò infallibilis, num. 3. Sine illa non poteſt fides conſervare permanenter ſuam vnitatem. *Ibid.* & num. 4. Prædicta regula eſt triplex, num. 7. S. Scriptura eſt regula viſibilis, licèt inanimata fidei, q. 2. n. 16. Vide *S. Scriptura.*

Tra-

Traditio etiam eſt regula viſibilis fidei, quæſt. 3. num. 2. Videˋ *Traditio*. Neceſſaria eſt regula viſibilis animata, quę habeat Authoritatem infallibilem diſcernendi res fidei, q. 4. n. 1. Etiam in Veteri Teſtamento fuit regula viſibilis, num. 13. Sunt aliquę controverſię, in quibus non licèt Catholicis contraria ſentirè, nec poſſunt ſalva vnitate fidei, num. 10. Ad has decidendas non ſatis eſt interior inſtinctus Spiritus Sancti, à num. 14. Regula diſcernendi verú Papá eſt ipſe, vt promulgatus, num. 21. Quidquid definit regula animata fidei debet ſuſcipi à Fidelibus ſine examine, licèt accedentes ad fidem poſsint illud prævię examinare, num. 23. Regula interior fidei explicatur. Diſpot. 5. q. 10. *per tot.* Debet explicari pariformiter ad regulam externam, & viſibilem, num. 29. & 70. Vide *Cognitio Iudicium*.

Reſolutio fidei, non ſolum eſt in revelationem, vt viſibiliter propoſitam per Eccleſiam, ſed vt interius propoſitam per illuſtrationem ſupernam. Diſp. 1. q. 9. num. 88. & Diſp. 5. quæſt. 5. num. 39.

Revelatio, vt iudicativè præcognita, non movet ad fidem ſtrictè talem. Diſput. 5. q. 9. num. 40. Revelatio Divina eſt ratione ſui motivum formale fidei Divinę. Diſput. 1. q. 2. num. 53. Quid dicendum, caſu, quo autoricetur per ſapientiam, & veracitatem, num. 98. Deum revelare Myſterium non eſt per ſe notum ex terminis, q. 3. n. 24. Revelatio privata eſſe poteſt tripliciter privata, q. 4. n. 3. Poſt fundatam Eccleſiam non eſt motivum fidei Catholicę, vt talis, num. 4. Nec fidei Divinę, ſi revelet ſine ordine ad ipſum Deum, num. 8. Revelationes tamen privatę, provt modo fiunt, ſunt obiectum motivum fidei Divinę privatę, num. 9. Ille, cui fit revelatio privata cum ſufficienti credibilitate, tenetur illi ailentiti, num. 18. Non per Prophetiam, aut gratiam gratis datam, ſed per habitum fidei theologicę. *Ibid.* Revelatio privata, ſi fiat infideli, non creditur per fidem theologicam, num. 30. Nec quando fit evidenter, num. 31. Quænam certitudo requiratur, vt credatur fide Divina, explicatur, num. 32. Ab alijs, quibus non fit, non poteſt credi fide, pluſquam humana, num. 33. Revelationes promiſſorię debent credi fide theologica, q. 5. n. 2. Motivum formale illas credendi, quantum ad animum exequendi rem promiſſam, eſt idem, ac in fide præſtita revelationibus aſſertorijs, num. 5. Etiam quantum ad futuritionem rei promiſſę, num. 10. Revelatio promiſſoria non conſtituitur infallibilis per Fidelitatem, & Omnipotentiam, niſi tantum ęquivocè, num. 18. Revelatio ineptè diſtinguitur, alia virtualis, alia formalis, q. 7. num. 1. Quid ſit revelatio virtualis, nu. 2. & 3. Revelatio eſt initium credendi fide Divina obiectum formaliter contentum, licèt implicitè in obiecto expreſsè revelato, n. 4. Etiam quando continetur confusè, vt particularis in vniverſali, num. 5. Revelatio vniverſalis revelat formaliter de omnibus ſingularibus, num. 7. Confuſio ibi interveniens ſolum eſt ex parte noſtra, non ex parte Dei revelantis, num. 10. Revelatio virtualis non eſt motivum fidei reſpectu obiecti ſolum virtualiter revelati, num. 21. Revelatio, vt credita fide humana, non eſt motivum fidei Divinę, ſed ſolum, vt credita fide infuſa, q. 8. num. 2. Quamvis cognitio revelationis ſit pura conditio, vt illa moveat ad fidem, talis cognitio debet eſſe ęquè, vel magis certa, quam aſſenſus fidei, num. 6. Et hoc, quamvis revelatio ponatur pura conditio ad fidem, num. 8. Revelatio Divina eſt virtualiter infinitè reflexiva ſuprà ſe, num. 21. Vt revelans ſe ipſam, non eſt revelata *vt quod*, benè tamen, *vt quo*, & hoc ſufficit vt moveat ad aſſenſum ſui, *de quo* videatur duplex ſententia, num. 22. Revelatio Divina, vt ſolom exiſtimata, non eſt motivum fidei Divinę, q. 9. *per tot.* Quia ad fidem non ſufficit notitia probabilis revelationis, num. 4. Nec exiſtimatio prudentialis, num. 5. Proponitur caſus ruſtici, cui falsò proponatur, vt de fide myſterium falſum, num. 19. Reijcitur Doctrina Suarez dicentis, quod propoſitio Parrochi non eſt ſufficiens ad fidem Divinam, num. 20. Aliorum ſolutio, quod ruſticus non crederet fide Divina, ſed humana, exponitur, num. 23. Fides illius ruſtici, ſi eſſet erronea, non eſſet meritoria vitę ęternę, num. 25. Non ſolum putaret ſe tenere ad credendum, ſed re ipſa obligaretur, num. 26. Non ſolum ad fidem naturalem, ſed ſupernaturalem, n. 27. & Diſput. 5. q. 5. num. 32. Quid ſi ruſtico proponeretur ſimùl duplex myſterium, vnum falſum, & aliud verum. *Ibid.* & num. 28. Sententia Sendin, quod ruſticus crederet fide Divina, quamvis acquiſita, & falſa, exponitur, num. 29. Reijcitur, num. 34. Vide *Fides*. Vt ruſticus credat vnum myſterium fide Divina, & aliud fide humana, debet aſſignari diverſa ratio obiectiva, eſt intentionalis, num. 51. Non ſatis eſt diverſitas phyſi-

ca, & in eſſe rei, num. 53. Explicatur talis diverſitas, num. 84. 87. & Diſpur. 5. q. 5. num. 31. Revelatio Divina movet, provt in re, non quia moveat phyſicè, & immediatè, ſed quia movet, vt apprehenſa eſſentialiter, provt in re, explicatur, num. 82. & Diſpur. 2. q. 4. n. 24. & 40. Ruſticus non obligaretur ex cõſcientia recta, ſed ex erronea ad credendum abſolutè myſterium falſum, num. 61. & Diſputat. 2. quæſt. 3. num. 109.

S.

Sacramentum Euchariſtię, quando apparet in illo forma carnis, aut pueri, quomodo contingat, quin Deus decipiat videntes. Diſp. 2. q. 3. num. 73. Accidentia ſine ſubiecto non fallunt per ſe videntes, adhùc neſcientes myſteria, à num. 75. Neque efficienter phyſicè, neque obiectivè, num. 76.

Sacra Scriptura datur in Eccleſia. Diſp. 3. q. 2. num. 10. Eius definitio, num. 11. Eſt dictata à Deo, non ſolum quoad ſenſum, ſed etiam quod verba, num. 12. Tùm propter eius infallibilitatem. Tùm propter eius dignitatem, num. 13. Eius verba, licèt non redoleant eloquentiam humanam, habent tamen eloquentiam ſupernam, & Divinam, nu. 14. In illius traductionibus credendum eſt Spiritum Sanctum ſpiritualiter aſtitiſſe, vt verba traductionis eumdem ſervarent ſenſum, & ordinem ſignificandi, num. 15. Eſt regula viſibilis fidei, num. 16. Eius Libri Canonici numerantur, num. 21. Licèt de alijs traductionibus liceat dubitare, non tamen de Vulgata, num. 23. Scriptura eſt regula non ita perſpicua, quod non egeat alia animata, num. 23. Sacrę Scripturę loca apparenter contraria conciliantur. Diſp. 2. q. 1. num. 66. & 67.

Sapientia, & veracitas Divina, quomodo ſe habeant explicatur. Diſp. 1. q. 2. n. 20. Sapientia ſola non eſt motivum formale fidei. nu. 23. Nec ſimùl cū veracitate, num. 46. Quomodo infallibilizant Divinam loquutionem non formaliter, ſed cauſaliter, num. 97. Vel etiam formaliter extrinſecè, num. 98. Adhùc tamen hoc ſuppoſito non ſunt motivum formale fidei, vt peculiaria attributa. *Ibid.*

Scientia actus non compatitur cū actu fidei de eodem obiecto. Diſp. 4. q. 6. *per tot.* Non poteſt idem eſſe ſimùl creditum, & ſcitum, adhùc per medium diverſum, num. 5. Id repugnat non ſolum ex natura rei, ſed Divinitus, num. 7. Non ſolum loquendo de ſcientia intuitiva, ſed etiam de abſtractiva, numer. 8. & 72. Vide *Fides*. Et obſcuritas. Scientia infuſa omnium myſteriorum fidei non eſt poſsibilis in homine viatore, ſecundum providentiam ordinariam, ſed ſolum de potentia Dei abſoluta, q. 6. n. 68. In illo caſu homo ille non egeret fide, vt iuſtificaretur, & tenderet ad beatitudinem, nu. 69. Scientia naturalis eſt nedum phyſicè, ſed metaphyſicè infallibilis, q. 6. num. 93. & 74. Abſtractiva eſt minus clara, quam intuitiva, ſed non obſcura, nu. 73. Compatitur cum intuitiva, ſed non cum fide, num. 78. Scientia de vna concluſione compatitur cum errore circa aliam ex defectu applicationis motivi formalis, & ſic ſimiliter ſtat fides de vno Articulo cum errore materiali circa alium non ſufficienter intimatum. Diſp. 5. q. 13. num. 19.

Simulatio, quo pacto ſit, vel non ſit mendacium. Diſp. 1. q. 19. nu. 70.

Syndereſis nequit per ſe influere in errorem conſcientię. Diſp. 2. q. 3. n. 110.

Symbolum fidei triplex. Diſputat. 2. quæſt. 12. numer. 1. Symbolum Apoſtolor. ab ipſis compoſitum, & quomodo, nu. 2. & 3. Quarè non dicatur Scriptura Canonica, nu. 5. Symbolum Nicænum, à quibus compoſitum, & auctum, nu. 6. Athanaſij ab ipſo compoſitum, num. 7. & 8. Convenienter traditur per Symbolum materia fidei Fidelibus, num. 9. Nec obeſt vnitati fidei, quod Symbolum ſit triplex, nu. 15. Quia Apoſtolicum, inſtitutum fuit ad ſimpliciter erudiendum Populum, Nicænum, ad refutationem hæreticorum, Athanaſij ad maiorem expreſsionem Myſterij Trinitatis, & Incarnationis, num. 16. Quarè in Symbolo Nicæno non memoratur deſcenſus ad inferos, num. 18. Quomodo dicatur: *Credo in vnam Sanctam Eccleſiam*, n. 19. Cur Symbolum Apoſtolicum non canitur in Eccleſia, n. 20.

Species ad fidem concurrentes illuſtrantur ſupernaturaliter à Deo. Diſp. 2. q. 4. num. 25. Species obiectorum materialium fidei non debent eſſe ſupernaturales. Diſputat. 3. q. 7. num. 1. Nec elevari lumine ſuperno, nu. 2. Secùs ſpecies obiecti formalis fidei, quę debet elevari lumine ſuperno ſibi intrinſeco, vt illud debitè repræſentet, num. 3. Quamvis non concurrat in genere cauſę efficientis, ſed ſolum formalis extrinſecę, num. 5. Non ſatis eſt quod elevetur extrinſecè, nu. 7. Alia eſt ratio præmiſſę naturalis concurren-

rentis ad concluſionem ſupernaturalem, num. 8. Species non debet eſſe entitativè ſupernaturalis, ſed ſupernaturalizata, & elevata, num. 13. An talis elevatio debeat intrinſecè inhærere externę prædicationi, an ſolum ſpeciebus intelligibilibus, explicatur à num. 15. *vſque ad* 23. *Doctrina notanda.*

Status purè naturę, in eo, nec Deus loqueretur homini, nec homo poſſet ei credere purè propter eius authoritatem in dicendo, retento illo. Diſputat. 2. quæſt. 6. num. 13. & Diſput, 5. q. 5. num. 44.

T.

Teſtimonium Divinum quid ſit, explicatur. Diſput. 2. quæſt. 2. num. 51. Eſt intrinſecè infallibile ratione ſui activè, & paſsivè, num. 68. Quomodo repugnet falſitati, explicatur, num. 80. Quamvis authorizaretur per Divinam Sapientiam, & veracitatem, non eſſet pura conditio ad motivum fidei, num. 101. Teſtimonium Divinum, quomodo ſe ipſum teſtificatur, quæſt. 3. num. 52.

Temperantię virtus non poteſt ſtare in eſſe virtutis cum intemperantia formali in aliqua materia particulari talis virtutis. Diſput. 5. quæſt. 13. num. 16. Habitus temperantię acquiſitę amittitur in eſſe virtutis, licèt non in eſſe qualitatis per vnum actum intemperantię formalis, num. 17. Comparatur virtus temperantię cum fide. *Ibid.*

Theologia eſt ſcientia non evidens, ſed obſcura. Diſput. 4. quæſt. 6. num. 53. Tentatio contra fidem multiplex, & quomodo vincenda. Diſputat. 5. quæſt. 8. numer. 53.

Traditio vniverſalis, & Apoſtolica eſt regula infallibilis fidei. Diſputat. 3. quæſt. 3. numer. 2.

V.

Veracitas Divina, & Sapientia, quomodo ſe habeant, explicatur. Diſput. 1. quæſt. 2. num. 20. & 87. Veracitas per ſe, non ſolum inclinat ad dicendum verum in mente, ſed ad dicendum verum in re, num. 27. Id tamen non aſſequitur, niſi mediantè Sapientia, num. 35. Veritas formalis competit etiam Divinę loquutioni ad extra, numer. 122. Veritas intrinſeca myſteriorum non eſt obiectum formale fidei. Diſputat. 1. quæſt. 1. num. 31. Veritas Divina triplex diſtinguitur in Deo. *Ibid.* Deſignatur quę nam ſit motivum formale fidei, quæſt. 2. Vide *Fidei obiectum.*

Viſio beata, quamvis aſſirmet ſui ęternam durationem, non manet eſſentialiter indeſtructibilis. Diſputat. 2. quæſt. 3. numero 125.

Virtutes intellectuales, non reſpiciunt formale motivum, vt purè exiſtimatum, ſed vt verum in re, quæſt. 9. numer. 7. & 91. Virtutes morales an poſsint moveri à ſuis obiectis ſolum exiſtimatis, num. 91. Virtutes infuſę non poſſunt moveri à ſuis obiectis falſo exiſtimatis, num. 96. Virtus productiva effectus debet probari à priori ex continentia, vel formali, vel eminentiali, vel virtuali talis effectus. Diſput. 2. quæſt. 3. num. 8. Virtutes theologicę ſunt virtutes hominis, ſed non humanę, ſed ſuprà virtutes humanas. Diſput. 5. quæſt. 1. numer. 8. Virtus imperans alteri debet eſſe ſuperior reſpectu illius, nequirque virtus ſupernaturalis imperari ex virtute naturali, quæſt. 12. numer. 13. Adhùc contra ordinem rationis, num. 16. Nulla vera virtus poteſt imperari ex vanagloria, num. 44. & 28. Poteſt tamen conſequenter ordinari efficaciter ad illam, vel ad alium pravum finem, numer. 45. Virtute theologica nemo poteſt malè vti, nec obiectum proprium illius malè attingere, numer. 50. Qui motivis honoris, & convenientię, aut alijs temporalibus aliciunt ad virtutem, quo pacto debeant intelligi, vt rectè procedant, numer. 53. Virtutum theologarum actus poſſunt à Deo directè prohiberi, numer. 54. Illorum prohibitio redderet tales actus impoſsibiles. *Ibid.* Virtutes infuſę non poſſunt permanere in eſſe qualitatis, & non in eſſe virtutis ad diſtinctionem habitum acquiſitorum. Diſputat. 5. quæſt. 13. num. 18. Virtus infuſa veracitatis repugnat cum vitio mendacij, & per mendacium amittitur, non amiſſa gratia, num. 38.

Volitio efficax, & ineſſicax in Deo non ſunt reſpectu eiuſdem omninò obiecti terminativi, & ideò compatibiles. Diſputat. 2. quæſt. 6. num. 32.

Voluntas, non poteſt ſupplere formaliter defectum obiecti, quoad munus movendi, & determinandi quoad ſpecificationem. Diſputat. 5. quæſt. 9. num. 54. & 65. Voluntas cur ſit libera, quæſt. 10. numer. 87. Sequitur in appetendo modum apprehendendi, & iudicandi intellectus, numer. 88. Ordo deliberandi, & movendi ſe. *Ibid.* Voluntas, non poteſt facere, quod intellectus aſſentiatur abſque omni formidine, vbi non adeſt motivum firmans metaphyſicè intellectum in veritate. Diſp. 1. quæſt. 1. numer. 47.

A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T.
V. X. Y. Z. Aa. Bb. Cc. Dd. Ee. Ff. Gg. Hh. Ii. Kk. Ll.
Mm. Nn. Oo. Pp. Qq. Rr. Sſ. Tt. Vv. Xx. Yy. Zz. Aaa. Bbb.
Ccc. Ddd. Eee. Fff. Ggg. Hhh. Iii. Kkk. Lll. Mmm. Nnn.
Ooo. Ppp. Qqq. Rrr. Sſſ. Ttt. Vvv. Xxx. Yyy. Zzz.
Aaaa. Bbbb. Cccc. Dddd. Eeee. Ffff.
Gggg. Hhhh. Iiii. Kkkk.
Llll. Mmmm. Nnnn.
Oooo. Pppp.

Omnes ſunt Duerniones.

CVM PRIVILEGIO.

MATRITI: Ex Officina Lucę Antonij de Bedmar, & Narvaez, Supremi Caſtellę Senatus Oſtiarij, & Regni Typographi.

005673914

Digitized by Google

Digitized by Google